JOANNIS CRELLII FRANCI

# OPERA

## OMNIA EXEGETICA.

[ Bibliotheca fratrum ... T. III ]



JOANNIS CRELLII FRANCI

# Opera omnia exegetica.

*Sive ejus in pleroſque*

# NOVI TESTAMENTI

LIBROS

# *COMMENTARII.*

Maximam partem hactenus inediti.

In duos tomos diſtincti

*Quorum Catalogum verſa pagina exhibet.*

Additi ſunt duo indices copioſiſſimi, quorum prior eſt rerum & verborum, Phraſiumque Sacræ Scripturæ memorabilium. Alter locorum Sacræ Scripturæ in hoc opere explicatorum, vel curſim tantum illuſtratorum.

*ELEUTHEROPOLI.*

Sumptibus IRENICI PHILALETHII. Poſt annum Domini 1656.

Samuel Mauricius Rattray

224057 III/3

# Catalogus commentariorum hoc volumine contentorum.

*Quæ asteriſco notantur, antehac edita fuerunt.*

## Priori tomo hæc continentur.

* *Commentarius in* 1, 2, 3, 4, & 5 *capitis Matthæi, à Iohanne Crellio dictatus.*
* *Commentarius in epiſtolam ad Rom. a cap.* 1, 2, 3, *ex prælectionibus Ioh. Crell. conſcriptus a Iona Slichtingio, & a Ioanne Crellio recognitus.*
*Commentarium in reliqua ejuſdem epiſtolæ capita, author propria manu conſcriptum non recognovit.*
*Paraphraſis in epiſtolam ad Romanos, a Ioh. Crellio dictata.*
*Commentarius in* 10 *priora capita prioris ad Corinthios epiſtolæ, a I. Crellio conſcriptus.*
* *item in* 15 *ejuſdem epiſtolæ caput, ab eodem dictatus.*
* *Commentarius in epiſtolam ad Galatas, a Iona Slichtingio ex prælectionibus Crellii conſcriptus.*

*Paraphraſis in epiſtolam eandem.*
*Commentarius in epiſtolam ad Epheſios.*
*in eandem paraphraſis.*
*Commentarius in epiſtolam ad Philippenſes.*
*in eandem paraphraſis.*
*Commentarius in epiſtolam ad Coloſſenſes.*
*in eandem paraphraſis.*
} *dictata a Ioh. Crellio.*

* *Commentarius in utramque ad Theſſalonicenſes.*

## Altero tomo continentur.

*Commentarius in I. ad Timotheum*
*ad Titum.*
*ad Philemonem*
} *conſcripti ex prælectionibus Ioh. Crellii, a Petro Morskovio a Morskouw.*

* *in epiſtolam ad Hebræos commentarii author eſt Ionas Slichtingius, ſed* in eruendis, *ait in præfatione ei præfixa,* epiſtolæ iſtius ſenſibus omnis mihi cum Crellio ſociata fuit opera, idque ita, ut ei primas hic partes merito deferre debeam.

*Paraphraſis in eandem epiſtolam, dictata eſt a Ioh. Crellio.*
*Commentarius in I. epiſtolæ Petri duo priora capita, a Ioh. Crellio eſt ſcriptus.*
*Explicationes locorum difficiliorum Novi Teſtamenti, a Ioh. Crellio ſunt conſcriptæ.*

z Biblioteki
Uniwersyteckiej

# JOHANNIS STOINSKI

*Cætus Racovienſis Miniſtri*

# EPISTOLA LIMINARIS.

## Pro ratione præſentis operis in paucis quibuſdam locis mutata.

*Salutem a Jeſu Chriſto Domino noſtro.*

EN prodit in lucem novus præſtantiſſimi illius ingenii fœtus, commentaria nimirum (una cum quibuſdam fragmentis) quæ in varios Novi Teſtamenti libros exaravit vir eminentiſſimæ eruditionis JOHANNES CRELLIUS FRANCUS: immaturus eſt hic fœtus, &, ut vides, magna parte ſui truncus, ut e matris utero exciſus potius, quam natus videri poſſit. In integrum enim N. T. volumen explicationes, prout in prolegomenis ad initium Euangelii Matthæi commentarii indicat, conceperat author. Equidem vereor, ut qui penitius cognoverit, quantum hic vir incomparabilis potuerit in hoc genere, (facile autem ex ungue leonem) plus doloris ex imperfecto, quam voluptatis ex inchoato Commentario percipiat. Veruntamen, quia utilitati tuæ, Lector, quam voluptati velificari maluimus, laborem hunc, quamvis non conſummatum ſupprimere, non videbatur conſultum. Ah quoties, & quam profundis ſuſpiriis nobis ingemiſcendum erat, quum ea, quæ tantus myſtes reliquit, legeremus, nec ad finem perducta cerneremus! Quis enim poſt hunc Apellem picturam tam affabre & artificioſe inchoatam continuare audebit? vel, ſi audeat, quis cum illo paria faciet? Quis in tot eruditiſſimorum interpretum ſacri codicis corona, omnium, qui non obeſæ, ſed emunctæ ſunt naris, ſagaciſſimo odoratui, quis exquiſitiſſimo palato ſufficiet? ô utinam, & iterum tertiumque utinam exuſcitet quempiam Dominus, qui pari, aut etiam maiori hanc telam pertexat dexteritate, eaque abſolvat, quæ ſuperſunt in divinis voluminibus explicanda!

canda! Non invidebimus cuiquam hanc lauream; ſed potius nobis & ſeculo gratulabimur, de tam pretioſo theſauro. Dicemus cum mitiſſimo & ſuæ quidem gloriæ prodigo, ſed divinæ ſitientiſſimo Moſe: *Utinam totus populus Iehovæ eſſent prophetæ Num.* 11. 29: Dicemus & cum Wolfgango Capitone, quem faxit Deus, ut omnes euangelii doctores imitentur: *Nomen noſtrum, ſi quod eſt, dominus male perdat, quo gloriam unigeniti filii ſui aſſerat* &c. Et ſane, qui donum hoc, quo lucem S. paginæ fœneretur, deſiderat, bonum & eximium donum deſiderat, ac fortaſſe omnium ſpiritus S. munerum præſtantiſſimum, quale quondam fuit prophetiæ, quod non immerito apoſtolus inprimis ſectandum fuiſſe ſuaſit 1 Cor. 14. 1. Nam ſenſus abditiſſimos, & in arca divini fœderis alte reconditos operoſe perſcrutari, diligenter rimari, accurate indagare, & quod maximum eſt, feliciter invenire, acute eruere, apte atque appoſite verbis ſcripturæ accommodare, & arcanam ſpiritus illius mentem, qui eam inſpiravit, & amanuenſibus ſuis, hoc eſt S. ſcriptoribus dictavit, in apricum proferre, prophetiæ illi eſſe perſimile, & quodammodo analogum, adeoque ad eam commode revocari poſſe, nemo inficias ierit, niſi quod illa cælo plurimum, vel potius totum debere; hoc naturæ & ſtudio non parum imputare videatur: Illa non ſine miraculo obtigerit; hoc non ſine laborioſa induſtria ac ſolertia acquiratur; accedente tamen auxilio cæleſti, cujus interventu quantumvis novas qualitates creari ſeu produci non eſt neceſſe, inditas tamen natura, aut arte acquiſitas perfici poſſe & ſolere perſuaſiſſimum mihi eſt. Verum ut deſiderium tam præclari chariſmatis majorem in modum probo; ita, ſi quis illud ſibi arroget, quum non habeat, & ita ultra ſapiat quam oportet, laudare non poſſum. Neque vero adeo proclive eſt, ut fortaſſe nonnulli opinantur, oraculorum divinorum ſeu mentis ſupremi Numinis agere interpretem. *Nam* (ut apoſtoli verba huc advocemus) *quis hominum novit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in eo? ita etiam ea quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi ſpiritus Dei. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* 1 Cor. 2. 11, & verſ. 30. Jam vero ſpiritus ille in animam impuram non ingreditur: ſingulari pietate ac vitæ integritate præditus ſit oportet, cui ſecreta ſua in aurem inſuſurret, quique tam arcto nexu cum domino jungi velit, ut unus quodammodo ſpiritus cum ipſo exiſtat. *Secretum Domini*, ait Pſalmographus, *timentibus eum* Pſal. 25. 14. Porro, quamvis cordis puritas & vitæ innocentia primum & præcipue hic requiratur, ſola tamen non ſufficit; ſed hujus ædificii fundamento ita jacto, plura ad ejus ſtructuram continuandam & perficiendam ſunt neceſſaria. Etenim, ſi uſquam, certe hic vel maxime ingenium perſpicaciſſimum, judicium ſubactiſſimum, memoria tenaciſſima requiritur. Ingenium cernit, judicium diſcernit, memoria conſervat. Ingenii acris eſt, ſenſum ſcriptoris ſacri ſæpenumero abſtruſiſſimum invenire. Judicii librati inventum, aut ab aliis ſuppeditatum ad ſtateram veritatis appendere, & ſi unus ſe offerat, an ſit verus ac genuinus; ſin plures, quinam minus quæſitus & coactus, qui magis loco & menti authoris accerſitus, quamvis ingenioſe verbis aptari poſſit;

possit; sed ex ipso contextu, scopo, & circumstantiis loci erutus, judicare, nec solum qui sit minus malus, vel saltem tolerabilis, sed etiam qui sit inter bonos optimus, eligere & discernere. Quod sane inter tot doctissimorum scripturæ interpretum variantes sententias, post tot gravissimorum virorum commentaria, qui partim ob venerandam antiquitatem, partim ob eruditam subtilitatem, partim ob numerosam adstipulantium turbam, partim denique, quod maximum pondus habet, ob rationum pro errore speciose militantium apparatum, magnam obtinuerunt autoritatem, difficillimum præstitu est. Memoriæ est, ea quæ vel proprio Marte excogitata, vel ab aliis, qua legendo, qua audiendo accepta sunt, quasi in thesaurum quendam reponere ac recondere. Hæc præstare debet, ut S. literarum interpres, non ideam tantum religionis digito Dei delineatam ante oculos semper ferat, sed omnia pene verba ac phrases locosque similes quasi in numerato habeat, & quæ ab aliis huc pertinentia recte didicit, probe meminerit. Linguarum præsertim præcipuarum peritia quantum huc momenti adferat, quid attinet dicere? nisi forte quis ignorat V. T. primum Hebraice, Novum Græce, (sed ab Hebræis, gente, unde plurimis Hebraismis scatet) exaratum esse, & quot quantique errores ex neglectu fontium, quos adire, vel eorum idioma discere piguit, quorumque aquæ limpidissimæ sive oscitantia, sive mala fide Interpretum, quasi limo quodam turbidæ factæ ab illa crystallina & pellucida puritate degenerarunt, sint derivati & subinde pullulent. Denique ne omnia & singula percensendo, quæ huc pertinent, nimius videar & tibi molestus sim, nisi quis diligentiam indefessam & ἀκρίβειαν propemodum scrupulosam sibi subsidio comparet; nisi assiduam meditationem adhibeat, & idem comma capitis modo in hanc, modo in illam partem noctu diuque verset, & aliorum, qui fortasse facem nobis prætulerunt, scripta de eo etiam atque etiam evolvat, relegat atque examinet; nisi assiduis & ardentibus precibus auxilium cælitus impetret, vix est, cur sibi eam, de qua loquimur, interpretandi libros sacros dexteritatem polliceri audeat. Certe quo plura ex his, & quanto perfectius ei divino munere obtigerunt, tanto felicius & majori cum fructu ac laude huic labori manum admovere potest. Quamvis nolim hæc in eam partem accipi, quasi ei, qui sibi nonnullorum, quæ enumeravimus, defectus conscius est, de omni profectu desperandum aut animus sit despondendus. Nam honestum est, ad prima tendentem in secundis, vel tertiis consistere, & præstat eum aliquid præstare, qui potest aliquid, quam omnino nihil, dummodo non plus sibi tribuat, quam illi divina benignitas largita est. Alioqui habet hic locum illud: *Hos successus alit, possunt, quia posse videntur.*

Audivisti jam, Christiane Lector, sententiam nostram de perfecto, quantum materiæ & imbecillitatis humanæ ratio patitur, S. literarum interprete. Sed tu puta me non ideam Platonicam, aut Ciceronis Oratorem, sed ipsissimum Crellium, qui horum omnium expressum exemplar in suis sermonibus, scriptis ac moribus veluti in tabella quadam nobis exhibuit, depinxisse. Quæ tanto liberius profero, quanto manifestius nos, qui ipso familiarius

usi, & persæpe de locis S. Scripturæ omnium difficillimis cum eodem sermocinati sumus, ea deprehendimus. Quanquam quid opus est testimonio eorum qui propius virum eximium norant, cum vel hi quos jam publico damus, vel qui ante ex officina ipsius prodierunt Commentarii hoc ipsum clara voce loquantur. Quod sane, nisi revererer manes amicorum meorum principis, sigillatim ostendere facile possem. Sed parcendum est etiam post obitum hominis, quem ego non modestissimum, sed ipsam modestiam merite dixerim, verecundiæ: Nam cum in vivis esset, nihil majori cum rubore tulit, quam si, quod erat in illo, agnosceretur, & longe facilius convitia ac maledicta, quæ nunquam meruit, quam laudes, quas merebatur, audire sustinuit. Videor itaque injurius quodammodo in mortuum futurus, si illud, a quo vivus vel maxime abhorruit, & quod vehementer deprecatus fuisset ne fieret, post obitum ipsius nimis expresse aut etiam fuse propugnare velim. Modestiæ tamen ipsius vel ideo expressa mentio facienda videbatur, quia admodum insigniter & conspicue hac virtute eminuit, & quia, si ulla, profecto hæc spiritui illi, qui penetralia S. paginæ introspicit, grata est, eumque fovet. Tanto autem hæc in illo conspectior, quanto CRELLIUS major. Nam quod minores parum sibi tribuant, rarum quidem est, non tamen adeo mirum; sed quod tam sublimis Theologus & Philosophus, ut scripta ipsius abunde testantur, tam demisse de se senserit, id vero miraculi instar jure censeri potest. Quanquam vero huic uni veluti fundamento reliquas eum virtutes superstruxisse, &, tanquam sororio vinculo copulatas conjunxisse, non tantum vero simillimum, sed & verissimum est, tamen germanam ipsius sororem, mansuetudinem ac lenitatem vel inprimis in omni vita sectatum esse, eadem quæ scripsit, comprobant. Etenim quis unquam ab eo vel per somnium verbo procaciori lacessitus? quis non tantum in didacticis, quæ minus hoc ferunt, sed etiam in polemicis scriptis, ubi insultandi adversario, & eum lædendi magna sæpe datur occasio, aculeum aliquem aut scomma deprehendit? Verum ego te ad Commentarii ipsius Crelliani lectionem avide, ut opinor, properantem nimis diu detineo. Tempus est, ut adeas hominem, mentisque aures ei accommodes, atque ita experimentum aliquatenus capias, (nimirum quatenus ex opere inchoato id capi potest) quantus fuerit in sua palæstra CRELLIUS, & quantam jacturam fecerimus ex eo quod non absolverit. Quod si forte prius, quomodo formatum sit hoc embryon, & quamobrem non consummatum, cognoscere cupias, paucis accipe. Quæ in Matthæum edita vides, ea ab ipso quidem CRELLIO Theologiæ studiosis privatim dictata sunt; sed sola meditatione prævia, non vero scripto aliquo ante concepta, non relecta aut recognita. Quanquam is nunquam aliter, (quod sciam) aliquid dictare solebat, adeo ut Ethica etiam Christiana non exiguo volumine contenta, quæ brevi Domino annuente lucem aspicient, & tractatum de Spiritu Sancto aureum, & Commentarium in XV. caput prioris ad Corinthios Epistolæ, nec

non

nec non alia hujus voluminis commentaria & paraphraſe, abſque omni chartæ ſubſidio dictaret. Unde etiam quam rara dos ipſi contigerit, conjectari non eſt difficile. Quæ vero in epiſtolam ad Romanos commentatus eſt, ea quidem propria CRELLII manu, poſteaquam totam epiſtolam collegio Theologico prælegiſſet, conſignare cœperat, ſed ultimam omnibus illis manum non imponere, morte preventus non potuit. Quare ſi quid in his deprehendiſſe tibi videberis, quod non uſquequaque exactum cenſeri poſſit, cave ſubaccuſes CRELLIUM, aut nos plus ei tribuiſſe, quam par erat, exiſtimes. Nam ſi curatius ea ipſe examinaſſet, & quam ſolebat iis limam addere, quæ ipſo ſuperſtite prælo ſubjiciebantur, adhibuiſſet, non dubium eſt, quin δόντος φαγεῖδος σφύτερος inventurus fuiſſes. Magnus ille fuit, meo quidem judicio, quum coram diſſereret ac prælegeret quidpiam ex ſacro codice; ſed, ni fallor, ſeipſo major, cum dictaret; longe vero maximus, quum ipſe ſcriberet ac recognoſceret. Quod vero tam præclara opera non abſolverit, non CRELLIUS in cauſa eſt, (nihil enim illo laborioſius) ſed brevitas hujus reſpirandi interuſurii ipſi a Deo conceſſi; præſertim cum tot tum publice, tum privatim occupationibus graviſſimis & domino Jeſu acceptiſſimis fuerit diſtentus, ac pene obrutus, ut vix etiam ac hæc non pauca aliquid temporis ſuperfuerit. Adde, quod Commentario in Matthæi non plures quam unica hora ſingulis diebus deſtinata fuerit, eaque non raro vel abſentia CRELLII, vel eorum, qui ſcripturi erant (pace quorundam dixerim) indiligentia interciderit: quum tamen ipſe, vel me teſte, profeſſus fuerit, ſe malle, ut duæ impenderentur, ſi ii, qui calamo excipiebant, voluiſſent, aut etiam omnes potuiſſent ſcriptioni diutius immorari. Commentarius autem in epiſtolam ad Romanos, præterquam quod ex ipſius CRELLII potiſſimum prælectionibus in totam epiſtolam concinnatus prodeat, (unde ex parte factum puto, ut autor maluerit aliud quippiam novum aggredi, quam actum agere, præſertim, quum is, qui adhuc premitur, nonnihil ab eo, quanquam parcius & quaſi perfunctorie ſit emendatus, &, ſi Deus permiſiſſet, per mutuam collationem, ut ſolebat, accuratius eundem relegere ac recognoſcere in animo habuerit,) aliis magis urgentibus propter amicorum deſiderium ac preces, imo & Synodi totius decretum laboribus interruptus eſt. Nam librum de vera religione diligentiſſime recognoſcendi, & ſub incudem novam revocandi, annexo & libro de Deo & attributis ejus, imo & ſuperaddito libro de uno Deo Patre, neceſſitas ipſi quædam impoſita fuit, & ita plus temporis quam putabat illi a Commentariis detractum: præſertim cum interim modo hic, modo ille aliud atque aliud, ut ſui cauſa ſcriberet, vel dictaret, ab ipſo poſtularet: ut curam ſollicitam non de ſuo tantum Racovienſi cœtu, cui præpoſitus erat, ſed de omnibus pene aliis præteream, & literarum ad varios non ſuos tantum, ſed & exteros, exarandarum infinitos & immenſos labores ſilentio involvam. Plus itaque CRELLIUS præſtitit, quam debuit, ne dicam plus quam potuit; tantum abeſt, ut merito quiſ-

piam in

piam in eo hac in parte aliquid requirat. Interim tamen quia desiderium nostrum non implevit, dolendum est, tantum ecclesiæ lumen esse præmatura & invida morte extinctum, roganduſque Dominus messis, ut extrudat operarios huic geminos ad messem idoneos, cui te, Lector, me vero & meos conatus, quos divinæ gloriæ penitus consecratos cupio, ardentissimis precibus tuis commendo.

Vale.

*Racoviæ, die* XVI *Maji.* Anno CIↃ IↃCXXXVI.

# *VITA*
# JOANNIS CRELLII FRANCI
## à J. P. M. D.
## *ante plures annos deſcripta.*

VItam JOHANNIS CRELLII memoriæ prodere aggredior, non neſcius & ardui id futurum operis & cumprimis invidioſi. Nam & amicis Viri ſcribendo ægrè forſan ſatisfacero: & inimicis non poſſum placere niſi tacendo. Illi meliore ingenio dignas cenſebunt ejus virtutes: hi quovis pauperrimo, etiam meo, indignas. Illi majorem, quam a me factum videatur, poſteris traditum vellent: hi de memoria hominum penitus deletum. Cæterum cum illis mitiore affectu, hoc eſt, amore mecum pugnantibus tranſactio fuerit facilior, nec obſtinate quoque temeritatis incuſabunt me quin negligentiæ illos viciſſim poſtulem, qui omiſſo tot annis erga meritiſſimum Virum officio, neceſſitatem mihi fecerint derelictam & velut depoſitam operam humero quamvis impare ſubeundi. Cum alteris negotium haud paulo difficilius erit. Nec video qui litare his poſſim, qui implacabili forſan acerbitate indignabuntur, ſiſti quocunque modo redivivum, quem vivere deſiiſſe gaudent, & vellent nunquam vixiſſe inter mortales. Quippe eo jam ventum eſt, ut Chriſtiani Chriſtianos in Religione utcunque diſſonos, internecino etiam ultra mortem odio proſequantur. Non contenti ſcilicet ibi terminum poſuiſſe irarum, ubi natura poſuit vitæ.

PATRIA Viro FRANCONIA eſt, regio Germaniæ cum aliis multis nominibus tum incolarum potiſſimum antiqua virtute nobilis. Cujus ea parte, qua Norimberga Francofurtum itur, ager eſt HELMETSHEMIUM dictus, Kittingæ oppido non ignobili vicinus, cæterum Baronum Limburgicorum avico jure pincernarum Imperii ditioni ſubjectus, quorum & arx Speckfeldiana ibi viſitur. Huic ergo debet CRELLIUS natalium ſuorum cunabula, loco ſane obſcuro & cujus fama iiſdem quibus ipſe limitibus circumſcripta ſit, niſi quid a tam nobili alumno lucis acceperit. Parentes quoque CRELLII non ſic quidem infimæ notæ homines fuerunt, quin inter laudes CRELLII poſſint cenſeri, ſed nec tamen adeo clari, ut non inter laudes eorum fere prima ſit genuiſſe tam laudatum. *Pater* fuit *Johannes Crellius* Bidershemio è Comitatu Hanovienſi oriundus, vir piæ eruditionis: ſed hoc tamen nomine maxime commendabilis, quod viginti amplius annis Eccleſiaſtico inter Lutheranos, quos vocant, munere Helmetſhemii primum, dein' Winterhuſæ ad Mœnum functus Euangelium Chriſti docuit, quare nimirum in illo veritatis crepuſculo docere potuit. *Mater* fuit *Anna Grinevaldia* Norimbergenſis, fœmina honeſto loco nata, & cæteris quoque, quæ in ſequiorem ſexum cadunt, ornamentis conſpicua. Nativitas ejus incidit in annum *nonageſimum* ſupra *milleſimum quingenteſimum (a)*. Qui annus ater ac funeſtus eſt multorum magni inter literatos nominis Virorum morte, inter quos Zanchius fuit & *Cujacius*, &, qui noſtro cognominis eſt, *Fortunatus Crellius:* ſic notam hanc nullius pœne, quod ſciam, inſignis viri nativitate abſterſit, præter ſolius noſtri CRELLII. Quem quaſi jam tum ad magna deſtinaret natura, dotes ei tales indulſit, quæ eximiæ magnitudinis faſtigio ſufficerent. Dedit enim ingenium, quod rerum earum quibus olim clarus erat futurus ſemina facile caperet, dedit & memoriam omnium, quæ ei committerentur, pertinacem: hoc inſuper in hunc quam in multos alios benignior, quod cum indolem magnam non negaſſet, igneos tamen illos ac ſæpe noxios ſpiritus, quibus deſpumare plerumque ſolent nimio calore turgidæ mentes, ſejunxit. Indolis autem iſta felicitas cum in puero ſtatim non obſcure eluceſceret, perſuaſit parentum de filio ſolicitudini, ut domi per decennium primis pietatis & literarum rudimentis imbutum Norimbergam ad publicum bonæ mentis templum deducerent (*b*). Hic noſter triennium non ſine proventu bonæ frugis exegit, probata & dexteritate ingenii & rara morum modeſtia tum publice Præceptoribus, tum privatim Agnato ſuo, in cujus ædi-

(a) 26 *Julii ſtylo veteri.* (b) *Anno* 1600, 15 *Junij.*



bus

bus vivebat, Johanni Klingio viro non exiguæ authoritatis in Repub. Norimbergenſi, cui a ſecretis fuit. Cum poſtea ſedem ſtudiorum promovere viſum eſſet, migravit Stolbergam, Oppidum inter Hercyniæ inculta non inelegans: hic biennium & quod excurrit, non ſine inſigni rurſum morum pretio, ſub felici ungue Matthæi Goti Poëtæ doctiſſimi verſatus, Mariæbergam, civitatem Miſniæ, conceſſit, honorifico iterum præceptorum ſuorum comitatus teſtimonio, magis tamen credo quod meruiſſet, quam quod indigeret commendari. Paulo poſt revocatus Klingio curante Norimbergam, (a) ablegatur Altorfium, nobile illud Germaniæ Athenæum, inque numerum alumnorum Reipub. adoptatur (b). Beatum tunc erat Altorfium virorum doctrina celebrium proventu, adeo, ut quibus pæne ſingulis inclareſcere poterat, famam tum ejus incenderent univerſi. Quis ignorat magna illa Reipub. literariæ nomina, Taurellum Philoſophum, Scipionem Gentilem Juris Conſultum, Rittershuſium Philologum? quis Piccartum Logicum, Prætorium Mathematicum, & magni illius Dudithii familiarem, quis Sonerum Phyſicum & Medicum præſtantiſſimum, Wirdungum Poëtam, Queccium Ethicæ Profeſſorem? qui omnes circa illud tempus Altorfii literas docebant. Hos cum pleroſque omnes (aliquot namque exceſſerant) audire noſtro contigiſſet, præclariſſime omnium tamen de illo meritus eſt Sonerus, cujus ille in ſe beneficia nunquam poſtea commemorare deſiit, ſed inter ea ſemper numerare conſuevit, quæ ſibi cæleſti munere contigiſſent unquam luculentiſſima, & humanæ liberalitatis faſtigio majora. Publicæ porro Profeſſorum induſtriæ acceſſerat privatus etiam ἐργοδιώκτης Johannes Holzlinus Inſpector Alumnorum Reipub. cui ſe CRELLIUS in Ethicis potiſſimum non parum debere fatebatur. Neque vero inflammato impigri juvenis ſtudio ſufficiebat in una atque altera diſciplina exercuiſſe ingenium, eoſque intra fines ſtetiſſe, quibus ſtudiorum ſuorum curriculum ignobiliores animæ definiunt: ſed effuſo in ſcientiarum illa latifundia, in vaſtum eruditionis æquor, ingenio efficere laborabat, ut ſi ſcire omnia non concederetur homini, ipſe ſaltem quam pauciſſima ignoraret. Linguarum cognitioni ita erat addictus, ut ab ea inchoanda cætera ſtudia exiſtimaret, & ipſam tamen terminis ſuis finiendam: immunis & hac in parte a ſeculi illa ſcabie, qua plerique circa neſcio quæ vocum deliria umbraſque rerum præterpropter ſcientias vagabantur, & quod quidam vere dixit, inſtrumenta ſapientiæ extra ipſam conſumebant. Nihilominus tamen antequam ad altiora pergeret, Græcæ & Hebraicæ ſufficientem ſibi cognitionem, Latinæ ad politiem uſque acquiſiverat. A linguis poſtea ad altiora Philoſophiæ ſtudia converſus duces habuit, penes quos ſolos fere ſemper magiſterium ſapientiæ fuit, Ariſtotelem & ejus interpretes, nec eos tamen quoslibet, ſed qui aliquid ſupra Scholaſticorum acutas deliriationes ſaperent: quales eſſent, Alexander, Simplicius & alii nonnulli, ex Latinis Itali quidam, & potiſſimum qui Ariſtotelem Ariſtotele melius, quanquam audacter, intelligere a nonnemine dictus eſt, Cæſalpinus. In his tanto ſimul & ſtudio & judicio verſatus eſt noſter, ut nihil quod utile futurum eſſet prætermitteret, & tamen, quod eſt difficillimum, ex tali ſapientia retineret modum. Id quod clariſſime ſcripta ejus oſtendunt, quæ quiſquis legerit, agnoſcet facile, tantum profeciſſe noſtrum ex illis Sapientiæ magiſtris, ut ipſos non raro magiſtros cogat in ordinem. Collegerat ſibi CRELLIUS non vulgares jam ſcientiarum atque eruditionis opes, cum ſingulari Dei cura monetur ignorare adhuc aliquid, atque illud tanti momenti, ut ejus ignorantiam agnoviſſe nulli non præſtaret ſcientiæ. Iſtud erat purior Dei ac Chriſti cultus: circa quem ſi quos habuerat, retinuiſſet errores, error pæne erat omnis reliqua illius ſcientia. Sed probior nempe erat illius indoles, quam ut vel Deus poſſet non offerre veritatis ſuæ ſecretum, vel ipſe oblatam non recipere. Invenit CRELLIUS inter ipſos Academicos, (c) qui veritatis ei faculam allucerent, quam ille tanto facilius etiam amplexus eſt, quod pridem eam, quam a Patre acceperat, doctrinam aſpernatus aliam imbiberat, quæ, prædeſtinationis ſi excipias dogma, cujus eruditatem noſter nunquam concoquere potuit, propius a vero aberat. Quanquam autem per ipſum non ſtabat, quominus iſtud ſui a vulgo diſſenſus ſecretum innoteſceret, ut qui aliis quoque quod ſciret, inſtillare non negligeret, latuit tamen ea res ſatis diu, adeo ut poſtea ſimul fere cognoſceretur & ipſe didiciſſe veritatem & docuiſſe alios. Inter hæc retulit ille ſat pulchrum eruditionis ſuffragium a Senatu Academico: a quo dignus judicatus eſt, qui in Holzlini decedentis locum ſurrogaretur, atque Inſpectioni Alumnorum Reipubl. cui hactenus ſuberat, præeſſet.

(a) *Ubi rediit Norimbergam Anno* 1606, 27 *Auguſti.* (b) *Circa feſtum Martini.* (c) *Præcipue Georgius Richterus, tum Crelli commilito & contubernalis, poſt Juris Conſultus & Reipub. Norimberg: Conſiliarius. Anno* 1610. *adulto jam autumno.*

Neque

Neque quicquam jam deerat, quo minus id fieret, præterquam ſola CRELLII voluntas: qui metuens ne Conſcientiæ ſibi damno conſtaret hoc quicquid erat muneris, veſtigabat quomodo honeſte declinaret, quod alii ambitioſe affectabant. Antequam autem detrectandi obſtinationem oſtendiſſet, inventi ſunt ex muneris iſtius candidatis quidam, qui detrectationis illius, quanquam malo animo, invidia ſublevarent, & CRELLII novo more, hoc eſt, accuſando dicerent cauſam. Aſperſere quippe illum apud Senatores quoſdam Curatoreſque Academiæ, Calvinianæ, quam vocant, Religionis ſuſpicione, ignari odioſioris tituli, cujus tamen, ſi Diis placet, crimen & verius noſtro objectum fuiſſet, & plus nocuiſſet. Sed commodum accidit, ut inter Academiæ Theologos controverſia de adoratione humanitatis in Chriſto agitaretur: hanc CRELLIUS publice aſſeruit aliquot argumentis, ſed quæ & aliunde ſumſerat quam a Lutheranis, & meliori volebat ſervire cauſæ, quam eſſet Lutheranorum, Cum tamen mens aſſerentis non niſi ab iis agnoſceretur, quibus eadem mens erat, abſolutus apud reliquos CRELLIUS eſt ab objecti Calvinianiſmi invidia. Ita redierat quoque Curatoribus Academiæ, alumnorum cum regimini præficiendi animus: niſi ipſe hoc quidquid erat ſive honoris ſive oneris, ſupplici libello deprecari, quam ſuſcipere maluiſſet.

Remotus erat unus votorum CRELLII obex, ſed non metus ſimilium. Jam enim eo loci pervenerat, ut & aliis ſubinde atque aliis honorum titulis, qui in Academiis Germaniæ maxime uſitati ſunt, tandem & officiis publicis decoranda videretur illius eruditio, & ille omnia iſta ſpernenda ſibi putaret, quod acceptanti in neſcio quas confeſſionum formulas jurandum videret. Accedebant privata a cognatis ſuis libertatis ſufflamina, potiſſimum ab illo, qui a primis annis de ſtudiis ipſius optime meritus, ſuæ, quam pro noſtro geſſiſſet, ſolicitudinis ac operæ ſibi amiſiſſe fructum videbatur, ſi non Lutheranæ Eccleſiæ educaſſet, quem tanta cum cura educaſſet. Atque angebat quidem optimum juvenem non poſſe ſimul Deo, & quibus poſt Deum plurimum debebat, placere: idem tamen indignum putabat animi libertatem gratificari homini, cujus ſervitus uni recte Deo deberetur. Calcandas itaque ſibi duxit omnes amiciſſimorum etiam vel illecebras, vel iras: quidquid obſtreperet vel amovendum leniter, vel vi perrumpendum.

Tandem igitur cum libertati conſcientiæ ſuæ cum loco in quo vivebat, omnino non convenire videret: curioſius de alio cogitare cœpit, ubi ſentire quæ vellet, & quæ ſentiret, dicere liceret. Deliberanti cum Amicis POLONIA placuit, terra nunquam illi viſa, & in qua nullos penitus privatim habere amicos noverat, niſi quod eos ſibi futuros putaret amicos, qui eſſent veritati. Sed parum quoque de aliis laborabat, qui unius Dei confidebat benignitati, non penſitabat quid relinqueret aut quo iret, qui ſinceris oculis in cœlum ſuſpexerat. Bianti ſimilem diceres CRELLIUM, niſi quod iſte melius cum Abrahamo in Numine, quam in ſe ſua collocabat: & illi facilius fuerat direptam relinquere patriam, quam huic florentem. Exiit Norimberga circa Calendas Novembris (*a*): & prope centum milliarium iter inter varias cœli injurias, ſine omni, qui itineris moleſtias leniret, comite emenſus, *Cracoviæ* primum, ad virum generoſum Johannem Baptiſtam *Cettiſium* divertit, ad quem literas a *(b)* viro quodam Ampliſſimo Norimberga ſecum ferebat: inde porro decima tertia Decembris *Racoviam* venit, locum in quo poſtea & perpetuo vixit, & tandem obiit. Vix aliquantum ibi feſſum itineris moleſtiis corpus compoſuerat, cum illius animus quieturum ſe negaret, dum quibuſcum ſentiret, ad eorum etiam ſanctiorem ſocietatem admiſſus eſſet. Neque diu etiam illi, ad quos venerat, quod per tot rerum diſcrimina quæſiiſſet, ipſi denegarunt: ſed paulo poſt adventum ipſius, cum nihil non in illa arctiore dignum conjunctione viderent, receperunt in Eccleſiæ ſuæ ſinum *(c)*: promoventibus negotium Eccleſiæ Racovienſis Miniſtris *Valentino Smalcio* & *Johanne Stoinio*, viris inter ſuos inſignibus, & quorum jam alter in ſcriptis ſuis tantum vivit, alter vitam quam vivit, acerbam ſibi putat amiſſo Crellio, qui cum tantam coluit amicitiam, quanta nec inter fratres conjunctiſſimos arctior eſſe queat. Paulo poſt receptus eſt noſter in aulam magnifici Herois *Jacobi Sienienii Palatinidæ Podolienſis*, viri & de Repub. Polona, & de Eccleſia Chriſti præclariſſime meriti; & cui illa ideo nullas videri poſſit habuiſſe gratias, quia nunquam

(a) *Anno* 1612. (b) *Joh. Georgio Leiſchnero, Juris Conſulto & Reipubl. Norimbergenſis Conſiliario.* (c) 29 *Decembris.*

potuit debitas: hæc, quibus ipſi obſtricta eſt, nomina illi delegat, qui unus merita, quæ nos penſando æquare non poſſumus, longiſſime ſuperare poteſt. Hujus benignitate CRELLIUS non abuſus eſt vel ad pingue otium, pigritiamque inutilem, vel ad occupationes aulicas, ad quas nec obligabatur; ſed quicquid habuit temporis; habuit autem ſemper quantum voluit, conſecrabat ſtudiis Theologiæ, atque prælectionibus Clariſſimi Smalcii, nec non colloquiis *Hieronymi Moſcorovii*, Viri Nobiliſſimi, & quo nunquam facile Eccleſia noſtra vel vitæ innocentia vel Eruditione varia, vel Eloquentia, vel omni denique concentu conſenſuque laudis præſtantiorem vel habuit vel habebit.

Potiſſimum autem Concionibus habendis exercebatur, primum quidem per biennium fere privatim *(c)*, idque lingua Germanica, Latina, Polonica: poſtmodum Anno 1615 a *Smalcio* in publicum productus eſt, & menſe Julio primam Concionem in Eccleſia habuit ea lingua quæ ipſi improbo labore acquiſita, plerique auditorio vernacula erat. His ſtudiis totum illud triennium cum ſemeſtri, quod in Aula Magnifici Palatinidæ conſumpſit, tribuit; cum tandem Rectoratus ei munus committitur *(d)*, proficiſcente ad exteros Viro admirabilis eruditionis atque eloquentiæ *Paulo Krokiero*, qui maxima cum laude Scholæ clavum illum tenuerat, quem tum CRELLIO tradebat, ſed tanquam brevi reſumturus: Cum poſtea nec ipſe ad ſtationem rediret, quam reliquerat, nec alius quoque præſto eſſet, cui poſt tantum Atlantem onus illud recte imponi poſſet, conſumpſit CRELLIUS quinquennium in eo munere, quod in annum tantum ſuſceperat. Quanquam autem minime ad pulverem Scholaſticum videretur eſſe natus: libens tamen ille hanc provinciam ſuſtinuit, & cum uſu tum ſuo, tum publico. Nam & ipſum ſæpe audivi poſtea bene ſibi poſitum eſſe tempus dicere, quod in functione Scholaſtica poſuiſſet. Et quantum aliis profuerit, hoc vero teſtantur multi etiam ſplendidis orti familiis, qui ſub felici ejus manu vultum duxere. Eodem quo regundæ Scholæ munus ſuſceperat anno, ætatis ſuæ nempe vigeſimo ſexto, iniit quoque matrimonium ille, ducta in uxorem, *Simonis Piſtorii Opolienſis Sileſii*, ſenis pietate & eruditione venerandi, & Eccleſiæ Czarkovianæ miniſtri, (*) filia Roſina, Tarnovicii in Sileſia nata, fœmina pia, & pene ſupra ſexum muliebrem prudente: ex qua, quos deinde vertentibus annis Filios tres *(e)* & totidem Filias *(f)* ſuſcepit, uſque ſuperſtites vivunt: non mediocres, quoties oculos noſtros ſubeunt, doloris ex morte Parentis concepti, faces ac ſtimuli. Sub id tempus ſtrinxerat in Eccleſiam noſtram mucronem ſtyli ſui, lumen illud ſeculi *H. Grotius*, Vir qui vel nominis ſui horrore percellere quemlibet adverſarium poterat: ſtabatque exſpectatione arrectus literatus orbis, an habitura eſſet defenſorem cauſa, quam *Grotius* oppugnaſſet. Venit in arenam CRELLIUS, non gloriæ ſtudio, a quo ſemper alieniſſimus fuit, ſed amore Veritatis, cujus patrocinium non videretur deſerendum. Quantum igitur otii functioni Scholaſticæ poſſet ſubducere, id tribuebat elaborando illi contra *Grotium* libro, quem poſtea, ſuſcepto jam Miniſterio editum, publico judiciorum ſoli, & ipſius *Grotii* cenſuræ ſubjecit. Circa id tempus alibi quoque Veritati adeſſe opus habuit, cum immani confidentia omnes quotquot ab Eccleſia Romana diſſentirent, Chriſtianorum familias Monachus quidam (*g*) Italus provocaſſet. Huic cum ſe in publico Poloniæ veluti theatro oppoſuiſſet vir eloquentiſſimus *Johannes Stoinius*, quem antea nominavi, aſſumpſerat ſibi CRELLIUM adjutorem. Elapſo Scholaſtici regiminis quinquennio, redierat ab exteris Vir Clariſſimus *Martinus Ruarus*, CRELLII dum viveret, intimus amicus; qui cum ſuſcepiſſet in ſe munus, cui ante CRELLIUM deſtinatus erat, promotus eſt hic de pulvere Scholaſtico ad munus Miniſterii *(h)*. In hujus auſpiciis exorta Racoviæ peſtis eſt, quæ cum Oppidum miſere vaſtaret, viſum fuit noſtro cum aliis periculo ſe ſubducere, in quo quaſi exilio amiciſſimi potiſſimum Stoinii impulſu, *(i)* Ethicæ Chriſtianæ opus concinnavit, & difficiliorum Scripturæ locorum explicationem, aggreſſus eſt. Quod utrumque opus pridem jam cuſtodiæ clatros mordet, brevi ſpero effringet. (*k*) Alterum certe propediem cura unius ex amicis luci publicæ donabitur, oſtenſurum Chriſtianis virtutis faſtigium, quale hactenus videtur ignoraſſe. Interea accidit ut vir quidam Generoſus (*l*) ex Sileſiæ confinio (*m*) Miniſtrum requireret: quo cum mittere CRELLIUM quædam ſuaderent quædam diſſuaderent: fluctuatum adeo inter Eccleſiæ Proceres eſt ſententiis, ut

(c) *Anno* 1613. (d) *Anno* 1616. * *Et Roſinæ Thomæ à Martovice Piſecii genere, virtute & ſcriptis nobilis Germaniæ ſororis.* (e) *Theophilum, Chriſtophorum, Johannem.* (f) *Quæ omnes jam obierunt.* (g) *Joannes Maria Italus Carmelita. Disputatio hæc habita eſt publice in æde Carmelitana Anno* 1616. 13 *Julii de Jeſu Chriſti divinitate & remiſſione peccatorum noſtrorum per eundem parta.* (h) *Anno* 1622. (i) *Ethica ſunt Anno* 1650 *edita.* (k) *Explicatio difficiliorum locorum & plurium Epiſtolarum Apoſtolicarum Paraphraſes & Commentarii hoc in libro continentur* (l) *Brzenicius.* (m) *Suigla.*

non-

nonnisi sorte deliberatio videretur finiri posse. Quæ ducta mansionem suasit, quam paulo post & alius eventus approbavit: Nam vix aliquot dies abierunt, cum *Smalcius* moritur, cui cūm in Ecclesiæ regimine suffectus esset Vir Nobilissimus, & de Ecclesia cum binis suis Fratribus optime meritus, Christophorus *Lubieniecius*, adjunctus est ei CRELLIUS noster, Theologiæ docendæ causa. Nihilominus tamen postea (*n*) ad Nobilem illum Virum, sed visitandi tantum, cujus ille Patronus erat, cœtus causa ire jussus est. (*o*) Dum vero abesset, incurrerant Racoviam, qui tum passim Poloniam pervagabantur Harpyarum militarium globi: & cum toti Oppido avaras impressissent manus; facta tamen rapinis illorum opportune est maxime, per absentiam CRELLII, domus ipsius. In qua cum cæterarum rerum magnam feciissent pauperiem, ne a libris quidem abstinere crudelitatem voluere. Quæ sequentibus decem annis, quibus Ministerio præfuit ab illo gesta sunt, longum esset singulatim & secundum annorum seriem persequi. Neque etiam id necesse videtur in eo, quem constans quidam ac tranquillus vitæ tenor laboribus quidem non exemerat, exemerat tamen laborum varietati & vicissitudini casuum. Nam in laboribus quidem tam fuit assiduus, ut prope ne licita quidem curarum laxamenta sibi permitteret, & ab amicis subinde refrænari opus haberet, metuentibus, ut diu facere possit, quod faceret sine intermissione. Jam primum, quia Racoviæ vivebat, ubi vix abit dies, cujus non aliqua pars sacris concionibus tribuatur, ab his quoque raro ille se liberum esse voluit: quanquam subinde haberet Collegas, tam & præstantes, ut gratiam ei laboris facere possent, & faciles, ut vellent. Jam regimen Ecclesiæ quanto illi labore constiterit, intelliget quisque facile, qui ei eum Ecclesiæ præfuisse sciet, a qua gregis ejusdem reliquæ vel consilium vel exemplar peterent. Quo accesserat illud, quod in nostrum ita omnium inclinaverant animi, ut quicquid alii, ubicunque essent, cœtus vel læti vel adversi experirentur, CRELLIUM non haberent expertem. Hinc rarus abibat dies, quin esset, quem vel sublevare consilio, vel erigere solatio, vel animare hortando, vel reprehendendo corrigere, denique nodi alicujus in sacris literis explicatione juvare necesse haberet. Sed hæc tolerari fortassis poterant ab eo, cui alia curanda non essent, nostro hæc talia nonnisi mutatio erant laboris ordinarii ac quotidiani. Hic erat explicare Divinas Literas Studiosis Theologiæ: quibus accedebant plerumque alii quoque Viri in Theologia exercitatissimi, qui certe subinde cum aliquo moræ pretio dimittendi erant, si velles eos redire sæpius: Sed istis adeo placebant, quæ ex CRELLIO discerent, ut digna judicarent, quæ Orbi proponerent discenda. Hinc quicquid ille vel disertim explicuisset, vel innuisset leviter, simul atque domum revertissent, styli sui industria vel concinnabant, vel diducebant. Ita nati sunt (*p*) Commentarii ad Galatas & ad Hebræos, quorum alter vivo CRELLIO, alter mortuo in lucem prodiit: uterque cura Nobilissimi Eruditissimique Slichtingii, CRELLII dum viveret Collegæ conjunctissimi. Eodem modo explicati sunt reliqui etiam plerique N. Fœderis libri, sed ab amicis intra domesticæ custodiæ penetralia servantur, quos, ubi qui in potestate habent publico ostenderint, (*q*) habebit profecto Christianus Orbis, cur impense sibi gratuletur, nisi tamen invidere suam sibi felicitatem maluerit. Quos præter hos Commentarios scripsit libros, pauci equidem sunt editi in publicum: sed (*r*) qui editi sunt, omnes ejus notæ esse videntur, ut vel singuli, credo, suffecturi autori fuerint ad famam, si ab illo vel hæc unquam spectata esset, vel veritatis studium non extorsisset plures. Quis sine admiratione legat illum de Dei natura, quem doctissimi Volkelii libris præfixit? quis alterum, quem de Uno Deo Patre scripsit, & vivus adhuc Orbi Literato exhibuit? Cujus & de his monumentis tam secunda pridem judicia consequutus est noster, ut etiam qui causam scribentis non probant, doctrinam tamen suspiciant. Atque utinam paulo diutius illum rebus humanis interesse voluisset fatum, non dubitarem, quin alia adhuc complura commentaturus fuisset, iis fortasse, quæ hactenus semper optima commentatus est, etiam meliora. Nam quanquam ad id fastigii venerat ipsius eruditio, ut paucos fortassis haberet pares, ea tamen erat ipsius ætas, id ingenium, ut augmenta reciperent, quibus seipso eraderet major. Sed nempe proh dolor! in medio vitæ cursu, in ætate, quam prope nec maturam dicere possis, in molimina eximiorum operum, præpropero fato abreptus est. Ibat in æstatem Annus hujus seculi XXXIII, & illuxerat tempus missi cælitus Sancti Spiritus memoriæ sacrum, quo cum variis ex locis etiam remotioribus, confluxissent præcipua Ecclesiæ membra, CRELLIO tot carissimorum pectorum conspectus amplexusque longe

(*n*) *Anno* 1623. (*o*) *Sub Sigismundo* III *Proscriptæ Cohortes Lissovii Ducis, qui pace jam cum Moſco facta, revocatus a Rege non paruit, sed per totam Moſcoviam cæde & rapinis grassatus est.* (*p*) *Commentarius in utramque ad Thessalonicenses opera Petri Morscovii.* (*q*) *Hi jam omnes prodeunt.* (*r*) *De Deo & ejus attributis, De uno, Deo Patre, De Spiritu Sancto De Causis mortis Christi, Vindiciæ pro Religionis libertate.*

maximam attulit voluptatem. Sed idem mox ſecunda Maji, poſt habitam amicorum rogatu de loco obſcuriore concionem, (a) queri de valetudine cœpit. Infeſtabat autem tum Racoviam febrium, quas vocant Petechiales, contagio, & in ipſam CRELLII domum neſcio unde illapſa, filium pridem lecto afflixerat: tandem & ipſi Patrifamilias virus ſuum affricuit. Cum ægrum lecto depoſuiſſet, confeſſa ſe eſt protenus illa mali labes per ſigna ſua, quæ a Græcis ἐκβρώσματα, a principe Poëtarum Papulæ ardentes vocentur: Ipſe autem in morbi initio ſtatim veluti mortem imminentem præſentiens, adſtante aliquando ex familiaribus (b) uno, multis lachrymis oravit Deum, ut facta ſibi peccatorum ſuorum gratia, in hoc morbo ſuo ſaltem a delirio te, quod ejuſmodi Febres comitari amet, præſtaret immunem. Paulo poſt decumbentis pectus immanis phlegmatis colluvies inundavit, lethalis plerumque in hoc morbo apud eos, qui per ætatis aut etiam corporis imbecillitatem, vim maligni illius humoris emoliri non ſufficiunt. Noſtro primum loquelæ meatus intercluſit, adeo ut ægre aliquando eluctari vocem valeret, quæ intelligi poſſet: quicquid tamen intelligebatur, prodebat ſemper mentem non modo ſibi conſtantem optime, ſed omnia etiam divina ſpirantem. Quod cum alia etiam teſtarentur indicia, maxime tamen geſtus loqui conantis, neſcio quid lingua efficacius videbatur loqui. Decubuerat ita per aliquot dies cum morbo ſuo graviter colluctatus, nobis quanquam ſubinde brevis aliqua ſpes interfulgeret, omnia ſequiora metuentibus: cum penitus tandem deſperata ægri ſalute, undecima Junii, poſt habitas in publico cœtu preces ardentiſſimas, tota eorum qui coïerant ad preces cohors præeunte Miniſtro, ad moribundum CRELLIUM abit, ultimum ei vale dictura: Offenderant jam ſemianimem, ſed hoc tamen confluxu ita eum erexerunt, ut & gratum ſibi hoc pietatis officium, qua poſſet, teſtaretur, & ſublatis in cælum manibus benedictionem illis ſuam impertiretur. Paulo poſt prolapſis in genua omnibus, inter preces eorum cum multis lachrymis & ſuſpiriis effuſas, Spiritum ſuum Deo placidiſſime reddidit. (c) Vixit annos quadraginta tres, ævum ſane, ſi tempore vitam metiamur, perexiguum, ſi morum honeſtate, ſi eruditionis maturitate, ſi rerum geſtarum multitudine, multorum longiſſimam vitam ſuperans, certe æquans. Nihil ex vita ejus deſidiæ veternus, nihil voluptatum diverticula, nihil ignobiles curæ decerpſerunt: quantum vixit temporis, totum id ſibi, quantum ſibi, totum Deo vindicavit. Quare ipſum quidem ſi ſpectes, ſatis profecto ſibi vixit, ſi nos, nunquam ſi vel longiſſime vixiſſet, ſatis vivere potuit. Sed nec fortaſſe digni videbamur Deo, ut qui vitam ante mortem quantumvis præcocem conſummaverat, vitam pro nobis ageret, quam ſibi conſummaſſet.

Poſtquam Vitæ ſeriem rerumque geſtarum ordinem pro viribus executus ſum, reliquum eſt, ut, quæ hactenus commode inſeri non potuerunt, nec tamen debent omitti, virtutes illius exponere aggrediar, ſic tamen ut pauca de corporis habitu præmittam, ut ſciant qui CRELLIUM propius non noverunt, in quali hoſpitio tam nobilis & pulcher animus moratus ſit.

Statura Viri mediocris fuit, ſed quæ tamen ad proceram videretur propius accedere. Corpus minime toroſum, & pauco ſanguine ſuffuſum. Oris ingenuus habitus, & in quo ruboris deliquium modeſtiæ undique emicantis decus penſabat. Oculos vel natura vel corporis macies paulo interius in orbes ſuos reduxerat: & acies eorum diurna nocturnaque ſedulitate retuſa, ſenectuti, ſi datum fuiſſet attingere, vix videbatur ſuffectura. Cætera valetudine pro corporis debilitate viſus quidem eſt frui ſic ſatis bona, fiducia tamen ejus nunquam. Ipſe vultus pallor, & illa membrorum tenuitas, admonebat ipſum ſubinde imbecillitatis ſuæ, & cæteros quoque ejus amicos, præpropera tanti boni jactura terrebat. Diceres ideo naturam tam debili vinculo circumdare voluiſſe CRELLIUM, quo liberius a membrorum moris ad præclaras, cœloque ſuo dignas operas, aptius eſſet ingenium ad divina natum. Hujus præſtantiam etſi hic adumbrare animus erat, & locus videbatur poſcere, faciendum tamen id levi brachio videtur: quia & ante hoc ſacrum attingere memini, & nihil ingenio magis opus habet, quam depingere ingenia, præſertim ea, quæ editis in publicum monumentis ipſa ſe expreſſerunt. His quæ noſter edidit, quis eruditorum manum admoveat, quin animadvertat illico nihil vulgare ſpirantem genium, qui non admiretur ſingularem in rimandis divinorum oraculorum latebris ſubtilitatem, ac perſpicaciam, in revincendis erroribus dexteritatem, ſoliditatemque judicii? Eant alii & oſtentent ingenium ſuum, ſi intermortuum aliquod ex Euandri ævo vocabulum in Petronio reſtituerint, aut novum aliquem eruerint morem ex ruderibus Romanis; triumphent ſi nodum aliquem ex Plauto exſolverint, a

(a) 2 *Cor. iij.* 17, 18. (b) *Martino Ruaro.* (c) *Vixit Annos* 42. *Dies* 6 *Menſes* 10.

quo,

quo, ut loqui ipſi amant, irrita abierit ipſa Lua adjuta aliquot Alexandris. Quanto felicior CRELLIUS, qui ad eruenda ſenſuum obſcura, ad expediendas ſcriptorum quorumvis difficultates aptiſſimus ingenio, ingenii tamen ſui vim ad cœleſtiores curas convertit, atque ſapientiam, abſque qua deſipimus, quicquid ſapimus in humanis. In hac quantum profecerit noſter, judicabunt quidem, quibus ſcripta illius vel viſa ſunt vel videbuntur. Sed iidem tamen ut magis admirentur ingenium autoris, ſciant perpauca ex ſcriptis eſſe, quæ ipſe elaboraverit abhibita manus opera: dictata pleraque memoriter, & abſque omni ſchediorum ſubſidio, quo memoriæ ſolet ſuccurri. Ut taceam inter dictandum ſubinde aliis atque aliis a ſcribentibus, qui plerumque non tirones tantum erant, objectionum telis impetitum fuiſſe: ad has tamen & reſpondiſſe ſufficienter, plerunque & reſponſionem tum ſtatim operi inſerſiſſe, telam nihilominus ſuam ordine ita concinne pertexuiſſe, quam vix fortaſſis alius potuerit, qui & hoc unum ageret, & ad id ſtyli ope uteretur. Uſque adeo ſcilicet non tantum multa noverat CRELLIUS, ſed quicquid noverat, ita in numerato habebat, ut quoties opus eſſet, citra unguium cruciatum, aut longæ mediationis faſtidium poſſet expromere. Quodſi ad hoc tam prompti ingenii prodigium acceſſiſſet par dicendi facultas, nihil in CRELLIO non fuiſſet eximium, nihil non admirabile. Sed linguam illi nonnihil natura impediverat, ut ad dicendum illa quidem ſufficeret, non æque ad perorandum. Aberat vehementia, quæ in Oratore requiritur, nec flumen dicendi, quod in continuo verborum affluxu cernitur, par in ipſo videbatur multitudini rerum, quas in animo gerebat concluſas. Sed exiguus hic erat in tam pulchro corpore nævus, (ſi tamen & nævus meretur dici) præſertim cum ipſe non ſecus ac ſi plura ejuſmodi, & nullæ quæ penſarent dotes ſibi adeſſent, humilime de ſe ſentiret. Sane inter virtutes CRELLII (has enim jam aggredimur) prima jure optimo, poſt Pietatem in Deum, quæ & dignitate princeps virtutum eſt, & apud hunc in omni vita tanta eluxit, ut abſolutum quoddam ejus exemplar cenſeri poſſit, prima, inquam dici meretur *Modeſtia* illius, quæ profecto in ipſo tam eximia tamque rara extitit, ut quæ hactenus diximus vel adhuc dicemus, omnia CRELLIO quidem debita, non tamen propria credi debeant: quam jam dicimus, virtus ita in illo fuit, ut fortaſſe in pauciſſimis literatorum hoc ſeculo aliis. Et ſi columna illi ad poſteritatis memoriam erigenda eſſet, qualem ſibi de Cylindri ratione Archimedes, de Logicæ artis inſtitutione Ramus erigi voluit, ex Modeſtia profecto illi erigenda foret: quam non ſolam quidem ille habuerat, ſed, ignoſce ſeculum, ſolus fortaſſe tantam. Hanc omnia ejus dicta, omnes actiones, hanc vultus, hanc oculi, hanc vox, hanc ipſe inceſſus ſpirabat. Hanc animæ loco ineſſe CRELLIO putabat, qui vivum vidit propius. Maxime autem hanc illius virtutem admirabilem illud facit: quod per honores, quos ei Eccleſia noſtra maximos habuit: nihil unquam diminuta, ſed magis ſemper aucta fuit, & ejus luculentiſſima tunc accepit teſtimonia, cum totius Eccleſiæ veluti gubernamen, quoddam ad eum devolutum eſſet. Cujus tamen regiminis id plerumque eſt ingenium, ut qui præſunt, etiam cum culpam arrogantiæ effugerint, vix tamen declinent opinionem. Noſter & ſumme modeſtus in regendo Eccleſiæ clavo fuit, & talis viſus eſt, etiam iis, qui regebantur. Hanc porro modeſtiam multæ in CRELLIO aliæ virtutes ut matrem filiæ vel comites conſecutæ ſunt. Primum *Comitas* in eo tanta eluxit, ut nemo eſſet tam vilis, quem ille alloquio non dignaretur tantum, ſed & præveniret; nemo illi tam inimicus, quem morum amabilitate, quem verborum haud fucatis blanditiis non flecteret, non devinciret. *Manſuetudinem* vero tantam in eo vidimus, ut iracundiæ affectum non tam domare, quam non habere fuiſſet creditus, niſi diverſum ex ipſo audiviſſent amici, & acris, quam in Schola dum ejus clavum rexit, exercuit, diſciplina docuiſſet, male naturæ totam attribui laudem, cujus maxima pars induſtriæ deberetur. Jam *Patientiæ* quoque dedit ille cum res tulit, non levia documenta. Non referam nunc, qua animi moderatione, quicquid ærumnarum mutatæ Religionis cauſa Juvenis ſubeundum habuit, pertulerit: omittam alia multa infracti animi ſpecimina, quibus virilis illius ætas effloruit: ſufficiet unum memoraſſe, quod admonitiones amicorum fecerunt, dignum ut præ aliis putarem relatu. Ortum aliquando fuerat, neſcio qua domeſticorum incuria, in ædibus ipſius incendium, quod facta populatione rerum multarum, quas flammæ rapacitati nulla diligentia potuit ſubducere, tectum quoque ædium abſumpſit. Quæ tum rerum facies fuerit, quæ domeſticorum lachrymæ, qui condolentium amicorum gemitus CRELLIUM circumſtrepuerint, proclive eſt unicuique domi facere conjecturam. Ipſe tamen in hac tanta calamitate

mitate eam animi constantiam dicitur servasse, ut CRELLII domum ardere ex nullo tum præsentium minus, quam ex CRELLIO agnoscere posses. Adeo nempe magis ille de proxime habitantium laborabat discrimine, quam de suo: & quanquam ignis violentia non processisset ultra ædes ipsius, tam mira tamen erat inter ipsum vicinosque officiorum vicissitudo: ut CRELLIO aliena tantum viderentur periclitari, vicinis ardere sua. Ex quo porro casu id quoque licet colligere, quo loco apud CRELLIUM posita fuerint fortunæ bona: eo nempe, unde hæc illa quotiescunque vellet, sine motu ipsius possit repetere. Quærendis quoque istis nihil profecto ille curæ impendebat, salariolo, quod modicum ei quotannis numerabatur, contentus: iis autem quæ habebat, ita utebatur frugaliter, ut suis quidem usibus nihil plus indulgeret, quam quod modicæ in cultu corporis victuque munditiæ postularent: quæ supererssent, aliorum sublevandæ egestati semper haberet parata. Immensum pelagus exhauriendum haberem, si reliquas, quæ in CRELLIO fulserunt virtutes sigillatim omnes sub styli vellem vocare mucronem, cum res mihi sit eo cum viro, in quo totus ille complexus virtutum ita conspicue emicuerit, ut illarum vix felicius videatur in Ethicis suis persecutus præcepta, quam vita ipsa exsecutus officia. Quare in cæteris non morabor jam amplius cursum orationis: unam tantum breviter attingam *prudentiam*, virtutem, quæ & reliquarum directrix est, & præcipue in ejusmodi munere cernitur, quale CRELLIUS gessit. Qui Ecclesiæ nostræ rationem callent, norunt, qui sæpe impediti negotiorum nodi, qui fluctus consiliorum, quæ sententiarum à tot hominibus latarum varietas, quam varia tam diversorum ingenia, quanta dissidendi libertas sit, quam crebra in mores inquisitio, quam libera & acris in peccantes animadversio vigeat. Hæc omnia ita moderari, ut & leges officii non migres, & Ecclesiæ velificeris utilitati, & hominum tamen plerorumque omnium vites offensam, ejus profecto prudentiæ est, quæ paucis contingit. CRELLIO licuit esse tam beato, credo quia ab ingenio ad omnia præclara aptus, in hac porro virtute præstantem magistrum adeptus prudentissimum *Smalcium*, ejus deinde exercendæ in moderanda primum minorum Quiritium Repub. campum habuit. Quicquid sit, quod dum vixit ille, ita prospere omnia in Ecclesia succedere visa sunt; quanquam aliis quoque suam laudem nolim præreptam, maxime tamen post Deum CRELLII prudentiæ videmur debere. Id certe mirum est, quod cum ille in corripiendis aliorum delictis nihil quidem stomacho unquam, sed nec gratiæ daret, uni æquus virtuti: offensas tamen plerunque effugerit, rarissima eorum sorte, quibus censoria virgula commissa est. Quanquam ista soli prudentiæ tribuisse injuria fortassis fuerit reliquarum virtutum: e quarum concentu consensuque quæ conflata in CRELLIO autoritas erat, rectius sibi tantarum rerum gloriam vindicaverit.

Nempe cum ille vitæ integritate moribusque inculpatis pridem id assecutus esset, ut specimen virtutum haberetur: ut summum in eo erga Divinum Numen amorem, & perpetuum propagandæ cælestis gloriæ studium, ut in omni officiorum genere, in omnibus vitæ partibus absolutam morum innocentiam quisque admiraretur. Hinc fiebat ut nemo non tam probi hominis consiliis, admonitionibus, moderamine denique acquiesceret: ipsum etiam Numen videtur tantæ virtuti & propter eam Ecclesiæ quoque, cui ille præfuit, non potuisse non favere, non auram gratiæ suæ adspirare. Sane hæc de illius virtute existimatio, tam magna fuit, ut non inter δικαίους tantum τῆς πίστεως se contineret, sed ad eos etiam pertingeret, qui cæteroqui affectuum secuti ductum, dissidentium in Religione hominum virtutes allatrare quam agnoscere vel imitari malunt. Sed in CRELLIO usque adeo virtus vicerat invidiam, & ita eam sibi fecerat obnoxiam, ut quæ dicere vellet contra ipsam, pro ipsa cogeretur: egoque ipse sæpius illi luculentum probitatis testimonium dari audiverim ab hominibus, quos & sententiarum aliqua discrepantia, & maxime animorum inconsultus fervor a CRELLIO disparaverat. Quo minus ego quoque jam metuo, ne nimiæ cuique videantur laudes quas CRELLIO tribui: cum non tantum has, sed & majores meruisse illum omnes, qui hominem totum ceperunt, existiment, has vero pleraque malevolentia ipsa in CRELLIO vivente agnoverit. Nunc autem tanto spero facilius omnes agnoscent: quanto naturaliter audita visis libentius, & præsentia invidia, præterita veneratione prosequimur. Quodsi tamen nihilominus Virum tam modestum & gravem, eundemque Theologum, modestius prædicandum putaverit, hunc cogitare secum ipsum jubeo, quam difficile sit ei quem ames, non dare, quod deberi illi scias; & quam non deceat comittere, ut vel virtuti desit testimonium, vel seculo exemplum.

# COMMENTARIUS

*In partem*

# EUANGELII MATTHÆI.

## *PROLEGOMENA.*

QUandoquidem divino auxilio freti primam ejus libri, qui novum Teſtamentum appellatur, partem explicare aggredimur; ad cæteras, ſi Deus votis noſtris annuerit, inde progreſſuri: non erit alienum hoc loco pauca quædam præfari, quæ ad univerſum novi Teſtamenti codicem pertineant: & primum quidem de inſcriptione, quæ ſummam quandam hujus libri complectitur; deinde de operis partitione.

Inſcriptio vulgo eſt, *Novum Teſtamentum*, vel, *omnia Novi Teſtamenti*: uti quidem Græci libri habent. Quem titulum non eſſe ab ullo Apoſtolorum, vel eorum, quorum ſcripta in hoc codice continentur, apud omnes eruditos eſt in confeſſo: cùm nec Apoſtoli, aliive divini viri, quorum hic ſcripta extant, ea in unum veluti faſciculum collegerint, atque ita, ut nunc videmus, digeſſerint; ſed alii, qui illorum fuerunt diſcipuli. Significat autem hic libri index, contineri hîc ea ſcripta, in quibus tradantur illa, quæ ad novum fœdus per Chriſtum inter Deum & homines conſtitutum pertinent: hoc eſt, in quibus & hiſtoria fœderis illius promulgati ac pacti deſcribatur, & fœderis illius conditiones ac pacta explicentur, & ſi quæ ſunt cum his quodammodo conjuncta.

Diſtribui autem ſcripta hæc omnia in duo videntur poſſe genera, quanquam & tria, ut paulo poſt dicemus, conſtitui poſſent. Sunt enim omnia vel hiſtorici libri; vel Epiſtolæ. Hiſtorici libri partim Chriſti in terris viventis hiſtoriam, ſeu vitam, dicta factaque potiſſimùm referunt; vel Apoſtolorum: quibus poſterioribus accenſeri poteſt & Apocalypſis Johannis, quę ordinem horum ſcriptorum novi fœderis omnium claudit. Etſi enim liber ille propheticus eſt, ſi ſcopum illius ſpectes: ea tamen omnia, quæ ibi referuntur, hiſtoriæ ſunt, & rebus geſtis, quanquam in futurum ſignificatione ſpectantibus, præcipuè conſtant. Quod ſi tamen hunc a cæteris libris hiſtoricis propter peculiare illius ingenium ſejungere placeat: poterit hinc tertium librorum hoc codice comprehenſorum genus conſtitui, nempe propheticum; quandoquidem ea, quæ in eo facta referuntur, magis videntur rerum poſt gerendarum vaticinia dicenda, quàm res ipſę geſtæ. De Epiſtolis ut nunc aliquid agamus, nihil eſt neceſſe: Fieri id poterit tùm, cùm Deus nos illuc perduxerit. Quod ad hiſtorica ſcripta attinet, illa jam diximus vel Chriſti hiſtoriam in terris adhuc degentis complecti; vel Apoſtolorum, qui poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem ſermonem euangelicum promulgarunt, & Eccleſias in Judęa primùm, deinde per alias hinc inde orbis regiones conſtituerunt. Priora illa vulgo appellantur euangelia, eorumque autores Euangeliſtæ, quaſi dicas, euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores, quanquam hoc nomen reſtringendum tantùm erit ad tempora Euangelii per ipſum Chriſtum primùm prædicati. Nam alias & Apoſtolorum acta ad Euangelicam hiſtoriam omnino pertinent. Eo ſenſu in ſacris literis nec Euangelii, nec Euangeliſtarum nomen uſpiam uſurpatur: & rectè quidam (1) ex doctiſſimis interpretibus animadvertit; eos, qui in ſacris literis Euangeliſtæ vocantur, vulgo nunquam; & qui in ſacris literis nunquam, eos vulgo ſemper Euangeliſtas vocari. Ea autem ſcripta iterum in duplici ſunt differentia. Tribus enim primis ex quatuor illis hiſtoricis propoſitum fuit univerſam Chriſti, cùm in terris munus ſuum obiret, hiſtoriam complecti: quamvis id alii fuſiùs, alii minùs fuſè præſtent. Quartus vero, nempe Johannes, hinc inde veluti quædam decerpens, atque ea maximè, quæ ab aliis eſſent prætermiſſa, ſi paſſionis ac reſurrectionis hiſtoriam, ipſi cum reliquis communem, excipias; id ſibi nominatim demonſtrandum ſumſit, Jeſum eſſe Chriſtum, illum Dei filium: ideoque ea potiſſimùm ex dictis ac factis Chriſti recenſet, quæ ad hoc probandum ſpectant; præſertim ſi fuerint ab aliis, quorum ſcripta ut hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtantur, vidit, prætermiſſa: cæteroquin actum agere noluit.

Inter illos vero tres priores, quibus propoſitum fuit univerſam Chriſti hiſtoriam complecti, eminent Matthæus & Lucas, propterea, quod uterque fuſius rem totam perſequitur, Marcus breviùs ac ſtrictiùs. Unde illi ſermones etiam & conciones Chriſti inſigniores deſcribunt; Marcus vix ullas, preſertim ſi eas excipias, quę ad hiſtoriam ſtrictiùs ſumtam non videantur pertinere, & occaſiones aliquas aliis rebus, quæ narrantur, non præbuerint, aut contra ex illis erutę fuerint. Atque ut id, quod ſentio, dicam, videtur mihi Marcus propemodum compendium quoddam Matthæi confeciſſe: ideo & ordinem hujus in pleriſque ſequitur, & verba quoque ejus exprimere videtur. Quanquam & nonnihil, quod aliunde illi conſtitit, addidit; aut in circumſtantiarum deſcriptione ab illo alicubi differt. Quod ſi Matthęum & Lucam inter ſe conferas, quanquam utriuſque maxima autoritas, & eatenus par, quatenus nefas eſt alterutrius dictis ulla in parte fidem detrahere; Matthæus tamen, qui ordinem inter ſcripta novi fœderis ducit, duobus modis præcipue eminet. Primum quidem, quod Apoſtolus fuerit, hoc eſt unus ex divi-

(1) *Maldonatus.*

niſſimis poſt Chriſtum viris, ac præcipuis euangelicæ doctrinæ præconibus; Lucas autem euangeliſtis tantum, hoc eſt, Apoſtolorum συνέργοις & veluti adminiſtris annumerari debeat, qui tertio ab apoſtolis gradu numerantur. Deinde, quod Matthæus maximam partem oculatus teſtis ac ſpectator eorum fuerit quæ ſcripſit: Lucas autem, ut ipſemet teſtatur Luc. 1. 2, ea, quę in euangelica hiſtoria ſcripſit, ab iis accepit, qui ſpectatores ipſimet atque adminiſtri rerum iſtarum fuerint. Unde tertium quodammodo oritur inter utramque ſcriptorem diſcrimen, quod aliquam Matthæi præ Luca eminentiam oſtendit; nempe quod Matthæus, in pleriſque ſaltem accuratiorem temporis rationem habuerit, & ordinem rerum geſtarum narrationis ſerie exactius ſervaverit. Quanquam non deſunt, (1) qui contrarium ſentiunt. Et ne nos quidem diffitemur, in aliquibus Lucam temporis rationem rerumve geſtarum ordinem exactius eſſe ſecutum, & diſtinctius nonnullos ſermones Chriſti retuliſſe, quam Matthæum. Verum in pleriſque vel ſaltem in pluribus Matthæo palmam hac in parte tribuendam eſſe cenſemus.

(1) *Maldonatus.*

# DE EUANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

VT ergo jam ad hiſtoriam euangelicam a Matthæo deſcriptam accedamus, *Inſcriptio* in Græcis codicibus vulgatis hæc eſt: *Euangelium ſecundum Matthæum:* hoc eſt, hiſtoria euangelica prout a Matthæo deſcripta eſt. De ſignificatione hac vocis *euangelii*, quæ proprie bonum ſeu lætum ac felicem nuncium ſignificat, jam antę monuimus. Eſt autem in vocabulo hoc ita uſurpato Metonymia ſubjecti, ſeu mavis objecti & materię: nempe quia hic euangelium, ſeu id, quod ad euangelii promulgationem primum per Chriſtum factam pertinet, deſcribitur. Verba *ſecundum Matthæum* ad diſtinctionem aliorum, ut ita dicam, euangeliorum, ſeu euangelicarum hiſtoriarum ab aliis deſcriptarum, appoſita ſunt; ſignificantque tacite, tum ab aliis etiam autoribus, tum alio modo hiſtoriam euangelicam eſſe deſcriptam: ut quidem ex ipſis, qui in novo teſtamento habentur, libellis, & nominatim etiam ex iis, quę Lucas initio hiſtorię ſuæ ſcribit, patet.

Titulum autem hunc non eſſe ipſius euangeliſtę, ut nec ſimiles aliorum euangeliſtarum, aliquot rationibus (1) viri docti comprobant. Primo quod ſacri ſcriptores, ſi librorum titulos ponant, eos cum ipſo librorum contextu connectant, & prima eorum verba faciant: ut inter alia ex Prophetarum & Apocalypſeos initiis patet. Deinde, quod non eſt credibile, omnes quatuor euangeliſtas ſimiles plane titulos ſuis libris fuiſſe præfixuros, quales nunc pręfixos videmus. Tertio, quod Marcus alium protinus titulum ſuo libro præfigit: *Initium euangelii Jeſu Chriſti*; vix id facturus, ſi jam ſcripſiſſet, *euangelium ſecundum Marcum.* Taceo Græcorum & Latinorum titulorum diſſimilitudinem quandam. Latini enim in pleriſque codicibus legunt: *Sacroſanctum Jeſu Chriſti euangelium ſecundum* &c. Taceo etiam, quod non ſit credibile, eorum quemque in ipſo titulo protinus ſignificare aliqua ratione voluiſſe. ab aliis quoque atque alio modo eandem hiſtoriam fuiſſe traditam.

Titulo viſo, & ſic argumento hujus libri jam aliqua ratione perſpecto, diſtributio etiam ejuſdem videnda eſt. Diximus jam ſupra, cum in genere de euangelica hiſtoria, quam in novi fœderis codice deſcriptam habemus, loqueremur, deſcribi hic hiſtoriam Jeſu Chriſti in terris verſantis, & propheticum munus obeuntis, atque ad ſacerdotale ac regium paulatim progredientis. Quia vero is, qui de Jeſu Chriſto, ejuſque dictis factiſque admirandis audit, eumque Chriſtum, ſeu divinum populi divini regem conſtitutum eſſe intelligit, ſcire etiam omnino cupit, quiſnam ille fuerit, quibus parentibus aut majoribus, quove loco ortus atque in lucem editus, quæque extiterint tantę dignitatis, tam ſublimis, ad quod aſcendere debuerit, faſtigii, omina ac pręſagia: ideo neceſſe fuit illis, qui hiſtoriam Chriſti plenius deſcriptam ad poſteros propagari vellent, iſta quoque primum deſcribere; atque inprimis propter Judæos, quibus probe conſtabat, Chriſtum ex certa familia, hoc eſt, Davidica, ſecundum divinas promiſſiones oriri debuiſſe, ita ut, niſi conſtaret, Jeſum ex ea familia ortum, inde concludere recte poſſent, eum Chriſtum illum promiſſum non eſſe. Quapropter Matthęus primo omnium ea, quę ad ortum & nativitatem Chriſti, infantiamque ejus pertinent, primis duobus capitibus explicat, eaque Jeſu Nazareno non deſuiſſe oſtendit, quę in Chriſto, vel ex divinis promiſſionibus, vel aliam ob cauſſam extare hac in parte debuiſſe, intelligi poſſit. Deinde ea, quæ ad munus Jeſu Chriſti, pręſertim propheticum ſpectant, fuſe perſequitur, in eoque prope totum ſuum libellum conſumit. Quanquam autem diſtributionem ſecundæ hujus partis poſſemus differre ad initium capitis tertii, unde ejus initium ducitur; ſatius tamen eſt, hoc loco de ea nonnihil diſſerere: ut totius libri ordo ac compages, velut in tabella quadam depicta, ſub unum aſpectum hic ponatur.

Videtur ergo pars illa hujus libri ſecunda in tria iterum membra diſpeſci poſſe. In primo continentur ea, quę pręparationem quandam ad functionem muneris prophetici ſpectant. In ſecundo deſcribitur ipſa muneris illius adminiſtratio. In tertio illius finis atque exitus, in quo ſimul aditus quidam continetur ad muneris ſacerdotalis ac regii functionem, atque adeo quoddam munerum iſtorum initium. Primum continetur cap. 3 & parte prima cap. 4 uſque ad finem verſ. 11, ubi primum

(1) *Maldonatus.*

mum docetur, quomodo Joannes baptiſta viam ipſi præparaverit: deinde quomodo ipſe Chriſtus ad muneris ſui in terris functionem veluti præparatus fuerit: partim dum fuit a Deo ſolenni ratione muneri iſti initiatus, &, ut loqui ſolent, inauguratus, ad Iordanem; partim dum fuit, Deo ita volente, tentatus, & periculum fidei ac conſtantiæ ipſius antequam rem tantam aggrederetur, captum. In ſecundo membro, quod a ℣. 12. cap. 4 extenditur uſque ad caput 26. exponuntur tum dicta Chriſti, tum facta, præſertim miraculoſa, quibus dicta doctrinamve ſuam in terris confirmavit, & eorum etiam, quæ poſt ipſius in cœlum aſcenſionem geſta ſunt, fundamenta jecit. Quod quidem membrum in varias iterum partes pro diverſitate temporum, aut rerum, quæ narrantur, diſtingui poteſt. Et generatim quidem ita, ut quædam ſint a morte ipſius, quæ omnium eſt veluti terminus, remotiora, longiuſque antegreſſa; alia propiora. Quod poſterius rerum genus incipere poſſumus ab eo loco, ubi ſcribitur, Chriſtum ultimum iter Hieroſolymam ſuſcepiſſe, ad feſtum illud, cujus initio crucifixus eſt. De hoc autem itinere narratur cap. xx. 17 ſeqq. Prius rerum genus diſtingui poteſt in illa, quæ antecеſſerunt electionem & miſſionem Apoſtolorum; in ipſam electionem & miſſionem; & in ea, quæ illam ſunt conſecuta. Ut ita tria conſtituantur membra. De electione autem & miſſione Apoſtolorum agitur cap. x toto. Quare quæ caput iſtud antecedunt, primo ex his tribus membro tribuenda ſunt; quæ ſequuntur uſque ad cap. xx. 17, poſtremo. Quanquam autem hæc iterum partiri poſſemus; tamen, ne nimis multa faciamus membra, & ipſa diſtinctione confuſionem quandam pariamus, finem hic diviſionis ſecundi hujus membri ſuperius conſtituti faciemus. Tametſi infra, cum ad illud membrum perveniemus, nonnihil, quod ad hanc rem pertineat, addere poterimus. Tertium autem membrum, quod terminum quendam complectitur muneris prophetici, & initium quoddam ſacerdotalis & regii, continetur hiſtoria mortis & reſurrectionis Jeſu Chriſti, tribus ultimis capitibus comprehenſa. Reſurrectionis autem nomine complectimur hoc loco etiam ea, quæ eam ſunt proxime conſecuta, antequam nimirum in cœlos Chriſtus aſcenderet. Et mors quidem ac reſurrectio, ut fuerunt confirmatio & ſanctio inſignis eorum, quæ Chriſtus antea docuerat; & eatenus muneri ipſius prophetico accenſeri debent, ita aditus quidam fuerunt ad munus illud, quod in cœlis nunc Chriſtus adminiſtrat. Et mors quidem initium quoddam fuit muneris ſacerdotalis, cum ea ſit victimæ pro nobis oblatæ mactatio; reſurrectio autem etiam regii.

## CAP. I.

### *ARGUMENTUM.*

*In hoc capite ortus ac natales Chriſti traduntur. Et primum quidem ejus genealogia majorumque ſeries recenſetur: deinde ratio conceptionis ac nativitatis illius; quæ in eo conſiſtit, quod a virgine, divini ſpiritus ope, conceptus natuſque fuerit. Prius membrum uſque ad verſum* 18, *poſterius vero uſque ad finem capitis extenditur.*

Verſ. 1. *Liber generationis Jeſu Chriſti.* Titulus hic eſt prioris partis hujus capitis, ſeu genealogiæ Chriſti: ita ut *liber generationis* nihil ſit aliud, quam id, quod nos genealogiam appellamus, ſeu enumerationem majorum ac progenitorum, a quibus ortum ſuum quiſpiam ducat. Similis extat titulus Gen. v. 1: *hic eſt liber generationis Adam.* Sed ibi liber generationis recenſionem poſterorum minorumque ex Adamo deſcendentium ſignificat, non majorum. Hic contra ſit. Nec eſt quod quempiam offendat vox *libri.* Etenim Hebræorum conſuetudine, ut vel ex loco modo dicto apparet, recenſionem ſeu enumerationem etiam brevem ſignificat aliudve ſcriptum, quod Latini libri nomine vix dignarentur: ut apparet ex iſtis locis: Eſth. 9. 25, 26, 30. Eſai. 37. 14. xxxix. 1. Ierem. 29. 25, 29. xxxii. 10, 11. Quibus in locis omnibus Hebraïce eſt vox *ſepher*, quæ librum ſignificat. Unde & Latinus interpres in pleriſque nomen libri aut librorum poſuit. Quanquam & Ciceronem genealogiam libellum nominum dixiſſe, Beza refert: & ſimili ratione libellum ſupplicem, libellum memorialem dicunt: & alias quoque ad breve ſcriptum libelli nomen diminutivum, ut vocant, tranſfertur. Subaudiendæ autem ſunt in hoc titulo voces, *hic eſt.* Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet: *Hic eſt liber* &c. qualis ellipſis eſt etiam Marc. 1. 1: *Initium euangelii Jeſu Chriſti*; ubi interpretes nonnulli habent: *Hoc eſt initium euangelii* &c. Quo loco, ut hoc quoque obiter notemus, titulus ab initio ponitur, non totius libri, ſed primæ tantum illius partis. Quod hoc quoque loco fieri cenſemus. Similis ellipſeos exempla reperies initio aliquot prophetarum, ubi hæc aut ſimilia extant verba: *Viſio Eſaiæ* &c. *Viſio Abdiæ* &c. *Verba Ieremiæ*, &c. *Verba Amos*, &c. *Verbum Domini, quod factum eſt ad Ioël, Oſeam* &c.

*Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham.* Filii nomen hoc loco poni pro uno ex poſteris ſeu prognatis unicuique liquet: quo pacto & alibi in hiſtoria euangelica Chriſtum filium Davidis appellatum fuiſſe cernimus. Apud Latinos nepotum nomen, quanquam in plurali numero elatum, ita ſolet uſurpari. Quo loco tria quæri ſolent:

Primum: Cur hos duos ex univerſa progenitorum Chriſti ſerie initio expreſſerit, & eorum filium Chriſtum nominatim eſſe ſignificarit.

Alterum: Cur Davidem Abrahamo, poſteriorem priori præpoſuerit.

Tertium: Utrum vox filii ſecundo loco poſita, nempe inter Davidis & Abrahami nomen collocata, ad propius Davidis, an ad remotius Chriſti nomen ſit referenda, & cum eo per Appoſitionem Grammaticis dictam connectenda.

Ad primum recte reſpondetur, ideo id factum, quia his duobus Chriſtus fuit promiſſus, tanquam ex ipſis oriundus. Quanquan promiſſio Davidi facta ſpecialior fuit, &, ut ita dicam, diſtinctior; ea, quæ Abrahamo obtigit, generalior, & quaſi confuſa: idque non tantum ideo, quod promiſſio Davidi facta Chriſti ortum ad certam poſterorum Abrahami tribum, imo ad certam quoque tribus familiam adſtrinxit, cum promiſſio Abrahamo facta nulli tribui, nullive familiæ fuerit alligata; ſed etiam ideo, quod nulla videatur exſtare promiſſio Abrahamo facta, quæ Chriſtum nominatim, ſeu ſigillatim ex eo oriturum eſſe ſignificaret. Quæcunque enim promiſſiones ſunt, quæ myſtico ſenſu ſignificent, Chriſtum ex Abrahamo naſciturum, ea de ſemine Abrahamico loquuntur. Semen autem illud

non unum ex nepotibus ſeu poſteris ipſius, ſed progeniem ac poſteritatem Abrahami, certumque adeo hominum genus denotat: uti tum per ſe quivis facile intelligere poteſt, qui loca illa in Geneſi extantia inſpexerit; tum ex iis æſtimari licet, quæ de ſemine illo myſtice accepto leguntur Gal. 3. 4. Appellatur quidem Gal. 3. 16 ſemen illud Abrahami Chriſtus: ſed, ut ibi (1) oſtendimus, Chriſtus iſtic non ſignificat ſolam Chriſti perſonam, ſed ſimul corpus quoque ipſius, hoc eſt eccleſiam, populumve Chriſtianum deſignat, a capite ſuo denominatum. Interea tamen recte dicitur, Chriſtum omnino fuiſſe Abrahamo promiſſum; licet ſolus ſeminis nomine non intelligatur iis in locis, ubi promiſſio illa continetur: quandoquidem ſeminis illius caput Chriſtus eſt, & reliquum ſemen ſine illo exiſtere ex divino decreto nec potuit, nec debuit. Certe qui dicit prolem quampiam ex altero naſcituram, eo ipſo dicit etiam caput illius prolis ex eo oriturum. Ac promiſſio Davidi facta ſpecialis fuit, & non ad totum Chriſti populum, ſed ad ipſum tantum Chriſtum populi illius caput pertinuit. Is enim Davidi fuit promiſſus, qui ſeſſurus eſſet ſuper ipſius ſolio, & recturus populum Iſraëliticum, ut omnibus vulgo notum eſt.

Ex his jam aliqua ratione patet reſponſio ad ſecundam quæſtionem. Ideo enim Chriſtus prius fuit dictus filius Davidis, quam Abrahami, quia promiſſio Davidi facta ſpecialior ac diſtinctior fuit, & ad Chriſtum nominatim pertinuit. Unde & majoris dignitatis eſt appellari filium Davidis, quam filium Abrahami: partim quidem, quia, ut diximus, proli illi Davidicæ regnum æternum, idque ampliſſimum fuit deſtinatum; partim etiam quia ipſe David rex fuit, ita ut vel hanc ipſam ob cauſam honorificentius eſſet Davidis filium, quam Abrahami appellari. Sed majoris tamen dignitatis erat appellari filium Davidis κατ' ἐξοχὴν, ſeu Meſſiam illum Davidi promiſſum, atque ex ipſius familia oriundum. Qua de cauſa etiam illi qui opem Chriſti implorarunt, eumque titulo, quem putarunt eſſe omnium honorificentiſſimum, compellarunt, non Abrahami, ſed Davidis filium dixerunt: & populus in fauſta illa acclamatione, qua tanquam regem advenientem proſecutus eſt, filium Davidis vocavit: & alias quoque inter Judæos, cum de Meſſiæ patre quæreretur, David potius, quam Abraham nominaretur. Quam ob cauſam, cum quæſiviſſet Chriſtus ex Phariſæis, cujus filius ſit Chriſtus, ſtatim ab illis fuit reſponſum, Davidis. Cauſa igitur magna fuit, cur Matthęus ab ipſo ſtatim initio ortum Chriſti deſcripturus, cum filium Davidis (2) appellarit. Quo accedit, quod, ut ex jam dictis aliqua ratione patere poteſt, requiſitum hoc fuerit, ad Chriſtum conſtituendum, ex divina promiſſione neceſſarium, ut ex Davidis familia eſſet oriundus; ac proinde etiam a Judæis in Chriſto vel inprimis requiſitum, ita ut niſi conſtitiſſet, Jeſum ex Davidis familia ortum fuiſſe, eum pro Chriſto non fuiſſent, eſſentve habituri. Quod ſi quis dicat, non ſatis conveniens videri, ut, poſtquam Chriſtus dictus eſſet Davidis filius, tum demum filius Abrahami diceretur, cum hoc ſit generalius, illud ſpecialius, & qui filius Davidis eſt, eum Abrahami quoque filium eſſe neceſſe ſit: a generalibus autem potius ad ſpecialia & ſtrictiora progrediendum ſit; reſpondemus, id vim fortaſſe aliquam habiturum, ſi vox *filii* poſteriori loco collocata omnino eſſet cum nomine Chriſti, non vero cum nomine Davidis connectenda. Sed nobis (ut jam ad tertiam quæſtionem ſimul reſpondeamus) aliter videtur, non modo propter cauſam in ipſa hac objectione explicatam, ſed etiam, idque aliqua ratione magis, propter Hebræorum conſuetudinem, qui in recenſendis genealogiis, vocem filii inter diverſa nomina collocatam, ad propius referre ſolent, & cum eo per appoſitionem connectere. Inſpiciantur inter alia hæc loca 1 Sam. 1. 1. 1 Paral. 4. 37. v. 8, 14: Hoc ſi ſtatuatur, nihil eſt abſurdi in oratione Matthæi, quandoquidem non expreſſe dicit, Chriſtum eſſe filium Abrahami, poſtquam jam dixiſſet, eum eſſe filium Davidis, ſed id tantum cogitandum ex ſuis verbis relinquit. Si enim Chriſtus Davidis eſt filius, David rurſus Abrahami, nemo non intelligit, Chriſtum quoque Abrahami filium eſſe; licet dictum non ſit. Non attingimus autem nunc alias rationes, ob quas alii viri docti cenſuerunt propius Davidem quam Abrahamum fuiſſe nominatum, quę apud Maldonatum videri poſſunt. Inter quas illa nobis magis probatur, quę ab ipſo ſecundo eſt loco collocata; nempe quod alioqui fuiſſet Abrahami mentio & ante Davidem facienda, & poſt Davidem denuo repetenda, cum ab eo ad Chriſtum genealogiam deducere vellet. Quo ut effugiant Hebrei, ſolent id, de quo plura dicere volunt, aut a quo novę narrationis ſeriem texere cogitant, ultimo loco ponere. Sic Apoc. 1. 4, 5 eandem ob cauſam ſeptem ſpiritus præponuntur Domino Ieſu.

*Abraham genuit Iſaacum* &c. In hoc verſiculo nulla fit mentio Iſmaëlis, quem Abraham; nulla item Eſaui, quem Iſaac genuerit: non tantum quia ex illis Chriſtus non deſcendit; verum etiam ideo, quia ad veram illam Abrahami & Iſaaci poſteritatem, populumque divinum ex illis oriundum non pertinuerunt, atque adeo ab illis ſeparati gentibus alienigenis fuerunt annumerati. Nam alioqui decuiſſet eorum aliquam facere mentionem: quemadmodum ſtatim in eodem verſu dicitur, Iacobum genuiſſe non tantum Iudam; ſed additur etiam: *& fratres ipſius*. Etſi enim ex cæteris Iacobi filiis, Iudæ fratribus, non fuerit ortus Chriſtus: quam ob cauſam nec eorum nomina exprimuntur: ſed ſolus Iudas, ex quo Chriſtus deſcendit, expreſſe nominatur, cæteris tantum generaliter deſcriptis: digni tamen videbantur qui commemorarentur, qui non tantum ad populum illum divinum, ſeu ſemen illud Abrahamo promiſſum pertinuerunt; ſed ſumma etiam quædam illius populi capita, ſingulorumque tribuum principes atque authores extiterunt, unde & Patriarchę appellantur. Et reprehenſionem vix effugere potuiſſet Matthæus, ſi, quemadmodum dixerat, Abrahamum genuiſſe Iſaac, Iſaac vero Iacobum, nulla Iſmaëlis aut Eſaui facta mentione; ſic etiam hic ſimpliciter dixiſſet, Jacobum genuiſſe Iudam, nulla fratrum ipſius facta mentione; quaſi nimirum eos indignos cenſeret, quos pro Iacobi poſteris, populique Iſraëlitici capitibus, haberet.

*Iudas autem genuit Phares & Zara è Thamar.* Hîc non tantum Phares, ſed & Zaram commemorat, propterea quod hic cum illo uno partu editus, cum illo de primogenitura quodammodo certarit, nec, ut de Eſauo antea diximus, a populo divino ſejunctus fuit. Commemoratur autem hoc loco Thamar, & (ut de ſimilibus ſimul dicamus) ℣. 5 fit mentio Rachab, illius nimirum Hierichuntinæ, itemque Ruth, quę origine fuit Moabitis, itemque Bethſabeę, quæ uxor fuerat Urię, ℣. 6, cum interea aliarum fæminarum, ex quibus illi fuerint nati qui in hac genealogia memorantur, nulla fiat mentio.

Cauſa

(1) *In Comment. ad Gal.* (2) *vide Maldonatum.*

Causa ejus rei hæc a doctissimis quibusdam interpretibus affertur, quod in his, quarum nomina exprimuntur, fœminis aliquid contigerit circa rem matrimonii quodammodo inusitatum, saltem non laudandum, quod in scriptura V.F. expresse sit notatum, & ob quod potuisset quispiam dubitare, utrum filii illi, qui ex eis sint nati, legitimi fuerint necne. Id ergo reticetur, quod usitatum fuit, & de quo dubitare nemo poterat; id solum commemoratur, quod aliqua ratione inusitatum fuit, & dubitationi locum facere poterat. Quanquam interim scriptura V.F. dubitationem tollit, dum filios illos earum, tanquam legitimos recenset.

Vers. 5. *Salmon autem genuit Booz ex Rachab.* In hoc versiculo illud cuipiam mirum videri posset, qui fiat, ut inter Salmonem, qui Rachabam duxerit, & Davidem non nisi tres viri in hac genealogia interveniant: cum tamen, ut a viris doctis est annotatum, trecenti sexaginta amplius anni intercesserint. Neque vero illi nodum penitus solvunt, qui tamen inter cæteros maxime videntur solvisse, qui ajunt, non esse incredibile, quatuor homines, ejus præsertim temporis, quo humana vita, sive natura, sive temperantia longius tenderetur, trecentorum sexaginta sex annorum numerum æquasse: quia si Salmonem numeres, quem verisimile sit, cum Rachab uxorem duxit, fuisse adolescentem, constiturum, singulos infra centum vixisse annos: cum illo eodem tempore centum viginti, immensis licet exercitus laboribus, Moses vixerit. Nam in hac responsione ita agitur, ac si initium vitæ singulorum a morte progenitorum demum duci debeat. Hac enim ratione haud difficulter credi posset, ætates quatuor hominum, nempe Salmonis post ductam Rachab, ejusque filii Boozi, & nepotis Obedi, ac denique pronepotis Jessæ numerum 366 annorum compleviſſe. Sed quis tam facile crediderit, singulos illos non modo centesimum prope annum attigisse, sed etiam singulis ita contigisse, ut uno alterove, aut saltem paucis demum ante mortem annis, ætate jam plane decrepita, illos, qui hic memorantur, filios genuerint. De Salmone certe haudquaquam est credibile, cum 60, aut amplius demum annis post ingressum in terram Chanaan, Boozum genuisse: quandoquidem eum ex Rachaba genuisse dicitur, quæ sine miraculo sexaginta post captam Ierichontem annis gignere non potuisset: cum satis appareat, Ierichonte capta eam non juvenculam plane fuisse. Et licet tandem fingere velis, quod historiam consideranti minime fit verisimile, eam tum temporis nondum vigesimum attigisse annum; tamen si 60, aut 70 illius ætati annos adhuc addideris, talem constitues, quæ naturæ cursu effœta jam fuerit. Quare vel statuendum est, Boozum, Obedum, & Isai Davidis parentem fuisse homines præter communem usum ac consuetudinem longævos, vivaces ac vegetos, sive singulari naturæ, sive peculiari etiam Dei beneficio, ut etiam post centesimum annum liberos genuerint eos, quos genuisse hic memorantur: vel statuendum est, a scriptoribus V.F. unde hanc genealogiæ Christi partem depromsit Matthæus, inter Salmonem & Boozum gradum, ut vocant, unum atque alterum omissum: id quod illis omnino videtur statuendum, qui Boozum putant vixisse circa 250 annum ab ingressu populi in terram Chanaan. Potuisset autem id propterea fieri, quia obscuriores fuissent, nec fama ita noti, ut vel Boozus, vel Salmon: quemadmodum infra videbimus inter *Salathielem & Zorobabelem omitti Phadajam*, quia Phadaja aliquanto fuit obscurior: qua de re suo loco pluribus agemus. Tanto autem magis id fieri potuit, si Salmon tam diu vixit, ut pronepotis, vel abnepotis sui Boozi ætatem vel attingeret, vel non multo ante ipsius nativitatem moreretur. Ita enim fieri potuit, ut cum Salmonis & Boozi ætas inter se quodammodo connecterentur, intermedii illi, qui utrisque obscuriores fuissent, veluti exciderent, & oblivione obruerentur. Quo accedere poterat, quod essent non tantum ex alienigena matre nati, sed etiam ex ea, quæ infamis inter suos fuisset; quod tamen dedecus in ipsorum posteris paulatim fuit abolitum. Neque vero huic sententiæ obstat, quod Booz ex Rahab genitus dicitur: cum ad id satis esse videatur, quod ex ea generis originem duxerit, quodque ex ea stirpe fuerit prognatus. Quemadmodum etiam istiusmodi ratio non obstat, quominus is genuisse alterum dicatur, qui ejus non pater, sed avus, imo & abavus fuit: ut partim de Salathiële jam indicavimus: partim paulo post dicemus ℣. 8, cum ad Joramum & Oziam perveniemus. Verumtamen non facile conjecturis hic nitendum est: cum sacræ literæ ita Boozum cum Salmone connectant, ut hunc illius patrem proprie loquendo facere videantur. Quare tuius est priorem sententiam sequi, & statuere, homines illos vivaces admodum aut vegetos fuisse, qui in ætate etiam provecta filios genuerint; quale quippiam deprehendere liceat in Ephraïmo filio Josephi, si considerentur ea, quę leguntur 1 Paralip. 7. 20 & seqq.

Vers. 6. *Jesse autem genuit Davidem regem.* Hunc solum regem in hac serie majorum Christi appellat; licet ii quoque, qui sequuntur usque ad Jechoniam, reges fuerint: quia hic princeps fuit regię in hac serie, totaque tribu Juda dignitatis, atque adeo primus etiam in Israële rex non immerito dicendus. Nam etsi Saul ante ipsum regnavit; tamen quia is non tam Dei voluntate, quam ferocientis populi studio ac cupiditate, cui tamen Deus quodammodo assensus, electus fuit; & extra illam tribum fuit ortus, cui regnum fuit jam olim ex Jacobi vaticinio ac benedictione destinatum, ideo prętereri aliqua ratione potest. Accedit ad caussam illam, quam diximus, etiam alia, ob quam Davidem regem voluit nominare Matthęus. Observatum est ab interpretibus, voluisse Matthęum in tres partes genealogiam Christi distinguere, pro ratione triplicis status populi reiquepublicæ Israëliticę, cujus status diversitas ex diversitate conditionis ac status majorum Christi hic enumeratorum intelligitur. Etenim primus ille populi Israëlitici status fuit ante regnum constitutum; alter sub regno; tertius post eversum regnum. In primo gradus quidam fuit structus sub Judicibus ad regnum; in tertio reliquię quædam regni ad tempus aliquod in familia Davidica, ipsisque adeo Christi progenitoribus ut Salathiele & Zorobabele remanserunt. Quapropter cum a prima hujus genealogię parte ad secundam, & simul a primo populi statu ad secundum transiturus esset, & notabilem utriusque differentiam vellet constituere, Davidem, qui ultimus fuisset primę partis, & initium dedisset secundæ, autorque fuisset dignitatis regię in familia sua, ac initium quodammodo status secundi, in quo populus Israëliticus fuit positus; merito eum, ut id quodammodo significaret, regem appellavit. *David autem Rex genuit Salomonem.* Quomodo Matthęus cum Luca conciliari possit ac debeat, qui genus Christi ex Davide per Nathanem deducit,

videbimus infra verſ. 16, cum de verbis illis agemus: *Iacob autem genuit Ioſephum.*

Verſ. 8. *Ioram autem genuit Oziam.* Illum nimirum, qui alio nomine Azarias fuit appellatus. Vide 4 Reg. 15. 1,6,7,8,13, ubi in Hebræo eſt Uria ſeu Ozias, cum in Latino & Græco ſit Azarias. Confer etiam cap. 26 lib. 2. Paral. ubi perpetuo Ozias appellatur, qui in priori illo loco Azarias. Veruntamen ex eadem hiſtoria ſacra locisque modo dictis ſatis liquet, Oziam non proxime fuiſſe natum ex ipſo Joramo, ut verba Matthæi prę ſe ferunt; ſed fuiſſe filium Amazię regis, pronepotem autem Jorami. Sunt enim hoc loco tres viri inter Joramum & Oziam omiſſi, ut a pleriſque interpretibus fuit animadverſum, nempe Ochozias, Joas, & Amazias. Vide inter alia 2 Par, 3. 11. Genuiſſe ergo Joramus Oziam dicitur, quia hic ex illo, licet aliis intervenientibus, fuerit prognatus. Sed cauſſa tamen hoc loco quærenda eſt, ob quam hi tres omiſſi fuerint, & videndum, quo pacto a falſitatis crimine erroriſve ſuſpicione liberari queat Matthęus, qui dixit, omnes generationes, ſeu gradus generis, a Davide uſque ad tranſmigrationem Babylonis, eſſe quatuordecim, cum iſtis tribus additis ſeptemdecim ſint futuri gradus. Atque ut ab hoc poſteriori incipiamus, verba Matthæi, quibus quatuordecim tantum in ſingulis genealogię hujus partibus gradus conſtituit, non ſunt ita accipienda, ac ſi dixiſſet quatuordecim tantum gradus, ſeu perſonas, quarum alię ex aliis fuerint prognatę, reipſa fuiſſe; ſed in hac ſerie maiorum Chriſti a ſe conſtituta tres eſſe teſſaradecades, ſeu in ſingulis trium hujus genealogię partium quatuordecim gradus a ſe enumeratos eſſe. Voluit enim, (ut ad prius jam quoque accedamus) & concinnitati cuidam, & lectoris memorię conſulere, tribus æqualibus hujus genealogię partibus conſtitutis, quę tam notabili reipublicę Judaicę, & conditionis eorum ipſorum qui hic recenſentur diſcrimine, diſtinctę eſſent. Itaque cum in prima iſtius genealogię parte quatuordecim tantum gradus in ſacris literis V. F. annotatos reperiret, & totidem quoque in tertia parte recte conſtitui poſſe animadverteret, ut poſtmodum plenius docebimus, intermedię quoque parti quatuordecim tantum attribuere voluit, cum id ſine falſitatis periculo facere poſſet, & de re ipſa cæteroquin ex ſacris literis V. F. ſatis conſtaret, nec conſilium ipſius in aliquibus omittendis ignorari poſſet; præſertim cum ad inſtitutum ipſius ſatis eſſet, modo conſtaret poſteriores a prioribus fuiſſe oriundos, ut ut non proprie fuiſſent ipſorum filii, ex iiſve proxime geniti. Volebat enim, ut ex primis ipſius verbis ſatis conſtat, & a nobis illic oſtenſum eſt, docere Jeſum eſſe filium Davidis, ac porro Abrahami. Ad hoc autem oſtendendum ſatis eſt monſtrare, Jeſum ex illis majoribus eſſe ortum, qui ex illis genus duxerint, etiamſi non omnes intermedii enumerentur. (1) Cauſſa vero cur hos potius tres, quam alios omiſerit Matthęus (quanquam id arbitrarium cenſeri poterat) hęc non improbabilis a (2) quibuſdam interpretibus adfertur, quia maternum genus ex Achabo, homine impio, & idololatrię crimine maxime infami, duxerint. Nam Joram ex filia Achabi Ochoziam ſuſcepit, ex Ochozia autem Joas, ex Joa Ozias fuit natus. Ideo propter Achabi quodammodo impietatem adeo infamem, poſteri Jorami ad quartam uſque generationem veluti excidiſſe, & ex catalogo majorum Chriſti deleti eſſe videntur. Sed ſive hęc fuerit, ſive alia cauſa, ejus ignoratio nobis nocere non poteſt, cum ſatis id ſit, cauſſam ſcire ob quam aliqui fuerint omiſſi.

Verſ. 11. *Joſias autem genuit Ioakim,* &c. Etſi vulgata exemplaria, tum Greca, tum Latina, ita legant: *Joſias autem genuit Jechoniam & fratres ejus* &c. extitiſſe tamen alia quædam exemplaria Græca correctiora, quę inter Joſiam & Jechoniam interſerant Joakim, teſtantur doctiſſimi quidam interpretes. (1) Et ſane non modo ex ſacris literis V. F. conſtat, inter Joſiam & Jechoniam interceſſiſſe Joakimum, Jechonię patrem; ſed etiam ex eo, quod Matthæus omnino tres teſſaradecades ſe conſtituiſſe in hac genealogia Chriſti aſſerit, omnino evincitur, aliquem omiſſum eſſe. Nam alioquin vel in tertia, vel in ſecunda teſſaradecade unus deſideraretur. Quod enim quidam Jechoniam bis numerant, ſemel in fine ſecundę teſſaradecadis, & in tertiæ initio iterum, id abſurde omnino fit. Quaſi vero Matthęus, cum concinnitati etiam ratione numeri in conſtituenda hac genealogia ſtuduerit, maluerit unum bis numerare, quam eum, qui ad hanc ſeriem pertineret, exprimere, & ſic numerum quatuordecim exacte complere. Neque vero eſt quod quis dicat, ſuperius potius, ubi nos tres tantum omiſſos fuiſſe diximus, unum eſſe reponendum. Etenim credibilius eſt, euangeliſtam uno in loco tres omiſiſſe, quam alibi duos, alibi iterum unum ex hac ſerie exemiſſe. Adde, quod nulla, quod ſciamus, extent, vel a viris doctis proferantur exemplaria, quæ unum ex tribus illis adſcribant; cum hic adferantur exemplaria, quæ nomen Joakimi habeant. Id ergo jam conſtitutum eſto, Joakimi nomen hic omnino eſſe collocandum. Verum illud porro quæritur, utrum ita ſit legendum, ut recentiores quidam interpretes fecerunt: Joſias autem genuit Joakim: Joakim autem genuit Jechoniam & fratres ejus, in tranſmigratione Babylonis. Etenim nova hic oritur difficultas circa fratres Jechonię: quandoquidem non plures Jechonię fratres in ſcriptura commemorantur, ſed unus tantum Sedekias; non ille, qui ultimus fuit Judęorum rex, a Nabuchodonozore captus, & oculis orbatus (hic enim Jechonię patruus fuit, Joſię filius, alio nomine Mathanias dictus; ut conſtat ex collat. 4 Reg. 24. 17 ſeqq. cum 1 Paral. 3. 15) ſed alius, ex Joakimo Sedekiæ fratre majore natus. Vide 1 Paral. 3. 15, 16. Atqui hoc loco, ſi vulgarem lectionem ſequamur, non frater, ſed fratres Jechoniæ commemorantur. Nobis hic id probatur, quod apud Maldonatum legimus; non in eo tantum mendum eſſe vulgatorum exemplarium, quod Joakimi nomen fuerit omiſſum; verum etiam, quod Jechonię nomen ejus loco poſitum fuerit verſ. 11. Quare ita legendum cum dicto interprete cenſemus: *Joſias autem genuit Joakim & fratres ejus.* Nam præter dictam rationem, quod Jechonias plures fratres non habuerit, etiam illud vulgatæ lectioni obſtat, quod nulla appareat cauſſa, cur Iechoniæ ſive frater, ſive plures, ſi habuiſſet, fratres commemorandi fuerint: at contra cauſſa apparet, cur Ioakimi fratres commemorarentur, nempe, quod illi omnes, certe duo ex illis, reges non minus, quam Ioakimus fuerint. Etenim & Ioachas, alio nomine Iohannan dictus 4 Reg. 23. 30, & Mathanias, poſtea dictus Sedecias, regnavit, ut ex libris Regum & Paralip. conſtat. De tertio fratre Sellum, quod regnaverit, nihil quidem teſtantur regum hiſto-

(1) *Vide plura hac de re in Lect. Sac. Socini pag. 106 & ſeqq. item apud Maldonatum.* (2) *Maldonatus.*

*Beza, Mald, Rober, Stephanus.*

riæ: ſed interim tamen Ieremias cap. 22. 12 eum expreſſe regem Iuda appellat, qui regnavit pro Ioſia patre ſuo; forte quia particeps regni, ſive cum fratre aliquo, ſive cum filio fratris fuerit. Hoc ergo quia in aliis regum in hac genealogia enumeratorum fratribus non contigit, quandoquidem ſemper filius patri, non frater fratri ſucceſſit, ideo eorum nulla fit mentio; horum autem ob regnum adminiſtratum fit, ſed, ut ſupra in Iudæ fratribus animadvertimus, generatim, non nominatim. Unde jam intelligitur, nullam fuiſſe cauſſam, cur Iechoniæ ſeu frater, ſeu fratres commemorarentur, quandoquidem nullus regnum tenuit. Hactenus ergo Maldonato plane aſſentimur. Sed illud adhuc dubium relinquitur, utrum verba illa, *in tranſmigratione Babylonis*, ſtatim ſint ſubjungenda illis; *& fratres ejus*: an vero interferenda prius illa: *Joakim autem genuit Iechoniam*. Prius Maldonatus cenſet, qui totum locum ita reſtituit, & quidem, ut ait, ex quodam veteri exemplari, de quo Stapulenſis teſtetur: *Joſias autem genuit Joakim & fratres ejus, in tranſmigratione Babylonis. Joakim autem genuit Iechoniam. Et poſt tranſmigrationem* &c. Sed duplex hic apparet incommodum: Alterum eſt, quod verba illa, *in tranſmigratione Babylonis*, & illa *poſt tranſmigrationem* ita dirimantur, inſerto uno membro, ſeu una generatione; quum tamen omnino videatur Matthæus ita illa inter ſe conjunxiſſe, ut alterum continua ſerie conſequeretur alterum. Alterum incommodum eſt, quod hoc pacto verba illa, *in tranſmigratione Babylonis*, neceſſe eſſet de tempore accipere, quod triginta ſex amplius annis tranſmigrationem primam anteceſſit: ut apparet ex cap. 23. 24. Reg. lib. 4; cum tamen longe commodius accipi poſſit de tempore propiore, prout verborum quoque proprietas poſtulare videtur. Etenim non adeo multis ante tranſmigrationem annis Iechoniam ex Ioakimo genitum eſſe neceſſum eſt, hoc eſt, octodecim annis antequam pater ipſius Ioakimus captivus abduceretur, quibus ſi addantur tres menſes, quibus regnavit, complebitur tempus totum uſque ad ipſiuſmet, & totius familiæ regiæ, aliorumque principum, ducum, militum, fortium & artificum tranſportationem Babylonem. Quapropter veriſimilius eſt, ita verba totius loci eſſe ordinanda; *Joſias autem genuit Joakim, & fratres ejus. Joakim autem genuit Iechoniam in tranſmigratione Babylonis. Poſt tranſmigrationem autem Babylonis Iechonias genuit Salathielem.* Sed hac de re uniuſcujuſque ſit judicium.

Iam vero quod attinet ad verba, *in tranſmigratione Babylonis*, ſatis ex dictis conſtare poteſt, ea non ita eſſe accipienda, ac ſi id, quod hic narratur, in ipſo, ut ita dicam, tranſmigrationis puncto, vel ſaltem eodem anno contigerit. Nam ſi hæc verba retuleris ad generationem Ioakimi ex Ioſia, viſum eſt ſupra, triginta ſex circiter annos interveniſſe. Si vero referas ad Iechoniæ generationem, octodecim annos interveniſſe neceſſe eſt. Quare laxius hoc tempus eſt extendendum: ſeu, quod perinde eſt, ita accipienda ſunt hæc verba, ac ſi dictum fuiſſet inſtante tranſmigratione Babylonis. Neque vero præpoſitio Græca ἐπὶ omnino ſignificat in ipſo tranſmigrationis articulo hæc facta eſſe: ſed ad ejus vim ſufficit, ut tempus intelligatur tranſmigrationi vicinum. Vicinum autem ideo merito dici poteſt, quia non modo decreta jam erat a Deo tranſmigrationis ſeu tranſportationis pœna, quanquam ſub aliqua, ut videtur, conditione; ſed etiam ipſe Iechonias unà in captivitatem abductus eſt, imo etiam ante eum Ioakimus pater. Tanto autem libentius Matthæus dixit, inſtante tranſmigratione hæc fuiſſe facta, longius extenſo hoc tempore, ut ita terminum notabilem inter ſecundam & tertiam teſſaradecadem in hujus ipſius initio conſtituere poſſet. Vox autem ipſa μετοικεσίας ſignificat tranſlationem in alias ſedes ſeu regiones: quæ licet ſponte alias fieri poſſit, quia tamen hic invitis contigit, & pœnæ cujuſdam loco fuit, ideo deportatio ab interpretibus quibuſdam (1) doctiſſimis redditur. Significatur autem hoc loco ipſe μετοικισμὸς, ſeu, ut diximus, tranſlatio abductioque in aliam terram; non in alia terra habitatio, ſeu exilium, quo nomine nonnulli interpretes non ſatis recte hic fuerunt uſi. Docet id ſequens particula verſ. 12, *poſt migrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel*. Id enim non poſt exilium Babylonicum, ſi proprie loqui velis; ſed in ipſo exilio contigit.

Verſ. 12. *Iechonias genuit Salathiel*. Videntur tum his Matthæi verbis, tum illis quæ ſcribuntur 1 Paral. 3. 17, ubi idem aſſeritur, obſtare verba Ierem. 22. 30, ubi de Iechonia ita legitur: *Hæc dicit Dominus, ſcribe virum iſtum ſterilem*. Quaſi nimirum prolem habiturus non eſſet. Sed animadverſum jam eſt (2) à viris doctis, non eum eſſe loci ſenſum, quaſi Iechonias prolem nullam eſſet habiturus: quandoquidem eodem in loco, verbis & antegreſſis & ſubſequentibus, ſeminis ipſius expreſſe fit mentio: verſu nimirum 28, & eodem 30: ſed ſenſus eſt, eum non habiturum ſemen regium, hoc eſt prolem, quæ ipſi in regno ſit ſucceſſura, quemadmodum majores ipſius habuerant, quod fuerat antea ſignificatum illis verbis: *abjecti ſunt ipſe & ſemen ejus*, verſ. 28, & hoc ipſo verſ. 30, cum dicitur: *nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Iuda*.

*Salathiel autem genuit Zorobabel*. Diximus jam ſupra verſ. 5 Zorobabelem non fuiſſe proprie Salathielis filium, ſed nepotem. Patrem enim ejus fuiſſe Pedajam: uti aperte teſtatur auctor 2 Paral. 3. 19. Dicitur nihilominus Zorobabel filius Salathielis aliquot veteris Teſtamenti locis 1 Eſdr. 3, 2, 8: v. 2. Agg. 1. 1, 12, 14: 11. 3, 24. atque adeo haud ſcio, an ullibi præter autorem librorum Paralipomenon Zorobabel Pedajæ filius appelletur. Quæ cauſſa fuit, cur Matthæus conſuetudinem ſacrarum literarum veteris fœderis ſecutus, Zorobabelem Salathielis filium conſtituit, omiſſo Pedaja patre. Cauſam vero cur Zorobabel Salathielis potius, quam Pedajæ filius dici conſueverit, affert Hebræorum doctiſſimus, (3) in commentario ad Agg. cap. 1. 1, cujus verba operæ pretium eſt hoc loco adſcribere: *Zorobabel*, inquit, *cujus hoc loco meminit, non fuit ille quidem Salathielis, ſed Pedajæ filius. Atque hic rurſus Salathiele patre oriundus, ut è 1. Paral. 3 conſtat. Cæterum ex filiis ſuſcepti nepotes filiorum loco haberi ſolent. Quod autem hoc loco Salathielis tantum mentionem facit, id inde fortaſſe factum eſt, quoniam Salathiel Pedaja vir multo inſignior ac clarior extiterit. Quemadmodum & Zacharias filius Iddo appellatur 1. Eſdr. 5. 1, patre tamen Barachia natus, qui filius fuit Iddo, Zach. 1. 1.* Hæc ille. Quinam vero Zorobabel ille fuerit, quamque inſignis inter Iudæos è captivitate Babylonica reverſos, ſatis ex locis paulo ante notatis, atque inprimis ex Eſdra conſtat.

Verum hoc loco difficultas non exigua oritur ex col-

(1) *Beza, Piſcator.* (2) *Maldonat. Socin. Lect. ſac. p. 117. 118. Piſcator.* (3) *R. David Kimchi.*

latione verſus hujus & ſequentis cum genealogia Chriſti à Luca deſcripta. Etenim nc alia nunc commemoremus, inferius examinanda, ubi de diſcrimine utriuſque genealogiæ uberius dicemus: Lucas cap. 3. 27 Zorobabelem commemorans, eumque Salathielis filium conſtituens, hunc dicit fuiſſe Neri filium, Melchi nepotem, pronepotem Addi: cum Matthæus hoc loco, ex veteris fœderis auctoritate, Salathielem Zorobabelis patrem, Iechoniæ filium, nepotem Ioakimi, pronepotem Ioſiæ, conſtituat. Neque enim eſt, quod quis putet, ſe ea ratione effugere poſſe, ſi dicat, omnes illos Salathielis majores à Luca & Matthæo enumeratos binomios fuiſſe. Nam primum non eſt admodum credibile, tot homines continua ſerie poſitos bina habuiſſe nomina: & ſi habuiſſent, illa à ſacris literis veteris fœderis, quæ expreſſe nonnullorum Salathielis majorum a Matthæo enumeratorum, diverſa nomina exprimunt, ſilentio prorſus fuiſſe involuta. Præterea cui veriſimile fit, Lucam, cum majores eoſdem cum Matthæo deſcriberet, ne unum quidem nomen retinere voluiſſe in veteri fœdere expreſſum; & maluiſſe incognita, vel ſaltem nullo ſacrarum literarum teſtimonio confirmata ponere, præſertim cum regum iſtorum, quos enumerat Matthæus, nomina adeo celebria eſſent, ut verbi gratia, Ezechiæ, Joſiæ, regum valde piorum, ne de aliis nunc quicquam dicam. Adde, quod neceſſe eſſet uſque ad Nathanem revera Davidis filium, iſtam nominum diverſitatem admittere; quod nequaquam fieri poſſe quivis cernit; cum Nathan ille alius omnino a Salomone fuerit; & præterea a Luca ad illum uſque a Salathiele facto initio, viginti & unus commemorentur gradus; cum apud Matthæum, iis, qui omiſſi ſunt, additis, non niſi novendecim reperiantur. Quare alia ratione eſt reſpondendum. Veriſimile autem nobis eſt, cum & aſcendentes & deſcendentes gradus apud Matthæum & Lucam plane diſcrepent, nec ignorare Lucas potuerit, Zorobabelem, illum Judæorum ex captivitate redeuntium ducem, ex regum Iudæ ſtirpe, atque adeo ex Iechonia oriundum fuiſſe; cum res ea eſſet apud Judæos ex ſacris literis notiſſima: alium eſſe Salathielem & Zorobabelem ab ipſo nominatum, quam a Matthęo; de quo nihil eſt dubium, quin ducem illum Iudæorum celeberrimum nomine Zorobabelis intellexerit. Neque vero in eo quicquam abſurdi eſt, ſtatuere, alios quoque in Davidica familia viros fuiſſe iiſdem nominibus appellatos, & quidem ita, ut pater patris alterius, vel avi, filius filii nomen referret. Etenim ſatis ex ſacris literis veteris fœderis conſtat, multos viros diverſos eadem nomina habuiſſe. Nam & Zacharias non unus memoratur; & Azarias rex, & ſacerdos. Sic & Micheæ plures. Et in ipſa genealogia Chriſti a Luca deſcripta, Ioſephi nominantur quinque, vſ. 23, 24, 25, 29, 30. Sic Mathat & Levi duo, itemque Melchi, & Mathatiæ; Iudæ tres. Et ex hiſtoria Iohannis Baptiſtæ conſtat, ſolitos fuiſſe Iudæos liberis aut parentum, aut cognatorum, præſertim inſignium, nomina imponere. Iam ergo cum Salathiel, & Zorobabel viri fuerint inter Iudæos poſt captivitatem clariſſimi, tum ſuis, tum majorum ſuorum dignitate ac factis celeberrimi; non mirum eſt, quoſdam in familia Nathanica eorum nomina uſurpaſſe: ita, ut cum quidam filium ſuum Salathielem appellaſſet, is rurſus ob memoriam inſignis illius viri Zorobabelis, filium ſuum ejus nomine inſigniret.

Verſ. 13. *Zorobabel autem genuit Abiud.* Dubitatio hic oritur ex dicto ſæpius loco 1 Paral. 3. 19 ſeqq. Etenim ibi filii Zorobabelis numerantur ſeptem; nec tamen eorum quiſquam Abiud appellatus fuiſſe legitur. Sunt enim eorum nomina Meſullam, Ananias, Haſaban, Ohol, Barachias, Hazadias, Ioſabezet: quorum quidem non omnium poſteri ibidem commemorantur, ſed ſolius Ananiæ, eam, ut credibile eſt, ob cauſam, quod notior cæteris ac celebrior inter cæteros fuerit, aut numeroſiorem poſteritatem forte reliquerit. Et quia inter poſteros Ananiæ nullus eorum commemoratur, qui ab Abiud uſque ad Ioſephum, illiuſve patrem aut avum a Matthæo recenſentur: ſatis apparet, Ananiam non fuiſſe illum, qui hoc loco a Matthęo Abiud appellatur. Quare vel ſtatuendum eſt, Abiudum a Matthæo commemoratum, licet Zorobabelis filius fuerit, non fuiſſe tamen ab auctore libri Paralipomenon commemoratum; vel dicendum unum ex cæteris Zorobabelis præter Hananiam filiis, quorum poſteritas non commemoratur, binominem fuiſſe. Et ſane deprehendo, (1) non defuiſſe, qui Meſullam primo loco commemoratum, quem credibile eſt Zorobabelis primogenitum fuiſſe, alio nomine & Rezam & Abiudum appellatum fuiſſe cenſent. Quanquam & tertia poteſt addi ſententia: fieri nempe potuiſſe, ut Abiud ille non filius proprie Zorobabelis fuerit, unus nimirum ex illis ſeptem 1 Paralip. commemoratis; ſed nepos, aut pronepos ex aliquo iſtorum filiorum, præſertim præter Ananiam generatus: quandoquidem in ſecunda hujus genealogiæ parte ſeu teſſaradecade vidimus, quoſdam ex majorum Chriſti ſerie fuiſſe omiſſos, licet valde notabiles atque inſignes fuerint, & in ſacris literis Veteris Fœderis non ſemel commemorati, interque eos valde pii, ut Joas: & paulo ante vidimus, a Matthęo, & ante illum a non uno ſcriptore Veteris Fœderis, Pedajam inter Salathielem & Zorobabelem fuiſſe prætermiſſum. Nulla ex his ſententiis prorſus ſpernenda nobis videtur: ſed inter eas tamen probabiliores ſunt duæ poſteriores; & inter has iterum prior, hoc eſt, trium iſtarum media.

Cætera, quæ hic dicuntur, uſque ad Joſephum maritum Mariæ, apud nos quidem nonniſi fide atque authoritate Matthæi nituntur; ſed qui proculdubio genealogiam vidit Joſephi ejuſque familię, aut certorum hominum fide reſcivit. Et fuerunt quidem Judæi in genealogiis inquirendis conſervandiſque diligentiſſimi, ita ut modum ſæpe excederent, curioſi magis quam diligentes cenſendi, ut apparet ex 1 Tim. 3. 4. Tit. 3. 9: propterea quod & generis ratio aliqua apud Deum in Veteri Fœdere fuit habita; & certis tribubus, quin & familiis quibuſdam, atque inprimis Davidicæ? certa fuerunt promiſſa facta. Ac propterea (quæ ratio hic plurimum momenti habet) non modo tribubus, ſed & familiis jam olim certa hæreditas, ſeu terrę Paleſtinæ pars fuerat aſſignata, quam cum alterius tribus, imo & familię hęreditate confundi nolebant. Et ne id fieret, ipſe etiam Deus certas quaſdam leges tulit, qua de re infra forte nonnihil dicendi erit locus. Quapropter neceſſe fuit, eos diligenter genealogias notare atque aſſervare, ut familiarum diſcrimina cognoſcerentur, & ad quam quiſque pertineret, ſciri facile poſſet, ac porro controverſiis, quę ex ignorantia hujus rei oriri poſſunt, occurreretur.

Verſ. 16. *Iacob autem genuit Ioſephum virum* ſeu *maritum Mariæ.* Hic jam videndum, quomodo Matthęo con-

(1) *Apud Ludov. Lavaterum in tabella ad hunc locum.*

veniat

veniat cum Luca, qui Joſephum filium conſtituit Eli; cujus deinde iterum majores recenſet diverſos a majoribus Jacobi, a Matthęo commemoratis, uſque ad ipſum Davidem. Nam quod uterque Salathielem & Zorobabelem in hæc ſerie commemorat, diximus jam ſupra nihil prohibere, quominus iiſdem nominibus diverſæ perſonę fuerint deſignatæ; nec credibile eſſe, eoſdem illos eſſe, quorum & majores & minores plane diverſè commemorantur: ex illa quidem parte a Davide facto initio; ex hac a termino in Joſepho fixo. Itaque hic proprius eſt locus, de diſcrimine, ſaltem omnium maximo, quod inter utramque Chriſti genealogiam occurrit, differendi. De maximo dico: quia & alia quædam ſunt, ſed minoris momenti, & quæ difficultatem nullam pariant; quale illud eſt, primum, quod Matthæus a parentibus ad liberos, a majoribus ad minores, ſeu poſteros deſcendat: deinde illud, quod Matthęus ab Abrahamo tantum genus Chriſti deducat, ſuperiores non attingat; Lucas autem ad Adamum uſque, atq; adeo inde ad ipſum Deum aſcendat. Nam nulla hinc oritur inter utrumque ſcriptorum contradictio. Atque ut obiter diſcriminum iſtorum aliquam rationem reddamus, cauſa cur Matthæus a patribus ad liberos deſcendat, hæc eſt, quia ab initio, ut vidimus, illos Chriſti parentes voluit commemorare, quibus peculiari ratione fuerat a Deo promiſſus. Quare cum ad illos aſcendiſſet, intermediis gradibus omiſſis, conveniebat, ut poſtea ab illis per gradus deſcenderet, & ſic demonſtraret, Ieſum eſſe illorum filium. Lucas autem quia proximum tantum Chriſti patrem, patrem, inquam, ut poſtea oſtendemus, legalem, cujus tamen filius proprie dictus vulgo tum putabatur, nempe Joſephum commemoraſſet, neceſſe habuit ab illo ad parentes ac majores adcendere. Atque hinc aliqua ratione etiam poſterioris diſcriminis ratio patet: Matthæus enim cum oſtendere tantum vellet, Ieſum eorum eſſe filium, quibus peculiariter promiſſus eſſet, certos ſibi veluti terminos in majoribus Chriſti conſtituendis fixit, neque par fuit, eum ad illum uſque generis principem atque authorem aſcendere, qui eſſet omnibus plane hominibus communis, qualis fuit Adamus & Noachus. Lucas autem, quia a proximo ex majoribus Chriſti cœperat, nullos ſibi terminos fixerat, intra quos conſiſteret: itaque nihil prohibuit, quominus ad Adamum uſque aſcenderet. Imo id aliqua ratione facere decuit, præſertim quia valde credibile eſt, eum hanc hiſtoriam non minus, ac fortaſſe etiam magis, propter eos ſcripſiſſe, qui ex gentibus eſſent ad Chriſtum converſi, quam propter Judęos, qui Chriſto nomen dediſſent. Quare æquem fuit, illis, utpote in veteris teſtamenti codice minus verſatis, aliquid hic dare, & totum genus Chriſti ab ipſo uſque Adamo deducere.

Verum, his miſſis, ad illud diſcrimen, quod primo loco propoſuimus, revertendum eſt, & oſtendendum, quomodo Joſephus ſimul & Jacobi & Eli filius dici poſſit; ac porro, unde tam diverſa, ab utroque euangelicæ hiſtoriæ ſcriptore, majorum ipſius ſeries ponatur. Ratio autem utrumque euangeliſtam conciliandi, oſtenſa eſt jam olim a ſcriptore vetuſtiſſimo Africano, quam ex eo repetit Euſebius lib. 1 hiſtoriæ Eccleſ. cap. VII, ſecutuſque eſt auctor itidem valde antiquus Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos, quæ Juſtino tribuuntur: ut alios jam taceam ab interpretibus (1) quibuſdam citatos. Eſt autem hæc: Jacobum a Matthæo commemoratum naturalem Ioſephi patrem fuiſſe; Heli, cujus Lucas meminit, legalem, hoc eſt, talem, qui lege Moſaica ita jubente, cenſeretur pater Ioſephi. Nota eſt lex divina, in Deuteronomio expreſſa cap. 25. 5: *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui* (potius *fratri* ſuo, quanquam Hebræa paulo aliter habent, re tamen eodem redeunte) *& primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit* (Hebr. *primogenitus, quem peperit, ſurget* vel *ſtabit nomine fratris ſui defuncti*) *ne deleatur nomen ejus ex Iſraële*, & quæ ſequuntur, quæ lex citatur etiam à Saducæis Matth. 22. 24. Res ipſa hac lege præcepta, fuit jam multo ante conſuetudine, ſaltem apud Iſraëlitarum majores, recepta: ut apparet ex hiſtoria filiorum Iudæ & Thamaris, cujus ſupra facta eſt mentio, quæ extat Gen. 38. ubi hæc inter alia leguntur verba: *Dixit ergo Judas ad Onam filium ſuum* (nempe poſt mortem Her, primogeniti ſui filii, cui Thamar nupta fuerat) *ingredere ad uxorem fratris tui, & ſociare illi, & ſuſcita ſemen fratri tuo. Ille ſciens non ſibi naſci filios* &c; ubi poſtea narratur, quomodo curaverit, ne liberi fratris nomine naſcerentur, ſeu ne poneret ſemen fratri ſuo. Unde poſtea eo progreſſa fuit Thamar, cum Iudas nollet tertium inſi filium Sela, matrimonio jungi, mallet ex ipſomet prolem ſuſcipere, quàm a conſuetudine recepta penitus diſcedere. Sed poſt legem illam a Deo latam, more fuiſſe receptum, ut fratribus, vel propinquis ac conſanguineis proximis ſuſcitaretur ſine prole defunctis ſemen, apparet ex hiſtoria Ruthæ; & quidem partim ex ſermone Noëmi ad nurum utramque habito cap. 1. 11 ſeqq. partim ex iis quæ leguuntur inferius cap. 3 & 4, ex quo loco intelligitur, legem illam non tantum ad fratres germanos, ſed etiam ad conſanguineos pertinuiſſe, ac nomine fratrum, quorum in lege illa fit mentio, hos quoque intelligendos eſſe: quandoquidem ex hiſtoria illa manifeſtum eſt, Boozum, more illo antiquo ac lege poſtulante Ruth. 4. 10, Ruth Mahalonis uxorem duxiſſe, ut ſuſcitaret nomen defuncti in hæreditate ſua, ne nomen ejus de familia ſua, ac fratribus & populo unquam deleretur: quanquam alius eſſet propinquior, qui duceret Rutham debuiſſet: ſed cum is nollet, res ad Boozum devoluta eſt, quanquam ne ille quidem alter frater germanus Mahalonis fuit. Intelligitur & illud, legem illam Deuteronomii, cum mentionem facit fratrum qui ſimul habitaverint, non loqui de iis tantum, qui in iiſdem adhuc ædibus vivant; ſed etiam de iis, qui eodem in oppido, imo etiam in eadem provincia habitarent, ita ut commode alter alterius uxorem ducere, & hæreditatem ejus occupare poſſet. Quanquam interim nihil prohibebat, quo minus & alius eo jure uteretur, licet longius abeſſet. Sed ea videtur fuiſſe legis moderatio, ut non omnino id facere cogeretur, ſi id cum magno ipſius incommodo, ob longinquitatem loci, eſſet futurum. Quod utrumque notari, ad rem de qua agimus rectius explicandam, utile eſt. Interea id conſtituatur, ſi quis ſine prole deceſſerit, uxore relicta, filium primogenitum, qui naſcitur ex illa uxore ejuſque fratre, ſeu cognato, qui illam jure affinitatis duxerit, defuncti illius filium cenſeri, atque eo jure hæreditatem illius adire. Quare defunctus pater ipſius legalis dicitur;

(1) *Maldonatus.*

is vero frater, ſeu cognatus, qui ipſum genuit, naturalis. Hoc ad rem noſtram transferamus. Jacobum & Heli fratres fuiſſe Africanus tradit, non modo quia ad eandem familiam Davidicam pertinerent, cum alter, nempe Jacobus, ad Salomonis, alter vero, nempe Heli, ad Nathanis ſtirpem ſpectaret; ſed etiam quia fratres eſſent uterini. Tradit enim ille, Matthan naturalem Iacobi patrem, duxiſſe uxorem, quæ Eſtha fuerit vocata, relictam a Melchi, patre Eli, indeque factum fuiſſe, ut Iacob & Eli uterini eſſent fratres ex eadem matre Eſtha nati. Contigiſſe autem poſtea, ut Eli prior moreretur, & Iacobus ipſius, ut diximus, frater uterinus, uxorem ejus, cognationis jure, ad ſuſcitandum fratri ſemen, duceret, ex eaque Ioſephum primogenitum ſuſciperet; qui proinde Eli filius ex lege cenſeretur, licet ex Iacobo revera eſſet genitus. Matthæus ergo naturalem Ioſephi patrem cæteroſque uſque ad Davidem majores, a quibus proprie deſcendit, commemorat: Lucas autem cum legalem ipſius patrem commemoraſſet, conſequenter etiam alios majores, quam quos Matthæus recenſet, enumeravit; quia non ab illis, quos Matthæus expreſſit, ſed ab aliis legalis ille pater deſcenderat. Et huic quidem ſententiæ verba utriuſque ſcriptoris valde congruunt; quandoquidem Matthæus expreſſe dicit, Iacobum genuiſſe Ioſephum, quemadmodum & in præcedentibus omnibus fuerat locutus; id quod naturali patri revera convenit: Lucas autem tantum dicit, Ioſephum fuiſſe Heli, & hunc rurſus alterius filium, & ſic deinceps; id quod dici jure potuit, quemadmodum ſupra vidimus, etiamſi is, qui alterius eſſe dicitur, ex eo revera natus non fuerit. Quanquam interim certum eſt, ad eundem modum Lucam loqui potuiſſe, etiamſi Ioſephus ex Heli proprie non fuiſſet genitus. Conveniens autem fuit admodum atque utile, ut utraque genealogia extaret, & ſic oſtendi poſſet, Chriſtum, ſive naturales, ſive legales ipſius majores ſpectarentur, ad Davidis familiam omnino pertinere: ne ullus hac in parte Iudæis tergiverſandi locus relinqueretur. Nam ſi alterius tantum parentis ſeu avi ratione ad Davidis familiam pertinuiſſet, alterius autem ratione ad aliam, ſpecioſe potuiſſet objici, Jeſum non Davidis, ſed alterius alicujus hominis ſemen habendum eſſe. Sed nunc illa tergiverſatio, quod quidem attinet ad Joſephi majores, duplici hac genealogia propoſita, excluſa eſt: quandoquidem utraque ratione ad Davidem genus illius refertur. Dicimus autem, quod attinet ad Joſephi majores: quia de eo, quomodo Chriſtus ad Davidem genus ſuum referre poſſit, cum Ioſephus non naturalis, ſed legalis ipſius fuerit pater, quanquam perfectiori ratione, quam Heli fuerit Ioſephi; poſtmodum dicemus. Interim dum id expedimus, illud videndum eſt, quomodo hiſtoria ex Africano repetita cum genealogia a Luca deſcripta conveniat: quandoquidem in hiſtoria illa affirmatur, Eli, legalem Ioſephi patrem, fuiſſe filium Melchi, qui Eſtham habuerit uxorem, a Matthan relictam. At Lucas Heli patrem conſtituit Matthat; Melchi autem proavum Heli facit. Ita enim legimus, Chriſtum fuiſſe, ut credebatur, filium Ioſephi, qui fuerit Heli, Matthat, Levi, Melchi. Hæc certe ſimul conſiſtere poſſe non videntur: niſi quis ſtatuere velit, Matthat, qui Heli pater a Luca conſtituatur, alio nomine Melchi fuiſſe appellatum, avo ſuo cognomine. Sed ſi quis id admittere nolit, neceſſe eſſet, vel in hiſtoria mendum in nomine Heli ſubeſſe, vel in verbis Lucæ, ita ut ſcriptorum vitio aliquid hic fuerit mutatum ab eo tempore, quo Africanus illa ſcripſit. Et certe haudquaquam veriſimile eſt, Africanum cæteroſque, qui illum ſecuti ſunt, ſcriptores, cum conſenſum Lucę & Matthæi hac in parte oſtendere vellent, hiſtoriamque illam a fide dignis hominibus acceptam in eum finem afferrent, tam fœde hallucinatos fuiſſe, ut non viderent, Heli patrem a Luca non Melchi, ſed Matthat fuiſſe conſtitutum. Itaque vulde credibile eſt, aliter tum temporis in Græcis codicibus Lucæ fuiſſe lectum, quam nunc legitur, eamque ipſam hiſtoriam antiquiſſimorum ſcriptorum teſtimonio confirmatam pro diverſæ lectionis teſtimonio haberi poſſe. Et ſane facile ab amanuenſibus Græcis, rerum ac nominum Hebraïcorum imperitis, in tanta multitudine nominum errari, ac mutari quippiam potuit, ſaltem ita, ut voces tranſponerent, & ordinem verborum mutarent, aut ex media ſerie in ipſam genealogiæ frontem quædam transferrent. Certe ℣. 29. cum primum Joſephi etiam cujuſdam facta fuiſſet mentio, duabus vocibus interpoſitis, quemadmodum ℣. 23 & 24, una fit mentio Matthat & Levi.

*Joſeph virum*, ſeu *maritum Mariæ, ex qua natus eſt Jeſus, qui dicitur Chriſtus.* In his verbis ita deſcribitur Joſephus, ut cauſſa indicetur, cur ejus genealogiam huc uſque receriſuerit, cum de genealogia Chriſti quæreretur, idque demonſtrandum eſſet, Jeſum Davidis, ac porro etiam Abrahami filium eſſe. Cauſſa ea eſt, quod Joſeph Mariæ, ex qua Chriſtus natus eſt, maritus fuerit, & quidem ut ℣. 19 & 20 videbimus, eo jam tempore, cum Chriſtus in ipſius utero divina virtute conciperetur. Quare ſignificatur, ideo Chriſti genus ad Davidem eſſe referendum, quia Joſeph matris ipſius maritus a Davide prognatus fuerit. Sed quomodo, dicet aliquis, id conſiſtere poteſt, aut aliquod hac in re habere momentum, cum abunde nobis conſtet, ut & ab ipſo euangeliſta infra docebitur, quod Chriſtus ex Joſepho revera natus non fuerit, ſed a virgine ſpiritus ſancti opera conceptus, ac porro in lucem editus? Ad quam objectionem antequam reſpondeamus, illud paucis oſtendemus, cur nobis vulgaris Chriſtianorum hominum ea de re ſententia non probetur, arbitrantium, ideo Chriſtum dici Davidis filium, quia Maria mater Chriſti genus ſuum ad Davidem retulerit. Nam primum non ſolet genus alicujus ex matre cenſeri, ſed ex patre; præſertim ſi mater jam in jus mariti alicujus venerit, ita ut jam in ea non tam genus proprium, quam genus mariti ſpectetur. Deinde illud adhuc magis ſententiam illam convellit, quod nullo pacto fieri potuiſſet, ut nec Matthęus, nec Lucas Marię ipſius genealogiam deſcriberent, ſed ſolius Joſephi: cum tamen ſatis conſtet, illis id fuiſſe propoſitum, ut oſtenderent, Chriſtum Davidis eſſe filium, ac porro etiam Patriarcharum illorum, unde omnes Iſraëlitæ genus duxerunt. An non longe fuiſſet ſatius, utrumque vel ſaltem alterutrum, cum cæteroquin in genealogia Joſephi deſcribenda diverſam ex parte rationem ſequi vellent, Mariæ ipſius genealogiam deſcribere, quam utrumque Joſephi, cujus genus nihil, niſi plane per accidens, ad Chriſti ortum ad Davidem referendum faceret? ſaltem unico verbulo uterque vel alteruter ipſorum indicaſſet, Mariam quoque iiſdem majoribus ortam fuiſſe, a quibus Joſephus genus ſuum duxiſſet, ſiquidem in eo res tota fuiſſet ſita, hoc eſt, ratio illa conſtituta, ob quam Chriſtus Davidis filius eſſet. Præterea qui fit, ut Angelus

infra

infra Joſephum alloquens, & de admirabili Chriſti conceptione in utero Mariæ uxoris ipſius eum monens, filium Davidis expreſſe, nec ſine emphaſi appellet? Similiter & Lucas, cum primum hiſtoriam conceptionis ipſius recenſere vellet, dicat, Mariam virginem fuiſſe deſponſatam viro, qui ex domo Davidis fuerit; & iterum cap. 2, cum de loco nativitatis Chriſti acturus eſſet, dixit, Joſephum in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, abiiſſe propterea, quod eſſet ipſe ex domo & familia Davidis. De Maria autem nihil tale uſpiam legitur. Cur non ſimiliter vel Angelus ei admirabilem illam conceptionem Meſſiæ annuncians, aut etiam ipſe Lucas ipſammet deſcribens, eam filiam Davidis appellat; cum non minus, imo longe plus cauſæ eſſet, cur hoc diceretur, quam illud? Cur non idem Lucas dicto loco cap. 2, cum ſtatim Mariæ mentionem facturus eſſet, tanquam ejus, quæ una Bethlehemum abierit, ut cum marito deſcriberetur; cur, inquam non de utroque dixit, eos ex domo & familia Davidis fuiſſe? cur de uno tantum id expreſſe maluit dicere, veluti eo ipſo uxorem a marito diſtincturus? Taceo id, quod ab aliis eſt allatum, quod Lucas, vel potius Angelus apud Lucam, Elizabetham συγγενῆ ſeu cognatam, vel conſanguineam Marię dixerit (cap. 1. Luc. ℣. 36) Elizabetham autem ex Aaronis filiabus fuiſſe dixerat Lucas ſupra, ℣. 5. Nam hoc argumentum facilius ſolvi poteſt, propterea quod fieri poſſit, ut quiſpiam alterius συγγενὴς ſeu cognatus, aut conſanguineus dicatur, non paterni, ſed materni generis habita ratione; ſeu, ut Latini loquuntur, non gente, ſed ſtirpe. Interim tamen cum nullum extet documentum, ex quo intelligatur, Mariam ex tribu Juda, & nominatim quidem ex familia Davidica fuiſſe ortam, cum de Elizabetha expreſſe dicatur, eam ex Aaronis familia genus duxiſſe; meliori jure ſtatuitur, Mariam quoque ex eadem tribu Levitica fuiſſe, quam Eliſabetham, ratione habita materni generis, ex Davidica familia. Nam ſi quis dixerit, illud ſatis argumenti eſſe, ad oſtendendum Mariam ex Davidica familia fuiſſe ortam, quod ea nupſerit ſecundum legem Joſepho, uni ex poſteris Davidis; non licuerit autem extra patriam familiam ſalva lege cuipiam nubere; is vehementer in eo fallitur. Et certe quiſquis id dixerit non tantum aliis exemplis refutabitur; ſed etiam eo, de quo modo egimus. Nam quiſquis contenderit, Mariam ex Davidica tribu fuiſſe ortam, illi neceſſe eſt ſtatuere, Elizabetham, ipſius conſanguineam, maternum genus ex eadem familia duxiſſe; ac porro aliquem ex Elizabethæ progenitoribus, ſive patrem, ſive avum, ſive proavum, ex familia Davidica tribuque Judæ uxorem duxiſſe. Nec veriſimile eſt, id contra Legem fuiſſe factum, præſertim quia de Jojada, ſummo ſacerdote, virque valde pio, & acerrimo legis divinæ cuſtode legimus, 4 Reg. 11. 2, 2 Paral. 20. 11, eum uxorem habuiſſe ex familia regia, ſororem Ochoziæ. Quod ſi ſacerdos ducere potuit uxorem ex tribu Juda, & familia quidem omnium ditiſſima; certe æque, imo etiam multo magis is qui erat ex tribu Juda, vel alia quavis, uxorem poterat ducere ex tribu Levitica: quandoquidem in ducenda uxore ex tribu Levitica, nunquam poterat obſtare ratio legis illius, qua cavebatur, ne puellæ alterius tribus in aliam tribum nuberent; nempe ne hæreditas quoque quæ ad illas devolveretur, in aliam tribum ſimul tranſiret, & ſic aliquando hæreditariæ tribuum poſſeſſiones confunderentur, vel aliqua ratione ab aliis imminuerentur. Etenim Levitis nulla erat a Deo aſſignata poſſeſſio: quare nullam hujuſmodi hæreditatem Leviticæ tribus fœminæ in aliam tribum transferre poterant; ſed aliarum tribuum puellæ, ac porro etiam nominatim fœminæ è familia Davidica, transferre poterant. Itaque illæ facilius in aliam tribum nubere poterant, lege nimirum nullo pacto obſtante, quam hæ. Quanquam interim non negamus, has quoque tranſire in alias tribus potuiſſe, ſi nimirum hæredes non eſſent, vel ſaltem jure hæreditatis ſe abdicarent. Quo quidem pacto omnino neceſſe eſt fœminas quaſdam aliarum tribuum ſacerdotibus nupſiſſe, cum iis poſſeſſiones tenere non liceret. Ex his autem jam ſatis intelligitur, quam infirmum, imo plane nullum ſit argumentum illud, quo vulgo oſtendere conantur, Mariam omnino è Davidica familia fuiſſe, quia Joſepho ejus familiæ viro nupſerit: ſiquidem ipſi fateri coguntur, reſque eſt nimis manifeſta, potuiſſe puellas, quæ hæredes non eſſent prædiorum ac poſſeſſionum, viris aliarum tribuum nubere, ac nominatim puellas Leviticæ. Adde, quod, etiamſi concedendum eſſet, illam ex lege nupſiſſe Joſepho, prohibente ne in aliam tribum illa tranſiret, inde tamen nequaquam ſequeretur, eam omnino fuiſſe ortam ex familia Davidica. Lex enim illa, quæ hic urgeri ſolet, non præcipit, ut puella omnino nubat viro ſuæ familiæ; ſed tantum alicui ex familia tribus ſuæ. Itaque ſatis fuiſſet, & Joſephum & Mariam ex tribu Judæ fuiſſe; non vero neceſſe fuiſſet, utrumque ex familia fuiſſe Davidica: qua de re videantur plura in *Lectionibus ſacris Socini*, *pag.* 155 *& ſeqq.*

Quod vero nonnulli ajunt, legem illam non ſolum de eadem tribu, ſed etiam de eadem familia intelligi debere; ut cum mulier aliqua paternæ hæreditatis ſola hęres eſſet, non poſſet niſi ejuſdem familię viro, & quidem propinquiſſimo nubere, quia ratio legis id poſtulet; id nobis nondum probant. Nam quod ajunt, eandem fuiſſe rationem ſingularum familiarum, quæ totarum tribuum, ita ut non magis illarum hęreditates quam harum confundi poſſent; id nec uſquequaque certum eſt; & id quod probandum erat non conficit. Nam quod ad prius attinet, incertum eſt, Deum tam ſtricte voluiſſe obſervari diſtinctionem hæreditatum ſingularum familiarum, quam univerſarum tribuum: partim quia major erat cognatio inter ſe familiarum ejuſdem tribus, quam tribuum univerſarum inter ſe, & credibilius eſt, illis permutare inter ſe, aut etiam confundere poſſeſſiones licuiſſe, quam his: partim vero quod libertas puellæ hæredi deligendi virum, nimium videretur reſtricta; nec, niſi de expreſſa voluntate Dei conſtet, ſtatuendum eſt, libertatem cujuſpiam fuiſſe minutam. Quod vero ad poſterius attinet, inde non conſequitur, propinquiſſimo omnium in eadem familia nubendum fuiſſe. Annon enim ſatis fuit, hæreditatem in eadem familia manſiſſe; cui tum fuit a Deo aſſignata, cum terræ diſtributio primum fieret? Num enim in ea fuerunt ſervitute Iſraëlitę, ut ne in eadem quidem familia hæreditates inter ſe permutare poſſent, niſi maxime propinqui? Jam vero ſi ſpectetur familia Davidis, cui certa terræ portio jam olim ſub Joſua fuit aſſignata, illa proculdubio late patuit, & plures alias familias, præter Davidis poſteros, proculdubio fuit complexa. Itaque non ſequitur, Mariam etiamſi tandem Joſephus ei maxime propinquus eſſet, ipſi omnino nubere debuiſſe. Sed præterea hæc omnia fruſtra diſputantur, cum hoc totum eo fundamento nitatur,

quod

quod incertiſſimum eſt, & pro nuda, non dicam conjectura, ſed ſuſpicione habendum. Id vero eſt, Mariam ſolam fuiſſe hæredem paternorum bonorum, prædiorumve aliquorum, quæ non potuerint niſi in virum ejuſdem tribus, vel etiam familię, ei nubendo transferri. Quod enim eſt hujus rei in ſacris literis indicium? quod veſtigium? Cur, cum ex eo ſolo colligendum eſſet, Mariam omnino ex Davidica familia, non minus quam Joſephum fuiſſe ortum, ac proinde Chriſtum quoque ex Davide prognatum fuiſſe, id ne uno quidem verbo euangeliſtæ ſignificarint? cum hoc uno ignorato cætera omnia, quæ ab euangeliſtis dicuntur, ad oſtendendum, Chriſtum ad Davidem genus ſuum referre, nullam vim eſſent habitura. Ridiculi autem ſunt, qui affirmant adeo notum tum vulgo fuiſſe, Joſeph & Mariam non ex eadem modo tribu, ſed ex eadem prorſus etiam familia oriundos, ut euongeliſtæ non dixerint. Quid enim? An propterea, quia res vulgo nota erat, vel uno verbulo id non erat indicandum, partim propter poſteros, partim propter longius abſentes; quorum utrorumque rationem ab euangelicæ hiſtoriæ ſcriptoribus habitam fuiſſe illi ipſi aſſerunt, qui effugio illo utuntur? Certe in hac ipſa genealogia ſcribenda, Matthæus quædam commemorat, quæ tum vulgo omnibus Judęis erant notiſſima, ut quod, verbi gratia, initio dixit, Davidem eſſe filium Abrahami, Abrahamum genuiſſe Iſaac, Iſaacum rurſus Jacobum, & pleraque quæ ſequuntur, & ex ſacris literis veteris fœderis ſunt notiſſima. Lucas certe ait, ſe de rebus, quarum certa atque indubitata notitia inter Chriſtianos tum conſtiterit, ſcribere: & cum is, ut ex quibuſdam argumentis colligi ſatis poteſt, etiam Chriſtianorum alienigenarum habuerit rationem, id præterire nec debuit, nec voluit, quod ab illis ignorari poſſet, ut autem ignoraretur ipſe nollet. Adde, quod non eſt credibile, eo tempore, cum vel Matthæus, vel Lucas iſta ſcriberent, tam multos extitiſſe Judæos, quibus de familia Mariæ tam certo conſtaret: cum ſatis appareat, illam pauperem, certe non valde locupletem fuiſſe. Scribuntur autem hæc, ut fideles habeant, quo os Judæis obſtruant, ſi contendere forte velint, Chriſtum ex ſemine Davidis natum non fuiſſe. Quare ſi in eo ſita fuiſſet hujus rei ratio, quod Maria mater Chriſti a Davide eſſet prognata, id omnino fuiſſet exprimendum; vel ſaltem id, unde hoc rurſus certo intelligi poſſet.

Cum ergo huc uſque oſtenderimus, nequaquam eſſe credibile, Chriſtum ideo Davidis filium dici, quia Maria è Davidica familia fuerit oriunda; reliquum eſt, ut veram exprimamus rationem, ob quam Chriſtus è Davidica gente fuiſſe in ſacris literis dicatur. Satis jam ſupra indicavimus, genealogiam Chriſti, tum a Matthęo, tum a Luca deſcriptam oſtendere, ideo Chriſtum Davidis filium, hoc eſt, unum ex ipſius poſteris dici, quia genitus fuerit ex uxore Joſephi, qui genus ſuum a Davide duxit: quandoquidem Matthęus, oſtenſurus, cur Chriſtum Davidis filium ab initio dixerit, genealogiam Joſephi deſcribit, perinde ut & Lucas; & eam finiens ac cum Chriſto veluti connectens, nihil aliud dicit, quam quod Joſephus vir ſeu maritus fuerit Mariæ, ex qua natus eſt Chriſtus. Quod idem aliqua ratione indicavit Lucas, cum dixit, Jeſum fuiſſe, ut putabatur, filium Joſephi. Nam etſi verbum *putabatur*, ſignificat, rem non plane ita ſeſe habuiſſe; quandoquidem proprie loquendo ex ipſo natus non fuerit, ſignificatur tamen, cauſſam fuiſſe, cur ita crederetur, nec ullum fuiſſe in terris hominem, cujus familiæ, ſeu mavis liberis rectius accenſeri poſſit Chriſtus, præter Joſephum. Cur enim alias poſtea genus Joſephi deſcriberet, atque ad Davidem, ac porro etiam ad patriarchas, & ipſum denique Adamum deduceret? Satis enim patet, non Joſephi revera, ſed Chriſti cauſſa genealogiam illam deſcribi. Cur autem id factum fuiſſet, ſi plane falſo Joſephi filius fuiſſet dictus; & alia juſtiore ratione Chriſti genus ad Davidem referri poſſit? Nam quod nonnulli apud Lucam, Eli, cujus Joſephus fuiſſe dicitur, ſocerum ipſius ſtatuunt, Mariæ autem patrem; id ab aliis ſatis eſt refutatum. (1) Neque vero nos primi ſumus, qui ideo putamus Chriſtum Davidicæ familiæ accenſendum eſſe, quia ex Joſephi uxore fuerit natus, Ioſephus autem a Davide genus duxerit: cum hanc ſententiam ſcriptor antiquiſſimus propoſuerit & defenderit, Author nempe quæſtionum & reſponſionum ad Orthodoxos, qui Iuſtinus fuiſſe creditur. Docet enim ille in reſponſionibus ad quæſtionem 66 & 133, propterea Chriſtum dici Ioſephi filium, quia ſit filius uxoris ipſius, & non ex alio ullo viro natus. Quocunque enim modo Deo placeat alicui dare filium, ſive per ipſius cum uxore conjunctionem, ſive minus, jam eum cenſendum eſſe revera ipſius filium, ſi, ut diximus, nullus alius inter homines illius pater ulla ratione fuerit. Etenim cum vir & uxor cenſeantur eſſe unum corpus, ſeu *una*, ut Scriptura loquitur, *caro*, qui ex hac natus eſt, ex illo quodammodo natus cenſeri poteſt; ſi, ut diximus, illa cum altero corpus non junxerit, etſi cum eo caro una quodammodo facta non fuerit. Nam, ut ſupra ſatis docuimus, etiam is, ex ſacrarum literarum ſententia, ipſiuſque Dei lege, filius alicujus cenſebatur, & ſemen ipſius appellabatur, qui poſt ipſius mortem ex uxore ipſius alteri juncta viro primus naſcebatur, & alium patrem revera habebat, tantum quia propinquitatis jure uxor illa ab altero ducta fuerat. Quanto ergo magis is poteſt dici alicujus filius, atque adeo ſemen, qui ex ipſius uxore naſcitur, ipſi adhuc viventi juncta, & unum cum illo quodammodo corpus conſtituente, nec ullum alium in terris patrem habet. Hoc vero totum magis confirmabitur in ſolutione objectionum quarundam, quæ contra hanc ſententiam moveri poſſent. Etenim dicere quiſpiam poſſet, rationem a nobis explicatam non ſatis conſentaneam eſſe quibuſdam ſacrarum literarum locis, in quibus aſſeritur, Chriſtum è Davide oriundum eſſe. Loca enim illa ita eſſe comparata, ut omnino poſtulent, ut Chriſtus proprie loquendo genitus ſit ex viro aliquo Davidici generis. Aſſerere enim ſacras literas, Meſſiam egreſſurum eſſe vel fuiſſe ex utero Davidis, 2 Sam. 7. ℣. 12, vel potius, ut eſt in Hebræo, è viſceribus ipſius. Itemque Pſalmo 132. 11, eum fore fructum ventris ſeu uteri ipſius, ſeu mavis de fructu ventris ipſius. Ad quam promiſſionem reſpiciens Petrus Act. 2. 30 dicat, Deum juraſſe Davidi, ex fructu lumbi ejus ſecundum carnem ſuſcitaturum ſe eſſe Chriſtum. Quæ locutiones omnes videntur prorſus requirere, ut Chriſtus non cenſeatur tantum alicujus ex Davidis poſteritate filius, ſed revera etiam ſit: ea nempe ratione, ut ab illo proprie fuerit procreatus. Quod videntur etiam illa ſcripturæ loca exigere, quibus aſſeritur, eum ex ſemine Davidis natum eſſe, aut ipſemet Davidis ſemen appellatur. Ad hæc ergo quid reſpondendum ſit, videamus. Quod ad priora loca attinet, in quibus aſſeritur, Chriſtum

(1) *Socin. Lect. Sacr. p.* 112 *& ſeqq.*

è Davi-

è Davidis viſceribus, vel ventre, ſive utero, vel lumbis oriturum fuiſſe; obſervarunt jam noſtri, eſſe in ſacris literis uſitatum, ut uterus uxoris, mariti uterus dicatur. Cujus rei exempla aliquot inter cætera extant cap. 28 Deut. verſ. 4, 11, 18 & 53, ubi cum Moſes viros Iſraelitas alloqueretur, fructum ventris ſive uteri tui, pro filio vel filiis tuis ponit. Quapropter, quod ex uxore ejuſve utero ac viſceribus naſcitur, id ex mariti utero, ſeu ventre ac viſceribus naſci jure dici poteſt, ſi nullus revera alius prolis illius inter homines ſit pater, & prolis illius cauſa ſit maritus, quatenus ipſius gratia aliqua ratione fœtus hic ex uxore naſcitur. Quod hoc loco accidit: quandoquidem prolem hanc in Mariæ utero Deus non producturus fuiſſet, niſi illa marito fuiſſet juncta, qui è familia Davidis eſſet oriundus: quandoquidem Deus promiſſionem ſuam olim Davidi factam, de Meſſia ex ipſius familia producendo, implere hoc pacto voluit. Quod vero de illis locis dictum eſt, in quibus viſcerum, aut uteri, vel ventris Davidici ſermo eſt, id etiam ſtatuendum eſt de verbis Petri, quæ in Actis extant, in quibus lumbi Davidici fit mentio. Nam cum Petrus expreſſe commoret juramentum ea de re Davidi factum, & ſic ad verba promiſſionis divinæ reſpiciat, in quibus viſcerum, aut uteri, vel ventris Davidici fit mentio, non eſt conſentaneum, majorem illa vim habere, quam iſta, in quibus ipſa promiſſio extat: cum neceſſe omnino ſit ſententiam eſſe eandem. Quare cum verba promiſſionis in Veteri Teſtamento extantia ad nativitatem Chriſti accommodari poſſint, etiamſi ex Ioſepho aliove Davidici generis homine proprie non fuerit procreatus, conſentaneum eſt idem de verbis Petri ſtatuendum eſſe. Neque enim eſt, quod quis dicat, lumbi nomen, cum de generatione agitur, id tantum ſignificare, quod vir ad generationem proprie confert; non id, quod fœmina. Res enim ſecus ſe habet, ut & Medici & Phyſici docent. Ut taceam, id quod a (1) noſtris itidem eſt obſervatum, Irenæum videri olim in loco Petri non lumbi, ſed ventris nomen legiſſe: quemadmodum & Syriaca habet verſio: ubi eſt, interprete Tremellio: *de fructibus ventris tui ſedere facit ſuper thronum tuum.* Sed præterea obſervandum eſt, verbis promiſſionis divinæ in veteri fœdere aliquot locis expreſſæ duplicem ſubeſſe ſenſum, literalem & myſticum: quorum ille ad Salomonem ejuſque poſteritatem ſpectat; hic ad Chriſtum: nec æque proprie in utroque verba ſunt accipienda. Patet id ſatis ex poſteriore iſtius promiſſionis parte, qua aſſeritur, prolem illam Davidicam ſeſſuram ſuper Davidis ſolio, ſeu hæredem regni Davidici fore: quemadmodum patet dicto ſuperius Pſalmo 132. 11, & ex verbis Petri Act. 2 inde citatis. Certum enim eſt, Chriſtum non proprie Davidis in regno ſucceſſorem fuiſſe; ſed obtinuiſſe regnum ejuſmodi, cujus figura tantum fuit ſolium regnumve Davidis: unde potius in divino ſolio, quam in Davidico conſediſſe cenſendus eſt. In eo prope ſolo ſimilitudo regni utriuſque conſiſtit, quod, ſicut David populi divini, ſeu Iſraëlitici rex proprie fuit, ita Chriſtus quoque populi divini, ſeu veri ac ſpiritualis Iſraëlis rex maxime proprie conſtitutus eſt, illique regendo ac ſervando præfectus. Quid ergo mirum eſt, ſi, cum de ſeſſione in ſolio Davidico ſermo eſt, verba ita ſunt accipienda, ut a proprietate valde longe recedatur, ita ut Chriſtus Dei magis, quam Davidis hæres futurus fuiſſe intelligatur, aliquid huic ſimile etiam in præcedenti promiſſionis illius parte fiat? Quid, inquam, mirum eſt, ſi ita verba illa accipiantur; ut Chriſtus quidem Davidis filius eſſe intelligatur, ſed ea ratione, ut magis Dei ipſius filius, cujus hæres extitit, eſſe intelligatur? Quod quidem ea ratione commodiſſime fieri potuit, qua Chriſtum natum eſſe tum Euangeliſtæ indicant, & nos ex illis ſuperius oſtendimus: quæ quidem eſt, quod ex ſpiritu ſancto abſque virili ſemine fuit conceptus. Quo pacto Dei filius a primo ſtatim ortu extitit; ſed ita tamen, ut uni ex ſtirpe Davidica veluti agnaſceretur, ex ejuſque uxore ita prodiret, ut ipſiuſmet illius viri filius recte dici poſſet. Atque hæc ratio ſufficere poteſt ad myſticum promiſſionis divinæ ſenſum: quem non eſt neceſſe proprietati verborum nimis adſtrictum eſſe. Quare, ut in pauca hanc reſponſionem contrahamus; ut Chriſtus è viſceribus, aut ventre, uterove aut lumbis Davidis natus dici poſſit, ſufficit ita eum eſſe genitum, ut modus generationis iſtius proxime accedat ad verborum illorum proprietatem, & eatenus tantum illi aliquid deſit, quatenus proprietas iſtius rei aliquid imperfectionis, &, ut ita dicam, turpitudinis in ſe includit, quæ, ſi acceſſiſſet, prohibuiſſet, quominus Chriſtus ab ipſo ſtatim ortu Dei filius, ſeu filius, ut loquuntur, naturalis, dici poſſet: qualem nunc eſſe ſcimus, quia è viro proprie conceptus non eſt, ſed divina virtute in utero productus. Certe longe convenientius eſt, ut proprietas verborum iſtius promiſſionis dignitati Chriſti aliquo modo cedat, quam ut dignitas proprietati. Atque hoc, quod nunc diximus, etiam reſponſum volumus ad illa loca, in quibus dicitur, Chriſtum eſſe è ſemine Davidis factum, vel natum: qui quidem loquendi modus minus obſtare noſtræ ſententiæ videtur, ſeu aliquanto facilius interpretationem ejuſmodi, qualem volumus, admittit. Nam ſi, ut ſupra diximus, frater fratri, aut propinquus propiquo, jam defuncto potuit dici excitare ſemen: cur non ſimili quodam loquendi modo dici poſſit quiſpiam è ſemine alicujus natus, quia illi pro prole ſit a Deo datus, ac proxime accedat ad illos, qui ex ſemine alicujus plane proprie ſunt generati? Quandoquidem cum dicitur frater fratri excitare ſemen, ſeminis nomen pro prole ſumitur: ſed ſeminis nomen ideo ad prolem traducitur, quia ex ſemine ejus, cujus proles dicitur, concipiatur. Quare, ſi quis proprietatem hujuſmodi verborum nimis premere atque urgere vellet, dicendum foret, fratrem efficere, ut proles naſcatur, quæ ex ſemine fratris ipſius fuerit procreata: id quod ſane falſum eſt. Oſtendimus autem antea, longe majori jure Chriſtum Joſephi filium, ac porro ſemen dici potuiſſe, etiamſi ex ipſo proprie natus non fuerit; quam ille, qui poſt mortem alicujus a fratre ipſius fuerit procreatus, filius defuncti. Adde, quod, cum ſemen pro prole aut poſteritate alicujus creberrime ponatur, ſatis Chriſtus ex ſemine Davidis natus cenſeri poteſt, quia ex ſtirpe aut poſteritate Davidis, ea, quam ipſius dignitas tulit, ratione ortus eſt; adeo ut ſemen Davidicum, ex quo natus dicitur eſſe Chriſtus, non ita proprie ſumi debeat, nec tanquam proxima ortus ipſius cauſa ſpectari, ut in generatione naturali fieri ſolet, ſed ſatis eſt aliquanto remotiorem cauſam eſſe.

Verſ. 17. *Omnes ergo generationes.* Id eſt gradus iſtius genealogiæ, ſeuſeries majorum Chriſti, antea conſtitutorum, uſque ad Davidem, incluſive, ut vulgo loquimur. Nam David eſt primæ teſſaradecadis ultimus.

(1) *Socin. Lect. Sacr. p.* 161.

*Vſque ad Chriſtum.* Id eſt, Chriſto incluſo, qui eſt tertiæ teſſaradecadis ultimus.

Verſ. 18. *Jeſu autem Chriſti generatio ita erat.* Sequitur altera hujus capitis pars, in qua oſtenditur, qualis fuerit Chriſti generatio, habita ratione cauſæ efficientis. Oſtenditur enim, Chriſtum abſque virili ſemine, ſpiritus ſancti opera atque efficacia genitum, & in virgine conceptum, atque a virgine in lucem eſſe editum. Et prius quidem, quod ad conceptionem Chriſti attinet, fuſius tractatur atque oſtenditur a Matthæo uſque ad finem ℣ſ. 24. Alterum autem, quo oſtenditur, Chriſtum etiam è virgine eſſe in lucem editum, verſ. ult. breviter indicatur. Verba autem hæc initio ℣ſ. 18 poſita, ſunt omnium eorum, quæ ſequuntur, uſque ad finem capitis, argumentum ſeu ſumma. Itaque vox *generationis*, & conceptionem complectitur, quæ generationis initium eſt; & nativitatem, quæ illius veluti complementum.

*Deſponſata enim matre ipſius Joſepho.* &c. In hoc verſiculo breviter res tota indicatur, quæ ad modum conceptionis Chriſti pertinet: in ſequentibus documenta, quibus ea res fuerit explorata, recenſentur, & ſimul, ex veteri vaticinio apud Eſaiam extante, admirabilis ille conceptionis modus confirmatur. Quanquam in hoc quoque verſiculo jam gradus quidam ſtruitur ad ea, ex quibus tam admirabilis conceptionis modus poſtmodum apparuit. Nihil autem hic fruſtra recenſetur. Primo dicitur, matrem Jeſu Mariam, fuiſſe jam deſponſatam Joſepho, cum illa gravida deprehenderetur. Jam enim tum deſponſata fuerat Joſepho, cum illi primum angelus annuntiaret, fore ut Chriſtum conciperet, ac pareret, ut expreſſe legimus Luc. 1. 47. Atque hoc ipſum, licet non ita aperte dixerit Matthæus, intelligi tamen voluit. Ita autem fieri decuit, ut tanto rectius dici poſſet, Chriſtum Joſephi, ac porro Davidis eſſe filium: quia nimirum non tantum in lucem eſſet editus ab ea, quæ Joſephi eſſet uxor; ſed etiam conceptus, cum mater, ipſius Joſephi uxor jam eſſet. Quæ enim deſponſatę ſub Lege erant viris, puellæ aut fœminæ, eorum jam uxores erant, atque ita dicebantur: ut infra dicemus ℣ſ. 20, ubi Maria nondum domum a Joſepho deducta, uxor Joſephi dicitur. Adde, quod hoc famę, ac vitæ quoque Mariæ fuerat tutius poſtquam nimirum factum eſt divino monitu, ut Joſepus eam nihilominus domum deduceret, & pro uxore ſua agnoſceret.

*Antequam convenirent illi.* Alterum hoc eſt, quod hic obſervari voluit Matthæus, ut inde conſtare poſſet ſuo tempore, Ieſum non fuiſſe è Joſepho conceptum: quandoquidem antequam Joſephus & Maria inter ſe convenirent, hoc eſt, illa in mariti ædes eſſet deducta, atque in eadem domo cum illo habitaret, non tantum conceptus fuerat Chriſtus, ſed etiam eo uſque illius generatio jam fuerat deducta, ut Maria gravida eſſe deprehenderetur. Ita autem accipienda eſſe verba illa, *antequam convenirent illi*, non autem de uſu conjugali, & res ipſa indicat, & verba angeli Joſephum jubentis aſſumere uxorem, & factum etiam Joſephi inde conſecutum, quod exponitur ℣ſ. 24.

*Reperta eſt in utero habens.* Hoc tertium eſt, quod hic obſervari voluit Matthæus: ubi quidem & admirabilis conceptionis Chriſti modus ab ipſo exprimitur; & ſimul cauſa quædam ac fundamentum oſtenditur eorum, quæ in ſequentibus recenſentur, nempe cur Joſephus eam voluerit dimittere, eaque porro occaſione res tota illi divinitus fuerit patefacta. Non dicit autem Matthęus ſimpliciter, Mariam jam tum fuiſſe gravidam: ſed idipſum jam tum deprehenſum fuiſſe. Id enim ſignificat verbum *inventa eſt.* Quod autem addit, *ex ſpiritu ſancto*, non ita eſt accipiendum, quaſi dicere voluerit Matthæus, hoc ipſum quoque ab aliis deprehenſum fuiſſe, eam ex ſpiritu ſancto concepiſſe. Cur enim alias Joſephus eam violatæ pudicitiæ ſuſpectam habuiſſet, ut ex ſequentibus patet? Sed addit hæc Matthęus, ut lectorem forte adhuc rei ignarum ſtatim erudiat, & ſic ſuſpicioni ſiniſtræ, quam de natalibus Chriſti alias concipere poſſet, ſtatim occurrat. Itaque perinde eſt, ac ſi dixiſſet: deprehenſum fuit, Mariam eſſe gravidam: quod quidem ſpiritus ſancti virtute atque efficacia factum fuerit. Præpoſitio *ex*, cum dicitur *ex ſpiritu ſancto*, cauſam efficientem denotat, ut alibi non ſemel cap. 15. 5. Ioh. 7. 22: 8 42. Rom. 11. 36. 1 Cor. 8. 6.

Verſ. 19. *Juſtus exiſtens.* Id eſt, cum eſſet vir bonus, probus, ac virtutis ſtudioſus. Cauſa enim hic indicatur, cur, licet ſuſpectam haberet uxorem, eam tamen infamem reddere noluerit; nempe quia vir eſſet bonus. Boni autem viri benigni eſſe ſolent, clementes, atque ad ignoſcendum ac parcendum proni. Abſurde autem illi faciunt, qui ita reddunt: *quamvis eſſet juſtus*: quaſi nimirum juſtitia id alias requiſierit, ut Joſephus uxorem ſuam infamem redderet, aut exemplum in ea ſtatuere juberet; cum tamen nuſpiam ita vox juſtitiæ in ſacris literis accipiatur, qua de re alibi a nobis dicitur. (1) Et præterea hoc pacto ſignificaretur, Joſephum hic juſtitiæ non ſatis feciſſe, & ſic affectui in uxorem plus quam juſtitia permitteret, indulſiſſe: cum tamen is hoc loco maxime laudetur. Adde, quod facile animadverti poteſt, Matthęum hîc tacitæ objectioni occurrere voluiſſe, quæ ex narratione ipſius ſuboriri in legentium animis poſſet. Ita enim quiſpiam potuiſſet cogitare: ſi Maria jam tum, cum nondum eſſet domum a Joſepho deducta, deprehenſa fuit gravida, qui factum eſt, ut eam Zelotypia præſertim commotus non ſtatim infamem redderet, & vel publico, vel ſaltem privato judicio cum ea ageret, ſi cauſam atque auctorem ejus conceptionis ignoravit, & non potius ſe illius conceptus auctorem eſſe agnovit? Reſpondet Matthæus, ideo id factum fuiſſe, quia vir bonus, ac porro etiam benignus, mitis ac clemens fuerit, qui proinde noluerit ſeverius cum Maria agere, & de illa quicquam inclementius ſtatuere, ſed rationem potius inire voluerit, qua & illius infamiæ aliqua ratione occurreret, & ſibi conſuleret, ne eam ducere cogeretur, quam criminis graviſſimi ſuſpectam habebat. Hæc vero reſponſio minime contineretur in verbis Matthęi, ſi ad eum modum acciperentur, ac ſi dictum eſſet, quamvis juſtus eſſet: imo potius vis objectionis augeretur, & factum Joſephi minus credibile redderetur, utpote qui non modo Zelotypię hac in parte reſtiterit, verum etiam juſtitiæ leges, cujus alias ſtudioſus eſſet, migraverit; nec quicquam diceretur, quod ad minuendam hujus objectionis vim pertineret. Addatur dictis etiam illa ratio, quod ſi iſtorum interpretatio admitteretur, conjungerentur tanquam conſentanea ea, quæ diſſentanea ſunt; & tanquam diſſentanea, quæ conſentanea. Etenim ita loqui cenſendus eſſet Matthęus: Joſeph autem maritus ejus etiamſi juſtus eſſet (hoc eſt, ex iſtorum interpretatione, vindex deli-

(1) *Antigrot. cap.* 1.

ctorum

ctorum ſeverus, ſeu talis, qui ſcelera plectenda putaret) & nollet eam diffamare, vel exemplum in ea ſtatuere, voluit tamen clam eam deſerere. Nonne hic illa duo tanquam conſentanea ponerentur, quæ tamen ex iſtorum ſententia maxime diſſentanea eſſent; nempe juſtum eſſe, & nolle exemplum ſtatuere in ea, quam pœna putet dignisſimam: & rurſus illa tanquam diſſentanea ponerentur, quæ conſentanea aliqua ratione forent; juſtum eſſe, & velle uxorem, quam graviſſimi criminis ſuſpectam habeas, deſerere? Satis profecto patet, ita ex iſtorum hominum ſententia loqui debuiſſe Matthæum: Joſeph autem vir ipſius, licet juſtus eſſet, voluit tamen in ea exemplum ſtatuere; non vero, & noluit in ea exemplum ſtatuere.

παραδειγματίσαι. Hæc vox proprie ſignificat exemplum ſtatuere, ſeu ita quempiam tractare, ut aliis ſit exemplo; quod fit pœnas de aliquo ſumendo: Sed ſumitur etiam pro diffamare, vel ignominiæ exponere; ut nonnulli interpretes vocem hic reddiderunt. Eodem modo verbum hoc uſurpat divinus auctor Epiſt. ad Hebr. 6. 6. Exaggeraturus enim illorum hominum peccatum, qui ab agnita veritate deſciſcunt, ait, eos denuo crucifigere ſibi filium Dei, & παραδειγματίζειν, ſeu ignominiæ exponere. Vetus interpres eodem ſenſu reddidit, oſtentui habere. Significat enim, homines iſtiuſmodi hoc ſuo facto contumelia maxima afficere Dei filium; quandoquidem ea ratione oſtendunt, Chriſtum ſe pro impoſtore habere, eumque jure aliquando tanquam impoſtorem cruci affixum fuiſſe. Significat ergo Matthæus, Joſephum noluiſſe Mariam ſive publico, ſive privato judicio cum ea agendo, eamque accuſando, infamem reddere, atque hoc pacto ignominia notare.

*Dimittere eam.* Dato nimirum illi repudii libello, quaſi aliam qualemcunque cauſam habuiſſet eam dimittendi, ab eave divertendi: quandoquidem ſub Lege licebat, vel ſaltem in more erat poſitum, quamvis ob cauſam; quæ uxorem viro odioſam redderet, eam dimittere.

Verſ. 20. *Hæc autem illo cogitante, ſeu in animo volvente.* Noluit Deus antea occurrere ſiniſtræ de Mariâ ſuſpicioni, ſed potius eum maluit permittere ſtrenue de ea ſuſpicari, donec jam fere eo ventum eſſet, ut facto aliquo ſuſpicionem hanc teſtaretur, atque inde poſtmodum infamia aliqua ad Mariam facile redundare poſſet. Ideo autem rem hanc tam diu diſtulit, ut quanto magis de Maria ſuſpicatus fuiſſet Joſephus, tanto poſtea, ubi res hæc fuiſſet ab ipſo patefacta, apertius conſtaret, nec ex ipſo Mariam concepiſſe (cur enim alias ſuſpicaretur?) & id ipſi certo poſtea compertum fuiſſe, eam divina virtute concepiſſe, nec cum ullo viro conſuetudinem habuiſſe. Cur enim alias, de qua tam ſiniſtre fuiſſet ſuſpicatus, quamque jamjam deſerere conſtituiſſet, tam repente mutatus prægnantem recepiſſet, novus ſponſus, & tanquam caſtiſſimam conjugem dilexiſſet ac foviſſet? Id certe non fuiſſet paſſa zelotypia maritis omnibus, ſed maxime novis quodammodo innata: nec ipſius virtus atque integritas, quam paulo ante Matthæus tanquam vulgo ſatis notam commemoravit: quæ eadem facile poſtea efficere potuit, ut, cum hæc omnia narraret, ipſi crederetur. Quamquam præterea vix fieri potuiſſe videtur, quin ex ipſius verbis, vultu, factiſve aliis conſtaret, aliter eum antea de uxore ſua ſtatuiſſe, aliter nunc, poſtquam eam domum deduxit, aut deducere ſtatuit: utut forte antea animi dolorem aliqua ratione premere fuerit conatus. Itaque res quoque & effecta ipſa fidem tum ipſius, tum Mariæ ſermonibus de admirabili Chriſti conceptione conciliare potuerunt.

*Ecce angelus Domini per ſomnium apparuit ipſi. Ecce* ait, tanquam rem & Joſepho inſperatam, & alioqui non vulgarem narraturus, quæ ipſius cogitatis finem impoſuerit, & conſilium animo conceptum impediverit. Caret vox *Angeli* in Græco articulo, ut ſimpliciter aliquem ex Dei angelis, ſeu nunciis cæleſtibus intelligamus. Vox *Domini* articulo carens pro nomine Hebraico Iehova vel Adonai ponitur. Quanquam id alias quoque res ipſa poſtulat, Chriſto, cujus nunc quoque ſunt angeli, nondum nato. Noluit autem Deus, ut Joſephus a Maria tantum ea de re edoceretur, eique perſuaderetur, ex ſpiritu ſancto illam concepiſſe; quod nec facile fieri poterat, cum res eſſet prorſus inuſitata, ac porro etiam niſi inuſitata ratione comprobaretur, cordato homini incredibilis, & maxime ſponſo, in cujus animum, ut antea diximus, Zelotypia facile irreperet. Quare cœlitus eum hac de re docere per nuncium ſuum, teſtem omni exceptione majorem, voluit. Satis autem erat per ſomnium id fieri, etiamſi non ita, ut Mariæ aut Zachariæ, vigilanti ac ſentienti appareret angelus: præſertim cum tam notabile poſſet eſſe illud ſomnium, tamque alte vis ejus apparitionis illi imprimi, ut non poſſet non divinitus ſibi immiſſum eſſe illud ſomnium agnoſcere, & non minus de re ipſa certus eſſe, quam ſi oculis ipſis angelum vidiſſet, & auribus ſibi loquentem audiiſſet. Propheticum nimirum fuit hoc ſomnium, ſeu ex eo ſomniorum genere, quæ Prophetis immittebantur: de quibus vide inter alia Num. 12. 6 & Ioël. 2. 28, quæ verba citat Petrus Act. 2. 17. Ea vero ſomnia neceſſe fuit ita eſſe comparata, ut Propheta, cui contigerunt, planè certus eſſe poſſet, ea divinitus ſibi eſſe immiſſa, & porro etiam audacter atque conſtanter ea aliis proponere, ac dicere, hæc divinitus ſibi patefacta; nempe quia ita eſſent notabilia, tamque vehementer animum ipſius afficerent, ac ſi rem ipſis oculis videret, atque auribus audiret. Non improbabilis autem videtur eſſe illorum conjectura, qui ſuſpicantur, ideo potiſſimum per ſomnium hæc Joſepho divinitus fuiſſe indicata, quod credibile ſit, eum noctu quoque cubantem, iſta quæ ad ſe ac Mariam perrinerent, animo agitaſſe, & conſilium de ea deſerenda cepiſſe, vel poſtridie, vel certe non multo poſt exequendum. Solemus enim, ſi quid nos cruciat, aut præ manibus quippiam habemus arduum, noctu ab aliis laboribus vacui apud nos coquere. Quare tempus Deo viſum fuit opportunum, eum antequam ſurgeret & conſilium ſuum exequeretur, vel ſaltem ad id exequendum aliqua ratione accederet, monere, atque ab illo conſilio avocare.

*Joſeph fili David.* In Græco eſt υἱὸς, Nominativus pro Vocativo, uſitata in ſacris literis Enallage, de qua plura diximus in libro de Deo & attributis ejus, pag. 100. Utitur autem hac appellatione tanquam honorifica, & ad rem, de qua locuturus erat, accommodata, & emphaſin habente. Locuturus enim erat de conceptione ac nativitate Meſſiæ, quem filium Davidis eſſe conſtaret. Quare, ut tacite ſignificaret, eum, qui ex uxore ipſius eſſet naſciturus, Davidis filium fore, ita eum appellat; atque adeo ut ſignificaret, eum, quem uxor ipſius concepiſſet, fore non vulgarem aliquem hominem, ſed illum Davidis filium olim promiſſum:

neque miraretur quippiam alioqui plane inuſitatum in ipſius conceptione contigiſſe, quandoquidem & ipſa proles plane inuſitata eſſet futura.

*Ne timeas.* Ne dubites, ne verearis, ob ſuſpicionem nimirum criminis.

*Accipere Mariam.* Id eſt, domum ducere, ut tecum jam porro habitet: qua de re jam dictum alibi antea verſu 18, cum ageremus de verbis: *antequam convenirent illi.*

*Uxorem tuam.* Uxor Joſephi dicitur Maria, quia ſponſa apud Iſraëlitas, etiamſi domum nondum ducta eſſet, juris tamen ac conditionis habita ratione, uxor erat: unde is, qui eam violaſſet, inſtar adulteri, & ipſa quoque, ſi in urbe id fuiſſet factum, nec clamaſſet, tanquam adultera puniebatur, ut apparet ex Deut. 22. 24, ubi inter alia de viro hujuſmodi dicitur, quod humiliaverit uxorem proximi ſui: quia nimirum ſponſam ipſius vialâſſet. Hinc videmus ℣. 24, Joſephum, licet nondum domum duxiſſet Mariam, virum tamen ſeu maritum ipſius appellari. Quod vero nonnulli ita hæc verba interpretantur, quaſi dixiſſet Matthæus: ne timeas accipere Mariam, in uxorem, hoc eſt, ut tua ſit vel fiat uxor; illi primum non animadverterunt, articulum τὴν, nomini γυναῖκα præfixum, qui hîc nota eſt appoſitionis, ut alibi ſæpe: dixiſſet enim Matthæus ſimpliciter: μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν μαριὰμ γυναῖκά σου, omiſſo articulo. Deinde: nec addidiſſet voci γυναῖκα, pronomen σου, ſed ſimpliciter dixiſſet, παραλαβεῖν μαριὰμ γυναῖκα. Nam quod pronomine σου indicatur, id totius phraſeos vi, ſatis comprehenderetur atque indicaretur. Ita ſane loquendi conſuetudinem apud Græcos ferre, facile intelligent ii, qui ejus linguæ non ſunt ignari.

*Quod enim in ipſa natum eſt:* hoc eſt conceptum, & aliquo uſque jam perfectum.

*Ex ſpiritu eſt ſancto.* De hoc diximus ℣. 15.

Verſ. 21. *Pariet autem filium.* Particula δὲ, etſi a nonnullis accipitur pro *enim*, ut Maldonatus cenſet, poteſt tamen vim ſuam propriam retinere, quaſi dixiſſet: pariet autem non filiam, ſed filium. Nam cum in proxime præcedentibus generalibus verbis de hoc Mariæ fœtu fuiſſet locutus, neutro genere uſus, quod nullam ſexus diſtinctionem facit, nunc diſtincte de ſexu loquitur. Inter generale autem, & ſpeciale quædam eſt antitheſis, ad quam ſignificandam adverſativa δὲ recte adhibetur.

*Et vocabis nomen ejus Jeſum.* Nos ſimpliciter diceremus: & vocabis eum Jeſum. Adſcribitur hoc loco Joſepho, quod ita filium ſuum vocaturus eſſet, vel vocare deberet, cum idem ab angelo tribuatur Mariæ Luc. 1. 21. Poterat enim, atque adeo debebat ab utroque parente junctim id fieri: dumque id Joſepho quoque adſcribitur, vel potius præcipitur, parentis quodammodo in filium naſciturum autoritas ipſi tribuitur. Parentum enim inprimis eſt liberis nomina imponere. Verbum autem futurum *vocabis*. etſi ſubjungitur futuro *pariet*, de eventu ſecuturo ſimpliciter loquenti; imperativi tamen vim ex Hebræorum conſuetudine habet, tum hoc, tum illo apud Lucam loco modo citato. Non enim hîc prædicitur Joſepho, vel illic Mariæ, quid alias, ſeu mavis, ſponte ſua ſint facturi; ſed quid facere debeant præſcribitur. Additum autem etiam hoc de nomine fuit in ſomnio iſto divinitus immiſſo, ut tanto magis poſtea res confirmaretur, ejuſque veritas illuceſceret, ſi Maria poſtea Gabrielis dicta referens idem filii naſcituri nomen diceret, quod Joſepho quoque per ſomnium fuiſſet indicatum; atque adeo ipſe Joſephus tanto magis fidem uxoris dictis adhiberet. Quis enim non ſtatim agnoſceret, rem minime confictam eſſe, ſi audiret, etiam nomen illud alteri fuiſſe ſignificatum, quod ipſemet occulta quadam ratione comperiſſet? Nomen vero *Jeſus*, quod Hebraice eſt *Jehoſchua*, ſervatorem, vel potius, ſi proprietatem vocis exactius velis exprimere, ſalutem ſignificare, hoc eſt, per Metonymiam, ſalutis cauſam, quod perinde eſt ac ſi diceres ſervatorem, jam ſatis vulgo notum eſt, & angelus in ſequentibus verbis ſignificavit. Fuit quidem id aliis quoque præter Chriſtum commune, ut Joſuę, illi ſucceſſori Moſis, ut apparet etiam ex cap. ad Heb. 4. 8. Act. 7. 45, & filio Iehoſedeci Hagg. 1. 1, ſed literarum magis ac ſoni habita ratione, quam rei. Quod ſi vero etiam aliquid in re habuerunt cum Chriſto commune; quod de Joſua filio Nun inprimis dici poteſt: in ipſa tamen ſalutis ratione tantum eſt inter illum & Chriſtum diſcrimen, quantum eſt inter cœlum & terram. Illud ab omnibus quoque obſervatum eſt, & a quovis etiam facile animadverti poteſt, ſolere nomina divinitus impoſita omen rerum futurarum, & quandam earum prædictionem continere.

*Ipſe enim ſervabit populum a peccatis ſuis.* Ratio hujus nominis redditur, & ejus quædam interpretatio, ſeu mavis explicatio hîc ſubjungitur. Diximus, id ſalutem ſeu ſalutis cauſam, hoc eſt, ſervatorem ſignificare. Hoc ipſum Chriſto reipſa competiturum, ita oſtendit angelus, ut ſimul exponat, & quibus illa ſalus per filium hunc naſciturum ſit præſtanda; & qualis ea ſalus ſit futura, quave in re conſtitura. Prius exprimit, dum ait: *ſervabit*, hoc eſt, liberabit, *populum ſuum*; populum Iſraëliticum intelligens; qui quidem duplici ratione Chriſti populus dici poterat: tum quod ipſe ex ea gente eſſet ortus, (uſitatum enim eſt in ſacris literis, populum alicujus appellari eam gentem, ex qua is natus eſt, de quo eſt ſermo) tum quia populus Iſraëliticus ipſi ſubjectus eſſet futurus, ac porro Chriſtus in eum habiturus eſſet imperium ac dominium. Veriſimile eſt Joſephum quidem priori potius modo tum temporis verba illa intellexiſſe; ſed interim tamen ſtatuendum videtur, angelum, vel potius Deum per angelum illum loquentem, poſterius potius verbis iſtis intellexiſſe; qui ſenſus poſtmodum eventu ipſo fuit declaratus. Cur autem populus tantum Judaicus fuerit commemoratus, cum ſalus per Chriſtum adferenda toti hominum generi eſſet futura communis, cauſa ſatis nota eſt; nempe quod huic genti tantum eſſet aperte promiſſa, cæteris gentibus haudquaquam; quodque ea aliis quoque terrarum populis poſtea facta ſit communis, id factum eſt per quandam aliorum populorum in gentem ſtirpemque Judæorum inſertionem, &, ut ita dicam, adoptionem, a Deo ſummo factam, uti Paulus docet inter alia ad Rom. xi. 17. Quare etiamſi populi hujus nomine populus Judaicus intelligatur; non ſunt tamen a ſalutis iſtius communione excludendi cæteri terrarum populi, ſed potius includendi ac comprehendendi, populi hujus nomine, quatenus ei fuerunt quodammodo inſerti. Quod ſi quis malit, populum Chriſti nominari hoc loco eum, cui Chriſtus imperet, cum eo non pugnabimus: res enim eodem tandem recidit. Quanquam illud, quod ante diximus,

diximus, magis videtur conſentaneum menti angeli loquentis, & ejus temporis rationi, quo Iſraëlitico inprimis populo ſervator promittebatur, & vulgo expectabatur.

Poſterius, quod in his verbis exprimi diximus, nempe qualis illa ſalus, quave in re ſit conſtituta, docuit angelus, cum dixit, eum ſervaturum, ſeu liberaturum populum ſuum *a peccatis ipſorum*. Quibus quidem verbis, duplex liberatio ſignificari videtur, pro duplici acceptione vocis peccati. Nam & proprie accipi poteſt, pro ipſis divinæ voluntatis tranſgreſſionibus; & improprie, per Metonymiam cauſæ efficientis, pro reatu ac pœna peccatorum, ut in ſacris literis ſat crebro contingit, & nominatim in omnibus locis, in quibus remiſſionis peccatorum fit mentio. Ab utraque enim re Chriſtus populum ſuum liberavit, ut alibi docetur. Quanquam hoc loco, vocem peccati poſteriori inprimis modo accipiendam arbitramur, ita ut hic liberatio a reatu ac pœna peccatorum intelligatur. Et ſi quis contendat, non utramque ſimul ſignificationem, ſed alterutram tantum retinendam eſſe, ſatius eſt poſteriorem retinere, quam priorem. Quanquam interim liberatio ab ipſis peccatis ſeu tranſgreſſionibus divinæ voluntatis veluti conſequenter in liberatione a pœnis peccatorum contineri cenſenda erit, tanquam illius medium ſeu requiſitum, quod nobis Chriſtus quodammodo ſuppeditavit. Etenim dubium non eſt, quin hic angelus id exprimere voluerit, ob quod Chriſto proprie nomen Jeſu, quod ſervatorem ſignificare diximus, ſit imponendum, quodque maxime pertineat ad felicitatem populi divini, quam per Chriſtum illi afferendam eſſe hoc nomen debebat portendere. Id autem per ſe non eſt liberatio ab ipſis voluntatis divinę tranſgreſſionibus; ſed ab earum pœnis. Illa licet a Deo per Chriſtum fuerit profecta, atque in hominibus quodammodo perfecta; ad officium tamen hominum magnam partem per ſe pertinet. Altera vero illa liberatio, non ad hominum officium pertinet, ſed merum Dei beneficium eſt in illos collatum: quod ubi perfecte conſequentur, perfectam ſimul felicitatem conſequentur.

Verſ. 21. *Hoc autem totum factum eſt.* Hoc eſt, quod Chriſtus fuerit ſpiritus ſcilicet virtute conceptus a virgine: qua de re hucuſque ſermo fuit. Vox ergo *totius*, non omnes rei circumſtantias complectitur; ſed rei veluti ſummam, quæ in eo continetur, quod modo diximus. Quanquam non (1) deſunt, qui etiam illud hic comprehendi putant, quod nomen Jeſu puero naſcituro fuerit impoſitum: quod, ſi rem ipſam, non literas ac ſyllabas ſpectes, idem ſit cum nomine Emmanuel, quod in loco Eſaiæ mox citando Chriſto tribuatur. Sed eo uſque extendere hæc verba neceſſe non eſt. Quanquam de eo nemini litem movebimus.

Verſ. 23. *Ecce virgo in utero habebit.* Quomodo hic locus ad rem faciat, fuſe eſt a noſtris (2) alibi diſputatum. Nos rerum capita brevibus attingemus. Et primo quidem omnium oſtendendum eſt, quo pacto ad Jeſu Chriſti nativitatem hæc verba referri queant; cum Eſaias in iis omnino loqui videatur de ſuo tempore. Nam ſi quis reliquum contextum inſpiciat, videbit, in his verbis promitti ſignum, ex quo perſpici queat, fore, ut terra Judæa relinquatur a rege Syriæ Razin, & Phazia rege Iſraëlis, qui Achazo regi Judæ, patri Ezechiæ bellum tum moverant, ac regionem ipſi ſubjectam infeſtare cœperant, atque adeo Achazum Hieroſolymis obſederant: qua de re legitur etiam 4 Reg. 16. Illud certum eſt, talis ibi pueri nativitatem promitti, in cujus adhuc infantia debeant relinquere terram, nempe Judæam, duo illi reges; ita ut, ſi nolis de tali ſigno hic ſermonem eſſe, ex quo certo conſtare poſſit, fore, ut terra illa a regibus iſtis deſeratur, ſtatuendum tamen ſit, tale ſignum promitti, ex quo de tempore iſtius rei conſtare poſſit. Nam poſt verba a Matthæo hic repetita adduntur ℣ſ. 15. & 16 de eodem puero apud Eſaiam iſta; *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum: quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu* (Achazum regem alloquitur) *deteſtaris, a facie duorum regum ſuorum.* Adde, quod ex capite 8, ſi cum 7 conferatur, facile apparet, intelligi nomine hujus pueri, filium Prophetiſſæ, per quam Eſaiæ ipſius uxor intelligitur: quandoquidem ita ibi ſcribit Propheta: *Et acceſſi ad prophetiſſam* (id quod verecunde uſum conjugalem ſignificare, doctiores omnes intelligunt) *& concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: voca nomen ejus, Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari. Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci* (quæ nimirum erat ſedes regis Syriæ) *& ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum.* Ubi verba, *quia antequam ſciet* &c. reſpondere illis cap. 7. ℣ſ. 16, quia antequam *ſciat reprobare malum* &c. facile eſt videre. Eodem pertinent & ſequentia cap. 8 verba, ubi, poſtquam de victoria regis Aſſyriorum locutus eſſet Propheta, quam reportaturus eſſet de rege Syriæ, & rege Samariæ, ſeu Iſraëlis, ſignificat malum illud etiam in terram Judæam exundaturum, quam ibi non fruſtra Emmanuelis illius terram appellat, ſignificans fore nihilominus, ut Judæę Deus ſit propitius. Ita enim inquit: *Et erit extenſio alarum ejus* (nempe regis Aſſyriorum) *implens latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel. Congregamini populi & vincimini, & audite univerſæ procul terræ, confortamini & vincimini; accingite vos & vincimini; inite conſilium, & diſſipabitur; loquimini verbum, & non ſiet, quia nobiſcum Deus.* Id quod Hebraicè eſt Immanuel: ad pueri iſtius cap. 7 promiſſi, nomen reſpiciens. Quare nihil eſt dubitandum, in verbis illis è cap. 7 a Matthæo hic citatis, ſermonem eſſe de puero, qui tempore Eſaiæ prophetæ, & Achazi regis Judæ, conceptus natuſque fuerit. Sed hæc nihil obſtant, quominus idem locus, a Matthæo ad Chriſtum, ejuſque admirabilem nativitatem, rectiſſime fuerit relatus. Etenim, ut in aliis multis locis, de Meſſia præſertim loquentibus, duplex eſt ſenſus, literalis nimirum, ſeu hiſtoricus, & myſticus: quod nec veteres illos Iudæos, cum quibus Chriſto & Apoſtolis res fuit, ignoraſſe aut negaſſe apparet, nec hodie a Iudæis penitus negari poteſt, qui diverſos eorundem verborum ſenſus eſſe poſſe ultro confitentur; ita etiam de hoc loco ſtatuendum eſt: & tanto quidem magis, quod non obſcura, ſed ſatis aperta, ejus ſenſus in hac prophetia extent indicia, verbaque ita ſint comparata, ut non niſi duriter, ac ſenſu valde tenui, ad puerum Eſaiæ tempore natum, accommodari queant. Nam primum apparet, in his verbis promitti ſignum aliquod miraculoſum; & valde quidem inſigne, quod Deus ſit

(1) *Maldonatus.* (2) *Lect. Sacr. p. 37 & ſeqq. & 58.*

daturus domui Davidis. Etenim poſtquam dixiſſet Achazo Propheta: *Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo, in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra*; & dixiſſet Achaz, *non petam, & non tentabo Dominum*, dixit (intellige Eſaias) *Audite ergo domus David, nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propterea hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concipiet* &c. Quis hic non videt, miraculum valde inſigne divinitus promitti; Nam cum primum jubeatur Achas petere ſignum qualecunque ſive è cœlis, ſive in terris, aut ex imo terræ edendum; ille vero petere nolit: Eſaias quodammodo conqueſtus, quod in Deum hunc ſigni eligendi laborem rejecerit, ipſe poſtea ſignum hujuſmodi promittit in hiſce Matthæi citatum verbis. Quis vero credat, cum data fuiſſet Achazo facultas petendi ſignum aliquod maxime illuſtre atque admirabile, Deum poſtea ſignum, quod Achazus petere noluiſſet, eligentem & proferentem ſignum valde vulgare, ei tale, in quo vix quicquam miraculoſi extitiſſet, tantummodo præbere voluiſſe? At vix quicquam miraculoſi evenit in conceptione ac partu filii prophetiſſæ: quandoquidem propheta, ut ſupra oſtendimus, ad eam acceſſit, & ex iſto congreſſu illa concepit filium, quem peperit. Quod totum naturalibus viribus perfici potuit, & perfectum procul dubio fuit: & nihil ſane inuſitatum in re ipſa deprehendi poteſt, ſed quicquid hic ſupra naturam fuit, id in ejus rei præſcientia ac prædictione certa conſiſtit, nempe quod Eſaias ad prophetiſſam acceſſurus jam antea præſciverit, eam & omnino concepturam, & parituram non filiam, ſed filium. Unde etiam factum eſt, ut viri doctiſſimi cenſuerint, non hic ſignum aliquod narrari, ex quo rei Achazo promiſſæ certitudo pateat; ſed ex quo tempus tantum rei promiſſæ æſtimari queat. Facile ergo jam intelligitur, præter hunc ſenſum tam tenuem, alium longe prægnantiorem, & miraculum plane inuſitatum in ſe continentem, verbis iſtis ſubeſſe. Id quod ipſamet quoque aliqua ratione indicant: quandoquidem dicitur, virginem concepturam & parituram filium; id quod ad prophetiſſam illam non niſi eatenus poteſt accommodari, quatenus intelligitur, eam, quæ hucuſque virgo fuerit, ex viro mox concepturam, & parituram filium. Quæ res num in orbe vel inaudita, vel inuſitata eſt? Quis eſt, ſi in hujuſmodi verbis miraculum aliquod promitti audiat, talem iis ſenſum, qualem modo expreſſimus, contineri autumet; niſi aliunde de eo aliquid conſtet; & non potius aliquid longe admirabilius & inuſitatius cogitet? quod non poteſt eſſe aliud, quam eam, quæ maneat virgo, nec virum experiatur, concepturam & parituram filium. Præterea vidimus cap. 8 Iudæam appellari terram iſtius Emmanuelis; id quod nonniſi exili aliquo ac tenui ſenſu de puero illo dici poteſt; nempe quod in ea ſit natus. At ſatis apparet, emphaſin aliquam illis verbis prophetæ ineſſe, & non vulgari aliqua ratione tantum Iudæam terram illius Emmanuelis appellari, qua nimirum cujuſque pueri in Iudæa nati terra illa dici poſſit; ſed aliqua peculiari, præſertim cum converſis ad puerum illum verbis dicat propheta, *& erit extenſio alarum ejus* (intellige regis Aſſyriorum) *implens latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel*. Certe non facile quiſpiam hæc verba legens, aliquid adeo vulgare cogitabit, quale illud eſt, quod puero illi, prophetiſſæ, hic tribuitur. Quare conſentaneum eſt, alium adhuc auguſtiorem ſenſum hic ſubeſſe, & ſignificari Emmanuelis nomine talem aliquem puerum præcipue, cujus Iudæa eſſet futura propria, ſeu imperio ipſius ſubjecta. Taceo, ipſum Emmanuelis nomen tam inuſitatum puero huic impoſitum. Nam certe auxilium divinum, quod Achazo illo tempore fuit præſtitum, & ob quod literali ſenſu puero naſcituro hoc nomen fuit impoſitum, tantum vix fuit, ut propterea nomen hoc puero illi eſſet imponendum, quod nulli antehac impoſitum legimus. At ſi conſideremus auxilium illud, quod Deus populo ſuo per Ieſum Chriſtum præſtitit, atque adeo divinum illum favorem ac gloriam erga populum, unde auxilium illud ac ſalus promanavit; nemo non videt, nomen hoc Chriſto jure merito fuiſſe impoſitum, adeo quidem, ut jure illius proprium cenſeri debeat. Nemo enim cum Chriſto hac in re comparari ſeu æquari meretur, nedum puer ille, qui vix umbra Chriſti hac in re fuit: præſertim cum non per ipſum Deus auxilium iſtud præſtiterit populo ſuo, ſed tantum ipſo nato, atque infantiam nondum egreſſo. At Deus per ipſum Chriſtum cum populo ſuo fuit, eique opem tulit, ac ſalutem inauditam inſperatamque præſtitit.

Ex dictis jam intelligi poteſt, quo pacto verba hæc Prophetæ, & ad puerum Eſaiæ tempore, natum, ejuſque mentionem accommodari poſſint, & nihilominus tamen ad Chriſtum rectiſſime referantur. Cum nimirum tempora illa, ad quæ literali ſenſu reſpexit Eſaias, figura quædam fuerint temporum Chriſti, puer ille filius prophetiſſæ, pueri Ieſu Chriſti, ſimiliterque mater prophetiſſa, matris Chriſti Mariæ, virgo virginis, auxilium divinum tempore pueri illius populo divino præſtitum a Deo, auxilii per Chriſtum eidem præſtiti, ſeu liberatio ab hoſtibus corporeis, liberationis ab hoſtibus ſpiritualibus. Quæ ut tanto rectius appareant, quædam adhuc de ſingulis verbis addemus, aut ex dictis breviter repetemus. De voce *Ecce*, vix eſt neceſſe monere, quam ad rem inſperatam inuſitatamque ſignificandam adhiberi ſolere vulgo notum eſt. Et quidem ſi ſenſus myſticus ſpectetur, ad quem Matthæus oculum intendit, rectiſſime hic ea fuit adhibita, cum res plane inaudita inſperataque promittatur. Nomen autem *virginis* articulum habet in Græco præfixum, exprimentem vim *He* emphatici, ut vocant, quod in Hebræo præfixum eſt voci *Almah*, virginem denotanti: qui quidem articulus, ſenſu literali denotare videtur virginem, vel aliunde cognitam, vel aliqua ratione præſentem, in quam digitus quodammodo intendatur: ſed myſtico, ſignificat virginem quandam inſignem, præ cæteris notabilem, hoc eſt, a Deo peculiariter electam, ita ut literali ſenſu articulus ſit ἀναφορικὸς, myſtico διακριτικὸς. Iam quod vox παρθένος, ſeu virginis, recte hic ſit poſita pro Hebræa *Almah*, oſtendit partim LXX interpretum authoritas, quos ita vocem hanc reddidiſſe, ſatis apparet ex diſputatione Iuſtini cum Iudæo Tryphone; partim quod non tantum uſus iſtius vocis ita ferat, ſed etiam natura illius poſtulet. Uſum ita ferre, duobus inprimis ſacrarum literarum locis oſtendunt doctiores interpretes. Alter extat Gen. 24. 43, ubi ſervus Abrahami orat Deum, ut virgo, quæ egreſſura ſit ad hauriendam aquam, ſibique petenti aquam præbitura, camelis etiam hauſtura, ea ſit mulier, quam Deus præparaverit filio domini ſui. Ubi non eſt dubium, quin virginem intellexerit ſervus ille incorruptam: qualis ſane Rebecca fuit, quæ id fecit, quod in precibus ſuis expreſſerat

ſervus

ſervus ille. Alter vero extat Exod. 2. 8, ubi Maria ſeu Miriam ſoror Moſis, quæ virgo erat, *Almah* dicitur. Ad naturam vocis quod attinet, ea deſcendit a verbo, quod occultare ſignificat, & eam ob cauſſam ad virginem deſignandum adhibetur, non quia a conſpectu virorum plane arceatur, aut viri ab ejus conſpectu, (hæc enim ratio in Rebecca v. g. locum non habuit,) ſed quia ceteroqui cuſtodiatur, ne cum viro conſuetudinem habeat ullam, ita ut reſpectu virorum, occulta atq; abſcondita jure dici queat. Ad locum autem Prov. 30. 19, quem nonnulli adducunt, ut probent, vocem *Almah*, ſignificare mulierem corruptam, ſatis eſt & a noſtris(1) & ab aliis interpretibus (2) reſponſum. Neque enim locus ille oſtendit, puellam animo corruptam iſta voce ſignificari, ſed illud tantum inde evinci poteſt fieri poſſe, ut illa, quę hoc nomen vulgo ſortitur, ſeu virgo appellatur, ac pro incorrupta habetur, talis tamen revera non ſit: Sed tamen hinc minime conſequitur, vocem *Almah* non ſignificare virginem. Nam idem quoq; de Græco nomine παρθένος, & Latino *virgo*, dicendum eſſet, cum vulgo omnes puellæ innuptę, præſertim honeſtiores, quia pro incorruptis habentur, virgines dicuntur. Quo pacto & Paulus hoc nomen uſurpat pro puellis innuptis, 1 Cor. 7. 25, 34, 36, 37. Jam vero non eſt dubium, quin, cum Deus per prophetam virginem parituram dicit, virginem incorruptam intelligat. Nam alias pro miraculo potius rem propemodum ridiculam narraret, idque menti ipſius prorſus repugnaret. Ideo enim propheta, literali etiam ſenſu inſpecto, virginem dicit concepturam, ne quis putet, illam fœminam, de qua loquatur, jam concepiſſe, ipſique Eſaię hac de re conſtare; unde non tantum colligat, illam quoque parituram; ſed etiam ex conjecturis quibuſdam colligere, eam filium parituram. Quare dicit eam adhuc virginem eſſe intactam, virumque nullum expertam. Illud jam amplius vix commemorandum eſt, quod jam ſatis ex dictis colligitur, alio ſenſu dici virginem concepturam & parituram filium, ſi ad tempora Eſaiæ habeatur reſpectus; alio, ſi ad Chriſti nativitatem. Illic enim ſenſu, ut loquuntur, diſjuncto, verba ſunt accipienda; hic conjuncto: hoc eſt, ibi, intelligitur, eam, quę nunc ſit virgo, paulo poſt concepturam, ubi nimirum virgo eſſe deſierit, hic vero eam concepturam ac parituram, quæ virgo nihilominus permaneat.

*Et pariet filium* non filiam, ut ſupra dictum eſt.

*Et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* In Hebræo eſt, *& vocabit*, nempe virgo. Eſt enim in Hebræo fœminium. Quanquam alii aliter legunt: quæ de re vide Biblia magna Roberti Stephani, ſed in re ipſa nullum eſt diſcrimen. Nam quod matri primum tribuitur, conſequenter etiam cęteris convenit; nempe ut Chriſtum ita appellent, ſeu appellare merito poſſint. Quod poſterius propterea addimus, quia ad veritatem hujus prophetię neceſſe non fuit, ut Chriſtus hoc nomine vel a matre, vel ab aliis vulgo appellaretur: ſatis eſt ita jure appellari poſſe, vel potuiſſe. Eſt enim ſatis frequens in ſacris literis & nominatim apud Eſaiam, ut dicatur, rem perſonamve aliquam hoc illove modo appellatum iri: non quod revera ac proprie ita ſit appellanda, ſed quod appellari ita jure poſſit ac mereatur. Hoc pacto dicit Eſaias cap. 1. 26, de Hieroſolyma, eam vocatum iri *civitatem juſtitiæ, civitatem fidelem*, & cap. 60. 14, eam vocatum iri *civitatem Domini, Sion ſancti Iſraël*, & 62. 4, eam vocatum iri *voluntas mea in ea*. Et apud Ezechielem in verbis ipſius ultimis dicitur: *& erit ex eo die nomen urbis, Dominus illic.* Adde his loca illa apud Jeremiam cap. 23. 6, XXXIII. 16, in quorum locorum poſteriori de Hieroſolyma dicitur, hoc fore (nomen) quo ea ſit vocanda, *Dominus juſtitia noſtra:* in priore autem de Juda & Iſraële, hoc fore nomen, quo ſit vocandus, *Dominus juſtitia noſtra.* Adde his locum apud Eſai. cap. 9. 6, ubi de Chriſto dicitur, vocatum iri nomen ejus *admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater ſeculi*, (ſeu ut Græca Latinaque vulgata verſio habet) *futuri ſeculi, princeps pacis.* Quibus ſane locis nequaquam ſignificatur, eum tot nominibus appellandum eſſe; ſed tot res illum habiturum, quot nomina ibi exprimantur, ita ut illis appellari jure meritoque poſſit. Metonymia nempe eſt, in qua conſequens, ſeu effectum, pro cauſſa, ſeu antecedente ponitur.

*Nobiſcum Deus*, ſcil. *eſt.* Integra enunciatio in unum nomen coaleſcit: quod aliis quamplurimis exemplis docuimus in lib. de Deo cap. 11. pag. 83 ſeqq. Unde minime concludi debet, Chriſtum eſſe illum ipſum Deum, qui nobiſcum ſit futurus: quemadmodum nec in ſuperioribus exemplis quę partim ex Eſaia, partim ex Jeremia, partim denique ex Ezechiele citavimus, urbs Hieroſolyma, eſt voluntas Dei aut Jehova, quę ſit juſtitia noſtra, aut qui ſit illic, hoc eſt, in urbe Hieroſolyma; nec Iuda & Iſraël Iehova ille eſt: licet de urbe illa dictum ſit, eam vocatum iri, voluntas mea (Deus autem loqui intelligitur) in ea; aut Iehova juſtitia noſtra, aut Iehova illic, aut Iuda & Iſraël Iehova juſtitia noſtra. Apparet idem ex pluribus apud Hebræos nominibus propriis, quæ vel ex nomine *El*, quod Deum ſignificat, vel ex nomine Jehovæ, quod contracte dicitur *Jah*, componuntur: ut quivis per ſe animadvertere poterit, ſi inſpexerit interpretationem iſtorum nominum, quæ Bibliis Latinis adjungi ſolent. Vide etiam Piſcatoris Annotat. in Matthæum cap. 1, ubi interpretatur nomina propria, in genealogia Chriſti exſtantia. Solent autem rebus aut perſonis nomina indi ab iis, quæ vel per eos, vel circa eos fiant, vel quorum ſunt monumenta: quemadmodum ex parte docuimus loco ante dicto, lib. de Deo. Quare, quia Deus ille ſummus per Chriſtum futurus erat, ac nunc reipſa eſt nobiſcum, hoc eſt, nobis inſigniter favet, nobis opitulatur, nobis ingentia ac cogitatione etiam noſtra majora beneficia præſtat: ideo merito Chriſtus hoc nomen *Emmanuel* ſortitus eſt, hoc eſt, ſi ſine ellipſi id efferas: *Deus eſt nobiſcum.* Quomodo Deus cum aliquo vel aliquibus eſſe dici ſoleat, & vulgo notum eſt, & a nobis explicatum eſt in lib. de Deo cap. 27. pag. 274.

24 Ὁ ἀγγέλου, Articulus hic additur ſuperius omiſſus, quia reſpicitur ad ſuperiora. Eſt ergo ἀναφορικός.

25 *Et non cognovit eam.* Hic breviter poſterius ex illis duobus indicatur, quæ in ſecunda hujus capitis parte doceri diximus: nempe quod Maria etiam virgo pepererit. Particula & ponitur pro *ſed*, ut ab aliis eſt notatum: quaſi dicat, domum quidem eam duxit, ut ſecum habitaret; ſed tamen eam non cognovit. Hac autem phraſi, more ſacrarum literarum uſitato, uſum matrimonii verecundè notari notum eſt. Ab eo ergo abſtinuiſſe Joſephum ſignificatur.

*Donec peperit filium ſuum.* Ab omnibus hodie interpretibus, quin etiam a pleriſque veterum, recte & obſervatum & notatum eſt, particulam *donec* non evincere id, quod ad certum uſque tempus factum eſſe non

(1) *Leſt. ſacr. pag.* 59. (2) *Maldonatus.*

dicitur, poſtea factum eſſe. Atque ad hoc probandum adducunt illud de Michol filia Saulis, 2 Sam. 6. 23, ubi dicitur: *Michol filiæ Saul non eſt natus filius, uſque in diem mortis ſuæ.* Neque enim ſignificatur, eam poſt mortem peperiſſe. Quare nec ex his Matthæi verbis evinci poteſt, Mariam a Joſepho poſtea fuiſſe cognitam. Cur ergo, inquies, non dixit; eam nunquam fuiſſe ab eo cognitam? cur dixit, donec peperit filium ſuum primogenitum? Reſpondemus: dixiſſe Matthæum id, quod dictu ad ſcopum ipſius erat neceſſarium; omiſiſſe id, quod nec ipſi dictu, nec nobis ſcitu eſt neceſſarium. Nam ad veritatem prophetiæ, apud Eſaiam de Chriſto exſtantis, id pertinebat, ut Maria virgo manens & conciperet, & pareret filium. Idque partim ad dignitatem Chriſti pertinebat; partim etiam ad continentiam caſtitatemque tum Joſephi, tum Marię: ut nimirum conſtaret, utrumque, cum ſciret cujuſmodi fœtus ille eſſet, & quam divinæ originis, ab uſu matrimonii abſtinuiſſe, ne quo pacto is veluti polluereturr.

*Filium ſuum primogenitum.* Primogenitus Mariæ filius, non ideo dicitur Chriſtus, quod poſt eum alii fuerint ex eadem matre geniti; ſed quod ante eum nemo ex ea natus fuerit. Nam ſacræ literæ eum ſimpliciter pronunciant primogenitum, quem nullus alius anteceſſit filius, ſive alii ſequantur, ſive minus. Nam cum, v. g. omne primogenitum dicitur Domino fuiſſe ſanctum, ſive conſecratum, non intelligitur, tum demum id locum habuiſſe, ſi quis ita primum fuiſſet natus, ut alii liberi ſequerentur: ſed locum illa lex habebat, ſimul atque fœmina prolem eſſet enixa, quæ nullam antea peperiſſet, nulla habita ratione ejus, quod poſtea futurum eſſet. Sic omne primogenitum Ægypti fuit aliquando peremtum, hoc eſt, quævis proles, quam nulla fuiſſet antegreſſa ex eadem parente alia. Quod vero fratres Chriſti alibi commemorantur, de eo agemus infra, Deo volente, cap. 12. 46, ubi oſtendemus, id quod ab aliis quoque jam obſervatum oſtenſumque eſt, eos non germanos, ſed conſobrinos Chriſti fratres fuiſſe: ita ut ex ſacris literis conſtare nobis non poſſit, utrum Maria alios poſt Chriſtum liberos habuerit, nec ne. Summa Chriſti majeſtas, & generationis ipſius ſanctitas, parentum quoque ipſius pietas ac virtus, facile animos inclinat, ut Mariam nullos poſtea liberos habuiſſe credant; cum præſertim, ut diximus, contrarium ex ſacris literis non conſtet. Interea tamen piaculum non eſt, ut vulgo creditur, contrarium vel ſuſpicari, vel opinari.

*Vocavit*, nempe Joſephus. De eo enim præcipue in hoc verſiculo ſermo eſt, & ſignificatur hoc pacto, eum feciſſe id, quod ſup. ℣. 21, ab Angelo juſſus fuerat facere.

## CAP. II.

### *ARGUMENTUM.*

*In hoc capite, ut in diſtributione totius hujus libri ſupra diximus, ea recenſentur, quæ Chriſto, aut circa Chriſtum in ipſius infantia, primaque pueritia contigerunt. Et primo quidem narratur, quo pacto ipſius nativitas partim hominibus a Judæa longe diſſitis, partim Hieroſolymitanis ipſis, & maxime eorum præcipuis, innoluerit. Deinde, quomodo Deus infantis Chriſti, puerique curam geſſerit, eumque periculo vitæ, quod imminebat, ſubduxerit: quod poſterius ex priori aliquo modo fuit profectum. Nam in priori hujus capitis parte oſtenditur, quo pacto Magi viſa ſtella quadam, ex qua Judæis regem recens natum fuiſſe intellexerant, Hieroſolymam venerint, & de loco, ubi is natus eſſet, inquiſiverint: cumque reſciviſſent, Bethlehemum fuiſſe nativitati ipſius propheticis oraculis deſignatum, eo profecti fuerint, & Chriſtum infantem adoraverint, muneribus ei oblatis. Inde porro factum eſt, ut Herodes, re ex Magis audita, cum de regno ſibi ſuiſve poſteris metueret, ad inſidias ei ſtruendas incitaretur; quas ut effugeret Jeſus puer, a Deo præviſum fuit, datumque conſilium, ut ipſius Herodis, & filii ipſius, qui in regno ipſi ſucceſſerat, manus effugeret. In priori autem hujus capitis membro tractando, licet aliud agere videatur Matthæus, illud tamen ſimul docetur, Jeſum Bethlehemi ſecundum vetera vaticinia fuiſſe natum, ut ita conſtaret, ipſi non deeſſe, quod de Chriſto vetera Prophetarum vaticinia prædixerint. Quare & ab initio ſtatim locum nativitatis ipſius exprimit, & poſtea, cum reſponſionem refert principum, ſacerdotum, & ſcribarum ad quæſtionem majorum, de loco Chriſti natali interrogantium, locum quoque adducit Micheæ, in quo prædicitur, Bethlehemi naſciturum Chriſtum.*

1 *Jeſu autem.* Plerique fere Interpretum doctiſſimorum cenſent, δὲ hic poſitum pro δὴ, *autem* pro *igitur*; ut ſit particula connexioni horum cum ſuperioribus ſerviens, quod etiam alibi accidit, quaſi dixiſſet Matthæus: Cum ergo Jeſus ita, ut diximus, natus, ſeu in lucem editus eſſet. Quorum quidem virorum ſententiæ non repugnabimus. Quanquam arbitramur, particulam δὲ propriam ſuam vim retinere poſſe, quaſi dixiſſet Matthæus: & iſta quidem contigerunt ad illud uſque tempus, donec Chriſtus in lucem ederetur. Poſtquam vero natus jam eſſet, idque Bethlehemi, contigerunt illa.

*In Bethlehem Judææ.* Cur dixerit Matthæus Bethlehemi Jeſum fuiſſe natum, cauſa jam indicata eſt. Qua vero occaſione id factum fuerit, cum Joſephus ac Maria Nazarethæ alioquin habitarent, oſtendit Lucas cap. 2 euangelicæ ſuæ hiſtoriæ. Quod hic additur, in Bethlehem *Judææ*, alii cum vulgata interpretatione legendum cenſent *Juda*, ut intelligatur Bethlehem illa, quæ fuerit tribus Judæ, & ita quidem appellatur Judic. 19. 18, qua de re videatur, ſi placet, Maldonatus. Sed idem revera ſenſus manebit, ſi legas cum Græcis vulgatis exemplaribus, Judææ. Intelligitur enim terra illa, quam tribus Judæ una cum Benjaminitica occupabat; & opponi ſolet in hiſtoria euangelica ſæpe Galilææ, ut inter alia fit Joh. 4. 54. Ideo autem hoc loco apponitur voci Bethlehemi, ut oppidum hoc diſtinguatur ab alio ejuſdem nominis, quod erat tribus Zabulon, in Galilæa inferiore ſitum, cujus mentio fit Joſ. 19. 15.

*In diebus Herodis regis.* Dies ſumi pro tempore, Hebræorum conſuetudine, notum eſt. Dies autem Herodis regis, non univerſum vitę illius tempus complectuntur; ſed illud tantum, quo regnavit. Herodem appellare videtur regem, ad diſtinctionem alterius Herodis, qui proprie non rex, ſed tetrarcha tantum fuit, ut infra appellatur cap. 14. 7. Confer etiam Luc. 3. 1. Quanquam & ille rex appellatur, per quandam κατάχρησιν, ſeu Metaphoram, ut eodem cap. 14 hujus noſtri ſcriptoris ℣. 9, & alibi. Fuit autem Herodes is, cujus noſtro hoc in loco fit mentio, Antipatri filius, Aſcalonita, Magnus etiam dictus.

*Ecce*

*Ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam.* Quatuor hic nobis ſunt explicanda, primo: quinam illi Magi fuerint: deinde unde venerint: tertio quando venerint: quibus addi poteſt quarto loco, cur Hieroſolymam venerint. Quinam illi fuerint, non alia ratione nobis conſtat, quam quod Magi dicantur. Annotarunt autem jam dudum viri docti, Magorum nomen Perſicum eſſe, & id Perſis ſonare, quod Græcis nomen Philoſophi, Indis Brachmanis, Gallis Druidæ, aliis orientalibus Chaldæi. Quanquam enim & gens quædam Magorum apud Geographos memoratur; vulgo tamen obtinuit, ut apud Perſas Magi appellarentur ii, qui ſapientiæ ſtudium profiterentur, & liberales artes, atque inter cæteras præcipue Aſtrologiam, tractarent. Quo pacto & nomen Chaldæorum, quod proprie populi eſt, ad eos tamen poſtea fuit peculiariter relatum, qui aſtrorum ſcientiam, & futura prædicendi artem profiterentur: nempe quia Chaldæi his artibus inprimis eſſent dediti. Quod idem forte in Magorum nomine accidit. Conſentit id, quod è ſtella, regem Judæis natum eſſe, animadverterunt: quod indicio eſt, aſtrologiæ ſtudioſos fuiſſe: præſertim cum verba ipſorum ℣. 2, a Matthæo deſcripta, ita ſint comparata, ut non alieno indicio ſignificare videantur id ſe deprehendiſſe, ſed ſuum hac in re judicium fuiſſe ſecutos. Vulgi errorem, reges illos fuiſſe cenſentis, vix opus eſt refutare. Non enim id tacuiſſet Matthæus, qui honoris, ut apparet, cauſſa Magos appellat, reges potius appellaturus, ſi fuiſſent. Pertinuiſſet enim id ad majorem hujus rei commendationem atque admirationem excitandam. Ut taceam, cum à Perſide, ut mox dicemus, venerint, tres eſſe reges non potuiſſe; cum ſub unius regis imperio eſſent Perſæ, & in Parthorum nomen tranſiiſſent, quibus unus rex præerat. Illud largiri haud difficulter poſſumus, non vulgares fuiſſe viros, ſed qui magno eſſent apud ſuos in honore, & opibus haud exiguis inſtructos: quandoquidem ſatis conſtat, Magos apud Perſas ad magnos ſæpe honores perveniſſe, ac regibus fuiſſe proximos. Idque aliqua ex parte conjici poteſt ex muneribus, quæ Chriſto puero, theſauris ſuis apertis, obtuliſſe infra leguntur. De numero nihil conſtat. Ex triplici autem munerum genere, ternarium illorum numerum colligere, puerile eſt: cum nihil conſtet, ſingulos ſingula iſtorum obtuliſſe, & non potius omnes junctim omnia.

Jam, ut ad ſecundum veniamus, unde venerint, non alia ratione a Matthæo indicatur, quam quod dicit, eos veniſſe ab oriente; quod Græce eſt ἀπ' ἀνατολῶν. Quanquam id poſtea ℣. 2 & 9, ſingulari numero dicitur ἐν τῇ ἀνατολῇ: unde apparet, plurale revera ſingularis vim habere, quemadmodum in aliis etiam vocibus, verbi gratia τῶν γάμων, contingit. Quanquam facile aſſentimur viris doctis, ſtatuentibus, ideo plurali numero orientem deſignari, quod triplex ſit oriens, ſeu mavis ortus ſolis: æſtivus, æquinoctialis, & hybernus. Verum, quia reſpectu Iudææ multæ regiones fuerunt orientales, quæritur, è qua regione illi venerint. E Chaldæa non veniſſe inde patet, quod hæc ad ſeptentrionem, ſeu ad aquilonem poſita fuerit, reſpectu Iudææ. Unde apparet prophetas, cum adventus prædicitur Chaldæorum, non ab ortu, ſed ab aquilone venturos dicere. Nec Sabæi illi fuerunt. Hi enim auſtrales potius fuerunt. Omnium probabiliſſimum eſt, quod plerorumque doctorum conſenſu comprobatur, è Perſide veniſſe, ut paulo ante diximus. Favet huic ſententiæ nomen Magorum, quod Perſicum eſſe jam diximus. Conſentiunt & illa, quod regem recens natum adoraturi venerint, atque adeo adorarint, quodque munera illa obtulerint. Mos enim Perſarum erat, reges adorare, nec ſine munere adire.

Ad tertium quod attinet, haud obſcure apparet ex Matthæi verbis, eos non multo poſt Chriſti nativitatem veniſſe. Nam id aliqua ratione indicant hujus ipſius verſic. verba, cum inquit: *Jeſu autem nato in Bethlehem &c. ecce Magi ab oriente venerunt*: quia nimirum non multo poſt venerint. Adde, quod ex ſequentibus ſatis conſtat, Mariam cum puero Ieſu adhuc Bethlehemi hæſiſſe. Conſtat autem ex Luca, Mariam peracta purificatione, poſt diem 40 a partu, una cum marito, filioque, Nazarethum fuiſſe reverſam. Quare intra illos dies 40 Magos veniſſe, omnino credibile eſt. Neque vero vel tam longe abfuit Perſis a Iudæa, ut intra illud tempus eo venire non potuerint, præſertim ſi camelis eos pro more gentis uſos fuiſſe ponas: neque tam prope, ut eos decimotertio a natali Chriſti die veniſſe credamus: cum nec credibile ſit, eos ipſo natali Chriſti die ſtatim egreſſos, aut etiam ante, cum ſatis ex ipſorum verbis appareat, eos ex ſtella viſa collegiſſe, Chriſtum jam natum eſſe: nec ullo modo conſentaneum eſt, eos tam longinquum iter ſubito ingreſſos, ut non per aliquot dies ad id ſeſe pararint. Quare dies illis complures dare poſſumus, quibus ſeſe ad iter pararint: cæteri itineri ſufficient, ut credamus, eos paulo ante veniſſe, quam Bethlehemo Hieroſolymam proficiſcerentur parentes Chriſti, & purificationis ritum in templo peragerent. Nam ſi quis dicere velit, id obſtare ſententiæ noſtræ, quod videatur Ioſephus Bethlehemo profugiſſe in Ægyptum; is non animadvertit ex Matthæi verbis evinci haudquaquam poſſe, ita ſeſe rem habere, cum nec dicat Matthæus, Bethlehemi Ioſepho apparuiſſe Angelum in ſomniis: eumque monuiſſe, ut in Ægyptum profugeret; nec aliunde id conſtet. Neque facile aſſentiri poſſumus iis, qui ſtatuunt, Ioſephum quidem poſt purificationem Hieroſolymis peractam Nazarethum rediiſſe: ſed poſtea tamen Bethlehemum fuiſſe reverſum, & domicilium ibi collocaſſe. Nam cum nullum ejus rei extet in hiſtoria ſacra indicium, & nulla poſſit afferri cauſſa, cur ita ſentiamus, non facile ea res fidem apud nos invenit: & propterea, ut diximus, Matthæi verba videntur ſignificare, Magos non multo poſt natum Chriſtum adveniſſe. Iſta autem ſententia requireret, ut non parum temporis inter nativitatem Chriſti & Magorum adventum interceſſerit. Quod ſequentia verba illa urgent, quibus dicitur Herodem, ut Chriſtum interimeret, juſſiſſe etiam bimulos occidere, ratione habita temporis, quod requiſiverit a Magis, unde conſtare videatur, ſaltem pluſquam annum inter adventum Magorum & Chriſti natalem diem interceſſiſſe; de eo agemus infra cum ad verba illa ventum fuerit.

Ad poſtremum quod attinet, non eſt difficile conjicere, cur Hieroſolymam illi venerint, ſive ipſorum, ſive Dei, iter ipſorum gubernantis, conſilium ſpectemus. Nam quod ad ipſos attinet, nihil illis procul dubio viſum fuit veriſimilius, quam in metropoli Iudæorum, ipſaque regia urbe, vel natum eſſe novum illum regem, vel ſaltem illic potiſſimum ſciri, ubinam ille, aut quiſnam ſit. Quare eo ſibi eundum eſſe, & de rege illo nato inquirendum, cenſuerunt. Quod ad Dei conſilium attinet, conſentaneum eſt, id eum quæſiviſſe, ut

hujus rei fama tanto esset illustrior, & per alias Judææ oras spargeretur. Quod enim Hierosolymis urbe celeberrima publice factum erat, id in oculis propemodum omnium Judęorum factum, conseri poterat. Quare Iudæis dare videtur voluisse occasionem inquirendi hujus regis, & postea, cum sese patefeciisset, recipiendi, ut excusationem illis adimeret, si ipsi homines Iudæi, regem sibi, & in sua terra natum, non inquirerent aut agnoscerent, quem alienigenæ tantis terrarum spatiis disjuncti, tam longinquo itinere suscepto, inquisivissent, ad eumque adorandum impigre properassent. Id certe huc jure accommodari potest, quod de regina Austri, seu Sabæa, quæ Salomonis audiendi videndique causa in Iudæam venisset, Christus pronunciat cap. 12. 42. Nam quemadmodum illa condemnatura est Iudæos, Christum recipere nolentes: ita & hi Magi eosdem, Christum inquirere ac venerari ignitum nolentes.

*Vbi est qui natus rex Judæorum?* Oratio est directa pro obliqua ex Hebræorum consuetudine. Ipsi enim Magi veluti loquentes introducuntur. Quanquam consentaneum est, Matthęum non ipsorum verba, sed sententiam tantum in pauca contractam referre. Neque enim dubitandum videtur, fusius hæc illos explicuisse. Verba autem illa ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων duplicem possunt habere sensum, ut ab Interpretibus aliis jam antea est indicatum. Alter est; ubi est rex ille Iudæorum, modo, seu recens natus? ut nomen *regis* sit subjectum, *natus* autem veluti prædicati locum obtineat: alter vero est; ubi est is, qui natus est, ut sit Iudæorum rex, seu qui non electione demum futurus est rex; sed qui in jus regni, ut ita dicam, jam natus est, quo pacto tacite videretur opponi Herodi, qui non jure nascendi, sed alieno demum beneficio rex evasisset. Nobis tamen prior sententia simplicior videtur, ac menti euangelistę magis consentanea. Neque credibile est Magos tacite Herodem aut pungere, aut huic novo regi postponere hac ratione voluisse, tanquam factitium, & non naturalem regem. Sensu autem priori admisso, ita puer ille natus dicetur rex Iudæorum, ut solemus etiam vulgari sententia dicere, in regnis præsertim hæreditariis, cum regi filius nascitur, præsertim primogenitus, regem subditis nasci: quia in jus regni nascatur, aut quia rex futurus sit. Eadem ratione Angelus dicit pastoribus apud Lucam cap. 2, natus est vobis hodie Servator, qui est Christus Dominus: non quod revera talis jam tum fuerit, sed quod futurus esset, & in hunc ipsum finem, eaque conditione ex Dei consilio ac decreto natus. Non absimili ratione legimus 1 Sam. 16. 6, dixisse Samuelem, cum aspexisset Eliabum primogenitum Isai filium; certe coram Iehova est Christus ejus, hoc est, hic omnino est is, quem Dominus in Christum seu regem delegit.

*Vidimus enim ipsius stellam in oriente.* Hic iterum quatuor inprimis queri possunt: primum quę, aut qualis fuerit illa stella: secundo ubi primum apparuerit, seu mavis quomodo id sit accipiendum, quod dicant Magi se vidisse stellam in oriente: tertio quando apparuerit; denique quomodo inde collegerint Magi isti, regem Iudæis esse natum. Ad primum quod attinet, receptam apud doctos sequimur sententiam, non fuisse hanc unam ex stellis ab initio mundi a Deo conditis, sed aliam recens conditam, & quidem in hunc ipsum tantum usum, ut Christum natum indicaret: neque plane proprie stellam appellari, sed eo modo, quo cometas, stellas appellare solemus. Probabile enim est meteoron fuisse, ex ejusmodi materia, è quali cometæ fieri solent, a Deo formatum, & stellam vocari, quod similitudinem stellæ referret, tum figura ac specie, tum positu ac loco. Stellam unam ex perpetuis non fuisse, inde facile intelligitur, quod ex stella perpetua colligi nequaquam possit, regem aliquem, nedum Judęorum, nedum hoc illove tempore natum esse, cum ne hominem quidem ullum in lucem esse editum, peculiari quadam ratione significare ulla stella possit. Deinde, quod ex inferioribus apparet, stellam illam naturalem cœli stellarumque omnium cursum non secutam: quandoquidem Magos Hierosolymis Bethlehemum euntes fuit antegressa, donec consisteret supra illum locum, ubi puer Jesus erat. Hic vero cursus a naturali stellarum motu plane fuit alienus. Denique apparet, stellam illam valde fuisse humilem, eo præsertim tempore, cum locum designaret, seu domum, in qua Jesus cum matre esset. Etenim stellę, sive fixę, sive errantes, tantum abest, ut certam aliquam domum positu suo indicare possint, ut ne urbem, imo vix regionem aliquam, utut satis amplam, demonstrent. Ut taceam, ingentem astrorum magnitudinem, quę illis ab Astronomis attribuitur, quę omnibus Judęis apparuisset, si eo usque sese demisisset stella aliqua, ut certas etiam ædes designaret. Quanquam tum non modo totum oppidum Bethlehem, sed etiam totam Judęam, imo omnes regiones unius hemisphęrii, contexisset. Est id quidem verum, potuisse Deum, qui aliquando solem stare, aliquando etiam retrocedere jussit, efficere, ut stella aliqua, statione sua relicta, hoc præter naturam officium præstaret Ios. 10. 12 & seqq. 4 Reg. 20. 9 & seqq. sed quia, ut (1) non nemo interpretum scribit, miracula Deus sine necessitate facere non solet, nec a nobis, nisi probentur, pro miraculis habenda sunt; credibilius est, veram non fuisse stellam, sed corpus ignitum stellæ similitudinem referens. Quanquam enim ne hoc quidem sine peculiari Dei efficacia factum est; aliquid tamen de miraculi ratione decedit, quod naturali etiam cursu similia corpora exoriri, & in sublimi collocari solent. Quanquam nihil dubitandum est, hanc, ut cum Matthęo ita vocemus, stellam, quippiam præ aliis cometis habuisse insigne atque illustre, ut ad significandam summi regis nativitatem esset accommodatior.

Quod ad secundam quæstionem attinet, non sit nobis probabile, ita verba Magorum accipienda esse, ac si dixissent: vidimus enim stellam ejus in oriente positam: sed potius ita, quasi dixissent; nos, cum in oriente adhuc essemus, vidimus ipsius stellam. Etenim priori illo modo rem, quam asserebant, minus reddidissent probabilem, nempe stellam sibi apparuisse, quę significaret Iudęis recens esse natum regem. Quid enim, dixisset aliquis: stella in oriente, loco a Iudæa longe dissito apparens: ad Iudæam, aut regem Iudæis natum? Cur illa non potius supra Iudæam apparuit, vel saltem ea cœli regione, quæ Iudæam aliquo modo respiciat, & ex Astrologorum sententia cum ea quandam habeat conjunctionem? At si posteriore sensu accipiantur verba, hujusmodi objectioni vel suspicioni locus non relinquitur; sed potius alii cuipiam objectioni tacitę occurritur. Potuisset enim illis aliquis objicere: ubi ista stella est? eandem & nobis ostendite. Respondent illi: nunc quidem sibi eam non apparere, sed eam tamen se vidisse in oriente, & ea causa permotos, ut tam longinquum iter susciperent. Quæ res satis illorum verbis fidem facere poterat, ac argumento esse, non

(1) *Maldonatus.* frustra

ſtruſtra illos aſſerere, ſtellam hanc ſibi illic viſam eſſe. Quid enim illos alias ad tam longinquum, tam moleſtum, & huic hominum generi procul dubio inſolitum iter ſuſcipiendum adegiſſet? Quare quod ea ſtella tunc non appareret, id illos in vanitatis ſuſpicionem adducere jure non poterat. Hæc, inquam, vis eſt verborum, ſi poſteriorem ſententiam amplectantur. Adde, quod infra, cum eadem prope verba a Matthæo repetuntur, verſ. 9, dum ait; *& ecce ſtella, quam viderunt in oriente præceſſit illos*, omnino videatur ſignificari, eos, cum in oriente eſſent, vidiſſe illam ſtellam, non vero eos vidiſſe ſtellam in oriente poſitam. Nam ad hanc ſententiam exprimendam videretur omnino fuiſſe addendum adverbium *antea*, vel aliquod ſimile: hoc modo, ſtella, quam viderant ante in oriente (ſcilicet poſitam) præceſſit illos. Neque vero ullo pacto credibile eſt, quod vulgus ſentit, ſtellam ab ipſo oriente ad Judæam uſque Magos deduxiſſe, & ante Hieroſolymam diſparuiſſe. Id enim Matthæus nullo videtur modo fuiſſe taciturus. Sed de hujus ſtellæ poſitu nonnihil adhuc dicemus in ultima quæſtionis explicatione. De tertia quæſtione agemus infra ℣. 16.

Quod ad quartam quæſtionem attinet, non eſt neceſſe multa adverſus eorum ſententiam diſputare, qui exiſtimarunt, eo modo Magos ex ſtella iſta cognoviſſe regem Iudæorum eſſe natum, quo aſtrologi vulgo ſolent res varias ex naturali aſtrorum curſu ac poſitu prædicere. Quid enim Chriſti nativitas ad naturalem aſtrorum curſum habet? Ne hominis quidem ullius, vel regis nativitas, ex aſtrorum curſu aut poſitu colligi poteſt, nedum Chriſti, qui ex ſingulari Dei conſilio præter naturæ curſum natus, & humano generi datus fuit. Et ſane ſi nativitas Chriſti ex hujuſmodi indicio cognoſci potuit, nihil prohibebit, quominus & plures antea Chriſti nati fuerint, aut in poſterum etiam naſcantur, idque ex aſtris colligi potuerit poſſitve. Redire enim ſæpius ſolet idem aſtrorum poſitus, cum naturalis eorum curſus ſubinde in orbem redeat. Quod ſi quis dicat, talem fuiſſe poſitum aſtrorum, qualis nunquam vel fuerit, vel futurus unquam ſit; præterquam quod rem minime probabilem dicet, quærere etiam licebit, quomodo Magi potuerint ex hujuſmodi poſitu rem plane inuſitatam colligere, cum nullum tantæ rei experimentum unquam habuerint. Et etiamſi tandem ſuſpicari quippiam potuiſſe concedamus, qui tam certo ſibi rem perſuadere potuerunt, ut tam longinqui itineris moleſtias ſuſciperent, & rem inter Judæos, atque adeo apud ipſum Herodem regem, non ſine periculo tam conſtanter aſſerere auderent? Sed quid opus pluribus, cum jam ſatis docuerimus, ſtellam hanc unam ex naturalibus ab initio a Deo creatis non fuiſſe. Vulgaris eſt ſententia, non ex ſola ſtella Magos illos Chriſtum natum cognoviſſe. Sed quidnam illud fuerit, unde illi præter ſtellam Chriſtum natum fuiſſe cognoverint, non inter omnes conſtat. Plerique exiſtimant, ex veteri aliqua prophetia, quæ ad ipſorum quoque notitiam pervenerit, viſa hac ſtella collegiſſe. Id quod nobis quoque probatur. Quanquam quænam fuerit illa prophetia, non recte ab illis, noſtra ſententia, explicatur. Etenim conſtantiſſima omnium fere veterum autorum opinio eſt (verba ſunt Maldonati) Magos ex prophetia Balaam jam diu cognoviſſe ſtellam eſſe orituram; nempe quia, ut idem autor addit, in Balaami verbis ſcriptum legitur Num. 24. ℣. 17: *Orietur ſtella ex Jacob.* Magos autem aut poſteros uiſſe Balaami, aut ex ejus poſteris ſive vicinis eam prophetiam traditione accepiſſe cenſet. Sed nemini dubium eſſe poteſt, qui verba inſpexerit, ſtellæ nomen illic non ſtellam aliquam, ſeu proprie dictam ſive cometam ſignificare; ſed regem ac principem valde illuſtrem, & ſtellæ cujuſdam inſtar fulgentem. unde ſequitur: *& conſurget virga de Iſraël, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth, & erit Idumæa poſſeſſio ejus*; ubi idem virga appellatur, ſeu ſceptrum; propterea quod percuſſurus ſit duces Moabiticos, ut ſtatim additur. Cumque aperte aſſeratur ejus poſſeſſionem fore Idumæam, nemo non intelligit, hominem aliquem deſignari. Neque vero ullius momenti eſt excuſatio illius, quem paulo ante citavimus, interpretis, dum ait: novum non eſſe, ut unum verbum, præſertim in prophetiis, & Chriſtum, & Chriſti figuram ſignificet, ut infra: *ex Ægypto vocavi filium meum.* Etenim non facile locum adducet, ubi ita verba propheriæ alicujus duplicem habeant ſenſum, ut metaphorice quidem accipiantur de re futura, ac nominatim de Chriſto, proprie autem ſimul deſignent ejuſdem ſignum aliquod, ſeu indicium. Nam illud, quod affert, longe diverſum eſt, cum prophetia partim de typo, partim de antitypo intelligitur. Certe ſi ita intelligenda illa Balaami verba eſſent de ſtella, nulla foret cauſſa, quin cenſeremus, debuiſſe Chriſto naſcente etiam virgam aliquam, vel ſceptrum exoriri, quod Chriſti naſcentis eſſet ſignum; quia nimirum additur, ut vidimus: *& conſurget virga de Iſraël.* Taceo, quod ille exortus ſeu ſtellæ, ſeu virgæ, non ad nativitatem ejus, de qua ſermo eſt, ſed ad initium potius regni ac poteſtatis referendum ſit. Quicquid ſit, ex hujuſmodi prophetia Magi non potuiſſent colligere, vel ſtellam aliquam in Chriſti nativitate orituram; vel hanc, quæ tunc apparuerit, illam eſſe, niſi aliunde divinitus admonerentur. Ut taceam, plane incertum eſſe, & vix, ac ne vix quidem credibile, ad Magos illos hujus prophetiæ notitiam perveniſſe. Probabilior eſt eorum ſententia, qui exiſtimant, eos per ſomnium hac de re fuiſſe admonitos, quemadmodum infra legimus ℣. 12, eos divinitus admonitos in ſomnio, ne reverterentur ad Herodem. Veruntamen ne hæc quidem ſententia nobis uſquequaque ſatisfacit. Nam vix videretur Matthæus id fuiſſe taciturus; vel ipſimet, cum hoc loco exponunt, quomodo cognoverint, regem Judæis eſſe natum. Cur enim de aſtro ſolo dicerent, ex quo id cognoſcere per ſe haud potuerint; de ſomnio tacerent, ex quo etiam ſolo id, & quidem planiſſime, cognoverint; Adde, quod ſi Deus per ſomnium id illis voluerit revelare, vix ſtella videtur fuiſſe uſurus. Nobis conjecturam ſequentibus, ut in re non ſatis explorata, ita videtur ſtatuendum: notum jam fuiſſe in oriente, atque adeo etiam in Perſide, ubi Judæi jam olim vixerant, expectari a Judæis regem quendam inſignem, quem illi Meſſiam dicerent. Potuit autem ea de re illis vel ex Danielis prophetia conſtare, qui eo uſque vixit, dum Babylonicum Regnum, ſeu Chaldæum a Perſis fuit occupatum, & apud illos in pretio atque honore prophetiæ nomine fuit. Is enim non tantum Meſſiam, ſeu Chriſtum aliquando eſſe oriturum prædixit, ſed etiam tempus ejus rei quanquam myſtice deſignavit, per hebdomadas illas quæ cap. 9. ℣. 24, 25 apud ipſum commemorantur. Eſtque valde credibile, non modo Danielem intellexiſſe, proprie dictas hebdomadas iſthic intelligi non poſſe, ſed & alios ad quorum notitiam

vatici-

vaticinium iſtud pervenit: quandoquidem & ipſum tempus non multo poſt ſententiam hujuſmodi refutavit, & multa alia apud eundem prædicta leguntur, quæ ante Chriſti adventum contingere debere haudquaquam erat dubitandum. Itaque non eſt incredibile, eos animadvertiſſe illas hebdomadas non dierum, ſed annorum eſſe. Unde porro de tempore quoque naſcituri Meſſiæ aliqua ſive notitia, ſive conjectura capi potuit. Quapropter facile etiam fieri poteſt, ut circa illa tempora, quibus Chriſtus eſt natus, Meſſias ille ab Orientis populis expectaretur. Neque ſane abs re factum, (id quod Suetonius ac Tacitus referunt, ut apud Bezam eſt legere) percrebuiſſe Veſpaſiani nimirum tempore, Oriente toto, veterem & conſtantem opinionem: eſſe in fatis, ut eo tempore, Judæa profecti, terris potirentur. Nec enim aliunde ea opinio videtur fuiſſe nata, quam quod jam olim totum Orientem pervagata fuit illa fama, fore, ut Chriſtus circa illa tempora naſceretur, & regna ſive terras ſibi ſubjiceret: quanquam tempus illud aliquanto longius, nempe ad Veſpaſiani uſque tempora, vulgus prorogavit. Hanc ergo ſententiam de Meſſia è Judæis orituro, fundamentum fuiſſe exiſtimamus, ſuper quo Magi illi exſtruxerint ſententiam de Chriſto jam nato, poſtquam ſtellam recens exortam animadverterunt. Sed quomodo, dicet aliquis, ſtella illos docere potuit, Meſſiam, quem naſciturum eſſe cognoviſſent, jam eſſe natum; aut quis nexus inter illam fuit & Chriſti nativitatem? Nos cum res a Sacris Scriptoribus nobis non ſit indicata, id quod vero nobis videtur ſimillimum, dicemus: Cum Magi illi Aſtrologiæ fuerint dediti, ut jam ante eſt indicatum, quæ ars de rebus, quæ in Orbe gerantur, multa conjiccre atque augurari ſolet, ac nominatim etiam ex Cometis: haud difficulter illos, ex illuſtri atque inſigni quodam Cometa, ea cæli regione, quę Iudęam reſpicere videretur, apparente, colligere potuiſſe, illuſtrem quendam principem, de quo jam antea conſtanti fama audiverant, in Iudęa vel jam ortum eſſe, vel mox oriturum. Notum enim eſt, Aſtrologos regiones cæli deſcriptas diſtinctaſque habere, & ſimiliter terras omnes cęlo ſubjectas: & hanc quidem regionem huic ſigno vel Aſtro ſubjectam ſtatuere, aliam rurſus alii. Unde partim ex Planetarum ſub hoc illove ſigno poſitu certis regionibus quędam portendi ſtatuunt, partim ex Cometis, qui ſub iiſdem ſignis apparcant. Quanquam autem nos eatenus vanam hanc artem, ſi modo hoc nomen meretur, eſſe credimus, quatenus de rebus, vel ex Dei conſilio, vel ex humano arbitrio revera pendentibus, ex Aſtris quippiam præſertim certo denunciat, cum non niſi res corporeæ Aſtrorum virtuti per ſe ſint ſubjectę: animi autem eatenus tantum, quatenus ex rebus corporeis inclinationes ac propenſiones quędam animorum proficiſcuntur, ex quibus de ipſo eventu nihil certi colligi poteſt, cum ab aliis impedimentis ipſaque humana voluntate, ac multo magis divina, impediri queat. Illud tamen facile credimus, Meteora valde inſignia, ac cometas illuſtriores, aliquid divinitus portendere, cum id videatur experientia comprobatum. Illud dubium eſſe non poteſt, Aſtrologos hujuſmodi rebus plurimum tribuere. Quare cum Magi, inſpectis ſtellis, deprehenderent illuſtrem quandam atque inſignem ſtellam, in ea cœli regione eſſe exortam, quæ Judæę immineret, aut ſi ita placet communi Aſtrologorum ſententia, Judæę tribueretur, & eam eſſe illius formam, ut non triſte aliquid, ſed potius lætum, ac cum Judæorum gloria ac felicitate coniunctum, denunciare videretur; memores jam dudum Meſſiam a Judæis aliiſque Orientis populis expectari, ejuſque rei jam inſtare tempus, facile in eam venerunt ſententiam, ut exiſtimarent hanc ſtellam omnino ſignificare Regem illum jam natum eſſe. Nam & alias, cum quippiam inſigne expectamus, & jam imminere credimus, etiam leviora indicia in argumentum opinionis noſtræ trahere ſolemus, multo autem magis inſignia, qualis hæc ſtella fuit: tum credibile eſt Deum ita mentes ipſorum direxiſſe, ut complures in eandem ſententiam plane conſpirarent, & adeo non dubitarent de ejus veritate, ut iter etiam eo nomine ſuſcipere vellent, & regem, ſibi etiam, aut ſuarum terrarum hominibus aliquando imperaturum, adorarent. Quapropter etiamſi vix arbitremur, eos ſomnio fuiſſe omnino edoctos ſtellam illam nati Chriſti indicium eſſe; potuerunt tamen occulta quadam ratione mentes eorum a Deo dirigi, ut in hanc ſententiam venirent, & ſine hæſitatione eam amplecterentur. Ex dictis autem facile intelligitur, cur per ſtellam Magis iſtis voluerit Deus nativitatem Chriſti indicare. Voluit nempe Deus illorum ingenio ac captui ſeſe accommodare: & cum in aſtrorum inſpectione aſſidue verſarentur, & ex illis de rebus occultis augurarentur, eos hac ipſa ratione ad rei tam inſignis ſed vulgo ignotæ cognitionem deducere: ut per eos poſtea, ſapientię ac doctrinæ nomine celebres etiam ad cæteros ejuſdem rei fama ac notitia dimanaret.

*Et venimus adorare eum.* Duo hic explicanda ſunt. Primum, quæ aut qualis adoratio intelligatur. Deinde, cur homines illi adorandi hujus pueri cauſa per tot terrarum ſpatia venire voluerint.

Quod ad primum attinet: προσκύνησιν proprie ſignificare corporis inclinationem, vel potius demiſſionem coram alio, honoris ipſi exhibendi cauſa, notum eſt. Fit autem, vel in genua, vel in ipſam quoque faciem procidendo, uti ex ſacris literis patet. Confer inter ſeſe Matth. 8. 2, & Marc. 1. 40. Luc. 5. 12. quod enim eſt apud Matthæum *leproſum adoraſſe Chriſtum*, id apud Marcum eſt γονυπετῶν, hoc eſt, ad genua accidere, vel in genua procidere coram aliquo. Apud Lucam, *quod ceciderit in faciem.* Et hanc vim habet Hebræum *Hiſchtachaveh*, quo adoratio ſignificatur. Sed metaphorice idem ad animum quoque transfertur: ita ut ſignificet eam animi coram aliquo demiſſionem, qua eum veneratur & religioſe colit, tanquam non modo ſupra ſe, ſed ſupra res humanas ac naturales omnes viribus aut poteſtate pollentem, quæ quidem inprimis religioſa dicitur adoratio. Nam & prior illa religioſa fieri poteſt, ſi quis ideo coram re, aut perſona aliqua corpus ſuum proſternat aut inclinet, quia patet in ea divinæ ſive potentię, ſive poteſtatis aliquid exiſtere, vel ſaltem quippiam tale, quod hujuſmodi potentiam aut poteſtatem habeat, repræſentare, cum eove conjunctionem aliquam ſingularem habere: alioquin ad civilis cultus genera referri poteſt. Et hoc quidem modo Perſæ inprimis reges ſuos adorare ſolebant, & hodie populi nonnulli Reges ac Principes ſuos, imo & alienos adorant. Et in ſacris literis Veteris Fœderis, non ſemel hujuſmodi adorationis exempla leges. Atque huc pertinere arbitramur hanc Magorum adorationem. Neque enim credibile eſt, plus hos Magos tribuiſſe puero Jeſu, quam quod a Judæis Chriſto quem expectabant, tribueretur. Satis autem notum

eſt,

eſt, eos credidiſſe Chriſtum regem fore terrenum, longe lateque dominantem, ac potentia cæteros terræ reges ſuperantem. Quare cum venerunt puerum hunc adoraturi, tum illi cultum exhibere voluerunt, qui puero conveniret, in ſpem ac jus hujuſmodi imperii nato. Nam, quod quidam objiciunt, ſi civilis tantum cultus intelligatur, cur tot alios Judæos, natos reges, nemo peregre adoraturus venerit: quomodo Herodes ſe quoque adoraturum dixerit, id facillimam habet reſponſionem, nempe quia nullum alium regem terrenum, præſertim inter Judæos, tam potentem unquam vel fuiſſe, vel futurum eſſe crediderint, de quo a tot ſeculis plurima extiterunt vaticinia, quorum fama per totum orientem ſparſa fuerit. Quare Magi facile exiſtimare potuerunt, eum ſibi quoque olim imperaturum: & Herodes conjicere potuit, talem, ſi modo ſuperſtes ſit futurus, fore, ut jure ipſi cultum tanquam longe potentiori ac ſublimiori exhibere debeat. Quanquam enim non ſerio dixit ſe venturum ut adiret, id tamen expreſſit, quod facere jure deberet, tanta illius pueri dignitate inſpecta. Ex his autem jam ad alteram quæſtionem patet reſponſio. Cauſa enim jam intelligitur, cur Magi è tam longinqua terra adoraturi Jeſum venerint.

Verſ. 3. *Cum autem audiiſſet Herodes Rex, turbatus eſt, & tota Hieroſolyma cum ipſo.* Herodes quidem eſt turbatus, quod metueret, ne vel ipſe, vel ipſius poſteri regno exturbarentur, præſertim cum noſſet & alienigenam ſe eſſe, & invitis magna ex parte Judæis imperare, externa vi, hoc eſt, Romanorum, ipſis impoſitum, & multis ob tyrannica quædam facta exoſum. Nec ignorare poterat impatientes Judæos hujus jugi eſſe; & ad ſeditionem ac rebellionem pronos, facile occaſionem ex fama regis ſibi recens nati, arripere poſſe, jugi illius excutiendi. Urbs autem Hieroſolymitana turbata fuit, quod motus hujuſmodi vereretur: & ſicet jugi hujus pertæſa eſſet, pericula tamen ac graviſſimas bellorum moleſtias exhorreſcebat. Neque enim dubitabant cives Hieroſolymitani, fore ut Herodes regnum ſibi poſteriſque ſuis armis aſſerere, Romanis quoque in auxilium vocatis, vellet, unde non poſſet non cruentum exoriri bellum, donec Herodes a Rege novo, atque una Romani pellerentur.

Verſ. 4. *Et congregatis omnibus Sacerdotibus.* Plures hic ut & alibi ἀρχιερεῖς, ſeu ſummi Sacerdotes ac Pontifices commemorantur, ut infra cap. 20. 18. xxi. 15, & 45. xxvi. 3, 14, 47, 59: cum tamen alias unus tantum ἀρχιερεὺς ſeu ſummus Sacerdos, in ſacris literis commemoretur, qui Sacerdos magnus dici ſolet. Cum plures ἀρχιερεῖς commemorantur, ut hoc loco, capita intelliguntur familiarum Sacerdotalium, ſeu principes claſſium, quæ 24 a Davide fuerunt inſtitutæ, de quibus vide 1 Paral. 24. 24. 2 Paral. 36. 14. Nehem. 11 & 12: cum unus dicitur ἀρχιερεὺς, intelligitur is, qui iterum inter hos omnes excellebat unus, & cæteris regendis præerat; cui ſoli ſanctum ſanctorum quotannis ſe vel ingredi licebat: cujus & veſtitus, & conſecratio, & jura quædam ac privilegia erant peculiaria: de quibus apud Moſen diverſis locis legere eſt. Is inquam ſummus erat ſacrorum apud Iſraëlitas præſes. *Vocavit ergo Herodes Sacerdotes,* quandoquidem illi rerum ſacrarum & vaticiniorum in ſacris literis exſtantium, & habebantur & eſſe debebant omnium peritiſſimi: nec tamen omnes, quia, ut Maldonati utamur verbis, infinitus fuiſſet numerus: ſed principes, qui & pauciores & doctiores erant; vel ſaltem cenſebantur, & honor etiam illis hic a rege videbatur habendus, ut cum de re tanta conſilium eſſet habendum, nequaquam præterirentur.

*Et ſcribis populi.* Per ſcribas hoc loco, ut & alibi in novo teſtamento intelligendi ſunt præcipue illi, qui alibi νομικοὶ, ſeu legiſperiti appellantur, quod facile apparet, ſi quis inſpexerit illa Lucæ loca cap. 7. 30. & xi. 45, 46, 52 & xiv. 3. Maxime ſi quis loca capitis undecimi conferat cum cap. 23 Matthæi: ubi ſcribæ appellantur ii, qui apud Lucam νομικοὶ, ſeu legiſperiti dicuntur. Licet enim nomen ſcribarum latius alioqui pateat, & ad illos etiam omnes nonnunquam extendatur qui publica inſtrumenta conficerent, & magiſtratuum eſſent notarii: illi tamen priores κατ' ἐξοχὴν apud Judæos ſcribæ ſunt appellati. Eorum officium fuit ſacras ſcripturas inprimis incorruptas ſervare, & earum ſenſum interpretari, ac legem populo explicare. Unde nomen iſtud νομικῶν ſunt adepti. Hoc modo & Ezdras ſcriba fuit appellatus Ezdræ. 7. 11 & 12. Confer, & verſ. 10. Hi ergo, cum de re ageretur, quæ ex ſacrarum literarum monumentis eſſet eruenda, & ad quam prophetiarum requireretur cognitio, fuerunt una cum principibus ſacerdotum ab Herode vocati, præſertim cum etiam alias pars concilii publici eſſe ſolerent, ut ex non paucis novi teſtamenti locis perſpicitur. Et ſi quid forte a principibus ſacerdotum ignoraretur, id ab his ſuggeri poterat, aut ſi quid ab illis recte dictum, confirmari. *Ubi Chriſtus naſcitur,* hoc eſt, ubi naſciturus eſſet, præſens pro futuro. Niſi malis ita verba accipere, acſi ſcriptum eſſet, ubi Chriſtus naſciturus dicatur: ita ut verbum rem ipſam ſignificans, pro rei teſtimonio ac declaratione poni cenſeatur: quo pacto videntur accipi illa authoris epiſtolæ ad Hebræos verba cap. 1. 6: *Cum verò iterum introducit,* hoc eſt, introduci ſcribit, vel introducendum eſſe vaticinatur, & illâ cap. 2. 16: *Non ſane alicubi angelos aſſumit,* hoc eſt, aſſumere ſeu adjuvare ſcribitur.

*In Bethlehem Judæa.* Vide ſupra ℣. 1.

*Per prophetam.* Nempe Micheam cap. 5. 2.

Verſ. 6. *Et tu Bethlehem terra Juda.* Senſus hujus prophetiæ ſatis eſt planus. Sed quia verba a Matthæo hic deſcripta, a verbis ipſius prophetæ aliqua ratione diſcrepant; videndum eſt, quomodo inter ſe nihilominus conſentiant. Diſcrepant autem quatuor potiſſimum in rebus, quanquam differentia non ubique perinde magna eſt. Prima eſt, quod cum propheta dicat Bethlehem Ephrata, apud Matthæum dicatur Bethlehem terra Juda. Secunda eaque omnium maxima, eſt in verbis ſequentibus. Propheta enim dicit: *Parva es, ut ſis in millibus Juda.* Matthæus contrarium plane dicere videtur, cum ait: *Nequaquam minima es in ducibus Judæ.* Tertia in his iiſdem verbis continetur, dum propheta dicit, *in millibus Juda*: Matthæus, *in ducibus.* Quarta in eo conſiſtit, quod propheta ſimpliciter habet: *Ex te enim egredietur dominans, ſeu regens populum meum Iſraël.* Apud Matthæum dicitur: *Ex te egredietur Dux qui paſcet populum meum:* quod a propheta uno verbo *Dominantis ſeu regentis* exprimitur, hic duobus efferetur, *Ducis & paſcendi* verbis. Hic antequam ſingula conſideremus, illud generatim monendum eſt, quod ad plura alia ſacrarum literarum veteris fœderis teſtimonia in Novo citata pertinet: Non verba ſem-

ba ſemper a ſacris ſcriptoribus novi fœderis annumerari, ſed ſenſum tantum ſæpe exprimi: idque fere prout in Græca veteris fœderis interpretatione vulgo tum legebatur. Et in prima quidem diſcrepantia facile eſt oſtendere, ut & in quarta, de ſenſu nihil fuiſſe mutatum. Etenim cum Bethlehem dicitur terra Judę, ſeu locus in terra Judaicæ tribus ſitus, diſtinguitur hæc Bethlehem, ab illa quæ in Galilęa inferiore, tribu Zabulon, poſita fuit, quemadmodum verſ. 1 docuimus. Idem autem voluit propheta, dum ad vocem Bethlehem, nomen ejuſdem oppidi antiquum, Ephrata, adjecit. Voluit enim Bethlehem Judææ tribus, ab altero illo diſtinguere. De nomine autem illo Ephrata, quo Bethlehem olim fuerit doſignata, vide Gen. 35. 19, & XLVIII. 7. Quare verba illa, *terra Juda*, explicatio quædam ſunt vocis *Ephrata*; ſeu mavis, id exprimunt, quo propheta reſpexit, cum ad nomen Bethlehem, vocem Ephrata per appoſitionem adjungeret. Verum ſecundum diſcrimen tale eſt, ut alterum alterius explicatio dici poſſe non videatur; cum ſententia verborum prophetæ & euangeliſtæ, adverſis frontibus inter ſe pugnare videatur; & quod propheta affirmat, Matthæus fortiter neget. Prætermiſſis aliorum hac de re ſententiis eam tantum explicabimus, quę nobis maxime probabilis huc uſque viſa eſt, nempe verba prophetæ ita eſſe comparata, ut utrumque ſenſum ferre queant; Affirmantem, ſi ſimpliciter legantur: Negantem, ſi per interrogationem efferantur, hoc modo: *an parva es, ut ſis in millibus Judæ?* quaſi dicas; haudquaquam parva eſt, ut ſis in millibus Juda, id quod apud euangeliſtam dicitur: *Nequaquam minima es ut ſis inter Duces Judæ:* ſenſu nihil aut parum admodum diſtante. Non dicimus omnino per interrogationem efferenda eſſe verba, nam poſſent etiam ſimpliciter accipi, ut diximus, quanquam alio ſenſu: ſed efferri atque accipi hoc pacto poſſe: & præterea credibile eſſe, fuiſſe non paucos tum temporis in populo, qui ad hunc modum rectius illa verba accipi putaverint, præſertim ſi myſticus eorum ſenſus ſpectetur. Cujus rei duę poſſunt cerni cauſæ. Prior eſt, quod verba apud prophetam ita ſint collocata, ut hæc duo: *Parva es, ut ſis in millibus Judæ*, & *ex te mihi egredietur, ut ſit dominator in Iſraël*; non diſſentanea, ſed conſentanea videantur connectere, cum nulla plane diſſenſionis ſeu diſjunctionis ſit nota, nulla adverſativa particula appoſita; quæ tamen omnino ſubaudienda eſt, ſi verba ſimpliciter legantur: Ita enim verba accipienda erunt, ac ſi dictum eſſet: licet *parva ſis, ut ſis in millibus Juda, ex te tamen mihi egredietur.* At ſi verba priora per interrogationem legantur; duas propoſitiones inter ſe conſentaneas, & ex rei natura connexas, complectentur. Unde hoc loco apud Matthæum, per particulam ὃ *enim*, connectuntur, & poſterior prioris rationem reddit. Ideo enim minima nequaquam erat Bethlehem, quia ex ea egreſſurus erat Dux tantus, qualem nulla Judaicæ tribus urbs, imo nulla prorſus unquam protulit. Poſterior cauſa eſt, quod cum hoc loco id divino ſpiritui fuerit propoſitum, ut rem maxime inſignem Bethlehemo præ cæteris omnibus Judææ urbibus ac oppidis adſcriberet, convenientius videatur eam cæteris Judææ urbibus nequaquam minorem eſſe: quam eam adeo eſſe exiguam, ut cæteris annumerari vix poſſit. Et tanto quidem magis ſenſu myſtico, quam literali, quanto res major atque inſignior ſenſu myſtico, quam literali, oppido huic adſcribitur. Nam, ut hoc quoque velut in tranſitu explicemus, ſenſu literali ſignificari videtur, fore, ut poſt everſionem Hieroſolymæ & captivitatem Babylonicam, de qua & ſuperiore capite, & hujus initio, ſermo fuerat, populo in Judæam reverſo, ut prędicitur capite prędecedenti verſ. 10, denuo præſit aliquis ex Davidis poſteris, quemadmodum jam ab initio, a quo reges conſtitui in populo cæperunt, atq; adeo a temporibus antiquis factum fuerat, quemadmodum etiam apud Ezechielem non uno in loco prædicitur. Ita enim inter alia legimus cap. 34. 23: Et *ſuſcitabo ſuper eas* (intellige pecudes meas) *Paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David*, (hoc eſt, aliquem ex poſteris Davidis,) *ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtorem. Ego autem Dominus, ero eis in Deum, & ſervus meus David, Princeps in medio eorum.* Et cap. 37. verſ. 24. *Et ſervus meus*, inquit, *David, Rex ſuper eos, & Paſtor unus erit omnium eorum*, quod repetitur etiam verſ. 25, quod quorſum pertineat, dictum fuerat verſ. 22, ubi ait: *Et faciam eos in gentem unam, in terra, in montibus Iſraël. Et rex unus erit omnibus imperans: & non erunt duæ gentes amplius, nec dividentur ultra in duo regna.* In utroque autem capite, de eo tempore eſſe ſermonem, quo populus reverſus eſſet è captivitate Babylonica, verba, quæ utrobique antecedunt, atque inprimis loco poſteriore, ſatis aperte docent. His addatur locus Oſeæ 3. 4. ubi cum dixiſſet: *Dies multos ſedebunt filii Iſraël ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim*, addit: *& poſthæc revertentur filii Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & David regem ſuum.* Licet autem haudquaquam negemus, verba hæc, potiore, hoc eſt myſtico, ſenſu, ad Chriſtum pertinere contextus tamen ſatis indicat, ea quoque ſpectare ad tempora Babylonicam captivitatem conſequuta: ubi tenuis quædam umbra rei myſtice ſignificatæ exſtitit: quandoquidem Zorobabel, qui ex genere Davidico fuit, Princeps Judęorum fuit, & non amplius Iſraëlitæ è captivitate reverſi, in duo Regna fuerunt diviſi. Quanquam non immerito dici poteſt, non tam in his verbis dici, quid futurum ſit, quam ad quid faciendum Deus illis ſit cauſam atque occaſionem præbiturus. Et quia hic ſenſus adeo tenuis & fere umbratilis fuit, unde factum eſt, ut ipſo corpore, &, ut ſic dicam, ipſo ſole poſtmodum exorto, diſparuerit, & verba ad myſticum tantum ſenſum, hanc ipſorum verborum amplitudinem penitus explentem, ab interpretibus relata fuerint. Quare, ut ad locum Micheę redeamus, cum ſenſu myſtico nativitas ipſius Chriſti, regis tam divini, his in verbis Bethlehemo attribuatur, non eſt mirum, creditum fuiſſe Prophetam potius prędſtantiam Bethlehemi præ cęteris Judææ urbibus, quam vilitatem exprimere voluiſſe: idque Matthęum verba hęc una cum ſacerdotibus & ſcribis hoc myſtico ſenſu referentem, ſequutum fuiſſe. Nam, ut hoc quoque addamus, non fit nobis veriſimile, ſolos illos ſacerdotes & ſcribas ab Herode advocatos, ita hęc verba accepiſſe: ſed etiam tum, cum Matthęus hæc ſcriberet, eandem loci ſententiam, vel vulgo receptam, vel ſaltem non abſurdam viſam fuiſſe. Neque enim cęteroqui credibile eſt, Matthęo relatum fuiſſe, hoc & non alio ſenſu Pontifices & Scribas illos, verba hęc Prophetę citaſſe, vel explicuiſſe: Neque id facile pro conceſſo ſumere potuit, niſi aliunde ipſi conſtitit, hanc ſententiam vaticinii iſtius vulgo receptam

ceptam fuisse. Præsertim, cum possent sacerdotes ac scribæ illi suam de nativitatis Christi loco sententiam ex his prophetæ verbis elicere ac confirmare, etiamsi ita verba accepissent, ut nunc quoque vulgo apud prophetam accipiuntur, nempe, ut sine interrogatione legantur. Nam sive hoc modo, sive altero illo verba illa accipias, nihilominus asseritur, Bethlehemi nasciturum esse Christum. Hæc nostra est de consensu euangelistæ ac prophetæ ipsius, quod ad secundum discrimen attinet, sententia, quam si quis admittere renuerit (quanquam causam non videmus, cur ea repudietur) dicendum erit, verba illa, *nequaquam minima es in millibus Juda*, non ideo ab euangelista apponi, seu mavis a sacerdotibus interjecta esse, quasi illis exacte respondeant, quæ apud prophetam exstant: *parvula es, ut sis in millibus Juda:* sed quod totius loci sententia tale quippiam in se contineat, quod jure opponi queat illis prophetæ verbis: *Parvula es, ut sis in millibus Juda.* Etenim cum prophetæ sententi sit: Parvula quidem es ut sis in millibus Juda, si locum, aut incolarum numerum spectes, sed tamen ex te mihi egredietur Dominator; significat loci quidem ac numeri incolarum habita ratione, Bethlehemum cedere aliis Judææ urbibus, sed ob nativitatem Messiæ inde orituri, cæteras omnes Judææ urbes longe superare, qua in re illud revera continetur, quod Matthæus dicit: *nequaquam minima es inter Principes Judæ, ex te enim mihi* &c. Quare ut in pauca rem contrahamus, Matthæus ista explicatione posita, non censendus erit omnia Micheæ verba, eorumve sententiam penitus referre, præsertim eatenus, quatenus eorum sententia ad rem, de qua agebatur, proprie non pertineret: sed quibusdam omissis, id tantum attulisse, quod partim ad quæstionem propositam proprie spectaret, partim ei erat ita consentaneum, ut in ipso loco tacite comprehensum censeri deberet: ad quod posterius referimus, quod dicit Matthæus, Bethlehemum *nequaquam* esse *minimam inter duces Juda.* Sed jam veniendum est ad tertium discrimen, quod in eo consistit, quod apud prophetam sit *in millibus Juda*, apud Matthæum autem, *in Ducibus Juda*, hoc est, inter Duces tribus Judæ: quemadmodum etiam apud prophetam, *in millibus*, pro inter millia Judæ. Discrimen hoc ortum est ex ambiguitate quadam vocis Hebrææ *Alaphim*, quod vel ipsum, vel saltem levi mutatione adhibita, Duces significat, cum alias designet millia. Et Duces quidem hoc nomine, vel vicino *Alluphim*, significari ideo videntur, quia millibus præsint, unde *Chiliarchi* appellantur: & nominatim populus Judaicus, in Chiliadas erat distributus, ut apparet Exod. 18. 25, quibus, qui præerant, *Alluphim*, vel, ut nonnullis placet, hoc ipso nomine *Alaphim*, appellabantur. Et hoc quidem loco, voce *Ducum*, non ipsa tantum capita Chiliadum intelligi debent, sed simul quoque comprehendi debent ipsorum Chiliades seu legiones, quibus præerant, tanquam ipsorum, ut ita dicam, corpora. Unde apparet, in sententia, nullam revera esse inter prophetam & Matthæum discrepantiam. Et sane comparatio ipsa satis ostendit, non de solis Ducibus esse sermonem; sed de Ducibus, & eorum Chiliadibus seu legionibus simul junctis. Neque enim Bethlehem satis apte cum ipsis Ducibus conferretur: sed cum Ducibus simul & eorum chiliadibus satis apte confertur, quia incolæ incolis, & turmæ Bethlehemiticæ, turmis aliarum civitatum, tribus Judæ, quæ singulæ a singulis Ducibus regi solebant, recte conferuntur: Maluit autem Matthæus, & ii, quos in hac parte secutus videtur, Ducis nomen hoc loco ponere: quia hic comparatio inprimis instituitur inter Bethlehemum & alias Judæ urbes aut Chiliadas, ratione habita Ducis. Quartum discrimen adeo est exiguum, ut vix commemorari mereatur. In sensu enim nullum plane discrimen est: tantum quod una voce exprimit propheta, id pluribus expressit euangelista. Nam participium *Dominans*, quod ponitur pro nomine Dominatoris, Hebræorum more, ut etiam apud Matthæum ἡγέμων pro ἡγεμών, complectitur id totum quod dicit Matthæus: Dux qui pascit: pascere enim hoc loco significat regere. Regere autem, Ducum est, vel dominatorum. Notant interpretes quidam, etiam apud Homerum Reges dici pastores populorum: quandoquidem & pastores regunt greges suos, & simul curant. Verum hic ut alii nonnulli interpretes notarunt, alia adhuc metaphoræ ratio subesse potest; nempe allusio ad Davidem hujus Ducis progenitorem, de quo nominatim sacræ literæ dicunt, eum fuisse a Deo assumptum, ut pasceret populum Israëliticum, allusione facta ad pristinam illius conditionem & vitæ genus, quandoquidem a pascendis ovibus, ad regendum Dei populum est traductus. Nam ut est Psal. 68. 60, *sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum, pascere Iacob servum suum* (Hebræos populum suum) *& Israel hæreditatem suam, & pavit eos* (scilicet David) *innocentia cordis sui, & intellect. us manuum suarum deduxit eas.* Istud non commemoravimus (neque enim inter discrimina poni merebatur) quod apud prophetam simpliciter est Dominator in Israël; apud Matthæum vero vox *populi* præponitur nomini Israëlis: cum dicitur *pascet populum meum Israël.* Quisque enim videt, vocem *populi* majoris perspicuitatis causa fuisse præfixam: & *Israël* apud prophetam populum Israëliticum significare, ita ut nullum prorsus sententiæ hic sit discrimen. Antequam hinc abeamus, duo adhuc restant addenda. Primum est quam vim habeat pronomen *mihi*, in illis verbis, *ex te mihi egredietur.* Non est quidem apud Hebræos inusitatum, ut dativi hi redundent; ut cum, verbi gratia, dicitur, ibo mihi, pro ibo simpliciter: mittendo mihi ad scopum, pro mittendo ad scopum simpliciter: Sed notat tamen ad hunc locum Vatablus, *egredietur mihi*, id est, in utilitatem meam & totius populi: ut *mihi* significet finem *cui*, ut loquuntur. Deinde paucis explicandum est, quia ab aliis quoque interpretibus attingitur, cur hic non sint addita illa verba, quæ apud prophetam statim subjiciuntur: *& egressus ejus*, hoc est, *Dominatoris, a quondam* (seu ab antiquis temporibus,) *a diebus seculi*, quibus verbis vulgo existimant significari generationem, seu, ut nonnulli loqui amant, emanationem illam ab æterno & ante secula: quanquam falsè; cum nec verba illa *a quondam & a diebus seculi*, tempus significent, quod mundi initium fuerit antegressum, atque omni initio carens, cum non modo vetus interpres, sed & alii recentiores, voces illas *a quondam*, reddiderint *ab initio*: initium vero æternitati illi tam repugnet, quam quod maxime: Et *dies seculi* tempora significant antiqua Esai. 63. 19. Matth. 3. 4. Amos. 9. 11. Deut. 32. 7. Quo accedit, quod ex antecedentibus satis apparet, hoc loco de egressu, seu, ut vox Hebræa sonat, egressibus ex oppido

Bethlehem, ſermonem eſſe, & ideo plurali numero vocem hanc efferri, quia egreſſus plures Dominatori huic quodammodo conveniant, quatenus majores etiam ipſius longa ſerie ex illo oppido jam ab initio atque a multis retro ſeculis inde egreſſi fuerant, atque ipſe Chriſtus vel Dominator per illos. Quanquam & alius horum verborum ſenſus eſſe poteſt; qua de re non eſt hic fuſius dicendi locus. Ad quæſtionem ipſam nobis propoſitam, reſpondemus, ideo hæc verba non fuiſſe addita, quia ſine illis ſententia jam conſtabat, & res de qua quærebatur, ſatis jam explicata fuerat: Id enim unum quærebatur, ubi Chriſtus eſſet naſciturus. Naſciturum autem Bethlehemi, verba a Matthęo adducta abunde docent: nec quicquam illis addere poterant ſequentia, ut ſententia illa melius intelligeretur, aut certius deprehenderetur.

*Clam vocatis Magis.* Clam illos vocat, quia inſidias parat, & credibile eſt illum publice præ ſe tuliſſe, fidem ſe Magorum ſermoni non habere, eumque contemnere, ne de fraude atque inſidiis quicquam aliis ſuboleret.

Ἠκρίβωσεν. Accurate perquiſivit.

*Tempus apparentis aſtri.* Id eſt: tempus quo primum apparuit ſtella.

*Et cum veniſſent in domum.* Veriſimile omnino eſt, non in ſtabulo amplius repertum fuiſſe puerum cum matre. Eſt enim plusquam probabile, operam omnino dediſſe ſedulam Joſephum, ut & uxori puerperę, & infanti tenerrimo, locum commodiorem reperiret: & credibile eſt, interea temporis diſceſſiſſe hoſpites, qui cenſus cauſa in oppidum illud confluxerant, & ita occupaverant ædes, ut Mariæ nonniſi in ſtabulo locus eſſet.

*Cadentes adorarunt illum.* Hic ritus adorationis exprimitur, participio *cadentes*, ſeu mavis, cum procidiſſent, qua de re diximus jam ſupra verſ. 2.

*Theſauris ſuis.* Theſauri hic ſumi videntur, pro ciſtis, aut vaſis in quibus theſauri erant conditi.

*Obtulerunt ipſi munera, aurum, & thus, & myrrham.* Meminimus jam ſupra, plane incertum eſſe, an, quemadmodum Pontificii vulgo exiſtimant, alius illorum Magorum aurum obtulerit, alius thus, alius myrrham. Probabilius eſt illos ita promiſcue hujuſmodi dona obtuliſſe; ita ut omnes junctim hæc dona obtulerint, vel alius eorum unum, duo, aut etiam omnia, prout cujuſque facultates erant. Quanquam id maxime placet, omnes junctim dona hæc obtuliſſe. Obtulerunt autem una cum auro thus & myrrham, quia hujuſmodi rebus orientales abundare ſolebant. Moris autem Perſis fuiſſe, ſine munere Reges non adire, jam ſupra diximus: quod autem regibus præſtari ſoleret, id præſtiterunt hi Magi puero in jus regni nato, ſeu regi futuro.

*Divinitus admoniti in ſomnio.* Hoc videtur factum eſſe per Angelum, quemadmodum & ſuperius de Joſepho cap. 1. verſ. 20, & paulo poſt hoc ipſo capite verſu ſequenti. Quanquam, quia non videtur Angelum Domini per ſomnium illis apparuiſſe, quod de Joſepho utrobique expreſſe legitur; conjici poteſt, alio modo Joſephum, alio Magos per Angelum fuiſſe admonitos; & Joſephum quidem in ſomnio Angeli ſpeciem ſibi videre fuiſſe viſum, cum expreſſe dicatur ipſi in ſomnio Angelum Domini apparuiſſe: Magis autem illis, etiam ſine Angeli apparentis ſpecie, hæc cogitatio injici, & monitum hoc divinum illis patefieri potuit, ita nimirum ut viderentur ſibi vocem aliquam audire alicujus, qua juberentur alio itinere domum reverti.

*Secunda pars capitis.*

*Cum autem ſeceſſiſſent illi.* Hic incipit ſecunda hujus capitis pars, quę agit de ſingulari cura ac providentia Dei, in vita Chriſti tuenda, & ex periculo eripienda. Quanquam ſimul etiam ille providentiæ divinæ effectus attexitur, qui apparuit in Chriſto, ejuſque parentibus, ex fuga atque exilio reducendis & tuto loco conſtituendis. Itaque duo iterum ſecundæ hujus partis membra ſunt, quorum prius ab hoc verſiculo extenditur uſque ad finem decimi octavi: alterum uſque ad finem capitis. Vide ſupra. *Surgens accipe*, quaſi dicat, Confeſtim ſurge, & accipe puerum. Non enim ſignificat, eum ubi conſueto more mane ſurrexerit, aſſumere puerum & matrem ejus ac in Ægyptum fugere debere; ſed ſtatim id debere facere: ut ex ipſo illius facto, quod verſu ſequenti narratur, apparet. Ea enim ipſa nocte mandatum divinum ſtatim executus eſt. *In Ægyptum* quia ea regio extra Herodis ditionem erat: & hac ipſa occaſione impletum fuit vaticinium, de quo mox agetur verſ. 15.

*Ut impleretur dictum a Domino per prophetam dicentem, ex Ægypto* &c. Locus exſtat Oſeæ 11. 1. Satis autem loco inſpecto ab unoquoque intelligi poteſt, non literali ſed myſtico ſenſu hæc verba ad Chriſtum accommodari, atque in eo impleta dici: quandoquidem manifeſtum eſt, ibi de Iſraële, hoc eſt, Iſraëlitico populo, ſermonem eſſe, quem Deus filium ſuum vocat, propterea, quod eum populum inſtar filii cujuſdam dilexerit, quo pacto Exod. 4. 22, filius Dei primogenitus dicitur: quod ita viri docti recte explicant, quaſi dixiſſet Deus: tam charus eſt mihi, tam pretioſus Iſraël, quam ſolent patribus primogeniti: ex omnibus enim nationibus hunc populum mihi peculiariter elegi. Eodem modo legimus Jerem. 31. 9: *Factus ſum* (inquit Deus) *Iſraëli Pater, & Ephraim primogenitus meus eſt.* Hunc eſſe ſenſum loci hujus apud Oſeam, docent verba præcedentia: *quia*, vel ut nonnulli reddunt, *cum puer Iſraël, & dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum*, quaſi dicat, cum adhuc ageret Iſraël in Ægypto, nec ad magnitudinem juſtam excreviſſet, vel ſaltem generis ſui incunabulis eſſet propior, eum præ aliis populis elegi, ut eſſet mihi vice filii, eum poſtea ex Ægypto evocavi. Sed quia populus Iſraëliticus, de quo perinde ac de una perſona loquitur propheta, typus fuit Chriſti, ideo quæ de populo iſto, literali ſenſu dicta fuerant, ad Chriſtum myſtice referuntur.

Verſ. 16. *Tunc Herodes videns.* Particula *tunc* non videtur illud ipſum temporis punctum ſignificare, cum primum Herodes animadvertit ſe a Magis quodammodo deluſum eſſe, præſertim, ſi, ut ordo verborum poſtulare videtur, particula hæc non tantum ad verbum *excanduit*, referatur, ſed etiam ad id quod ſequitur: *& mittens ſuſtulit omnes pueros qui Bethlehemi erant.* Etenim veriſimile eſt, cum vel propterea cruentum hoc ſuum conſilium diſtuliſſe, ne res, quam ſpectaret, animadverteretur, hoc eſt, ne pateret vulgo eum id agere, ut puer ille, quem nuper natum eſſe audiiſſet, è medio tolleretur, & ſic regnum ſuum ſtabiliretur. Itaque credibile eſt, eum alium quempiam prętextum huic rei quæſiviſſe, & tempus aliquanto opportunius expectaſſe. Nec illud incredibile eſt, quod nonnulli cenſent interpretes, eum prius tentaſſe, an ipſum illum puerum invenire poſſet, ut ſolum potius occideret, quam omnes una infantes trucidaret, quod ſe ſine magno totius populi in ſe odio facere non poſſe probe norat: cum, ut iidem notant interpretes, ex Joſepho

ſepho intelligamus, eum omnibus modis populi gratiam venari ſolitum, ne tanquam peregrinus de regno deturbaretur.

*Quod deluſus eſſet.* Ita hoc factum Magorum interpretatus eſt Herodes, ex cujus ſententia ita Matthæus factum hoc deſcribit. Nam cæteroquin non erat hæc deluſio, quandoquidem Magi divinitus juſſi id fecerant. Niſi dicere malis deluſionem ideo dici, quia deluſioni hoc factum ſimile fuerit, propterea quod ſpem illius, quam promiſſo ſuo fecerant, fefellerunt, & ſe ſubduxerunt.

*Mittens ſuſtulit.* Ellipſis Hebræis uſitata. Subauditur enim nomen ejus, ſive eorum, quos miſerit. Subintelliguntur autem carnifices, ſeu mavis ſatellites, aut ſpiculatores. Eadem ellipſis reperitur infra cap. 14. 10, ubi de Ioannis Baptiſtæ cæde agitur, quam Marcus, eandem hiſtoriam referens, explicat, dum ait: Regem miſiſſe ſpiculatorem ſeu ſatellitem, qui nimirum caput illi abſcinderet. Vide etiam infra Matth. 27. 19, & Marc. 3. 31. vi. 17. Pſal. 17. 4. cv. 19.

Ἀπὸ διετοῦς. De his verbis videatur Beza.

*Secundum tempus quod accurate exquiſiverat a Magis.* Hic locus videtur ſignificare, ab eo tempore, quo ſtella primum apparuerit Magis, circiter biennium effluxiſſe, ad illud uſque tempus, quo Herodes infantes Bethlehemiticos occidi juſſit: quandoquidem dicitur, Herodem juſſiſſe tolli pueros, intra biennium natos, ſecundum tempus, quod a Magis cognoviſſet. Tempus autem intelligit, quo primum ſtella apparuerit, ut conſtat ex ver. 7. Quod ſi admittatur, ſtatuendum erit Magos non veniſſe ante diem purificationis Mariæ, ſed ſequenti demum anno. Neque enim credibile eſt, Herodem tamdiu rem animo conceptam diſtuliſſe, & duos fere annos expectaſſe poſt Magorum abitum, & tum demum infantium cædem patrare voluiſſe. Credibile quidem eſt, ut ante quoque innuimus, Herodem aliquouſque rem diſtuliſſe, ſed biennii mora nimis longa ipſius crudelitati atque ambitioni cum metu coniuncta fuiſſet. Et hæc ſane præcipua eſt cauſa, cur viri quidam docti exiſtiment Ioſephum cum Maria, peracta purificatione in templo Hieroſolymitano, Nazaretham, ut Lucas ſcribit, diceſſiſſe, atque inde rebus ſuis compoſitis Bethlehemum fuiſſe reverſos, atque ibi rerum ſuarum ſedem fixiſſe; ac tum demum Magos adveniſſe, ac Chriſtum recens natum adoraſſe: biennio fere a nativitate ipſius exacto. Quanquam & alia quidam illi cauſam hujus ſententiæ habent. Nempe ſi ante purificationem Mariæ veniſſent Magi, non potuiſſe parentes Chriſti tuto Hieroſolymam purificationis cauſa ire, metu Herodis, qui infanti ſtrueret inſidias: & recta illis Bethlehemo in Ægyptum fuiſſe migrandum. Quod nec alias credibile fit, cum par ſit exiſtimare, Deum voluiſſe & infanti tam tenero, & matri, quæ puerperio recens fuiſſet defuncta, parcere: nec tam longinquo itinere fatigare. Sed huic poſteriori rationi ſatisfieri facilius poteſt. Nam ſi, ut nos quidem arbitramur, Magi aliquot poſt Chriſtum natum dierum hebdomadibus venerunt, paulo nimirum ante Mariæ purificationem, nihil prohibuit eos poſtea Hieroſolymam veniſſe, & purificationis ritu peracto Nazaretham abſque periculo migraſſe: quandoquidem Herodi, quiſnam eſſet infans ille, nondum conſtitit, cum neminem ipſe, qui rem exploraret, miſiſſet, ſed longe certius a Magis cogniturum ſe exiſtimaſſet, & parentes Chriſti homines eſſent obſcuri, è quibus regem tantum natum fuiſſe minime erat credibile. Quare & venire Hieroſolymam, & inde Nazaretham migrare, tuto potuerunt, Herode præſertim crudele conſilium in commodius tempus differente, & exulceratum animum nondum prodente. Quo accedit, quod tanto minus parentes ſuſpicioni potuerunt eſſe obnoxii, quod cives Bethlehemitici non eſſent, ſed cenſus tantum cauſa inter turbam & confluxum hominum ingentem eo veniſſent. Verum prior ratio magis videtur urgere. Reſpondent interpretes (*) quidam doctiores, Herodem ad aliud tempus, quod exquiſierat a Magis duos præterea adjeciſſe annos. Itaque illa verba *ſecundum tempus, quod exquiſierat*, non ſignificare occiſos eſſe omnes pueros, qui nati eſſent duobus annis, poſtquam ſtella apparuiſſet, ſed eos, qui nati duobus antequam appareret annis. Cauſam autem hanc ajunt fuiſſe, cur Herodes tempus tam longe anteverterit, quia Magi non naſciturum, ſed jam natum eſſe Chriſtum affirmaverint. At quanto ante tempore natus eſſet, neque affirmaverint, neque fortaſſe ſciverint. Stellam enim jam natum, non quando natus eſſet, ſignificaſſe. Voluiſſe ergo Herodem cautionis & ſecuritatis cauſa, omnes, qui duobus, antequam ſtella apparuiſſet, annis nati eſſent, occidere: ſicut non ſolum eos, qui Bethlehemi, ubi Chriſtum ſacerdotes naſciturum dixerunt, ſed etiam omnes, qui in omnibus finibus ejus nati eſſent, occidit. Atque ita non ſolum loco, ſed etiam tempore, plus quam neceſſe erat, crudelitatem extendiſſe, & ne forte erraret, errorem auxiſſe. Hæc reſponſio ut nulla cogente ratione videtur refutari poſſe, ita viciſſim nonnihil duritiei habet. Etenim cum Herodes accurate dicatur exquiſiviſſe tempus illud, quo ſtella apparuerit, a Magis, & ſtella illa, ut hic ponitur; non naſciturum, ſed jam natum, & natum quidem, ut ſatis intelligitur, recens ſignificaverit, non eſt credibile, Herodem integrum biennium voluiſſe antevertere: præſertim cum iidem Authores fateantur, eum alias populi gratiam omnibus modis venari ſolitum. Quare cum nullam videret neceſſitatem, crudelitatem hanc ad integrum biennium extendendi, non eſt vero ſimile, eum hoc pacto voluiſſe odium populi ingens ſibi conflare. Quare nobis probabilius videtur, ſtellam non poſt natum demum Chriſtum apparuiſſe; ſed haud paulo ante, atque adeo circa conceptionem Chriſti; & facile fieri potuit, ut is fuerit ſtellæ poſitus, ut Magi illi ex diſciplina ſua colligere potuerint, Deo præſertim ſeſe illorum captui accommodante, imo & mentes eorum dirigente, quando rex ille natus atque in lucem jam editus fuiſſet. Solent enim Aſtrologi parva etiam rerum cæleſtium diſcrimina obſervare, & exinde quid vel mox futurum ſit, vel factum jam fuerit, augurari. Quare cum fere annus ab eo tempore eſſet exactus, cum primum apparuit ſtella, facile in eam ſententiam venire Herodes potuit, Chriſtum jam tum, cum primum ſtella apparuit, in lucem editum fuiſſe. Itaque ſatius eſſe, tempus illud antevertere, nec tantum Magorum illorum peritiæ tribuere, ut vel non potuerint per breve aliquod tempus ortum illius ſtellæ ignorare, vel in judicando errare, utrum ortus illius ſtellæ primus Chriſtum jam natum, an mox naſciturum ſignificaret. Neque verò neceſſe eſt, ut verba illa, *ſecundum tempus*, ſignificent vel initium iſtius biennii, vel finem incidiſſe in tempus, quo primum cœperit apparere ſtella: ſed Herodem habita ratione illius temporis, quod accurate a Magis exquiſierit,

(*) *Maldonatus.*

& bimulos & natu minores occidi juſſiſſe, quandoquidem ratio temporis, quo ſtella illa primum fuiſſet exorta, habita ratione conſilii ac ſcopi Herodis, ita poſtulare videretur. Hoc niſi concedatur, magis in eorum inclinamus ſententiam, qui ſtatuunt Magos non ante purificationem Mariæ, ſed altero demum anno veniſſe, & Joſephum cum Maria Bethlehemum remigraſſe, quandoquidem hoc ipſum ejus rei argumentum erit, quod Magi eos Bethlehemi deprehenderint. Sed quia & hoc durum videtur, tamdiu in priori ſententia acquieſcemus, donec quippiam melius invenerimus.

Verſ. 17. *Tunc impletum eſt id, quod dictum eſt a Jeremia Propheta.* Locus exſtat Jerem. 31. 15 qui inſpectus, ſatis docet, literali ſenſu iſthic alia de re agi: nempe de aliarum tribuum Iſraëliticarum Judæ nimirum & Benjamin, in captivitatem Babylonicam abductione, ut ab aliis quoque interpretibus eſt annotatum. Referuntur autem a Matthæo ad cædem infantium Bethlehemiticorum propter rei ipſius ſimilitudinem, quia id, quod olim quidem impletum fuit in aliis, in illis infantibus iterum fuit impletum. Sic infra cap. 15. ℣ſ. 7, 8, ait Chriſtus ad Scribas & Phariſæos: *Bene prophetavit de vobis Eſaias dicens: Appropinquat ad me populus hic* &c, cum tamen ex ipſo Prophetæ loco ſatis conſtet, id dictum fuiſſe de hominibus ipſius Prophetæ tempore viventibus. Accommodatur ergo ad Scribas & Phariſæos, cum quibus Chriſto negotium fuit, propter rei ſimilitudinem, quaſi dicat: In vos quadrant illa Eſaiæ verba, ut de vobis vaticinatus fuiſſe quodammodo videatur. Obſervandum enim eſt id, quod ſemel dicendum, ne dicere ſæpius cogamur, ea quæ in Veteri Teſtamento ſenſu præſertim literali de aliis ſive rebus, ſive perſonis dicta ſunt, ad alias res perſonaſve in Novo non raro referri; idque vel propter ſubordinationem quandam, vel propter rerum quandam ſimilitudinem, vel propter utramque. Similitudo autem illa non unius eſt generis; interdum enim talis eſt, ut res aut perſona una alterius ſit typus. Interdum nulla eſt hujuſmodi inter illa relatio, ſed alias unius ſunt generis: quod poſterius & hoc, & cap. 15 loco contingit. Interdum dilutior quædam, ut ita dicam, ſimilitudo inter res diverſas cernitur, propter quam verba de alio in Veteri Teſtamento dicta, ad alia in Novo accommodantur: cujus generis exempla habemus inter alia ad Rom. 10. 6 ſeqq. ubi quæ de lege olim fuerant dicta, ad juſtitiam fidei referuntur: & ℣ſ. 18, ubi quæ de cœlis Pſaltes dixit, accommodantur ad Apoſtolos: & de hoc poſtremo genere interdum nominatim dicere ſolemus, verba per accommodationem ſaltem ad hanc illamve rem referri. Cætera quæ huc pertinent videantur in Commentario Epiſtolæ ad Hebræos 1. 5, 6.

Verſ. 18. *Vox in Rama audita eſt.* Rama hæc oppidum fuit tribus Benjamin, ut apparet ex Joh. 18. 25. Confer. ℣ſ. 11, & Judic. 19. 13. Poſſunt autem hæc verba duplicem habere ſenſum; vel, vocem illam Ramę emiſſam a Rachele plorante, auditam fuiſſe, intellige ſive Ramæ, ſive etiam alibi: vel vocem alibi emiſſam, etiam Ramæ auditam eſſe. Prior ſenſus magis quadrat ſenſui, ad quem Propheta olim reſpexit: Poſterior magis illi, ad quem Matthæus. Etenim cum Bethlehemitici tantum oppidi & adjacentium pagorum infantes fuerint occiſi, non tam clamor ille lugubris Ramæ fuit editus, quam in toto Bethlehemitico territorio atque agro editus, etiam Ramæ, loco nimirum non adeo diſſito, fuit auditus. Apparet enim ex dicto antea loco Judic. 19, ſi ſuperiora quoque conſiderentur, non adeo longe abfuiſſe Ramam a Bethlehemo.

*Rachel flens liberos ſuos.* Rachel, ſi Prophetæ ſenſum ſpectemus, poni videtur pro filiabus Rachelis, hoc eſt, fœminis tribus Benjaminiticæ, quarum liberi partim occiſi eſſent, partim in captivitatem abducerentur. Diximus enim, Ramam fuiſſe Benjaminiticæ tribus oppidum. Rachel autem mater fuit Benjamini, atque adeo ipſius quoque poſterorum. Illa ergo plorans introducitur, quia ſo minæ quoque ex illa natæ, deploraverunt liberos ſuos: vel, ſi ita placet, per proſopopœiam Rachel ipſa plorans introducitur, quia ſi ſenſum habuiſſet, & tantam poſterorum ſuorum cladem vidiſſet, lachrymas continere non potuiſſet. Et hoc poſteriori modo videntur Racheli lachrymæ ac fletus a Matthæo tribui. Nam alias, cum Bethlehem non Benjaminiticæ, ſed Judaïcæ tribus eſſet oppidum, non videtur Rachel pro filiabus ſuis ſeu fœminis ex ſe natis ſumi, ſed ſignificari Rachelem, quę Bethlehemi ſepulta fuerat, quodammodo ploraſſe, ſeu ploraturam fuiſſe, ſi iſta vidiſſet, quia res fuerit lachrymis digniſſima, & a matribus iſtorum infantum largiſſimas propterea lachrymas fuiſſe fuſas. Quare Rachel tanquam fœmina, pro omnibus aliis fœminis Bethlehemicis, plorans & liberos ſuos deflens introducitur, præſertim quia, ut ut iſtorum infantium mater non fuerit, utpote ex Lea progenitorum, tamen filii ipſius dici poſſunt, quia & ſui mariti & ſororis ſuæ filii fuerunt.

*Flens* Participium ponitur pro indicativo, ſive per Hebraiſmum, ſive per Græciſmum, ut ſubaudiatur verbum *Lī*. Vide ſimilia exempla Rom. 5. ℣ſ. 11. VII. ℣ſ. 13. IX. 28. 1 Cor. 3. 19. Act. 26. 20. *Quod non ſunt.* Mortui dicuntur *non eſſe*, vel quia perinde ſit ac ſi non eſſent, propterea quod actu ipſo non vivant, licet ſpiritus ipſorum maneant ſuperſtites: vel quod non amplius inter homines ſint, nec exſtent ibi, ubi antea verſari ſolerent. Priori modo abſolute, poſteriori relate, *non eſſe* dicuntur. Priori potiſſimum modo videntur accipi hæc verba Pſalmi 39. 14. Eodem referri poteſt, imo debet, locus Jobi 14. 10, & Thren. 5. 6. In loco noſtro, ſi prophetę ſententiam ſpectemus, nihil prohiberet poſteriori modo liberos illos quos Rachel deploraſſet, non eſſe, præſertim ſi ad eos reſpiciatur, qui in captivitatem erant abducti: quo pacto de Enocho, a Deo tranſlato, dicitur Gen. 5. 24, eum non fuiſſe, hoc eſt, ut vetus habet Interpres, non apparuiſſe: ſed Matthæi ſententia prius illud potius requirit.

Verſ. 19. *Ecce Angelus Domini.* Vide quæ de ſimili loco diximus ſupra, cap. 1. ℣ſ. 20. *Apparet* præſens pro præterito, ut ſupra, ℣ſ. 13. Frequens hoc eſt apud Marcum & Joannem.

Verſ. 20. *Mortui enim ſunt, qui quærunt animam pueri.* Enallage eſt numeri pluralis pro ſingulari. Manifeſtum enim eſt ex verſu præcedenti, hic de ſolius Herodis morte ſermonem eſſe. Cenſent autem viri nonnulli docti, ideo plurali numero uti Matthęum, licet de uno loquatur, quia unus Herodes multorum inſtar fuerit, ſeu quodammodo multos in ſe fuerat complexus: quandoquidem multos habuerit carnifices, quibus in quærenda hujus pueri anima uſus fuerit. Quę obſervatio ne nobis quidem diſplicet. Obſervande autem hæc ſunt propter eos, qui cum plurali numero Scriptura utitur, de Deo loquens, aut ipſum Deum loquentem introducens, hinc pluralitatem perſonarum in una Dei eſ-

ſentia

ſentia colligunt, qui iidem ex hoc Matthæi loco deberent plures quoque perſonas in una Herodis eſſentia conſtituere. Sed non deſunt & alibi in Sacris Literis hujuſmodi Enallages exempla, ſive quiſpiam de ſe ipſo, ſive de alio loquatur; ſuntque a noſtris alibi notata. 3 Reg. 12. cap. 22. ℣ſ. 3. 2 Paral. 10. ℣ſ. 9. Marc. 4. ℣ſ. 30, (conferatur hic locus cum Luc. 13, 18) Joan. 3. ℣ſ. 11. Rom. 1. ℣ſ. 5. Galat. 1. ℣ſ. 8. 9. Hebr. 5. ℣ſ. 11. VI. ℣ſ. 1. 3. 9. cap. 13. ℣ſ. 18. confer ℣ſ. 19. Sed de hac re non eſt fuſius hic diſſerendi locus. *Quærere* autem *animam alicujus*, hoc loco, eſt vitæ alicujus inſidiari, ſeu ad necem eum quærere: licet etiam contrario ſenſu alicubi phraſin hanc uſurpatam cernamus, Pſal. 42. ℣ſ. 5. Ponitur enim ibi, pro ſalutem alicujus quærere, eive ſtudere. *Animam* pro vita creberrime uſurpari, notum eſt.

Verſ. 22. *Divinitus autem admonitus. Vide* ℣ſ. 12.

Verſ. 23. Κατῴκησεν εἰς πόλιν. Εἰς videtur hoc loco poſitum pro ἐν, quod non eſt infrequens: vide inter alia, Marc. 2. ℣ſ. 1.

*Ut implerctur quod dictum eſt per Prophetas.* Non caret hic locus difficultate, quæ Interpretes fere omnes exercuit. Neque enim apparet ullus Scripturæ locus, ubi hoc expreſſe contineatur, nedum plures, ut verba hæc indicare videntur, quandoquidem hic dicitur, non per Prophetam ſcriptum hoc fuiſſe, ſed per Prophetas. Prolixe hac de re agitur alibi a noſtris. (1) Summa eorum eſt, quæ ab illis dicuntur, primum ſatis ex Sacris Literis manifeſtum eſſe, plures libros ſacros, qui olim extiterint, periiſſe: quandoquidem in ipſis Veteris Teſtamenti libris citantur libri præſertim Prophetarum, 1 Paral. 29, 29. 2 Paral. 9, 29. 2 Paral. 12, 15. cap. 13. 22, quorum nullum amplius exſtat veſtigium. Deinde non neceſſe eſſe, ut expreſſe hæc verba fuerint ſcripta, ſed ſatis eſſe, eorum ſenſum extare. Conſtare autem ex ſacris literis Veteris Fœderis, de pluribus, de quibus jure affirmari poſſit, eos Chriſti fuiſſe typos, ſcriptum eſſe, eos eſſe Nazaræos: nempe de Joſepho, filio Jacobi Gen. 49. ℣ſ. 26. Deut. 33. ℣ſ. 26, de Samſone Jud. 13. ℣ſ. 7, de Samuele 1 Sam. 1. ℣ſ. 11. In his autem omnibus exſtitiſſe aliquid ſingulare, propter quod merito typi ac figuræ Chriſti cenſeri debeant. Nam & omnibus his fuiſſe commune, quod in ipſorum nativitate quippiam contigiſſe videatur miraculoſi, quandoquidem ex ſterilibus fuerint nati, nec ſine peculiari Dei favore atque opera procreati: & ſingulari quoque ſpiritu a Deo fuerunt donati, quandoquidem & Joſephus ſomnia habuit divinitus ſibi indita, & ſomnia interpretandi donum: Samuel autem inſignis Propheta fuit: Samſon vero præ cæteris omnibus, de quibus in ſacris literis legere eſt, ſpiritu roboris ac fortitudinis a Deo fuit armatus: ut alias quaſdam illorum trium dotes nunc præteream, quibus inter alios ſui generis eminuerunt. Illud tantum commemorandum adhuc eſt, quod omnes Deo ſacri quodammodo fuerint, & ab aliis peculiari quadam ratione ſeparati: unde & Nazaræi ſunt dicti. Quibus rebus omnibus Chriſto fuerunt ſimiles, & ejus quædam imagines. Præterea & illud docetur, jure dici per Prophetas hoc eſſe dictum, quandoquidem id, quod de Joſepho legimus, partim a Jacobo Prophetici ſpiritus inſtinctu, partim a Moſe fuerit dictum: & Auctor, ſeu mavis Auctores libri Judicum, & Samuelis pro Prophetis jure haberi queant, cum non ſine divini ſpiritus inſtinctu ac gubernatione illa ſcripſerint, quæ ſcripſerunt. Et apud Lucam cap. 14. ℣ſ. 27 Prophetarum nomine comprehendantur omnia ſcripta Veteris Fœderis, præter Moſis libros, & ℣ſ. 44, omnia præter eoſdem libros Moſis & Pſalmos: quandoquidem in priori loco, tota ſcriptura videtur dividi in Moſem & Prophetas: poſteriore autem in legem Moſis & Prophetas & Pſalmos. Quanquam & illud ab aliis notatur, etiamſi ab uno tantum Propheta id fuiſſet dictum, jure tamen ſcribi potuiſſe a Matthæo per Prophetas dictum fuiſſe per enallagen numeri pluralis pro ſingulari, qualem paulo ante ℣ſ. 20 hujus capitis notavimus, cujus etiam exempla in hoc eodem Prophetarum nomine occurrunt, Joh. 6, ℣ſ. 45. Act. 13, ℣ſ. 40, & 15, ℣ſ. 15. Verum quia adhuc objici poteſt, id quod de tribus illis viris antea nominatis in Vetere Teſtamento legitur, nec verbis, nec ſenſu convenire cum eo, quod hic Matthæus ſcribit: quandoquidem alia vox eſt Nazaræi, quæ ſeparatum ſignificat, & de tribus illis viris uſurpatur: alia Nazoræi, quæ Nazarenum ſignificat, & de Chriſto hoc loco a Matthæo affertur, videndum eſt, quid ad hoc ſit reſpondendum. Et nonnulla quidem huc pertinentia a noſtris jam ſunt explicata, quibus nonnulla ſunt adjicienda, ut res penitus intelligatur. Nam quod ad vocem attinet, illud a nonnullis urgetur, quod in Syriaco nomen ab oppido Nazareth deductum, per ס ſcribatur: illud autem quod Nazaræum, ſeu hominem ſeparatum ac Deo conſecratum denotat, Hebraice ſcribatur per צ. Addi poteſt & illud, quod apud Græcos Veteris Teſtamenti Interpretes, vox Nazaræi ſcribitur in ſecunda ſyllaba per ζ, hoc autem loco noſtro, non eſt Ναζηραῖος, ſed Ναζωραῖος. Illud quod de Græcis Interpretibus diximus, apparet ex loco ſupra citato Judic. 3. ℣ſ. 5 & 7, ubi de Samſone dicitur, eum fore Nazaræum Dei ab infantia. Ad prius reſponſum eſt tum a noſtris, tum ab aliis viris doctis, non eſſe inuſitatum apud Hebræos, ut literæ inter ſe cognatæ, quales ſunt hæ duæ צ & ס, inter ſe commutentur. Deinde cum nomen oppidi Nazareth, aut vox Nazaræni inde deducta, in Veteris Teſtamenti libris non exſtet, non poſſe certo affirmari, nomen illud omnino per ס, & non per צ eſſe ſcribendum. Nam etſi verſio Syriaca Novi Teſtamenti, quam hodie habemus, nomen illud per ס ſcribit, id tamen certum argumentum non eſt, Hebraice olim ita ſcriptum fuiſſe: cum facile fieri potuerit, ut ob diverſitatem dialecti Syriacæ ab Hebræa, litera צ in ס fuerit mutata. Ad poſterius reſpondemus, nihil videri prohibere, quominus vox illa, quæ Nazaræum, hoc eſt, hominem ſeparatum ſignificat, Græce etiam per ω ſcribatur, etiamſi Græca Veteris Teſtamenti interpretatio alicubi habet η. Quandoquidem eadem illa ſcriptio nihil prohibuit, quominus Latine vox eadem per æ ſcriberetur. Dici enim ſolet apud Latinos Nazaræus, non Nazeræus. Eſtque mihi plane veriſimile, hanc Latinorum conſuetudinem a Græcis fuiſſe profectam. Iam vero nec illud inuſitatum eſt, in Hebræis præſertim vocibus, ut quæ per æ ſcribuntur, interdum per ω ſcribantur, aut Græce exprimantur; cum præſertim Hebræorum Cametz ad O prope accedat. Idque etiam in hac ipſa voce, quam Matthæus habet, factum apparet; quandoquidem oppidum ipſum Nazareth fuit appellatum, non Nazoreth; & tamen Matthæus hic habet Nazoræus, non Nazaræus: cum alibi Chriſtus ab oppido

(1) *Lect. Sacr. pag.* 57, 58, 68 *ſeqq.*

Nazarenus dicatur. Unde apparet, iſtarum vocalium commutationem, non adeo magni eſſe faciendam. Et hæc quidem de voce ipſa dicta ſufficere poſſunt. Sed major eſt difficultas circa vocis ſignificationem, quam ut tollamus, *primum* id dicimus, quod & ab aliis ante nos fuit affirmatum, cum non conſtet oppidum Nazareth Hebraice fuiſſe ſcriptum per ץ & non per ז, nihil prohibere, quominus oppidum illud nomen fuerit fortitum a nomine Hebræo Nazir, quod Nazarænum ſeu ſeparatum ſignificat, vel ſaltem a radice ejus nominis; ita ut vox Nazaræi ambigua quodammodo eſſet, & poſſet tam ſignificare hominem Deo ſeparatum & conſecratum, quam quempiam, qui vel natus eſſet Nazarethę, vel è parentibus ibi habitantibus ortus, vel ſaltem ibi a pueris educatus. Deinde Prophetica nonnunquam verba, & quidem de ipſo Chriſto loquentia, duplicem habere ſenſum dicimus; quorum uterque Chriſto conveniat, & uterque a divino Spiritu iiſdem verbis comprehenſus fuerit. Patet id ex verbis Eſa. 53. 4: *Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*; quę Matthæus infra cap. 8. 16. 17 tum impleta fuiſſe oſtendit, cum Chriſtus è multis a dæmone obſeſſis, verbo ſpiritus impuros ejecit, & omnes male habentes ſanavit: cum tamen ſatis ex Petro conſtet, cap. 2 Epiſtolę 1 circa finem & ex ipſo prophetę loco ab omnibus fuerit intellectum, ſermonem ibi eſſe de hominum peccatis, & peccatorum reatu ac pœnis, quibus homines erant obnoxii: & tum illa verba fuiſſe impleta, poſtquam Chriſtus, morte ſua interveniente, jus remiſſionis peccatorum nobis peperit, & nos a peccatis ad juſtitiæ ſtudium traduxit. Exemplo etiam eſſe poſſunt illa Pſal. 16 verba: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, quę in Actis citantur, partim a Petro, cap. 2, 27 & 31 ſeqq. partim a Paulo, cap. 13, 34, 35 & ab utroque ad Chriſtum referuntur, non eodem plane ſenſu. Petrus enim eo verba illa refert, quod Deus non permiſerit, ut Chriſti caro corrumperetur, ſeu computreſceret, ſed prius Chriſtum è mortuis excitarit, antequam ea corrumpi poſſet; Paulus vero eo refert, ut oſtendat Chriſtum ita reſurrexiſſe a mortuis, ut non amplius revertatur in corruptionem, hoc eſt, non amplius moriatur. Unde apparet, vocem *corruptionis* alio atque alio ſenſu ab utroque Apoſtolo ſumi. Nam Petrus quidem negat, Chriſti carnem in ſepulchro jacentem vidiſſe, vel perpeſſam eſſe corruptionem; Paulus autem id tacite affirmat, dum negat, eum iterum, ſeu amplius reverſurum in corruptionem. Et Petrus, uti liquet, ea verba refert ad tempus reſurrectionem Chriſti antegreſſum: Paulus ad tempora eam ſequentia. Quare, ut ad locum noſtrum revertamur, nihil prohibet, quominus ſcriptura, cum ſignificavit Chriſtum fore Nazarenum, utrumque ſignificaverit, nempe & fore eum a cæteris hominibus ſeparatum, ac Deo penitus conſecratum, & eum in oppido Nazareth educatum iri, ſeu illic habitaturum, atque inde Nazaræi, vel Nazareni quoque nomen ſortiturum: ſeu mavis, ſimul ſignificaſſe ſcripturam, eum & re, & nomine Nazarænum fore. Re quidem, quia revera futurus eſſet a cęteris hominibus ſeparatus ac Deo conſecratus: Nomine, quia in oppido Nazareth educandus eſſet, atque ibi habitaturus, & proinde nomen inde tracturus. Quod poſterius ſi admittatur, non ſignificavit hoc loco Matthæus, eo ſolo, quod Chriſtus Nazarethę habitaverit, fuiſſe totum id impletum, quod a Prophetis dictum eſſet, eum Nazaræum vocatum iri: ſed tantum, hoc quoque ad implendam illam prophetiam pertinuiſſe. Neque enim aliud verba Matthæi proprie ſignificant, quam hoc quoque ad implendam prophetiam ſpectaſſe, non vero in eo totam prophetiam impletam fuiſſe. Quod etiam nil vetat dicere de loco antea viſo, infra cap. 8. 16, 17. Quandoquidem id quod ibi dicitur, amplitudinem, ut ita loquar, illius prophetię, ſeu ſententię verborum propheticorum non implevit, ſed tamen ad implendam pertinuit. Niſi dicere velis, impletam tum fuiſſe prophetiam ſenſu imperfectiori tantum, quod etiam de hoc noſtro loco cap. 2, dici poteſt. Illud adhuc, antequam finem faciamus, monendum eſt, quod & a noſtris de hoc loco fuit dictum, vocem κληθήσεται, ſeu *vocabitur*, ambiguam eſſe, & vel proprie ſumi poſſe, vel etiam improprie, ex Hebraica conſuetudine, *procrit*. Frequens enim eſt, ut *vocari* pro *eſſe* ponatur.

## CAP. III.

### ARGUMENTUM.

*In hoc Capite, ut ſupra diximus, libellum hunc Matthæi dividentes, propius acceditur ad munus Chriſti Propheticum, & duo commemorantur, quæ ad præparationem prædicationis Chriſti ſpectant. Prius eſt munus Joannis Baptiſtæ, qui populum Judaicum ad Chriſti prædicationem præparavit. Poſterius eſt ipſius Chriſti a Joanne baptizati, ad munus Propheticum conſecratio, & veluti præparatio per ſpiritus ſancti in ipſum deſcenſum & vocem è cœlis emiſſam, qua filius Dei dilectus fuit declaratus. Prius extenditur uſque ad verſum 13. Poſterius inde uſque ad finem capitis.*

Verſ. 1. IN *diebus illis*, hoc eſt, illis temporibus. Dies enim, aut diem, pro tempore ſumi, Hebręorum potiſſimum more, notum eſt, & exemplum habuimus jam ſupra, cap. 2. ℣. 1. Quia vero dicitur, *in diebus illis*, intelligenda ſunt illa tempora, quibus Chriſtus Nazarethæ habitavit: quod intelligitur ex verſu ultimo capitis præcedentis. Nam vox *illis*, ad ſuperiora reſpicit. Nihil autem apparet, ad quod commodius referri poſſit, quam quod proxime ante dictum fuerat. Tempus autem illud, ſat longum fuiſſe apparet: quandoquidem Lucas cap. 3. ℣. 1 ſcribit, factum id eſſe 15 imperii Tiberii Cæſaris anno: & ex nexu hiſtoriæ ſatis apparet, cum non multo ante veniſſe, quam Chriſtus ab ipſo fuit baptizatus: at Chriſtum tum annos circiter 30 fuiſſe natum, ex eodem cap. 3 Lucę ℣. 23, conſtat. Itaque dies illi, viginti & aliquot annos in ſe complectuntur, tot nimirum quot de triginta reſtant, ſi dempſeris tempus fugę & exilii Ægyptiaci, & quod a nativitate Chriſti ad fugam illam effluxerat. Non commemorant autem Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores ea, quę a pueris Chriſtus ad illud uſque tempus egerit: niſi quod Lucas paucula quædam refert, quę, cum duodecim annorum eſſet Chriſtus, ab eo facta fuerant: reliqua breviſſimis tantum verbis, & valde generalibus complexus. Quia utut omnes Chriſti actiones fuerint laudabiles, & pietati conſentaneæ; nihil tamen fere adeo memorabile fuerat ab eo geſtum, ut omnino deſcribendum eſſe videretur: præſertim cum poſtea tot tamque inſignia ipſius exſtiterint tum dicta, tum facta, ad quorum comparationem priora illa propemodum evaneſcerent: quæque nobis cognitu

longe

longe magis eſſent neceſſaria, vel ſaltem longe utiliora, ad quæ deſcribenda Euangelicæ hiſtoriæ Scriptores properabant. Voluit nempe Deus, Chriſtum ad illud uſque tempus, quo munus ſuum revera ordiri deberet, velut in obſcuro latere, & tantam ejus dignitatem, quæ poſtmodum apparitura eſſet, quodammodo premi: ut poſtea repente effulgens in ipſo divinitas eum tanto admirabiliorem ac commendatiorem omnibus redderet, ut tanquam repente è cœlo delapſum, uti revera miſſus erat, amplecterentur.

*Venit Joannes Baptiſta. Venit* Græce eſt παραγίνεται. Præſens pro præterito, quem morem narrantibus familiarem eſſe, jam ſupra notavimus cap. 2. 19. Venit autem Joannes ex intimo, ubi a pueritia vixerat, deſerto, ubi verbum etiam ad ipſum factum fuit, hoc eſt miſſus fuit, ut munus illud, quod poſtea deſcribitur, obiret. Confer Luc. 1. ultimo. 3. 2. Venit autem, ut Lucas ſcribit, dicto loco, cap. 3. 3 in totam regionem Jordani adjacentem, hoc eſt, in partes ejuſdem deſerti extremas, circa Jordanem fluvium. Nam in interiori deſerto cui prædicaret, nullo apparente homine? Quare ad extremas deſerti partes, quo è vicinis terræ partibus accedere homines ſolerent, & aliunde etiam facilius poſſent, venit, ut haberet, quibus mandata divina exponeret, & quos ad reſipiſcentiam agendam, & baptiſmum eo fine ſuſcipiendum hortari poſſet. Quare deſerti quidem terminos penitus non fuit egreſſus, ſed in ora ejus extrema, & frequentia hominum vicina hæſit. Nam nihilominus hic a Matthæo aſſeritur, eum prædicaſſe in deſerto Iudęæ, quod etiam infra cap. 2 a Chriſto ſignificatur, ver. 7. & a Marco ſcribitur, capite 1 verſ. 4, & a tribus Euangeliſtis citatur locus Eſaię 40. 3; & ad Ioannem refertur, ubi ſcribitur: *Vox clamantis in deſerto*, quem & ipſe Ioannes ad ſe refert, Ioan. 1, 23. Quanquam autem ad Lucę hiſtoriam magis pertinet, explicare cauſam, cur in deſerto a pueris ad illud uſque tempus vixerit Ioannes, cujus rei hic nulla fit mentio; non alienum tamen eſt ab hoc loco, illud quoque paucis explicare. Voluit nimirum Deus hac ratione Ioannem populo commendare, & ut ejus dictis tanquam divinitus profectis fidem tanto facilius haberet, efficere: præſertim cum nollet eum miracula edere, ne Ghriſti glorię, quam amplificare debebat, aliqua ratione officeret, quod etiam miraculis illi detractis, nimio quodam hominum in ipſum ſtudio factum fuiſſe videmus. Duo autem inprimis vita illa in deſertis exacta ad ipſius ſingularem commendationem attulit Luc. 3. 8. Act. 13. 28. confer & Ioh. 1. 20. Primum eſt, quod cum eum duriter ibi vivere neceſſe eſſet, ut paulo poſt a Matthęo dicetur, ſatis inde apparuit, virum illum novam doctrinam proponentem, non lucrum, non voluptates conſectari, non vanę hujus mundi glorię ſtudere, a qua homo quodammodo ſylveſtris alieniſſimus ut erat ita & videbatur. Quare hęc ipſa vitę durities magnam illi ſanctitatis exiſtimationem conflavit: præſertim cum a pueris, ut ex Luca conſtat, ibi vixerit, non vero jam adultus deſertum incolere cœperit: ne quis dicat, eum ſtudio ad hanc ſanctitatis opinionem ſibi conciliandam, ſolitudinem conſectatum, ut poſtea repente, tanquam montanus quidam Deus appareret, & populo imponeret. Neque enim puer hæc conſilia animo agitare poterat; ſed ſpiritus divini impulſu ab hominum conſortio in deſertum ſeceſſiſſe eum apparuit. Alterum eſt, quod vita a conſuetudine hominum tam remota ſapientiam, quæ poſtmodum in illo eluxit, divinitus plane profectam eſſe docuit: quandoquidem in deſerto neminem habuit, qui ipſum erudiret atque inſtitueret, nedum tam ſapientem, qualem ſe eſſe reipſa oſtendit, redderet? Quis ergo ei præter ipſum Deum hanc inter feras, non inter homines degenti, ſapientiam inſtillaſſet. Adde, quod conveniens erat, ut qui in ſpiritu ac virtute Eliæ venire debebat, illi etiam vitæ ratione ſimilis eſſet. Satis autem ex hiſtoria Veteris Teſtamenti intelligitur, Eliam, cum verus Dei cultus ex regno Iſraëlitico plane exularet, & ipſius vitæ etiam inſidiæ ſtruerentur, in deſerto aliquandiu ſaltem eſſe verſatum. Denique, ut mox videbimus, prædictum de Johanne fuerat, eum in deſerto prædicaturum eſſe. Non autem conſentaneum erat, tum demum eum in deſertum abiturum fuiſſe, cum prædicandi munus ordiri vellet: ſed potius, ideo ibi prædicaturum fuiſſe, quia jam antea iſtis in locis vixiſſet. Hæc ſi conſiderentur, facile intelligetur, longe aliam Joannis fuiſſe rationem, & eorum, qui hodie eremiticam vitam profitentur, & ejus ſeſe exemplo tueri conantur. Nam ne illud nunc urgeam, ipſam vitæ rationem, quam hi inſtituunt, & Joannis, longe ſolere eſſe diſſimilem; cauſæ illæ, ob quas Ioannes in deſerto tam diu vixit, in illis locum non habent: cum nec novam aliquam doctrinam Dei juſſu promulgent, ad quam hujuſmodi commendatione ac confirmatione ſit opus, nec quicquam tale de illis a Deo conſtitutum aut prædictum eſſe appareat, ob quod hujuſmodi vitæ inſtitutum illis conveniat: quin potius verendum eſt, ne alios quoſdam ſtudium quoddam præpoſterum ſanctitatis famam aucupandi eo pertrahat, cum jam natu grandes ad id vitę genus ſeſe conferant, ſecus quam in Ioanne factum vidimus: ſaltem huic ſuſpicioni locum relinquunt, quem relinquere non deberent, ſi eo modo, quem in Ioanne vidimus, ſanctitatis exiſtimationem acquirere deberent: alios quoſdam ocii, quod tamen inhoneſtum non habeatur, ſed ſanctitatis potius ſingularis nomine celebretur, amor, & tædium laborum ac moleſtiarum, quas communis hominum vita ſecum affert, in ſolitudinem pertrahere videtur. Præterea, Ioannes, ad illud uſque tempus a commercio ac frequentia hominum remotus vixit, donec munus ſuum ordiri, & hominum emendationi ac ſaluti vacare poſſet ac deberet. Hoc enim tempus poſtquam advenit, ex ima ſolitudine ad homines venit, & frequentiam ultro quæſivit. At illi non pueri, ad virilem uſque ætatem ibi degere, & ſeſe ad munia communi hominum vitę ac ſaluti utilia prępparare ſolent: ſed potius viri jam facti, cum humanę ſocietati maxime inſervire, & ſaluti aliorum vacare deberent, ſolitudinem quęrunt, & ab iis, quibus prodeſſe deberent, ſecedunt. Accedit; quod ſatius eſt Chriſtum &. ejus Apoſtolos, cæteroſque viros ſanctos, illis ſimiles, in vitę ratione imitari; quam unum Chriſti pręcurſorem. Nam, præterquam quod ſatius eſt communi ſanctorum virorum exemplo ſeſe attemperare, quam unius tantum inſtituto; dubium eſſe non poteſt, perfectiorem & ad ſanctitatem accommodatiorem fuiſſe Chriſti Servatoris, & ejus Apoſtolorum vitam, quam Chriſti tantum prodromi, quo major eſt, quiſquis in regno cœlorum, ſeu inter Chriſti fideles minimus eſt, ne quis forte majoris eſſe perfectionis dicat, tam duram, tamque horridam ſectari vitam. Nam etſi aliqua ex

parte majoris videatur esse perfectionis, tam duram vitæ rationem sequi, abstinere v. g. a vino, panem non edere, nec aliis ciborum generibus, quibus vulgus utitur, aliquanto delicatioribus uti, horridoque uti vestitu, atque ab hominum consortio remotum vivere: si quis tamen alias pietatis partes spectet, ad quas Christiana religio nos potissimum ducit, cedit vita tam horrida illi, quæ aliquanto est lenior, & ad humanam civilemque societatem colendam accommodatior. Nam præcipua Christianæ pietatis pars in charitate sita est, in societate humana colenda, inque officiis, quæ alii aliis præstare debeamus: quemadmodum unusquisque per se facile animadvertet, qui Novi Fœderis scripta non oscitanter legerit. Quare hanc potius vitæ rationem & Christus, & præcipue ipsius discipuli, sanctitate vitæ maxime conspicui, sunt secuti, & nos quoque, qui ipsorum imitatores esse jubemur, sequi debemus. Tum demum etiam illam Joannis vitam imitari, vel potius eam non refugere debemus, cum nos aliqua tempestas, hominumque violentia, ob justitiam ac veritatem eo compellit, ut de viris sanctis legimus, ad Heb. 2. 37, 38, & in ipsa hominum frequentia quam continentissime vivere, & in hac Joannis, quantum licet, solitudinem imitari.

*Joannes Baptista.* Cur Baptista appelletur, satis constat ex ipsa Historia Euangelica, atque adeo ex hoc ipso capite ỳs. 6 & seqq. nempe, quia Dei jussu populum Israëliticum baptizavit, cum ante eum nemo, ut id faceret, a Deo mandata acceperit: & ne postea quidem, si recte attendas. Nam etsi antea quoque varii fuerunt apud Judæos Baptismi, seu immersiones in aquam, aut ablutiones, religionis cujusdam causa usurpati, & nonnulli ab ipso quoque Deo instituti, ut apparet ex Marc. 7. 4 & Hebr. 9. 10: nemo tamen a Deo unquam fuit constitutus, qui alios aquæ inmergeret, vel aqua tingeret atque ablueret, nedum generatim omnes Israëlitas. Ut taceam Baptismum hunc Joannis, in eum finem fuisse institutum, in quem olim non fuerat adhibitus, nempe in pœnitentiam, qua de re dicemus infra, ỳs. 11.

*In deserto Judææ.* Additur voci *deserti* Jndææ nomen, ut distinguatur hoc desertum ab aliis, quorum in Scriptura Sacra fit mentio, uti ab aliis (1) Interpretibus est annotatum. Commemoratur enim desertum *Ziph*, desertum *Maon*, desertum *Engaddi*, desertum *Pharan*, desertum *Idumææ*: hoc autem, quod *Judææ* desertum appellatur, fuit, uti iidem Interpretes scribunt, inter Orientem & Septentrionem, citra Jordanem secundum fluvium, in cujus extrema parte fuit Enon & Salim, ubi Joannes baptizare solitus dicitur: & cum absolute desertum nominatur, hoc intelligitur, nisi circumstantiæ aliud postulent.

ỳs. 2. Μετανοεῖτε. Oratio directa pro indirecta, more Hebræis usitato. Vox autem Græca μετανοεῖν proprie significat, post sapere, hoc est, sapere post factum, & re melius quam antea expensa, pristinum quidem factum, seu facta improbare ac damnare, & aliam mentem sumere: id quod resipiscere Latinis dicitur. Disputari hoc quoque loco vulgo solet, quomodo differat a verbo μεταμέλεσθαι, quod est pœnitere. Qui hoc posterius de dolore, ut illi loqui amant, servili intelligi arbitrantur, ac porro in malam partem accipi censent, haud dubie falluntur: decepti illo potissimum loco, infra cap. 27. 3, ubi Judas, prodito Christo, dicitur μεταμεληθείς: qui quia postmodum omni spe abjecta, seipsum suspendit, arbitrati sunt hanc verbi illius vim esse, ut ejusmodi dolorem significet, qui tristem effectum pariat, & cum desperatione sit conjunctus. Sed non animadvertunt, id, quod Judas desperavit, & seipsum suspendit, quod ad vim vocis μεταμέλεσθαι attinet, plane ex eventu esse. Etenim verbum illud, ut (1) viri docti ad hunc ipsum locum nostrum annotarunt, simpliciter solicitudinem quandam καὶ δυσφόρησιν, seu displicentiam exprimit, quæ facit ut rem factam seu bona, seu mala sit, infectam esse velimus. Itaque illic quoque locum habet, ubi quis rem malam ita detestatur, ut animum postea ac facta mutet in melius. Patet id ex eo, quod Christus infra cap. 21. 33, exprobrat sacerdotum principibus ac senioribus populi, quod cum Joanni, ad ipsos in via justitiæ venienti, non credidissent, publicani autem & meretrices credidissent, ipsos id videntes non pœnituerit postmodum, ut ipsi crederent: ubi de hoc dolore seu pœnitentia, quam in ipsis desiderat, usurpat verbum μεταμέλεσθαι, cumque addat illa verba, *ut credaretis ipsi*, apparet, ipsum de hujusmodi μεταμελείᾳ loqui, quæ μετάνοιαν habeat conjunctam. Quare illa potius utriusque verbi differentia est, quod μεταμέλεια latius patet, μετάνοια angustius. Quicunque enim μετανοεῖ, hoc est, resipiscit, simul etiam μεταμέλεται, hoc est, eum facti pœnitet, idque damnat ac detestatur, sed non contra. Nam potest quis μεταμέλεσθαι, hoc est, factum prius improbare, etiamsi improbandum non fuerit; vel etiamsi improbandum fuerit, id tamen in melius non mutare: vel quia ei rei non amplius est locus; vel quia locum esse non putat; vel denique quia eum studium ac conatus deficit. At qui μετανοεῖ, hoc est, resipiscit, eum necesse est, non id, quod recte factum est, improbare, sed quod male, & consilium melius suscipere. Semper enim, ut Interpres quidam notat, cum μετανοίᾳ cohæret ὁ σωφρονισμός. Cum vero, ut ex dictis apparet, cum μετανοίᾳ semper sit conjuncta μεταμέλεια, ita, ut hæc illius genus non injuria constitui queat: μεταμέλεια vero absque dolore & morsu quodam animi consistere nequeat; videmus nonnunquam vocem μετανοεῖν ita accipi, ut dolorem illum tanquam partem quandam in se complectatur: quod jure statui potest de illis Christi apud Lucam verbis, cap. 17. 3. 4, ubi præcipit, ut si frater qui adversus nos peccaverit, μετανοήσῃ, hoc est, si eum facti pœniteat, ipsi remittamus: & si septies in die peccaverit adversus quempiam, ac reversus ad nos, dixerit μετανοῶ, hoc est, pœnitet me facti; ut delictum illi condonemus. Ubi si pro μετανοεῖν dicas dolere hoc aut illud a se commissum, de sententia nihil imminueris. At cum Paulus 2 Cor. 7. 9, ait, illos contristatos fuisse ad pœnitentiam: & tristitiam, quæ est secundum Deum, operari μετάνοιαν; dolorem illum animi, non tanquam partem μετανοίας seu resipiscentiæ ponit, sed tanquam causam efficientem. Verum cum in pleniori significatione vox μετανοίας ponitur, hunc quoque dolorem, tanquam partem quandam in se complectitur, eique adjungit quoddam ejus effectum, nempe mutationem consilii in melius. Quin etiam si perfectiori adhuc significatione sumatur, hujus iterum ipsius rei effectum per Synecdochicam metonymiam comprehendit, hoc est, ipsius quoque vitę ac factorum mutationem in melius, seu vitę pietatem: quæ cæteroquin a resipiscentia, tanquam fructus a sua causa, distinguitur.

(1) *Maldonatus.*

(1) *Beza*

Quibus

quibus de rebus quia fusius dictum est in Ethicis, eo lectorem remittimus, illud tantum hic repetentes, quod hujus est loci proprium. Cum Joannes hic dicit *resipiscite*, nulla re alia addita, quæ vitæ pietatem complectatur, non tantum animi ac consilii mutationem in melius, sed & vitæ, hac voce comprehendit. Manifestum enim est, Joannem non id tantum egisse, ut homines pristinam vitam detestarentur, & rectiorem vitæ rationem ingredi cuperent: sed ut etiam reipsa ingrederentur, non vero ignava quadam voluntate, & languido irritoque conatu contenti essent: imo potius ideo animum mutari voluit, ut vita mutaretur, quemadmodum etiam ex iis, quę infra hoc ipso capite vers. 8 & seqq. dicentur, apparebit. Quare cum hac una voce hic totum id complectatur, quod ab hominibus postulet, vel potius per ipsum requirat Deus, apparet, eum vitæ quoque pietatem hoc nomine fuisse complexum: quod etiam fit infra vers. 11, ubi ait: *Ego baptizo vos in aqua ad pœnitentiam*, uti & apud Lucam cap. 3. 3, ubi Joannes dicitur prædicasse baptisma pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. At vero infra hoc capite vers. 8, bona opera a pœnitentia tanquam fructus a sua causa distinguuntur, uti & apud Lucam loco huic respondente cap. 3. 8, & Act. 26. 20: Debuit autem hæc vitę mutatio componi ad legis normam, & eam vitę honestatem, quam ipsa ratio sana dictat. Cum enim Joannes vult, ut facta priora detestentur, ac porro ea vitent, & contraria prioribus faciant; illa eos facta vult & detestari & vitare, quę mala esse ipsis jam vel ex lege, vel ex ipsa sana ratione constaret, cum nulla ipse nova vitæ præcepta tradidisset. Ne illud nunc dicam, quod nec postea quippiam tale præceperit, quod Legis disciplinam admodum superaret: nisi quod populum monuit, ut in Christum mox secuturum crederet, qui & perfectiorá promissa erat allaturus, & quæ ipse obscurius proposuisset, plenius esset explicaturus, & perfectiora etiam præcepta traditurus.

*Appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Quæritur hoc loco, quid per Regnum Cœlorum intelligatur. Non est quidem dubium, verba hæc cæteroquin eam vim habere, ut significent felicitatem illam, qua in cœlis aliquando perfruemur: sed non videtur ea significatio hic locum habere: quandoquidem nec credibile est, adeo aperte Joannem cœlestem illam felicitatem jam tum promisisse populo, nec satis recte dici posse videtur, jam tum appropinquasse felicitatem illam, quam scimus ab extremo demum die piis datum iri. Etenim, ut de priori causa nonnihil explicatius dicamus, promissio aperta supremę felicitatis per ipsum novi fœderis legatum atque mediatorem demum, non per ipsius prodromum afferri debebat. Quid enim majus potuisset ipse legatus fœderis promittere? Et sane non obscure Joannes quoque indicat, cap. 1 Euangelicę historię, vitam illam sempiternam, per Christum demum, non per Joannem promissam esse. Confer inter se vers. 4 & seqq usque ad vers. 10 & 1 Epist. Ioan. cap. 1 ab initio per aliquot versiculos, & cap. 5. 11, 12, 13. Mitto alia sacrarum literarum testimonia huc spectantia. Illud jure affirmari potest, si vitam sempiternam aperte Ioannes hominibus promisisset; jure de illo affirmari posse, eum fuisse veram illam lucem, quod Ioannes Apostolus negat, siquidem vita illa sempiterna hominibus patefacta, est lux illa hominum, ut idem asserit. Adde, quod non satis accommodate Ioannes ad captum atque opinionem populi Iudaici fuisset loquutus, neque id, quod monere populum debebat, satis recte expressisset. Etenim non est dubium, quin significare his verbis voluerit, instare jam Messiæ adventum, feliciaque illa tempora, jam olim a Deo per prophetas prædicta, & per ipsum Messiam constituenda. Hoc autem non expressisset, si dixisset, cœlestem illam felicitatem, seu immortalitatem, appropinquare: non modo quia hoc ab illo diversum est; sed etiam quia satis notum est, Iudęos, Messiam terrenum Regem fore, & terrenam sibi per eum felicitatem allatum iri, existimasse. Quod quidem verba Prophetarum prima fronte omnino polliceri videntur. Etsi vero mystico sensu aliud longe sublimius in illis contineretur, id tamen Iudęis nondum patuit, & ne Christi quidem Apostolis ante ipsius ascensum in cœlos, & Spiritus Sancti effusionem. Certe etiamsi tale quippiam significare voluisset Ioannes, non tamen ita repente, atque in ipso muneris sui aditu hæc dixisset, sed eorum animos, uti debebat, ad rem tantam capiendam excipiendamque pręparasset, eosque paulatim è densa caligine ad tantum Euangelicę lucis splendorem deduxisset. Quapropter existimamus, Regnum Cœlorum hoc loco accipi de Regno Messię, seu de illa felicitate, quam Messias esset populo allaturus, quasi dixisset: resipiscite & mores in melius mutate, instant enim jam feliciſſima illa tempora, & cœlestis quædam beatitas, jam olim a Deo per Prophetas promissa. Aderit enim mox Messias, per quem Deus vos summę cujusdam felicitatis reddet compotes: non reddet autem nisi resipueritis, nisi animum ac vitam in melius mutaveritis. Neque enim tantę felicitatis capaces sunt homines scelerati. Excludentur ab ea, quicunque in veteri peccatorum luto hæserint. Sensum hunc ei, quod intendebat Ioannes, quodque muneris ipsius erat proprium, apprime consentaneum esse satis apparet. Sed dubitare tamen quispiam posset, cur hæc felicitas per Messiam afferenda, quę nimirum adhuc in terris hominibus contingere debuerit, atque adeo contingit, regnum cœlorum appelletur. Et in nomine quidem *regni*, nulla est difficultas, cum satis sit notum, hac voce felicitatem, seu, quod perinde est, statum ac conditionem admodum beatam, in sacris literis significari solere: quia *Regnum* felicissimus quidam in terris status est ac conditio, & honore ac dignitate maxime conspicua, & opibus atque voluptatibus circumfluens. Difficultas omnis in voce *Cœlorum* est. Sed ex ea te haud difficulter expediveris, si dixeris, statum illum felicem, in quo per Messiam homines sunt collocati, per metaphoram ac similitudinem Regnum Cœlorum a Ioanne fuisse dictum: nempe quia cœlesti conditioni ac felicitati sit similis, non secus, ac si cœlestis illa vita in terras commigrasset. Et certe status ille Christianorum, si recte consideretur, cœlestis illius vitę & imago quædam est, & initium. Quanquam nihil prohibet, divinum spiritum qui per Ioannem loquebatur, id ipsum quoque his verbis innuere voluisse, fore ut per Christum cœlestis felicitas ad homines veluti descenderet, & ad ipsos appropinquaret, non quidem re atque effectu ipso, sed quatenus ea esset per Christum hominibus promittenda, atque ita confirmanda, ut jus quoddam immortalis vitæ obtinerent, & tam certi ea de re essent, ac si in ipsis cœlis jam viverent: quo fere pacto de Christianis loquitur Apostolus ad Eph. 2. 5. Quo pacto metonymia

nymia voci huic complexæ, *Regni Cœlorum*, ſub eſſet, Metonymia, inquam, Subjecti. Uſus nimirum eſt divinus ſpiritus iis vocibus, quarum ſententia, utut Judæis, utpote adhuc tantæ rei quodammodo incapacibus, nondum ſatis pateret, poſtea tamen paulatim melius pleniuſque intelligeretur, quæque magis convenirent rei ipſi, quam vulgo tum temporis intelligebatur, aut intelligi poterat.

Verſ. 3. *Vox clamantis in deſerto.* Subauditur hic verbum *eſt*, vel *erit*, vel quod eodem recidit, *audietur.* Hebræa verba aliquo modo ſunt ambigua. Tam enim poſſunt reddi *vox clamans*, quam, *vox clamantis.* Sed quia ab omnibus Euangelicæ hiſtoriæ Scriptoribus ita redduntur, ut hoc loco videmus, atque adeo Joh. 1. 23 ipſe Joannes Baptiſta ad eundem modum ea citat, & de ſe interpretatur; ſtatuendum eſt ita rectius, quam priori modo, verti. Quanquam autem potuiſſent verba illa ita accipi, ac ſi per clamantem intelligeretur ipſe Joannes, quaſi dictum eſſet hæc erit vox ejus, qui in deſerto clamabit, nempe Johannis; tamen quia Johannes ipſe ſe dicit eſſe vocem clamantis in deſerto, per clamantem poterimus intelligere ipſum Deum, cujus vox dicatur Johannes, per Metonymiam effecti, quia Johannes is erat, per quem hæc vox fuit a Deo edita. Niſi quis dicere velit, in verbis illis Baptiſtæ, dicentis, ſe eſſe vocem clamantis in deſerto, hypallagen quandam eſſe, & id eum ſibi velle, ſe eſſe illum, qui hoc modo in deſerto clamet, ſeu hanc vocem edat, *parate viam Domini.* Præterea verba illa *in deſerto*, in Hebræo ita ſunt poſita, ut poſſint jure cum ſequentibus conjungi, imo ſi literalem ſenſum ſpectes, valde credibile eſt, ita ſe rem habere. Etenim cum eadem ſententia poſtea in eodem verſiculo repetitur, dicitur; *rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Eſt autem apud Hebræos uſitatum, quemadmodum ſacrarum literarum Interpretes notant, & paſſim animadvertere licet, ut eadem ſententia in eodem verſiculo bis repetatur. Quare quemadmodum hic dicitur, rectas fieri ſemitas Dei noſtri in ſolitudine: ita veriſimile eſt idem dici in priori illius parte, ubi jubetur parari via Domini, quod fiet, ſi voces *in deſerto*, cum his ipſis conjunxeris. Veruntamen quia illa proxime adhærent verbis illis *vox clamantis*, cum altera illa ſententia poſtulare videatur, ut poſtponerentur ſequentibus, vel ſaltem illis inſererentur, hoc modo: *Parate viam Domini in deſerto*, vel, *parate in deſerto viam Domini*, quemadmodum poſtea dicitur, *rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri:* non modo nihil prohibet, quominus præcedentia annectantur; ſed etiam, ſi verborum ordinem ſpectes, magis conſentaneum eſt prioribus annecti, quam poſterioribus. Nec illud omittendum eſt, quod in Hebræo accentu diſtinctivo, quem pauſam vocant, ſint & a præcedentibus & a ſequentibus ita ſeparata, ut non magis ad hæc, quam ad illa pertinere videantur. Subeſt autem toti huic loco duplex ſenſus, quorum alter alterius typus eſt. Prior, qui literalis eſt, ad ea ſpectat tempora, quibus Iſraëlitæ è captivitate Babylonica in patriam eſſent reducendi: poſterior ad tempora Chriſti, quibus populus Judaicus, ac poſtea cæteri quoque mortales eſſent è captivitate peccati ac mortis, cæterorumque hoſtium ſpiritualium, ad cœleſtem illam patriam deducendi. Quod ad priorem attinet, alludit Propheta ad liberationem ejuſdem populi ex ſervitute Ægyptiaca, & quia Deus populum ex illa liberans, cum per deſertum deduxit invium, aſperum, ac ſalebroſum; ideo Propheta de liberatione ex Babylonica ſervitute diſſerens, ita agit, ac ſi Deus eundem populum denuo per inviam ac ſalebroſam, aſperamque ſolitudinem eſſet in terram Cananæam deducturus, & mirabilem illam populi ex Ægypto deductionem veluti repræſentaturus. Quapropter prædicit Deum juſſurum, ut via tam aſpero in loco ipſi paretur, & loca, per quæ ipſe Deus eſſet veluti tranſiturus, complanentur, itaque ſternantur, ut omnia fiant æqua, valles, locaque humiliora impleantur, collium ac montium altitudo in planitiem deducatur: ut ita ſine obſtaculo tantus Princeps cum populo ſuo tranſeat. Alludit enim ſimul ad conſuetudinem vulgarem, qua fit, ut cum Reges ac Principes per loca aliqua ſunt tranſituri, & maxime cum ad ſuos cives ſunt venturi, viæ prius complanentur, omniaque obſtacula amoveantur, ne quicquam occurrat, quod eos in itinere impediat. Intelligendum enim & illud eſt, quemadmodum dicitur olim Deus anteceſſiſſe illum populum, eumque per deſertum duxiſſe, in columna nubis, aut ignis, quia nimirum Angelus Dei nomine in ignea columna populum fuit antegreſſus ejuſque in toto itinere dux fuit; ita eundem Deum fuiſſe populum ſuum ex Babylonica captivitate educturum, & ſic eum inſtar Ducis cujuſdam antegreſſurum: quia eo auctore populus eſſet inde liberandus, atque in patriam reducendus. Quare via, per quam populus eſſet tranſiturus, via Domini dicitur, & ſemitæ Domini ſemitæ: ut proinde jure tanto Principi ac Monarchæ venturo, viam illam ac ſemitas parandas eſſe doceat. Hæc ad ſenſum myſticum, quatenus opus eſt, transferamus. Educturus erat & hic Deus populum ex captivitate Ægyptiacæ ac Babylonicæ illi ſimili, vel, ſi mavis, venturus erat per Meſſiam Deus ad populum Judaicum, & felicitatem illi ſummam per eum allaturus. Verum multa erant obſtacula, multa quæ Deum impedichant, quominus felicitate illa populum reipſa impertiretur, ſeu, ut rem clarius explicem, populus hujus divini beneficii fructum reipſa perciperet, quod perinde erat, atque ſi iter, per quod Deus ad populum ſuum eſſet venturus, multis ſalebris eſſet obſitum. Quapropter, antequam adveniret, hoc eſt, antequam Meſſias ipſius nomine apud populum compareret, & ſalutem illis ſempiternam offerret, & in eos, quatenus licet, conferret, per Joannem voluit proclamari, ut populus viam ſibi advenienti pararet, & impedimenta illa amoveret. Impedimenta autem illa nihil aliud erant, quam peccata, quæ tolli tum Joannes juſſit, cum juſſit eos reſipiſcere. Quanquam vero in ſenſu literali ſpectatur Deus, non ut ad populum Iſraëliticum, ſed potius una cum populo per deſertum è terra captivitatis adveniens: in ſenſu tamen myſtico, ſpectatur potius tanquam ad populum veniens, non cum populo. Quanquam huic adventui ad populum eſt etiam in ſenſu literali quod reſpondeat, nempe adventus Dei in terram promiſſam, in qua tum populus habitabat, cum Deus per Meſſiam eſſet ad illos venturus. Recte autem dici, tum temporis Deum veniſſe ad populum, cum Meſſias, tanquam legatus ipſius, juſſu ejus ac nomine venit, & per ſe intelligi facile poteſt, & videbimus infra cap. XI. 10, ubi Chriſtus de eodem Joanne Baptiſta citat Malachiæ verba cap. 3 initio ſcripta, & citando aliquo modo nobis interpretatur, inquiens: *Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum*

*meum*

*meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, cum apud Malachiam ſcriptum ſit: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Ubi ſignificat Deus, ſeipſum venturum, & Angelum iſtum ante ſe viam præparaturum: quem Deum patrem eſſe ex eo intelligitur, quod apud Matthæum Chriſtum alloquens, dicit: *Ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Sed quia venturus erat in Chriſto, legato ſuo, ideo perinde eſt, atque ſi dixiſſet: mittam Angelum meum, ante faciem tuam, ô Chriſte, qui præparabit viam tuam ante te. Sed hac de re poterunt fortaſſe dici plura, cum ad eum locum veniemus.

*Domini.* De voce Domini, dictum eſt ſupra cap. 1. 29.

℣. 4. *Ipſe autem Joannes.* Non eſt hic Emphaſis in voce *ipſe*, quaſi diceret, ipſe Joannes, non vero quiſpiam alius, ſive aliud: ſed perinde eſt ac ſi dixiſſet, ipſe autem, nempe Johannes. Similem locum habes Epheſ. 5. 27: *Ut conſtitueret ipſam ſibi ipſi gloriоſam Eccleſiam.* q. d. ipſam nempe Eccleſiam. Eſt ergo, ut interpretes (1) nonnulli notant, appoſitio, qua uſus eſt Matthæus, ad tollendam pronominis αὐτὸς ambiguitatem, ne ſequentibus nondum animadverſis referretur ad nomen πνεῦμα proxime præcedens. Notant iidem ſimile exemplum Marci ult. 14. *Poſtea diſcumbentibus ipſis* τοῖς ἕνδεκα, q. d. nempe illis undecim.

*Habuit indumentum ſuum e pilis cameli.* Vilitatem atque aſperitatem habitus victuſque Johannis exprimit, eo ipſo ſanctitatem ipſius commendaturus, & quam longe a voluptatum ac deliciarum ſtudio abfuerit, ſignificaturus, qua de re ſupra diximus; ſimul etiam ut cauſam explicaret ejus, quod ſtatim eſt in ſequentibus dicturus, cur omnes undique Judæi ad ipſum confluxerint, & baptiſmum ab ipſo ſuſceperint: nempe quia ipſa tam inuſitata hominis facies, habitus ac victus, omnes ad ipſum excivit ac protraxit, & hominis ſanctitatem atque integritatem ita commendavit, cum præſertim voces tam ſanctas, tam pias ex ore ipſius audirent, ut nullam fraudem in tanta ſimplicitate nullum fucum ſubeſſe crederent; ſed eum divinitus ad ſe moreſque ſuos corrigendos miſſum ſtatuerent. Cum vero, ait Matthæus, indumentum ipſius fuiſſe è pilis cameli ſive camelorum, ut Vulgata vel legit, vel Græcam vocem licet ſingularem, ſenſum ſecuta, reddidit; id non pauci ad eum modum accipiunt, ac ſi dictum eſſet, conſtitiſſe ejus indumentum è pelle cameli piloſa, per Synecdochen membri, ſeu è pelle cameli rudi, nec arte ſubacta aut præparata: quo pacto de viris piis cap. 11 ad Heb. 27 legimus, eos circumiviſſe in ovium aut caprarum pellibus: cum nimirum, ut verſu ſequenti additur, in deſertis oberrarent, inque luſtris & ſpeluncis ac cavernis terræ, quod inprimis ſub Antiocho accidit: ubi rudes ovium ac caprarum pelles omnino ſunt intelligendæ. Nom improbabilis eſſet hęc interpretatio, niſi illud obſtaret, quod ab aliis eſt animadverſum, non ſine cauſa diverſa loquendi forma uſum eſſe Matthęum de veſte ac cingulo ipſius loquentem. De illa enim dixit, fuiſſe è pilis cameli ſeu camelorum: de hoc, id fuiſſe pelliceum ſeu coriaceum. Si veſtis Joannis conſtitiſſet è pelle non minus, quam zona, cur non ſimiliter dixiſſet, indumentum ejus pelliceum fuiſſe? cur id nominatim de zona tantum dixiſſet? Quapropter credibile eſt, fuiſſe veſtem ipſius è pilis camelorum confectam, ſeu craſſis filis, è pilis camelorum utcunque confectam, & quidem, ut credibile eſt, ab ipſomet Joanne, qui in illa ſolitudine ſibi de qualicunque veſte, qua corpus contegeret, proſpexit: nec exiſtimandum eſt, illi tantum defuiſſe induſtriæ, ut cum aliis negotiis non diſtineretur, rudi, ut ajunt, Minerva craſſum ſibi cilicium conficeret. Cur autem ex camelorum potius pilis, quam v. g. ovium, aut alterius cujuſpiam cicuris animalis, veſtem habuerit confectam, hæc ipſa fuit cauſa, quod in deſerto habitaret, ubi cameli ac feræ eſſent, non oves, aliave manſueta animalia, quæ domi ſolent ali, atque enutriri.

*Zonam pelliceam.* Notatur hoc ab Interpretibus, etiam Eliam, cui adeo ſimilis fuit Johannes, ut nomen etiam ipſius in ſacris literis tulerit, hujuſmodi zona fuiſſe ſuccinctum 4 Regum 1. 8. *Cibus autem ejus erant locuſtæ.* Locuſtas in cibis aliquando fuiſſe apud orientales, atque ipſos etiam Judæos, partim ex ſacra, partim ex profana hiſtoria conſtat. Etenim Levit. 11. 22 locuſtæ inter animalia munda, quibus veſciliceret Iſraëlitis, numerantur: & ex Plinio ab Interpretibus doctioribus loca citantur, quibus ille teſtetur, locuſtis tantum partem quandam Æthiopum vivere, fumo & ſale duratis in annua alimenta lib. 6. cap. 30, & Parthis eas in cibo eſſe gratas, lib. 11. cap. 29, quin & Plutarchum in Sympoſiacis autorem laudant.

*Mel ſylveſtre.* Quod nimirum apes in arborum truncis aut rupium fiſſuris conficiunt, quodque Plinius minime probatum dicit lib. 11. cap. 16.

℣. 6. *Baptizabantur in Jordane.* Baptiſmum hunc non aſperſione aliquot guttarum aquæ conſtitiſſe, ſed, ut vox ipſa ſignificat, immerſione, vel ablutione quadam, quæ proinde in ipſo flumine fuit peracta, jam ante nos ab aliis fuit animadverſum: idque requirebat ſcopus hujus ceremoniæ. Exprimere enim debebat ablutionem atque repurgationem ſordium animi, ſeu peccatorum; quandoquidem expreſſe dicitur Baptiſmus in remiſſionem peccatorum Marc. 1, 4. Lucæ 3. 3, quæ non repræſentatur levi quadam aſperſione aquæ, ſed immerſione, aut ablutione.

*Confitentes peccata ſua.* Duo inprimis hoc loco poſſunt quæri: primum, quænam peccata illi fuerint confeſſi, omnia, an aliqua tantum? Deinde, an hujuſmodi confeſſionem Johannes a baptizandis omnino exegerit, nec ne? Ad prius quod attinet, conſentaneum eſt, illa eos peccata fuiſſe confeſſos, in quibus hucuſque hæſiſſent, aut quorum recens eſſet memoria, vel etiam vetera, quæ conſcientiam magis urgerent ac premerent, præſertim ſi talia eſſent, ut legalibus ſacrificiis expiari non poſſent. Peccata autem dico, in quibus aliquis hæreat, illa, quæ in conſuetudinem abiiſſent. Talia erant publicanorum, qui alienis fere injuriis & injuſtis exactionibus diteſcebant: talia militum, qui raro ab injuriis abſtinent: talia meretricum: cujuſmodi hominum genera ad baptiſmum Johannis acceſſiſſe, ex ſacra hiſtoria eſt manifeſtum. Neque vero aliis deerant peccata, in quibus prope aſſidue verſarentur. Sic ſi quis adulterium commiſiſſet, depoſitum forte negaſſet, pejeraſſet, etiamſi ſemel forte tantum flagitium iſtiuſmodi in ſeſe admiſiſſet, urgente tamen conſcientia, & ad impunitatem divinitus impetrandam aſpirante, probabile eſt, confiteri ſolitos fuiſſe eos, qui ad baptiſmum Joannis accederent: cum audirent, eum reſipiſcentibus, ac baptiſmum ipſius recipientibus, remiſſionem peccatorum ipſorum Dei nomine offerre, & aditum ad felicitatem longe maximam, quæ jam inſtaret, aperi-

(1) *Johan. Piſcat.*

rire. Neque vero neceſſe erat, ut ſingulorum factorum circumſtantias referrent: id quod nec utile, nec ſatis honeſtum fuiſſet, nec fieri potuiſſet in tanto hominum ad unicum Johannem undique confluentium concurſu. Quare nec ita verba hæc Matthæi accipimus, ac ſi ſimpliciter tantum confeſſi fuiſſent ſeſe peccatores eſſe: quod qui faciunt, nimis enervant vim verborum atque ſententiam: cum aliud ſit ſua peccata confiteri aliud confiteri ſimpliciter, ſe peccatorem eſſe; & prius illud omnino ſignificet, ſaltem certum aliquod peccati genus ab aliquo commiſſum exprimi: nec rurſus ita verba hæc extendenda cenſemus, ac ſi ad ſingula facta, eorumque circumſtantias exprimendas deſcendiſſent: quod alii, qui auricularem ſuam confeſſionem urgent, videntur exiſtimare.

Ad alteram quæſtionem quod attinet, cum hac de re nihil aſſerant ſacræ literæ, certi aliquid ſtatui non poteſt: ſed credibile tamen eſt, id magis ex conſuetudine jam olim recepta manaſſe, & lege divinitus hac de re conſtituta; ut, qui ſacrificio aliquo peccatum ſuum expiari cuperet, id Sacerdoti indicaret: præſertim cum certis delictorum generibus, certa quoque ſacrificiorum genera eſſent conſtituta. Quare cum Johannis baptiſmum in eum finem inſtitutum cernerent, ut homines interveniente reſipiſcentia, peccatorum ſuorum remiſſionem imperrarent, conſentaneum eſſe cenſuerunt, ut peccata, a quibus liberari cuperent, confiterentur: præſertim cum id ipſum humilitatis ſeu modeſtiæ quoddam ſit argumentum, & ingenui cujuſdam candoris, qui ad remiſſionem peccatorum obtinendam vim non exiguam habet. Quod quouſque Chriſtianis hominibus ſit imitandum, ex Jacobo diſcere poſſumus cap. 5. 16. Ut certo alicui hominum generi, ſeu ordini peccata ſua quiſque confiteatur, & quidem omnia, quorum meminit, expreſſis etiam ſingulorum circumſtantiis, neceſſe non eſt: cum nec talis hominum ordo ſit uſpiam a Deo hominibus Chriſtianis conſtitutus; nec præceptum ullum hac de re dictum; nec hoc Joannis exemplo poſſit oſtendi; cum nemo hodie Joanni extet ſimilis, qui ab ipſo Deo ad remiſſionem peccatorum hominibus publicandam fuerit miſſus: & nihil conſtet, Judæos præcepto aliquo divino fuiſſe ad peccata ſua confitenda omnino adactos, & credibile non ſit eos ſingula facta, eorumque circumſtantias enumeraſſe. Ut taceam, non legi, hujuſmodi confeſſionem unquam repeti ſolitam fuiſſe: & fatentur illi, qui cæteroquin confeſſionem omnium peccatorum urgent, confeſſionem hanc baptiſmum fuiſſe antegreſſam, non conſecutam, cum contra apud ipſos fiat. Unde acutiores quidam (1) ex confeſſionis auricularis patronis, hoc loco ad eam ſtabiliendam uti nolunt.

℣. 7. *Videns autem multos Phariſæorum & Sadducæorum.* Duæ hic commemorantur præcipuæ Judæorum ſectæ, quarum & alibi in Hiſtoria Sacra Novi Fœderis frequens eſt mentio. Neque vero Chriſtus ejuſque Apoſtoli acriores atque infeſtiores habuerunt, quam hos ipſos homines, adverſarios: qui quod inter cæteros ſuæ gentis homines ſanctitatis, adde etiam ſapientiæ opinione ac fama eminerent, ipſique inflati eſſent; Euangelicæ veritati cedere, & aliorum diſcipuli fieri, qui ſe cæterorum potius Doctores eſſe putarunt, noluere. Præponuntur autem Phariſæi Sadducæis, propterea quod major illorum, quam horum eſſet apud populum authoritas, & major ſanctitatis ac ſapientiæ fama. Quare & plures eorum aſſeclæ erant, & in Republica plus cæteris poterant. Unde videmus infra cap. 5. 20, ubi ii a Chriſto commemorantur, qui præ cæteris juſtitiæ laude in populo Judaico maxime eminerent. Sadducæis omiſſis, Scribarum tantum & Phariſæorum fieri mentionem, & cap. 23 a Chriſto nominatim quoque Scribas ac Phariſæos acrius reprehendi, & larvam illis pietatis, qua populo imponebant, nominatim detrahi, Sadducæorum nulla facta mentione. Atque ut alia nunc mittam, id unum ſatis oſtendit, quanta fuerit illorum in populo authoritas, quod Johannes teſtatur cap. 12. 42, multos etiam ex primoribus Judæorum credidiſſe in Chriſtum, ſed propter Phariſæos non fuiſſe id confeſſos, ne è Synagaga ejicerentur. Patet enim hinc, eos in Synagogis Judæorum rerum, ut ita dicam, potitos, & ex ipſorum arbitrio alios è Synagogis excluſos, alios non excluſos fuiſſe. Unde Phariſæi dicti fuerint, quanquam docti non conſentiunt, eorum tamen ſententiæ accedimus, qui Phariſæos Hebræis dictos putant, tanquam ſeparatos a cæteris, nempe vitæ ſanctimonia & eruditione. Qua de re videatur inter alios Druſius in Comment. Prior. ad voces Heb. N. T. ad vocem *Phariſæus*, itemque Maldonatus ad hunc locum. Sadducæos autem dictos fuiſſe tanquam juſtos, aut juſtitiæ præ cæteris ſtudioſos, ab Hebraico Zaddik, quod juſtum ſignificat, prope inter omnes conſtat. Quanquam nonnulli arbitrantur, id eos nomen ſortitos eſſe a Zadduco ejus Sectæ authore, cujus tamen nomen ab eadem origine, hoc eſt, eo nomine, quod Hebræis juſtum ſignificat, deducitur. Quomodo illi inter ſe diſtincti fuerint, quæque illarum Sectarum dogmata atque inſtituta, apud Joſephum in Antiquitatibus Judaicis non uno loco videre eſt. ( ) Quanquam nonnulla etiam in ſacris literis N. F. ea de re extant, atque inprimis in Actis Apoſtolorum cap. 23. 8, ubi ait Lucas: *Sadducæi quidem dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum* (hoc eſt, neque ullum alium Spiritum, quales ſunt Dæmones, aut ſpiritus hominum a corporibus ſeparati) *Phariſæi autem confitentur utrumque*, hoc eſt, & reſurrectionem, & ſpiritus, in quorum numero etiam Angeli continentur. Efferuntur autem hoc loco Phariſæi & Sadducæi ſub uno articulo: non aliam, ut apparet ob cauſam, quam ob conjunctionem, quæ illis in eo, de quo hic agitur, interceſſit, nempe quod ſimul ad Baptiſma Joannis venerint. Animadvertendum autem eſt, hic exprimi a Matthæo occaſionem ſequentis Baptiſtæ orationis, & ſignificari Johannem præcipue Phariſæos ac Sadducæos notare, & acrius objurgatos monere voluiſſe, ut ex animo reſipiſcerent. Quanquam Lucas cap. 3. 7 dicit, Johannem primam illam orationis partem, quæ apud Matthæum exponitur ℣. 7 & ſeqq. tribus, habuiſſe ad populum, vel ad turbas, quæ egrederentur, nempe ex variis Judææ partibus in deſerti oras, ut ab ipſo baptizarentur. Inter quas nulla eſt revera pugna: Oratio Lucæ generalior eſt, Matthæi ſpecialior: & apparet ita Johannem temperaſſe ſermonem, ut cum Phariſæi ac Sadducæi, turbæ aliqua ratione permixti eſſent, omnes quidem alloqui videretur, ſed interim tamen Phariſæos ac Sadducæos inprimis notaret. Itaque apparet, non ita acriter fuiſſe objurgaturum promiſcuam turbam, quæ ad baptiſmum ipſius veniret, niſi animadvertiſſet Phariſæos ac Sadducæos multos, peſſimum hominum genus, eſſe turbæ immixtum. Quid vero eos permoverit, ut

(1) *Maldonatus.*

(1) *Antiq. l.* 13. *c.* 9. *l.* 18. *c.* 2.

ad

ad baptiſmum Johannis accederent, ſacræ literæ non exprimunt. Conjici tamen poteſt, ex hujus hominum generis ingenio ac moribus, pleroſque ideo acceſſiſſe, ut populo gratificarentur, a quo Johannem pro Dei Propheta haberi cernebant. Itaque ne pro hominibus profanis haberentur, & Prophetarum contemtoribus, atque hac ratione populi favorem amitterent, credibile eſt, eos voluiſſe communi hominum ſententiæ cedere, eique nonnihil indulgere. Quanquam nolimus negare, eos de Johanne non adeo male perſuaſos fuiſſe, quin virum exiſtimarent bonum & pietatis ſtudioſum, qui cuperet populum ad frugem revocari, & in rectum vitæ tramitem deduci. Neque enim videntur ad baptiſmum Johannis fuiſſe venturi, ſi credidiſſent, eum impoſtorem eſſe. Non pugnat autem hic locus, cum illo apud Lucam cap. 7. 30, ubi dicitur Phariſæos & Legiſperitos conſilium Dei irritum feciſſe in ſemetipſis non baptizatis a Johanne, quod ſignificat pleroſque illorum baptiſmum Iohannis non ſuſcepiſſe. Etenim cum hoc loco apud Matthæum dicantur multi Phariſæorum & Sadducæorum ad Iohannis baptiſma veniſſe, non comparantur illi cum cæteris ſui generis ordiniſve hominibus, qui non acceſſerant, quaſi multi baptizati fuerint, reſpectu eorum, qui non fuerint baptizati: ſed ſimpliciter tantum multi dicuntur, quod non pauci fuerint numero, licet interea pauci eſſent reſpectu cæterorum ſui ordinis hominum, qui eum baptiſmum ſuſcipere detrectarent: ita, ut jure nihilominus dici poſſet, Phariſæos baptiſmum Iohannis non ſuſcepiſſe, quia plerique eum non ſuſceperint. Taceo, quod hoc loco Sadducæi cum Phariſæis conjungantur, & de utriſque conjunctim dicitur, eorum multos ad baptiſmum Iohannis veniſſe. At in Lucæ loco Sadducæorum nulla fit mentio, ſed Phariſæorum tantum, & Scribarum. Et facile fieri potuit, ut ex Sadducæis plures, quam ex Phariſæis accederent, propterea quod major eſſet Phariſæorum apud Iudæos authoritas, & major ſanctitatis opinio ac fama, qua inflati nolebant ſe ita demittere, ut & diſcipuli Iohannis fieri, & baptiſmum ejus ſuſcipientes, peccatores ſeſe profiteri vellent. *Venientes ad baptiſmum ſuum.* Non tanquam ſpectatores tantum, ſed tanquam ii, qui & ipſi baptiſmum eum ſuſcipere vellent, ut ex ſequenti Johannis oratione intelligitur.

*Progenies viperarum* &c. Oratio Iohannis, quæ ab hoc loco deſcribitur, uſque ad finem ℣. 12, duabus conſtat partibus. In priori, Phariſæos & Sadducæos potiſſimum alloquens, ad ſeriam eos reſipiſcentiam ac morum mutationem hortatur. In poſteriori de Chriſto mox ſecuturo luculentum edit teſtimonium, & eum ſibi longe præferendum eſſe demonſtrat: eum nempe in finem, ne ipſemet pro Chriſto habeatur, quemadmodum ex Luca conſtat. Ex quo intelligitur, inter priorem hujus orationis partem, & poſteriorem quædam alia inteceſſiſſe, nec continua ſerie hæc Iohannem pronunciaſſe. Intervenerunt enim quædam interrogationes tum populi generatim, tum nominatim publicanorum, & militum: atque ad eas Ioannis reſponſiones. Tum demum cum animos populi ſuſpenſos eſſe videret Ioannes, & in eam ſive ſpem, ſive ſuſpicionem erectos, ut cogitarent, annon ipſe eſſet Chriſtus; Iohannes ut hanc illis opinionem eximeret, ſecundam orationis a Matthęo deſcriptę partem adjecit, & non ſe Chriſtum eſſe docuit, ſed alium longe ſe majorem ac præſtantiorem mox ſequuturum eſſe aſſeruit. Iam ut ad priorem hujus orationis partem veniamus, in ea primum acerbius aliquanto objurgatos Phariſæos miratur rationem ingreſſos, ſupplicium ſibi totique populo imminens effugiendi, eaque ratione aditum ſibi parat ad eos, ut ſerio reſipiſcere velint, tanto gravius monendos, tantoque vehementius incitandos. Idque in his ℣. 2 verbis, ubi eos appellat *progeniem viperarum*. Quanquam Græca vox pluralis numeri eſt, & nata ſeu genita ſignificat. Satis autem conſtat, id eum vel e dicere, viperarum eos ingenium atque indolem referre, non ſecus atque ſi ex viperis eſſent progeniti, ſeu mavis, non ſecus ac ſi ipſimet eſſent viperæ: quandoquidem proles viperarum, pro ipſis viperis ſumi poteſt, conſueto Hebraiſmo, quo filii v. g. hominum, aut arietum, ſumuntur pro ipſis hominibus, aut arietibus Pſal. 29. Eodem modo infra cap. 23. 33 eoſdem Phariſæos, uti & Scribas, appellat Chriſtus ſerpentes, & progeniem viperarum. Significat autem hominum genus eſſe omnium peſſimum, nocentiſſimum, quod malitiæ, improbitatis ac crudelitatis virus intus gerat reconditum. Eſt enim vipera venenatiſſimum animalium genus ac nocentiſſimum. Tam acriter autem eos hic alloquitur Johannes, ut & infra Chriſtus, partim eoſdem, partim alios; quia cum morbum ſuum non ſatis noſſent, vel potius agnoſcere nollent, acriori hoc ſtimulo atque aculeo erant excitandi, ut ſeſe noſſe diſcerent: atque ut cernerent, licet populo ſanctitatis ſpecie imponerent, ſuos tamen mores, ſuumque animum non latere Dei ſpiritum, atque ita pudefacti in ſe deſcenderent, & demiſſis criſtis humilius de ſe ſentire inciperent, ac melioris vitæ conſilia ſuſciperent. Interim tamen animadvertendum eſt, nobis non protinus tantum licere in alios, quantum Johanni aut Chriſto licuit. Nam nec eadem eſt nobis muneris auctoritas ac poteſtas, quæ utrique illorum fuit, & maxime Chriſto: nec eadem divini ſpiritus vis, quo uterque & vidit animi vitium in hominibus illis latens, & in apertum produxit, ac dignis coloribus depinxit, ſeu nominibus expreſſit. Itaque divinus, qui in illis habitabat ſpiritus, hoc pacto eos objurgaſſe cenſendus eſt, quod aliter in nobis eveniret, ſi abſque hujuſmodi ſpiritus impulſu homines eos, quos improbos judicaremus, tam acribus verbis caſtigaremus: & in nobis fieret convicium, quod in illis juſta eſt ac legitima animadverſio, qua vitia ipſorum latentia fuerunt notata. *Quis oſtendit vobis fugere.* Admiratio hæc eſt Johannis, inde orta, quod hoc ipſorum factum ab eorum ingenio ac moribus plane abhorrere, & ipſorum meritis non convenire videatur, q.d. Mirum admodum eſt, vos quoque rationem ac viam ingreſſos imminens vobis ſupplicium effugiendi: quandoquidem mores ingenii veſtri plane ab eo videntur abhorrere, voſque indigni eſtis, quibus tam ſalutare conſilium in mentem venerit: aliud vos merebamini, nempe ut in veſtra malitia obſtinate perſeverantes ſupplicium illud, quod vobis cæteriſque peccatoribus imminebat, nequaquam effugeretis. Nimis bene vobiſcum agi videtur, ſi facta veſtra ſpectentur. *Iram* hoc loco pro ſupplicio ſumi, ab omnibus, quod ſciamus Interpretibus eſt animadverſum. Idem fit in aliis quoque Scripturæ locis. Vide Rom. 1. 18. II. 5. 8. III. 5. IV. 15: V. 9. XIII. 5, ubi de pœna a Magiſtratu irroganda, ſermo eſt, &, ut alia nunc mittam 1 Theſſ. 1. 10, ubi fit mentio iræ venturæ, hoc eſt, futuræ. Quænam autem ſit ira illa, poſtmodum indicabit Johannes ℣. 10 & 12, ubi quædam ea de re dicemus explicatius. *Fugere*

*autem ab ira futura*, videtur ſignificare effugere, ut φυγεῖν ἀπὸ τῆς ὀργῆς ponatur pro ἀπφυγεῖν τῆς ὀργῆς. Quanquam & ſumi poteſt pro fugere ſimpliciter, ſeu vitare, ut conatum effugiendi ſignificet.

℣ſ. 1. Sequitur altera primæ partis hujus orationis particula, quæ conſtat adhortatione ad ſerium pietatis ſtudium: *Facite ergo fructum dignum pœnitentia.* Particulæ *ergo* hæc videtur eſſe vis, quaſi dixiſſet Johannes: Quia vero pœna vobis, imo univerſo populo imminet, idque vos animadvertentes eam evitare conamini, ac rationem nunc ingredimini eam effugiendi, ſuſcepto meo baptiſmo, reſipiſcentiam profeſſuri ac conteſtaturi; ideo vos moneo, ut fructum feratis reſipiſcentia dignum. *Facere fructum*, eſt fructum ferre, hoc eſt, opera edere ac perficere: ut paulo poſt ℣ſ. 10, & infra cap. 7. 57. Neque vero vox *pœnitentiæ*, ſeu *reſipiſcentiæ* hoc loco conſtruitur cum voce *fructus*, quaſi dictum eſſet: Facite fructum reſipiſcentia dignum; licet vulgati Interpretis verba hunc ſenſum poſtulare videantur (quem tamen Græciſmum potius retinuiſſe, ut & alibi ab eo factum videmus, quam eum, quem diximus ſenſum, ſecutum fuiſſe arbitramur:) ſed vox *reſipiſcentiæ* conſtruitur cum proxime præcedente, *dignum*, quaſi dixiſſet, fructum ferte convenientem reſipiſcentiæ: ut nonnulli (1) Interpretes verterunt, ideu, reſipiſcentiæ congruentem. Quare *facere fructum* per ſe generale eſt, & ſimpliciter ſignificat, opera edere, ac vitæ actiones obire: non indicata actionum illarum vel bonitate, vel malitia. Sed illæ voces, *dignum pœnitentia*, bonitatem illarum actionum exprimunt: ut idem ſit cum eo, quod infra dicitur, *faciamus fructum bonum.* Etſi autem expreſſe non dicatur, hunc eſſe ipſius reſipiſcentiæ fructum ſeu effectum; res tamen ipſa ſatis indicat. Unde etiam alibi hinc concludimus, bona opera hoc loco a reſipiſcentia, tanquam effectum a ſua cauſa diſtingui, & reſipiſcentiam hic pro animi tantum mutatione in melius ſumi: morum autem mutationem, ac reditum ad frugem in ſeſe nondum complecti. Ideo autem opera bona hoc pacto deſcribit, quia Phariſæi ac Sadducæi illi, quos præcipue alloquitur, ad baptiſmum ipſius accedentes, hoc ipſo profitebantur, ſeſe reſipiſcere, & cum animum jam in melius mutaſſent, prioris vitę delicta deteſtati, mores in poſterum mutare velle: quandoquidem, ut jam ſupra monuimus, & infra ℣ſ. 11 videbimus, Johannis baptiſmus, pœnitentiæ baptiſmus erat. Illud vix, ut moneatur, opus eſt, fructus nomine hic non unum atque alterum opus, ſed opera in genere, ac totius vitæ actiones ſignificari: & eſſe hic metaphoram ductam inprimis ab arboribus, aliiſve rebus ſimilibus: quæ cum natura ſua fructum ferre poſſint, ab iis etiam fructus, & quidem bonus requiritur, quem ſi non ferant, exſcindi quoque ſolent & in ignem conjici: ut poſtea metaphoram hanc longius proſequutus docet Johannes ℣ſ. 10.

℣ſ. 9. *Et ne videamini dicere* &c. In hoc & ſequenti verſic. tertia continetur particula primæ partis horum Baptiſtæ verborum: in qua admonitionem ſuam firmat, tum occupatione objectionis, hoc ℣ſ. 9, tum ratione ejus allata, partim a cauſa impulſiva, partim ab effectu contrarii adducta. Quod ad prolepſin illam attinet; notum eſt ex ſacris literis, quantopere Judæi confiſi fuerint ſuis natalibus ſeu generi, quod ex Abrahamo, quem ſcriptura Dei amicum appellat, ducerent. Ita enim ſibi perſuadebant, ſe hoc ipſo nomine Deo charos eſſe, ac fore, nec gratia divina excidere poſſe, utut interea corruptis eſſent moribus, & ſuis factis iram divinam provocarent. Illud ſane non putabant fieri poſſe, ut Deus eos univerſos exſcinderet ac perderet: quia non habiturus eſſet Abrahamus ſobolem, quam tamen perpetuam fore Deus olim promiſiſſet: quemadmodum ex reſponſione Baptiſtæ intelligetur. Hæc opinio, quia magno illis futura erat impedimento, quominus de vitæ mutatione ſerio cogitarent, ac mores ſuos emendarent, ideo eam animis illorum hic eximit Johannes, & illorum ſupercilium retundit: dum docet eos non debere ſibi ipſis fallaci hac opinione imponere, ut putent, Deum ſibi fore propitium, nec ſe perditurum propter illorum ſcelera, quia Abrahami ſint progenies. Quod ad verba attinet, illud quidem notum eſt, *dicere in ſemetipſis*, ſeu mavis, *vobiſmetipſis* (nam Pronomen tertiæ perſonæ, pro Pronomine ſecundæ perſonę, & hic & alibi ſępe poni liquet) ſignificare, cogitare apud ſemetipſos, ſeu apud animum ſuum, vel apud voſmetipſos. Notus enim eſt vulgo Hebraiſmus, quo *dicere* ponitur pro cogitare: præſertim ſi addatur, *in corde ſuo*, vel apud ſe, vel quippiam ſimile. Illud aliquanto difficilius explicatu eſt, quod ait Baptiſta: *Ne videamini dicere.* Phraſis enim eſt inſolentior, atque haud ſcio, an in ea ſignificatione, qua hic uſurpari videtur, uſpiam uſurpata. Poteſt enim duplex ejus ſenſus conſtitui: Prior communi loquendi conſuetudini convenientior: quaſi dixiſſet Johannes; Ne oſtendatis vos ita cogitare, ne ſpeciem ita cogitantium præ vobis feratis, vel potius ne ita vos geratis, ut jure quiſpiam ſtatuere poſſit, ita vos apud animos veſtros cogitare. Poſterior eſt, ut ſignificetur, ne putetis jure, ſeu recte vos ita cogitare apud vos poſſe: ut vox δοκεῖν approbationem quandam ejus rei, cui adjicitur, quæ hoc loco *dicendi* verbo exprimitur, ſignificet. Quam ſententiam propemodum exprimunt illi, (1) qui ita vertunt hæc verba: *Ne putetis dicendum apud vos ipſos.* Quanquam plus hęc interpretatio videtur dicere, quam verba ferunt. Verbum enim *dicendum* neceſſitatem quandam aut officium denotat: cum aliquid, ut ita dicam, lenius ſeu minus videatur Johannes exprimere voluiſſe. Monet enim ne id faciant Judæi illi, quod facere viderentur, aut facile poſſent facere, his ipſius verbis auditis. Non eſt autem credibile, eos exiſtimaſſe, ſibi ita dicendum ſeu cogitandum eſſe, ſed recte aut jure ita ſe cogitare poſſe. Quare hoc verbis illis Joannis exprimi, conſentaneum eſt. Non multum diſſimilis videtur eſſe, hujus verbi δοκεῖν uſus, apud Paulum 1 Cor. 8. 2, cum ait: *Si vero quiſpiam videtur*, aut *arbitratur* [*ſe*] *ſcire aliquid; nondum quicquam cognovit, quemadmodum oportet noſſe.* Ubi illud *arbitrari*, ſeu *videri* non ita ſumitur, ac ſi dictum eſſet, qui cum revera nihil ſciat, putat tamen ſe aliquid ſcire: nam alias nugatio quædam eſſet in ſequentibus verbis, Apoſtolo ſane indigna, *nondum quicquam cognovit, quemadmodum oportet noſſe.* Quis enim id ignoraret? Conſequens Enunciationis, vel idem foret cum Antecedente, vel in eo nimis manifeſte contineretur. Idem (2) doctiſſimi quidam Interpretes notarunt, verbum δοκεῖν iſtic hanc habere vim, ut ſignificet quempiam ſibi in eo placere, ita ut perſuaſionem cum inſolentia quadam conjunctam denotet: a quo uſu non longe diſcedit locus ejuſdem Epiſtolæ cap. 11. 16: *Si quis videtur con-*

(1) *Piſcator.*

(1) *Beza, Piſcator.* (2) *Beza.*

*tentioſus*

*tentioſus eſſe*. Senſus enim eſſe videtur, ſi cui placet eſſe contentioſum. Quod ſi etiam arbitreris, eodem plane modo vertendum eſſe hoc verbum, hoc noſtro apud Matth: loco, quaſi dixiſſet Johannes, ne libeat aut placeat vobis dicere aut cogitare; non multum repugnabimus. Quanquam illud, quod antea diximus, præferimus. Prior autem ille ſenſus, quem tradidimus, ideo nobis minus probatur, quod verbis ejuſdem Johannis apud Lucam deſcriptis, & ipſius etiam menti minus videatur accommodatus. Lucas enim loco ejus, quod hic dicitur μὴ δόξητε λέγειν, ne videamini, vel putetis dicere, habet μὴ ἄρξησθε λέγειν ne incipiatis dicere, Act. 1. 1. h. e. phraſi, tum alibi, tum apud ipſum Lucam uſitata, ne dicatis ſeu cogitetis. Et hoc ſane volebat Johannes, ne re ipſa ita cogitarent, idque etiam illo ipſo tempore, cum eos ita moneret, &, ne hæc cogitatio obſtaret, quominus illi in poſterum dignos pœnitentia fructus proferrent. Ad quod ſignificandum non ita accommodatum eſt illud, quod priorem iſtum ſenſum explicantes diximus, ne oſtendatis vos ita cogitare, aut ne ita vos geratis, ut jure quiſpiam colligere poſſit, ita vos cogitare. At poſteriorem ſenſum menti huic Baptiſtæ, & Lucæ verbis, optime conſentire, nemo non videt. Jam vero quod dicitur: *Patrem habemus Abrahamum*, in eo ſynecdoche quædam eſt, quæ non in uno verbo, ſed in tota oratione cernitur. Debet enim ſimul conſequens hujus rei includi, quod Judæi, ſeu mavis Johannes, per mimeſin quandam hæc referens, vel inprimis intelligi volebat. Significare enim volebat, non tantum ſe eſſe Abrahami progeniem, & illum generis ſui eſſe caput ac principem: ſed etiam ad ſeſe pertinere promiſſa divina poſteritati Abrahamicæ facta, hoc eſt, divinum favorem ac benedictionem, & eam quidem æternam ac perpetuam, quæ nequaquam permitteret, ut ea poſteritas perdi a Deo poſſit. *Dico enim nobis*. Sequitur Reſponſio ad objectionem illam. Ita autem reſpondet Johannes, ut intelligant Judæi ex eo, quod Patrem habeant Abrahamum, nequaquam id conſequi, quod conſequi tamen exiſtimarent: nempe fieri non poſſe, ut a Deo puniantur perdanturque. Tollit enim id, quo potiſſimum illi nitebantur, licet non eſſet aperte expreſſum, nempe quod putarent, ſe perditis ac ſublatis, nullam reſtituram Abrahami ſobolem, ſeu poſteritatem, in qua divina illa promiſſa, ſemini Abrahamico facta, impleri queant. Qua in re vehementer eos falli, Johannes docet: dum aſſerit, ſi nulla alia Abrahami ſoboles extaret, aut nulli homines, qui pro Abrahami ſobole cenſeri, & in quibus promiſſorum ſemini Abrahamico factorum fides exſolvi poſſet; vel ex lapidibus iſtis, quos tum demonſtrabat Johannes, Deum excitare poſſe ſobolem Abrahamo, atque adeo excitaturum eſſe, & potius, quam ut impunitam ferat Judæorum contumaciam atque impietatem, inde producturum eſſe Abrahamo prolem, unde minime putaretur. Videtur autem divinus ſpiritus, qui in Joanne loquebatur, reſpexiſſe ad vocationem gentium exterarum, earumque ad Deum converſionem: & ſignificare voluiſſe, fore ut ex illis populis, ex quibus minime crederent Judæi, Deus ſuſcitaret Abrahamo filios, in quibus promiſſiones divinæ poſteris Abrahami factæ implerentur. Nam cum Joannes dicit, vel ex lapidibus excitaturum eſſe Deum liberos Abrahamo; non quidem ſignificat, Deum, rejectis ac perditis ob contumaciam atque impietatem Judæis, in ipſorum locum homines ex lapidibus aliave materia inanimata excitaturum: ſed, ſi nulla alia materia exſtaret aptior, (aptiores autem ſane ſunt homines, quam res ulla inanimata) vel ex lapidibus ſobolem Abrahamo eſſe producturum. Sed antequam huc deveniendum eſſet, propius ſane erat, ut gentes in locum Judæorum ſubſtituerentur, & ita reformarentur a Deo, ut pro Abrahami filiis cenſeri jure poſſent. Neque enim eſt quod quiſquam cogitet, gentes extraneas Abrahami filios eſſe non poſſe, quia ſecundum carnem ex eo geniti non ſint: quandoquidem ſatis hic apparet, Johannem non de carnalibus, ſed de ſpiritualibus Abrahami filiis fuiſſe locutum. Qui enim ex lapidibus, ut Johannes loquitur, ſuſcitarentur Abrahamo filii, certe carnales ipſius liberi eſſe non poſſent, idque Johannem probe videre, nemo non intelligebat. Quare ſpirituales eum liberos ſignificaſſe neceſſe eſt. De quibus vide quid ſcribat Paulus, Rom. 9. Gal. 3.

℣. 10. *Jam enim ſecuris ad radicem arborum*. Sequitur jam admonitionis illius ad proferendos dignos pœnitentia fructus ratio, partim a cauſa impulſiva, partim ab effectu contrarii petita. Prior illius rationis pars continetur prioribus ℣ſ. 16 verbis: *Jam enim & ſecuris*. Quibus verbis nihil aliud ſignificatur quam imminere jam Judæis divinum ſupplicium, ſeu interitum a Deo decretum, adeoque mature illis eſſe proſpiciendum, ut illum interitum effugiant. Effugere autem nulla ratione alia poterant, quam ut fructus pœnitentia dignos proferrent, quemadmodum ſequentia verba indicant. Significat autem id allegoria, ſeu metaphora ab arboribus petita, quarum exciſio ac interitus jam inſtat, cum radici ſecuris jam eſt admota. Cum autem *radicis* facit mentionem, cui ſecuris ſit admota; ſignificat arbores has, ſcilicet homines radicitus ac funditus perdendos delendoſque. Videtur autem occurri his verbis tacitæ Judæorum cogitationi, qui cum audiviſſent, mentionem fieri a Johanne venturæ iræ, ſeu ſupplicii divini, cogitare poterant, longe illud adhuc abeſſe. Itaque nihil eſſe neceſſe, ut properent, ac vitæ emendationem maturent, ſatis adhuc reſtiturum temporis. Nunc ergo illos monet Johannes, longe aliter ſe rem habere, ne ſibi ſpes tam vanas fingant: inſtare jamjam perniciem, niſi quam citiſſime ad frugem redeant. Poſterior, quam diximus, rationis pars continetur illis verbis: *Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum*, &c. quæ ex priori quodammodo deducitur: quia cum lignator arbores vult excindere, eas deligere ſolet, quæ ſunt infrugiferæ ac ſteriles, earumque poſtea exciſarum hæc ſæpe ſolet eſſe conditio, ut in ignem conjiciantur: vel ſaltem ad eos Baptiſta reſpicit, qui ignis alendi cauſa ligna quærunt. Qua re ſignificat Judæos illos, niſi fructus pœnitentia dignos edant, perditum & ignis ſupplicio affectum iri, vel ſaltem ſupplicio ejuſmodi quod combuſtioni arborum recte reſpondeat. Etenim ut de reipſa pauca adhuc adjiciamus, poſſumus ſupplicium, quod in his verbis comminatur Judæis Baptiſta, intelligere non tantum de ultimo illo ignis æterni ſupplicio, quod in adventu ſuo ultimo impiis Chriſtus irrogabit; ſed etiam de excidio gentis Judaicæ, quod jam prope inſtabat. Et de hoc quidem magis videtur Johannes loqui, vel ſaltem primo hoc videtur intelligere, interitum vero ſempiternum veluti conſequenter: quandoquidem loquitur de eo, tanquam de re valde propinqua, & ad Judæos proprie

pertinente. In illo vero excidio gentis Judaicæ non omnes impii igne fuerunt consumpti: sed perierunt tamen plerique horrendis suppliciis, quæ cum combustione arborum conferri recte possunt. Quanquam præterea, quia illos omnes ultimum illud ignis æterni supplicium adhuc manet, quod in his verbis simul cum illo priori comprehensum esse putamus, tanto rectius, omnem arborem, quæ non fecerit fructum bonum, in ignem conjectum iri affirmatur. Similis locus est infra cap. 7. 19.

℣. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua* &c. Sequitur altera orationis Baptistæ pars, in qua præclarum Christo mox secuturo testimonium præbet, eumque secum conferens sibi longissime præfert. Qua quidem in re alteram muneris sui partem exequitur, quemadmodum in priori parte priorem. Duæ enim hæ fuerunt muneris illius partes. Prima erat, omnes hortari ad resipiscentiam, spe veniæ illis proposita. Altera Christo testimonium perhibere. Utraque ratione illi viam præparabat, efficiebatque ut Judæi ad eum recipiendum aptiores pronioresque essent. Duo autem de Christo prædicit insignia. Prius est, quod divinissimum spiritus sancti donum esset in Judæos effusurus. Posterius est, quod judex esset futurus, qui cuique esset pro operibus ipsius redditurus. Et in priori quidem re ita eum secum confert, ut aliqua ratione similem, sed multo tamen magis dissimilem esse ostendat. Spiritus enim sancti donationem a Christo profecturam cum baptismo suo confert, atque adeo baptismi nomine describit, ostenditque se quidem illi similem, quod baptizet, sed illa re longe dissimilem, qua baptizet. Πρῶτον ergo comparationis comprehendit his verbis: *Ego baptizo vos in aqua*, *in* vel *ad pœnitentiam*. *In aqua* dicit, pro aqua simpliciter, ex Hebraismo. Confer Act. xi. 16. Significat se vili re baptizare Judæos. Unde intelligitur falli illos, qui putant una cum aqua illa effusum simul fuisse spiritum sanctum, seu eum in animos eorum, qui rite baptismum illum susciperent, vim quandam occultam exeruisse, eosque regenerasse. Sic enim non recte opposuisset Baptista suum baptismum baptismo Christi: se quidem aqua baptizare, illum autem spiritu sancto esse baptizaturum affirmans. Neque est, quod quis dicat, eatenus nihilominus recte institutam esse oppositionem, quatenus intelligatur, Johannem quidem aquam solam adhibuisse in baptismo; spiritum autem sanctum, qui simul effunderetur in baptizandos, a Deo, vel etiam ab ipso Christo fuisse profectum. Etenim Johannes aperte de baptismo spiritus loquitur, tanquam de re futura, & significat auditores illos suos per Christum postmodum aliquid amplius esse consecuturos, quam a se, vel per se nunc consequantur: ut ita ad Christum, ubi se exhibuisset, omnes alacriter accurrerent, eumque reciperent, ut tam præstans donum consequerentur. Id autem non effecisset Johannes hac sua ratione, si jam tum tam præstans donum, ipsius ministerio interveniente, Christo nondum ab illis cognito, & nondum apparente, consecuti essent & consequerentur. Et qui fieri poterat, ut auditores, saltem illi, qui rite baptismum ab illo suscepissent, non cogitarent; atqui nos spiritum sanctum jam per te tuumque baptismum accepimus, ut agnoscamus ac sentiamus, nos admirabili ratione in baptismo fuisse regeneratos, atque animis nostris immutatos. Ut alia taceam, quæ ex aliis sacrarum literarum locis depromi possent argumenta eandem sententiam convellentia. Addit Joannes finem, illustrandi gratia: nempe *ad pœnitentiam*. Nam id cæteroquin ad comparationem inter ipsum & Christum non videtur pertinere. Significat autem, se in eum finem homines aqua baptizare, ut hac ratione sese obstringant ad resipiscentiam, seu vitæ emendationem, atque adeo suæ illius obligationis ac professionis publice factæ memores, reipsa mores in melius mutent. Hic resipiscentiæ nomen in pleniori sensu sumitur; ut non animi tantum, sed & vitæ ac morum mutationem in melius in se complectatur, quemadmodum jam indicatum est. *Qui autem post me venit*. &c. Hucusque protasin comparationis, quam Joannes inter se & Christum instituit, vidimus, in qua Baptista muneris sui rationem, & quandam ejus vilitatem expressit; sequitur nunc apodosis, qua Christi supra se dignitatem, muneriſque præstantiam proponit atque explicat. Illud autem facit, primum generatim: deinde speciatim, dum nominatim explicat, quibus potissimum rebus Christus ipsum sit superaturus. Prius facit his verbis, dum ait: *Qui autem post me venit, fortior seu robustior me est, cujus non sum dignus soleas vel sandalia portare*. Ubi primo Christum describit, dum ait: eum pone se venire seu venturum esse. Quanquam autem vox græca ὀπίσω significat retro, seu a tergo, ac proinde loci differentiam significat, hic tamen metaphorice sumitur pro differentia temporis, q. d. qui temporis ratione in functione muneris sui erit me posterior. Quanquam emphasis quædam esse videtur in voce illa *retro*, ut significet, eum jam adventare, & sese mox consecuturum esse, quasi a tergo jam instet, atque immineat. Vocabulum *veniendi* non revera de adventu, seu motu locali, sed de inceptione muneris accipi debere satis liquet. Nam etiamsi Christus tum in Galilæa adhuc fuerit, & in Judæam postea, ut infra videbimus, advenerit, non tamen id est, quod Johannes dicere voluit, sed tantum Legati divinitus missi munus esse aggressurum. Legatorum proprie nimirum dictorum est venire aliunde, cum munus suum obire volunt; potuissetque hoc verbum de Christo usurpari, etiamsi tum temporis adfuisset, modo dum fuisset munus suum exorsus, simul enim atque exorsus fuisset, jam venisse dicendus esset. Quamquam autem Johannes veniendi verbo ad legationem, quam Christus Dei nomine esset obiturus, primum respexerit, consequenter tamen intelligi voluit etiam reliqua, quibus idem esset functurus, munera, & quibus id esset ad exitum perducturus, quod tanquam legatus cœpisset: vel saltem non ita hæc verba Johannis accipienda sunt, ac si Christum ratione tantum legationis seu muneris Prophetici, quod in terris erat obiturus, secum conferre voluisset, aut indicare, Christum, simul atque veniret, talem omnino futurum, & tanta tamque admiranda præstiturum, quanta ei postea tribuit. Nam spiritus sancti effusio, & judicii administratio, quam postea commemorat, non convenit Christo ut legato, sed ut Regi cœlesti: nec in terris fuit ab eo peracta, sed partim in cœlis peracta, partim adhuc, cum advenerit, peragenda. Quanquam & veniendi verbum de Christo ut Rege usurpatur Psal. 118. 26. Zach. 9. 9, atque exinde Matth. 21. 5. 9. cap. 23. 39. Præstantiam porro Christi supra se expressurus Johannes, primo potentiam commemorat, qua sese multum sit superaturus, cum ait, *Fortior me est*. hoc est, majore longe potentia instructus, qua nimirum possit præstare ea,

quæ

quæ ego præſtare nequaquam poſſum, ac nominatim ea, quæ poſtea ſequuntur, ut ſpiritum ſanctum ſuper vos effundat, & aliquando etiam judicium exerceat. Quanquam autem hæc vox de robore ac viribus proprie intelligenda eſt: nihil tamen prohibet, quominus poteſtatem quoque ſimul comprehendere cenſeatur. Et ſane fruſtra vires Chriſto majores fuiſſent, quam Johanni, conceſſæ, niſi ſimul & poteſtas major data fuiſſet. Eſt autem in verbis his cum præcedenti membro connexis objectionis tacitæ occupatio. Etenim præſtantiæ ac dignitati Chriſti ſupra Johannem obſtare videbatur, quod eum in munere ſuiſſet ſequutus, & contra Johannis dignitatem augere, quod Chriſtum antevertiſſet; ut ſane ex nonnullis hiſtoriæ euangelicæ locis apparet, quoſdam ideo Johannem pro Chriſto habuiſſe, & ſic Domino Jeſu prætuliſſe, quod prior ille veniſſet, & euangelium mundique reformationem quodammodo fuiſſet orſus. Sed teſtatur illis verbis Johannnes, Chriſtum, licet pone ſequeretur, temporeque ſe eſſet poſterior, donorum tamen divinorum virtutis poteſtatiſque amplitudine longe ſe ſuperare, ſeu mavis ſuperaturum eſſe. Et ſane haudquaquam conſequens eſt, ut qui tempore poſterior eſſet, dignitate etiam ac facultate ſit poſterior; cum ſæpe contra fieri videamus, & nominatim quoque in legatis, quos prodromi illis longe inferiores antecedunt; ne de regum anteambulonibus quicquam dicamus. Deinde addit Johannes id, quod honoris ac dignitatis proprie ſic dictæ maximum inter ipſum & Chriſtum diſcrimen complectitur, eſtque prioris diſcriminis, quod in potentia ac virtute, adde etiam poteſtate cernitur, cnnſequens; ſed ita elatum, ut prius quoque diſcrimen illuſtret, & quantum illud ſit, clarius demonſtret: q. d. quæ cauſa eſt, ut ego ipſius reſpectu viliſſimus, ac prope nullus cenſeri debeam, & indignus, qui vel viliſſimum ei miniſterium præſtem, ſeu in viliſſimorum ipſius mancipiorum numerum veniam. Etenim viliſſimum erat miniſterium alicujus ſandalia ſeu ſoleas portare. Reſpicit ad illius regionis morem, ubi geſtare ſolebant homines ſandalia, quæ poſtea vel templum, vel ædes aliquas mundiores, aut ſaltem conclavia ſplendidiora ingreſſuri ſolebant exuere, aut deponere, & qui honeſtiores aut locupletiores erant, puerum aliquem vel famulum habebant, qui ſandalia illa, eos ſequens, portaret, quod quidem miniſterium erat valde vile atque abjectum, adeoque unum ex abjectiſſimis ac ſordidiſſimis. Idem ſignificatur, cum apud Lucam ita verba hæc Johannis efferuntur, ac ſi dixiſſet: *Cujus non ſum dignus ſolvere corrigium, ſeu lorum ſandaliorum ipſius.* Ejuſdem enim erat ſolvere corrigia, quibus ſoleæ pedi alligabantur, & ea poſtmodum geſtare. Unde jam intelligitur, quanta ſit Chriſti dignitas, quanta majeſtas, quando Johannes prophetarum omnium, omniumque ex mulieribus natorum maximus, indignum ſe judicavit, qui viliſſimum etiam Chriſto miniſterium præſtaret. Hucuſque generatim Johannes Chriſti ſupra ſe præſtantiam expreſſit. Sequitur ut videamus quomodo ſpeciatim idem præſtet. Duo autem adfert ſummæ Chriſti præſtantiæ argumenta, quorum prius initio potiſſimum regni Chriſti, poſterius illius fini convenit. Potiſſimum dico, quia & illud ad omnia regni Chriſti uſque ad mundi finem tempora aliqua ratione extenditur, & poſterioris non præludia tantum, ſed non exigua cernuntur toto regni Chriſti tempore initia. Prius eſt, cum ait: *Ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igne.* Præpoſitionem *in* ex Hebraiſmo redundare ſatis intelligitur ex verbis appoſitis *in aqua*, de quibus antea dictum. Utitur Baptiſta verbo *baptizandi*, de ſpiritus ſancti donatione loquens, partim ut tanto elegantius rem eam cum ſuo baptiſmo conferret; partim, ut doni illius copiam ſignificaret. Etenim ad baptiſmum, quæ vox immerſionem ac tinctionem, vel ablutionem ſignificat, non exigua liquoris copia requiritur. Intelligitur autem hoc loco effuſio ſpiritus ſancti tum in omnes Chriſti diſcipulos, qui ſincere nomen ipſius profitentur, & tam præſtans ab ipſo donum petunt, tum illa præcipue, quæ initio regni Chriſti & eccleſiæ ipſius primordio contigit. Quod non obſcure oſtendit ipſe Servator, cum non multo ante ſuam in cælos aſcenſionem ita inter alia diſcipulos fuit allocutus, ad ipſam hanc promiſſionem Johannis procul dubio reſpiciens, *Johannes quidem*, inquit, *baptizavit in aqua, vos autem baptizabimini in ſpiritu ſancto, non poſt multos hos dies* Actor. 1. 5, intelligens id de effuſione ſpiritus ſancti, quæ die Pentecoſtes facta eſt, & poſtea in aliis Chriſti fidelibus ſæpe repetita. Deſcribit autem ſpiritum ſanctum, quo eſſent omnes illi, nempe ſi Chriſti doctrinam reciperent, baptizandi, non ſuo tantum nomine, ſed & figurato ſeu metaphorico, dum ignem appellat. Neque enim per ignem illum quicquam intelligitur aliud, quam ipſe ſpiritus ſanctus, ut jam eſt ab aliis interpretibus animadverſum. Unde idem Johannes de eadem, ut apparet, re loquens apud Johannem apoſtolum cap. 1. 33, baptiſmi tantum ſpiritus ſancti facit mentionem, uti & Chriſtus ipſe in verbis paulo ante ex actis Apoſtolorum citatis. Et ſane non apparet, cujuſmodi igne Chriſtus præter ſpiritum ſanctum homines baptizarit. Neque vero eſt, quod quis hic nominatim de igne illo ſermonem eſſe dicat, qui, cum ſpiritus ſanctus in apoſtolos effunderetur, illis apparuerit. Nam præterquam quod non dicitur ibi revera ignem apparuiſſe, ſed viſas illis fuiſſe diviſas linguas veluti ignis, ſeu inſtar flammarum ignis: tamen nec aliter igni illo, ut eum ita appellemus, fuerunt baptizati apoſtoli, quam quatenus ſpiritu ſancto fuerunt imbuti: & præterea illa res nimis eſt ſpecialis; cum alias nuſpiam legamus, hujuſmodi ſpecie ſpiritum ſanctum deſcendiſſe, ſeu formam ignis, cum effunderetur ſpiritus ſanctus, apparuiſſe, præterquam in prima illa effuſione die Pentecoſtes facta. Credibile autem non eſt, id plane taciturum fuiſſe in actis Lucam, ſi ſæpius contigiſſet. At hoc loco Johannes non de eo tantum loquitur, quod apoſtolis tantum, aut paucis quibuſdam Chriſti diſcipulis eſſet eventurum, ſed quod generatim omnibus. Quare cum id, quod de ignis ſpecie Act. 2 legimus, fuerit apoſtolis tantum, vel ſaltem illis ſolummodo, qui tum temporis una cum apoſtolis Hieroſolymis fuerunt congregati, proprium, non commune aliis, non eſt vox ignis in baptiſmi verbis ad ſpeciem illam referenda. Ut taceam, minorem eam rem eſſe, quam ut in hoc promiſſo peculiariter nominari mereretur. Itaque ſtatuendum potius eſt, ipſum ſpiritum ſanctum ignis nomine hic intelligi, idque propter proprietates, quibus igni eſt ſimilis. Nam ignis & illuminat, & accendit, & res quaſdam, ut metalla, repurgat: omnia hæc in animis noſtris præſtat ſpiritus divinus. Quanquam id, quod medio loco diximus, præcipue in hac metaphora denotari putamus. Nam primum quidem non cuivis ſpiritus ſancti dono plane videtur commune:

mune: poſtremum non cuivis igni, habita ſaltem ratione materiæ, in quam agit: medium autem & igni & ſpiritui ſancto convenit ſemper. Atque, ut nonnihil adhuc de forma ignis loquamur, quæ in prima ſpiritus ſancti effuſione apparuit, non ideo, quia ſub ignis forma appariturus eſſet ſpiritus ſanctus, baptiſta ignis eum nomine deſcribit, aut igni baptizatum iri homines promittit; ſed contra potius, quia ſpiritus ſanctus, quem promittit, ignis quidam eſt, ſeu igneam quodammodo habet naturam, ideo is ſub ſpecie ignis, cum primum eſſet in apoſtolos effundendus, deſcendit.

Poſterius ex ſpecialibus Chriſti præſtantiæ documentis a baptiſta exprimitur ℣. 12, idque verbis plane allegoricis. Comparat enim Chriſtum patrifamilias, qui in manu ſua habeat ventilabrum, & facta triturationè perpurget frumentum in area ſparſum, ita ut triticum quidem ipſum colligat in ſuum horreum, paleas autem jam a tritico ſegregatas comburat. Significare autem vult his verbis, Chriſtum fore judicem non Judaici tantum populi, ſed univerſi etiam terrarum orbis, & in ipſius veluti manu fore ventilabrum, hoc eſt, judicandi poteſtatem, ita ut juſta ſua ſententia ac decreto bonos a malis diſcernat, & illos quidem in cœlum recipiat, hos vero igni inextinguibili comburat. Etſi autem hoc omnium perfectiſſime fiet in ultimo judicio, fit tamen etiam ante judicium perpetuo. Nam & nunc Chriſtus de factis hominum judicat, & de ſempiterna hominum ſeu ſalute, ſeu pernicie decreta ſubinde facit, in ultimo judicio executioni ea mandaturus. Unde piorum ſpiritus in manus ſuas recipit, & cuſtodit, quod impiorum ſpiritibus eum præſtare nemo dixerit. Hoc vero ſine decreto de illorum quidem ſalute, horum vero interitu fieri non poteſt: quin & executionis quoddam jam fit initium, vel ſaltem ad eam fit aditus. Adde, quod varie exercentur etiam hoc tempore a Chriſto judicia, & ſupplicia infliguntur impiis, eos ad ſempiternum interitum deductura, atque adeo, ſi rem recte æſtimes, hoc judicio una cum effuſione ſpiritus ſancti conjuncta, univerſam Chriſti gubernationem, ſeu regni adminiſtrationem complexus eſt Johannes, non quod, ſi proprie loquamur, nihil plane ſit præter hæc duo, quę ad gubernationem Chriſti pertineant, ſed quod hæc duo ſint præcipua, quorum illud eo pertinet, ut mandata Chriſti & promulgentur confirmenturque & executioni mandentur, ac impietatis & contumaciæ convincantur ii qui parere nolunt; hoc vero poſterius ad remunerationem ac compenſationem tum pietatis eorum, qui mandatis Chriſti paruerint, tum impietatis eorum, qui parere noluerint. Et ſane nonnunquam vel ſolius judicii nomine per ſynecdochen univerſa Chriſti gubernatio intelligi videtur, quia hæc pars poteſtatis regiæ præcipua cenſeri jure poteſt. Nulla enim poteſtas major eſt, quam habere jus vitæ & necis, & hic quidem cum de Chriſto loquimur, ſempiternæ. Vide Act. 10. 42.

Verſ. 13. *Tunc advenit Jeſus a Galilæa ad Jordanem* &c. Sequitur altera pars hujus capitis, in qua narratur, quomodo Chriſtus a Johanne baptizatus, & poſt baptiſmum a Deo ipſo cœlitus fuerit ad munus ſuum inauguratus. Qua in re continetur partim quidem particula quædam functionis Johannis baptiſtæ, partim vero aditus ad munus ipſius Chriſti propheticum: Baptiſmi autem adminiſtratio ad Johannis munus pertinuit; inauguratio vero Chriſti, primo quidem ad munus Chriſti propheticum, quod in terris obiit, ſpectavit, conſequenter autem etiam ad reliqua munera, atque adeo ad ipſam ſacerdotii functionem, & regni adminiſtrationem, quæ ab aſcenſu in cælos cœpit, & æternum durat. Ita autem hæc narrat Matthæus, ut primum referat, quo pacto Chriſtus ad baptiſmum illum acceſſerit, quique ſermo illi cum Johanne ea de re interceſſerit, in quo continetur prępparatio ad baptiſmum. Deinde breviter indicato ipſo Chriſti baptiſmo, quid conſecutum fuerit, & quomodo Chriſtus cœlitus fuerit ad munus ſuum inauguratus, exponit. Verba verſus 13 explicatione vix indigent. Particula *tunc* aliquanto laxius eſt ſumenda, ut non ſignificet tum omnino, cum iſta diceret Johannes, quæ præcedenti verſic. vidimus, adveniſſe Chriſtum; ſed circa illud tempus, veniſſe, cum in baptizando ac docendo populo occupatus eſſet Johannes, vel potius poſtquam jam ab aliquo tempore docuiſſet Johannes ac baptizaſſet, & non exiguus eſſet ipſius diſcipulorum numerus. Nam ab hoc tempore Chriſtus munus ſuum orſus eſt, nec quicquam interceſſit præter tentationem illam in deſerto, de qua cap. ſeq. Debuit autem prodromus Chriſti, qui viam ipſi præparaturus venerat, munus ſuum non modo ordiri, ſed fere etiam abſolvere, antequam ipſa legatione ſua functurus ipſi ſuccederet. Verbum παραγίνεται, præſens pro præterito, uſurpatum eſt, ut ſupra ℣. 1. Cur autem Chriſtus a Johanne baptizari voluerit, de eo agetur in ſequentibus.

Verſ. 14. *Johannes autem prohibuit ipſum dicens.* Hic jam continetur colloquium Johannis cum Chriſto, & ejus colloquii narratur eventus. Sermo autem fuit de facti illius æquitate ac cauſa. Johannes enim putavit haudquaquam decere, ut a ſe Chriſtus baptiſmum ſuſciperet, cum contra potius fieri deberet. Chriſtus contra oſtendit, ita fieri decere. Verbum διακώλυεν, quo utitur Matthæus, emphaſin videtur habere, quam nonnulli exprimunt, dum vertunt, *obnixe prohibebat.* Hæc enim videtur vis præpoſitionis διὰ, ex qua verbum illud componitur. Cauſam autem expreſſit his verbis ſuis, cum dixit: *Ego opus habeo a te baptizari, & tu venis ad me?* Significat id ab utriuſque conditione valde abhorrere, idque dignitatem Chriſti non ferre, nec ſuam etiam modeſtiam pati, ut Chriſtum baptizet, cum talis eſſet utriuſque ratio, tantaque muneris Chriſti ac dignitatis præſtantia, ut contra potius fieri deberet. Cum vero ait, ſe opus habere, ut ab ipſo baptizetur, vel baptiſmi nomen generaliter uſurpat, ita ut etiam baptiſmus ſpiritus eo verbo comprehendatur; vel ſumitur pro initiatione tantum, ſive baptiſmo proprie dicto fiat, ſive minus. Priori modo ſenſus erit, quaſi dixiſſet; mihi potius opus eſt, ut tuo baptiſmo tingar, quam ut tu meo. Poſteriori vero; mihi potius opus eſt ut a te, ſeu mavis tuæ doctrinę initier, & tuus diſcipulus evadam, quam ut tu, baptiſmum a me ſuſcipiendo, meum te quodammodo diſcipulum profitearis, & tamen tu contra facis. Nam alias non eſt conſentaneum, Johannem hic voluiſſe dicere, ſibi opus eſſe, ut a Chriſto baptizetur aqua, cum neque factum id fuiſſe legatur, nec veriſimile ſit eveniſſe, nec, cur indiguerit ea re Johannes, cauſa ulla appareat: eſtque tanto incredibilius, hoc Johannem voluiſſe dicere, qui non obſcure antea indicaverat, Chriſti baptiſmum non aqua, ſed re longe præſtantiori peragendum eſſe. Quodſi tamen omnino velis Johannem de aquæ baptiſmo loqui, ita verba ipſius eſſent accipienda,

ac ſi

ac ſi dixiſſet; ſi alteruter noſtrum aqua eſſet baptizandus ab altero, ego potius a te, quam tu a me, baptizari deberem; ita ut tacita quædam in his verbis Joannis contineatur hypotheſis, quam nos hac paraphraſi expreſſimus. Verba illa: *& tu venis ad me?* per interrogationem legenda ſunt, & quandam admirationem in ſe continent, tanquam rei abſurdæ ac minime convenientis. Significare enim vult, nequaquam Chriſtum debuiſſe ad illum venire, baptiſmi nimirum ſuſcipiendi gratia. Ex his autem verbis Joannis apparet, eum Chriſtum jam tum agnoviſſe. Unde quæritur, quomodo id conſentiat cum ipſius Baptiſtæ verbis, quæ extant Joh. 1. 33. 34, ubi ait: *Et ego non noveram eum*, nempe Chriſtum: *ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem & manentem ſuper ipſum, hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto. Et ego vidi & teſtatus ſum, quod hic eſt filius Dei.* Videtur enim ſignificare Joannes, ſe Chriſtum non cognoviſſe, antequam videret ſpiritum ſanctum ſuper ipſum deſcendentem. Hæc autem verba, quæ nunc explicamus, ante deſcenſum illum prolata fuiſſe hic indicatur. Sed reſponderi poteſt, Joannem illic non dicere, ſe, antequam videret ſpiritum illum ſuper Jeſum deſcendentem, eum nulla plane ratione agnoſcere cœpiſſe, ſeu paulo ante quam ſpiritus in Chriſtum deſcenderet, guſtum quendam iſtius cognitionis ſibi datum non fuiſſe; nec verba etiam Dei id poſtulant, quibus certum ei ſignum oſtendit ac promittit, ex quo Chriſtum ſit cogniturus. Potuit enim ſignum intelligere ejuſmodi, ex quo plene ac perfecte eſſet rem cogniturus, non negans, fore, ut quidam ejus cognitionis guſtus ei, & quidem paulo ante non præberetur. Sic Exod. 3. 12, qui locus eſt ab aliis (1) quoque animadverſus, dicit Deus Moſi: *Et hoc habebis ſignum quod miſerim te, cum eduxeris populum de Ægypto: immolabitis*, (Hebr. ſervietis) *Deo ſuper montem iſtum*, licet ejus rei ſigna antehac plura, & eo ipſo jam tempore, cum eum ita alloqueretur Deus, haberet, ſed tum temporis pleniſſime ac certiſſime id erat cogniturus. Idem dicemus de cognitione illa Chriſti, quam conſequutus fuit Joannes ex deſcenſu ſpiritus ſancti reſpectu ejus cognitionis, quæ in ipſo paulo ante fuit, cum hæc verba, quę nunc explicamus, proferret. Non enim ſignum illud eo pertinuit, ut aliqua ratione Chriſtum agnoſceret; ſed ut certiſſimam atque exploratiſſimam ejus rei cognitionem haberet, ſeu mavis apertum ejus rei argumentum, quo nixus ſine ulla hæſitatione teſtari de Jeſu Nazareno poſſet, eum eſſe illum filium Dei. Porro, ſi quæras, quo pacto Joannes Chriſtum ad ſe venientem cognoverit; reſpondemus ſpiritum divinum, qui in ipſo habitavit, id illi dictaſſe, quo pacto Elizabetha ipſius Baptiſtæ mater, cum ad ipſam veniſſet Maria Chriſti mater, ſpiritu ſancto repleta, eam, ut domini ſui, hoc eſt, Chriſti, matrem ſalutavit, & prolem in utero ipſius conceptam, dominum ſuum appellavit, cum ſatis intelligi queat, eam aliunde rem non reſciviſſe. Neque vero novum eſt divinitus prophetis, quorum maximus fuit Joannes, fuiſſe patefacta ea, quæ longe diſſita erant, & quæ nulla alia ratione, quam dictante ſpiritu cognoverant. Vide inter alia, quæ leguntur de Samuele 1 Sam. 9. 17, 20 ſeqq. XVI. 12, ubi agnovit quoque Davidem eſſe Domini Chriſtum, hoc eſt, regem ab ipſo ungendum: de propheta Ahia 3 Reg. 14. 5 & ſeqq. de Eliſæo 4 Reg. 5. 26, ut alia nunc omittamus.

(1) *Piſcator.*

15. *Sine nunc.* quaſi diceret: Nunc quidem ſine ita fieri, & patere me a te baptizari, cum adhuc private ſim inſtar, nondum munus meum ingreſſus. Significat tacite, rationem illam Joannis fore aliquam inpoſterum, & obſtituram quominus ipſe, nempe Chriſtus, ab illo baptiſmum ſuſciperet; dignitatem enim muneris ipſius, qua ſupra Joannem eminebat, id non permiſſuram: Sed tunc, cum adhuc veluti privatus eſſet, & reliquo populo accenſeri quodammodo poſſet, nihil prohibere, quominus a Joanne, qui munere ſuo divinitus ſibi mandato tum fungebatur, quique divina voluntate tum florere debebat, atque adeo florebat, & ut ſic dicam, regnabat, baptiſmum ſuſciperet. Rationem autem ſui hujus reſponſi, ſeu mavis poſtulati, affert: *Ita enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Ubi primum videndum eſt, quemnam, aut quoſnam Chriſtus deſignet pronomine *Nos*. Poteſt autem vel Chriſtus una cum Johanne intelligi, vel, quod nobis magis probatur, ſolus Chriſtus. Neque enim obſtat pluralis numerus, cum & alibi Chriſtus de ſeipſo loquens eo utatur, ut Marc. 4. 30, quem locum confer cum Luc. 13. 18, & Joh. 3. 11, ut alia jam loca prætereamus, vel in ſolo novo fœdere extantia, in quibus divini ſcriptores hujuſmodi loquendi modo utuntur. Ratio autem, cur ita pronomen iſtud accipere malimus, tum intelligetur, cum cætera quoque verba explicuerimus. Videndum enim porro eſt, quid *omnis juſtitiæ* nomine intelligatur. Videtur ergo denotari omne id, quod divino populo generatim divinitus eſſet præceptum, quo in genere erat etiam baptiſmus aquę, quem Johannes adminiſtravit. Unde jam aliqua ratione etiam colligi poteſt, cur Chriſtus dixerit: *Ita enim decet nos implere omnem juſtitiam*, nempe quia præceptum illud de baptiſmo aquę ſuſcipiendo Chriſtum omnino ac per ſe non ſtringebat, quandoquidem baptiſmus Johannis erat Baptiſmus pœnitentię in remiſſionem peccatorum: Chriſtus autem, cum omnis peccati eſſet expers, nec pœnitentia nec remiſſione peccatorum indigebat. Sed erat tamen cauſa ſatis gravis, cur Chriſtus baptiſmum, licet ad ſe proprie non ſpectantem, nec ſibi omnino, ſi generale Dei mandatum ſpectes, (nam alioqui fieri potuit, ut ea res ſpecialiter ipſi a Deo mandaretur) injunctum ſuſciperet, cujus habita ratione dixit, id ſe decere, & valde conveniens eſſe. Cauſa autem non una eſſe videtur, ſed potiſſimum triplex. Prima eſt, ut hoc pacto teſtaretur, ſe omnino agnoſcere, Johannem divinitus eſſe miſſum, nec ullam eſſe cauſam, cur ipſius doctrina, aut baptiſmus, quem adminiſtrabat, repudiaretur, & hac ipſa ratione omnem illis excuſationem adimeret, qui cum præcepto divino de baptiſmo Johannis ſuſcipiendo omnino obligarentur, id tamen facere detrectarent. Quo ipſo ſane phariſæorum ac ſcribarum, qui plerique Johannis baptiſmum ſpreverant, ſuperbiam ac faſtum veluti traduxit. Nam illi, licet multis, iiſque gravibus vitiis intus ſcaterent, & multa patrarent mala; ſanctitatis tamen opinione tumentes eo ſe demittere nolebant, ut Johannem agnoſcerent magiſtrum ſibi a Deo datum, ſeque ejus diſcipulos profiteri, & baptiſmum ab eo ſuſcipere vellent. Deinde exemplum videtur voluiſſe Chriſtus relinquere omnibus, etiam illis, qui ſingulari eſſent dignitate, & præclaris a Deo donis ornati, ut divinis viris ſine cunctatione obtemperent, & ne ſpeciem qui-

dem præbeant alicujus contumaciæ, aut contemtus illorum auctoritatis, ac porro etiam dignitatis ſuæ nonnunquam veluti immemores, ea faciant, quæ facere cæteroqui non tenerentur, ut & ipſi aliis ſint exemplo, atque ad parendum incitamento, ne quiſquam illorum facta in pervicaciæ ſuæ defenſionem trahere poſſit. Denique videtur Chriſtus voluiſſe oſtendere, ſe homines vulgares, ſeu mavis peccatores haudquaquam dedignari, & licet innocens ſit, eorum tamen conditionem ac ſortem ſubire velle, & illis, quatenus liceret, velut accenſeri: ut ita ſpem conciperent, de ipſius erga ſe favore ac benignitate, ex qua ipſorum ſalus pendet. Hæ ergo cauſæ fuiſſe videntur cur Chriſtus dixerit, decere, ſeu conveniens eſſe, ut baptiſmus a ſe ſuſcipiatur. Quod ſi exiſtimes, Deum propter has, ſimileſve cauſas Chriſto id etiam nominatim injunxiſſe, non pugnabimus. Sed ſi huc Chriſtus reſpiceret, tunc vox *decet* vim ſuam quodammodo amitteret, & poneretur pro oportet. Et præterea ſi ad præceptum ſibi hac de re ſpecialiter datum reſpexiſſet, vix videretur omnis juſtitiæ facturus fuiſſe mentionem, quæ proculdubio intelliguntur omnia a Deo mandata, non ſibi tantum, ſed & aliis communia, & videretur potius facturus fuiſſe mentionem ſimpliciter præcepti alicujus divini. Quæ cauſa etiam eſt, cur non fiat nobis veriſimile, Johannem una cum Chriſto pronomine *nos* comprehendi. Ita enim videretur omnino reſpici ad mandatum divinum, quo Johannes quidem baptizare juſſus eſſet; illinc autem Chriſtus baptiſmum ſuſcipere. Sed his de rebus ſuum cuique ſit judicium. Non fruſtra autem Chriſtus præpoſuiſſe videtur adverbium *ſic*. *Sic*, inquit, *decet nos*. Emphaſis enim quædam eſſe in ea vocula videtur, ut ſignificetur non ipſe tantum baptiſmus, ſed & hæc ejus circumſtantia, quod ejus ſuſceptio conjuncta ſit cum quadam ipſius demiſſione: q. d. conveniens eſt, ut ego ad eum modum me demittendo, & baptiſmum ſuperior licet ac præſtantior ab inferiori ſuſcipiendo, omne id exequar, quod divino populo generatim eſt injunctum. Sed difficultas hic oboritur non exigua. Dicere enim quiſpiam poſſet, nequaquam decuiſſe Chriſtum Johannis baptiſmum ſuſcipere, idque exiſtimationi de ſanctitate ipſius, quam ſartam tectam eſſe oportuit, obſtitiſſe, eamque convellere facile potuiſſe, ſiquidem, ut diximus, baptiſmus fuit pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, & qui eo tingebantur, eo ipſo fuerunt profeſſi, ſe ſordes peccatorum ſuorum eluere ac deponere in poſterum velle, & cupere, ut Deus ſecundum promiſſionem ſuam per Johannem factam ea quoque pro ſua benignitate eluat, hoc eſt, remittat: videturque hæc quaſi forma baptiſmi Johannis fuiſſe. Quapropter Chriſtus eum baptiſmum ſuſcipiens videtur fuiſſe profeſſus, ſe quoque peccatorem eſſe; id quod abſurdiſſimum cenſeri debet. Reſpondemus, tum temporis, cum Chriſtus in vulgarium hominum cenſu adhuc veluti deliteſceret, & nondum populo, ratione habita ſui muneris ac dignitatis, innotuiſſet, nil nocuiſſe, etiamſi quiſpiam de ſumma ipſius & perfectiſſima ſanctitate ſecus aliquanto ſenſiſſet, quam res ipſa poſtularet, modo quis non crederet, hominem eſſe flagitioſum; id quod ex baptiſmo ab eo ſuſcepto concludi non poterat. Neque enim protinus, qui Johannis baptiſmum ſuſcipiebat, grave aliquod ſe ſcelus commiſiſſe fatebatur, & fieri poterat, ut multi homines integritate vitæ alias conſpicui baptiſmum illum ſuſciperent, quia aliquid tamen peccaſſent, & cum modeſte de ſe ſentirent, mallent etiam id, quod ad ſe non adeo proprie pertineret, facere, quam id negligere, quod divinitus eſſet peccatoribus mandatum, & hoc pacto ſe privare forte eo beneficio, quo indigerent. Et ſane ex uniuſcujuſque vita potius judicabatur, quam ex ſuſcepto baptiſmo, quales cujuſque eſſent mores: nec quiſquam propterea deterior credebatur, quod eum ſuſcepiſſet, quam qui non ſuſcepiſſet. Imo forte contra potius a multis fuit judicatum, ſaltem de hominibus vulgaribus ac plebejis, quibus tunc Chriſtus accenſebatur. Itaque modeſtiæ etiam Chriſti facile poterat id tribui, quod Johannis baptiſmum ſuſcepiſſet. Quicquid ſit, non erat adhuc tempus, ſanctitatem Chriſti perfectiſſimam vel pateſaciendi, vel agnoſcendi. Poſtea demum id futurum erat: & tot tamque evidentia ſanctitatis ipſius apparuere argumenta ac teſtimonia, ut dubitare de ea jure nemo poſſet, & ſuſceptus ab eo baptiſmus illorum evidentiam nequaquam obſcuraret. Itaque non ex baptiſmo colligendum erat, Chriſtum peccatorem fuiſſe; ſed potius quia aliunde conſtaret, eum peccatorem nequaquam eſſe, concludendum erat, eum aliam ob cauſam baptiſmum ſuſcepiſſe. Quid ergo, inquies, profeſſus fuit Chriſtus baptiſmum illum ſuſcipiens? Primo id, quod omnes profitebantur eum ſuſcipiendo, Johannis doctrinam ſe agnoſcere pro vera ac divinitus profecta. Deinde ſe quoque velle puritatem vitæ ſequi, quam cæteri ſequi ſe velle profitebantur. Illud cæteri ſimul profitebantur, ita ſe velle in poſterum pie vivere, ut priora facta vitarent; at Chriſtus nihil habuit, cujus ipſum pœnitere poſſet: quare eatenus ab illis fuit diſcretus. Denique non quidem remitti ſibi peccata voluit, quæ nulla habuit, nec id Johannes fuit teſtatus; ſed tamen id bonum, in quo remiſſio illa peccatorum continebatur, nempe regnum cœlorum, quod Johannes pollicebatur, ad Chriſtum non minus pertinuit, quam ad cæteros, imo ad eum primo, ad cæteros non niſi per ipſum. Quare id Johannes etiam ipſe baptiſmum illi impertiendo ſtipulatus eſſe dici poteſt. Tollenda nempe ſunt a baptiſmi ſignificatione omnia, quæ vitium ſuſcipientis arguunt: cætera etiam Chriſto ſunt relinquenda.

Verſ. 16. *Et baptizatus Jeſus aſcendit ſtatim*, ſeu *cito ab aqua*, ſeu *ex aqua*. Non ſine cauſa procul dubio Chriſtus ſtatim, ſeu celeriter aſcendit, nempe in ripam è flumine; nec temere Matthæus id narravit. Significaſſe videtur Matthæus, Chriſtum, tanquam minime ignarum quid ſecuturum eſſet, & quam præſtanti dono ſtatim eſſet a patre ſuo augendus, & muneri ſuo inaugurandus, properaſſe aliqua ratione, ut tam præſtanti dono a Deo quam primum afficeretur. Neque enim (1) illis aſſentiri poſſumus, qui adverbium εὐθὺς, non ad verbum *aſcendit*, ſed ad apertionem cœlorum referunt: vim enim omnino Matthæi verbis faciunt, ut quivis locum inſpiciens videre poteſt. Nec verba Marci verſ. 10, quicquam eos juvant, cum rectiſſime ibi adverbium εὐθὺς cum proximo participio ἀναβαίνων jungi queat, atque adeo jungendum ſit. Et Marcus potius ex Matthæo, cujus verba nullam patiuntur ambiguitatem, eſt explicandus, quam ex Marco Matthæus. Quod ſi dicas, cæteroquin etiam nullam fuiſſe cauſam, cur Chriſtus jam baptizatus in aqua moraretur, & id cæteris quoque omnibus, qui baptizati eſſent, fuiſſe commune, id jure negari poteſt. Celeritas

(1) *Maldonatus.*

enim

enim quædam adverbio illo indicatur, qua cæteri plerique non videantur post baptismum usi, vel saltem qua Christo non videretur fuisse utendum, nisi peculiaris cum movisset causa. Nam significari videtur, eum ante Johannem sese proripuisse ex aqua, quem alias videretur præcedentem hoc loco sequi debuisse, cum hac in re Johannes magistri loco esset, Christus quodammodo discipuli. Neque enim est quod dicas, Johannem mansisse in aqua, quod alii baptizandi succederent. Credibile enim est, id tempus occupasse Christum, quo Johannes aliquanto esset liberior, nec statim essent qui succederent, ut rei tam miraculosæ mox sequuturæ, hoc est descensui spiritus sancti super ipsum, quem visurum eum esse Deus ante prædixerat, vacare posset. *Et ecce aperti sunt illi cœli.* Lucas narrat cap. 3. 21, id contigisse Christo orante. Vero est simile, quod interpretes nonnulli hic scribunt, Jesum simul atque ex aqua in ripam ascendit, sese in genua provolvisse, & patrem suum orasse, ac precibus suis donum illud, quod eum in se collaturum esse sciret, ab eo impetrare voluisse. Et hæc forte causa fuit, cur in aqua non manserit, sed statim ex flumine se proripuerit, ut tanto commodius, majorique cum reverentia precari Deum posset. Ait autem Matthæus, ipsi, nempe Christo, *apertos fuisse cœlos*, hoc est, figuram aut speciem illi fuisse objectam cœli aperti: quo pacto & Stephanus cœlos vidit apertos Act. 7. 56. Nam ut revera aperirentur, nequaquam erat necessarium. Credibile autem non est, sine necessitate cœlorum soliditatem fuisse violatam, ut (1) nonnemo interpretum hoc loco ait. Cum autem dicitur, *ipsi* apertos, Johannes non videtur penitus excludendus, qui & videre debuit spiritum sanctum super Christum descendentem, cum ita Deus promisisset, & se quoque vidisse testatus est. Credibile autem non est, eum vidisse quidem spiritum sanctum descendentem & manentem super Christo, cœlos autem apertos, ex quibus spiritus ille descenderit, non vidisse, præsertim cum id eo pertineret, ut tanto certius constaret, cœleste quippiam esse quod super Christum descenderet. Hoc autem Johanni quam planissime constare debebat, cum hoc ei signum esset a Deo promissum datumque, ut inde Christum certissime cognosceret & de eo porro testare aliis, eumque digito demonstrare audacter posset. Interim tamen dubium non est, quin pronomen *ipsi* ad alios excludendos pertineat. Nam si ita fuissent aperti cœli, ut omnibus astantibus res liquido pateret, cur diceretur *ipsi* fuisse apertos cœlos? & ipse postea nominatim diceretur vidisse spiritum sanctum super se descendentem, aut, ut Marcus loquitur, vidisse scissos cœlos, & spiritum tanquam columbam descendentem super ipsum: Quod enim omnes vidissent, cur ipse nominatim diceretur vidisse, præsertim cum necesse fuisset, id non magis Christi, quam aliorum causa fuisse factum, imo magis aliorum quam Christi: Quare minimum populus astans hac vocula *ipsi* excluditur. Nam aliis quoque rationibus ostendi potest, populum non vidisse cœlos apertos, & spiritum sanctum inde super Christum descendere, neque vocem illam cœlestem audiisse, contra quam vulgo omnes sentiunt interpretes. Nam primum, cur Johannes Baptista diceret apud Johannem cap. 1. 32, *Vidi* vel *contemplatus sum spiritum descendentem tanquam columbam ex cœlo, & mansit super ipsum:* Et iterum ℣. 34: *Et ego vidi illud,* nempe ipse. Cur sibi id nominatim tribuit? cur id populo refert tanquam ignoranti? aut cur non dicit, vos, vel saltem, magna turba una mecum vidit? Ita enim maximum huic orationi suæ momentum addidisset. Deinde, quomodo indiguissent jam amplius ipsius Johannis discipuli, qui circa eum versari solebant, ut testimonium Christo Johannes præberet, & ipsis ostenderet, hunc esse Dei filium, aut agnum illum Dei, quod tamen feciisse eodem loco apud Johannem legitur ℣. 35 & seqq. Nonne enim satis superque habuissent testimonii audita hac cœlesti voce: *Hic est filius meus* &c. & viso etiam spiritu sancto super ipsum descendente & manente? Quid amplius fuisset opus eos monere, ut Christum sibi sequendum existimarent? At satis ex loco illo Johannis constat, eos demum illo Johannis testimonio permotos, Christum fuisse sequutos. Præterea nemone fuit ex tanta, ut creditur, hominum turba, & ne ex discipulis quidem Johannis, hominibus pietatis studiosis, qui ei aderant, qui audita illa cœlesti voce ad Christum statim accurreret, eum sequeretur, ejusque discipulus vel assecla fieri vellet? Id vero majus propemodum miraculum censendum esset eo, quod vidisse creduntur. Etenim si aliis miraculis longe minoribus, aut miraculosarum rerum indiciis permoti, nonnulli crediderunt in Christum, eumque pro Messia habere cœperunt, uti de Nathanaële legimus eodem cap. 1 Johannis, quid statuendum esset de tanto tamque insigni ac plane cœlesti miraculo? Atqui ex illo Johannis capite satis constat, Christum nullum tum habuisse discipulum, sed postea demum quosdam ex baptistæ discipulis, ipsius testimonio permotos, primos ad Christum accessisse. Et sane hoc ipsum novæ rationis loco esse potest, quod non sit verisimile, Deum tantum miraculum ab ipso statim initio voluisse omnium oculis exponere. Ita enim vim statim videretur facere voluisse hominum animis, nec ulli dubitationi locum relinquere. Ita autem agere Deus non solet, & in Christo quidem aliter agere voluit. Amplius, quomodo Petrus 2 Pet. 1, sibi suisque sociis apostolis nominatim id tribueret quod hanc vocem patris, *Hic est filius meus dilectus, in quem mihi complacui*, audiverint è cælo delatam, cum essent cum ipso in monte sancto? cur enim sibi tribueret, aliisque apostolis nominatim, quod antea maximæ hominum multitudini fuisset commune? aut cur non hanc potius vocem urgeret, de qua vulgo omnibus constaret, quam illam, quam ipse tantum cum duobus discipulis in loco solo audivisset? Taceo, quod non habituri fuissent causam ullam Pharisæi & Sadducæi, requirendi miraculum a Christo è cœlo. Annon enim satis è cœlo miraculi habuissent, si hoc miraculum, & ipsorum & vulgi oculis fuisset objectum? Nam quod id Christi factum non esset, ad rem nihil faciebat. Requirebant enim tale miraculum, ut fides ipsis fieret, Christum revera divina virtute facere, quæ faceret. Ad hoc autem comprobandum, hoc ipsius patris factum ac testimonium abunde sufficiebat. Denique non leve indicium sententiæ nostræ illud censeri debet, quod nullus trium euangelicæ historiæ scriptorum, qui rem hanc gestam nobis descripserunt, referat, Deum addidisse verba hujusmodi, *hunc audite:* cum tamen iidem scriptores omnes referant, Deum in illa Christi transformatione, cum Christum filium suum dilectum esse pronunciasset, subjecisse hæc verba: *ipsum audite*; nempe quia discipuli aderant, quibus Christum hoc

(1) *Maldonatus.*

pacto

pacto quam maxime commendare voluit. Cur ergo hic ad Jordanem, tanta hominum, ut creditur, multitudine ſpectante, & vocem cœlitus audiente, hæc aut ſimilia verba non addidiſſet Deus? præſertim cum nulla alia poſſet eſſe cauſa, cur Deus & viſibili ſpiritus ſancti in Chriſtum deſcenſu, & voce illa magnifica Chriſtum vellet populo commendare, quam ut eum audiret, hoc eſt, doctrinam ipſius ſumma cum veneratione reciperet, plenam ei fidem adhiberet, ac denique pareret. Et ſane multo magis conveniebat, ut Deus ab ipſo muneris Chriſti initio, cum veluti conſecrans, mandaret, ut populus, qui hæc audiret ac videret, Chriſtum audire, ejuſve doctrinam amplecti & exequi vellet, quam ut diſcipulos in monte, qui doctrinam Chriſti jam fuerant amplexi, eamque ſibi ſequendam eſſe plane ſtatuerant, ad id faciendum hortaretur. Cur ergo id hic non addidiſſet Deus? aut cur, ſi addidiſſe dicas, id euangeliſtæ omnes reticuiſſent, quod ad rem tantopere pertinuiſſet, alibi vero ubi minus videretur neceſſarium non reticuiſſent? Aliud adhuc habebimus hujus rei indicium, cum de verbis ipſis a Deo cœlitus editis ℣. 17 agemus. Ut ergo ad verba Matthæi redeamus, cum dicit, *ipſi*, nempe Chriſto, apertos fuiſſe cœlos, non ſolum ſignificat Chriſto apparuiſſe, vel viſos fuiſſe cœlos quodammodo apertos, ſed etiam primo ac principaliter ipſius cauſa, & hoc, & quod ſequitur, factum eſſe: quia nimirum voluit Deus Chriſtum ipſum apertiſſimo aliquo ſigno certum reddere, ſe eſſe ſingularem illum Dei filium, hoc eſt Meſſiam, ſeu Chriſtum jam olim promiſſum ac deſignatum: ut proinde id clariſſime videns munus ſervandi homines plenus fiduciæ aggrederetur, accepto præſertim etiam tantæ rei hæreditatiſque rerum omnium pignore, nempe ſpiritu ſancto, quo ſimul vires capiebat ad tantum munus obeundum neceſſarias, ut paulo poſt dicemus. Interim tamen Johannes ab hoc ſpectaculo non excluditur. Vidit & audivit etiam ille, ſed tanquam teſtis, non tanquam is, ob quem principaliter hæc, quæ apparuerunt, viſa fuerunt vel audita. Non commemorant autem id tres primi euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores, quia non id agebant, ut oſtenderent, quo teſte hæc contigiſſent, ſed cujus cauſa revera contigiſſent, ſeu mavis, quid Chriſto poſt acceptum a Johanne baptiſmum divinitus contigiſſet, quaque fiducia munus ſuum poſtea fuiſſet exorſus, ſimul etiam unde diabolus occaſionem arripuerit, eum poſtea tentandi & in dubium vocandi eum Dei filium eſſe. Sed baptiſta ipſe apud Johannem euangeliſtam ſe ejus rei ſpectatorem fuiſſe commemorat, quia oſtendere volebat, quanam re, quove argumento nixus de Jeſu Nazareno tam aperte, tamque conſtanter aſſereret, digitum in eum intendens, hunc eſſe Dei filium, hunc eſſe illum Dei agnum, qui peccata mundi tollat.

*Et vidit ſpiritum Dei deſcendentem tanquam columbam.* Ex iis, quæ adhuc diximus, apparet, verbum *vidit* ad Chriſtum eſſe referendum, ad quem & præcedentia. Significatur ergo Chriſtum oculis ſuis vidiſſe ſpiritum Dei è cœlis, quos apertos videbat, ſuper ſe deſcendere, ut non tantum ex effectis illius ſpiritus miraculoſis, quos in ipſo ſtatim excitavit, deprehenderet, ſe cœlitus divino hoc munere fuiſſe impletum; ſed etiam antequam id fieret, oculis ſuis cerneret, in ſeſe cœlitus donum inſigne effundi. Vidit autem Chriſtus, quia forma corporea, ut expreſſe ſcribit Lucas cap. 3. 22, ſuper ipſum deſcendit ſpiritus ſanctus, quæ forma qualis fuerit, paulo poſt dicemus. Fuit autem ſpiritus iſte illa Dei vis atque efficacia, qua Chriſtus fuit & ſapientia rerumque divinarum ac cœleſtium cognitione plena imbutus, & admirabili intelligentia ac perſpicacia donatus, quæ tanta fuit, ut non tantum adverſus omnes adverſariorum artes ac fallacias eſſet invictus, ſed cogitationes etiam hominum cerneret, & res longe diſſitas atque occultas, & denique, qua miracula edidit tam multiplicia, tamque inſignia; quandoquidem ſpiritu Dei cum dæmonia ejeciſſe, ac porro alia quoque ſimilia ſtupenda facta patraſſe ſatis ex hiſtoria ſacra intelligitur. Fuit nempe is Dei ſpiritus, ut apud Eſaiam legimus Eſ. xi. 2, *ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis ſeu timoris domini.* Hoc ſpiritu unctus cum eſſet, factum eſt, ut, quemadmodum apud eundem prophetam legimus cap. 42. 1, & lxi. 1, *judicium gentibus proferret ſeu promulgaret, ut annunciaret manſuetis ſeu pauperibus lætum nuncium, mederetur contritis corde, prædicaret captivis indulgentiam, ſeu libertatem, & clauſis apertionem, ut prædicaret annum bene placiti domini.* Hoc ſpiritu, hac virtute unctus, ut ait Petrus Act. 10. 38, *pertranſiit benefaciens & ſanans omnes, qui erant oppreſſi a diabolo*, quomodo autem intelligendum ſit, quod dicitur, eum deſcendiſſe tanquam columbam, ſuſius eſt a nobis explicatum in libro de ſpiritu ſancto. Diximus enim ibi veriſimile nobis videri, non tantum volatu, ſed etiam forma ac figura columbam quodammodo repræſentaſſe: Quo pacto meteora ignita variarum rerum, nonnunquam & avium quarundam formam repræſentant. Cæteroqui credibilius eſſe ignei corporis ſpeciem habuiſſe, ut non ſit neceſſe, colorem quoque columbæ ei tribuere. Dubium enim non eſt, quin aliquid valde auguſtum, ac plane cœleſte ipſa externa ſpecies oculis ſubjecerit. Eodem loco & illud explicatum habes, quomodo virtus illa divina corporea ſpecie apparere, & ſic oculis cerni potuerit. Nempe quia virtus atque efficacia divina cœleſte quoddam ac ſibi conveniens habuerit vehiculum, hoc eſt, materiam aliquam ſeu corpus licet ſubtiliſſimum, cujus interventu Deus Chriſto eam fuerit impertitus: quandoquidem ibidem oſtenſum eſt, etiam in rebus corporeis, & nonnunquam ſatis craſſis vim quandam ſpiritualem a Deo infundi, quæ poſtea in hominibus ſeſe exerere poſſit: quod ſi in homines licet corporeos efficacia divina effundi poteſt, & porro etiam (ut de motu quoque ac deſcenſu aliquid dicamus) una cum illis circumferri, & de loco in locum moveri: cur non poſſit alii alicui corpori, præſertim ſubtiliori ac ſpirituali, ac proinde ſpiritus ſancti naturæ quodammodo viciniori divina vis atque efficacia infundi, & eo interveniente cum homine communicari? Quod autem corpus aliquod verum deſcenderit, non noſtra tantum, ſed jam ante nos Auguſtini fuit ſententia, quam (1) doctiſſimus pontificiorum interpres probat.

Verſ. 17. *Et ecce vox è cœlis, dicens.* Vocem hanc Dei ſummi eſſe, Patris domini noſtri Jeſu Chriſti, ipſamet ſatis oſtendit. Apparet inde erupiſſe hanc vocem, ubi cœlum ſciſſum videbatur, & unde ſpiritus ſanctus ſuper Chriſtum deſcenderat. Loco ejus autem, quod hic dicitur: *Hic eſt filius meus dilectus*, apud Marcum & Lucam habetur: *Tu es filius meus dilectus*: & apud Lucam quidem loco ejus, quod Matthæus & Marcus habent, *in quo complacui*, eſt, *in te complacui.* Sententia

(1) *Maldonatus.*

quidem

quidem omnium eadem eſt, ſed forma tamen verborum diverſa. Ubi dubitari poteſt, Matthæuſne an Marcus, atque inprimis Lucas ipſam Dei verborum formam retinuerit. Credibilius eſt Marcum & Lucam retinuiſſe. Nam primum cum Marcus Matthæum fere ſequi ſoleat, utpote qui velut in compendium Matthæi hiſtoriam euangelicam redegerit, non videretur ab eo fuiſſe in forma verborum diſceſſurus, ſi ea Deus fuiſſet uſus, quam Matthæus expreſſit. Unde etiam in verbis poſtremis, *in quo complacui*, ab eo non diſceſſit, licet Lucas habeat, *in te complacui*, quo modo Deum locutum fuiſſe cenſemus. Nempe, quia poſtquam ita verba priora retuliſſet: *Tu es filius meus dilectus*, quæ ſunt verba Chriſtum ipſum compellantis, jam non multum referebat, utrum diceretur, *in quo complacui*, an vero *in te complacui*. Id enim tantum intereſt, quod in altero ipſum antecedens, nempe pronomen *Te* repetitur; in altero, quo Marcus utitur, relativum loco ejus ponitur, nec forma orationis propterea mutatur: ſiquidem nihilominus ad eandem perſonam ſermo dirigitur. Itaque cum nihil intereſſet, Marcus Matthæum, quem ſibi imitandum propoſuerat, fuit ſequutus. In priori autem, quia ita omnino Deum locutum fuiſſe exiſtimavit, quemadmodum ſcripſit, & Lucas quoque retulit, a Matthæo diſceſſit. Deinde & illa id probat ratio, quod ſi Deus ita dixiſſet ad perſonam Chriſti orationem ſuam non dirigens, nulla videretur fuiſſe cauſa, cur Marcus, aut Lucas formam illam orationis mutarent, & ita loquentem Deum introducerent, ac ſi ad Chriſtum ipſum verba ſua direxiſſet: Sed contra, facile fieri potuit, ut quod Deus ad ipſum Chriſtum directis verbis pronunciaſſet, id abſolute Matthæus efferret, cum hiſtoriam euangelicam aliis ſcriberet, ut ita ſignificaret, vocem hanc Dei, licet olim ipſius Chriſti cauſa fuiſſet edita, nobis tamen maxime audiendam conſiderandamque eſſe, ac perinde cenſendum, ac ſi nobis Chriſtum Deus illa voce commendaſſet. Fieri etiam poteſt, ut eum huc impulerit ſimilitudo alterius Dei vocis, quam in monte audientibus diſcipulis edidit, ubi, quia diſcipulis Chriſtum commendare volebat, omnibus euangeliſtis atteſtantibus dixit: *Hic eſt filius meus dilectus*. Ex his autem iterum non obſcure animadverti poteſt, vocem hanc non fuiſſe editam populo audiente. Nam alias omnino credibile eſſet, Deum fuiſſe dicturum: *Hic eſt filius meus dilectus*: ut ſignificaret, populum ſeſe alloqui, & ei Chriſtum illiuſque doctrinam commendare velle; quemadmodum in monte diſcipulis eveniſſe videmus. Sed quia ipſum Chriſtum hac voce de ſuo erga ipſum amore, & dignitate, ad quam eum deſtinaſſet, certum reddere volebat, ideo ipſummet compellavit. Cur autem Chriſtus Dei filius dicatur, alibi ſatis eſt a noſtris explicatum. Quanquam cum plures ejus rei ſint cauſæ, hoc loco tamen eo potiſſimum reſpici arbitramur, quod Chriſtus conditione ac ſtatu, ſeu mavis jure adeundi hæreditatem paternam ſit filius Dei. Cum autem dicitur *dilectus*, Græce ὁ ἀγαπητός, id eſt, *ille dilectus*, non ſine emphaſi, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, omnium dilectiſſimus, ſeu, ut loquimur, unice dilectus: & recte obſervatum eſt, non a noſtris tantum, ſed etiam ab aliis, eandem hanc vocem vim habere, quam apud Johannem vox *Unigeniti*. Etenim cum ſatis appareat, Deum voluiſſe Chriſtum hoc loco quam maxime commendare, & ſummam ejus dignitatem exprimere, uti etiam cum ſimilia verba in monte repetiit, non eſt putandum, Deum non unigenitum potius dicturum fuiſſe, quam dilectum, ſi plus valeret vox unigeniti, quam dilecti, & majorem illa, quam hæc dignitatem contineret aut exprimeret. Sed quia vox *unigeniti* pro chariſſimi ſeu unice dilecti alibi quoque in ſacris literis ſumitur, ideo non mirum eſt Deum hoc loco voce τ ἀγαπητῦ, hoc eſt, *dilecti*, ſeu mavis dilectiſſimi, aut chariſſimi contentum fuiſſe. Non prætereunda videntur hoc loco doctiſſimi (1) Pontificiorum interpretis verba, qui ait, Athanaſium ἀγαπητὸν unigenitum interpretari ſic, ut è contrario Johannes unigenitum poſuerit pro chariſſimo: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret* &c. Verba illa, quæ ſequuntur, *in quo complacui*, explicatio tantum ſunt vocabuli prioris, hoc eſt, *dilecti*, & ideo ſubjecta ſunt priori verbo ad rem tanto magis aſſeverandam & inculcandam, ac porro etiam amoris illius vehementiam exprimendam. Illa enim phraſis nihil aliud ſignificat, quam aliquo vehementer delectari, eum ſingulariter amare. Eodem fere modo Deus apud Eſaiam pronunciat cap. 42. 1, in verbis infra a Matthæo citatis cap. 12. 18: *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus.* Græce ὁ ἀγαπητός μου, *in quem complacuit anima mea*, hoc eſt, quem diligit anima mea, quo ea vehementer delectatur, ut nil ſit neceſſe alia hic myſteria quærere.

## CAP. IV.

### *ARGUMENTUM.*

*Hujus Capitis duæ ſunt partes. In priori altera exponitur ratio, qua Chriſtus ad munus ſuum obeundum quodammodo fuit præparatus: quæ in eo conſiſtit, quod a Diabolo tentatus, ſpecimen ſuæ in Deum fiduciæ ac pietatis edidit. In poſteriore narratur, quo pacto munus ſuum re ipſa obire cœperit, idque partim docendo, partim diſcipulos quoſdam certos vocando, partim quoque miraculis doctrinam ſuam confirmando. Prior extenditur ad verſum 12, inde poſterior ad finem capitis protenditur: quo loco etiam eam in alia iterum membra diſtribuemus.*

Verſ. 1. *Tunc Jeſus ſubductus fuit in deſertum.* Verbum ἀνήχθη, hoc eſt, ſubductus fuit, ſignificat, eum è loco humiliori in altiorem fuiſſe progreſſum. Inferior enim fuit locus, ubi Jordanis decurrebat deſerto adjacente, in cujus interiora loca Chriſtus hic ſubductus fuiſſe intelligitur. Eadem autem vox ſignificat, Chriſtum non ſua ſponte, ſeu ſuopte conſilio atque arbitrio in deſertum ſeceſſiſſe, præſertim cum addatur, *a ſpiritu*; ſed divino impulſu interius deſertum fuiſſe ingreſſum. Spiritus enim hic ille intelligitur, qui paulo ante ſuper ipſum è cœlo deſcenderat, eumque porro repleverat. Itaque articulus voci ſpiritus præfixus hoc loco eſt ἀναφορικὸς, quæ res ex Luca aliquanto clarius intelligitur, cum ita rem narrat: *Jeſus autem ſpiritu ſancto plenus, reverſus eſt a Johanne, & ductus eſt in ſpiritu*, hoc eſt per ſpiritum, ſeu ſpiritus illius impulſu, *in deſertum*. Marcus ait: *& ſtatim ſpiritus ipſum ejecit in deſertum*, hoc eſt, veluti vi quadam, ſeu efficacia ſua eum impulit, ut in deſertum abiret. Significare ergo voluerunt divini ſcriptores, non temere Chriſtum ſeſe diabolo

(1) *Maldonatus.*

tentandum objeciſſe & ſeſe ultro obtuliſſe; ſed divino conſilio atque inſtinctu id feciſſe. Voluit nempe Deus fiduciæ ipſius experimentum capere, & nobis ejus ſpecimen in duce fidei ac ſalutis noſtræ ſpectandum proponere, & ſimul oſtendere nobis tum inprimis ſathanæ inſultus eſſe metuendos, cum nos, ut Deo ſerviamus, accingimus. Initiis enim occurrere conatur pro ſua aſtutia ſathanas, & nos a Dei obſequio ſtatim potius depellere, ſi poſſit, quam poſtea demum jam confirmatos a Deo abducere. Quanquam & hoc, cum primum res non ſucceſſit, facere non negligit.

Verſ. 21. *Et cum jejunaſſet dies quadraginta, & noctes quadraginta.* Jejunium eſſe abſtinentiam a cibo, non ciborum delectum, ita clarum eſt, ut moneri vix neceſſe ſit. Quod ſi cui tamen verbi vis non ſatis ſit cognita, Lucam conſulat, qui ita eam explicat, cum ait, eandem rem deſcribens: *& non comedit quicquam,* (nempe Chriſtus) *in diebus illis.* Itaque qui per quadraginta dies a certo ciborum genere abſtinent, interim tamen comedunt, & quidem ad ſatietatem, non id faciunt, quod Chriſtus, ſed aliud. Nec hinc facti ſui patrocinium petere poſſunt, licet inde occaſionem aliquam arripuerint. Cum autem non tantum dierum, ſed & noctium fit mentio, ſignificatur, hoc Chriſti jejunium non fuiſſe tale, quale & hodie & olim Judæis fuit uſitatum, ut totum diem a cibo ac potu abſtinerent, noctu autem cibum caperent; ſed per totos quadraginta dies civiles, noctibus etiam computatis, nihil prorſus cibi cepiſſe Chriſtum. Cibi autem nomine quoque potum comprehendi volumus: nam ne illud quidem jejunium revera eſt, ſi quis a cibo quidem abſtineat, interea tamen potu ſeſe reficiat. Numerus quadragenarius ideo exprimitur, ut appareat, diuturnum admodum fuiſſe hoc jejunium, nec naturale, ſed miraculoſum. Nec enim naturaliter quiſpiam tamdiu ſine cibo ac potu vitam producere poteſt: Quin vulgaris eſt ſententia, ſummum ad nonum diem poſſe hominem ceteroqui ſanum quempiam abſque cibo ac potu vivere. Significari etiam videtur, non fuiſſe hoc Chriſti jejunium minus diuturnum, minuſve miraculoſum jejunio Moſis, itemque Eliæ, (quanquam hic antea cibo quodam divinitus oblato fuit confirmatus,) quorum uterque, & prior quidem bis per quadraginta dies a cibo abſtinuit.

*Poſtea eſurivit.* Apparet, antea Chriſtum non ſenſiſſe ullam ex abſtinentia a cibo moleſtiam, poſtea vero ſenſiſſe, eamque tanto majorem, quam ex vulgari jejunio, & hominibus non inuſitato ſentiri ſolet. Quæ res eo pertinuit, ut eo oportunior fieret tentationi ſatanæ, & primo illius, qui ſtatim ſubjungitur, aſſultui. Quanquam illud etiam dubitari poteſt, utrum aſſultus ille, qui ỳſ. 3 ſubjicitur, plane fuerit primus. Nam Marci, ut & Lucæ hac de re verba ita ſunt comparata, ut ſignificare videantur, Chriſtum per dies illos quadraginta fuiſſe a ſathana tentatum. Ait enim Marcus cap. 1. 13: *Erat ibi in deſerto dies quadraginta tentatus,* ſeu *& tentabatur a ſathana.* Lucas autem expreſſius, *dies quadraginta tentatus a diabolo.* Sed credibile tamen eſt ſathanam non ita aperte Chriſtum per quadraginta illos dies fuiſſe aggreſſum, ſed veluti eminus cum telis ſuis petiiſſe: poſt jejunium autem illud, cum jam oportunum videretur tempus eſſe nactus jam cominus cœpiſſe cum Chriſto pugnare. Id quod etiam ſignificare videntur verba ỳſ. 3, ubi ait Matthæus: *Et accedens ad eum tentans,* ſeu *tentator,* quia nimirum antea longius abfuiſſet & congreſſus cum ipſo non fuiſſet; vel ſaltem antea congreſſus ad tempus receſſiſſet.

Verſ. 3. *Tentans.* Participium *tentans,* vel pro nomine ſumitur, Hebræorum conſuetudine; vel quod nobis magis probatur, ad conſilium ac conatum tentandi ſignificandum adhibetur: q. d. acceſſit ad eum is, qui eum ſibi tentandum propoſuerat. Cæteroqui ita hoc eſt diabolo proprium, ut hoc illius ſit epitheton, & proprius quidam titulus, quod ſit tentator, ut intelligitur ex 1 Theſſ. 3. 5, ubi ait Apoſtolus, *ne qua tentaverit vos ὁ πειράζων,* id eſt tentator ille, qui homines tentare ſolet, ubi participium pro Nomine poſitum videtur. *Si filius Dei es, dic, ut hi lapides panes fiant.* Non ſatis liquet, vel potius non ſatis inter interpretes conſtat, cujuſmodi fuerit hæc tentatio, quidve voluerit hac tentatione ſathanas efficere. Etenim non ſatis apparet, quid in eo peccaturus fuiſſet Chriſtus, ſi juſſiſſet, ut lapides illi panes fierent. Et reſponſio tamen Chriſti ſignificat, non eſſe neceſſe, ut cogatur eo deſcendere, ut ex lapidibus illis panes fieri jubeat. Unde colligi poteſt, quandoquidem ſatanas procul dubio voluit efficere hoc ſuo ſermone, ut Chriſtus aliqua ratione peccaret, peccaturum illum fuiſſe, ſi lapides illos panes fieri juſſiſſet. Nobis ita videtur, voluiſſe ſatanam eo adigere Chriſtum tantopere eſurientem, ut etiam dubitare inciperet, verene eſſet ille Dei filius, quem ſe eſſe paulo ante voce cœlitus delapſa audiviſſet, & ipſo effectu ejus vocis fidem explorandam eſſe ſtatueret. Etenim ita ratiocinari voluiſſe ſatanas videtur: Si tu Dei filius es, quemadmodum tibi perſuades, ex voce præſertim, quam non multo ante audiviſti, cape ejus rei experimentum, & quidem tibi hoc tempore tantopere neceſſarium. Ecce nunc fame & gravi quidem laboras, pane tibi opus eſt, quo reficiaris, & vitam conſerves. Cum vero hic nihil videas, unde panis confici poſſit, niſi forte hos lapides, dic, ſeu præcipe, ut in panes illi convertantur, quibus veſci queas. Hoc ſi fiat, tum demum tibi certo conſtare poterit, te Dei filium eſſe, ſi non fiat, ea de re tibi certe dubitandum erit, vel potius exiſtimandum, falſum id eſſe, & vocem illam, quam tu audiviſti, a Deo revera profectam non eſſe. Quid Chriſtus reſpondeat, mox videbimus. Interim illud notandum eſt, fieri nulla ratione poſſe, ut ſathanas vel ſimpliciter ſibi tentandum eſſe Chriſtum cenſeret, vel hoc pacto cum adoriendum exiſtimaret, ſi credidiſſet, vel potius ſciviſſet, eum eſſe ſummum illum Deum, & filium Dei ideo revera aut præcipue dici, quia ſit ex ipſa Dei eſſentia ab æterno genitus. Quomodo enim de Deo victoriam ullam ſperaret? Quomodo auderet tali Dei filio perſuadere, ut dubitaret, utrum is eſſet, qui eſſet? Id longe abſurdius foret, quam ſi hominem bene ſanum vellet inducere, ut dubitaret, utrum homo eſſet, an lapis forte aut lignum. Itane futiliter aſtutiſſimus hoſtis fortiſſimum ac ſapientiſſimum ducem oppugnare voluit? Sed hac de re dictum eſt a nobis fuſius alibi. Notatum eſt & illud ab interpretibus quibuſdam, verbum *dic*, jubendi, ſeu præcipiendi vim habere: ſed notatum tamen ſimul eſt ab aliis, (1) majorem quodammodo vim habere ſimpliciter dicendi verbum, quam ſi dixiſſet, jube, vel præcipe. Significat enim Sathanas, ſi Jeſus ſit Dei filius, uno verbo illum id effecturum.

(1) *Maldonatus.*

Verſ. 4. *Scriptum eſt: Non in pane ſolo vivet homo.* Locus eſt deſumtus ex Deut. 8. 3, ubi ait Moſes Iſraëlitas alloquens: *Afflixit te Deus penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, ut oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane vivat homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Ubi *panis* nomine uſitato Hebræis more, omnis cibus hominibus uſitatus comprehenditur. Verbum autem *vivet*, futuri temporis idem ſignificat quod vivere poteſt. Senſus enim eſt, non ſolo pane hominis vitam ſuſtentari poſſe, ſed etiam re alia quacunque, quam Deus ipſorum ſuſtentationi ſervire velit ac jubeat. Nam *omne verbum, quod egreditur per os Dei* ſignificat rem omnem, quam Deus juſſu ſuo potenti efficiat, & hominum nutrimento ſervire velit. Eſt enim hic ἀνθρωποπάθεια, ſeu metaphora ab hominibus petita, qui ex ore emittunt verbum, quo aliquid fieri jubeant, & hac ratione rem ipſam quodammodo effectam dent. Quanquam vox *verbi* h. l. pro re ſumi videtur. Vis reſponſionis Chriſti in eo conſiſtit, quod ſignificat, haudquaquam ſibi neceſſarium eſſe, ut ad vitam ſuam ſuſtentandam panes ex lapidibus conficiat, tantum abeſſe, ut vel inde demum experimentum aliquod capiat veritatis vocis illius cœlitus profectæ, qua pronunciatus Dei filius fuit, vel ſi id non fiat, dubitandum omnino de veritate vocis illius, vel potius veritatem illius ſibi eſſe negandam, quandoquidem Deus & ſeſe, & quemvis alium etiam ſine pane alere poſſit, ut olim Iſraëlitas aluerit, atque adeo, quacunque ratione Deus vitam alicujus velit ſuſtentare, ſive medium aliquod adhibeat, ſive minus, id illi præſtare facile eſſe. Quare ſe quoque victurum, utut nunc eſuriat, utut etiam panes ex lapidibus fieri non jubeat. Quo reſponſo ſignificavit Chriſtus non tantum ſe de eo non dubitare, quod tam clarum tamque apertum eſſet, nempe ſe eſſe Dei filium, nec quicquam eſſe, quod ejus rei fidem apud ipſum convellere poſſit, ſed ne ad aliam quidem ullam de Deo ejuſque ſive potentia, ſive providentia circa ſe diffidentiam aut dubitationem poſſe adduci. Itaque ne mentionem quidem ejus rei facit, quod in eo omnino perſtet, & perſtandum omnino exiſtimet, ut credat ſe eſſe Dei filium, ſed eo, tanquam nimis claro, omiſſo, id quod minus erat, & in quo facilior erat, fame præſertim urgente, in diffidentiam lapſus, commemorat, & in eo quoque nihil diffidentiæ in ſe eſſe demonſtrat.

Verſ. 5. *Tunc aſſumit eum diabolus in ſanctam civitatem.* Hic diſcrepantia quædam eſt inter Matthæum & Lucam ratione ordinis. Nam quod Matthæus ſecundo loco narrat, id Lucas tertio, ac vice verſa. Prius enim refert Lucas diabolum ſubduxiſſe Chriſtum in montem excelſum, & oſtendiſſe illi omnia mundi regna, quam narret, Chriſtum fuiſſe Hieroſolymam ab eo deductum, & ſuper pinnas templi conſtitutum, ut ſeſe inde dejiceret. Sed recte ſtatuunt interpretes, quos quidem vidimus doctiores, a Matthæo rei geſtæ, temporiſque ordinem eſſe obſervatum. Primum, quia, ut quidam (1) ex illis notat, veriſimilimum videtur, diabolum illis Chriſti verbis territum victumque diſceſſiſſe: *vade poſt me ſathana.* Hæc autem verba non ſunt a Chriſto dicta, niſi in monte, cum diabolus ipſi dixiſſet: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*; quemadmodum non Matthæus tantum, ſed & Lucas narrat. Deinde & conjectura ejus rei capi aliqua inde poteſt, quod Matthæus expreſſe dicit hoc loco: *Tunc aſſumit eum*, hoc eſt, poſtquam illa de panibus tentatio ita fuiſſet a Chriſto repulſa, & ℣. 8 ait: *Iterum aſſumit eum diabolus in montem magnum*, ſignificans eum jam antea ſemel Chriſtum aſſumſiſſe: non aſſumſerat autem niſi Hieroſolymam. Significat ergo Matthæus hoc, quo rem geſtam narrat, ordine contigiſſe: id quod Lucas non facit, qui ſimpliciter tantum connectit hos tentationis modos per particulam copulativam & ; *& ſubducens* &c. ℣. 5, *& duxit eum* &c. ℣. 9. Quare cum Matthæus de rei geſtæ ordine aliquid expreſſe dicat, Lucas nihil; Matthæum potius ordinem temporis reique geſtæ obſervaſſe cenſendum eſt, quam Lucam, qui eo tantum ordine rem narravit, quo ipſi occurrit, non quo facta eſt.

Controverſia aliquanto gravior de eo eſt, quo pacto diabolus Chriſtum in civitatem ſanctam aſſumſerit, an euntem, ac ſponte quodammodo comitantem, aut ſequentem ſecum duxerit; an vero per aërem raptum atque tranſvectum. Priori ſententiæ duo videntur favere: quorum alterum ex Luca petitur, alterum ex re ipſa. Illud eſt, quod Lucas utatur *ducendi* verbo, cum ait ℣. 9; *Et duxit eum Hieroſolymam*: Poſterius eſt, quod abſurdum videatur dicere tantam fuiſſe ſathanę in Domini corpus permiſſam poteſtatem, ut rapere illud per aërem, &, quo liberet, tranſferre poſſet. Sed nihilominus tamen plurium & veterum, & recentiorum interpretum ſententiæ accedimus, qui putant Chriſtum per aërem fuiſſe raptum. Illis, qui contrarium ſtatuunt, abſurdum eſt, ſtatuere, Chriſtum vi quadam a diabolo fuiſſe abreptum. Interim non animadvertunt, etiam abſurdum eſſe ſtatuere, Chriſtum diabolum ducentem ſponte ſua fuiſſe ſecutum, atque adhuc abſurdius in ſummum tectum cum eo ſponte aſcendiſſe, ac denique in ipſam pinnam templi, hoc eſt, ambitum illum conſcendiſſe, quo planum templi tectum cingebatur, ne quis decideret. Quæ enim cauſa eſſet, ut Chriſtus ita diabolum ducentem, aut ſuadentem ſequeretur, & in eo quidem loco, unde facilimus eſſet in ima lapſus, & quidem periculoſiſſimus, conſiſteret? Certe qui diabolo perſuadenti, ut ſe præcipitaret, ideo parere noluit, ne Deum tentaret, non ſtitit ſe etiam ſponte eo loco, ubi naturaliter tam pronum eſſet cadere, & per præceps ferri: Id enim jam tentationis Dei fuiſſet initium. Et ſane cum non Matthæus tantum, ſed & Lucas dicat, quod diabolus eum conſtituerit ſuper pinnas templi, ſatis uterque ſignificat, ſathanam Chriſti corpus in illum locum ſuſtuliſſe, aut ibi depoſuiſſe. Qui autem ad breve etiam tempus corpus Chriſti eo loco ponere potuit, quo voluit, cur non etiam poſſit Deo permittente per aërem rapere? quare ut ad rationes in contrarium allatas reſpondeamus, verbum ἄγειν *ducere*, apud Græcos & quidem 70 interpretes non ſemel ſolet commutari cum verbo φέρειν *ferre*; cujus rei exempla attulimus alibi. Ad alterum quod attinet, jam aliquo modo vidimus, nihil in eo eſſe abſurdi, ut Deus, tentandi cauſa, ſanctiſſimum Chriſti corpus ſatanæ rapiendum ita permittat, ut interea tamen lædere non ſinat. Poteſt enim Deus certos ſatanæ limites præſcribere, quos egredi non poſſit, & ita tueri illud corpus, quod aliquatenus atque ad certum tempus ferendum permittit ſatanæ, ut noxam illi nullam afferre queat. Vide quid in Jobum permiſerit Deus, cum eum tentandum ſatanæ traderet.

(1) *Maldonatus.*

Primo quidem exceperat ejus corpus, cætera omnia ejus arbitrio permiſerat. Deinde & corpus ipſius permiſit affligi, ſed ita, ne vita ipſi eriperetur. Quod ſi dicas longe ſanctiorem fuiſſe Chriſtum, & ideo minus in illum, quam in Jobum ſatanæ permittendum fuiſſe; nos etiam illi minus permiſſum hoc loco dicimus, ſiquidem nullam corpori Chriſti noxam attuliſſe, aut inferre potuiſſe volumus. Nam alioqui ſi potuiſſet, non ſuaſiſſet Chriſto, ut ſeſe de pinna templi præcipitaret, ſed ipſe potius præcipitaſſet, aut alia aliqua ratione interemiſſet. Quanquam præterea, ut conſtantiæ ac patientiæ ſuæ maximum ac clariſſimum ederet ſpecimen Chriſtus, tandem permiſit Deus, ut Satanas non quidem per ſe, ſed tamen hominum impiorum manibus Chriſtum crudeliſſime interimeret. Quanto ergo minus abſurdum eſt, dicere, Deum tum, cum Chriſtum a ſatana coram tentari vellet, ipſi permiſiſſe, ut corpus ipſius de loco in locum tantum transferret, & ubi placeret iſteret. Illud vix amplius jam notandum eſt, quod & hoc, & ſequenti verſiculo verba quędam prędentis temporis ponantur pro imperfectis.

*In ſanctam civitatem.* Ita appellatur Hieroſolyma etiam infra cap. 27. 53, & apud Danielem cap. 3. 28, & 9. 24, propterea quod religionis Judaïcæ ac ſacrorum, ipſiuſque adeo Dei erat ſedes, ab ipſo Deo in hunc finem electa, uti ex ſacris literis unicuique notum eſt: unde infra etiam ait Chriſtus cap. 5. 53, non eſſe jurandum per Hieroſolymam, quia urbs ſit magni regis.

*Super pinnam templi.* Pro *pinna* Græce eſt ea vox, quæ alam parvam ſignificat. Indicavimus autem paulo ante, ea ſignificari ambitum, qui circa ſummum templi tectum eſſet, ne quis ibi ambulans inde forte caderet: qualem quidem Deus omnibus in tectis fieri juſſerat Deut. 22. 8. Ala vocatur, quia ab ædificiis extabat, & alæ inſtar in aëre pendere videbatur. In ea ergo Chriſtum diabolus conſtituit, quia perſuadere ei volebat, ut præcipitem ſeſe daret: cui ejus conſilio conveniebat, ut eo in loco eum conſtitueret, qui & editiſſimus eſſet, & facilimus ex eo lapſus.

Verſ. 6. *Et dicit ei, ſi filius Dei es, demitte te ipſum deorſum.* Hac tentatione voluit Chriſtum eo adigere ſatanas, ut quemadmodum ex reſponſione ipſius apparet, Deum ipſe tentaret, hoc eſt, rei certæ tanquam incertæ eſſet, & probatione adhuc aliqua indigeret, documentum quæreret, & experimentum in periculo haud neceſſario, ſed temere ſuſcepto: q. d. ſathanas, ſi tu filius Dei es, experimentum ejus rei cape certiſſimum, & id verum eſſe, vel proba, vel ſaltem doce, te ipſum præcipitando. Etenim ſi filius Dei es, id nocere tibi nihil poterit. Ei rei probandæ adhibet dictum Pſalmi 91. 11: *Scriptum enim eſt, quod angelis ſuis præcipiet de te* &c. Ubi ita conſilium ſuum probare ac perſuadere Chriſto voluit ſatanas, ut objectioni ipſius tacitæ occurreret. Poterat enim dicere Chriſtus: ſi me præcipitem dedero, in periculum interitus, vel in certiſſimum potius exitium me conjiciam. Reſpondet ſatanas, id ipſi haudquaquam eſſe metuendum, ſi Dei ſit filius: quia angeli Deo jubente ipſum ita ſint cuſtodituri, ne ullo pacto impingat, & nocumentum aliquod inde ſentiat. Verba autem Pſalmi, quæ citat, in genere loquuntur de quovis homine, qui Deo confidat, eumque diligat, ac mandatis ipſius pareat. Itaque vel maxime ad Chriſtum pertinent, qui omnium Deo fidentium ac parentium princeps eſt. Significatur autem Deum angelis ſuis præcipere, ut diligentem piorum hominum curam gerant, eoſque ab omni noxa tutos præſtent, ita ut eos ſuper manibus quodammodo geſtent, quemadmodum interdum vel ipſi parentes liberos geſtant, vel geſtari a ſervis jubent, ne forte pedem ſuum ad lapidem aliquem impingant. Quibus in verbis metaphoram eſſe ab hominibus ad ſpiritus angelicos traductam, quin & hyperbolen quandam facile quivis cernit. De hyperbole quod dicimus, de illis intelligimus verbis: *ne offendas ad lapidem pedem tuum:* quia id interdum hominibus etiam valde piis contingit; niſi forte cum tacita quadam limitatione, ſeu conditione id dictum exiſtimes, nempe ſi inde noxam aliquam, præſertim graviorem ſint ſenſuri. Quod vulgo ajunt, omiſiſſe ſatanam fallaciter illa verba: *ut cuſtodiant te, in omnibus viis tuis,* quibus ſignificari putant, vias vel actiones hominum neceſſarias, & excludi pericula aut negotia temere ſuſcepta; id nec admodum probamus, nec tamen abſurdum eſſe credimus. Eſt quidem verum ita hic intelligi debere, ut ibi demum homines pii angelorum cuſtodia ſe communitum iri ſperent, cum quid recte inceperint, & aggreſſi fuerint: ſed ipſa tamen illa verba, *in viis tuis*, nihil aliud proprie ſignificant, quam in omnibus tuis negotiis, & actionibus. Itaque cum per ſe tam late pateant, viderentur potius ſatanæ conſilio ac perſuaſioni favere, quam quicquam ei obeſſe, ut propterea non videantur ab illo omiſſa. Nam quod nihilominus ita intelligenda ſint Pſalmi verba, ut viæ illæ, ſeu actiones hominis, in quibus angelorum cuſtodia ſit ſepiendus, ſint rectæ ac Dei voluntati conſentaneæ, id non tam ex verbis illis: *in omnibus viis tuis,* quam ex re ipſa, vel aliunde patet. Quare verba illa nec detracta quicquam proſunt ſatanæ, nec addita quicquam obeſſe videntur.

*Iterum.* Πάλιν pro ἀνάπαλιν, id eſt, viciſſim poſitum videtur: non quidem plane opponit locum loco, ſed ſententiæ, in quam locus ille a ſatana trahebatur: q. d. Ita quidem ſcriptum eſt; ſed interim tamen & illud viciſſim eſt ſcriptum: *Non tentabis* &c. Quare cum ſcriptura ſibi ipſi non adverſetur, neceſſe eſt illa Pſalmi verba ita accipere, ut illi Dei apud Moſen præcepto nequaquam repugnent. Repugnarent autem ſi ita illa liceret extendere, ut facultatem nobis datam exiſtimaremus in periculum nos temere præcipitandi, ut hoc pacto divinæ circa nos curæ ac providentiæ experimentum capiamus.

Verſ. 7. *Iterum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Locus extat Deut. 6. 16, quanquam ibi in Hebræo fonte numerus pluralis eſt: *non tentabitis*; pro quo Græci interpretes eoſque ſecutus Latinus ſingularem ponit numerum, *non tentabis.* Et ad ſenſum quidem nihil intereſt. Nam quod omnibus præcipitur, præcipitur etiam ſingulis, & contra. Et fieri poteſt, ut aliquando in Hebræo diverſa extiterit lectio. Sed hoc minoris eſt momenti. Id majoris eſt, quid hoc loco ſit Deum tentare. Vulgo videntur exiſtimare, tentationem eſſe nimiam quandam confidentiam atque audaciam, temere ſe in periculum præcipitantem, de divino auxilio ſecuram, utut in re haudquaquam neceſſaria: Itaque exiſtimare videntur, tentationem Dei eſſe illud extremum ſpei ac fiduciæ in Deo oppoſitum, quod in exceſſu, ut loquuntur, peccet; cui opponatur extremum alterum diffidentia ac deſperatio. Et in hanc quidem ſententiam hoc ipſo

potiſſi-

potiſſimum loco videntur fuiſſe inducti: quia ſatanas Chriſto perſuadere voluerit, ut in temerarium ſeſe periculum conjiceret, divino auxilio ac providentia fretus. Atqui locus, quem adduxit Chriſtus, contrarium potius ſignificat, præſertim ſi attendas verba, quæ adduntur: *quemadmodum tentaſtis in Maſſa:* ſeu, ut habet vulgata, *ſicut tentaſtis in loco tentationis.* Ejus autem tentationis hiſtoria deſcribitur Exod. 17, ubi modus illius his verbis exprimitur: *Tentaverunt dominum dicentes: eſtne dominus in nobis* (ſeu in medio noſtri) *an non?* quæ verba haudquaquam nimiam de Dei providentia fiduciam ſignificant, ſed potius dubitationem, licet in re admodum manifeſta, & cujus apertiſſima ante oculos verſarentur, atque antea verſata fuiſſent documenta. Quapropter ſtatuendum eſt, ideo Chriſtum hæc verba ſatanæ perſuaſioni oppoſuiſſe, quia ſeſe præcipitare velle, ut divina cuſtodia ſervatus paternum ejus erga te affectum ac curam agnoſcas, cujus alias ſat manifeſta habeas documenta, id nihil aliud eſt, quam Deum tentare, eique diffidere. Tentat enim, qui ſubinde aliquid vult elicere experimenti divinæ voluntatis, de qua illi jam ſatis ſuperque conſtat. Qua de re plura diximus in Ethicis Chriſtianis. Quanquam nec illorum ſententiam penitus repudiamus, qui tentare Deum exiſtimant eſſe, eum irritare, ſeu ad iram provocare: quia qui ita agunt, perinde faciant, ac ſi Dei patientiam explorare vellent. Sed id tamen, quod antea diximus, huic præferimus. *Iterum aſſumit illum diabolus. Iterum*, ait, *aſſumit*, quia antea etiam aſſumſerat eum in ſanctam civitatem ℣. 5. Modum autem aſſumendi eundem eſſe putamus cum eo, qui eodem loco eſt explicatus. *In montem altum valde.* Ut nimirum inde quam longiſſime circumquaque proſpicere poſſet, & tanto plures provincias, urbes, ac regiones oculis luſtrare, ac porro tanto facilius moveri poſſet, ut earum obtinendarum cauſa ſatanam adoraret. Quanquam paulo poſt nonnihil adhuc dicendum erit de ratione, qua mons ille altiſſimus ad conſpectum regnorum plurium prodeſſe potuerit. *Et oſtendit illi omnia regna mundi.* Eſſe in his verbis Synecdochen quandam hyperbolicam, ſed ſcripturæ tamen non inuſitatam, interpretes plerique doctiores animadverterunt. Neque enim ex uno monte, licet altiſſimo, ſpectari omnia prorſus totius mundi regna poſſunt; ſiquidem in adverſam terræ partem viſus tranſire nullo modo poteſt, ſed ad horizontem, quem vocant, terminatur, neque illum quidem ejuſmodi, quo totus mundus in duas æquales partes, ſeu duo hemiſphæria diſtingui a Mathematicis ſtatuitur, ſed alium propiorem, quem viſivum appellant, quo pars orbis conſpecta ab inconſpecta diſtinguatur. Pars autem conſpecta longe eſt minor illa, quam non conſpicimus. Itaque intelligenda ſunt regna omnia mundi, quatenus is ſub conſpectum hominis ex eodem loco quam longiſſime proſpicientis circum quaque cadit. Niſi forte dicendum ſit, ſatanam eorum quoque regnorum ſpeciem repræſentaſſe, atque oculis Chriſti ſubjeciſſe, quæ infra horizontem ejus loci, in quo Chriſtum conſtituerat, depreſſa erant; qua de re non nihil paulo poſt dicemus explicatius. Nam quod quidam exiſtimant, ſatanam tantum oſtendiſſe plagam, ſeu ſitum cujuſque regni, licet oculis minime pateret, id admitti non debet, partim quidem, quia additur ſtatim, quod etiam gloriam, ſeu ſplendorem regnorum illorum illi oſtenderit, oſtenderit, inquam, ex monte, non verbis, quibus etiam in loco humili gloriam illam depingere poſſet; partim vero quod noluit ſatanas Chriſtum nudis verbis, ſed ipſo rei conſpectu commoveri, ut cupiditate regnorum illorum captus ad honorem ipſi exhibendum perduci ſe pateretur. Quanquam & alia adhuc mox patebit ratio, ubi illud prius addiderimus, *regni* nomen in ſacris literis latius patere, quam hodie in vulgaribus linguis conſuevit, quandoquidem illi quoque in ſacris literis reges appellantur, quorum ditiones ac territoria ſat anguſtis fuere comprehenſa finibus: ſiquidem in ſola Palæſtina, quæ non adeo multorum dierum iter patuit, a Joſua fuere devicti reges triginta & unus, ut legitur Joſuæ 12, verſ. ultimo, ubi ſumma eorum colligitur, cum in præcedentibus nominatim exprimantur, & tamen ſatis ex hiſtoria intelligitur, nondum omnes prorſus, qui intra fines terræ, quam Deus populo deſtinaverat, dominarentur, a Joſua fuiſſe ſubactos. Huc etiam pertinent verba Adonibeſek regis Chananæorum, quæ extant Judic. 1. 7: *Septuaginta reges amputatis pedum ac manuum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias*, quorum quidem regum ditiones neceſſe fuit non admodum fuiſſe amplas. Regna enim erant territoria, quæ uni Principi aut domino ita eſſent ſubjecta, ut alium præterea ſuperiorem non agnoſcerent. Quapropter potuerunt ex monte tam excelſo multa admodum regna circumquaque conſpici: unde tanto aptius potuit uſurpari hyperbolica hæc, ſeu mavis ſynecdochica locutio, quod omnia mundi regna ſatanas Chriſto oſtenderit. Illud adhuc difficultatem parit, quod eſt apud Lucam, qui ait, ſatanam oſtendiſſe Chriſto omnia regna mundi in momento temporis. Etenim veriſimile videtur, quod etiam nonnulli viri docti urgent, Satanam potius voluiſſe Chriſtum contemplationi horum regnorum aliquamdiu immorari, ut tanto magis ſplendore illorum regnorum conſpecto, deſiderio illis potiundi incenderetur. Unde factum eſt, ut nonnulli (1) ex doctioribus interpretibus arbitrentur, hoc loco metatheſin eſſe, ſeu verborum tranſpoſitionem, & voces illas, *in momento temporis*, non cum proximis, *oſtendit illi* &c. ſed cum antecedentibus, *& ſubduxit eum Diabolus in montem altum*, conjungenda putarent. Verum id nobis difficulter perſuaderi poteſt; neque illi facilius exemplum aliquod tranſpoſitionis ejuſmodi oſtenderint: Etenim qui fieri poteſt, ut integra ſententia interjiceretur inter verba, quæ ſententiæ cohærere cenſeantur, cum parentheſi hic nullus appareat locus? Quapropter exiſtimamus, a verborum ordine non eſſe recedendum, ſed potius voces illas, *in momento temporis* cum proxime antegreſſis eſſe conjungendas. Ad rationem autem in contrarium allatam reſpondemus primum, non eſſe neceſſe, ut momentum illud temporis opponatur moræ, quę conceſſa fuerit Chriſto ad regna illa mundi eorumque ſplendorem oculis ſubjectum contemplandum; ſed potius moræ, qua Satanas omnia illa mundi regna Chriſti oculis primum ſubjecerit: q. d. non ita Sathanam regna illa Chriſti oculis ſubjeciſſe, ut unum regnum poſt aliud, unam provinciam poſt aliam ei oſtenderet; ſed ut ſtatim univerſum illum regnorum tractum oculis ejus ſubjiceret, ut veluti luce quadam ſubito affulgente tanto magis ipſius oculi hoc ſplendore perſtringerentur, & animus ipſius repentino

(1) *Piſcator.*

hoc fulgore occæcatus, ac cupiditate regnorum illorum potiundorum abreptus, pateretur ſe ad ſatanam adorandum impelli. Majorem enim vim habet rerum plurimarum ſimul oſtenſarum, ac ſubito ſeſe ingerentium ſplendor, quam ſi unum poſt aliud ſeſe paulatim aperiat, ſiquidem ſtuporem quendam ſenſibus atque animis affert. Quare noluiſſe videtur ſatanas, ut unam primum provinciam ex monte illo ſpectaret Chriſtus, tum demum alteram, & ſic deinceps; ſed eodem momento, hoc eſt, breviſſimo temporis ſpatio omnia ſub obtutum ipſius cadere, atque oculis ipſius incurrere voluiſſe. Deinde nec illud videtur abſurdum, ſtatuere, ſatanam repræſentaſſe Chriſto in altiſſimo monte collocato non ea tantum regna, quæ alias ex eo loco conſpici ab homine oculis bene utente poſſent: ſed repræſentaſſe etiam plura, quam videri ex eodem loco poſſent. Poteſt enim ſatanas objicere hominum oculis etiam exterius variarum rerum ſpecies atque imagines, ut nihil in eo ſit abſurdi, ſi dicamus, hic quoque eum hujus ſuæ artis ac facultatis ſpecimen dediſſe. Nam ſi dicas ad eam rem non futurum fuiſſe opus, ut in altiſſimum montem ſubduceret Chriſtum, quia quolibet in loco id præſtare potuiſſet, reſpondemus, tum demum id locum habiturum, ſi ſatanas phantaſiam ſeu imaginationem Chriſti intus moviſſet, & ſpecies ſeu imagines rerum ita illi impreſſiſſet, ut videretur ſibi illud cernere, quod reipſa non cerneret: quemadmodum propheris divinitus multarum rerum imagines fuerunt impreſſæ, & tota apocalypſis hujuſmodi viſionibus conſtat. Sed non facile poſſumus adduci, ut illis credamus, qui ſtatuunt, & collocationem illam Chriſti in pinna templi, & hanc in monte excelſo, & regnorum conſpectum per viſionem, ut loquuntur, ſeu imaginationem tantummodo factam eſſe: ſed potius ſi aliqua ſpecies rerum licet abſentium arte ſatanæ fuit Chriſto objecta, exterius id potius factum, quam interius. Jam vero ſi exterius objicere harum rerum imaginem Chriſto voluit ſatanas, deligendus omnino erat locus huic rei conveniens, hoc eſt, non humilis aut in plano ſitus; ſed altiſſimus, ex quo circumquaque proſpectus quam latiſſime pateret. Hoc autem modo ſi regna mundi ſatanas Chriſto oſtendit, fieri poteſt, ut breviſſimi tamen temporis ſpatio tam illuſtris rei conſpectum indulgere ei vellet, & cupiditatem ejus incenderet atque excitaret potius, quam exſatiaret, ne diutius inſpecta & per partes luſtrata paulatim apud eum evileſcerent. Atque hoc poſtremum dici poſſe videtur, etiamſi nolis ſatanam repræſentaſſe illud, quod alias conſpici ex eo loco non poſſet, ſed ea tamen monſtraſſe, quæ cerni ex illo loco poſſent. Unde tanto magis apparet, rationis illius infirmitas, qua nonnullos uti interpretes diximus, ut probent momentum illud temporis non ad oſtenſionem regnorum, ſed ad tranſlationem Chriſti de loco in locum referendum eſſe: ſiquidem fieri potuit, ut non admodum diu ſatanas voluerit Chriſtum illi contemplationi immorari, ne ipſa mora, ut diximus, vileſcerent. *Et gloriam ipſorum.* Diximus jam antea, per gloriam hanc intelligi regnorum illorum ſplendorem. Credibile eſt ſatanam oſtendiſſe Chriſto magnifice extructas urbes, arces ac palatia, aliaque a mœniora loca. Quodſi exiſtimes eum non tantum oſtendiſſe ea, quæ in regione circumjacente revera extarent, ſed miraculo quodam repræſentaſſe etiam ea, quæ alias cerni non poſſent, nihil eſt abſurdum, ſtatuere, etiam & pompas regum & alia, in quibus eorum magnificentia ſpectari ſolet, oculis Chriſti ſubjeciſſe. Hoc pacto uſurpatur infra vox *gloriæ* cap. 6. 29: *Neque Salomon in omni gloria ſua amictus fuit, ut unum horum.*

Verſ. 9. *Et dixit illi: Hæc omnia tibi dabo.* Apud Lucam interſeruntur hæc verba, *quia mihi tradita eſt* (nempe poteſtas hæc omnis & gloria ſcilicet regnorum) *& cui voluero do eam.* Ubi quidem ſpiritus ille mendax nimium ſibi arrogat, & admentitur non parum: ſed non tamen ſine cauſa ita loquitur. Nam quia Deus permittit, ut homines aut fraude, aut cædibus, aut largitionibus, quibus corrumpi hominum animi poſſint, ad imperia multi perveniant, id quod non niſi Satanæ inſtinctu atque opera interveniente conficitur, & mali ſæpius, quam boni ad regium faſtigium evehuntur: inde gloriandi anſam ſumſit diabolus, ut aſſereret, ſibi regna illa eſſe permiſſa, nempe a Deo, ſeque pro arbitrio tradere cui velit. Atqui animadvertendum, Deum omnia illa pro arbitrio ſuo gubernare, & certos ſatanæ limites ponere, quos egredi non poſſit, & ſæpe ipſius conatus impedire, aut in contrarium etiam vertere; quodſi non impediat, ita tamen gubernare, ut ad finem nihilominus bonum dirigantur. Quare non eſt hæc aut vera poteſtas Satanæ a Deo data, ſed permiſſio, nec illimitata, ut ipſe jactat. Cæterogui huc referri poteſt illud, quod legimus Apocal. 13. 3, ubi dicitur, *draconem*, hoc eſt, *diabolum dediſſe beſtiæ ſeptem capita, & decem cornua habenti virtutem ſeu potentiam ſuam, & thronum ſuum, & poteſtatem magnam.* Ubi per beſtiam illam Romanum imperium intelligi plerique interpretes videntur animadvertiſſe: & tamen illud imperium a Deo potius fuit excitatum ac conſtitutum. Deus enim nihilominus illa facit, etiamſi aliquid Diabolicæ licentiæ permittat, quia illa nihilominus ſua providentia dirigit ac gubernat, & fraudibus etiam ipſius ad ſua decreta exequenda velut abutitur. Vide Dan. 7. 21.

Verſ. 10. *Tunc dicit ei Jeſus, Vade poſt me ſatana.* Multa exemplaria non habent illud *poſt me*; ſed infra tamen ita loquitur Chriſtus Petrum alloquens, cap. 16. 23. Sed ſive legas, ſive minus, ſenſus eſt idem. Nihil enim ſignificatur aliud, quam *apage*. Illa autem verba *poſt me*, ſeu *retro*, nihil videntur ſignificare aliud, quam quod in vulgaribus linguis dicere ſolemus: ex oculis abi; quia nimirum quempiam intueri nolimus, aut indignus ſit, cui vel oculos faveamus. Quare Synecdoche quædam eſt ſpecici pro genere. Nam qui abit retro aliquem, abit ex ejus oculis, quanquam non contra. *Scriptum enim eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſerviet.* Locus hic extat Deut. 6. 13, & x. 20: quanquam in Hebræo utrobique pro *adorabis*, extat *timebis*. Sed oſtenſum eſt a nobis alibi, (1) verbum *timendi*, cum ad Deum refertur, pro colendi voce uſurpari, vel ſaltem eam animi reverentiam denotare, quæ adorationem ex ſe parit ſecumve trahit. Cujus rei exempla extant 4 Reg. 17. 25, 28, 33, 35, 36, 39. Non additur autem in Hebræo vocula illa *ſoli*; ſed interpretes tamen Græci eam ad ſententiam tanto clarius exprimendam addiderunt. Etenim cum illis apud Moſem locis præcipitur, ut Iſraëlitæ Deum adorent, & ipſi ſerviant, ea verborum vis eſt, ut excludantur

(1) *In Ethic. Chriſt.*

ab hoc

ab hoc cultu alii Dii, quemadmodum ex ſeq. cap. 6 Deut. verbis liquido cernitur. Ita enim ibi legimus: *Dominum Deum tuum timebis & illi ſervies, ac per nomen illius jurabis. Non ibitis poſt Deos alienos cunctarum gentium.* &c. De verbo λατρέυειν dicta ſunt & a nobis, (1) & a noſtris alibi non pauca.

℣ſ. 11. *Tunc dimittit eum Diabolus:* addit Lucas cap. 4. 13 *ad tempus.* Nam iterum Chriſtum aggreſſus eſt, quanquam alia ratione, eo potiſſimum tempore, cum & Judæos ad ipſum morti tradendum invitaret. Hæc enim, ut ipſe Chriſtus ait, erat hora & poteſtas tenebrarum Luc. 22. 53. Et tunc veniebat princeps mundi Johan. 14, 31, quanquam in Chriſto nihil habebat. Poſſunt tamen huc referri etiam inſidiæ, quæ Satanæ procul dubio inſtinctu Chriſto ſunt ſæpius ab adverſariis ſtructæ. *Et ecce Angeli acceſſerunt & miniſtrarunt ipſi.* Quo pacto ipſi Angeli eo præſertim tempore miniſtrarint, non ſatis conſtat: Sed tamen cum apud Marcum legamus Chriſtum fuiſſe cum feris itemque eum eſuriiſſe, fieri poteſt, ut & feras, quas procul dubio Satanas ad Chriſtum terrendum coëgerat, abigerent, & ſic eum ab omni noxa tutum præſtarent, donec è deſerto in locum ab hominibus frequentatum rediret. Nihil etiam prohibet ſtatuere, eos, quemadmodum Eliæ contigiſſe videmus, cibum illi aliquem attuliſſe.

Verſ. 14. *Cum vero audiſſet Jeſus, quod Johannes traditus eſſet.* Sequitur nunc altera hujus capitis pars, quæ complectitur initium functionis Jeſu Chriſti propheticæ, ſeu prædicationis Euangelii, & ejuſdem confirmationis, quæ prope ad finem hujus libri extenditur; uti in partitione totius hujus libri dictum eſt. Hæc autem ſecunda hujus capitis pars in tres iterum particulas diſtribui poteſt. In prima oſtenditur, quo loco quidve docuerit Chriſtus, a ℣ſ. 12, uſque ad finem 17. In ſecunda refertur, quemadmodum diſcipulos quoſdam vocaverit Chriſtus, eos poſtmodum ad prædicationem Euangelii adhibiturus a ℣ſ. 18, uſque ad 23. In tertia atque ultima perſequitur Matthæus narrationem de functione muneris Chriſti, & cum breviter indicaſſet ſummam prædicationis Chriſti, generatim etiam miracula ſubjicit, quibus eandem confirmavit a ℣ſ. 23, uſque ad finem capitis. In verbis autem illis ℣ſ. 12: *Cum autem audiſſet Jeſus, quod Johannes traditus eſſet*, indicatur occaſio ſeu cauſa, quæ Chriſtum impulit, ut in Galilæam ſecederet. Non ſatis autem inter Interpretes convenit, quo pacto hac traditione Johannis Chriſtus fuerit permotus, ut in Galilæam ſecederet. Alii cenſent, ideo id factum, quia voluerit in Galilæa potiſſimum perſequi ſalutis humanæ negotium atque Euangelii prædicationem a Johanne quodammodo cœptam, ſed ipſius traditione interruptam. Alii cenſent, eum hoc receſſu voluiſſe periculum evitare, quod ipſi quoque exemplo Johannis imminere: quorum poſteriorum ſententiam ſi ſequamur, neceſſe eſt ſtatuere, Galilæam illam, in quam ſeceſſit Chriſtus, non illam fuiſſe, cujus Herodes eſſet Tetrarcha, ſed aliam; qua de re poſtea nonnihil dicemus. Interim illud animadvertendum eſt, quod eſt ab aliis jam annotatum, etiamſi hæc ita narrentur a Matthæo, ac ſi ſtatim tentationem Chriſti in deſerto peractam fuiſſent conſequuta: ex iis tamen, quæ narrantur a Johanne cap. 1, & duobus, vel tribus potius ſeqq. multa alia interceſſiſſe inter tentationem illam, & hunc Chriſti in Galilæam receſſum. Etenim hic receſſus, ut Matthæus expreſſe narrat, & eum ſequutus Marcus cap. 1. 14. contigit poſt Johannem in carcerem conjectum. Atqui Chriſtus poſt ſuum baptiſmum & deſcenſum ſuper ipſum ſpiritus ſancti ad Johannem adhuc publice docentem reverſus, ab eo teſtimonio inſigni non ſemel fuit ornatus, & diſcipulis quibuſdam collectis in Galilæam abiit, ubi in nuptiis ex aqua vinum fecit, atque inde Hieroſolymam profectus & docuit, & miracula edidit, & cum Nicodemo colloquio habito in Judææ territorium ex urbe diſceſſit, & baptizavit, Johanne itidem baptizante: unde orta poſtea fuit diſceptatio inter Johannis diſcipulos & Judæos. Poſtea demum Chriſtus periculum evitaturus a phariſæis ſibi imminens per Samariam in Galilæam tetendit. Et hoc videtur eſſe iter illud, cujus hoc loco Matthæus & Marcus, imo & Lucas faciunt mentionem. Quanquam enim non deſunt, qui putent diverſum eſſe iter in Galilæam, quod Matthæus & Marcus tentationi Chriſti ſubjicit, ab eo, quod Lucas: (exiſtimant enim illud a Luca deſcriptum fuiſſe antegreſſum) tamen ſi conſiderentur ea, quæ in hoc itinere a Chriſto facta narrantur cap. 4. 5 & 6. Lucæ, & conferantur cum iis, quæ Matthæus hoc & ſeqq. capp. refert, longe probabilius eſt, idem ab utroque iter in Galilæam deſcribi. Et facit illud quoque rem probabilem, quod hic ſubjungitur ℣ſ. 13, *& relicta Nazareth veniens habitavit in Capernaum.* Etenim ſignificare videtur Matthæus, Jeſum abiiſſe quidem Nazaretham, ſed ea mox relicta iviſſe habitatum Capernaum; poſtquam nimirum, ut Lucas refert, eſſet a Nazarenis eductus extra oppidum in verticem montis, ut inde præcipitaretur. Subjicitur enim a Luca *& deſcendit in Capernaum, & erat docens eos in Sabbathis* &c. Omiſerunt autem tres hi Euangeliſtæ omnia illa, quæ a tentatione Chriſti in deſerto uſque ad conjectionem Johannis in carcerem fuerunt facta a Chriſto, quia illa videntur tantum quædam præludia fuiſſe, & initia minus adhuc illuſtria functionis Chriſti Propheticæ. Nam quam diu Johannes ipſius prodromus adhuc munere ſuo fungebatur, (functus autem fuit tam diu, donec in carcerem conjiceretur) Chriſtus videri poteſt tum præluſiſſe muneri ſuo, & majorum operum fundamenta jeciſſe. Quare id ſibi ſumſerant tres primi Euangeliſtæ deſcribendum, quod præcipuum in hac Chriſti functione eſſet, & maxime illuſtre, poſtquam nimirum veluti impetu quodam capto doctrina Chriſti curſum ſuum eſſet ſortita. Unde intelligitur, verba Lucæ, qui ait, Jeſum fuiſſe reverſum in potentia ſpiritus, hoc eſt, potentia atque efficacia divini ſpiritus inſtructum, in Galilæam, non ita eſſe accipienda, ac ſi ſtatim fuiſſet reverſus: ſed ſimpliciter, quod reverſus fuerit, licet non exiguo temporis tractu interjecto in eum, unde primum egreſſus fuerat, locum. Verbum *tradendi* hoc loco ſignificare conjectionem in carcerem ab omnibus eſt obſervatum. Sæpe enim uſurpatur vox tradendi cum ellipſi, quæ pro ratione ejus, de quo agitur, ſupplenda eſt, uti nonnemo interpretum annotat ad Marc. 1. 14, ubi ſimilis eſt ellipſis. Cauſa autem cur in carcerem fuerit conjectus Johannes ab Herode, exponitur ab ipſo Matthæo infra cap. 14. 3, & a Luca cap. 3. 19. 20, nempe quod eum reprehendiſſet Johannes de Herodiade uxore Philippi fratris ipſius, & de omnibus, quæ fecit, malis Herodes.

(1) *In Ethicis. lib. 4. de vera relig.*

*Seceſſit in Galilæam.* Diſputatur hoc loco a nonnullis, quænam Galilæa hic ſit intelligenda. Illi, qui exiſtimant, Chriſtum exemplo Johannis ab Herode in vincula conjecti monitum, ejuſdem vim vitare hoc ſeceſſu voluiſſe, contendunt, Galilæam ſuperiorem, quę Galilæa gentium appellatur, omnino intelligendam: quia ſi in Galilæam inferiorem ſeceſſiſſet, periculo potius ſe obtuliſſet, quam illud evitaſſet, ſiquidem ejus Galilææ Herodes Tetrarcha erat. Quo accedit, quod paulo poſt ℣. 15 in verbis Eſaiæ omnino videatur hæc Galilæa, in quam ſeceſſit Chriſtus, Galilæa gentium appellari. Sed illorum ſententiæ Chorographia omnino videtur repugnare. Etenim Capernaum in inferiori Galilæa ad lacum Genezareth poſita eſt, & ſi tabulis Geographicis peritiſſimorum virorum credimus, longius ab ipſa ſuperiori Galilæa abeſt, quam ipſa Nazaretha, quam Interpretes illi, cum quibus nunc nobis res eſt, recte in inferiori Galilæa collocant. Adde, quod jam ante indicavimus, ex collatione Matthæi & Lucæ apparere, Chriſtum Nazaretham poſt hoc iter veniſſe, & inde poſtea Capernaum ſe contuliſſe: unde apparet, eum & in inferiorem Galilæam veniſſe, & hoc ex Judææ diſceſſu periculum ab Herode imminens evitare non voluiſſe. Ut taceam ab Herode eum tutiorem futurum fuiſſe in Judæa, quam ſi in ſuperiorem etiam Galilæam tenderet: quandoquidem niſi longis ambagibus eo proficiſci vellet, Galilæa inferior, quæ ditionis eſſet Herodis, ipſi erat traſeunda. Quapropter arbitramur Galilææ nomen hoc loco generatim ſumi, ita ut utramque & ſuperiorem & inferiorem complectatur, comprehendatque univerſam terram tribus Zabulonicæ & Nephtalimicę, ut ſequentia oſtendunt; vel ſi omnino alterutra Galilæa nominatim ſit intelligenda, inferiorem hic accipiendam putamus. Nam quod poſtea in verbis Eſaiæ Galilæa gentium commemoratur, vel per Hebraiſmum ita appellatur, quaſi dictum eſſet, Galilæa populoſa, ut nonnulli Interpretum cenſuerunt, (veriſimile enim erat, populoſam eſſe regionem fertilitate inſignem) vel commemoratur tanquam pars illius Galilææ, in quam Chriſtus ſeceſſit. Ut taceam locum illum Eſaiæ ideo potiſſimum videri allatum, quia mentio facta erat Capernaumi ad mare ſiti, in finibus Zabulonis & Nephthalimi; non vero ad illud oſtendendum, quod de Galilæa nominatim fuerat dictum. Ex quibus jam illud quoque apparet, non eſſe probabile, Chriſtum è Judæa ideo voluiſſe diſcedere, ut periculum ſibi ab Herode Johannis exemplo metuendum evitaret: ſed potius ut, ubi Joannes prædicationis ſuæ curſum quodammodo finiiſſet, ibi ſuum ille potiſſimum inciperet, & diſcipulos ipſius Magiſtro orbatos ad ſeſe pertraheret, ne inſtar ovium paſtore deſtitutarum oberrarent, & præparatos a Johanne animos ſemente verbi divini conſpergeret. Quod ſi tamen hoc itinere periculum aliquod evitare voluit Chriſtus, illud intelligendum erit, quod ipſi a phariſæis in Judæa ſtruebatur; ut ex Johanne intelligitur cap. 4, tribus verſiculis primis.

Verſ. 13. *Et relicta Nazareth venit habitatum Capernaumum.* Cauſa, cur reliquerit Nazaretham, ex Lucæ 4, intelligitur, nempe Nazarenorum incredulitas, atque animorum obſtinati›, unde factum, ut ipſum etiam è monte præcipitare vellent. Quanquam interim negare nolimus, eum etiam jam ante Capernaumi fuiſſe verſatum: id quod ſignificare videntur illa ipſius verba eodem cap. 4. Luc. 23: *Omnino dicetis mihi parabolam hanc, medice cura te ipſum, quæ* (vel quanta) *audivimus Capernaumi, fac etiam hic in patria tua.* Si modo ideo hæc verba protulit Chriſtus, ut ſignificaret, eos jam tum habere occaſionem illud ipſi objiciendi, & non potius, eos in poſterum ita dicturos. Sed quicquid ſit; fieri poteſt ut poſt illud demum tempus Nazaretham ita relinqueret, ut jam ſuum veluti domicilium non amplius Nazarethæ, ſed Capernaumi habere vellet. Cur autem Capernaumum potius elegerit, in cauſa erat loci celebritas, ac hominum ibi perpetuo verſantium frequentia: ſiquidem emporium erat ad lacum Genezareth ſitum, vel primum, vel inter prima. *Maritimam.* Scilicet urbem, quia, ut diximus, ad lacum Genezareth, qui alias mare Galilææ, aut mare Tiberiadis appellatur, erat ſita. Notum enim eſt, Hebræos maris nomine etiam lacus complecti. Lacum eum effecit Jordanis in humiliorem locum incidens.

Verſ. 14. *Ut impleretur quod dictum eſt per Eſaiam* &c. Locus Eſaiæ extat cap. 9. 1. 2. Non ſignificat autem Matthæus, ſenſu literali dictum illlud Eſaiæ tum temporis fuiſſe impletum; ſed myſtico: hoc eſt, id fuiſſe factum, cujus typus ac figura quædam fuit id, de quo Eſaias literali ſenſu loquitur, uti mox in verborum explicatione dicemus. Similia vidimus jam ſupra cap. 1. 22, 23. & 2. 15, itemque ℣. 12 ſeqq. quin & 3. 3.

Verſ. 15. *Terra Zabulon, & terra Nephtalim.* Non omnia Matthæus verba recenſet verſiculi primi; ſed omiſſis aliis, quæ ad inſtitutum ipſius non pertinebant, ea tantum ex verſic. 1 excerpit, quæ ad loci deſcriptionem ſpectant. Ejus enim rei gratia hunc locum potiſſimum adduxerat, ut oſtenderet, prædictum aliquando fuiſſe, fore, ut ad mare in finibus Zabulon & Nephtalim lux prædicationis Euangelicæ effulgeret. Diximus autem jam ſenſum horum verborum literalem, ſeu hiſtoricum, eſſe alium. Quod ut tanto rectius intelligatur, primum verba ex Hebræo interpretabimur. Deinde eorum ſenſum ſubjiciemus. Ita ergo ait Propheta: *Quanquam non* [erit] *caligo ei, cui anguſtia* [erit,] *ſecundum tempus primum* (ſeu prius) [quo] *allevavit terram Zabulon, & terram Nephtali & poſterius,* [quo] *aggravavit viam maris trans Jordanem Galilæam Gentium. Populus ambulantium* (vel ambulantes) *in tenebris viderunt lucem magnam, ſedentibus in terra umbræ mortis lux ſplenduit* (id eſt ſplendebit) *ſuper ipſis.* Jam quod ad ſenſum attinet, hic a doctiſſimis quibuſdam (1) interpretibus traditur. Comminatus fuerat propheta in præcedentibus populo Judæ atque in primis civitati Hieroſolymitanæ graviſſimam afflictionem, quæ nimirum eventura erat per Sennacheribum Aſſyriorum Regem. Jam his verbis nonnihil eam mitigat, ſubjecta conſolatione de futuro Dei auxilio ac certa ſpe liberationis, q. d. Caligo, hoc eſt, calamitas, quam Hieroſolymitanæ urbi eventuram dixi, erit quidem magna; ſed tamen non erit illi par, quæ Iſraëlem, hoc eſt, decem tribuum populum leviter quidem primum afflixit, poſtea vero affliget graviter. Leviter afflixit, cum Zabulon, Naphthali, & Galilæa a Teglath Phalaſſar Aſſyrio in captivitatem fuit abducta, ut eſt lib. 4. Regum 15. 29. Graviter autem cum reliquę tribus a Salmanaſſar in Aſſyriam abductæ ſunt, qua de re habetur eodem libro cap. 17. Verba illa *via maris trans Iordanem* &c. referenda eſſe videntur ad priorem Iſraëlis afflictionem, qua duabus tribubus cum dimidia amiſſis illa regione,

(1) *Maſculus.*

quæ

quæ his verbis deſcribitur, Iſraëliticus populus fuit afflictus, & caligo ei calamitatum inducta. Maris nomen lacum Genezareth ſignificare videtur. Quanquam alii, qui terram decem tribuum hic deſcribi exiſtimant, mare mediterraneum intelligunt. Verba *trans Jordanem*, notant dimidiam tribum Manaſſe, quæ reſpectu Hieroſolymę trans Jordanem erat. Galilæa Gentium ideo dicitur, quia vicina Gentibus, iiſque mixta erat regio. *Populus ambulantes*, vel *ambulantium* in tenebris, ſenſu literali ſignificare videtur populum Judę & Hieroſolymę: *tenebræ* autem & *umbra mortis* vaſtationem terrę Judææ, & obſidionem Hieroſolymę per Sennacheribum. Reddit enim Propheta rationem, cur dixerit, caliginem illam, quam Judę fuerat minatus, non fore tantam, quanta Iſraëli partim jam evenerat, partim brevi erat eventura: nempe quia in hac caligine viſurus eſſet Judę populus lucem magnam, h. e. liberationem admodum illuſtrem eſſet ſenſurus. Id quod factum eſt, cum Hieruſalem ab obſidione fuit liberata per Angelum cæſo Senacheribi exercitu numeroſiſſimo. Ex his jam non eſt difficile ſenſum verborum myſticum eruere. Caligo illa calamitatum figura quædam fuit caliginis ignorantiæ divinę voluntatis & calamitoſiſſimi ſtatus hominum in illa ignorantia verſantium; & contra, lux auxilii divini ſeu liberationis, quæ olim in tanto periculo ac calamitate conſtitutis affulſit, typus quidam fuit lucis doctrinæ cœleſtis ac cognitionis rerum divinarum, quæ per Chriſtum orbi fuit illata, ac ſimul felicitatis, quam veritatis lux miſeris mortalibus afferebat. Illa caligo omnino erat umbra mortis; hæc lux vere eſt vitæ ſplendor. Verum illud inter literalem & myſticum ſenſum intereſt, quod illo ſenſu lux iſta non videtur referri ad terram Zabulon, & terram Nephtalim, viam maris trans Jordanem, & Galilæam gentium; ſed ad Judam atque Hieroſolymam. Illarum autem terrarum fit mentio comparationis gratia: ut nimirum diſcrimen appareat calamitatis, quæ illis terris aut jam evenerat, aut non multo poſt eventura erat, & illius, quæ Judę atque Hieroſolymę immineret. Sed ſenſu myſtico his ipſis terris tanta lux promittitur. Et ſane verba Hebræa ita per ſe ſunt comparata, ut ſenſum hunc ferant: quandoquidem cum calamitatis facta eſſet mentio, quę iſtis terris antea incubuiſſet, ac poſtmodum incubitura eſſet, eaque caliginis nomine fuiſſet deſcripta: recte per populum hunc ſedentem in tenebris, atque in regione umbræ mortis populus iſtarum terrarum intelligi poteſt. *Viam maris* h. e. verſus mare, ſeu qua ad mare itur. Videtur autem, ut antea jam indicavimus, intelligi mare, ſeu lacus Genezareth. Neque enim obſcura eſt relatio inter hæc verba & illa ℣. 13, ubi Capernaum appellavit παραθαλασσίαν, ſeu ad mare ſitam. Sita autem fuit non ad mare mediterraneum, ſed ad lacum illum ſæpius dictum.

*Trans Iordanem.* Illi qui hoc per appoſitionem præcedentibus annexum eſſe putant, idque ad terram Zabulonis & Nephtalim verſus mare ſitam referunt, rationem hic excogitare coguntur, qua regio illa dicatur eſſe trans Jordanem. Etenim Chorographia clariſſime docet, regionem illam reſpectu Hieroſolymæ, terræque Judææ cis Jordanem eſſe ſitam. Credibile autem eſt, prophetam, cum iſta ſcriberet, reſpectu Hieroſolymę, ubi verſabatur, terræque Judææ regionis illius, quam deſcribit, ſitum deſignaſſe. Quare multi ex viris eruditis exiſtimant, particulam *trans*, non ſatis proprie hic accipi, ſed ſignificare locum quemvis circa aut juxta fluvium ſive in citeriori, ſive in ulteriori ripa ſit ſitus: quia nimirum utraque ripa, quanquam diverſo reſpectu, ſimul ſit & citerior & ulterior. Et hanc quidem particulę hujus ſignificationem etiam aliis in locis apud euangeliſtas extare volunt, atque inter alia Johannis 1. 28. Quandoquidem Johannes in deſerto Judææ baptizabat, ac proinde non ultra, ſed citra Jordanem reſpectu habito ad Hieroſolymam terramque Judæam. Poteſt addi etiam locus Num. 32. 19, ubi in eodem ſermone a Rubenitis & Gaditis trans Jordanem nunc illa appellatur regio, quæ illis tum temporis in deſerto adhuc verſantibus erat ultra fluvium, nunc illa, quæ cis fluvium. Et hæc quidem ſententia non eſt a vero aliena. Sed nil videtur prohibere, quominus particulam hanc proprie accipiamus, & intelligamus terram dimidię tribus Manaſſis ultra Jordanem reſpectu Judææ ſitam. Etenim cum inter ipſam & Capernaum fluvius tantum intereſſet, fieri non potuit, quin Chriſtus Solis inſtar illic exortus radios ſuæ lucis in illas, quæ trans Jordanem eſſent, partes vicinas ſpargeret.

Verſ. 16. *In regione & umbra mortis.* Hic eſt בארץ וצלמות, in Hebræo enim eſt *in regione umbræ mortis.* h. e. in regione, quam umbra vel potius tenebrę denſiſſimę ac funeſtiſſimę occuparunt. Etenim umbra mortis apud Hebræos ſumi videtur pro denſis tenebris, vel ſaltem opacitate & obſcuritate horrorem mortis incutiente. Quanquam hæc umbra (vel tenebræ potius) quæ hoc loco intelligitur, vere poterat dici umbra mortis, propterea quod mortem eamque æternam hominibus afferret.

Verſ. 17. *Ab hoc tempore cœpit Ieſus prædicare.* Quomodo hoc ſit intelligendum, ex iis patet, quę ſupra dicta ſunt ℣. 12, cum cauſam expoſuimus, ob quam tres primi euangeliſtæ omiſerint narrationem rerum inter reditum Chriſti ex deſerto, & hunc in Galilæam diſceſſum geſtarum. Oſtenſum enim eſt, Chriſtum etiam antehac in Judæa prædicaſſe. Sed hic de pleniori quodam & magis illuſtri prædicationis Chriſti initio ſermo eſt, poſtquam nimirum curſum ſuum prodromus ipſius abſolvit. De illis verbis: *Reſipiſcite; appropinquavit enim regnum cœlorum*, dictum jam eſt ſupra cap. 3. 2.

Verſ. 18. *Ambulans autem juxta mare Galilææ.* Diximus jam antea hic incipere ſecundam particulam membri ſecundi hujus capitis, inque ea agi de vocatione quorundam diſcipulorum ad munus Apoſtolatus: quanquam ita, ut juberentur Chriſtum aſſectari, ejuſque lateri veluti adhærere, quo ad munus illud obeundum præpararentur, & Magiſtro illorum opera uti volenti veluti ad manum eſſent. Satis autem intelligitur ex cap. 1 Joannis, non tum primum, cum in Galilæam rediiſſet Chriſtus, Johanne in carcerem conjecto, viros illos, quos hic ſequi ſe jubet Chriſtus, fidem in ipſum collocare cœpiſſe; quandoquidem Johannes aperte oſtendit Simonem, qui a Chriſto fuit appellatus Cephas, ſeu Petrus, & Andream fratrem ipſius in ipſum credidiſſe, Johanne adhuc publice docente ac baptizante: & Andream quidem inter primos permotum teſtimonio Johannis, quod præſenti Chriſto prębuit, eumque poſtea Simoni fratri dixiſſe: *invenimus Meſſiam*, eumque ad Chriſtum adduxiſſe, a quo nomen protinus novum futuri Apoſtolatus dignitatiſque omen acceperit. Quin & illud ex ejuſdem

Johannis Apoſtoli dictis intelligitur, Andream ac Petrum ab eo jam tempore, una cum aliis quibuſdam diſcipulis Chriſtum aſſectari cœpiſſe. Cum ergo hoc loco a Matthæo cap. 1. 17 & ſeqq. referatur, uti & a Marco, eos poſtmodum demum, cum rete jacerent in mare, fuiſſe a Chriſto juſſos, ut ſe ſequerentur, apparet eos poſt primam illam Chriſti notitiam & fidei in ipſum collocatæ initium ad ſuos rediiſſe, & conſueto operi ſeu victus quærendi rationi vacaſſe, nec ſemper Chriſto adhęſiſſe, & cum quacunque euntem fuiſſe ſectatos; ſed poſtea demum, cum ita, ut hic legimus, eſſent ab ipſo nominatim vocati, & juſſi, uti ipſum ſequerentur.

Illud autem dubitari hoc loco poteſt, utrum eadem ſit hæc hiſtoria cum illa, quam Lucas deſcribit initio capitis 5, ubi dicitur, Petrum ejuſque ſocios, Iacobum & Johannem, permotos illa miraculoſa piſcium captura, quam Domino jubente fecerant, relictis omnibus Dominum fuiſſe ſecutos, præſertim cum dictum eſſet Simoni a Chriſto, fore, ut ab eo tempore homines caperet: quo pacto hic a Matthæo ſcribitur dixiſſe Chriſtum Petro & ipſius fratri, ſe facturum eos piſcatores hominum. Cauſa autem cur dubitari queat, utrum eadem utrobique ſit hiſtoria, hæc eſt, quod inter alia hic dicatur, Chriſtum ambulaſſe tum temporis juxta mare Galilææ, & vidiſſe Simonem & Andream jacientes rete in mare. At apud Lucam dicitur, Chriſtum conſcendiſſe navem Simonis, & ex ea populum docuiſſe, ac ſermone ſuo finito juſſiſſe Simonem in altum navem propellere, ac rete in mare jacere, & ſtatim poſt captam magnam piſcium multitudinem, Petro obſtupefacto ac perterrito dixiſſe, ne metueret, ab eo enim tempore eum homines capturum. Deinde a Matthæo dicitur, Chriſtum paululum inde progreſſum vidiſſe Jacobum & Johannem in navi cum Zebedæo patre ſuo reficientes retia eoſque vocaſſe, illos autem vocatos ſtatim paruiſſe. Verum hujus rei nullum extat in illa Lucæ hiſtoria indicium: quin potius exiſtimare quiſpiam ex Lucæ verbis non injuria poſſit, eos, cum in Petri navem aſcendiſſent, & eum in piſcibus capiendis juviſſent, protinus Chriſtum nemine hortante fuiſſe una cum Petro ſecutos. Illud non commemoro, quod apud Matthæum expreſſa fiat Andreæ mentio, apud Lucam nulla. Etenim credibile eſt, Andream fratri adfuiſſe, tanquam vitæ totius laborumque ſocium, licet id Lucas non commemoret. Sed priores duæ rationes majoris ſunt momenti, cæque doctiſſimos quoſdam interpretes moverunt, ut omnino diverſam hanc ab illa hiſtoriam eſſe ſtatuerent, nec eodem tempore eodemve die illa contigiſſe cenſerent; ſed diverſo. Et prius quidem id contigiſſe, quod a Luca ſcribitur; deinde id, quod a Matthæo: illic nondum vocaſſe Chriſtum diſcipulos illos, aut ut ſe ſequerentur juſſiſſe, ſed tamen Petro, & in ipſius perſona cæteris quoque ipſius ſociis a Luca commemoratis indicaſſe ac prædixiſſe, quid mox futurum eſſet; hic vero eos reipſa vocaſſe, & individuos ſibi comites in poſterum eſſe voluiſſe. Illic quidem dici eos omnia reliquiſſe, h. e. navem, piſces, retia, & Chriſtum ſequutos, ſed poſtea tamen ad opificium ſuum reverſos, donec illi valedicere aperte juberentur. Non ſpernenda quidem videtur hæc ſententia; ſed ſunt tamen etiam, quæ in contrarium pugnent. Quod ut rectius intelligatur, illud primum ponimus, de quo inter omnes convenit, id, quod a Luca narratur, non fuiſſe poſterius eo, quod hoc loco refertur a Matthæo. Etenim tum, cum illa fierent, quæ Lucas ſcribit, ſatis apparet Petrum, itemque Jacobum ac Johannem Zebedæi filios piſcatores adhuc fuiſſe, & conſueto ſuo operi vacaſſe, nec ſuis navibus retibuſque valedixiſſe. Id autem ab iis factum eſt, poſtquam fuerunt a Chriſto, ut Matthæus refert, vocati, nec cuiquam fit veriſimile, illos ab eo tempore priſtino opificio ita vacaſſe, ut victum inde ſolito more quærerent. Quanquam interdum eos veluti ſucciſivo tempore piſcatos fuiſſe negare nolimus, cum ejus rei videantur in ipſa hiſtoria Euangelica quædam extare indicia. Deinde, ſi Petrus jam fuiſſet a Chriſto in numerum familiarium ipſius diſcipulorum allectus, eique fuiſſet dictum a Chriſto, conſtitutum eum iri ab ipſo piſcatorem hominum, veriſimile non eſt, eum poſtea capta tanta multitudine piſcium dicturum fuiſſe Chriſto: *Egredere a me, quia vir peccator ſum, Domine.* Hæc enim verba non ſunt hominis Chriſto jam familiaris, & ſcientis, ſe in eum finem jam a Chriſto eſſe aſcitum, ut hominum eſſet piſcator, h. e. Euangelii prædicatione homines ad Chriſtum fidemque ejus amplectendam adduceret. Neque etiam cauſa videtur fuiſſe, cur Chriſtus ei diceret, metum illi exemturus: *ab hoc tempore homines capies:* ſi quidem id jam antea illi ſat aperte dixiſſet, & hac ſpe eum ad ſe ſequendum impuliſſet. Quare illud tantum quærendum reſtat, utrum id, quod Lucas refert, ita fuerit antegreſſum, ut non eodem die contigerit, quo evenerunt illa, quæ Matthæus hic narrat. Non antegreſſum autem fuiſſe inde videtur apparere, quod a Luca dicitur, Petrum, ejuſque ſocios, Jacobum nimirum & Johannem, cum deduxiſſent in terram naves, relictis omnibus, eum fuiſſe ſecutos. Quorſum enim eos Chriſtus poſtea demum vocaret, ut ſe ſequerentur, cum jam relictis omnibus eum ſęcuti eſſent? Neque vero credibile eſt, eos ita reliquiſſe & naves, & piſces, & retia, quæ *omnium* nomine ſignificari interptetes illi fatentur, cum quibus nunc res eſt, ut eadem poſtea reuerſi uſitato ſibi more tractarent & huic ſuo opificio vacarent. Nihil enim eximium aut ſingulare illis Lucas hac ratione tribueret; quod tamen cum facere ſatis conſtat. Quo accedit, quod, cum Lucas alibi non referat, quomodo illi diſcipuli, priſtino vitæ genere atque opificio relicto, fuerint ſecuti, omnino credibile eſt, eum id his verbis fuiſſe complexum, cum non ſit probabile, eum hanc rem penitus tacere voluiſſe. Præterea verba illa Chriſti *Petro* dicta, *a nunc*, vel, *ab hoc tempore homines capies*, omnino ſignificare videntur, ab eo ſtatim tempore Petrum in eorum fore numero, quibus Euangelii prædicandi munus eſſet commendatum; ita ut ſignificet Chriſtus, velle ſe, ut relicto piſces capiendi labore ad laborem capiendi homines ſeſe accingat, h. e. opificio illo ſuo relicto, ipſum aſſectetur, ut ita ad Euangelii prædicationem præparetur. Certe verba apud Matthæum extantia non ita ſunt comparata, ut ſignificent ſtatim eos futuros hominum piſcatores, quemadmodum verba apud Lucam indicare videntur: cum nulla expreſſa temporis, quo id futurum ſit, apud Matthęum fiat memtio. Accedit & illud, quod Chriſtus hoc tempore jam plenis, ut ita dicam, velis muneris ſui curſum eſſet ingreſſus, & ingens hominum multitudo ad eum audiendum accurreret, ut plane veriſimile ſit, eum jam tum voluiſſe habere aſſeclas, qui perpetuo ipſi adeſſent, & quibus paulo poſt uti ad Euangelii prędicationem poſſet, quique poſtmodum teſtes eſſent omnium eorum, quę ab ipſo toto hoc muneris illius tempore

dicta

dicta factaque essent. Inter hos autem primus certe erat Petrus, una cum fratre ac duobus sociis, Jacobo & Johanne. Taceo, quod hoc ipso miraculo, quod Lucas narrat, Petrum inprimis ejusque socios, qui ejusdem miraculi spectatores, oculatique testes fuerunt, Christus promovere voluisse videtur, ut se vocantem absque mora sequeretur, & spem conciperet, fore, ut qui Christi jussu tantam piscium multitudinem cepisset, eadem felicitate in capiendis hominibus uteretur. Cum ergo ita animi horum discipulorum essent præparati, & ad quidvis Christo jubente faciendum accensi, probabile non est, Christum eorum vocationem diutius differre voluisse. Fatemur quidem, has rationes non ita cogere, ut ita nullo pacto liceat statuere, aliquem temporis tractum inter hanc illamve historiam intervenisse: ejus tamen sunt ponderis, ut, si rationibus in contrarium allatis satis fieri possit, dubitandum non sit, eodem tempore illa, quę a Matthæo & Luca referuntur, contigisse, & quę ab alterutro sint omissa, ex altero veluti supplenda esse. Et videtur quidem Matthæus initium ac finem totius rei clarius pleniusve expressisse; Lucas id, quod medio veluti tempore intervenerit. Ita enim nostro quidem judicio res videtur gesta: Descendit Christus ad littus maris seu lacus, atque ibi vidit duos illos fratres Simonem & Andream jacientes rete in mare, atque eo jam tempore constituit eos vocare. Interea confluente populo, eumque urgente verbi divini audiendi gratia, videntur & ipsi illi duo fratres, navibus ad ripam appulsis, descendisse, ut abluerent retia, quemadmodum Lucas scribit. Inde Christus, urgenti populo cedens, & commodiorem ad eos concionandi locum quærens, ingressus est navem Simonis, quam credibile est habuisse cum fratre communem, cumque jam concionem absolvisset ad populum, jussit eum in altum propulsa nave retia in mare jacere: unde consecuta sunt ea, quæ porro apud Lucam leguntur usque ad finem ỳ. 10. Eo ipso autem cum dixit Simoni, *a nunc homines capies*, complexus est id, quod apud Matthæum extat ỳ. 19: *& faciam vos piscatores hominum*. Nam etsi apud Lucam solum Petrum allocutus fuisse scribatur; apud Matthæum autem non Petrum tantum, sed & Andream: intelligi tamen potest id, quod Christus Petro dixit, etiam fratri dictum voluisse, præsertim si, ut credibile est, utrique statim dixit, ut sese sequerentur. Non enim dubitare potuit Andreas, quin Simonem fratrem suum vellet sequi, eadem & se vocari. Quanquam nihil prohibet, quippiam adhuc addidisse Christum, unde manifeste constaret Andreæ, se quoque ad hominum, ut ita dicam, piscatum, seu capturam acciri. Hæc cum Christus Petro atque Andreæ diceret, fieri facile potuit, ut Jacobus & Johannes ad naviculam Patris sui Zebedæi non longe inde distantem regrederentur, ut ita Christus paululum inde cum Petro & Andrea progressus illos quoque nominatim vocaret: unde consecutum est id, quod Lucas scribit, ut relictis omnibus Christum sequerentur. His autem animadversis, satisfieri objectionibus illis facile potest, quæ sunt in contrarium allatę.

Vers. 19. *Et faciam vos.* q. d. Nam faciam vos. Causa enim redditur, cur illos se velit sequi, quemque inde fructum sint relaturi. Sensus autem & per se facilis est & a nobis in præcedentibus indicatus.

Vers. 23. *Et circumivit totam Galilæam.* Tertia hæc est secundi membri hujus capitis particula, cujus summa jam supra est indicata ỳ. 12.

*Prædicans Euangelium Regni.* Regni est Genitivus objecti. *Euangelium regni*, hoc est lætum illum nuncium de Regno cœlorum, & beatissimo illo ac gloriosissimo statu quo in cœlis aliquando pii sunt potituri; qui quidem status Regni nomine simpliciter designatur per ἐξοχήν seu excellentiam. Καὶ θεραπεύων pro ἰώων curans, pro sanans, θεραπεύειν enim Medicorum est, & remediis utentium ad sanandum.

*Omnem morbum.* h. e. quemvis morbum sibi oblatum.

Vers. 24. *Et abut auditus ipsius.* Id est fama de ipso.

*In totam Syriam.* nempe vicinam illi, ubi tum versabatur, loco, comprehensis hoc nomine, ut videtur, illis quoque regionibus, quæ versu sequenti 25 comprehenduntur.

*Lunaticos.* h. e. quorum morbi & paroxysmi Lunę incrementa aut decrementa sequuntur, sive insania illa sit, sive epilepsia, & cum ea conjuncta quædam vis Dæmonis, ex quo genere fuit ille puer, de quo infra cap. 17. 15. Lucæ 9. 38 & seqq.

Vers. 25. *Decapoleos.* Regio hic designatur Galilææ dicta a decem urbibus in ea sitis, proxima gentibus, de qua videatur Plinius lib. 5. cap. 18.

*Et Hierosolymis & Judæa.* Hierosolyma propter excellentiam nominatim ponitur, & è reliqua Judæa veluti eximitur. Itaque Judææ nomine reliqua præter Hierosolymam Judææ regio intelligenda est. Idem fit Lucę 6. 17, ubi Judææ nomen præmittitur, & Joh. 3. 22, ubi cum narratum fuisset, quid Hierosolymis egerit Christus, dicitur, eum postmodum una cum Apostolis venisse in Judæam terram, hoc est, reliquum Judææ territorium.

*Et trans Iordanem.* h. e. è regione, quæ trans Jordanem sita est, respectu Judææ, & Hierosolymę, quæ ideo Peræa fuit dicta. Græce subauditur articulus, imo & nomen: q. d. καὶ τῆς πέραν τ' Ἰορδάνου χώρας.

## CAP. V.

### *ARGUMENTUM.*

*In hoc & duobus sequentibus Capitibus continetur insignis Christi concio ad discipulos aliquando, audiente tamen populo, habita, qua ipsorum mores format. h. e. & varia pietatis officia, tum generatim, tum speciatim illis præscribit, & ad ea summo studio exequenda hortatur. Totam autem concionem ad certa quædam membra & quidem pauca revocare non ita facile est, nisi forte ab ordine, quo ea sunt descripta, recedere velis, præsertim si habeatur ratio eorum, quæ cap. 7 proponuntur. Quare satis erit singulorum capitum distributionem proponere. Et caput quidem hoc quintum, quod non immerito inter tria primas tenet, ad tria membra revocari non incommode potest. In primo varias virtutes commendat Christus, dum in eis certam ad supremam felicitatem perveniendi viam sitam esse docet, usque ad finem vers. 12. In altero, quod a vers. 13 extenditur usque ad vers. 24, generales quasdam rationes ac causas exponit, quibus discipulos suos ad illarum virtutum, omnisque adeo pietatis studium excitat, & objectionibus quibusdam eorumve tacitis*

cogita-

*cogitationibus occurrens ad id, quod tertio loco ſibi expediendum propoſuit, viam ſibi ſternit. Id autem eſt, ut legis quædam præcepta perficiat, ita quidem, ut doceat, plura ſe nunc aut præcipere, aut prohibere, quam lex aut præceperit, aut prohibuerit, & nonnulla ſuis diſcipulis omnino eſſe vitanda, quæ lex Moſaica ſatis aperte permiſerit. Et hac in re tertium hujus capitis membrum conſumitur, quod a verſ. 21 uſque ad finem capitis extenditur.*

Verſ. 1. *Videns autem turbas.* Antequam ſingula hujus capitis verba explicemus, primo omnium quærendum, utrum eadem hic hiſtoria ac concio deſcribatur cum ea, quam Lucas cap. 6 refert. Etenim res difficultate nequaquam caret, unde & magna eſt de ea inter interpretes diſſenſio. Et tamen non parum videtur referre ad ipſorum Chriſti verborum intelligentiam, ut aliquid hac de re certi conſtet. Nam ſi eadem utrobique eſt concio, alterius Euangeliſtæ verba ex altero erunt interpretanda: & licet diverſam videantur continere ſententiam, inunda tamen erit ratio, qua non modo inter ſe concilientur, ſed eandem quoque revera ſententiam illis ſubeſſe oſtendatur. Quodſi diverſa ſit concio, liberior quodammodo erit verborum utriuſque ſcriptoris interpretatio, & cum verba diverſam videntur continere ſententiam, non erit tantopere laborandum, ut eandem illis ſubeſſe oſtendatur; modo verum utrorumque ſenſum eſſe conſtet. Cauſæ autem, cur dubitari hac de re poſſit, in utramque partem plures ſunt. Cur eadem utrobique concio eſſe videatur, primum eſt, rerum ipſarum ſimilitudo ac multiplex convenientia, quemadmodum cuivis patet, qui utramque concionem inter ſe conferre voluerit, & ex ipſa explicatione ſingularum hujus concionis partium poſtmodum patebit. Quo accedit, quod utrobique Chriſtus a beatitudinibus, ut vulgo loquuntur, incipit, utrobique etiam eodem modo, ſeu eadem plane ſententia concionem finit, dum oſtendit, eum, qui ſermones hos ipſius obſervet, ſimilem eſſe homini domum ſuam ædificanti ſuper petram; eum vero qui non obſervet, ſimilem eſſe illi, qui ſuper arena, aut ſuper terra abſque fundamento domum conſtruat. Deinde circumſtantiæ etiam quædam congruunt; partim quidem, quod utrobique dicatur Chriſtus ad diſcipulos ſermonem hunc habuiſſe, non ad populum, quanquam utrobique etiam ſignificatur, populum quoque hanc orationem audiviſſe, quem credibile eſt, Chriſto diſcipulis concionante, etiam acceſſiſſe, ut & ipſe ejus doctrinæ particeps fieri poſſet; partim vero, quod a Matthæo narratur, Chriſtum poſtea ingreſſum Capernaumum & Centurionis ſervum ſanaſſe abſentem, & quædam ea occaſione dixiſſe, quæ eadem a Luca referuntur ſtatim poſt concionem, quam cap. 6 deſcripſit. Videatur cap. 7 initium, & conferatur cum Matth. 8. 5 & ſeqq. Sed in contrarium etiam haud leves pugnant rationes, ſive rerum ipſarum, h. e. ipſius concionis ac ſententiarum in ea comprehenſarum, ſive circumſtantiarum habeas rationem. Nam quod ad rem ipſam ſeu doctrinarum capita attinet, non modo multa ſunt a Luca omiſſa, quæ apud Matthæum habentur, quæ minime videretur fuiſſe præteriturus, ſi eandem cum Matthæo concionem deſcribere voluiſſet, majorem nimirum illorum partem, quæ Chriſtus legem Moſaicam completurus hoc cap. 5 Matthæi diſſeruit, & ea omnia, quæ capite 6 habentur, ut alia nonnulla nunc taceam: ſed etiam quædam, in quibus convenire videntur, ita ſunt ab utroque expreſſa, ut ſatis appareat, aliam eſſe verborum hujus Scriptoris, aliam alterius ſententiam, quemadmodum in explicatione beatitudinum ſtatim apparebit. Ne de illo nunc quicquam dicam, quod Matthæus nonnulla omiſerit a Luca dicta: hæc enim res minoris eſt momenti.

Jam quod ad circumſtantias attinet, locus ac tempus utriuſque concionis non parum diſcrepare videntur. Ad locum quod attinet, Matthæus dicit Chriſtum in monte habuiſſe illam concionem hujus ipſius capitis initio. Unde infra cap. 8 initio abſoluta hac oratione dicitur de monte deſcendiſſe, eumque magnam hominum multitudinem fuiſſe ſecutam. Lucas autem ſignificat. Chriſtum cum è monte deſcendiſſet & in loco campeſtri conſtitiſſet, concionem a ſe deſcriptam habuiſſe. Vide cap. 6. 17 ſeqq. Quod ad tempus attinet, videtur ex ſerie rerum geſtarum conſtare, concionem a Matthæo deſcriptam præceſſiſſe, ſecutam aliquanto poſt eam, quam deſcribit Lucas. Cujus rei duo videntur eſſe indicia. Alterum eſt, quod hæc concio apud Matthæum fuerit habita ante ſanatum leproſum, ut conſtat ex initio cap. 8. At ſi ſeriem rerum a Luca deſcriptarum attendas, leproſus ille haud paulo ante fuit a Chriſto ſanatus, quam haberetur concio ab ipſo deſcripta. Etenim hiſtoriam ſanati leproſi refert cap. 5, ſtatim poſt miraculoſam illam piſcium capturam, qua peracta Simon cum ſociis Chriſtum dicitur fuiſſe ſecutus, & poſtea non paucis aliis interjectis ſecunda cap. 6 parte ſubjicitur a Luca concio Chriſti, de qua nunc agimus. Neque autem eſt credibile, tam longe Lucam a rerum geſtarum ordine diſceſſiſſe, præſertim cum ipſius verba videantur omnino ſignificare ea, quæ poſt hiſtoriam ſanati leproſi ſubjicit, tempore etiam fuiſſe poſteriora. Quo accedit, quod, ſi conferas Lucam cum Matthæo, admodum videatur congruere, ut hæc Chriſti concio, quam Matthæus deſcribit, cenſeatur interceſſiſſe inter hiſtoriam capturæ piſcium miraculoſæ, & vocationis Apoſtolorum, qui capturæ illi interfuerant, & hiſtoriam ſanati leproſi a Luca dicto loco narratam. Nam alia etiam non pauca congruunt inter ſeſe, quæ ab utroque Euangeliſta ſubjiciuntur. A Luca enim ſubjicitur poſtea hiſtoria ſanati paralytici, quæ apud Matthæum habetur infra cap. 9, tum vocatio Levi ſeu Matthæi, & diſputatio cum Phariſæis, partim indignantibus, quod cum publicanis & peccatoribus cibum caperet, partim cauſam poſtulantibus, cur Chriſti diſcipuli jejunare non ſolerent, de qua itidem eſt infra cap. 9, ut alia jam præteream, in quibus Lucæ cum Marco convenit. Deinde illud non leve eſt diſcrepantiæ, habita ratione temporis, indicium, quod Matthæus hanc concionem ita refert, ut appareat, eam habitam eſſe antequam ipſe a Chriſto vocaretur & eum ſequi juberetur. Neque enim credibile eſt, ſi ſecuta fuiſſet hæc concio ipſius vocationem, eum prius concionem illam fuiſſe relaturum, quam ſuam vocationem, & quidem aliis etiam rebus interjectis. Atqui ex Luca conſtat, cum concio ab ipſo deſcripta a Chriſto haberetur, Matthæum jam fuiſſe vocatum, & in duodecim numerum allectum. Scribit enim Chriſtum, cum pridie in montem abiiſſet oraturn, & totam noctem in precatione exegiſſet,

exegiſſet, poſtquam dies illuxiſſet, advocaſſe diſcipulos ſuos, & elegiſſe ex eorum numero duodecim quos & Apoſtolos appellaverit, quorum nomina cum recenſuiſſet, addit Chriſtum deſcendiſſe cum illis, nempe è monte, ac conſtitiſſe in loco campeſtri, & poſtea demum, nonnullis adhuc interjectis, refert Chriſtum ſublatis in diſcipulos oculis concionem illam habuiſſe. Hæc ratio quomodo ſolvi poſſit non cernimus. Neque enim illud urgemus, quod nonnulli afferunt, Matthæum decimo demum capite referre, quomodo Chriſtus duodecim diſcipulos, quorum illic nomina recenſet, ad ſeſe vocaverit. Ad hoc enim ab aliis recte reſpondetur, aliam eſſe illam vocationem, quam Matthæus cap. 10 deſcribit, aliam, quam Lucas cap. 6, hanc anteceſſiſſe, illam fuiſſe ſecutam. In illa enim a Luca deſcripta. Chriſtum è diſcipulorum ſuorum omnium numero elegiſſe ac ſevocaſſe duodecim, ut ſecum eſſent, hoc eſt ab ipſius latere jam nunquam amplius diſcederent, niſi ab ipſo miſſi, & ut eos poſtea ad prædicandum euangelium ablegaret: In hac autem, quam Matthæus deſcribit, eos, cum jam ante eſſent è cæterorum diſcipulorum turba ſelecti, ad munus Apoſtolicum in eum tantum finem fuiſſe advocatos, ut & poteſtate miracula edendi, & mandatis a Domino inſtructi mitterentur jam ad Euangelium prædicandum, & muneris ſui veluti tyrocinia deponenda. Non ergo hoc, ut diximus, nos urgemus, ſed aliud, quod iſta ratione conciliari nequit. Quare etiamſi nulla alia ſuppeteret ratio, qua oſtenderetur, diverſam eſſe, habita ſaltem ratione temporis, concionem a Matthæo & a Luca deſcriptam, hæc una nobis ſufficeret. Quanquam & cæteræ quas attulimus, quomodo commode ſolvi poſſint, non videmus. Et de rerum quidem ipſarum ac ſententiarum diverſitate in ipſius concionis explicatione agetur. Quod autem attinet ad loci diverſitatem, reſpondetur quidem a nonnullis, Chriſtum primum, ut Lucas ſcribit, aſcendiſſe in montem orandi cauſa, & cum in precibus pernoctaſſet, mane ad ſe vocaſſe duodecim diſcipulos. Hoc facto cum illis in campeſtrem locum deſcendiſſe, & miracula illic edidiſſe, inde denuo regreſſum in montem, & ibi, ut Matthæus refert, concionem ad diſcipulos habuiſſe, licet ea Lucas non commemoret, quia rem tantum rei voluerit connectere, non locum loco. Sed hoc parum veriſimiliter dicitur: quandoquidem verba Lucæ omnino præ ſe ferunt, eo in loco, quem antea tam diligenter deſcripſerat, habitam etiam illam Chriſti orationem. Certe nemo eſt, qui verba Lucæ legens non ſtatim in eam ſententiam veniat, eo loco habitam fuiſſe illam Chriſti concionem, quam antea tam diligenter deſcripſerat Euangeliſta. Quod ut melius adhuc animadvertatur, obſervandum eſt, velle eos interpretes, qui ita reſpondent, Chriſtum ut turbam fugeret, & diſcipulos ſuos ſolos alloqueretur, in montem iterum ſeceſſiſſe. Atqui id nequaquam credibile eſt, partim quidem quod ſatis ex initio cap. 7 apparet, Chriſtum audiente populo hanc concionem habuiſſe, licet ad diſcipulos ſermonem revera direxerit; partim vero quod Lucas verſ. 17 cap. 6, dicit turbam illam veniſſe, ut ipſum audiret, & ſanaretur a morbis ſuis. Hoc poſterius quomodo conſecutum fuerit, narrat ſtatim ℣ſ. 18 & 19; prius autem non niſi tum, cum concionem a Chriſto habitam deſcribit uſque ad initium cap. ſeqq. Quare non eſt credibile, Chriſtum turbam tunc fugiſſe, &, ut diſcipulis ſuis concionaretur, in montem ſeceſſiſſe; ſed ad diſcipulos turba audiente verba feciſſe, ubi & ipſum, & una turbam diſcipulorum, & multitudinem populi conſtitiſſe Lucas dixerat. Quod vero nihilominus tanta ſit plurimis in rebus inter utramque concionem ſimilitudo, id non demonſtrat eodem tempore utramque fuiſſe habitam. Quam ſæpe enim accidit, ut, qui alios docent, eadem diverſo tempore iiſdem proponant atque inculcent, præſertim cum rei ipſius aut difficultas, aut alia quædam neceſſitas poſtulat, ut, quod ſemel dictum fuerat, ſæpius repetatur. Concionatoribus ſane ſæpe id accidit. Et ne aliunde potius quam ex ſacris literis petamus exempla, ſi quis librum Deuteronomii legerit, videbit, non modo multa repeti a Moſe, quæ alibi, atque inprimis in Exodo dixerat; ſed in eodem quoque libro ea, quæ dicta jam fuerant ſuperius, verbis licet ex parte mutatis, inculcari. Paulus etiam ad Timotheum & Titum ſcribens, prope eadem habet de Epiſcoporum ſeu preſbyterorum requiſitis. Idem etiam, quæ exprimit Epiſtolæ ad Romanos argumentum, ita tractat in Epiſtola ad Galatas, ut hæc illius compendium dici queat. Quemadmodum & Epiſtola ad Coloſſenſes valde ſimilis eſt illi, quam ad Epheſios ſcripſit. Interim tamen negare nolumus, Matthæum etiam illam concionem a Luca deſcriptam, licet diverſo tempore habitam, huic Chriſti concioni quodammodo inſerere voluiſſe, & quædam, quæ in monte dicta non fuerant, velut per anticipationem huc retuliſſe, quod & ſimilia eſſent illis, quæ in monte Chriſtus dixit, & iiſdem auditoribus, hoc eſt, diſcipulis, audiente populo, alias propoſita. Nam & alibi id fieri ab ipſo videmus. Etenim cap. 10, referens dicta Chriſti Apoſtolos ad prædicandum euangelium mittentis, conjungit ea quæ Lucas diverſis in locis diverſiſque occaſionibus ab ipſo dicta narrat: ut ita nihil dicere prohibeat, eandem quodammodo apud Matthæum & Lucam concionem deſcribi, & diverſam. *Videns autem turbas.* In quibuſdam exemplaribus additur nomen *Jeſus*; quanquam id, licet abſit, intelligi a lectoribus facile poteſt. Turbas autem intelligit eas, quarum facta fuerat mentio ſub finem cap. præcedentis. Itaque articulus voci ὄχλους in Græco præfixus eſt ἀναφορικὸς. *Adſcendit in montem.* Græce præfixus eſt nomini ὄρος articulus, qui videtur vim habere δείξεως, quaſi dictum eſſet, in montem quendam, quod etiam alibi accidit, ut infra cap. 8. ℣ſ. 4, πρὸς ἱερεῖ. Et 18. ℣ſ. 17, ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης; & Apocal. 3. ℣ſ. 17, ὁ πολαίπωρος; & cap. 12 ℣ſ. 14, τῆς ἐρήμου τῆ μεγάλη. Niſi forte velis montem certum tum temporis notum intelligi: quo pacto articulus erit διακριτικὸς, ad rem certam animum audientis referens. Videtur autem ideo in montem aſcendiſſe, ut & è ſuperiori loco commodius diſcipulos alloqui poſſet, turba quoque ab hujus concionis fructu minime excluſa, & diſcipulos, quos nominatim alloqui volebat, ſibi ſtatim ſubſequuturos a reliqua turba aliquantulum ſegregaret. *Et ſedente ipſo.* Eum proculdubio in finem conſedit, ut concionem hanc ad diſcipulos haberet. Itaque cum loci commoditas id ferret, & aliàs docentes ſedere ſolerent, quod & ipſum feciſſe alibi legimus, in hunc ipſum finem conſedit, licet alibi ſtans, cum præſertim ex æquo loco auditores alloqueretur, non ſemel docuerit.

Verſ. 2. *Et aperto ore ſuo.* Myſterium quidem hic nullum nobis ſubeſſe videtur: ſed Hebraica loquendi

conſuetudine os aperuiſſe Chriſtus dicitur, quia orſus fuerit loqui, idque non ut unum atque alterum verbum proferret, ſed ut prolixam haberet atque inſignem concionem. Hæc enim vis hujus locutionis eſſe videtur. Quanquam interdum etiam ſignificat, aliquem poſt diuturnum ſilentium tandem aliquando, quod diu animo volverat, fuiſſe prolocutum, quemadmodum eſt ab (1) interpretibus quibuſdam annotatum, & exemplo ex Jobo petito illuſtratum Job. 3. 1, 2.

Verſ. 3. *Beati pauperes ſpiritu.* A re omnium ſuaviſſima maximeque expetenda orationem ſuam incipit. Beatitudo enim cum ſummum ſit hominis bonum, votorum noſtrorum ſummam complectitur, & propter quam revera expetimus quicquid expetimus, licet nonnunquam qua in re ſita ſit, ignoremus. Quare dum hic & in ſequentibus rationem oſtendit Chriſtus, quomodo ad eam pervenire poſſimus, doctrinam tradit hominum generi maxime utilem, maximeque neceſſariam. Sumitur autem hæc vox in ſignificatione perfecta, non vulgari illa: qua ſæpe etiam in ſacris literis beatus quiſpiam pronunciatur, quia cum illo certa aliqua in re valde bene agatur, ſeu quia ipſi quippiam contigerit, quod vehementer ſit expetendum: etiamſi id ſummam, ad quam nos Deus vocavit, felicitatem in ſe revera non complectatur. Nam ut exempla, quæ in ſacris literis V. F. extant valde multa hic prætream, referri huc debent illa Luc. 1. 45, 48 & 1. 27. Quanquam & alia ſunt loca, ubi ſpiritualis quædam beatitudo intelligitur, hoc eſt inſigne quoddam bonum ſaluti hominum æternæ ſerviens, nec tamen tam perfecta, ut hoc loco, ſignificatione. Hic enim ſermo eſt de ſummo, ad quod hominibus ex divina benignitate eſt aditus, bono: quanquam non tam re ipſa, quam ſpe certa, atque indubitato poſſeſſo, id quod ſatis docet ſubjecta explicatio, ſeu mavis confirmatio, *quia illorum eſt regnum cœlorum*, de quo paulo poſt nonnihil dicetur. Sed hæc faciliora ſunt. Illud difficilius eſt dictu, quinam intelligendi ſint per *pauperes ſpiritu*. Illi, qui eandem plane putant eſſe hanc concionem cum illa, quam Lucas deſcripſit, de vera ſeu proprie dicta paupertate hic Chriſtum loqui ſtatuere coguntur. Neque enim dubium eſt, apud Lucam pauperes proprie dictos intelligi, ut & his oppoſiti divites illi ſunt, qui opes proprie dictas poſſident. Etenim illic Chriſtus diſcipulorum ſuorum conditionem ſecundum carnem miſeram aliquot modis exprimit ac deſcribit, ut oſtendat, nihil eam ipſorum felicitati veræ obeſſe, quin potius ad eam non parum prodeſſe, q. d. Beati vos eſtis ô diſcipuli mei, licet pauperes ſitis atque egeni: nihil hæc vobis egeſtas ad felicitatem obeſt, quin potius prodeſt. Vobis enim deſtinatum eſt regnum illud Dei, ad vos ejus jus atque hæreditas ſpectat, nempe ſi in hac paupertate diſcipuli mei eſſe perrexeritis, atque ita vos geſſeritis, quemadmodum diſcipulos meos decet. Non enim tam propter ipſam paupertatem eos beatos pronunciat, quam propterea quod ſui eſſent diſcipuli. Paupertatis autem, ut diximus, mentionem facit, ut ſignificet, nihil eam ipſorum felicitati obſtare. Quare bono ſint animo, nec quicquam commoveantur hac ſua tenuitate & ſecundum carnem miſeria, ut ſe infeliciores eſſe putent divitibus, ſed potius longe ſe illis beatiores æſtiment: præſertim quia in hac paupertate expeditiores ſint ad iter illud & ingrediendum & emetiendum, quod ad cœlum ducat. Ex quibus aliqua ratione etiam ſequentia apud Lucam de fame, ſeu eſurie, itemque de fletu intelligi poſſunt, uti & ea, quæ hic opponuntur. Divites enim v. g. non tam propter ipſas divitias miſeri prædicantur, quam quod, cum divites ſint, Chriſti fieri diſcipuli nolint, nec viam tam aſperam ſalutis æternæ calcare ſuſtineant, cum interea ſe beatos exiſtiment. Itaque hanc illis felicitatis opinionem detrahit Chriſtus, & ſignificat, eos aliter quam ipſi cenſeant, miſeros eſſe. Sed non eſt neceſſe, ut eodem modo *pauperum* vocem apud Matthæum, quo apud Lucam accipiamus: ſiquidem & diverſam eſſe hanc ab illa Chriſti concionem docuimus, & ex aliis quoque in utraque concione dictis apparet, Chriſtum, licet utrobique ſimilia dicat, non tamen eadem dicere. Etenim cum Chriſtus apud Lucam ſtatim ſubjiciat, *Beatos eſſe eos, qui eſuriant nunc*, ſatis apud omnes manifeſtum eſt, eum intelligere illos, qui fame ſæpe ob defectum rerum neceſſariarum laborent; quibus opponit eos, qui ſaturati ſunt, hoc eſt eos, qui omnium rerum copia affluentes genio indulgent, & corpus ſuum cibo ac potu, & quidem delicato abunde reficiunt. Atqui cum apud Mattheum eſurientium facit mentio. em, addit vocem ejuſmodi, quæ evincit, de fame ac ſiti proprie dicta nullo modo ſermonem ſibi eſſe. Ait enim: *Beati qui eſuriunt ac ſitiunt juſtitiam.* Nam quod quidam nihilominus proprietatem verborum eſuriendi ac ſitiendi oſtendere conantur, fruſtra plane ſunt, ut ſuo loco dici poterit. Eodem ergo modo, licet utrobique pauperum fiat mentio, non eſt tamen neceſſe, ut utrobique eodem modo ſumantur: ſed quemadmodum in voce *eſuriendi* vidimus factum, ut apud Lucam proprie, apud Matthæum improprie ſumatur, ita & de paupertate ſtatuere poſſumus; neque tantum poſſumus, ſed etiam debemus. Etenim & hic Chriſtus ejuſmodi vocem pauperum nomini adjecit, quæ oſtendit, eum de proprie dictis pauperibus non loqui. Non enim pauperes ſimpliciter, ſed pauperes *ſpiritu* beatos dixit. Quod ſi de proprie dicta paupertate fuiſſet locutus, quid voce ſpiritus fuiſſet opus? Imo vero ea abeſſe deberet, quandoquidem ut divitiæ, ita & paupertas proprie dicta non ſpiritui accidit, ſed potius corpori, aut, ut ſacræ literæ loqui amant, carni. Hic autem ſermo eſt de paupertate, quæ in ſpiritu hominis locum habeat. Nam quod (1) nonnulli ajuut, ſpiritum hic ſumi pro voluntate, & Chriſtum hoc loco eos intelligere voluiſſe, qui voluntate, hoc eſt ſponte, ſeu voluntarie pauperes eſſent, id nihil eſt. Etenim quę illi exempla hujus ſignificationis adducunt, in illis ſpiritus ſimpliciter pro animo ponitur, neque unquam oſtenderint, cum quippiam dicitur ſpiritu factum, id perinde eſſe, ac ſi diceretur voluntarie: ſed illud potius hujuſmodi loquendi ratione indicatur, id, de quo ſermo eſt, ad ſpiritum, ſeu animum hominis pertinere, in eoque veluti reſidere, ſeu, quod eodem recidit, homini ratione animi ineſſe; ut ita vox *ſpiritu*, denotet partem, ſeu mavis rationem formalem, ut ſcholaſtici loquuntur, ſubjecti. Reſtat ergo ut paupertatem quandam animi hic intelligendam exiſtimemus. Ea vero duplex eſſe poteſt: altera, quæ in eo conſiſtit, ut ſive opes habeas, ſive minus, animum ab earum amore penitus abſtrahas, ita, ut nec concupiſcas, ſi non habeas; nec ſi habeas, anxie retinere ſtudeas, quin imo promtus paratuſque ſis, eas

(1) *Maldonatus.*

(1) *Maldonatus.*

Chriſti

Christi causa deserere ac profundere. Hoc enim est opes ita habere, ac si non haberes, & pauperi esse aliqua ratione similem. Itaque in voce *pauperum*, metaphora erit. Altera significatio est metonymica, ut paupertatis nomen sumatur pro eo, quod paupertatis solet esse consequens, seu effectum, hoc est pro humilitate ac demissione animi: demissos enim paupertas facit. Hanc posteriorem significationem valde verisimilem facit vox adjecta *spiritu*, quæ non semel in sacr. lit. nomini humilium subjicitur. Etenim Psal. 33. 18 dicitur: *Propinquum esse Dominum iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvare:* uti quidem interpres Græcus & Latinus habent. Nam in Hebræo est *attritos seu confractos spiritu:* & videtur etiam Propheta non tam de humilitate seu modestia, (hanc enim nomine paupertatis apud Matthæum intelligimus) quam de abjectione & afflictione animi loqui. Sed Proverb. 29. 23, locus est huc magis pertinens, ubi dicitur: *superbia hominis humiliat eum, & humilem spiritu sublevabit gloria.* Ubi non est dubium, quin modestia intelligatur, ut oppositio demonstrat. Loco autem Psalmi similis est ille Esaiæ 57. 15, ubi Deus dicit, *se habitare cum contrito & humili spiritu*, & cap. 66. 2 ait, *se respecturum ad pauperem & contritum spiritu*, ubi quod alibi nomine humilitatis effertur, hic paupertatis voce designatur. Et sane novum non est, ut nomen paupertatis metonymice sumatur pro eo, quod paupertatis solet esse consequens. Nam & Zach. 9. 9 de Rege Sioni venturo dicitur, eum esse pauperem: id quod Græcus interpres, & cum eo Matthæus reddit *mansuetus.* Nec mirum, cum etiam Hebraica vocabula, quibus pauper ac mitis designantur, inter se admodum sint vicina, & ab eadem radice descendant. Qua de re possunt videri Annotationes in Bibl. magnis Roberti Stephani ad dictum Zachariæ locum. Neque vero est, quod quis dicat, cum pauperes pro mitibus, seu mansuetis sumantur, hic quoque eandem significationem esse retinendam. Nam versu statim sequenti expresse mansueti felices prædicantur: unde apparet mansuetos per pauperes spiritu hic non intelligi; sed aliam virtutem mansuetudini vicinam atque affinem, quæ cum paupertate quoque cognationem aliquam habeat, qualis est humilitas, vel potius animi modestia ac demissio. Hæc enim virtus etiam infra a Christo cum mansuetudine conjungitur cap. 11. 29, ubi ait: *Discite à me, quia mansuetus sum & humilis corde:* & cum paupertate conjunctionem habet, ut paulo superius ostendimus. Et hinc paupertati huic recte opponitur *regnum cœlorum*, utpote & quod divitias opesque maximas, & summos honores atque gloriam complectitur: ita ut oppositio recte constet, sive vocem, qua virtus illa describitur, sive ipsius virtutis naturam atque ingenium spectes. Recte autem additur illi paupertati, seu humilitati vox *spiritu*, ut vera ac minime ficta fucatave modestia intelligatur: hæc enim in animo revera residet. Multi sunt, qui cum externa specie se demittant, intus tamen turgent, & altos gerunt spiritus. Unde etiam infra Christus, ut paulo ante vidimus, ut se vere humilem esse doceat, non contentus dixisse se esse humilem, addit *corde.* Diximus autem idem esse hoc loco *spiritu*, quod *animo:* animo autem idem est, quod corde, seu corde idem, quod animo. De *regno cœlorum* ut plura dicantur nihil est necesse, siquidem jam supra diximus, quid eo nomine significetur, & cur huic potissimum virtuti hoc præmium proponatur. Dictum & illud est, felicitatem, cujus initio fit mentio, his verbis explicari, seu causam ostendi, cur pauperes spiritu felices sint existimandi. Illud tantum adhuc addendum est, antequam ab hoc loco discedamus, quod ad cæterorum quoque intelligentiam facit, non ideo huic uni virtuti felicitatem sempiternam adscribi, quod cæteris ad eam consequendam virtutibus non sit opus. Notum enim est, sanctitatem in universum ad vitam æternam obtinendam esse necessariam, & vel ob unum peccati habitum. ne de actibus quibusdam nunc quicquam dicam, hominem excludi regno cœlorum, ut patet inter alia ex 1 Cor. 6. 9. Sed ideo id fit, quia virtus hæc ad regnum cælorum obtinendum insignem vim habet, & tacite subintelligendum est, pauperes spiritu regnum cœlorum esse adituros, nisi aliis peccatis hanc suam felicitatem, ac vim virtutis istius, quam habeant, impediant. Quod idem etiam de sequentibus virtutibus, quibus itidem suprema felicitas, aliis licet verbis descripta tribuitur, intelligendum est.

Vers. 4. *Beati qui lugent.* Secunda virtus, cui hoc loco felicitas a Christo proponitur, quæque hoc pacto nobis insigniter commendatur, consistit in luctu. Ex iis, quæ præcedenti versiculo dicta sunt, facile intelligi potest hoc l. lugentes non eos appellari, quorum status ac conditio est secundum carnem luctuosa: quo pacto apud Lucam sumuntur Luc. 6. 21 *flentes nunc*: quo quidem loco additur eos risuros, quia, modo Christi esse pergant discipuli, & non verbis tantum, sed & factis hanc disciplinam sequantur, nihil illis hic fletus, seu tristis ille status, qui fletum sæpe exprimere solet, obstiturus sit, quominus aliquando perpetuis gaudiis perfruantur. Neque etiam hic intelligitur ille luctus, qui ex persecutionibus justitiæ causa incumbentibus proficiscitur, vel potius in iis consistit, quia huic suus ac peculiaris est locus infra vs. 10 & seqq. Necesse ergo est, ut aliud luctus genus quæramus, & quidem ejusmodi, quod virtutis rationem habeat. Duo autem sunt hujus luctus genera. Alterum est, quod consistit in dolore animi percepto ex tristi ac infelici aliorum statu, de quo Apostolus agit Rom. 12. 15, cum vult ut fleamus cum flentibus. Alterum est illud, quo nostra inprimis peccata deflemus, & quoties nobis peccata nostra præterita succurrunt, (succurrere autem debent quam sæpissime) ea a nobis commissa esse dolemus, & eo dolore extimulamur, tum ad ea tanto diligentius cavenda, tum ad culpam eorum apud Deum deprecandam. Inter hæc autem duo luctus genera posterius hujus loci videtur esse proprium. Nam prius illud angustius esse videtur, quam ut luctu absolute nominato solum sit intelligendum, præsertim cum nec perpetuum sit, nec ad nos ipsos, sed ad alios tantum referatur. At posterius luctus genus aliquo modo perpetuum est, & ex nobis ipsis inprimis pendet, atque in quovis homine non tantum potest, sed & debet extare; adeo ut jure simplici luctus nomine possit intelligi. De hoc luctu, seu tristitia loquitur Apostolus 2 Cor. 7 ubi ait, se eos Epistola sua contristasse, eoque se gaudere: non quidem quod tristati fuerint; sed quod tristati fuerint ad resipiscentiam: *Tristati enim estis*, inquit, *secundum Deum, ut nulla in re a nobis mulctaremini. Tristitia enim secundum Deum resipiscentiam ad salutem, cujus pœnitere neminem potest, operatur. Tristitia autem mundi mortem operatur.* Oritur ergo hæc tristitia ex memoria ac recor-

recordatione noſtrorum delictorum, & conſideratione eorum turpitudinis ac gravitatis, & ex iis profectæ offenſæ divinæ, ac ſupplicii, quod illis promeriti ſimus. Non eſt autem hic dolor aut luctus, neque eſſe poteſt uniuſmodi. Nunc enim gravior eſt atque acerbior, nunc aliquanto lenior, prout quiſpiam vel melius illa expendit, quæ luctum illum pariunt, vel illa ſive conſiderat, ſive etiam habet, quæ illum minuere poſſunt. Minuunt autem divinæ clementiæ ac promiſſæ remiſſionis peccatorum conſideratio, & ejus quidam ſenſus, ac ſimul reſipiſcentia noſtra, & recte factorum poſt peccata perpetrata conſcientia. Jam quod ad felicitatem attinet, huic virtuti propoſitam, ea eſt, quod hujuſmodi homines conſolationem accipient; h. e. peccata illis remittentur, & non modo a temporalibus ſuppliciis, verum etiam a ſempiternis aliquando penitus liberabuntur, gaudiiſque cœleſtibus perfruentur, & in hoc etiam ſeculo ejus felicitatis ſenſum quendam ac guſtum conſequentur, præſertim ſi ejuſmodi ſit ille luctus, ut, quemadmodum Paulum loquutum vidimus, in illis veram reſipiſcentiam operetur, h. e. animi ac vitæ mutationem in melius & quidem conſtantem * * *

*Reliqua deſiderantur.*

COM-

# COMMENTARIUS

## *In Epiſtolam Pauli Apoſtoli*

## *AD*

# ROMANOS.

*Ex prælectionibus*

## JOHANNIS CRELLII FRANCI,

*Conſcriptus*

## A JONA de BUKOWIEC SCHLICHTINGIO,

non tamen reviſus à CRELLIO, præterquam initium COMMENTARII iſtius antehac editum, uſque ad verſum 4 Capitis quarti.

## *De Occaſione, Argumento, & Partitione Epiſtolæ.*

HÆc Epiſtola, ſi principale ejus argumentum ac tractationem intuearis, non ita ut pleræque aliæ ejuſdem Apoſtoli, ex re nata, ſeu ex occaſione aliqua ipſi fortuito oblata, videtur ſcripta: nec magis ad Romanos, quam ad alios Chriſtianos ſpectare. Nam ſi Exordium & Epilogum, vel potius nonnulla ex illo, ex hoc autem pleraque tollas, nihil ea continet, quod non ad quamvis Eccleſiam, præſertim ex gentibus maxima ex parte conſtantem, ſcribi potuerit. Apparet propoſitum fuiſſe Apoſtolo, compendium quoddam tradere doctrinæ ſuæ idque Exordio & Epilogo addito in Epiſtolæ formam redactum, Romanis quodammodo dedicare. Cui enim potius Eccleſiæ, gentium Apoſtolus, hujuſmodi doctrinæ ſuæ monumentum dedicaret, quam Eccleſiæ in ea urbe degenti, quæ gentium omnium erat caput, & ex qua ad multos etiam alios veritas dimanare facile poterat? Continet igitur, ut diximus, hæc Epiſtola ſummam quandam doctrinæ Euangelicæ: quanquam eatenus potiſſimum, quatenus ea legali opponitur, ejuſque ſeveritatem mitigat aut tollit. Explicat enim Apoſtolus ac defendit eum juſtificationis aſſequendæ modum, qui in Euangelio primum eſt promulgatus, nempe per fidem, & per fidem quidem in Chriſtum: eum vero modum, qui in lege eſt præſcriptus, nempe per opera, ſeu per exactam ac perpetuam Legis obſervationem, quæ omne delictum excludit, ſublatum eſſe docet: ſimul etiam Euangelicum illum modum, non minus ad Gentes incircumciſas, quam ad Judæos, ad quos ſolos revera lex ſpectavit, pertinere oſtendit. Ita autem doctrinam iſtam defendit, ut non tantum fundamenta ejus explicet, & firmis eam rationibus communiat; verum etiam præcipuas objectiones, quæ illam convellere videbantur, amoveat. Duæ autem erant præcipuæ: altera, quod hæc doctrina, ob vim fidei non ſatis intellectam, pietatis ſtudium plane convellere, & peccandi licentiam introducere videatur: altera, quod ex ea conſequatur, gentem Judaicam, quæ maxima ex parte fidem in Chriſtum amplecti nolebat, ſoli legi addicta, a Deo repudiatum iri, vel potius repudiatam jam eſſe: Gentes autem extraneas, fidem amplexas ejus populi loco, a Deo in gratiam eſſe receptas: id quod plane abſurdum videatur, & promiſſis ac juſtitiæ divinæ contrarium. Has objectiones ita refellit Apoſtolus, ut demonſtret, doctrina Euangelica de juſtificatione, non per opera legis, ſed per fidem obtinenda, non modo non tolli pietatis ſtudium, ſed etiam maxime ſtabiliri: gentem vero Judaicam ob incredulitatem maxima ex parte rejectam, imo a Deo induratam, gentes autem extraneas in gratiam ab eo receptas dicere, ejus promiſſis aut juſtitiæ nequaquam eſſe contrarium. Quibus oſtenſis, pietatis Chriſtianæ, cujus tam ſolida fundamenta antea jecerat, quamque ad ſalutem adeo neceſſariam eſſe demonſtraverat, officia explicat, quæ alibi quoque oblata occaſione præſcribere libenter ſolet: prolixius autem eam illorum tractat partem, quæ ad mutuam Judæorum & gentium tolerantiam, & rectum adiaphororum, ſeu rerum indifferentium, quas nec facere, nec omittere natura ſua turpe eſt, uſum ſpectant. Functus eſt in hac epiſtola Paulus munere ſibi quodammodo proprio. Etenim cum Euangelium quædam cum lege habeat communia, quædam propria; illa quidem, quæ communia ſunt, in lege ſat perſpicue ſunt conſignata: quanquam & in Novo Fœdere multa ex iis ſunt repetita: quę vero Euangelii ſunt propria, ſive promiſſa, ſive præcepta, ſive utrorumque fundamenta quædam, inter quę Chriſti reſurrectio & exaltatio, præcipuum tuetur locum; ea partim Chriſtus ipſe in terris degens, partim duodecim ipſius Apoſtoli, poſt reſurrectionem ejus,

ita tradiderunt, ut legem interim non viderentur tollere, aut loco Moſaicæ diſciplinæ aliam plane ſubſtituere, nec gratiam Dei Gentibus extraneis communem prorſus facere: ſed aliquid tantum legali diſciplinæ addere; gratiæ autem divinæ poſſeſſionem Judæis ſartam tectam relinquere: ita ut religio Chriſtiana ab iis explicata, ſupra legem multa, contra legem nihil, aut vix quicquam continere videretur. Atque iſta ſunt partim a quatuor Euangelicæ, ſeu Chriſti hiſtorię ſcriptoribus, partim a Luca in Actis luculenter deſcripta, & in Epiſtolis non hujus tantum, ſed & aliorum Apoſtolorum, prout res videbatur exigere, repetita & explicata. At Paulus, qui Gentium potiſſimum erat Apoſtolus, quibus legis diſciplina haud conveniebat, ſed potius eorum converſioni, niſi per Euangelium abrogata eſſe oſtenderetur, vehementer obſtare poterat: apertius differentiam inter legem & Euangelium tradidit, & quomodo aut quatenus illa per hoc abrogetur, demonſtravit. Docuit enim, & modum juſtificationis legalem, & ceremonias ſimul antiquatas eſſe: & communem eſſe Gentibus ac Judæis Euangelii gratiam. Unde & prolixius in Actis Apoſtolicis, prædicationis ipſius hiſtoriam, quam cæterorum Apoſtolorum, deſcriptam habemus: & plures ipſius Epiſtolas, inter quas hæc noſtra merito principem obtinet locum, relictas cernimus: quibus totius Euangelii natura nobis luculenter explicatur, & diſcrimen a lege clarius oſtenditur, quibus aliquo modo accenſenda eſt illa ad Hebræos, quę veluti ex Pauli officina prodiiſſe videtur: ut non mirum ſit, jam olim eam a multis ipſi fuiſſe adſcriptam. In ea enim multa inter legem & Euangelium diſcrimina. & maxima hujus præ illa præſtantia, clariſſime demonſtratur, & illam per hoc antiquatam oſtenditur, ac ſumma fidei, quā Paulus tantopere urget, vis perſpicue docetur, Adeo nimirum Deus ſaluti, non ſolum hominum illius ſeculi, ſed & futurorum omnium conſuluit, dum ea nobis ſcripta conſervavit, ex quibus non tantum omnia ad ſalutem prorſus neceſſaria, ſed & ea, quę ad illā vehementer conducunt, diſcere poſſemus.

Sunt autem, ut ad rem redeamus, tres iſtius Epiſtolę, ut & aliarum omnium, partes: Exordium, principalis tractatio, & Epilogus. Exordium porrigitur ad medium uſque verſiculum 16 capitis primi. In eo quid agatur, ſuo loco videbimus. Principalis tractatio, a fine exordii, h. e. medio verſiculo 16 cap. 1 incipit, & extenditur uſque ad cap. 15 medium, h. e. ad ejus ℣. 13. Epilogus reliquum Epiſtolę occupat, de quo itidem ſuo loco. Principalis autem tractatio, ut ex argumenti explicatione intelligi poteſt, quatuor conſtat partibus. In prima, quæ potiſſima eſt, ex qua cęterę quodammodo pendent, homines omnes, ſive Judæos, ſive gentiles (licet enim nobis hac voce una cum vulgo pro Ethnicis uti) per fidem in Chriſtum, non per opera legis, juſtificari docetur, & incomparabiles hujus divinæ benignitatis fructus oſtenduntur. Et hæc pars a ℣. 16 cap. 1 extenditur uſque ad finem cap. quinti. In ſecunda parte, prior ex duabus objectionibus ſupra commemoratis, refellitur, & ea occaſione vis ac natura fidei, cui juſtificatio in Euangelio promittitur, plenius explicatur. Oſtenditur enim doctrina Euangelica, quæ fide, non operibus, intellige perfectis, juſtificationem obtinendam eſſe docet, non modo non labefactari pietatem, ſed vehementer etiam ſtabiliri: ac longe quidem magis, quam per legem; quę non ſolum vires non habuerit ad producendam veram ſolidamque in hominibus ſanctitatem, ſed etiam cupiditates carnales irritarit, & majorem peccandi anſam præbuerit: cum ex adverſo Euangelium non modo homines ad pietatem, ſi ſervari velint, omnino obliget, verum etiam vires ad eam colendam, ne quid cauſari poſſint, ſuppeditet; idque non tantum eatenus, ut mores ac cæteras vitę actiones, ad normam divinę voluntatis componere poſſint; ſed etiam, ut omnia adverſa veritatis ac juſtitię cauſa conſtanter perferre queant. Itaq; in ſecunda hac parte Apoſtolus fundamentum ſternit, cui poſtea adhortationes ſuas ad ſpecialia pietatis officia ſuperſtruat. Occupat hæc pars tria ſequentia capita, nempe 6, 7 & 8. In tertia parte poſterior ex duabus illis objectionibus confutatur. Docetur enim Judæos ob incredulitatem jure fuiſſe a Deo magnam partem rejectos atque induratos; Gentes ob fidem in gratiam receptas; & hanc a Judęis ad gentes ad tempus tranſlatam eſſe: nec quicquam id promiſſis aut juſtitiæ divinæ adverſari. Hæc docentur tribus ſeqq. cap. nempe 9, 10, 11. In quarta parte, ſpecialia potiſſimum pietatis officia præſcribit Apoſtolus, & ad ea præſtanda hortatur, illa fuſius, ut diximus, perſequens, quæ ad mutuam Judæorum & Gentium tolerantiam, rectumque adiaphororum uſum pertinent, quæ pars cum ſecunda poterat connecti, niſi prius altera illa objectio Apoſtolo fuiſſet diluenda, quæ contra principale ipſius inſtitutum, ſeu propoſitionem hujus epiſtolæ potiſſimam afferri poterat. Continetur autem hęc pars capp. 12, 13, 14, & parte priori decimi quinti. Quanquam autem omnes hæ principalis tractationis partes quodammodo cenſeri poſſint parænetice, ſeu hortatoriæ; (eo enim, ut & univerſa Euangelii doctrina, referuntur, ut homines fidem, & porro etiam pietatem, ſine qua fides mortua eſt, ſeu juſtificandi vim non habet, amplectantur, ac conſtanter ſequantur:) nihilominus tamen prima potiſſimum & tertia dogmaticę cenſeri poſſunt, h.e. ejuſmodi, quæ ſententias ad rem religionis ſpectantes explicent ac probent: ſecunda & quarta parænecticæ ſeu hortatoriæ: quanquam magis quarta. Nam ſecunda veluti mixta eſt: partim enim dogmatica eſt, dum, quæ vis ſit diſciplinę Chriſti in nobis ad pietatem perducendis, explicat, & quam longe hac in re Legem ſuperet, demonſtrat: partim parænetica, dum ad pietatem illam colendam nos hortatur. Quomodo autem hæ partes iterum in alias minores diſtinguantur, in ſpeciali earum tractatione, ſeu verborum, quibus eæ continentur, explicatione, ad quam nunc accedimus, apparebit.

## CAP. I.

### *ARGUMENTUM.*

*Capitis hujus duæ ſunt partes. In priori, ut ſupra jam monuimus, Exordium epiſtolæ hujus continetur. In poſteriori prima pars tractationis principalis inchoatur: hoc eſt, & propoſitio principalis exprimitur, & probari incipit. Exordium iterum duabus conſtat partibus: quarum una, inſcriptionem epiſtolæ laxius ſumtam, & ſalutationem ſeu votum Apoſtolicum complectitur; altera affectum ac benevolentiam Pauli erga Romanos teſtatur, & horum viciſſim erga Paulum benevolentiam captat; quanquam & prior exordii pars ad eam conciliandam apta eſt. Cum autem inſcriptio laxius ſumta, duo in ſe comprehendat, nempe eam, quam nos ex more noſtro ſubſcriptionem vocamus, contineatque nomen, aut etiam deſcriptionem quandam auctoris epiſtolæ; tum inſcriptionem ſtrictę ſumtam, hoc eſt nomen, aut etiam deſcriptionem ejus, ad quem epiſtola dirigitur: utramque ita tractat Apoſtolus, ut nec ſuum, nec Romanorum nomen nude collocet, ſed utrobique deſcriptionem quandam ac commendationem addat, maxime ſui ipſius, ſeu muneris ſui, ut dictis ſuis auctoritatem hoc pacto conciliet. Etenim in eo quinque priores inſumit verſiculos; ſed ita, ut ſimul & euangelii, cujus præco eſſet conſtitutus, & Chriſti, circa quem euangelium occuparetur, illuſtrem quandam deſcriptionem ac commendationem innectat, & ex ea ſibi ſuoque muneri dignitatem conciliet.*

Verſ. 1.

Verſ. 1. *Paulus.* Aſſentimur illis, qui cenſent, apoſtolum hunc, inter Judæos quidem, Judaico Sauli nomine, quod ei a parentibus, ut credibile eſt, in prima infantia eſſet impoſitum, & ſic ipſi plane proprium, fuiſſe appellatum: inter gentes autem Romano, & ipſis quoque Græcis noto nomine, Paulum fuiſſe dictum, ob earum vocum, unica tantum litera inter ſe diſtantium, vicinitatem: adeo ut eæ pro uno nomine, ſed pro linguarum diverſitate ac conſuetudine aliquantum immutato, quemadmodum in propriis nominibus fieri conſuevit, ſint habendæ. Itaque Lucas, qui eum ſemper Saulum appellarat, tunc demum Paulum, idque perpetuo appellat, poſtquam ejus inter Gentes apoſtolatum deſcribere incipit; & primum quidem ibi, ubi ejus apud Sergium Paulum ſermones refert, a cujus familia credibile eſt eum ita potiſſimum appellari cœpiſſe. Vide, ſi placet, Bezam ad iſtum Act. 13. 9 locum.

*Servus Ieſu Chriſti.* Hic incipit ſeſe deſcribere, & auctoritatem ſibi conciliare. *Servi* nomen quamquam generale eſſe poteſt, & omnibus Chriſtianis commune, hoc tamen loco potius κατ' ἐξοχὴν ſumendum videtur de eo, qui peculiari quadam & excellenti ratione Chriſto miniſtrat, nempe in euangelio prædicando: id quod mox ſpecialius explicatur, dum additur, *vocatus apoſtolus*, &c. Dum autem Jeſu Chriſti ſervum ſe vocat, ejus majeſtatem & divinam poteſtatem indicat. Nemo ſe v. g. Moſis ſervum, præſertim abſentis, & rebus humanis exemti, vocavit, aut vocare potuit; etiamſi vir divinus, & propheta fuerit: quia divino illo imperio caruit.

*Vocatus apoſtolus.* Apoſtolum ſe appellat, id eſt, Jeſu Chriſti Legatum. Apoſtolorum autem munus erat, fundamenta religionis Chriſtianæ tradere, & eccleſias fundare, vide 1 Cor. 10 & ſeqq. Hinc tanta vi ſpiritus S. & miraculorum edendorum potentia erant prædi̇ti, ut hominibus Chriſti reſurrectionem & religionem perſuadere poſſent Act. 1. 22, & IV. 33. Eorumque auctoritas infallibilis erat, & doctrina nulli errori obnoxia Luc. 10. 26. Joh. 14. 26. & XVI. 13, omniumque doctrinarum, quæ ab aliis in eccleſia proponerentur, certiſſima norma. Hinc apoſtoli, ſecundum Chriſtum, fundamentum eccleſiæ appellantur Eph. 2. 20. Apoc. 21. 14, quibus etiam annumerantur prophetæ: propterea quod & iſti ſingulari divini ſpiritus vi præditi, proxime ad apoſtolos accederent, ut apparet ex 1 Cor. 12. 28. Eph. 4. 12. *Vocatum* autem ſe dicit, propterea, ne quis putet, quod ſeſe in hoc munus ingeſſerit, idque ſibi ipſe aſſumpſerit atque arrogarit: q. d. vocatus ad apoſtolatum. Neque enim ideo vocem *vocatus* addidit *apoſtoli* nomini, ut indicaret diſcrimen inter ipſos veros apoſtolos, quaſi eorum aliqui vocati eſſent, alii non eſſent: (quomodo enim quiſpiam legatus eſſe poteſt ejus, qui ipſum ad hujuſmodi munus non vocet, h. e. eum revera non mittat?) ſed ut ſeſe diſcerneret ab iis, qui hoc nomen falſo ſibi ſumerent, & ſe pro Legatis Chriſti gererent ac venditarent, cum ad eam rem a Chriſto delecti atque adſciti non eſſent. Id autem propterea commemoravit, quod a malevolis apoſtolatus ejus in dubium vocaretur, qua de re dictum eſt cap 1. & 2 Epiſt. ad Gal. Muneris autem ſui dignitatem ideo aſſerit, ut Romani, tum diligenter ea, quæ ſcribit, cognoſcere, tum fidem iis habere, tum denique parere velint; alioqui Deum & Chriſtum ipſum, cujus Legatus eſſet, contemturi, qui enim Legatum regis repudiat ac ſpernit, regem ſpernit. Hinc Chriſtus de ſuis apoſtolis: *qui vos audit, me audit, & qui vos rejicit, me rejicit: qui autem me rejicit, rejicit eum qui miſit me* Luc. 10. 16.

*Segregatus in euangelium Dei.* Hæc ſegregatio ſeu ſeparatio, ſi de prima ejus ad id munus deſtinatione a Deo facta accipiatur, referenda eſt ad illud tempus, cum vel nondum, vel primum natus eſſet Paulus. Ipſe enim in Epiſt. ad Gal. 1. 15, 16 de ſe dicit, quod ab utero matris ſegregatus fuerit a Deo, nempe ut annunciaret filium Dei inter Gentes: qua de re vide, quę d. l. annotavimus. Si vero ſegregatio illa accipiatur de re atque effectu ipſo, referri poteſt tum ad illud tempus, quo a Chriſto ad apoſtolicum munus primum vocatus fuit, atque hac ratione a cæteris hominibus, non tantum infidelibus, ſed & fidelibus, ſejunctus ac ſeparatus; tum ad illud tempus, quo ſpiritus S. eum ſibi cum Barnaba ſegregari juſſit, ad opus, ad quod eos vocaverat, nempe ad annunciandum euangelium inter Gentes Act. 13. 2.

*In euangelium.* Id eſt, ad prædicandam doctrinam euangelicam. Euangelium enim hoc loco pro euangelii prædicatione & annunciatione ſumitur; ut alibi non ſemel inf. cap. 15. 19. 1 Cor. 9. 14, poſteriori loco poſitum 2 Cor. 8. 18. Gal. 2. 7. Phil. 4. 15, imo hoc ipſo cap. paulo poſt ỽſ. 9. *Dei* euangelium vocat, quia Deus euangelicę doctrinę primus eſt author, ne quis humanum id eſſe commentum arbitretur, & quia a Lege diſcrepat, ideo Dei quoque voluntati adverſari credat. Huic ſui ipſius ſeu muneris ſui deſcriptioni, antequam ejus rationem diſtinctius adhuc explicet, attexit apoſtolus parentheſin, eamque, ut videtur, duplicem. Mentione enim euangelii facta, in quo munus ipſius occupabatur, in ejus commendationem, & ea occaſione in objecti ejus deſcriptionem digreditur, ut tanto magis muneris ſui dignitatem illuſtret. Commendat euangelium, cum addit:

Verſ. 2. *Quod ante promiſit per prophetas ſuos. Quod*, nempe euangelium, ſeu eam doctrinam, quę in euangelio continetur & annunciatur, jam olim Deus promiſit, populo ſcil: ſuo. Non eximproviſo Deus doctrinam euangelicam promulgavit: ſed ex promiſſo, multis retro ſeculis per prophetas ſuos edito. Unde tum preſtantia ac dignitas, tum etiam veritas euangelicæ doctrinæ elucet. Preſtantiſſimam enim eam eſſe doctrinam oportet, de qua non modo tot retro-ſeculis Deus cogitarit, ſed quam etiam, tanquam ſingulare donum, populo ſuo per vates, tam longo ante tempore promiſerit. Veriſſimam etiam eſſe oportet, cum inde manifeſte apparcat, Deum illius auctorem eſſe. Hinc autem apparet, euangelicam doctrinam, Judæis ante Chriſtum, non fuiſſe traditam, ſed tantum promiſſam. Unde Petrus ait 2 Pet. 1. 10, Prophetas non ſibi ipſis, ſed nobis miniſtraſſe ea, quæ in illis olim teſtabatur Chriſti ſpiritus, nunc autem nobis annunciata ſunt per eos, qui euangelium nobis prædicarunt, per ſpiritum ſanctum è cœlo miſſum. Promiſit autem Deus euangelium, *per prophetas ſuos*, qui nomine ipſius locuti ſunt. Prophetæ antem hic intelligi poſſunt generatim omnes, quorum monumenta in ſacro codice extant: Cum Petrus in Actis, Act. 10. 43, vide Luc. 14. 44 & *deinceps*, teſtetur, Chriſto omnes prophetas teſtimonium præbere, quod remiſſionem peccatorum accipiat, vel accepturus ſit, per nomen ejus, omnis qui in ipſum credit. Quatenus autem id teſtantur, eatenus ſimul euangelium, per quod tantum beneficium nobis a Chriſto offertur, & nos ad fidem illam adducimur, ſine qua id reipſa conſequi non poſſumus, promittunt. Intelligendum enim eſt, eatenus potiſſimum per Prophetas Euangelium

promiſſum eſſe, quatenus ii, alii quidem obſcurius, alii vero clarius, divino ſpiritu impellente prædixerunt, fore ut Deus inſignem quendam regem, populo ſuo det, qui populo iſti ſingularem quandam felicitatem ſit allaturus, in alias etiam Gentes redundaturam vide Luc. 24, 26, 27. Act. 26. 22, 23: cujus modum etiam nonnulli oſtenderunt, cum de morte & de reſurrectione ac glorificatione ejus ſcripſerunt. Nonnulli etiam eatenus euangelium promiſerunt, quatenus vel prophetam Moſi ſimilem, quem omnes ſub mortis pœna audire debeant, excitandum eſſe affirmarunt, quod fecit ipſe Moſes Deut. 18. 15. Act. 3. 22. VII. 37; vel, ut Jeremias, novum fœdus, quod ſine doctrina pangi non poteſt, aut aliquid ſimile, quod doctrinam euangelicam propius deſignet, promiſerunt. Clariſſima autem de Chriſto teſtimonia extant apud Davidem, Eſaiam, Danielem. Inter Davidica vaticinia, quæ ſane ſunt multa excellere inprimis videntur illa, quæ Pſal. 2, & 22, & 45, & 110 extant. Eſaiæ de Chriſto vaticinia, tam ſunt aperta, ut cum illa legimus, non tam prophetiam, quam hiſtoriam legere videamur, vide inter alia Eſai. 7. 14. IX. 6, & deinceps, & X. & LIII. Danielis de Chriſti regno & Monarchia vaticinio quid eſſe poteſt auguſtius? quid clarius iis, quæ de morte Chriſti, & expiatione peccatorum per eum facienda ſcribit? Dan. 7. 13, 14. IX. 24.

Addit Paulus; *in ſcripturis ſacris*, ac ſi diceret; quæ promiſſiones divinæ, per prophetas jam olim editæ, in ſacris literis conſignatæ leguntur. Voluit enim eas Deus ad poſteritatem propagari: Scriptura vero id omnium optime præſtat. Hoc autem ideo videtur commemorare apoſtolus, ne quis de iis dubitare poſſit, ſeu ambigere, utrum quippiam hac de re unquam dixerint prophetæ. Ait ergo, ea in ipſorum monumentis extare, quæ a quovis inſpici ac conſuli queant.

Verſ. 3. *De filio ipſius*, vel *ſuo*. Legitur enim in diverſis exemplaribus αὐτῆ & αὐτῆ, propter diverſam, ut videtur, horum verborum cum ſuperioribus connexionem. Nam ſi cum proximo verſiculo illa conjungas, legendum eſt αὐτῆ: ſin cum primo, ita ut ſecundus veluti parentheſi includatur, legendum αὐτῆ. Exprimit autem iſtis verbis objectum euangelii. Euangelium enim totum circa Filium Dei occupatur, id eſt, in tradenda ejus doctrina, quam ille nomine Dei hominibus annunciavit: in tradendis iis rebus, quas ille doctrinæ iſtius confirmandæ cauſa tum fecit, tum paſſus eſt: in tradenda ejus reſurrectione & gloria, ac ſuprema in omnia poteſtate: ut populum divinum regat, utque promiſſam a ſe nomine Dei ſalutem promoveat, & tandem ad exitum ſit perducturus.

*Facto ex ſemine Davidis.* Deſcribit hunc filium Dei, & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum: & duplicem illius generationem, & in ea comprehenſam dignitatem, de qua etiam prophetarum monumenta teſtantur, explicat: ut ſimul etiam euangelii, quod circa eam occupatur, dignitatem oſtendat. Subeſt autem his verbis occupatio quædam, quia enim Chriſtum Dei filium appellarat; poterat aliquis objicere: Atqui Chriſtus ex Davidis ſemine oriri debet, ut Deus olim promiſit: quomodo ergo eum Dei filium dicis? Reſpondet Paulus, eum quidem Davidis filium eſſe, ſed ſecundum carnem tantum: at ſecundum ſpiritum ſanctificationis eſſe Dei filium: potius autem æſtimandum atque appellandum ex eo, quod ei ſecundum ſpiritum convenit, quam ex eo, quod ſecundum carnem. *Facto*, id eſt, genito, *ex ſemine*, id eſt, ex familia ſeu poſteritate Davidis. Hoc autem, ut diximus, erat requiſitum in Meſſia, ſeu Dei filio, per prophetas promiſſo, ut ex Davidica ſtirpe oriretur, & ad ejus familiam referretur. Hinc tam accurate Matthæus & Lucas genus Chriſti ad Davidem deduxerunt. Nec eſt quod quis objiciat, Chriſtum non fuiſſe conceptum ex Joſepho, per quem Chriſti ortus ad Davidem ab utroque illo divino ſcriptore refertur, ſed ſpiritus ſancti efficacia, nulla viri opera intercedente, ex virgine natum. Cum enim Chriſtus ex Joſephi uxore, licet ſine Joſephi opera natus fuerit; Joſephi, ac proinde Davidis filius ſecundum carnem merito cenſetur. Liberum enim eſt Deo, quacunque ratione illi viſum fuerit, dare alicui filium, ſive naturali ſive miraculoſa. Quod ſi ſub lege filius, qui primus ex alicujus uxore poſt mortem illius naſcebatur, licet non ab ipſo, ſed ab ejus fratre genitus Deut. 25. 5; (qui fratris abſque prole demortui uxorem ducere tenebatur) non ejus, qui eum genuerat, ſed prioris fratris, cujus alter uxorem duxerat, filius ad ſemen cenſebatur; (debebat enim frater fratri ſemen ſuſcitare, ut ea de re loquitur ſcriptura Gen. 28. 8. Matthæi 22. 24) multo certe magis & longe meliori jure Chriſtus Joſephi filius cenſendus eſt. Nam ille hominem patrem alium revera habuit: Chriſtus nullum alium hominem patrem habuit. Ille ex alterius jam uxore naſcebatur: Chriſtus non ex alterius ullius uxore, quam Joſephi natus eſt. Ille poſt mortem demum ejus, cujus filius cenſebatur: Chriſtus vivente Joſepho natus eſt, ex ea, quæ unum cum illo corpus erat. Et ſane decuit Chriſtum, qui Dei filius ſingulariſſimus & cœli ac terræ dominus futurus erat, alia ratione quam hac, quæ ſine pudore aliquo non cogitetur, concipi. Naſci debuit ex homine, ut verum hominem illum eſſe conſtaret. Concipi autem ex ſpiritu ſancto potius, quam ex viro debuit, ut ejus dignitati conſuleretur. Nec enim ad id, ut aliquem verum eſſe hominem conſtet, tam requiritur, ut viri opera concipiatur, quam ut ex muliere naſcatur; cum præſtantiſſimi quidam philoſophi multis rationibus doceant, etiamſi pater ſit cauſa efficiens fœtus, fœtum tamen ſubſtantiam ſuam, quatenus ea ex parentum ſubſtantia veluti decerpi poteſt, non ex patre revera, ſed ex matre trahere. Quamquam quicquid tandem ex patre trahere ſolcat, id totum, Dei efficacia interveniente, ex matre etiam poteſt ſumere, ne de eo nunc quicquam dicam, quod primi parentes, quos tamen veros homines fuiſſe nemo dubitare poteſt, niſi qui ſeipſum verum eſſe hominem dubitet, (ſiquidem per eos habemus, quod ſimus homines) ne concepti quidem ac nati fuerint, quod propterea addimus, ne quis de vera Chriſti humanitate ideo dubitare audeat, quia non ita, ut nos, conceptus fuerit. Videtur autem alia adhuc fuiſſe cauſa, cur Chriſtum ita concipi ac naſci decuerit, ut nimirum ſpiritualis noſtra regeneratio adumbraretur, de qua vide Joh. 1. 12, & III. 7, 8.

*Secundum carnem.* Limitat id, quod dixerat, Chriſtum eſſe ex ſemine Davidis, id eſt, Davidis filium ſeu nepotem, nempe ſecundum carnem: hoc eſt, ſi quis Chriſti carnem, & carnalem ejus generationem ſpectet. Nec enim voces iſtæ *ſecundum carnem* uſpiam opponuntur divinæ alicui naturæ, ut alii putant; ſed ubicunque extant, ſpiritui opponuntur; quod hoc ipſo in loco fieri videmus. Iſtis enim vocibus, *ſecundum carnem*, opponit Apoſtolus ſequenti verſu voces, *ſecundum*

*cundum ſpiritum ſanctificationis.* Vide inter alia infra cap. 4. 1. & IX. 3. 1 Cor. 10. 18. Gal. 4. 29. Eph. 6. 5, qua de re diximus loco dicto Gal. 4. & infra nonnihil dicendum erit cap. 9. 5.

Verſ. 4. *Qui definitus eſt filius Dei.* Explicuit quomodo filius Davidis ſit: nunc explicat quomodo ſit filius Dei: ut appareat, Chriſtum, licet ſit filius Davidis, nihilominus tamen filium Dei, quemadmodum eum antea appellarat, ſimul eſſe, diverſa tantum ratione & reſpectu. τῦ ὁρισθέντος, *qui conſtitutus eſt*, non, ut vulgo ſolent hoc loco verbum iſtud interpretari, qui declaratus, id eſt, manifeſtatus; (nam alioquin, declarare aliquem Conſulem, apud Latinos ſignificat, conſulem creare, ſeu conſtituere, quo ſenſu id hic admitti poſſet:) nec enim hic agitur de rei, quæ jam fuerit, declaratione ſeu manifeſtatione, ſed de rei, quæ nondum erat, conſtitutione. Nam verba τῦ ὁρισθέντος reſpondent ſuperioribus τῦ γενομένε. Quemadmodum igitur Chriſtus non dicitur manifeſtatus filius Davidis ſecundum carnem, ſed factus: ita nec nunc manifeſtatus dicitur Dei filius ſecundum ſpiritum, ſed factus & conſtitutus. Explicat enim apoſtolus, ut diximus, quomodo Chriſtus & Davidis & Dei filius ſimul ſit. Præterea verbum ὁρίζειν nunquam declarare ſeu patefacere ſignificat, ſed in Sac. Lit: ſemper eſt decernere, conſtituere. Vide Luc. 22. 22. Act. 2. 23. & X. 42. & XVII. 31. Apud philoſophos hæc vox, uſurpatur de rerum definitione ſeu deſcriptione: ſed apud vulgum, cum quo ſacri ſcriptores ſunt locuti, proprie quidem ſignificat, fines ac terminos rei alicui ponere, ſed metaphorice, ſi de ſententia ac voluntate uſurpetur, decretum, ſi de reipſa, ejus conſtitutionem denotat. Dicitur ergo hoc loco Chriſtus fuiſſe conſtitutus & effectus Dei filius. Unde conſequitur, eum nec ex eſſentia divina, nec ante omnia ſecula fuiſſe genitum: cum, ut paulo poſt audiemus, conſtitutus fuerit Dei filius ex reſurrectione a mortuis. Ex quo iterum apparet, eam interpretationem, contra quam diſputamus, conſiſtere non poſſe, nempe quod Chriſtus per reſurrectionem fuerit declaratus Dei filius ex eſſentia patris genitus: cum id reſurrectio ejus haudquaquam doceat, ne tum quidem, ſi ponas, eum ſeipſum a mortuis reſuſcitaſſe, quod tamen & falſum eſt, & ut verum fuiſſet, tamen ex reſurrectione ejus non apparuiſſet. Quid ergo, ſi id, quod falſum eſſe diximus, non ponatur?

*Filius Dei.* Si voces ſequentes ἐν δυνάμει conjungas cum hac appellatione *filii Dei*, ita ut vocibus ἐν δυνάμει differentia quædam ſpecifica iſtius, ut ita dicamus, filiationis divinæ indicetur, appellatio Filii Dei per ſe ſumta, in laxiore ſignificatione erit accipienda, ut ſignificet eum, cui cum Deo inſignis quædam ſimilitudo intercedit: quo ſenſu Angeli & Reges ac Magiſtratus, qui potentia Deo ſunt præ cæteris ſimiliores, & Deorum, & filiorum Dei nomine appellantur Pſ. 82. 6. Voces autem ἐν δυνάμει, ἐν pro *cum* poſito, ſignificabunt, potentem Dei filium: potentem, inquam, κατ' ἐξοχὴν, id eſt, talem, qui ſupremum in omnia imperium ac robur obtineat. Sin vero voces ἐν δυνάμει, conjungantur cum verbo ὁρισθέντος, ita ut ſignificent cauſam mediam efficientem, per quam Chriſtus fuerit conſtitutus Dei filius, nempe potentiam illam Dei ſummam, quam tantopere commendat apoſtolus in epiſtola ad Eph. cap. 1, quamque in hac ſpirituali Chriſti generatione, ut ſic dicam, Deum exercuiſſe teſtatur, appellatio filii Dei κατ' ἐξοχὴν ac ſtrictiſſime ſumenda erit, ut ſignificet eum qui perfectiſſima ratione ſit Dei filius, adeo ut ſi cæteri filii Dei cum illo conferantur, is ſolus hoc nomine appellari mereatur: & hoc quidem poſterius veritati magis eſt conſentaneum, quod verba *in potentia*, ut & alia ſimilia, rectius cum verbo aut participio connectuntur, quam cum nomine. Vide ſimilem loquendi modum 2 Theſſ. 1. 11.

*Secundum ſpiritum ſanctificationis.* His verbis oſtendit, quo reſpectu Chriſtus ſit Dei filius, vel potens Dei filius, nempe reſpectu ſpiritus ſanctificationis. Opponuntur enim hæc verba illis: *ſecundum carnem.* Noluit autem ſimpliciter dicere ſecundum ſpiritum, ne quis putaret apoſtolum loqui de ſpiritu Chriſti naturali, qui etiam ſæpe carni opponi ſolet; ſed addit, *ſanctificationis*, ut oſtendat ſe de illo peculiari & divino ſpiritu loqui, qui Chriſtum ſanctificavit, ſeu per quem Chriſtus ſanctificatus, id eſt, a reliquis omnibus hominibus, imo & creaturis divinis, penitus ſejunctus ac ſeparatus, & ſingulariſſimus omnino effectus fuit. Hunc ergo ſpiritum, quo Chriſtus a Deo præditus eſt, ſi ſpectes, Filius Dei, & quidem potentiſſimus, eſt Chriſtus, hic enim ſpiritus in Chriſto reſidens eum Deo ſimillimum efficit. Quatenus ergo carnem ſuam ex Davidica ſtirpe traxit, filius Davidis eſt: ſed quatenus ſpiritum hunc ſanctificationis traxit ex Deo, eatenus Dei filius eſt Chriſtus. Poſſunt autem hæc verba κατὰ πνεῦμα &c. ſimul indicare cauſam efficientem iſtius filiationis. Spiritus enim iſte poteſt conſiderari etiam extra Chriſtum, tanquam media cauſa, per quam Deus Chriſtum ſanctificavit, & ſibi ſimillimum effecit. Sed ſi conſideretur ut in Chriſto exiſtens, eatenus formalis cauſa filiationis iſtius divinæ cenſeri debet. Simili ratione idem Apoſtolus 2 Cor. 13, de Chriſto loqui videtur, cum ait Chriſtum crucifixum fuiſſe ex infirmitate; ſed vivere *ex potentia Dei*, ibid. 4. Ut enim tanto rectius opponatur potentia infirmitati, debet conſiderari non ſolum tanquam aliquid extra Chriſtum exiſtens, quod efficiat ut Chriſtus vivat: ſed etiam tanquam quiddam internum, & in ipſo Chriſto jam reſidens. Infirmitas enim, quæ in cauſa erat, ut Chriſtus crucifigeretur, non fuit extra Chriſtum, ſed naturæ ejus, dum mortalis erat, conditio fuit: Adde quod eo loco propoſitum fuerit apoſtolo, oſtendere, Chriſtum erga Corinthios non eſſe infirmum, ſed in iis potentem eſſe, ſeu potentiam ſuam exſerere, ut conſtat ex verſu præcedente. Id autem non declaraſſet apoſtolus, ſi Dei potentiam, ex qua vivat Chriſtus, conſideraret tantum ut cauſam efficientem mediam vitæ illius, extra ipſum penitus exiſtentem; & non ſimul tanquam ipſi communicatam, & ſic in ipſo, ex quo per eam vivere cœpit, reſidentem. Sic Petrus quoque Chriſtum carne mortificatum, ſpiritu autem vivificatum dixit 1 Pet. 3. 18. Ubi per ſpiritum, eum ſpiritum intelligit, qui Chriſto proprius divina benignitate factus eſt, quo ſimulatque Chriſtus præditus fuit, vivificatus, id eſt, immortalis effectus eſt: quemadmodum, cum carne præditus erat, morti fuit obnoxius, & tandem etiam occiſus fuit.

*Ex reſurrectione mortuorum.* Reſurrectio mortuorum ponitur pro reſurrectione ex mortuis: mortui enim nondum reſurrexerunt; ſolus Chriſtus, qui primitiæ mortuorum eſt, reſurrexit, ita nimirum ut non amplius moriatur: de quali reſurrectione hic ſermo eſt. Notat autem his verbis Apoſtolus vel tempus, ex

quo Chriſtus Dei filius effectus eſt, vel cauſam ejus rei mediam. Chriſtus enim & ex quo a mortuis reſurrexit, & per reſurrectionem, ſi nimirum reſurrectio in pleno ſenſu ſumatur, ut includat ea, quæ ipſam fuerant conſecuta, filius Dei, iſque potentiſſimus, conſtitutus fuit. Conſentit ſecum Paulus, qui Act. 13 illa Pſalmi verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, in Chriſto fuiſſe impleta dicit, tum, cum eum Deus a mortuis reſuſcitavit. Et ad hunc ſane Pſalmi locum hic omnino videtur Paulus reſpicere. Narratur autem ibi ſenſu literali, quomodo Deus Davidem, Chriſti typum, olim conſtituerit regem, ſuper montem ſuum ſanctum Sionem, & Dei decretum, quo ipſum regem declaravit ac conſtituit, illis verbis exprimitur, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ita enim ibi ſcriptum extat: *Ego autem* (inquit Dominus) *conſtituo Regem meum ſuper Sionem montem ſanctitatis meæ. Narrabo* (ſubjicit David) *decretum* (nempe quo id Deus ſe facere declaravit) *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Unde colligere poſſumus, quid ſit, ſenſu myſtico, qui longe ſublimior eſt, quod Chriſtus Davidis antitypus, conſtitutus fuerit Dei filius ex reſurrectione a mortuis: nempe quod Rex divini populi fuerit conſtitutus, non ſuper terreno monte Sion, ſed ſuper cœleſti illo Sione. Et hæc eſt cauſa, cur Chriſtum non *genitum*, ſed *conſtitutum* Dei filium dicat. Conſentit cum hac ſententia Divinus Auctor ad Hebr. 5. 5, ubi oſtendit, in his verbis agi de glorificatione Chriſti, qua factus fuerit æternus noſter Sacerdos, ſeu ſacrorum noſtrorum, ut ita dicam, princeps, qui ſalutem perpetuo noſtram curet, & ad exitum perducat, qua in re etiam regnum ipſius continetur. Unde apparet, non eſſe quod quis dicat, Chriſtum Dei filium, & quidem potentem fuiſſe etiam ante reſurrectionem: quandoquidem ex his ſatis conſtat id, quod jam ante aſſeruimus, appellationem filii Dei, ſeu potentis Dei filii, ὑψίστου accipiendam eſſe, ut ſignificet eum, qui ſupremam in cœlo & in terra poteſtatem obtineat. Atqui hoc ſenſu Chriſtus ante reſurrectionem filius Dei, vel filius Dei in potentia minime fuit. Ideo enim antea filius Dei fuit, partim quidem, quia ex ſpiritu ſancto conceptus, ac Dei ipſius virtute productus fuerit, ut angelus apud Lucam Luc. 1. 35, teſtatur; partim vero quod cum Deus ſanctificarit & in mundum miſerit, ut ipſemet Chriſtus apud Johannem teſtatur Joh. 10. 36. At rex actu ipſo Chriſtus nondum fuit, & ſic nec Dei filius ratione omnium perfectiſſima extitit. Simili ratione Hebr. 5. 9 dicitur *Chriſtus poſtquam conſummatus*, id eſt, immortalis effectus eſt, *factus fuiſſe omnibus ſibi obtemperantibus cauſa ſalutis æternæ*: non quod antea non fuerit, ſed quod ſingulariſſima, & longe quam antea perfectiori ratione factus ſit. Sic dicitur dominus & Chriſtus factus fuiſſe Act. 2. 36, cum tamen & antea Joh. 13. 13 dominus, & Act. 10. 38, Chriſtus etiam id eſt, a Deo unctus fuerit; propterea quod longe perfectiori ratione dominus & Chriſtus factus fuerit. Sic idem Petrus Act. 5. 31 dicit, quod *Deus Jeſum exaltaverit dextera ſua principem & ſervatorem*, id eſt, ut eſſet princeps & ſervator: nempe quemadmodum ſtatim explicatur, *ut det pœnitentiam & remiſſionem peccatorum Iſraëli.* Cum tamen etiam ante exaltationem ſuam, & princeps & ſervator eſſet; quia per exaltationem & princeps & ſervator perfectius effectus eſt. Ιησῦ Χριστῦ.

Hæc verba cum initio verſus 3, jungi debent, ita ut ſuperiora per parentheſin legantur. Quanquam ita parentheſes ſuas inſtituere ſolet apoſtolus, ut ſequentia cum illis ſat commode connecti queant, ita ut nonnunquam prope nulla parentheſis eſſe videatur. Quod etiam hoc loco accidit, ubi voces illæ Ιησῦ Χριστῦ, non quidem cum vocibus proximis, ut aliis viſum eſt, ſed cum illis τῦ ὁρισθέντος υἱῦ Θεῦ, non minus, quam cum præcedentibus τῦ υἱῦ αὐτῦ cohærent. Veruntamen clarior eſt ſententia, in Latino præſertim ſermone, ubi idem caſus utrobique retenta appoſitione uſurpari commode non poteſt, ut in Græco; ſi parentheſi includas illa, τῦ γενομένου &c. uſque ad hunc locum. Exponit enim hic, quem per filium Dei, qui euangelii eſt objectum ac materia, intelligat, nempe Jeſum Chriſtum. propterea hæc verba, non per genitivum, ut eſt in Græco, ſed per ablativum verti debent.

*Domino noſtro.* Cœleſti nimirum ac divino, qualem eum factum fuiſſe a Deo Petrus Act. 2. 36 docuit, cujus propterea ſe ſervum Paulus nominavit verſ. 1.

Verſ. 5. *Per quem accepimus gratiam & apoſtolatum.* Mentione Jeſu Chriſti facta redit ad munus ſuum, ut & plenius explicet a quo fuerit ad illud vocatus, & in quem finem. Dixerat ſe eſſe vocatum apoſtolum: nunc oſtendit, per quem fuerit vocatus, ſeu per quem munus apoſtolicum acceperit, nempe per filium iſtum Dei, non per hominem aliquem vulgarem, vide Gal. 1. 1. *accepimus* ait: plurale pro ſingulari. De ſe enim ſolo loquitur, ut ſequentia docent. Similia exempla habes apud eundem apoſtolum Gal. 1. 8, 9, & IV. 17, vide etiam Joh. 3. 11, quem conf. cum verſ. 32. Hebr. 5. 11, & VI. 1, 3, 9. 11, & XIII. 18, 19.

*Gratiam & apoſtolatum.* Particula & hoc loco, ut alias ſæpe, exegetica eſt, q. d. gratiam, id eſt, Apoſtolatum: ſeu gratiam, quæ eſt Apoſtolatus. Gratiam ponit pro gratiæ effectu. Non ſemel autem hoc pacto appellat munus ſuum, & conjuncta cum eo dona ad ejus functionem neceſſaria, vide infra cap. 12. 3. XV. 15. 1 Cor. 3. 10. Gal. 2. 9. Eph. 3. 2, 7, 8. Quanta autem hac in re benignitas Domini Jeſu apparuerit, quod ei tam præclarum munus impoſuerit, ipſemet Apoſtolus explicat 1 Tim. 1. 12, & deinceps. *In obedientiam fidei*, finem muneris ſui apoſtolici exprimit. *In obedientiam*, id eſt, ut obediatur, *fidei*, hoc eſt doctrinæ de fide. Fides enim interdum per metonymiam ſumitur pro doctrina de fide; ut in Epiſt. ad Gal. 1. 23, & III. 2, 5, 25.

*In omnibus Gentibus.* Exprimit eos, quorum obedientiam nominatim procurare debeat, nempe Gentium, nec certarum tantum, ſed omnium ſeu quarumcunque. *In* poſitum pro *inter*, ut alibi ſæpe, & in ſeq. verſus initio, q. d. ut obediatur doctrinæ de fide inter omnes Gentes extraneas: quanquam nonnulli hanc particulam potius conjungendam cenſent cum voce *apoſtolatus*, q. d. per quem accepi hanc gratiam, ut eſſem apoſtolus, ſeu legatus inter omnes Gentes extraneas, eum in finem, ut doctrinæ de fide obediatur. Sed ſatis commode connectuntur cum proxime præcedentibus. Subinde ſpecialius muneris ſui rationem explicat: primum ſe ſervum Jeſu Chriſti dixerat: poſtea ſpeciatim apoſtolum, & quidem ad id munus vocatum, ac nominatim aſcitum: addidit, ſe ſeparatum ad euangelium, & peculiari quadam ratione ad id ſelectum: nunc id, quod maxime ipſi proprium erat, & præ cæteris apoſtolis peculiare, exprimit, nempe quod Gentium

tium extranearum, & quidem omnium apoſtolus ac doctor fuerit præcipue conſtitutus: quo pacto paulatim ſibi aditum ad id ſternit, ut doceat, cur Romanis nominatim ſcribere voluerit, ut videbimus verſu ſeq. vid. inf. cap. XI. 13. & XV. 15, 16. Gal. I. 16. II. 7, & deinceps 2 Tim. 2. 7, adde Act. 26. 17, & deinceps.

*Pro nomine ipſius.* Hoc eſt Chriſti, id eſt, ut ipſius nomen celeberrimum fiat, ut omnes Gentes, non mei, ſed ejus, qui me miſit, Chriſti diſcipuli fiant, & ipſius nomini veluti dicentur, ac in illud adigantur. Non enim, ut alibi ait Paulus, ſeipſos prædicabant apoſtoli, ſed Chriſtum Jeſum dominum, ſed *D*ei filium, qui euangelii ipſorum, ut paulo ante vidimus, erat objectum. Vide 2 Cor. 4. 5, add. etiam 1 Cor. 5. 15.

Verſ. 5. *In quibus.* Id eſt, inter quas *eſtis & vos.* Hic tacite indicat cauſam, cur ad eos ſcribendum ſibi duxerit: nempe quod id muneris ſui eſſe arbitraretur, qui omnium Gentium, è quarum numero etiam Romani erant, Miniſter eſſet, & a Chriſto peculiariter vocatus, ut earum obedientiam procuraret; quam etiam cauſam ſuæ ſcriptionis infra cap. 15. 15 affert.

*Vocati Jeſu Chriſti.* Κλητοὶ, non appellantur ii, præſertim ſoli, quibus gratia euangelica tantummodo fuit oblata: ſed in quibus oblatio hæc effectum aliquem habuit, id eſt, qui eam recipiunt, & illi fidem habent: qui vocationi divinæ per euangelium factæ non aſſentiuntur, κεκλημένοι vocari poſſunt: κλητοὶ, ut diximus non ſolent. Itaque Romanos propterea κλητοὺς *vocatos* nominat, quod euangelicam doctrinam receperint, addit autem *Jeſu Chriſti*, ut appareat eos, volente ac procurante Chriſto Jeſu, ad capeſſendam euangelicam gratiam fuiſſe invitatos, ſeu eam illis oblatam & ab illis viciſſim receptam fuiſſe, niſi forte ideo Jeſu Chriſti vocatos velis dictos, quia ad Jeſum Chriſtum vocati fuerint.

Verſ. 7. *Omnibus qui ſunt Romæ.* Sequitur inſcriptio ſtrictius ſumta, hoc eſt, nomen aut deſcriptio eorum, ad quos epiſtola dirigitur. Deſcribuntur autem primum generalius a loco: deinde ſpecialius a conditione ſecundum ſpiritum, ac præſtanti ipſorum dignitate, quæ eos a cæteris Romanis dtſcernit. Cum ait, *omnibus* qui ſunt Romæ, ſignificat ſe cujuſvis ordinis ſtatus ac conditionis, imo & nationis hominibus, qui Romæ degant ſcribere.

Verum addit: *dilectis Dei*, *vocatis ſanctis*, qua deſcriptione diſcernuntur a cæteris Romæ exiſtentibus, quare his verbis continetur ſpecifica Chriſtianorum hominum ab aliis differentia. Vocantur autem Chriſtiani *dilecti Dei*, propterea quod a Deo unice diligantur, utpote qui tum eo ipſo, quod per euangelium ſint ad ſalutem vocati, fuerint a Deo ſummopere dilecti, tum vero adhuc magis diligantur, quod tantam ipſius gratiam receperint, & in ejus unigenam filium credant, ac proinde Deum toto pectore diligant. Si enim Deus inimicos etiam ſuos adeo dilexit, ut eorum cauſa filio ſuo non pepercerit, ut infra loquitur Apoſtolus; quantam charitatis & amoris vim eſſe neceſſe eſt in illo, erga eos qui ipſum unice colunt ac diligunt, idque in Chriſto Jeſu!

*Vocatis ſanctis.* Dupliciter hæc verba accipi poſſunt, vel ut ſignificent vocatos ad ſanctitatem, ſeu, ut eſſent ſancti; vel ut ſignificent ſanctos tales, qui ſunt vocati: hoc eſt, qui non ſua ſponte, non privato motu, arbitrio conſiliove, ſed Deo vocante, volente & procurante, ſint a prophano hominum vulgo ſeparati. Sancti enim hoc loco ſignificant homines a communi hominum vulgo profeſſione aut etiam vita ac moribus ſejunctos ac ſeparatos. Tales Chriſtiani profeſſione ſunt omnes, vita autem eſſe debent. Similem loquendi modum habuimus paulo ante vſ. 1, *vocatus apoſtolus*, hoc eſt, vocatus ad apoſtolatum, ſeu, vocatione non proprio auſu apoſtolus. Finitur autem hoc loco periodus, & nova in ſeqq. incipit. Itaque hic ſubauditur verbum ἐπιστέλλω, id eſt, epiſtolam mitto, aut ſcribo, ut interpretes quidam notant.

*Gratia vobis & pax* ſcil. contingat. Sequitur ſalutatio, ſeu votum: cujus duæ ſunt partes. In prima exprimitur id, quod illis precatur & vovet apoſtolus: in altera is, a quo illis id precatur. Precatur duo, gratiam & pacem, quorum illa eſt cauſa, hæc effectus. *Gratia* ſignificat favorem, amorem: *pax* Hebraico more, felicitatem, omnia fauſta ac bona declarat. Is autem a quo hæc illis contingere cupit apoſtolus, eſt, *Deus pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus*: Ille tanquam prima, hic tanquam ſecunda cauſa: ille ut is, ex quo omnia: hic, ut is per quem omnia. Deum patrem noſtrum cur vocet, notum eſt: nempe ob paternum erga nos Chriſtianos affectum, & hæreditatem nobis, ſi ejus ſanctitatem ſequamur, ab eo deſtinatam.

Addit hanc deſcriptionem, ut cauſa indicetur, cur merito id, quod optat, a Deo ſperare poſſint Romani, *& Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Ita reddenda eſſe verba, non vero ita ac ſi dictum eſſet, *a Deo patre noſtro & domini Jeſu Chriſti*, oſtendimus Gal. I. 3, ubi ἡμῶν, ſeu *noſtro* omittitur, ut alibi ſæpius. A ſpiritu ſancto nil precatur: non enim petitur donum a dono, ſed a datore doni: ut quidam hac de re jam olim ſcripſerunt. Sed de tota hac ſalutatione, actum eſt a nobis fuſius d. l. Gal. I.

Hucuſque prima exordii pars: ſequitur altera, in qua apoſtolus benevolentiam ſuam & amorem erga Romanos plenius teſtatur, ut illorum viciſſim benevolentiam & amorem captet.

Verſ. 2. *Primum quidem.* Ita ſolemus interdum inchoare Epiſtolas, aut aliud aliud aliquod ſcriptum. Itaque hæc vox *primum*, non tam numerantis (nullus enim alius numerus, aut numeri nota poſtmodum ſubjicitur, quanquam tacite aliquid aliud vel ſecundo loco adjiciendum innuitur) quam incipientis hoc loco eſt: q. d. primo ergo omnium hoc vobis ſignifico, hinc meam epiſtolam exordiar, ſeu, ut ergo inde ſcribendi faciam initium. Ita vocem *primum* ab aliis quoque ſcriptoribus poni, ut nulla alia vox, numerum aut ordinem ſignificans ſubſequatur, annotarunt interpretes: qui obſervarunt idem ſæpius in Sac. Lit. fieri, inter cætera etiam inf. cap. 3. 2, & Matth. 10. 2. Act. 26. 20.

*Gratias ago Deo meo, per Jeſum Chriſtum. Gratias ago*, ſcilicet ſubinde, ſeu perpetuo: non enim tum tantum, cum hæc ſcriberet, id faciebat, quemadmodum & res ipſa & ſequens verſ. docet. *Deo meo*, id eſt Deo, qui & meus eſt benefactor, & quem ego viciſſim colo.

*Per Jeſum Chriſtum*, vel ipſi Jeſu Chriſto gratias agendo, vel id faciendo ex præſcripto Jeſu Chriſti, atque adeo ut Chriſti diſcipulus ac ſervus. Hæc eſt differentia inter Judæos & Chriſtianos ſpecifica. Commune utriſque eſt, colere Deum, creatorem cœli & terræ; peculiare Chriſtianis, eum per Jeſum Chriſtum colere, hoc eſt ut diximus, ex Chriſti præſcripto, & quidem

quidem ita ut etiam Chriſtus colatur. Deus, tanquam ultimus cultus illius ſcopus, ſeu is *in quem omnia*: Chriſtus, tanquam is *per quem* cultus ille in Deum dirigitur.

*Pro omnibus vobis*, quatenus nimirum Chriſtiani ſeu fideles, ut mox audiemus, facti erant: nec enim Paulus gratias agebat Deo, quod Romani eſſent, ſed quod Chriſtiani eſſent, quod ad Chriſti religionem converſi fuiſſent: quod quia divina cura factum fuerat, propterea Deo Paulus gratias agebat, quemadmodum ſtatim ſeipſum explicaturus addit.

*Quod fides veſtra annunciatur in toto mundo.* Particula ὅτι hoc loco non tam eſt ætiologica (quanquam & hoc dici poteſt) quam εἰδικὴ: explicat enim, quomodo ſeu quatenus pro Romanis gratias agat, exprimendo beneficium iſtud, quod Romani divina benignitate fuerant conſecuti. Videtur autem Apoſtolus poſuiſſe conſequens pro antecedente, id eſt, famam & celebritatem fidei, pro ipſa fide Romanorum, q. d. gratias ago Deo, quod ejus benignitate effectum eſt, ut euangelio haberetis fidem, quæ tóto paſſim orbe celebratur. Ex eo enim quod Romani in Chriſtum crediderant, qui toto orbe celeberrimi erant, hoc ſequebatur, ut ubique de hac ipſorum mutatione ſermones eſſent. *In toto mundo.* Uſitatiſſima Synecdoche, partem mundi non exiguam, præſertim cultiorem, totius mundi nomine appellare: Vide Col. 1. 6, adde & ℣ſ. 23. Similis eſt de Theſſalonicenſibus locus in 1 Epiſt. 1. 8.

Verſ. 9. *Teſtis enim mihi eſt Deus.* Confirmat id, quod dixerat, ſe pro iis gratias agere, per id quod pro iis perpetuo Deum oret, ſeu eoaum nominatim in precibus ſuis meminerit. Preces autem illę gratiarum quoque actionem in ſe complectuntur, earumque perpetuitas probabile omnino facit, Paulum pro Romanis, cum id affirmet, gratias Deo agere ſolere. Quia vero cuipiam minus poterat videri veriſimile, Romanos ipſi nunquam viſos, & maximam partem plane ignotos adeo eſſe curæ, ut non ſemel atque iterum, ſed perpetuo in precibus ſuis eorum velit meminiſſe; ideo id juramento confirmat, ipſo Deo in teſtimonium advocato. *Teſtis eſt mihi Deus*, non quod teſtetur revera, ſed quod teſtari poſſit Deum ergo teſtem advocat, & porro, ſi mentiatur, vindicem; ut autem appareat, eum non temere, non ex divini nominis contemtu, aut irreligioſe, quemadmodum multi ſolent, teſtem Deum advocare, nec cuiquam veriſimile fieri debere, eum per divinum nomen Romanos fallere velle; oſtendit quomodo ſeſe erga Deum gerat, & quanto ſtudio gratiam ipſius ambiat, quam proinde perdere falſum jurando nolit; dum ſubjicit:

*Cui ſervio*, ᾧ λατρεύω. Quid hoc verbum ſignificet, quidque ſit λατρεία, & an ἀ δελεία diſtinguatur, dictum eſt a nobis Gal. 5. 20, in explicatione idololatriæ. Hoc loco non ſignificat cultum & adorationem, quæ Deo præſtatur, ſed ſervitium & officium, quod ad alia etiam facta Dei cauſa ſuſcepta extenditur. Refert enim ipſe Paulus hanc λατρείαν ad euangelium. Verba enim *cui ſervio*, conjungenda ſunt cum illis, *in euangelio filii ipſius*, id eſt, cui ſervio annunciando euangelium. Euangelium pro euangelii prædicatione ſumi, annotavimus ℣ſ. 1. Supra vocarat Euangelium *Dei*, quia, ut ibi diximus, Deus illius eſt primus auctor; hoc loco *Filii Dei*, quia hic ſecunda & a Deo proxima illius eſt cauſa, qui illud & primus annunciavit ac confirmavit, & poſtea per ſervos ſuos promulgandum curavit. Infra cap. 2. 16, & xvi. 25 Paulus id ſuum euangelium vocabit, ut & 2 Tim. 2. 8, quia poſt Chriſtum inter præcipuos ejus præcones fuit. Commendatur autem hac ratione euangelium, & ſic Pauli quoque quod in eo occupatur miniſterium. Supra ℣ſ. 3 id a Chriſto commendaverat, tanquam ab objecto; nunc ab eodem, ut a cauſa efficiente. *Filius Dei* pro Chriſto, κατ' ἐξοχὴν ſumto illo nomine, ut alibi ſæpe: quia nimirum Chriſtus omnium excellentiſſima ratione Dei filius eſt, ut apparuit ℣ſ. 4. Interſerit autem, *in ſpiritu meo*, id eſt, ex animo, toto pectore, toto corde, non externa tantum aliqua ratione, ſeu ut ipſe de ſervis loquitur, κατ' ὀφθαλμοδουλείαν, ſed ἐκ ψυχῆς Eph. 6. 6. Col. 3. 22, 23. Particula *in* ex Hebraiſmo profecta in Latino & Græco redundat: Sic & ibi: *Diliges Dominum Deum tuum, in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua* Matth. 22. 37 ex Deut. 6. 5, id eſt toto corde, anima, mente: quanquam pro ea apud Græcos & Latinos licet reponere *ex*, ut in illo Deuteronomii loco videmus factum a LXX & a Luca Luc. 10. 27, & a veteri interprete etiam apud Matthæum.

*Quod indeſinenter mentionem veſtri facio*: ὡς ἀδιαλείπτως. Particula ὡς, videtur poſita pro ὅτι, quanquam etiam poteſt ſuam propriam ſignificationem habere, ut ſignificet *quam*: poſſunt enim in hac indeſinentia, ut ut ita loquar, ac aſſiduitate eſſe gradus.

*Indeſinenter*, id eſt, ſubinde, quam frequentiſſime, ſum in eo aſſiduus. Dicimur enim aliquid indeſinenter facere, cum in eo aſſidui ſumus, ac creberime illud facimus. Sic dicitur aliquis indeſinenter legere, ſcribere, diſcere: non quod nunquam intermittat iſta; ſed quod ea nunquam relinquat.

*Memoriam veſtri facio*, nempe in precibus: quod fiebat, dum pro illis & gratias agebat, & orabat.

Verſ. 10. *Semper in precibus meis rogans.* Adjecit nunc quidpiam peculiare, quod pro Romanis orans unice etiam a Deo flagitabat, & in quo ſingularis etiam benevolentia Pauli erga Romanos cernitur, illud autem erat:

*Si quo modo tandem aliquando proſperum iter haberem in voluntate Dei, venire ad vos.* Nonnulli interpretes conjungunt participium δεόμενος, id eſt *rogans*, cum verbis ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, id eſt *venire ad vos*, hoc eſt *ut veniam ad vos*, ut hoc modo ordinentur verba: *ſemper in precibus meis rogans, ut ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter mihi detur* (aut *contingat*) *ex voluntate Dei, veniam ad vos.* Alii participium illud cum proximis connectunt, & verba ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, cum verbo εὐοδωθήσομαι, q. d. ſemper in precibus meis rogans, num qua ratione tandem aliquando proſperum iter mihi contingat, ut veniam ad vos: ut illis verbis εἴ πως, exprimatur conatus Pauli, in re non ſatis certa: & ante ἐλθεῖν ſubaudiatur ὥστε, vel, ut alias infinitivus ſæpe ſolet, finem denotet, quod interdum ſignificatur articulo τοῦ præfixo, quanquam is interdum etiam omittitur. Senſus eodem recidit; quanquam prior interpretatio aliquanto planior eſt. Cum dicit, *tandem aliquando*, apparet, dudum id eum in animo ſuo volviſſe & agitaſſe, ſed opportunitate ſemper fuiſſe deſtitutum, ut paulo poſt videbimus ℣ſ. 13; habent hæc verba ſignificationem quandam moleſtiæ ex mora natæ. Cum addit, *in voluntate Dei*, q. d. per voluntatem Dei, ſeu ita volente Deo; cauſam proſperitatis itineris hanc exprimit, nimirum, ut velit Deus eum Romam proficiſci,

ut ta-

ut talis ſeſe occaſio & commoditas Romam proficiſcendi offerat, quam ipſe Deus ſubminiſtret. Non dubium enim eſt, quin tantus apoſtolus divino ductu ac inſtinctu itinera ſua, præſertim talia, inſtituerit.

Verſ. 11. *Deſidero enim videre vos.* Cauſam affert ejus, quod dixerat, nimirum ardens quoddam deſiderium ipſos videndi: ſed ne quis fortè arbitraretur, Paulum carnalis alicujus commodi cauſa Romam velle proficiſci, in urbem tam opulentam; propterea addit, quem in finem eorum conſpectum tantoperè deſideret. Hic autem non erat carnale quoddam ipſius commodum, ſed eximium & ſpirituale commodum Romanorum.

*Ut aliquod impertiar vobis donum.* Non ut ego aliquid a vobis accipiam, aut pecunia vos emungam, & lucellum aliquod reportem: ſed contra, ut ego vos munere aliquo & dono augeam. *Sed addit: ſpirituale,* ne quis eum de carnalibus donis loqui putet. Aurum enim & argentum non habebant apoſtoli: ſed omni auro & argento potiora dona conferebant. Videtur autem loqui de donis illis ſpiritualibus, quæ per manus Apoſtolorum dabantur: niſi malis, pleniorem tantum myſteriorum euangelicorum cognitionem doni illius nomine intelligere. Hujus iterum doni finem ſubjungit, *ad confirmari vos,* id eſt, ut per hæc dona ſpiritualia, confirmemini in ſanctiſſima hac religione noſtra. Hic enim erat finis divinorum illorum donorum.

Verſ. 12. *Hoc vero eſt.* Confirmationem illorum dicit eſſe mutuam conſolationem, propterea quod ex Romanorum confirmatione profectura erat. Non ſemel enim effectus de ſua cauſſa prædicatur, & ſic res aliqua illud eſſe dicitur, quod efficit: aut etiam contra, vide 1.Cor. 1. 30. Coloſſ. 1. 27. III. 4. 1 Theſſ. 2. 19. 1. Tim. 1. 1. συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν. Ut non ſolum vos ex mea fide, ſed ego etiam ex veſtra ſolatium & voluptatem percipiam, atque hac ratione una vobiſcum gaudeam. Ne inſolentius videatur agere, qui Romanos tantum ex ſe fructum aliquem percepturos dixerit; fructum illum ejusve effectum ſecum quodammodo commune fore docet, & ſic ſe quoque aliquid fructus ex ipſis percepturum affirmat. ἐν ὑμῖν, id eſt, apud vos, ſeu inter vos. *Per mutuam fidem, veſtram & meam.* Mutuæ conſolationis cauſa futura erat communis utriſque fides, quam mutuo in ſeſe deprehenſuri eſſent, Romani in Paulo, Paulus in Romanis, præſertim a ſe ita confirmatis.

Verſ. 13. *Nolo autem vos ignorare fratres.* Objectionem quandam occupat: Dixeret paulo antè, ſe ſummo deſiderio teneri videndi Romanos: quocirca ne quis fortè interroget, Cur ergo ad nos jampridem non veniſti, quandoquidem tantopere conſpectum noſtrum expetis? Subjungit hæc verba, quibus oſtendit, non defuiſſe ſibi voluntatem ac conſilium Romanos viſendi; ſed tantum commoditatem.

*Sæpe propoſui venire ad vos.* Non ſemel tantum atque iterum, ſed ſæpè conſtitui ac decrevi ad vos proficiſci.

*Et prohibitus ſum hucuſque.* Et poſitum eſt pro *ſed,* Hebraico more, ut, 2.Cor. 4. 7. XII. 9. Hebr. 10. 38 Iac. 2. 13. IV. 2, & alibi ſæpe. Prohibitus autem fuit Paulus, ne in negotiis aliquibus carnalibus; ſed dum occaſionibus promovendæ veritatis & euangelii inhiat, dum una urbs, aut una regio poſt aliam ſeſe offert, & ad prædicandum apud ſe euangelium apoſtolum invitat: qua de re vide cap. 15 ℣. 22, 23, ubi oſtendit quomodo impeditus fuerit quominus ad Romanos veniret. Alibi de ſimili itinere loquens, ſe a ſatana impeditum ait 1 Theſſ. 2. 18. Is enim interdum, Deo permittente, impedimenta objicit itineribus aliisve actionibus, ad hominum ſalutem ſpectantibus. Sunt autem hæc verba veluti in parentheſi legenda, hoc modo: ſæpe propoſui venire ad vos, (ſed impeditus fui hucuſque.)

*Vt fructum aliquem habeam in vobis.* In his enim ultimis verbis, finalis cauſa adventus apoſtolici ad Romanos exprimitur. Fructus autem iſte, quem apoſtolus habere poterat apud Romanos, & habebat apud alias gentes, erant homines ad Chriſtum converſi, vel etiam plenius in Chriſti religione confirmati & inſtructi: ſeu quod eodem recidit, hominum converſio, & in fide confirmatio. De eodem fructu videtur loqui Chriſtus Ioh. 15. 16.

*Quemadmodum in reliquis gentibus.* Scilicet fructum ejusmodi habeo. quantum autem inter reliquas Gentes hucuſque jam profecerit, ipſe explicat inf cap. 15. 18 & ſeqq. Hoc autem modo operam ſuam in euangelio prædicando a fructu commendat, & eam Romanis quoque optabilem reddit, atque ut ſuum adventum deſiderent efficit. Simul a. hac comparatione cauſam reddit, cur etiam apud ipſos fructum habere cupiat, cum & Romani in Gentium ſint numero: qua de re ſup. ℣. 56. Indicat etiam ſe non minus aliis eam operam præſtare, quam ipſis polliceatur: ne ſuam hic dignitatem reſpici putent. quod apertius exprimit in ſeqq.

Verſ. 14. *Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Oſtendit cur dixerit, ſe ideo cupere Romam venire, ut & illic homines ad Chriſtum convertat, aut ſaltem jam converſos in Chriſtiana religione plenius inſtruat & ſtabiliat; ne quis fortè putet, eum ſeſe ingerere rei nihil ad ſe pertinenti, & hac in parte gloriolam tantum aliquam & laudem affectare. Hoc enim ideo fieri dicit, quod id muneris ſui ratio requirat & exigat; quod ſit debitor omnium Gentium, hoc eſt, quod peculiari munere ſibi divinitus impoſito, obſtrictus ſit ad prædicandum omnibus gentibus euangelium. qua de re jam ſupra dictum eſt ℣. 5. Dividit autem omnes gentes in Græcos & Barbaros. Vix eſt credibile, Paulum ad Romanos ſcribentem eos Barbaris accenſere. quare Græcorum nomine eos comprehendi neceſſe eſt: ac porro eorum nomine per Synecdochen ſpeciei, omnes Gentes cultiores intelligi: quemadmodum infra ℣. 16 & cap. 2. 9, 10 omnes prorſus Gentes & cultas & incultas hoc nomine intelligit. Ideo autem Græcos, pro gentibus cultioribus poſuit, quia inter gentes cultiores Græci a multis jam ſeculis ſapientiæ laude excellebant, & cæteris lucem quodammodo ea in re præferebant: ac præterea tum ipſi patebant latiſſimè, tum vero inprimis eorum lingua. Omnes enim tum temporis gentes cultiores lingua Græca, quemadmodum nunc Latina, pervaſerat. Per Barbaros autem intelligit gentes & nationes minus cultas. Ideo veluti explicaturus hæc nomina, ſubjungit, *ſapientibus & inſipientibus.* quanquam his nominibus tum Græcorum tum Barbarorum ſubdiviſio quædam contineri poſſet; q. d. cultioribus & incultioribus: per *inſipientes* enim intelliguntur homines ingenio non exculti: ſed prius magis eſt conſentaneum vero. Significat autem his verbis apoſtolus, euangelium ad omnes omnino gentes hominesque pertinere: nullam hic eſſe apud Deum proſopolepſiam: & ſe quidem debere Græcis ipſisque adeo Romanis euangelium annunciare; ſed non propter eorum ſapientiam, aliamve ſimilem præ cæteris

excellentiam : cum etiam Barbaris & inſipientibus, modo religionis ac pietatis ſint capaces, idem debeat.

Verſ. 15. *Sic quod ad me, promtum & vobis, qui Romæ eſtis, euangelizare.* οὕτω *ita*, pro *itaque* videtur poſitum, ut nonnulli interpretes reddiderunt. Infert enim iſta ex ſuperioribus: q. d. Cum ergo omnibus Gentibus obſtrictus ſim, ut illis euangelium annunciem; proinde vobis etiam Romanis paratus ſum euangelium annunciare. Quanquam eodem revera ſenſu manente dicere poſſes, particulam οὕτω vim ſuam retinere, & quandam his & ſuperioribus verbis ſubeſſe comparationem inter Pauli animum & officium: q. d. quemadmodum debeo & Græcis & Barbaris hoc eſt, & ſapientibus & inſipientibus euangelium prædicare: ita etiam paratus ſum non aliis tantum, ſed etiam vobis Romanis, qui inter alios excellitis, id prædicare. Nihil autem prohibet, quominus interim poſterius comparationis membrum ex priori inferatur: imo ſæpè rationes ita cum concluſionibus connectimus. Addit, *quod ad me*, ſeu quantum in me eſt, ita ut, ſi hoc hactenus factum non fuerit, id non mea culpa, aut ideo quod humanæ lucis radios oculi mei ferre nequeant, ac me doctrinæ meæ apud homines potentes, & ſapientes ſuppudeat, acciderit: ſed quod, ut ante dixi, impeditus fuerim, & cum aliis Gentibus & nationibus inſervio, non potuerim vobis Romanis operam meam impendere. In illis verbis, *& vobis qui Romæ eſtis*, ineſt quædam emphaſis, q. d. non tantum in urbibus aut nationibus minus cultis aut obſcurioribus, ſed in ipſa Roma, quæ Gentium omnium eſt caput, in urbe omnium clariſſima, ſplendidiſſima & cultiſſima, paratus ſum euangelium prædicare, ne quis forte ſuſpicetur euangelicam hanc lucem hominum lucem fugere, & noctem ac latebras quærere. Propterea ſtatim ſubjungit:

Verſ. 16. *Non enim me pudet euangelii Chriſti.* Rationem ejus quod dixerat, ſe etiam Romæ paratum eſſe euangelium prædicare, una cum tacitæ objectionis occupatione ſubjungit: q. d. Neque enim eſt quod quis putet, me ideo non audere Romæ prædicare euangelium, quia ejus me rei, in tanta præſertim hominum luce atque urbis illius ſplendore, pudeat. Haud quaquam ita ſe res habet. Euangelium hoc loco ſumitur pro euangelii prædicatione, ut ſup. ℣ſ. 1 & 9. Cur Chriſti dicatur, explicatum eſt eodem ℣ſ. 9.

Hucuſque epiſtolæ iſtius exordium extenditur. Sequitur jam principalis tractatio, ejuſque pars prima, ex qua, ut ab initio monuimus, cæteræ quodammodo derivantur. In ea ita progreditur apoſtolus, ut primo omnium propoſitionem ſeu argumentum principale, circa quod ea occupatur, exprimat: deinde id confirmet atque illuſtret. Confirmat potiſſimum uſque ad finem cap. quarti: Illuſtrat cap. quinto. Propoſitio eſt: quod in euangelica doctrina, a Deo promulgetur modus juſtificationem ac ſalutem conſequendi, non ut ſub Lege, per opera, ſed per fidem: nec ad unam tantum Gentem Iudaicam, ſed ad omnes omnino Gentes ſpectans. Ea autem continetur in ſequentibus verbis, quibus apoſtolus rationem explicat, cur ſeſe euangelii Chriſti minimè pudeat: nempe cum addit:

*Potentia enim Dei eſt in ſalutem omni credenti & Iudæo primum & Græco*, quanquam & illa quæ ℣ſ. 17 rationis loco afferuntur, partem ejus argumenti priorem, quæ etiam potior eſt, propius explicant. Neque vero eſt quod quis dicat, principalem propoſitionem potius contineri in præcedenti particula, *non pudet me euangelii Chriſti*, quam in his de quibus nunc agimus: quandoquidem in his illorum reddatur ratio. Solet enim apoſtolus, occaſione aliorum, quorum rationem affert, ad principale inſtitutum delabi, ut videmus fieri Gal. 2. 16, ubi occaſione eorum, de quibus cum Petro locutum ſe dicit, principalem epiſtolæ propoſitionem, alterius rei rationem afferens, exprimit. Quod ſi ratio illa firma foret, ne præcedentia quidem verba, *non enim me pudet euangelii Chriſti*, principalem propoſitionem continebunt; quandoquidem in illis quoque ratio aſſertur ſuperiorum, per prolepſin, ut particula *enim* indicat, & a nobis eſt explicatum. Non illa autem, ſed hæc, præſertim ſi ſequentia addantur, ubi juſtificationis aperta fit mentio, principale orgumentum continere, partim inde apparet, quod verba apoſtoli, quibus affirmat non pudere ſe euangelii Chriſti, ſint aliquid perſonale, ſeu ad perſonam apoſtoli nominatim pertinens; argumentum autem principale hujus epiſtolæ, generale eſſe debeat: partim ex eo, quod in ſeqq. capp. nuſpiam repetitur, quod Paulum euangelii non pudeat; ſed hoc, quod per fidem juſtificemur ac ſervemur. Principalis autem propoſitio poſtea fit concluſio, nec fieri poteſt, ut ea in tam copioſa tractatione nuſpiam repetatur. In his ergo & ſequentibus principalis quæſtio continetur. Continetur autem his verbis inſignis quædam & nervoſa, licet brevis, euangelii Chriſti ejuſque prædicationis commendatio. Primum euangelii prædicationem vocat *potentiam Dei*, propterea quod in ea divina potentia, & quidem ſumma & ſingulariſſima ſeſe exeruerit. Euangelicæ enim prædicationi erant adjuncta ſtupenda miracula, quæ præcones euangelii & inprimis apoſtoli, ac inter eos Paulus, divina virtute præditi patrabant: quibus adjungenda eſt ſpiritus ſancti, ſeu donorum ſpiritualium, quæ per eoſdem apoſtolos dabantur credentibus, diſtributio. Simili metonymia & ſermo crucis, & ipſe Chriſtus crucifixus vocatur Dei potentia 1 Cor. 1. 18, 24; eadem Simon Magus quoque Dei potentia & quidem magna, Act. 8. 10, quanquam ex opinione vulgi, vocatus fuit.

Hinc autem commendationem euangelii exordiri decebat, a re nimirum manifeſta & in omnium oculos incurrente, eaque inſigni & minimè vulgari. Deinde commendat eandem prædicationem euangelii a fine duplici, fine *cujus*, & fine *cui*. Finis cujus, eſt *ſalus*, ideo addit, *in ſalutem*, id eſt, quæ potentia Dei, prædicationi euangelii conjuncta, & in ea exſerta, ac proinde etiam ipſa prædicatio tendit ac dirigitur in ſalutem, ſeu ad afferendam & conciliandam ſalutem, ſalutem nimirum animarum, ſalutem ſempiternam, quæ in liberatione ab omnibus malis, & in ſummorum ac ſempiternorum bonorum adeptione conſiſtit. Finis *cui*, eſt *omni credenti*, quibus verbis potiſſimum differentia evangelii a Lege innuitur. Lex enim afferebat ſalutem (quanquam æternam non niſi myſticè pollicebatur) ſed operanti; non credenti: Euangelium autem credenti, etiamſi opera, nempe perfecta, non habeat: Lex afferebat ſalutem Iudæo, euangelium autem *omni* homini, ſive Iudæus ſit, ſive Græcus, dummodo credat, ideo addit apoſtolus:

*Et Iudæo primum & Græco*, ut voculam *omni* explicaret. Græcus autem hoc loco non opponitur Barbaro, ut ſupra: ſed Barbarum etiam includit, & omnem Gentilem hominem ſignificat, ac *Iudæo* tantum opponitur. Synecdoche eſt ſpecici: Species enim excellentior pro toto genere ſumitur: præſertim quia, ut

ſupra diximus, latiſſime patebat eorum lingua, eſſentque a longo jam tempore Judæis præ cæteris notiores. Noluit autem apoſtolus ſimpliciter dicere *& Judæo & Græco*, licet id loquendi conſuetudo & uſus poſtulet: ſed contra conſuetudinem loquendi, magis rerum quam verborum rationem habens, interſeruit vocula *primum*, ne videretur nullam omnino Judæis prærogativam præ Gentibus reliquiſſe, iiſque Gentes prorſus exæquaſſe. Hac ergo particula tribuit illis quidpiam hac in parte præ Gentibus: licet ex altera parte tantum Gentibus relinquat, quantum ſatis eſt, & quo illæ merito poſſunt eſſe contentæ. Prærogativa autem hæc eſt, quod præcipue ac principaliter ſalus ad Judæos credentes pertineat, utpote illis prophetarum oraculis promiſſa. Meſſias enim, una cum omnibus bonis, quæ ſecum allaturus erat, Judæorum juris, ut ſic dicam, erat: Gentes autem nullum jus ad hæc bona habebant; ideoque etiam infra aliquoties, hanc Judęorum præ Gentibus prerogativam inculcat, cap. 3, & 9, & 11, & omnium apertiſſime cap. 15. 8, 9. quocirca videtur apoſtolus hac quoque particula proponere aliquid, quod inferius exequi & uberius explicare ac confirmare in animo habeat. Quare ſuis locis ea de re agemus. Vide etiam Eph. 2. 12 & ſeqq. Act. 3. 25, 26. XIII. 46. Similis loquendi ratio occurret inf. cap. 2. 9, 10. Non abſimilis eſt & illa 2 Cor. 8. 5, *ſeipſos tradiderunt* (Macedones) *primum domino & nobis*, id eſt deinde & nobis: ſed omittitur prius *&*, quod in hoc ad Rom. loco extat, ad paritatem quandam indicandam, quæ in illo ad Cor. locum non habet.

Verſ. 17. *Juſtitia enim Dei in ipſo revelatur, ex fide in fidem.* Probat id quod dixerat, quanquam non totum, ſed id, quod tum temporis inter Paulum & Judæos maxime erat controverſum, quodque ſibi in hac epiſtola præcipue demonſtrandum ſumſit, nempe omnem credentem ex euangelio ſervari. Euangelium eſſe potentiam Dei, tanquam rem ex effectis manifeſtis notam, de quibus infra cap. 15 non nihil differet, hic non probat: ſed id, in quo cardo rei vertebatur, aggreditur: quanquam eo ipſo, dum rationem affert, præcipuum controverſiæ ſtatum propius adhuc deſignat. Quod modo dixerat, nempe euangelium eſſe potentiam Dei, in ſalutem omni credenti, id eſt, omnem credentem per euangelium ſalutem æternam conſequi; ratio eſt quod in euangelio reveletur modus conſequendi juſtificationem per fidem. Si autem homines per fidem juſtificari poſſunt, poſſunt etiam ſervari: quandoquidem nemo a Deo juſtificari poteſt, quin Deus cum illo agat tanquam cum juſto & nullius peccati reo. Atqui Deus decrevit ita cum juſtis & inſontibus agere, ut eos ab æterna morte, quam maxime propriam peccatorum pœnam eſſe voluit, liberet, & vitam ſempiternam illis largiatur. *Juſtitia* ſumitur pro juſtificatione, cujus rei infra plura habemus exempla, & opponitur condemnationi: cap. 3. 21, 25. cap. 10. 3 addit, *Dei*, ut appareat eum loqui de juſtificatione, quæ a Deo proficiſcatur, & quæ coram Deo ſit, de juſtificatione qua Deus hominem juſtificat, ſeu cum illo, tanquam cum juſto agere decernit. Probabile eſt, quod quidam annotant, apoſtolum hic reſpicere ad verba Eſaiæ cap. 56. 1: *Sic dixit dominus: Cuſtodite judicium: & facite juſtitiam, nam prope eſt ſalus mea ut veniat, & juſtitia mea ut reveletur*, quemadmodum & in Pſalmo 98. 2, ubi ſimilia extant verba itidem prophetiam continentia, licet, ut ſæpe apud prophetas accidit, in præterito ſint concepta, ob ſenſum præſertim literalem: *Notam*, inquit, *fecit Dominus ſalutem ſuam, in oculis Gentium revelavit juſtitiam ſuam.* Quanquam in his locis *juſtitia Dei*, vel plane idem ſignificat, quod *ſalus Dei*, hoc eſt ſalus, quam Deus præſtet, quæ a Deo proficiſcatur: vel, ut viris quibuſdam doctis placet, *juſtitia Dei*, ſumitur pro attributo quodam ipſius Dei, hoc eſt vel pro fide ipſius in ſervandis promiſſis, vel pro beneficentia. Apud apoſtolum pro effectu quodam a Deo in homines manante ſumi jam vidimus; licet a ſalute differat, ut cauſa a ſuo effectu. Deinde & vox Revelandi, in iſtis prophetarum locis poſita eſt pro verbo exhibendi, vel manifeſte exiſtendi: cum hoc noſtro loco proprie ſumatur, pro rei promulgatione, ſeu patefactione ejuſmodi, quæ fit per prædicationem, ejuſque confirmationem. Additur enim *in ipſo*, nempe euangelio, ſeu euangelii prædicatione: poteſt *in* ſumi pro *per*, eadem manente ſententia, hoc eſt, per euangelii prædicationem.

*Ex fide.* Verba præcedentia, quorum hic probatio continetur, ſatis oſtendunt, hæc verba conjungenda eſſe cum verbis, *juſtitia Dei*, non vero cum verbo, *revelatur*. Itaque ſenſus eſt: Juſtitia Dei ex fide revelatur per euangelium. Juſtitia autem Dei ex fide, eſt juſtificatio, qua *Deus* hominem ex fide, ſeu propter fidem juſtificat. Opponitur autem, ut jam ante diximus, operibus, nempe perfectis, quæ juſtificationem ſua vi mererentur, & gratiam divinam excluderent, qualia Lex Moſaica poſtulabat. Significat autem, talem in Deo; & ſub Novo quidem fœdere per Chriſtum in eo collocatam fiduciam, ut firmiter credas Deum ac Chriſtum eſſe, & remuneratorem eſſe eorum qui ipſum quærunt, hoc eſt qui ejus favorem recte factis ambiunt; ac porro ut eum remuneratorem reipſa ſentiant, atque experiantur, hac ſpe ac fiducia ducti eum etiam reipſa quærunt, ac pro viribus ei parent, qua de re fuſius diximus ad Gal. 2. 16, & infra paſſim dicturi ſumus. Hæc fides exactam ac perpetuam divinorum mandatorum obſervationem, ut Lex, non requirit: cum in eum etiam cadat, qui antea creberrime ac graviſſime *Deum* offendit; & nunc etiam, poſtquam *Deo* cœpit confidere, interdum ex infirmitate labatur. quamprimum ea fides in homine incipit, incipit & juſtificatio, & ſi ſpiritu ſuo, hoc eſt bonis operibus animata ſit, idque conſtanter, juſtificatio etiam penitus abſolvitur, & ſalutem homini parit. *In fidem.* Cauſam finalem exprimit, revelationis ſeu promulgationis juſtificationis, a *Deo* per fidem obtinendæ, nempe ut fides obtineat, ut homines credant, ut fidem per quam tanto bono potiri poſſunt, amplectantur, tacite videtur innuere diſciplinæ Legalis, quæ opera urgebat, & exigebat, interitum. Trajectio verborum, *ex fide*, hunc locum obſcuriorem reddidit: putarunt enim plerique omnes, omnino iſta cohærere ſententia, *ex fide in fidem.* Atqui verba illa *ex fide* ut jam innuimus, cohærent cum vocibus *juſtitia Dei.* Quare hoc modo collocanda ſunt, ſi verum ordinem ſpectes, verba: Nam juſtitia *Dei* ex fide revelatur in ipſo, in fidem, hoc eſt, in hoc ipſum, ut fides apud omnes obtineat, & ubique regnet, ubivis locorum homines eam amplectautur. Videtur hujuſmodi traductione, ejuſdemque vocis continua repetitione, cui trajectio inſervit, delectatus fuiſſe Apoſtolus. Sic cap. 6. 19: *Exhibuiſtis membra veſtra ſerva immundati in iniquitatem*, id eſt ut patraretur iniquitas. Sic 2 Cor. 3. verſ. ult. *transformamur a gloria in gloriam*, id eſt, ut & ipſi glorioſi ac ſplendidi fiamus. Hactenus propoſitionem principalem

vidimus: ſequuntur probationes, quas diximus extendi uſque ad finem cap. 4. Primam probationem ex ſcripturæ teſtimonio petit, ob Iudæos, qui juſtificationem per fidem potiſſimum oppugnabant, & Sacrę ſcripturæ contrariam aſſerebant, in ea enim legem ejuſque obſervationem urgeri. Oſtendit ergo Paulus, illum juſtificationis adipiſcendæ modum, quem in euangelio proponi dixerat, non tantum non eſſe ſcripturæ Sacræ contrarium, ſed etiam illius teſtimonio comprobari, dum ait: *Scriptum eſt enim*, nempe apud Prophetam Habac. cap. 7. 4: *Iuſtus autem ex fide vivet.* Quanquam vero jure dici poteſt, in his prophetæ verbis vaticinium contineri, quo doceatur, quid ſub Novo Fœdere Deus ſit facturus, qualem juſtificationis ac vitæ conſequendæ modum hominibus ſit propoſiturus; nihilominus tamen non tam id probat apoſtolus, *in evangelio revelari* juſtitiam Dei, ſeu juſtificationem ex fide; quam ſimpliciter juſtitiam ſeu juſtificatiouem ex fide dari, ſeu eam per fidem eſſe obtinendam. Hoc ſiquidem erat, de quo inter ipſum & Iudæos controvertebatur. Neque enim Iudæi dubitabant, in euangelio hunc juſtificationis modum proponi, præſertim Paulo id aſſerente; ſed potius ob id ipſum fidem euangelio derogabant, quod juſtificationem proponeret, non per Legis Moſaicæ obſervationem, ſed fide obtinendam. Retinet autem apoſtolus in verbis Prophetæ citandis, particulam *autem*, quæ in contextu Prophetæ oppoſitioni ſervit: hic vim nullam habet. Ita enim ibi legitur: *Ecce elata eſt, (vel extulit ſe) non recta anima ejus in eo: & juſtus in fide ſua vivet.* Ubi *&* poſitum eſt pro *ſed*, vel *autem*: qui Hebraiſmus notatus eſt a nobis paulo ſuperius vers 13. Iuſtus opponitur ei, cujus *non eſt recta anima.* Itaque ex Sacrarum literarum conſuetudine hominem animo recto, probo, ac porrò virtutis amantem ac ſtudioſum intelligit. Beviter eum, qui juſtitiam facit. quemadmodum Iohannes juſtum deſcribit 1. epiſt. 3. 8: non quod nunquam labatur, ſed quod pro viribus juſtitiam colat, & ſic ſaltem plerumque id faciat quod rectum eſt, nunquam elato brachio Deum offendens. Voces *ex fide* in Hebræo, ut vidimus, habentur *in fide ſua. In* & *ex* eandem hic vim habent, cujus rei exempla alia attulimus ſupra vers 9. Significat autem, per fidem, ſeu ob fidem, fidei vi. Quod vocula *ſua* omiſſa eſt, in eo parum eſt ſitum: ex reipſa enim quivis intelligit, de fide non aliena, ſed ipſius juſti propria, ſermonem eſſe. Etſi autem voces illæ *ex fide*, poſſint & præcedenti nomini *juſtus*, & ſequenti verbo *vivet* jungi: tamen eas apoſtolus noſter Gal. 3. 11, 12, potius junxiſſe videtur verbo ſequenti. Opponit enim ibi *vivere ex fide*, & *vivere in eis*, nempe præceptis Legis: & oſtendit, juſtum non ipſius juſtitiæ ſuæ vi ac merito vitam atque adeo juſtificationem conſequi; ſed vi fidei ſuæ, adeoque ex benignitate Dei fidem illam, juſtitiæ tamen operibus animatam, ad juſtificationem ac vitam homini imputantis. Apud Prophetam quoque voces illæ *in fide ſua* cum verbo *vivet* ſententia cohærent; q. d. Iuſtus autem fidei ſuæ, ſecundum Dei gratiam debebit, quod ſit victurus, & interitum evaſurus. quia enim *D*eo, licet moram trahenti & promiſſa ſua differenti, credere non deſiit, & ſic juſtitiam ſuam ob diffidentiam non deſeruit; ideo interitum effugiet, & vitam præmii loco reportabit. Videantur antecedentia Prophetæ verba, ubi ad perſeverantiam in fide hortatur, etiamſi Deus moram trahere videatur. Neque vero hoc loco quicquam obſtat, quod in præcedentibus, quæ hoc Prophetæ loco probantur, voces *ex fide* jungunter cum verbis *juſtitia Dei.* Etenim in *vivendi* voce *juſtitia illa Dei* comprehenditur, non in voce *juſtus*: quod locus ille apoſtoli ad Gal. cap. 3 docet. Ibi enim probaturus, neminem per Legem juſtificari coram Deo, hoc Prophetæ loco utitur, in quo *vita ex fide* promittitur, cui opponit modum juſtificationis aſſequendæ legalem, in illo Levit. loco comprehenſum; *Qui fecerit ea homo vivet in eis:* utrobique vitæ nomine juſtificationem comprehendens. Per vitam enim intelligit vitam felicem, & liberationem a morte atque interitu, ſenſu quidem literali a temporaneo; myſtico autem ab æterno. Vita autem illa ac liberatio ab interitu nemini contingit, niſi ei, quem Deus pro juſto reputat, ſeu tanquam juſtum tractat. Hoc enim juſtitiæ ac innocentiæ præmium ab eo fuit conſtitutum. In voce autem *juſtus*, non comprehendi juſtificationem partim ex eo patet, quod non modo alias rarum ſit, juſti nomen pro juſtificato ſumi; verum etiam nullus huc uſque nobis occurrerit locus, ubi ea vox, ſubjecti locum obtinens, pro juſtificato ſumatur; cum ſemper pro homine probo pietatis ac ſanctitatis ſtudioſo tunc accipiatur: partim vero ex eo, quod hoc modo enervaretur vis argumentationis apoſtolicæ in loco ad Gal. Quomodo enim ex eo, quod is, qui ex fide juſtificatur, victurus ſit, ſequitur, neminem ex Lege juſtificari? Eſto, dicet aliquis, vivat is, qui ex fide juſtificatur dummodo is quoque juſtificetur, qui Legem ſervaverit. Neque eſt quod dicas, ſubaudiendam eſſe particulam excluſivam *demum*, aut *tantum*, q. d. Is tantum, qui ex fide juſtificatur, vivet. Tacitè enim poni videretur, dari aliquem, qui alia quoque ratione juſtificetur, & tamen non ſit victurus: vel, etiamſi daretur, non victurum tamen: id quod falſum eſt, eſtque ex parte id ipſum quod apoſtolue impugnat. At, ſi vocem juſti ſumas pro pio ac ſanctitatis ſtudioſo, rectè argumentatur apoſtolus. Significabitur enim, neminem ita eſſe juſtum, ut ipſius juſtitiæ ſuæ vi ac merito juſtificetur, ac vitam conſequatur, alioqui non diceretur eum *ex fide* demum victurum; ſed affirmandum ſimpliciter foret, eum victurum, aut *ob juſtitiam ſuam* victurum. Indicatur ergo, juſtitiam illam non eſſe uſquequaque perfectam, ſed talem, qua nil obſtante homo damnari poſſet, ſi Deus jure ſuo uti vellet: ſed id *D*eum ob fidem illius hominis, quam in ſe collocarit, & ob quam ſibi conſtanter paruerit, nun facturum, verum pro ſua benignitate vitam ei donaturum.

Verſ. 18. *Revelatur enim ira Dei.* Sequitur altera ejuſdem propoſitionis probatio, qua ipſius quoque illius vaticinii, quo juſtum ex fide victurum pronunciatur, ratio redditur, & fundamentum totius hujus inter Paulum & Iudæos controverſiæ ſternitur; idque ita, ut tacitæ objectioni occurratur: qui modus probandi dicta ſua Paulo eſt familiariſſimus. Dicere enim aliquis potuiſſet: quid cauſſæ eſt Paule, cur in euangelio promulgatur ratio juſtificationem ac porro vitam ſalutemque obtinendi per fidem? cur non potius ejusmodi ratio, ut homines juſtitiæ ſuæ vi, operumque merito, ut in Lege doceri videmus, juſtificationem quærant? Huic ergo objectioni ut occurrat apoſtolus; rem veluti a capite arceſſit, & rationem exponit, cur Deus hujusmodi juſtificationis aſſequendæ rationem in euangelio propoſuerit, eum juſtificationis modum, qui eſt per opera, ſubvertens, ac nullum habere locum oſtendens. quo pacto etiam ad Galatas cap. 3. 10 cum ſcripturæ teſtimonio aſſeru-

aſſeruiſſet, juſtificationem & Judæorum, & Gentium, per fidem; a contrario idem probat, ex operibus Legis neminem juſtificari demonſtrans. Ut ergo oſtendat, homines per fidem, non vero per opera juſtificari, ac proinde in euangelio merito proponi ac revelari priorem illum juſtificationis conſequendæ modum; orditur apoſtolus demonſtrationem ſuam ab eo, ut probet, omnes homines graviter peccaſſe, & quidem ita, ut nullam excuſationem mereantur: ne quis putet, peccaſſe illos quidem, ſed peccata eorum ob ignorantiam venia eſſe digna, non vero digna eſſe pœna, præſertim mortis. Hoc autem in primis duobus capitibus rationibus potiſſimum demonſtrat: & primum quidem de Gentibus; poſtea etiam de Judæis: in tertio ſcripturæ teſtimoniis idem præſtat; & ſic demonſtrationem ſuam concludens colligit, neminem ex operibus Legis juſtificatum iri. Quare, ſi homines juſtificari debent, relinquitur, eos ſine operibus Legis per fidem juſtificari: quemadmodum ibidem concludit apoſtolus. Nullus enim alius reſtat juſtificationis modus. Nam vel operum meritis juſtificatio quærenda eſt, quem modum Lex præſcribit: vel per fidem, quem modum & euangelium proponit, & veteris teſtamenti ſcripta commendant ac promittunt. Tertius nullus ſupereſt, etiam ipſius rei ac rectitudinis ſapientiæque divinæ ratione inſpecta. Ut ſine omni pietate concedatur hominibus a Deo ſanctiſſimo juſtificatio, & ſic ſempiterna felicitas donetur iis, qui in peccatis perſeveraverint, & in eorum cœno ſe ad mortem uſque volutaverint; id fieri non poſſe, nec debere, ratio ipſa docet, & infra cap. 6 & 8 Paulus clariſſime demonſtrabit. Quare vel perfecta & omnibus numeris abſoluta ad eam rem requiretur vitæ ſanctitas, quæ juſtificationem plane mereatur, remiſſioni autem peccatorum ac gratiæ divinæ nullum relinquat locum: vel imperfectior, quæ remiſſionem peccatorum deſideret, & ſic a gratia divina pendeat: qualis ea eſt, quam fides in Deo ac Chriſto collocata parit, & a qua viciſſim tanquam corpus a ſpiritu animatur. Priorem illam locum non habere, in his & ſeqq. uti diximus, docet Paulus; unde relinquitur altera, quæ eſt per fidem. Hunc eſſe ſcopum horum & ſequentium verborum, tum per ſe facile eſt videre, tum cap. 3. 9 oſtendit apoſtolus, ubi, cum objectionem quandam occupans docuiſſet, quatenus inprimis Judæi præcellerent Gentibus, addit: *Quid ergo? præcellimus? non omnino. Antea enim accuſando docuimus, Judæos & Gentes omnes ſub peccato eſſe.* Ubi autem id fecit, niſi hoc & ſeq. capite? idque eo loco omnes plane agnoſcunt. Uſus eſt apoſtolus in hac ſua argumentatione ordine naturali: non ab eo medio, quod concluſioni eſſet proximum, ſed a remotiori, natura autem priori incipiens, hoc eſt fundamentum argumentationi ſuæ prius ſubſternens. Argumentatio enim, quam capite tertio clare proponit, eſt talis. Non juſtificamur ex operibus Legis; Ergo juſtificamur ſine iis, per fidem. Antecedentis ergo fundamentum primo loco ſubſtravit, quod eſt, nullum hominem hæc opera habere: quandoquidem omnes generatim graviſſimorum peccatorum ſint rei, tum Judæi, tum Gentes; ut deinde ſuper illud argumentationem ſuam extrueret, & homines per fidem juſtificari, ac proinde id merito per euangelium revelari & annunciari evinceret. Noluit apoſtolus in ipſo ſtatim limine mentionem operum apertam facere, noſque per ea juſtificari negare, ne forte hæc res Judæos offenderet, ſed maluit ad id ſenſim accedere: & non ante illud affirmare, quam id demonſtratione eviciſſet, & unumquemque ad confeſſionem ejus rei adegiſſet.

Jam ergo ut ad apoſtoli verba redeamus, ita affirmat omnes homines graviſſime peccaſſe, ut ejus rei certiſſimum ſignum & argumentum ſimul afferat. Argumentum autem hoc eſt divina pœna, quę homines perſequatur, quod & ipſum eo pertinet, ut appareat, homines per opera juſtificari non poſſe. Si enim eorum opera ſunt talia, ut ea Deus ſupplicio & ultione perſequatur, quomodo per opera juſtificari poſſunt? Itaque reliquam hanc capitis partem, in exaggeratione tum impietatis & injuſtitiæ hominum, qua pœnam fuerint commeriti, tum illius ipſius pœnæ, conſumit.

*Revelatur enim ira Dei*, ſeu *manifeſte apparet*. Revelatur non verbis, ſed reipſa; dum nimirum exiſtit & exeritur, idque aperte & manifeſte. Hoc ſenſu non ſemel verbum revelandi uſurpatur, nempe pro rei exiſtentia, eaque non occulta, ſed aperta ac manifeſta. Sic verſu præced. vidimus, ab Eſaia 56. 1, dici, *juſtitiam divinam revelatum iri*, hoc eſt manifeſte extituram, atque apparituram. Sic gloria dicitur revelanda in nos, inf. cap. 8. 18. Sic ἄνομος ille, ſeu exlex, dicitur eſſe revelandus 2 Theſ. 2. 3, 8, non verbis, ſed reipſa & opere, dum nimirum exiſtet. Exiſtet autem non occulte, ſed aperte, ita ut ab omnibus videri & conſpici, & cognoſci queat. Ita hic *Ira Dei* dicitur revelari, id eſt, pœna divina manifeſte exiſtere atque apparere, ita ut eam quivis, dummodo animum advertat, videre & cognoſcere queat. Utitur autem voce preſentis temporis *revelatur*, ut ejus durationem & continuationem indicet. Non quod eo demum tempore, quo hæc ſcribebat apoſtolus, exiſtere inciperet: ſed quod illo tempore adhuc duraret. Nam licet illo tempore Deus mundo non eſſet actu ipſo iratus, utpote qui mundum ſibi conciliabat, non imputans illi delicta, & pro ejus ſalute unigenitum ſuum filium impenderat 2 Cor. 5. 19, & deinceps; iræ tamen præteritę effecta & aperta indicia, quæ nunc tollere volebat Deus, adhuc extabant. *Ex cœlo.* Conjungi poſſunt hæc verba, vel cum *ira Dei*, vel cum verbo *revelatur*. Illo modo conſtructa, ſignificabunt iram Dei cœleſtem, id eſt, talem iram, quæ humana non ſit, ſed humana longe major, ac prorſus divina, quam omnes agnoſcere queant, non ab hominibus eſſe inflictam, ſed ex cœlo venire ac proficiſci. Si vero conjungantur cum verbo *revelatur*, idem erit ſenſus, diverſa tantum ratione prolatus. Si enim ex cœlo venit & exeritur hæc ira, apparet eam humanam non eſſe, ſed humana longe majorem ac graviorem, cœleſtem videlicet atque divinam. Sed rectius cum proxima voce *iræ Dei* conjungi videtur.

*Super omnem impietatem & iniquitatem hominum.* Jam ad demonſtranda & exaggeranda hominum peccata tranſit, ut iram hanc eſſe juſtam demonſtret. Duo autem peccati genera ponit: *impietatem*, quæ Deum; *injuſtitiam*, quæ proximum concernit, cui infra Apoſtolus adjungit etiam ſcortationem. Quicquid enim eſt in moribus flagitioſum, nec ad divinum cultum per ſe ſpectat, huic poſteriori veluti accenſetur. Utrumque genus deinde latius diducit, ac probat: impietatem quidem ℣. 21, 23, 25; injuſtitiam autem a ℣. 29 uſque ad finem capitis. Particula *omnem* hoc loco non videtur diſtributive ſumi, ſed collective: ita ut non ſignificet, Deum ſeparatim ſuper quamvis

impietatem ſigillatim iram ſuam effudiſſe : ſed ſuper eam univerſam. Indicat enim eſſe variam ac multiplicem impietatem, ita ut nulla ejus ſpecies, nullum genus deſit. Niſi dicere velis, eam tacitè diſtribui ex ſubjectis, ſeu ex variis hominum, qui eam deſignent, conditionibus, & ordinibus; q.d. ſuper impietatem quamvis, ſummorum, infimorum, ſapientum, inſipientium, adde etiam Iudæorum ac Gentium. Licet enim ad Gentium peccata ac flagitia deſcribenda paulatim accedat, hic tamen adhuc indiſtinctè loquitur de hominibus. Unde in Græco, voci ἀνθρώπων articulus nullus præfixus eſt.

*Τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων* : *veritatem in injuſtitia detinentium.* Articulus in his verbis non eſt ἀληθείας, ſeu ad diſtinctionem inter homines, de quibus ſermo eſt, ſignificandam adhibitus : ſed ἀποδεικτικὸς, hoc eſt, qui cauſam reddi indicet : quo pacto non ſemel uſurpatur, cum participiis, ut hic fit, præfigitur. Vide inter alia Marc. 12. 38. Act. 20. 32, & infra hac epiſt. cap. 4. 17 τοῦ ζωοποιοῦντος, & 1. Theſſ. 1. 10, & Hebr. 5. ult. Ejus vis exprimitur particula *utpotè*, relativo *qui* præfixa; ut hoc loco : *utpote qui veritatem in injuſtitia detinent.* Cauſam nempe iſtius iræ divinæ melius exprimit, & meritum iſtius impietatis atque injuſtitiæ hominum clarius oſtendit. Poterat enim aliquis cogitare, non poſſe ejuſmodi impietatem & injuſtitiam hominibus generatim objici, ob quam Deus illis merito iraſci, præſertim tam graviter potuerit : utpote cum eorum longè maxima pars, quales erant Gentes, Deum ejuſque voluntatem cognitam non habuerint, ut ita tum quid Deo, tum quid proximo debeatur ſcire poſſent. Lege enim carebant, ut infra cap. 2. 12, 14 : ignorantia autem peccatum excuſat. Itaque oſtendit apoſtolus, eos ignorantiam ad excuſandam impietatem & injuſtitiam ſuam prætexere non poſſe, cum veritatem nihilonus tenuerint. *Veritas* hoc loco non quamvis veritatem ſignificat, ſed eam, quæ ad religionem ac pietatem erga Deum, & ad reliqua honeſtatis officia ſpectat : qualis eſt inprimis cognitio de Deo, de ejus ſumma potentia & imperio, ac proinde de ipſius cultu & honore debito ac conveniente : tum etiam eam, quæ de officio erga alios, deque turpitudine variorum peccatorum, in quibus injuſtitia conſiſtit, & quam digni ſint pœna ac ſupplicio, qui talia peccata deſignant, habetur, quemadmodum apoſtolus docebit, partim ℣. 20, partim ℣. 32 collato cum præcedentibus 28 & d. Et hanc ob cauſam non ſimpliciter *veritatem* dixit, ſed cum articulo τὴν ἀλήθειαν, ut appareret, eum de certa & quidem minimè vulgari veritate loqui, ſeu de ea, quæ homines tum ad pietatem, tum ad juſtitiam colendam impellere, a contrariis autem abducere merito debeat. Hoc ſenſu infra eandem veritatis, ſeu τῆς ἀληθείας vocem uſurpavit apoſtolus, cap. 2. 10. Hanc ergo *veritatem* dicit *homines in injuſtitia detinere.* Detinent eam, quatenus intus in animis & conſcientiis eorum luctantem, & erumpere conantem opprimunt, eique ſe opponunt, nec permittunt ut in opera erumpat, & vires ſuas in iis exerat; quanquam vox κατέχω etiam ſimpliciter reddi poteſt, *tenent* vel *poſſident.* quo pacto ſequentia *in injuſtitia*, idem ſignificarent, quod *cum injuſtitia.* *In* enim pro *cum* Hebraico more ſæpe uſurpari & ſupra monuimus ℣. 4, & exemplis allatis docuimus ad locum Gal. 1. 6. Sed ſi vertas, *detinent in injuſtitia*, erit *per injuſtitiam :* ita ut modus exprimatur, quo veritatem iſtam homines detineant ac premant, & ei obnitantur, dum nimirum injuſtè agunt. *Injuſtitiæ* autem voce hoc loco impietatem etiam complexus eſt apoſtolus. Nam ſacræ literæ una voce nunc plura, nunc pauciora complectuntur, prout vel brevius, vel diſtinctius & plenius loquuntur. qua de re etiam monuimus ad locum Gal. 2, 16, & cap. 5. 6, & 22.

Verſ. 19. *Propterea quod cognobile Dei manifeſtum eſt in illis.* Ad demonſtrandam hominum impietatem & injuſtitiam, ejuſve meritum, demonſtrandum erat apoſtolo, homines veritatem illam, de qua modo loquutus fuerat, tenere. Itaque quod ad primam veritatis illius partem attinet, quæ de *Deo*, deque ipſius divina potentia ac in omnia imperio habetur; quæ a primo peccati genere, cujus homines convincere inſtituit apoſtolus, nempe *impietate*, ſeu divini nominis contumelia, aut cultus illius neglectu, abducit, & ad honorem ipſi exhibendum impellit; eam his verbis hominibus ineſſe probat : unde poſtmodum concludit, eos prorſus inexcuſabiles eſſe, dum Dei ſummi neglecto cultu idola colunt. q. d. Ideo dico, eos manifeſtæ veritati obniti & obluctari, eamve cum injuſtitia ac impietate tenere, *quia cognobile Dei manifeſtum eſt in illis.* τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, eſt id, quod omnibus hominibus de Deo notum eſſe debet : quale eſt id, quod Deus ſit, quod univerſum hoc condiderit, & gubernet, ac proinde quod eas omnes qualitates habeat, quæ ad hoc neceſſariæ ſunt : ut quod ſit ſummè ſapiens, potens, bonus; ac porro maximo honore, cultu, obſequio, digniſſimus.

*Manifeſtum eſt in illis.* Vel reipſa id norunt, quales erant plurimi inter Gentes, vel ſaltem plenam id cognoſcendi occaſionem ac facultatem habent, ita ut, ſi reipſa id nihilominus ignorent, id propria eorum culpa & ſumma cæcitate eveniat; ignorantiaque illa, utpote affectata, ſeu eorum ipſorum culpa contracta, nullam ad eos excuſandos vim habeat. Qui enim per ignorantiam affectatam peccant, eodem loco habentur, quo ii, qui ſcientes prudentes peccant. Unde non minus graviter puniuntur ii, qui euangelium & ſic Deum in euangelio revelatum agnoſcere noluerunt, quam qui Deum cognitum non ita ut par erat coluerunt. Hoc autem propterea dicimus, quia ſatis apparet, tum ex ripſa, tum ex verbis apoſtoli, quæ infra habentur ℣. 28; multos eorum, de quibus hic ſermo eſt, imo eos generatim omnes, tunc cum iſtud apoſtolus ſcriberet, Deum reipſa non cognoviſſe. loqui enim eum de Gentibus veri Dei ignaris manifeſtum eſt : ac de his ait infra apoſtolus d. l. *quemadmodum non probarunt* ſeu *non placuit illis, Deum habere in cognitione* hoc eſt Deum habere cognitum. Unde apparet, eos revera Deum non habuiſſe tum temporis cognitum : non habuiſſe autem, non quia non potuerint, ſed quia noluerint; quia id illis non placuerit, affectata eorum fuit ignorantia. Quare quod & hoc loco, & paulo poſt ℣. 21 cognitio Dei illis tribuitur, id non de actu omnino, ſed de facultate potius & occaſione, quam ad eam rem habuerint, accipiendum eſt : ita ut affectata ignorantia, quæ, quod ad rem præſentem attinet, ſcientiæ vim habet, non excludatur. Ipſa probatio apoſtoli, quam hoc loco ſubjicit, hanc explicationem poſtulat. Docet enim inde, *cognobile Dei, in hominibus*, ſeu mavis, *inter homines, fuiſſe manifeſtum, quia*, inquit, *Deus illis manifeſtavit.* At inde non ſequitur, homines id reipſa cognoviſſe : ſed tantum cognoſcendi habuiſſe facultatem, & occaſionem. Poteſt enim quiſpiam, id quod

mani-

manifeſtatur, non cognoſcere, occluſis ad veritatis lucem oculis.

Probat igitur, ut diximus, in his verbis apoſtolus, homines id, quod de Deo cognoſcendum eſt, cognoviſſe, vel, quod hic perinde eſſe diximus, cognoſcendi habuiſſe & habere occaſionem, & ſimul occurrit objectioni tacitæ, quæ ipſi poterat opponi. Dicere enim quiſpiam poterat; at non extiterunt doctores aut præcones aliqui a Deo miſſi, præſertim inter Gentes, de quibus nominatim agitur, qui homines veritatem iſtam de Deo edocerent, & eos in illius cognitionem ducerent. Reſpondet apoſtolus, dictum ſuum comprobans ℣. 20: *Deus enim ipſis manifeſtavit*, q. d. etiamſi homines aliqui non extiterint, qui eos hanc veritatem docerent; Deus tamen ipſe id præſtitit, ſed quomodo?

*Inviſibilia enim ipſius, a creatione mundi operibus cognita pervidentur.* Non quidem illis Deus hæc revelavit per Prophetas aliquos, aut homines ad eam rem miſſos, neque etiam ſemetipſum illis propriè monſtravit; ſed *inviſibilia ipſius, ſempiterna nimirum illius potentia & divinitas*, ut mox ſeipſum explicans addit apoſtolus, *a creatione mundi pervidentur*, id eſt, ab ipſa mundi creatione initio facto, clarè cernuntur & cognoſcuntur, dummodo quis oculos aperire velit.

Verba, *a creatione mundi* hoc loco non denotant unde, ſeu ex qua re cognoſcantur iſta, de quibus ſermo eſt, ſed temporis initium denotant, ut etiam alii obſervarunt. Eſt enim in Græco non ἐκ ex ſed, ἀπὸ a. Licet autem interdum commutentur hæ præpoſitiones, non eſt tamen ad id confugiendum, quod rarius eſt, cum planior ſuppetit interpretatio. Sic ponitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, a jactis fundamentis mundi Matth. 13. 35. xxv. 34 Luc. xi. 50 ἀπ' ἀρχῆς, a principio: Ioh. 15. ult. ἀπ' ἀρχῆς κόσμου, Matth. 24. 21 ab initio mundi. Deinde id, unde iſta Dei inviſibilia cognoſcantur, in ſequentibus demum exprimitur, cum additur, *operibus intellecta*. Latet autem, in verbis, *inviſibilia ejus*, quædam objectio. Dicere enim quis poſſet, quomodo illa manifeſtata fuerunt, cum ſint inviſibilia, aut quomodo a nobis videri ac cognoſci potuerunt? Reſpondet apoſtolus: etiamſi per ſe inviſibilia, nec oculis noſtris ipſa appareant; videntur tamen nihilominus ac cognoſcuntur, ab ipſo creationis tempore, ſeu mundi initio, dum *operibus intelliguntur*. Per opera enim, quæ *Deus* condidit, & quæ in oculos ac ſenſus hominum incurrunt, quivis ratione præditus, ſi animum attollere, atque attendere velit, intelligere poteſt hæc *Dei* inviſibilia, etiamſi ipſa in oculos noſtros non incurrant. Neque enim neceſſe erat, talem eſſe modum *Deum* cognoſcendi, ut quivis eum omnino cogeretur agnoſcere; quod fieret, ſi ipſemet in oculos incurreret: ſed talis potius eſſe debebat, ut nihilominus dubitationi, quanquam injuſtæ, & ſic fidei eſſet locus. Vox ποιημάτων, ſeu *operum*, non actiones aliquas, quas vox *operum* apud Latinos nonnunquam ſignificat: (qua in parte reſpondet Græco nomini ἔργων, quod & actiones & opera per eas producta notat:) ſed opera per actionem effecta, & poſt eam relicta denotat, qualia ſunt res a *Deo* conditæ, & in oculos noſtros incurrentes: de quibus loquitur *David*, cum ait: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus annunciat firmamentum. dies diei eloquitur ſermonem: & nox nocti indicat ſcientiam*, id eſt, una dies alteram, & una nox alteram veluti erudit, dum ſubinde, quanta ſit Dei, qui iſtum temporum ordinem, & ſidera, quibus ea gubernantur, conſtituit, immenſa ſapientia, potentia, ac providentia, indicant. & addit: *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, ut non audiantur ſermones eorum*: id eſt, nulla eſt lingua, nulla natio, ubi illorum voces non audiantur, aut non intelligantur. Omnes homines, etiamſi alios ſæpe ob linguæ diverſitatem non intelligant, hanc tamen dierum ac noctium vocem audire & intelligere poſſunt: nihil eos impedit, quo minus cognoſcant, quid dies diei, nox nocti loquatur. *In omnem*, inquit, *terram exivit linea eorum* (hoc eſt eorum ad lineam, ſeu ad amuſſim facta tam pulchra ac ſapientiſſimo opifice digniſſima ſtructura, omnibus terris innoteſcit:) *& in extremum orbis eloquia eorum*, illa nempe eloquia, de quibus ℣. præced. dictum. Prolixè hac de re diſſerit Auctor libri Sapientiæ cap. 13, ubi oſtendit, vanos admodum eſſe homines, qui Deum ignorant. Ita enim inchoat caput: *Vani ſunt omnes homines natura, in quibus ineſt ignoratio Dei, & qui ex iis, quæ ſpectantur boni, eum, qui eſt, non potuerunt intelligere, neque ex operibus conſideratis opificem agnoverunt.* & infra, oſtendens eos venia hac in parte dignos non eſſe: *Si enim*, inquit, *tantam habuerunt intelligendi facultatem, ut mundum poſſent conjectura capere: quomodo Dominum horum non potius invenerunt?* Quid enim? annon opus indicat ſuum opificem? tam vaſta mundi machina, tanta rerum omnium varietas, utilitas, pulchritudo, ordo, nonne immenſam conditoris potentiam cum ſumma ſapientia conjunctam arguit? annon & perpetua ipſius in omnia poteſtas, & poteſtatis iſtius actus, nempe perpetua rerum gubernatio, & cum ea conjuncta providentia, qua omnia conſervat, omnibus conſulit ac proſpicit, ac porro etiam ſumma ejus bonitas inde elucet? An fortè dicemus, hæc omnia, quæ cernimus, a ſeipſis extitiſſe? At, præterquam quod nulla ratio reddi poteſt, cur, ſi omnia a ſeipſis extiterint, tam varia ſint, tamque diverſa, cur non potius omnia unum ſint: cum eadem exiſtentiæ foret ratio: contra autem facilè diverſitatis illius ratio reddi poteſt, ſi ea ab alio pro arbitrio producta dicantur; quænam eſt, quæſo, ratio in rebus numero infinitis adeo inter ſe diverſis conſtantiſſimi ordinis ac conſpirationis, qua fit ut alia aliis jungantur, alia aliis proſint? vel omnibus rebus, rationem contra omnem rationem tribuere opus eſt, quæ iſtam concordiam & ordinem inter res volentes conſtituat: vel aliquem iis moderatorem præficere neceſſe eſt, qui concordiæ illius ſit auctor. Auctor autem nemo eſſe poteſt, niſi qui naturas rerum condiderit; cum videamus, ordinem illum ac conſpirationem rebus eſſe naturalem. Adde, quod apertè cernamus, nihil in hoc univerſo fruſtra eſſe, ſed omnia naturaliter in ſuum finem tendere, & ut eum aſſequi poſſint, adeo illis varias ineſſe facultates, adeſſe inſtrumenta. Patet id in ſideribus, quæ inferioribus certa lege lucem potiſſimum ac calorem ac genitalem quandam vim largiuntur: & ne ulla ſit pars terræ ejus virtutis plane expers, ideo omnibus quidem curſum ineſſe ab ortu in occaſum, qui ſimul etiam operis ac quietis noſtræ tempus diſpenſat; præcipuis vero aſtris, etiam ineſſe motum obliquum, a ſeptemtrione in meridiem, & vice verſa, ut in diverſis terrarum partibus ea, quæ animantibus neceſſaria ſunt, certis temporibus produci perpetuo queant. Apparet idem in omnibus inferioribus, præſertim organicis, ſeu certa partium diſpoſitione ac facultate præditis: & maximè in ani-

mantibus. Omnia enim certi cujuſdam finis gratia ſunt, & quævis pars, vel conſervationis ac tutelæ, aut alterius alicujus partis, aut totius, vel propagationis, conſervationis univerſi generis, vel alterius alicujus operationis bona atque utilis cauſa conſtituta eſt: & iterum integra integris, diverſa diverſis inſerviunt: inanimata animatis: vegetabilia, ut herbæ, & ſimilia, animalibus: omnia homini. Quodſi finis cauſa omnia ſunt, annon inde neceſſario conſequitur, eſſe omnium cauſam efficientem? Finis enim cauſa nihil eſt, niſi quod efficientem cauſam habeat, & quidem ratione & intellectu præditam, ſive ea proxima ſit, ſive remota. Nam finis nullam cauſandi, ut loquuntur, vim habet, niſi quatenus eſt in intentione agentis, ſeu quatenus ab eo conſideratur, appetitur, quæritur. Cum enim reipſa exiſtit, & ſic extra intentionem eſt agentis, effectus eſt: cauſæ atque adeo finis rationem amplius non habet. Eſt ergo aliqua efficiens omnium cauſa ſeu opifex aliquis, qui iſta condiderit, ipſe a nemine (alias in infinitum daretur progreſſus) productus. Neceſſe autem eſt ut libere id fecerit: partim quia fieri non poteſt, quin id quod mente & intellectu eſt præditum, & conſilio utitur, certiſque finibus res deſtinat, libero ſit præditum arbitrio: nulla etiam alia, ut ſupra diximus, cauſa reddi poteſt tantæ rerum varietatis, quam arbitrii ipſius libertas: nulla etiam ratio, præter arbitrii libertatem, oſtendi poteſt, cur, cum certo demum tempore res produxerit (neceſſe enim eſt efficientem cauſſam externam tempore antecedere opus: nec productum dici poteſt id, quod nunquam non extitit;) infinitoque tempore antea extiterit, hoc potius momento ſeu tempore res producere cœperit, quam vel antè, vel poſtea? Porro, cum opus ſit in poteſtate opifici, &, ſi ex aliena materia, hoc eſt, quæ alieni ſit juris ac dominii, id non produxerit, totum ſit ipſius: omnia quæ cernimus, imo & quæ non cernimus, quanta quanta ſunt, opificis ſummi eſſe neceſſe eſt, & ſub ejus poteſtate perpetuo exiſtere.

Hoc autem eſt, Deum eſſe. *Dei* enim nomen, imperii ac poteſtatis eſt, præſertim ſublimis ac beneficæ: maxime autem omnium ſupremæ ac beneficentiſſimæ, qualis hæc eſt, de qua loquimur. Quodſi enim opifex rerum ſummus, Dominus eſt operum ſuorum, quis non videt, ea ab ipſo gubernari, & quidem paterno quodam imperio, prout unumquodque regiminis ac beneficii per naturam capax eſt. Maxime autem proprie capacia ſunt rationem prædita, quibus leges præſcribi, præmia & pœnæ conſtitui poſſunt. Hæc ergo benigno imperio, a Deo, tanquam parente ſuo, gubernantur, quamdiu quidem contumacia ſua iram ac ſupplicia ejus non provocant, quamdiu debitum ſummo opifici, domino, regi, parentique ſuo cultum, honorem atque obſequium debitum præſtant. Ut autem homines iſta omnia conſiderarent, multum illis profuit hac quoque in parte Deus, quod cum ab initio mundi ſe per varias viſiones hominibus revelarit, ea ratione effecerit, ut aliqua ſaltem divinitatis aut numinis opinio extaret inter homines, quæ etiam inter barbaras admodum gentes duravit: ita ut, licet verum numen ignorarent, nihilominus tamen numen aliquod agnoſcerent, ac colerent. quo accedit, quod etſi naturæ noſtræ non ſit omnino inſitum, credere Deum eſſe; (eſt enim mens noſtra inſtar tabulæ raſæ, cui nihil inſcriptum eſt, omnia autem inſcribi poſſunt; omniſque intelligentia noſtra ex ſenſibus primum proficiſcitur:) nihilominus tamen tam conſtans inter omnes prope Gentes, niſi forte plane brutas, opinio indicat pronitatem naturæ noſtræ ad numen aliquod credendum ac colendum. Jam vero aliqua ſaltem divinitatis opinione extante ſupina fuit hominum negligentia, qui ex illis veri numinis effectis atque indiciis id non indagarunt ac cognoverunt: ita ut nullam excuſationem mereantur, quod Deum vel non cognoverint, vel cognitum divino cultu & honore non affecerint, imo ſummo ac nefario ſcelere, vero Deo neglecto, ea ſibi pro numinibus quibuſdam colenda ſumſerint, quæ ſeipſis viliora eſſe videbant, vel, niſi volentes inſanirent, videre poterant. Cur falſum potius quam verum Deum colebant? cum verum, præſertim quod ab arbitrio hominum non pendet, plura documenta habeat, quam falſum: imo falſum nulla vera documenta habere queat? Numinis alicujus opinione imbuti erant; cur ergo non cum qui per opera ſua in ſenſus ipſorum incurrebat, qui ut alibi loquitur Apoſtolus, non longe abeſt ab unoquoque noſtrum Act. 17.27.28, & qui palpari quodammodo queat, in quo & vivimus, & movemur, & ſumus; qui, ut idem loquitur cap. 14, non paſſus eſt ſe eſſe expertem teſtimonii, hominibus benefaciendo, dans iis cœlitus pluvias, & tempora frugifera, implens cibo & lætitia corda ipſorum; cur, inquam, non iſtum, ſed vel hominem aliquem, vel vile aliquod & brutum animal pro numine colebant, in ejuſve imagine numen repræſentari ſibi putabant?

*Et æterna illius potentia & divinitas.* Potentia primo omnium opificis iſtorum operum in animum incurrit: quandoquidem nonniſi immenſa potentia produci potuerunt; per potentiam ergo intelligi debent vires ac robur. *Æternam* autem ideo hoc loco dicit, quia nunquam intercidat: id quod tum ex magnitudine operum productorum, tum ex perpetua ipſorum conſervatione ſatis patet. Quanquam etiam illud certum eſt, & demonſtrari non difficulter ex creatione poteſt, eam ab omni prorſus æternitate extitiſſe: nec in æternum durare poſſet, niſi ab omni æternitate extitiſſet; cum nulla eſſe poſſit extra eam perpetuæ durationis cauſa. Sed quemadmodum infra mortalium ſtultitiam & impietatem accuſans, qui gloriam Dei cum imagine hominis commutarint, Deum homini, ut incorruptibilem corruptibili, potiſſimum opponit: ita hoc loco æternam Dei potentiam ac divinitatem hominum potentię, ac imperiis mox perituris, videtur opponere. Refertur autem vox *æterna* etiam ad divinitatem. *Per divinitatem* autem intelligendum eſſe videtur ſupremi numinis imperium, ac poteſtas in omnia, utpote opera ſua; ac porro ea omnia, quę cum hoc imperio ſunt conjuncta: quale eſt, quod Deus cuncta moderetur & regat, omnia conſervet, omnibus proſpiciat & provideat; divinitas enim Deo largitur, ut ſit Deus: at Deum eſſe, eſt imperium ſublime ac beneficum habere, & ſic tum gubernatorem, tum benefactorem eſſe. Hinc dici ſolet, hominem homini eſſe Deum, id eſt, eſſe inſtar Dei: quando cum in magno aliquo periculo juvat, ex calamitate eripit, eum patrocinio ſuo fovet ac tuetur. Hinc paulo poſt verſu ſeq. meminit Apoſtolus gratiarum actionis, quæ Deo ab hominibus, ob iſta attributa, nempe æternam potentiam & divinitatem, reddi debuit: gratiarum autem actioni ibi eſt locus, ubi ſunt beneficia: beneficentiam ergo, & gubernationem ſeu imperium nomine divinitatis complexus eſt Apoſtolus.

*Ad hoc ut ſint inexcuſabiles.* In his verbis, ut alii quoq;

annota

annotarunt, eventus potius ſeu effectus iſtius rei, de qua dictum fuit, exprimitur, quam finis; perinde acſi dictum eſſet, adeo ut ſint inexcuſabiles. Neque enim hic finis eſt cognitionis Dei, ſeu occaſionis, quam homines ad eum cognoſcendum habuerunt, niſi forte per accidens. Cognitio enim illa Dei ſua natura eo tendit, ut homines ea inſtructi Deum, ut par eſt, colant, & ſic gratiam divinam ſibi hoc pacto concilient: non vero ut inexcuſabiles reddantur, & ſic valide ad pœnam obligentur. Non facit autem illa cognitio, ſeu occaſio cognoſcendi Deum per ſe hominem inexcuſabilem: ſed poſito facto hominis illa cognitione indigno, & cum ea pugnante, quale eſt, ſi Deum, non ut dignum eſt, colat. Tunc enim ea omnem prætexendæ ignorantiæ occaſionem homini eripit, & omnem excuſationem adimit. Unde apoſtolus, ut oſtendat, quomodo ea homines inexcuſabiles reddat, facta illorum cum iſta cognitione prorſus pugnantia porro deſcribit, & ſic impietatem hominum, de qua loqui inſtituerat, nobis depingit, dum ita porro ſubjicit:

Verſ. 21. *Ideo quod cognoſcentes Deum.* Diximus jam ſupra, non eſſe neceſſe, ut hæc verba de cognitione actu ipſo exiſtente ſumamus: ſed ſufficere, quod cognoſcere Deum potuerint, & ejus rei ſufficientes habuerint cauſas, ſi oculos mentis aperire voluiſſent, ſic ut ignorantia eos, utpote affectata, nullo modo excuſare queat. Sic Chriſtus Joh. 7, 28 Judæis dixit: *& me noſtis, & noſtis unde ſim*, id eſt, id cognoſcendi ampliſſimam habetis facultatem, ville cap. 15. 22 & deinceps. Qualis autem cognitio Dei intelligenda ſit, præced. verſu ſatis indicatum eſt.

*Non ut Deum glorificaverunt.* Subauditur vocula, *tamen:* q. d. etſi Deum cognoverunt, tamen non glorificarunt ut Deum. Glorificandi vox, cum de Deo paſſive uſurpatur, proprie ſignificat celebrationem nominis divini, quæ fit verbis, cum ſcil. robur, ſapientiam, bonitatem, imperium ac majeſtatem Dei laudibus extollimus ac prædicamus: hoc tamen loco latius ejus ſignificatio extendi videtur, ut includat alia etiam cultus & honoris genera, quæ vel in interna animi erga Deum reverentia, vel externis ejus reverentiæ ſignis conſiſtunt.

*Ut Deum.* Hæc verba non tam eo ſenſu videntur fuiſſe addita, ut exprimant, eos quidem Deum glorificaſſe, ſed non eo modo, quo Deum glorificare deceat (quanquam & hoc ſignificant) quam eos non glorificaſſe Deum ſimpliciter, cum tamen Deum glorificare, ob id ipſum quia Deus eſt, omnino conveniat.

*Aut gratias egerunt.* Peculiaris ſpecies ſeu modus glorificandi Dei, qui in gratiarum actione conſiſtit, utpote quod & ab illo fueris conditus, & quod omnia in tui gratiam condiderit: quemadmodum res ipſa indicat, & cœlum, & ſydera, & terram, & ſtirpes ac herbas, & cuncta animalia uſibus humanis inſervire, ſic ut univerſi iſtius homo ſit Rex quidam ac Dominus; quod ſibi provideat ac proſpiciat. Hæc enim omnia ab illis cognoſci potuiſſe, jam vidimus. Videtur autem in Græco deeſſe pronomen αὐτῷ, ut & in Latino *ipſi*, poſt verbum εὐχαρίστησαν *gratias egerunt*. Neque enim quemadmodum dicimus δοξάζειν τινα, *glorificare aliquem*: ita etiam εὐχαριστεῖν τινα. Licet enim apud Græcos, verba compoſita ex adverbio εὖ libenter cum accuſativo conſtruantur: non memini tamen legere εὐχαριστεῖν τινα, ſed τινι. Sic inf. verſ. 25 ἐσεβάσθησαν & d.

*Sed vani facti ſunt in cogitationibus ſuis.* Adhuc magis illorum exaggerat & ſtultitiam & impietatem, ut tanto clarius appareat, eam eſſe inexcuſabilem. Senſus autem verborum eſt; cogitationes vaniſſimas ſecuti ſunt, ſeu vanas & ſtultas cogitationes animo conceperunt: cogitationes non in rei veritate fundatas, ſed meras nugas & ſomnia. Retundit hoc pacto inanem ſapientiæ, qua Gentes & precipue Græci ſeſe jactabant, opinionem: cum interim adeo ſtulte in divini cultus ratione ſeſe gererent, eaque agerent quæ rudiſſimo etiam homine eſſent indigna.

*Et obtenebratum eſt inſipiens cor eorum.* Obtenebratum eſt, tenebris nimirum ignorantiæ: quæ enim majores eſſe poſſunt tenebræ, quæ caligo denſior, quam ignorare Deum, & ejus loco res inanimatas, res viliſſimas, inaniaque cerebri ſui figmenta colere? *Inſipiens cor*, non quod, antequam tenebris iſtis circumfunderetur, jam fuerit inſipiens, ſed quod tenebris iſtis circumfuſum factum ſit inſipiens, niſi ἀσύνετον reddere malis *inconſideratum*; ut ἀσυνεσία ſit iſtiuſmodi vitium, quo fit, ut animum ad rerum earum conſiderationem, quas cognoſcere atque expendere merito deberes, attollere nolis, quo pacto videtur ſumi infra, hoc cap. ℣. 31, quanquam ad eam ἀσυνεσίαν ibi propriè reſpicitur, qua fit ut in proximum peccetur: hic de ea ſermo eſt, qua in Deum ejuſque honorem peccatur.

Verſ. 22. *Dicentes eſſe ſapientes* (ſcil: *ſe*) *ſtulti facti ſunt.* Nulla major eſt ſtultitia, quam eorum, qui non tantum non agnoſcunt ſtultitiam ſuam, ſed etiam ſapientiæ opinione ſibi blandiuntur. Perſtringit philoſophos, qui ſapientiæ laudem ac titulum ſibi vindicabant. Sapientes enim olim dicebantur, qui titulus cum nimium ſuperbus eſſe videretur, in philoſophorum hoc eſt amatorum ſapientiæ nomen, eodem tamen manente ſenſu, migravit. Stulti autem erant iſti ſapientes & philoſophi, quia ſummum illum Deum non agnoſcebant, nec ejus cultui vacabant, quin potius fœdæ idololatriæ dediti erant, quemadmodum, dictum ſuum confirmaturus, ſubjicit Apoſtolus:

Verſ. 23. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei.* *Et* poſitum pro *nam*, וְ pro כִּי, per Hebræiſmum. Sic Joh. 3. 13. VII. 28. Act. 26. 10. Col. 3. 25. & alibi. *Gloria* Dei incorruptibilis, hoc loco ſumi omnino videtur pro majeſtate, ſplendore, excellentia Dei ipſius. Additur autem epithetum *incorruptibilis*, ut tanto magis appareat iſtorum hominum ſtultitia, qui ejus gloriam *mutarunt in ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis* &c. *In ſimilitudine*, id eſt, vel *in ſimilitudinem*, ut ἐν poſitum ſit pro εἰς; particulæ enim illæ interdum inter ſe permutantur, ideo inprimis, quod una illis apud Hebræos particula reſpondeat, quanquam crebrius εἰς pro ἐν poni videtur, quam contra. accidit tamen hoc quoque, ut Marc. 1. 16. Luc. 10. 3. Joh. 5. 4. Col. 1. 6. 1 Theſ. 4. 7, vel *cum ſimilitudine*, ut *in* idem ſignificet quod Latini efferunt per *cum*, quando dicunt, commutare rem quampiam cum altera. Sic enim Hebræi dicunt, *commutare quippiam in aliqua re*, id eſt, cum aliqua re, ut videre eſt Levit. 27. 10. *Similitudo imaginis*, vel ſignificat imaginem ſimilem, ut ſubſtantivum prius poſitum ſit pro adjectivo, quemadmodum non ſemel contingit. Vide inter alia Matth. 24. 29. Luc. 22. 69. Inf. cap. 5. 17. 1 Cor. 1. 21. 2 Cor. 4. 17. 2 Theſ. 1. 9; vel, ſimilitudinem, quæ eſt imago: ſic ut vox *imaginis* ſit genitivus differentiæ, aut ſpeciei certæ: quod itidem uſitatiſſimum eſt Luc. 4. 33. Joh. 2. 21. XI. 13. Act. 2. 38. inf. cap. 4. 11.

2 Cor. 5. 5. Eph. 6. 14, 16, 17. Quare, vel hic eſt ſenſus: homines illos, quantum in ipſis erat, commutaſſe ſummam illam Dei incorruptibilis gloriam ac majeſtatem in imaginem ſimilem homini corruptibili. Cum enim ipſum Deum ſimilem homini corruptibili eſſe putarent, & ſic opinionis errore eum in hominem quodammodo convertiſſent; etiam una ejus gloriam, ſplendorem ac majeſtatem in formam ſeu ſpeciem hominis converterunt. Vel, iſtos homines Dei gloriam ſeu majeſtatem ſummam commutaſſe cum imagine hominis corruptibilis, hoc eſt illam quodammodo ſuſtuliſſe, & in ejus locum imaginem hominis corruptibilis ſuppoſuiſſe. Deus enim, cum imagine hominis corruptibilis exprimitur, non exprimitur revera, ſed deprimitur, & ſua ipſi majeſtas detrahitur, ejuſque reverentia in hominum animis minuitur: contra vero iidem ad imaginum cultum hac ratione inducuntur. Facile enim homines eo adducuntur, ut talem, vel non multo auguſtiorem eſſe Deum credant, quam imagine aliqua exprimitur. Ut enim majeſtas Deo per imagines detrahitur, & reverentia ejus minuitur: ita contra iis majeſtas quædam major ob ejus, qui exprimi creditur, majeſtatem, additur, & reverentia augetur, homineſque ad eas colendas, utut ab initio ea de re non cogitarint, paulatim impelluntur: præſertim cum alioquin etiam imagines ſenſus externos vehementer feriant, & membrorum figura illis vitæ ac ſenſus opinionem quandam conciliet, maxime in hominibus imbecillioris animi ac judicii. Quod ſi ergo accedat reverentia perſonæ illius, quæ imagine videtur repreſentari, quid reſtat aliud, quam ut ſe coram illa proſternant, & in ea perſonam illam ipſam, cujus imago ſit, venerari ſe putent? maxime cum alias animi hominum terræ affixi non libenter in cœlum ſe attollant, malintque numen in re oculis expoſita ſibi præſens fingere, quam animo ac cogitatione alibi quærere. Atque hæ ſunt cauſæ, cur Deus imaginem ſibi poni noluerit. De priori vide Eſa. 40. 18 & d. & ℣. 25. & Act. 17. 29. de poſteriori Deut. 4. 15, & d. Neque eſt quod dicas, Deum ſeipſum Danieli & Johanni ſpectandum ſub hominis imagine exhibuiſſe. Nam etſi figura membrorum, ſeu lineamenta, quæ apparuerint, hominis etiam mortalis membris reſponderint; cæteroqui tamen forma longe auguſtior fuit, quam ut ullo hominis artificio exprimi poſſit: ita ut ea in parte, non *corruptibili* homini, ſed incorruptibili potius reſponderet, & ſic Deo longe eſſet dignior, quam ulla poſſit eſſe facta ab homine imago. Deinde non tam imaginem aliquam, anima vitaque caſſam, quam ſeipſum Deus ſub ejuſmodi ſpecie ac imagine ſpectandum divinis illis viris exhibuit. Quare nihil ea res commune habet cum inanimis imaginibus, quæ a Deo abſunt longiſſime. Jam vero ſi hominis ſtatuam aut imaginem Deo erigere indigniſſimum eſt; multo adhuc indignius eſt, *volucris* alicujus imaginem illi ponere: adhuc indignius *quadrupedis*, volucres enim cœleſte quidpiam habent & aëreum: ſed quadrupedibus pondere ad terram depreſſis nihil cum cœlo commune eſt: omnium vero indigniſſimum *reptilis*, quod terræ plane affixum eſt, & inter omnia animalium genera viliſſimum.

Ideo ut iſtorum hominum ſtultitiam tanto magis redargueret Apoſtolus, addit, *& volucrum, & quadrupedum & reptilium.* Similiter hominem mortalem, aut etiam mortuum pro numine aliquo colere ſtultum eſt: ſtultius volucrem: adhuc ſtultius quadrupes aliquod, omnium vero ſtultiſſimum, reptile: quæ tamen omnia impii ſimul & ſtultiſſimi mortales factitarunt. Antequam hinc abeamus, illud addendum eſt, videri apoſtolum in his verbis alluſiſſe ad illa Pſal. 106. 20, ubi Iſraëlitarum, qui vitulum fecerant in Horeb, & adoraverant conflatile, ſtultitiam ita accuſat divinus ſpiritus: *Et mutaverunt gloriam ſuam* (hoc eſt Deum qui erat gloria ac decus eorum, quique illis majeſtate ſua ac potentia, quam magnifice inter eos exſerebat, gloriam conciliabat) *in ſimilitudinem*, vel *in ſimilitudine vituli comedentis fœnum.* Et ad illa Jer. 2. 11, *populus meus* (ait Deus) *convertit gloriam ſuam in idolum*, vel, *in idolo.*

Verſ. 24. *Ideo & tradidit eos Deus, in cupiditatibus cordium ipſorum, in impuritatem.* Poſtquam impietatem ſatis deſcripſit apoſtolus: nunc pœnam etiam tantæ impietatis deſcribit. *Ideo &*, hoc eſt quemadmodum illi Deum ſumma ignominia affecerunt, ſic viciſſim Deus ignominioſa pœna & ſummo dedecore eos affecit: particula enim &, comparationis cujuſdam nota hic eſt.

*Tradidit eos Deus in impuritatem*, non quidem efficiendo, ut eſſent impuri, (hoc enim a Deo longiſſime remotum eſt) ſed permittendo, & obſtacula, ſi quæ erant, tollendo, quibus ſublatis, in hanc impuritatem ruerent, & ejus mancipia efficerentur; ideo addit apoſtolus:

*In cupiditatibus cordium ipſorum*, hoc eſt, per cupiditates in cordibus ſeu animis illorum excitatas; quanquam nonnulli ita hæc verba, eodem revera manente ſenſu, accipiunt, ac ſi dictum eſſet: *tradidit illos Deus cupiditatibus cordium ipſorum, ad impuritatem* ſcil: perpetrandam: quo pacto ἐν apud Græcos redundaret: qua de re vide quæ dicta ſunt a nobis Gal. 1. 16. ſed prior interpretandi ratio, ſat commoda eſt. Oſtendit his verbis apoſtolus, eos non a Deo, ſed a ſuis propriis cupiditatibus, ad hanc impuritatem proprie fuiſſe impulſos: per has Deum illos tradidiſſe in impuritatem; non quod eas in ipſis excitarit: ſed quod ſponte in ipſis excitatarum, utpote in hominibus nullo *Dei* metu aut reverentia præditis, vim, ut ſic dicam, & impetum non prohibuerit, & ne prohiberentur, curarit, unde hanc impuritatem conſequi fuit neceſſe. Sic Deus tradere aliquem in manus hoſtium dicitur, dum ſcilicet hoſtes non prohibet, quominus poteſtate ſua in aliquem utantur, & impedimenta, ſi quæ ſunt, tolli curat, quæ autem ſit iſta impuritas, ℣. 26, 27 explicabit apoſtolus.

*Ad dedecore afficiendum corpora ſua.* Hic eſt impuritatis iſtius effectus & finis, quem Deus ſpectavit, dum eos in impuritatem traderet. Affecerunt illi Deum dedecore, itaque merito viciſſim ab eo dedecore ſunt affecti. *in ſeipſis*, id eſt, inter ſe mutuo.

Verſ. 25. *Qui commutarunt veritatem Dei in mendacio.* Iterum repetit & inculcat eorum impietatem, ut eos tanta pœna & ignominia merito fuiſſe affectos appareat. q. d. utpote qui commutarunt &c. *Veritas Dei* hoc loco ſignificat veram cognitionem Dei: (aliquando enim veritas pro cognitione veritatis, ſeu pro cognitione vera ſumitur) ſeu veritatem, quæ de Deo eſt, ejus nimirum potentia & in omnia imperio. Nonnulli veritatem Θεοῦ dictam putant pro ipſo vero Deo quem iſti homines cum mendacio permutarunt, id eſt, loco *Dei*, falſum, fictum, & mendacem ſeu ementitum *Deum* coluerunt. Sic apud Jerem., t ſupra vidimus,

vidimus, dicitur quod *mutaverint* Judæi *gloriam ſuam in idolum*. Idolum autem ab Hebræis *Elil*, a vanitate dicitur. *Commutare* autem *veritatem Dei in mendacio*, eſt eam vel in mendacium, vel cum mendacio permutare, hoc eſt illius loco mendacium amplecti: quod qua ratione factum fuerit, apoſtolus ſtatim explicat, cum addit: *& coluerunt & ſervierunt creaturæ, præter creatorem*. Dum nimirum creaturam aliquam ſibi pro numine finxerunt, ac proinde eam coluerunt, cultu nimirum religioſo. Cultus autem religioſus, eſt qui eo nomine cuiquam exhibetur, quod eum putet divina quadam poteſtate, virtute aut ſapientia præditum; eaque de cauſa coram illo, utut abſente, te demittas, ſeu animum tuum ei reverenter, ut ita dicam, inclines, aut ut id externa ratione teſteris, corpus tuum coram illo proſternas, genua flectas, preces etiam tanquam ad præſentem fundas, & ea quæ vel non percipi, vel non præſtari naturali aliqua virtute, ſed ſublimiori aliqua poſſunt, ab eo petas: ſive ipſum directe accedas, ſive in imagine ipſius eum colas, qua de re plura ſunt a nobis dicta Gal. 5. 20, in explicatione nominis idololatriæ. Quanquam autem vox ἐσεβάσθησαν omnem religioſum cultum complecti poſſit: addidit tamen apoſtolus vocem ἐλάτρευσαν, id eſt ſervierunt, eam, ut videmus, ob cauſam, ut nominatim exprimeret eum cultum, qui in opere externo, ac miniſterio quodam conſiſtit, qualia opera ſunt, templa exſtruere, ſacrificia offerre, thura incendere, imagines vel ponere, vel ornare, vel geſtare, & ſi quę ſunt his ſimilia; *præter creatorem*, hoc eſt, præterito ſeu prætermiſſo creatore. Quodſi enim ejuſmodi ſit creatura, quæ cum creatore ita ſit unita, ut coli non poſſit, quin ipſe creator in ea colatur, utpote quod creator ſuam cum ea poteſtatem, & qui poteſtati debetur, honorem communicaverit, eamque ſibi hac in re penitus ſubordinaverit, ad eam hic locus nil prorſus pertinet. Talis autem eſt Chriſtus Jeſus, cui omnis in cœlo ac terra poteſtas data, datum omne a patre judicium, donatum nomen ſuper omne nomen; ut omnes ipſum honorent, ſicut patrem; ut genua ipſi flectantur, cœleſtium, terreſtrium & inferorum; & omnis lingua confiteatur, quod Dominus ſit Jeſus Chriſtus: ſed *ad gloriam Dei patris*. In hujus honorem omnis ille honor ac gloria, quæ Chriſto tribuitur, cedit; tantum abeſt ut ad imminuendum creatoris honorem illius cultus quicquam pertineat, quemadmodum cultus ille creaturarum, de quo hic ſermo eſt.

*Qui eſt benedictus in ſecula*. Ita deſcribit hunc creatorem apoſtolus, ut appareat, illi ſoli, nempe primo ac per ſe, atque adeo nemini, niſi propter illum, hoc eſt, & ex ipſius voluntate ac juſſu, & ad ipſius gloriam, cultum ſervitiumque, præſertim religioſum, deberi. Et hoc quidem non ad tempus tantum, ſed in omnem ævorum perennitatem. Nullum enim tempus erit, quo creator non ſit colendus, & quidem, ita ut explicatum eſt, ſolus. *Benedictus*, id eſt, benedicendus, ſeu laudandus, colendus, adorandus.

*Amen*. Hac vocula apoſtolus id, quod affirmaverat de Deo, illum eſſe benedicendum in ſecula, approbat & confirmat, & ſic id, quod Deo deberi aſſeruit, quodammodo reipſa præſtat: Hæc enim particula, ſi in initio orationis ponatur, ſimpliciter affirmandi vim habet; ſi in fine, approbandi.

Verſ. 26. *Propter hoc tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*. Epanalepſis eſt quædam. Unde nonnulli ita reddiderunt; *Propterea inquam*: Quia eorum peccatum & impietatem repetierat, ut eam tanto magis exaggeraret, propterea etiam divinam pœnam denuo, & quidem uberius, inculcat. *Paſſiones ignominiæ*, ſeu πάθη ἀτιμίας, ſunt affectus ignominioſi, affectus ejuſmodi, qui hominem ad res turpiſſimas & dedecoris pleniſſimas impellunt, earumque ſunt cauſæ: qualis erat hæc fœdiſſima, quam deſcribit, & fœminarum & maſculorum libido. Tradidit autem eos Deus in iſtas paſſiones, ut antea diximus, non eas in ipſis excitando, ſed ipſorum culpa excitatas non cohibendo, & ne aliqua ratione cohiberentur, curando; perinde ac ſi dixiſſet, tradidit eos Deus paſſionibus ignominioſis, earumque poteſtati illos permiſit: Si homines Deum reipſa, ut poterant, agnoviſſent, & agnitum coluiſſent, nunquam in tam fœdam & monſtroſam libidinem incidiſſent, ita præſertim, ut ſine pudore in ea paſſim volutarentur. Deus enim illos cohibuiſſet, eoſque a nefandis illis ſceleribus revocari curaſſet. At poſtquam ipſum per fœdam idololatriam tanta affecerunt contumelia, reliquit eos Deus, & ſuum auxilium illis ſubtraxit, ut hac fœdiſſima libidinum face agitati belluas ipſas turpitudine longe ſuperarent, & cum homines eſſe noluiſſent, in porcos tranſmutarentur, atque hac ratione, ut ſubjicit apoſtolus:

Verſ. 27. *Mercedem* ſeu *compenſationem*, *quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis reciperent*, id eſt, ut ipſimet pœnas impio errore ſuo plane dignas a ſe exigerent. hæc eſt merces, quam referunt homines Dei cognitionem repudiantes, vita turpis, flagitioſa, & monſtroſis libidinibus infamis. *Erroris*, τῆς πλάνης: non quemvis errorem hoc loco ſignificat, ſed errorem graviſſimum, errorem impium, propria culpa ac malitia contractum, qualis eſt, Dei cognitione deſtitui. *In ſeipſis*, hoc eſt in corporibus ſuis, ex verſ. 24.

Hactenus oſtendit apoſtolus, quomodo Deus ignominiam ac contumeliam, qua ab hominibus impiis per idololatriam affectus fuerat, potiſſimum vindicarit, convenienti plane pœna, ac ſcelere ipſo digna, nempe ipſis hominibus impiis contumilia atque ignominia, quamvis voluntaria, viciſſim affectis: Nunc porro oſtendit, quomodo ipſum etiam neglectum cognitionis ſuæ, convenienti ſimiliter ſupplicio fuerit ultus: nempe quod cum homines illi impii, mente ſua recte uti, & eam ad Deum cognoſcendum attollere, vel eum jam cognitum animo tenere nollent, Deus illis mentem quodammodo eripuerit, & quadam judicii perverſitate, quanquam itidem voluntaria, eos puniverit, in rebus potiſſimum ad communem hanc vitam & civilem ſocietatem ſpectantibus. Cujus perverſitatis animi ac judicii effecta enumerans ſimul alterum peccatorum genus, quod ſupra hominibus tribuerat, & injuſtitiæ nomine ſtrictius ſumto expreſſerat, explicat: & variis ejus ſpeciebus enumeratis, homines nullam ea in parte veniam mereri, nec excuſationem ullam afferre, aut ignorantiam ſuam prætendere poſſe oſtendit; quemadmodum etiam antea, in priore peccati genere ſeu impietate accuſanda fecerat.

Verſ. 28. *Et quemadmodum non probaverunt*, &c. Culpam hic gravem hominum impiorum exprimit, & accuſat, quod nimirum *non probaverint*, hoc eſt, noluerint, ſeu quod illis non placuerit, (quod tamen placere maxime debebat) *Deum habere in notitia*, hoc eſt Deum ita, ut ſupra explicatum eſt, cognoſcere, aut jam cognitum animo porro tenere, nec cognitionem

illam

illam abjicere, quod tamen in maxima humani generis parte contigit.

*Tradidit illos Deus in reprobam mentem.* Subaudienda hic eſt particula comparationis *ita*, propter vocem *quemadmodem*, quæ ſuperiori membro fuit præfixa. quemadmodum enim ſuperius, pœnam culpæ ac ſceleri convenientem, atque accommodatam fuiſſe oſtendit, ita & hoc loco. Et eam ob cauſſam, videtur apoſtolus uſus eſſe antea voce δοκιμάζειν, hoc eſt, *probandi*, ut mentem ἀδόκιμον, ſeu *quæ probari non poſſit*, aut *debeat*, tanquam illius rei pœnam, tanto elegantius annecteret, & cum ipſa culpa compararet, q. d. quemadmodum illi non approbaverunt Dei cognitionem, ac mente ſua rectè uti noluerunt: ita Deus illos menti permiſit perverſæ, quæ approbari non poſſet. Reproba enim mens eſt, quæ perverſum de actionibus habet judicium, quæ vel turpitudinem in actionibus non videt; ac proinde turpia non judicat turpia, imo interdum etiam honeſta: vel ſi videt, ita tamen agit, ac ſi non videret, id eſt, ſive turpiter, ſive minus agat, ſusque deque habet. Huc nimirum homines, qui Deum cognoſcere nolunt, deveniunt, ut rectum judicium ac conſcientiam tandem amittant, unde alibi apoſtolus de gentibus ait Eph. 4. 19, *quod dedoluerint*, hoc eſt, dolorem conſcientiæ, quo a ſceleribus revocari poſſent, depoſuerint vel amiſerint. Deus ergo iſtos homines in reprobam mentem *tradidiſſe* dicitur, propterea quod eos reprobæ iſti menti planè permiſerit, id eſt, cum hæc reproba mens in eis propria eorum culpa exiſtere cœpiſſet, Deus eam tollere noluit. *Ut facerent ea, quæ non conveniunt:* ex reproba enim mente hoc profluit. Non eſt autem intelligendum, eos antea nihil horum deſignaſſe: ſed non ita paſſim, non ita ſine pudore, non ita plenos, ut poſtea explicatur, iſtis ſceleribus fuiſſe. *quæ non conveniunt.* Id eſt, quæ fieri ab homine non decet, quæ manifeſtam turpitudinem & pravitatem conjunctam habent, quæ dum homo facit, ſemetipſum deturpat, ac nota & infamia afficit, ſimul etiam mortis ſe reum, ut poſtea audiemus, conſtituit.

Verſ. 29. *Repleti omni injuſtitia.* Hæc verba ita quidem extulit apoſtolus, ut & pœnam, ſeu mavis pœnæ antea explicatæ, hoc eſt, perverſæ mentis effecta, & cauſam pœnæ iſtius ſignificare poſſint: ſed prius contextui ac ſeriei orationis apoſtolicæ eſt convenientius. Nam cauſam pœnæ ejus, de qua hactenus dixit, ſuperius explicuit: pœnam autem horum ipſorum delictorum ℣. ult. & cap. ſeq. per aliquot verſic. explicabit. Ut taceam, nimis manifeſtum eſſe, hic explicari, quomodo homines, qui Dei cognitionem contemſerunt, reproba mente ac perverſo judicio a Deo puniti, ea quæ non conveniebant, fecerint: ita ut hic contineatur ſpecialis enumeratio rerum haudquaquam convenientium ab impiis illis hominibus deſignatarum. Ait autem, eos non aliqua tantum ratione infectos fuiſſe, ſed *repletos*, & non aliquo tantum injuſtitiæ genere, ſed *omni injuſtitia*, hoc eſt, omni injuſtitiæ genere.

*Omni injuſtitia.* Vox injuſtitiæ hoc loco tum generalem tum ſpecialem ſignificationem habere poteſt. In generali ſignificatione accepta continebit ſequentia vitia, tanquam ſpecies ſuas, excepta forte ſcortatione, quatenus ab adulterio diſtinguitur. Omne enim peccatum, quo proximus læditur, injuſtitia eſt. Speciali ſignificatione, ſignificabit illud vitium, quod in non tribuendo cuique quod ipſius eſt, cernitur, ſeu cum rem alienam quocunque illegitimo modo noſtram facimus: ut cum depoſitum, aut etiam debitum non reddimus, cum rem alterius vel vi, vel fraude & arte aliqua occulta, quam alter non intelligat, vel etiam ſummo illo jure, quod ſummam injuriam eſſe ajunt, ad nos trahimus.

*Scortatio* hoc loco latius extendi debet, ut etiam adulterium includat: quod alibi etiam in S. L. uſu venit Matt. 5. 32, & 19, ℣. 9. 1. Tim. 1. 10. Hanc ideo ſtatim ſubjungit injuſtitiæ, quia, ſi quod flagitii genus, hoc vel inprimis inter gentes, una cum injuſtitia paſſim regnabat.

Πονηρία. quam interpoſito alio vitio a κακίᾳ diſtinxit, ut oſtenderet ſe hæc non habere pro ſynonymis. Ita autem a κακίᾳ diſtinguenda videtur, ut πονηρία in factis alteri moleſtis, ſeu in ipſis injuriis & læſione conſiſtat: κακία autem in animo & cupiditate alterum lædendi. Sunt enim quidam, qui oblata quidem occaſione, aut ab aliquo injuria affecti, alterum viciſſim lædunt & injuria viciſſim afficiunt, animum tamen nocendi & lædendi non fovent. Alii vero ſunt qui id agunt, id meditantur, id cupiunt ut alteri malum & perniciem afferant, adeoque nocendi occaſiones quærunt. Notant nonnulli, Paulum videri delectatum fuiſſe paronomaſia iſtorum verborum πορνείας & πονηρίᾳ, & hanc ob cauſam alterum alteri ſubjunxiſſe. quemadmodum paulo poſt, in voce φθόνε & φόνε: & iterum inferius in nominibus ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους.

His duobus vitiis interſeruit apoſtolus *Avaritiam*, utpote quæ hæc vitia pro comitibus habeat. Eſt autem nimia habendi cupiditas, quæ partim anxiè, ſæpe etiam cum dedecore, pecuniam quærit; partim anxiè eandem retinet & aſſervat.

*Pleni invidia. Plenos* ait, ut iterum indicet, eos non leviter his vitiis tinctos, ſed penitus imbutos fuiſſe: refertur hæc vox etiam ad reliqua, quæ in hoc verſiculo recenſentur, vitia. Invidiam alia exemplaria proximè cum avaritia conjungunt. Avari enim plerumque ſunt invidi: his potiſſimum, *Fertilio ſeges eſt alieno ſemper in agro, vicinumque pecus grandius uber habet.* Invidia tamen latius regnat, & in ambitioſis etiam hominibus, vel inprimis reperitur. Ea nihil aliud eſt quam triſtitia & mœror animi, ex alterius vel honore, vel utilitate profecta. Ipſum hoc malum ſibi crucem figit. Hinc illud Poëtæ: *Invidia ſiculi non invenere Tyranni, Majus tormentum.* Φθόνῳ conjunxit φόνου apoſtolus, tum propter vicinitatem vocum, ut paulo ante notavimus, tum propter affinitatem ipſorum vitiorum. Qui enim invidet, animo quodammodo; qui occidit, manu homicidium peragit: & ſæpe ex invidia, ut in Caino videmus, homicidium oritur. Homicidium autem eſt, alteri vitam eripere, cujus eripiendæ legitima poteſtas tibi nulla ſit.

*Rixæ.* Hæc pugna eſt verborum, ex ira aut alio affectu immoderato profecta, ut cum alter alteri, ob quandam pertinaciam, cedere non vult, ſed quiſque ſuam ſententiam mordicus tuetur, licet fortaſſe falſam malamve, aut de re nihili: Vnde fit ut animi ſenſim incaleſcant, præſertim ſi, ut ferè accidere ſolet, aculeata quædam & pungentia dicta accedant: unde poſtmodum res ad aperta convicia devenire ſolet.

*Doli.* Dolus ſeu fraus eſt alterius circumventio & deceptio, ſeu injuſtitia, ſimulatione juſtitiæ tecta & palliata, qua nulla eſt capitaliot, ut Cicero dixit.

Κακοηθείας nomen, licet ſua vi omnes malos & reprehenſione dignos mores ſignificare poſſit, proprium tamen

men peculiaris cujuſdam vitii evaſit; & ſignificat malignitatem eam, qua quis alterius dicta factaque in deteriorem partem libenter accipit, alterius laudes fugillat, & ærugine quadem corrumpit: & ſi quem laudandum ſuſceperit, multa de ejus laudibus de induſtria omittit, jejunè ac frigide laudat, ſic ut laudibus ſuis deprimere magis aliquem, quam extollere voluiſſe videatur.

Ψιθυριστὰς, Suſurrones, ſunt illi, qui alteri de altero quidpiam inſuſurrant, id eſt, clam & occultè famam & exiſtimationem alicujus lædunt, aut id dicunt, quod ad alienandos animos & inimicitiam ſerendam pertinet, ita ut is, de quo hæc illi ſpargunt, utpote ignarus & inſcius, tueri ſe ac defendere nequeat, vel antequâ ſe queat defendere, in odium alterius aut periculum incurrat.

Verſ. 30. Καταλάλους. *Detractores*, qui etiam palam & apertè male de quopiam ejus lædendi cauſa loqui non verentur; quodſi id ipſi confinxerunt, calumniatores propriè appellantur. Θεοστυγεῖς. *Deum odio habentes*, hoc loco videntur eſſe illi, qui omnis religionis ac numinis hoſtes profeſſi ſunt, qui religionem ſubſannant, quorum os blaſphemiis plenum eſt, qui ut Pſaltes loquitur, Pſal. 73. 9. (vide etiam ỳſ. 8, & 11) os ſuum in cœlo ponere non verentur.

Ὑβριστὰς. *Contumelioſi*, ſunt illi, qui non contenti communi aliqua & pervulgata injuria ac contemtu, id agunt, ut aliquem inſigni aliqua & notabili, ſeu publica ignominia, & dedecore afficiant, & ex ea re ſingularem capiunt voluptatem. His ſubjecit *ſuperbos*. ὑβρεις ex ſuperbia quadam proficiſcitur. Superbi ſunt, qui ſui opinione tument, & alios præ ſe contemnunt, ſeſe oſtentant.

His affines ſunt ἀλαζόνες homines jactabundi & ſuarum laudum præcones.

*Repertores malorum*, qui vulgaribus non contenti, ſubinde nova peccata excogitant, ſeu novos peccandi modos & artes; quales ſunt, novarum atque illicitarum voluptatum inventores: inventores variarum nocendi artium, fraudum, machinationum.

*Parentibus inobedientes*, id eſt, qui eis honorem debitum non exhibent, qui honor conſiſtit inprimis in obedientia, ut parentibus morigeri ſint, iis omnibus in rebus, quas jubent, dummodo divinis mandatis contrariæ non ſint. vide Eph. 6. 1, 2. deinde in cura parentum, & illis rependenda vice, ſi forte cura, auxilio, & ope liberorum indigeant. Vide Matt. 15. 4, & d. & 1 Tim. 5. 4, 8. adde his alia quoq; externa honoris & obſervantię ſigna.

Verſ. 31. *Inſipientes*. Quemadmodum malorum repertores ii ſunt, qui ratione & ingenio abutuntur: ita ἀσυνέτους, ſeu inſipientes, ſunt homines inconſiderati, qui ratione ac judicio non utuntur: quales ſunt primum ii, qui nullas in actionibus ſuis, nec rerum nec perſonarum circumſtantias conſiderant, ut ſecundum eas actiones ſuas moderentur & regant: & nominatim (hoc enim hujus maximè eſt loci) in negotiis ad alterum pertinentibus, in quibus ipſius vita ac ſalus, aut quodcunque commodum, honeſtaque jucunditas, vel horum contraria aguntur; deinde & illi in numero inſipientium ſunt, qui res obvias, tarditate quadam & ſtupore voluntario, ſeun egligentia contracto impediti, non vident, præſertim ſi res iſtæ magni ſint momenti, & ad religionem ſpectent. Quo ſunſu ſupra Philoſophis cor inſipiens tribuit apoſtolus ỳſ. 21, & Chriſtus aliquando diſcipulos ſuos inſipientes vocavit Marc. 7. 18. VIII. 17, 18, 21, & Paulus Galatas inſipientes vocat Gal. 3. 1, 3. Similiter & eum qui propter corporum noſtrorum interitum & diſſipationem de reſurrectione dubitat, inſipientem ſeu amentem vocat 1 Cor. 15; utpote qui non videat, ſingulis annis innumera grana in terram conſita, licet putreſcant & corrumpantur, novis tamen & longè pulchrioribus corporibus amicta iterum exoriri ac ſurgere.

Ἀσυνθέτους. *fœdifragi* ſunt qui promiſſa & pacta non ſervant, cum quibus fruſtra pactum aut fœdus ineas.

Ἀστόργους. *charitatis expertes*, qui naturam ipſam quodammodo exuerunt, & eos amoris ac benevolentiæ igniculos, quos ipſa natura erga ſanguine junctos indidit, non perſentiſcunt: ita cum ſuis propinquis agunt, acſi nullum ipſis communis ſanguinis vinculum cum eis intercederet.

Ἀσπόνδους. *implacabiles* ſunt qui ſociari neqeunt, omnes pacis conditiones, licet æquas, rejiciunt, intractabiles ſunt, irreconciliabiles. ἀσυνθέτους ſunt qui facile a fœdere diſcedunt: ἀσπόνδους qui aut nunquam, aut admodum difficulter fœdere coaleſcunt.

*Immiſericordes*. ſunt homines crudeles, duri, immites, qui nullo affectu alienæ miſeriæ & calamitatis tanguntur & commoventur, ita ut ex alterius malis dolorem aliquem capiant, quo ad eum, pro ſua virili, ex malis iſtis liberandum, aut iis non afficiendum, impellantur: qui humanitatem ipſam exuerunt, feris quam hominibus ſimiliores.

Verſ. 32. *Qui jus Dei cognoſcentes*. Poſtquam oſtendit Apoſtolus, quot quantiſque flagitiis homines ſeſe polluerint: nunc oſtendit etiam, eos hic quoque ignorantiam prætexere non poſſe. nec venia eſſe dignos; quandoquidem vel reipſa ſciverint, vel ſcire facile potuerint, homines qui iſta deſignent, mortis pœna dignos eſſe. Quare eos iſtorum peccatorum, quæ enumeraverat, planè reos eſſe, & pœna divina dignos; quemadmodum & ſuperius, non tantum eos idololatriæ accuſaverat apoſtolus, ſed etiam oſtenderat eos ignorantiam non poſſe prætexere, eaque in re prorſus inexcuſabiles eſſe, utpotè quod *D*eum cognoverint, ſeu cognoſcere in proclivi habuerint.

Δικαίωμα, eſt jus ſeu ſtatutum Dei, ut infra δικαιώματα Νόμου ỳſ. 26, ſunt ſtatuta Legis, hoc eſt præcepta. Eſt autem hoc, *quod qui talia faciunt, digni ſint morte*, hoc eſt qui vel unum, vel plura ex his, aut aliquid his ſimile commiſerit: vox enim *talium*, non tantum ea quę ſunt enumerata; ſed & ſimilia complectitur. Vox *faciendi*, pro diverſitate peccatorum, diverſimodè accipienda eſt. In quibuſdam, in quibus facilior eſt lapſus, de habitu: in aliis gravioribus etiam de actu. qua de re explicatius dictum Gal. 5. 21. Norunt, inquit apoſtolus, eos qui talia peccata admittunt, morte dignos eſſe. Verum quia loquitnr de iis, quibus divina voluntas promulgata non fuit, quomodo dicere potuit eos cognoviſſe hoc ſtatutum *D*ei? Primo non eſt neceſſe, ut putemus apoſtolum dicere, eos cognoviſſe, hoc eſſe *D*ei ſtatutum, ſed tantum eos id cognoviſſe, quod *D*ei ſtatutum eſt. At vero naturali rationis lumine homines facilè vident, vel videre queunt, eos qui in alterum ſunt injurii, & talibus peccatis dediti, gravi aliqua, pœna dignos eſſe, imo vita indignos: quod eſt ipſum hoc jus *D*ei, quod Paulus intelligit. *D*einde poſtquâ cognoſcunt homines, quod apoſtolus in ſuperioribus poſuit, Deum eſſe, hæc omnia potentia & ſapientia ſua condidiſſe, ac proinde ea omnia regere ac gubernare, facilè altius aſcendere animo poſſunt, & cognoſcere, Deum velle omnes perdere, qui talibus peccatis ſunt dediti, & hanc Dei eſſe ſanctionem. Nam cum Deus naturę noſtrę

ſit autor, intellectum ac judicium nobis indiderit, undenam hæc opinio, dignos eſſe graviſſima pœna atque adeo morte, qui talia perpetrant, in animis noſtris exoriri potuit, niſi ab ipſo Deo? præterea cum ſciamus, eum omnia regere ac gubernare, idque juſtiſſimè ac ſapientiſſimè; quid convenientius eſt quam ut ejuſmodi homines ſibi immorigeros munere vitæ privet, & morte plectat? Regi enim ac gubernari homines, non niſi legibus ac ſtatutis queunt. At vero quæ lex eſt juſtior, quam quæ vita indignos pronuntiat, qui vitæ munere adverſus ipſius autorem abutuntur; qui leges tranſgrediuntur, non in codice aliquo & volumine conſignatas, ſed animis noſtris penitus inſculptas, nec majeſtatem creatoris ſui reverentur?

*Non tantum illa faciunt ſed etiam condelectantur iis, qui faciunt.* Oppoſitio quædam eſt in his & præcedentibus, q. d. etiamſi jus iſtud *Dei*, quod nimirum ii, qui talia faciunt, digni ſint morte, cognoverint: nihilominus tamen, non ipſi tantum ea deſignant, ſed etiam delectantur, cum alii ea patrant: Inſignem eorum malitiam notat, quæ in eo eſt, quod non tantum contra propriam animi ſui conſcientiam & opinionem ejuſmodi peccata admittant, quod aliqua ratione excuſabilius eſt, utpotè quod peccati illecebris capti, ab affectibus abrepti ea deſignent: ſed etiam delectentur ejuſmodi peccatis, in aliis iis applaudant, ea comprobent, cum tamen alias nulla exinde ad eos redundet voluptas, vel utilitas: adeo ut quodammodo diſcrimen turpis & honeſti in animis eorum ſublatum eſſe videatur. Nam qui intra ſe inhoneſtum damnat, licet ipſe impotentia quadam animi abreptus, inhoneſtis ſe tradat conſiliis, alios tamen patrantes non feret. Hinc ſæpe fit, ut alios reprehendant illi, qui ipſi reprehenſionem merentur.

## CAP. II.

### *ARGUMENTUM.*

*In hoc capite pergit apoſtolus homines ſupplicii divini reos peragere, atque eos inprimis, qui cæteris videri vellent meliores, & morum alienorum cenſores ac judices. Sunt autem tres capitis partes. In prima de gentibus, de quibus ſuperiori cap. agere cœperat, potiſſimum diſſerit, & ex eo, quod alii alios damnare ſolent, eos inexcuſabiles eſſe docet; eo paulatim rem deducens, ut ſibi ſupplicium imminere, & aliquando ſe a Deo judicatum iri intelligant. In ſecunda parte, in qua judicii illius ultimi rationem explicat, de Judæis & gentibus ſimul agit, & neutros ſupplicium divinum effugituros oſtendit, ſi ita, ut hactenus fecerant, vivere pergant: & ſic aliam illis vitæ rationem ineundam eſſe indicat, ſi ſupplicium effugere velint, quæ nulla jam reſtabat alia præter euangelicam, ad quam non obſcurè eos invitat. In tertia nominatim peccati convincit Judæos, quibus Legis cognitio & circumciſio ſpiritus faciebat, quique ſingularis ſanctitatis ac juſtitiæ præ gentibus opinione tumebant. Diximus autem, in prima parte potiſſimum de gentibus agi, quia nexus quidem hujus capitis cum præcedente arguit, de eo hominum genere eſſe ſermonem, de quo præcedenti cap. fuit actum; actum autem eſt de gentibus: Veruntamen eadem ad Judæos quoque extendi rectè poſſunt, quos & eadem vitia, & eadem, imo multo major alios damnandi libido inſederat.*

Verſ. 1. *Quapropter inexcuſabilis es, ô homo omnis qui judicas.* Particula *quapropter*, oſtendit, hæc ex ſuperioribus fluere. Deduci autem poſſunt ex eo, quod de hominibus generatim omnibus, gentium exterarum habita ratione, aſſertum fuerat, eos plenos fuiſſe omnis generis vitiis, eos cognito Dei jure, quod qui talia faciant, digni ſint mortis ſupplicio, nihilominus tamen ea patraviſſe. Hinc enim ſequitur, eos, qui talia in aliis damnant, inexcuſabiles eſſe, & ſeipſos damnare, quandoquidem ipſi quoque eadem patrent. quam rationem hoc ipſo verſic. 1 affert apoſtolus: ſed eam hic non confirmat, verum tanquam ex ſuperioribus manifeſtam ponit. Interim id ipſum, quod in ſuperioribus dixerat, homines jus iſtud *Dei*, quod diximus, cognoviſſe, tacitè ex illa aliorum damnatione, tanquam ex effectu quodam, monſtrat.

Verbum *judicandi* hoc loco idem ſignificat, quod dammare, pœna dignum cenſere ac pronuntiare. Videtur autem id non tantum de publico magiſtratus, ſed etiam de privato cujusvis judicio accipiendum, de quo loquitur Chriſtus Matth. 7. 1, 9, & d. Luc. 6. 37 & Iacobus cap. 4, 11. utrumque enim inexcuſabilem reddit hominem, ſi is eadem patret, quæ in aliis damnat, & quatenus privatum judicium publico eſt communius, latiusque patet, eatenus inſtituto apoſtoli eſt accommodatius. Quanquam & publica judicia non ſolius magiſtratus eſſe cenſenda ſunt, ſed totius humani generis, cujus conſenſu & conſtituta ſunt, & porro etiam retinentur atque exercentur.

Dicet hic aliquis, apoſtolum de iis, de quibus hic loquatur verſic. ult. præced. cap. aſſeruiſſe, eos non tantum peccata a ſe enumerata patrare, ſed etiam ea in aliis comprobare, iisve delectari. Quomodo ergo ii eadem judicant & damnant? Reſpondemus, primum, apoſtolum non dicere, eos vel ſemper vel omnia in aliis probare: ſed indefinite, eos probare peccata in aliis. Facile autem fieri poteſt, ut qui aliis delectatur, alia improbet: aut in aliis eadem probet, in aliis improbet, quemadmodum ſanè ipſa teſtatur experientia: Deinde, non eſt ea verborum præcedentium vis, ut ſignificent, eos omnes, qui iſtiusmodi peccata patrant, eadem in aliis comprobare: ſed ſatis eſt, ut in multis atque adeo in plerisque ita ſe res habeat; quandoquidem ibi *Paulus* de hominibus generatim atque indefinitè agit. *Poſſunt* autem eodem in loco, de hominibus generatim atque indefinite pronuntiari ea, quæ omnibus in univerſum, & quę pleriſque inſunt. Neque vero id quicquam argumentationem apoſtolicam convellit. Satis enim eſt, homines talia peccata contra conſcientiam patrare, etiamſi ea in aliis non approbent: neque vero in hoc poſteriori, apoſtolus ſui argumenti præcipuam vim collocat: ſed in priori. poſterius autem, ut aliquid adhuc ei ponderis accedat, addit: Interim ne quis effugium in eo ipſo quærat, & ex eo innocentię laudem captet, quod flagitia in aliis non modo non approbet, ſed etiam reprehendat ac damnet: hanc quoque rimam hic obſtruit apoſtolus, & oſtendit, tantum abeſſe ut propterea excuſari queat, ut potius eo ipſo ſe inexcuſabilem reddat, ſeque in aliis condemnet, quandoquidem eadem nihilominus patret. q. d. quare cum ea ſit hominum vita, hi mores, tu quoque quiſquis es, qui aliorum facta reprehendis ac damnas, non modo excuſari propterea non mereris, ſed potius omnem excuſationis anſam tibi ipſi præcidis.

Sed cur inquies? *In quo enim judicas* ſeu *damnas alium*,

*alium, teipſum condemnas. In quo*, pro, dum, vel eo ipſo quod alium damnas, teipſum damnas. Rationem conſequentiæ addit, *Eadem enim facis, qui judicas.* In ſimili enim cauſa, ſimile convenit eſſe judicium, & quam ſententiam in alium valere vis, ipſe, ſi illi ſis ſimilis, ſubire debes. Non eſt autem neceſſe, ut per *eadem*, ſpecie eadem intelligamus. Nam qui verba cauſa aliquem ob adulteria damnat, non eſt neceſſe ut ipſe ſit adulter: ſed ſatis eſt, ut alio flagitio aut peccato, quod ſimiliter pœnam mereatur, teneatur obſtrictus. Itaque de iiſdem genere, vox hæc accipienda eſt, ſeu de factis vitioſis, inter ſe ſimilibus, quorum nimirum eadem eſt, quoad reatum ac pœnam, ratio. Idem enim interdum eſſe dicitur id, quod alteri eſt ſimile, cujus eadem eſt ratio. Vide 1 Cor. XI. 5.

Verſ. 2. *Scimus autem.* Occurrit apoſtolus tacitæ objectioni. Poterat enim aliquis cogitare, quid tum? utut ſim inexcuſabilis; damnationem tamen aut ſupplicium non metuo: quis eſt qui de me pœnas ſit ſumturus? Reſpondet apoſtolus: Deus de te ſumturus eſt ſupplicium. Scimus enim Deum revera damnaturum eos, qui ejusmodi peccata perpetrant, quomodo autem tu, qui, cum ejusmodi homines damnes, nihilominus tamen eadem perpetras, hoc Dei judicium poteris effugere?

Verbum *ſcimus*, poſſet quidem ita accipi, acſi apoſtolus ſuam & aliorum ſibi ſimilium, qui divinitus edocti certo ſciebant fore judicium, in quo ſupplicium Deus ſit ſumturus de impiis, auctoritatem ac teſtimonium interponat, & opinioni vanæ illorum hominum, qui ſibi impunitatem polliceantur, opponat. Veruntamen cum hic rationibus potius agat apoſtolus, quam auctoritate pugnet, diſputans potiſſimum adverſus homines fidei in Chriſtum adhuc expertes, veriſimilius eſt eum non tantum de viris divinis, ſed de omnibus hominibus cordatis, ac rectè rem æſtimantibus loqui, & ideo dicere, ſe atque illos iſtud ſcire, quia res ſatis ſit manifeſta. Nam, ſi ea nota ſunt atque aperta, quæ ſuperiori capite hominibus manifeſta eſſe dixit, & inprimis illud, jus hoc eſſe Dei, quod ii, qui peccata ejusmodi deſignent, digni ſint morte; quis non videt, judicium divinum imminere iis, qui ejusmodi peccata deſignant? utut tandem neſciant, quando aut qua ratione id ſit futurum.

Infra verſ. 16, ubi affirmat Deum occulta hominum judicaturum, *per Ieſum Chriſtum*, quia id ratione cognoſci non poteſt, pendetque ex ſublimiori Dei conſilio, ſuam auctoritatem interponit, dum interjicit, *ſecundum euangelium meum.* Neque enim quiſquam, ratione certa, ſine ulla divina revelatione cognoverit, Ieſum Chriſtum, Dei nomine ac juſſu, judicium illud ſupremum adminiſtraturum. Quanquam id ibi nondum tantopere urget Paulus, ſed veluti obiter, rei tantum illuſtrandæ cauſa, inſerit, ut facilè ibi licuerit ei auctoritatem ſuam hac in parte interponere, non enim de eo præcipuè agebatur. Aliter hoc loco accidit, ubi id revera quæritur, utrum ſupplicium Dei immineat iis, contra quos nunc Paulus diſputat. *Iudicium Dei*, pro damnatione vel ſupplicio, quod Deus ſit inflicturus, ſumitur. *Secundum veritatem*, hoc eſt vere; opponitur hoc opinioni ac falſæ perſuaſioni, q.d. non eſt hoc vanum aliquod hominum commentum, ſed revera divinum ſupplicium imminet iis, qui talia faciunt. Nonnulli hæc verba referunt non ad exiſtentiam illius judicii, ſed ad illius modum: q. d. non ex opinione cujuſquam de ſe, aut aliorum de ipſo perſuaſione, judicabit Deus, ut in humanis judiciis ſæpe accidit; ſed ex rei veritate, ſecundum uniuscujusque opus. Sed prior explicatio videtur ſcopo accommodatior, *eſt ſuper eos*, id eſt, imminet atque impendet iis, ſeu aliquando exercebitur adverſus eos.

Verſ. 3. *Arbitraris autem, o homo.* q. d. Iam vero ſi Deus reipſa judicaturus ac damnaturus eſt homines, qui talia patrant; quomodo tu tibi, o homo, qui eos homines damnas & nihilominus tamen eadem patras, impunitatem polliceri potes? qua ſpe, qua fiducia, putas te Dei ſupplicium effugiturum? Cauſæ damnationis in te ſunt, primum peccata ac flagitia hujusmodi; deinde proprium tuum de illis judicium, ac ſententia damnatoria, qua teipſum in aliis condemnas, & ſupplicio dignum judicas, omnemque ignorantiæ excuſationem tibi adimis. Quæ ergo ratio ſuadet, te a ſupplicio fore immunem?

Verſ. 4. *An divitias benignitatis ipſius.* Occurrit objectioni apoſtolus, & rationem illius hominum ſecuritatis, impunitatem ſibi pollicentium, refellit. Ea vero eſt, quod Deus ipſos tamdiu, licet impie viventes, toleret, nec ultimo illo, quod merentur, ſupplicio afficiat. Inde enim fit, ut ſupplicium ſecuturum non cogitent. q. d. An ideo fortaſſis Deum ſpernis, & ejus judicium ac tribunal non times, quod immenſa quadam & copioſa benignitate erga te utatur, te ferat ac toleret, idque tam longum tempus? Divitias pro immenſa quadam copia ac magnitudine alicujus rei poni notum eſt: ſic infra cap. 9. 23, & XI, 33. Χρηστότης ſeu *benignitas* hoc loco clementiam, miſericordiam, ac lenitatem denotat. Sic Tit. 3. 4. confer etiam Luc. 6. 35, ubi munificentiam quoque complectitur. De eadem voce ad homines relata vide Galat. 5. 22. Ἀνοχὴ ſeu *tolerantia* Deo tribuitur per quandam ἀνθρωποπάθειαν, ſeu per metaphoram, voce ab hominibus ad Deum ob ſimilitudinem tranſlata. Toleramus autem ea, quæ ſunt nobis moleſta ac ingrata: & nos quidem ferè tunc, cum mutare non poſſumus: Deus autem, licet poſſit omnes eos, qui ea patrant, quæ ipſi vehementer diſplicent, è medio tollere, aut vi ad ſaniorem mentem adigere, neutrum tamen facere vult: illud, quia eorum ſalutem pro ſumma ſua bonitate deſiderat, & porro reſipiſcendi ſpatium illis relinquit ut mox videbimus: hoc, ut virtuti veræ, quæ ſine libertate perit, & porro etiam præmio locum relinquat; uti contra & pœnæ. Eadem tolerantia tribuitur Deo infra cap. 3. 26, & 9. 22.

Μακροθυμία, *longanimitas*, quanquam non ſatis Latinè, ſignificanter tamen ac πρᾳεῖα πάθος redditur. Eſt autem perfectio quædam, ſeu mavis perſeverantia iſtius lenitatis ac tolerantiæ divinæ. Itaque in eo cernitur, quod licet diu iræ durent cauſæ, nempe peccata ac ſcelera, quæ majeſtatis ipſius ſunt offenſæ, iram tamen differat, ſupplicium ſuſpendat. Sæpe hæc vox in Sac. literis, partim de Deo, partim de hominibus occurrit. Has, inquit, divitias, num *ſpernis*? hoc eſt, propter eas Deum ejuſque judicium contemnere audes? id pro nihilo ducis? tanquam vanum commentum rides, nec futurum exiſtimas?

*Ignorans quod* τὸ χρηστὸν *benignum*, hoc eſt, *benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit*? Hic reſponſio continetur ad objectionem illam, quæ in ſequentibus magis adhuc illuſtrabitur. Oſtendit enim Paulus, non ideo Deum tamdiu tolerare impios, eoſque non punire, quia tandem aliquando non ſit puniturus; ſed eam

ob cauſam, ut pœnitentiæ ſeu reſipiſcentiæ ſpatium iis concedat, & ad vitæ mutationem, hac ipſa lenitate ſua invitet. quodſi illi hanc Dei benignitatem contemnant, nec ea ſe flecti, & ad animi ac vitæ mutationem perduci patiantur, Deum tanto gravius hanc eorum contumaciam atque impietatem ulturum. *Ignorans τὸ χρηστὸν Θεοῦ*, concretum pro abſtracto. Ignorantia autem hæc eſt affectata & voluntaria quaſi dicat apoſtolus: Exiſtimas, *D*eum nullas de te ſumturum pœnas, quia tam diu tuleris impune tot peccata ac flagitia? Atqui vehementer erras. nec enim conſideras, ideo tibi Deum parcere, & tanta erga te uti clementia ac bonitate, ut tandem aliquando reſipiſcas. Similem rationem vide apud Petrum 2 epiſt. cap. 3. 9, ubi rationem reddit, cur *D*eus tamdiu ultimum illud judicium differat, diſputans adverſus illos, qui adventum Chriſti, quia tam diu differatur, ludibrio habent. Vide & verſ. 15, & cum præced. confer.

Μετάνοια, quam *pœnitentiam*, latinius *reſipiſcentiam* reddunt interpretes, eſt animi, ac porro etiam factorum mutatio in melius. Μετανοεῖν eſt poſt factum ſapere, factum aut conſilium priſtinum reprehendere, & ſic, aliter animatum eſſe quam antea. Is autem id reipſa facit, qui facta ipſa vitamque emendat. Pœnitentia igitur vera ac plena, non eſt animi tantum ob admiſſa peccata dolor; ſed doloris illius conſequens & effectus: ut docet Paulus 2 Cor. 7. 9, 10, 11. Hoc loco noſtro pœnitentiæ nomine vitæ emendationem omnino comprehendi, omnia & antecedentia & ſequentia oſtendunt, & maxime ſequentia, per aliquot verſiculos. Videmus autem hoc loco, quomodo Deus ad reſipiſcentiam homines ducat; non vim illorum animis faciendo, & eos interius, ut reſiſtere non poſſint, cogendo: ſed ſua benignitate ac patientia invitando.

Verſ. 5. *At vero ſecundum duritiem tuam.* Amplificat, ut diximus, reſponſionem, ab effectu contrario. q. d. Quodſi, ut hucuſque facis, obſtinatus eſſe in malitia & peccato perrexeris, nec animum tuum tanta lenitas divina expugnare poterit, tanto gravius punieris. Loco ejus, quod hypothetice ſeu conditionaliter videtur loqui debuiſſe; Si non reſipueris, colliges theſaurum iræ: ſimpliciter & abſolute loquitur, id, quod ab hominibus reipſa fiat, exprimens: ut tanto gravius id reprehendere, & tanto majorem certioremque divini ſupplicii metum iis incutere poſſet. *Secundum duritiem*, id eſt pro tua duritie, ſeu, quæ tua eſt durities. Cauſam enim ſignificat κατὰ *ſecundum*, ut alias ſæpe infra cap. 4. 4, 16. 11. 3, & Epheſ. 1. 5, 7, 9. 11. 19. Tit. 3. 5. 1 Pet. 1. 2. Poſſet quidem ea particula ita ſumi, ut ſignificet ſimilitudinem ac proportionem quandam, inter theſaurum illum iræ, & duritiem cordis: ſed prior explicatio magis convenit.

Eſt autem *durities* illa cordis, animi contumacia, animus præfractus: quod explicatur per καρδίαν ἀμετανόητον, hoc eſt *cor*, ſeu animum *pœnitere* ac reſipiſcere *neſcium*, a reſipiſcentia ac emendatione vitæ averſum. *theſaurum tibi iræ colligis*, illis ſcilicet divitiis benignitatis ex adverſo reſpondentem, ac duritiei tuæ convenientem. Per *iram* intelligit pœnam, cauſam pro effectu. Ira enim eſt affectus ſeu cupiditas puniendi. Significat apoſtolus, quanto diutius homo in impietate perſeverat, tanto graviorem eum Dei iram ac ſupplicium ſibi accerſere: non ſecus ac ſi theſaurum aliquem iræ ſeu pœnæ ſibi colligeret, ac ſubinde aliquid ad eum adjiceret: quemadmodum autem theſaurus diligenter aſſervatur, ut tandem, quæ collecta ſunt, ex eo depromi poſſint: ita hunc iræ theſaurum nequaquam periturum; non oblivioni iri traditum hominis obſtinatam impietatem, ſed aliquando ſimul effuſum iri quicquid in illo iræ divinæ theſauro reconditum eſt. Quare aliam vitæ rationem hominibus in poſterum ineundam eſſe indicat, ſi ſupplicium velint effugere. Pertinet huc locus ille *D*eut. 32. 34, ubi Deus de impietate, ac porro etiam de ſuppliciis quæ populi ipſius hoſtes maneant, loquens, *Nonne*, inquit, *eſt reconditum apud me ſigillatim in theſauris meis? Mea eſt ultio & retributio, in tempore, quo nutabit pes eorum: quia propinquus eſt dies afflictionis eorum, & feſtinat* (pro *feſtinant*) *quæ futura ſunt eis.* Ad quem locum fortaſſe hic alluſit Apoſtolus; præſertim cum addat, ad ſecundam hujus cap. partem paulatim tranſiens:

*In die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ipſius.* q. d. ne dubites, te aliquando pœnas tuæ impietatis perſoluturum, utut differantur. *C*onſtitutum enim habet Deus, ſupplicii atque in univerſum juſti ſui judicii tempus, quo unicuique ſecundum opera perſoluturus eſt mercedem, hoc eſt vel præmium pro pietate, vel pro impietate pœnam. Nam ut tanto magis reſponſionem illam ſuam, quam verſic. præced. vidimus, illuſtret; totam prope ultimi illius judicii rationem nobis explicat apoſtolus: quod eum in ſecunda cap. parte facere diximus. Explicat enim judicii illius tempus, (quanquam hoc generatim tantum) modum, effecta, ſubjecta, hoc eſt homines, de quibus judicium ſit ferendum.

De tempore ait, *in die iræ.* Ubi vel particula ἐν poſita eſt pro εἰς qua de re ſupra diximus, verſ. 23, q. d. apoſtolus, *theſaurizas iram, in diem* ſive *ad diem iræ*: ut nimirum eo tempore in te effundatur. Vel ſubaudiendum eſt verbum aliquod: q. d. inſtar theſauri colligis tibi iram ſeu pœnam, in die illi rei deſtinato *effundendam. Diem* pro tempore ponit, ut alias ſæpe: hoc autem loco tanto convenientius quod de judicii tempore ſermo eſt. Adeo enim uſitatum eſt *diei* nomen, cum de judiciis eſt ſermo, ut apud Paulum 1 Cor. 4. 3 *dies* pro ipſo ſumatur judicio, & apud Latinos *D*iem dicere ſit, aliquem in judicium vocare, ſeu reum citare.

*D*icitur autem dies ille, *iræ & revelationis juſti judicii Dei*, quia ſupplicio illi ac juſto judicio *D*ei revelando ſit deſtinatus ac præfixus. Nonnulli inter voces *revelationis* & *juſti judicii* interjiciunt copulativam &, quo pacto revelatio ſumenda eſſet pro patefactione, tum factorum, tum cogitationum ac conſiliorum humanorum, quæ nunc latent. Nam occulta hominum tunc judicaturus eſt *D*eus per Chriſtum, ut infra dicitur verſ. 16, & alibi dicitur, *D*ominus, id eſt Chriſtus, illuminaturus eo tempore occulta tenebrarum, & manifeſtaturus conſilia cordium. Sed verior eſt eorum codicum lectio, qui particulam & expungunt, ita ut vox *revelationis* non per ſe conſiſtat, ſed referatur ad *juſtum Dei judicium.* Revelandum autem dicitur tum temporis juſtum *D*ei judicium, quia id reipſa ac manifeſte tunc exiſtet. Sic enim vocem revelandi accipi ſolere, ſupra monuimus cap. 1 verſ. 18. Nunc judicium illud quodammodo jam exiſtit, nempe in *D*ei decreto ac voluntate: ſed latet, non apparet: paratum autem eſt ut reveletur tempore ultimo, quemadmodum de ſalute te noſtra loquitur Petrus 1 epiſt. 1. 5.

Verſ. 6. *Juſtum* autem illud *D*ei judicium appellat, quia

quia, ut mox ſubjicit, *reddet unicuique ſecundum opera ejus*, hoc eſt bona bonis, mala malis: pro pietate præmium, pro impietate pœnam: & quidem *unicuique*: non huic tantum aut illi, ſive genti, ſive homini, ſed cuivis. Hic ergo & modus, & effecta, & ſubjecta iſtius judicii, quanquam generaliter adhuc, & indiſtinctè deſcribuntur: quæ diſtinctius poſtea explicabuntur. Modus eſt, quod juſtum ſit futurum, & pro cujuſque operibus: effecta, merces varia, pro varietate operum: ſubjecta, omnes homines, ſeu unuſquiſque hominum. Non eſt autem intelligendum, ita Deum unicuique redditurum ſecundum ipſius opera, ut non longè majus, quam pii merentur, iis ſit daturus præmium. Illud enim *ſecundum*, convenientiam quidem denotat, quæ ſit futura inter mercedem & opera: ſed quoad genus, ſeu mavis qualitatem operis ac mercedis; non quoad illius ſpeciem, ſeu mavis quantitatem ejus ac magnitudinem: præſertim habita ratione operis boni & præmii. Nam alias infinitum præmium infinitis etiam partibus ſuperabit pietatem hominum utpote finitam. Sed tamen convenientia in eo eſt, quod pii pro bonis operibus bona, quanquam ſumma atque æterna, a Deo reportabunt: impii contra pro malis mala: quanquam hæc proportionem nunquam ſuperabunt. Alia enim eſt pœnæ alia præmii ratio. Nam præmium ſalva juſtitia poteſt laborem ac meritum infinitis partibus ſuperare; pœna ſuperare meritum ſalva juſtitia non poteſt: infra illud poteſt ſubſiſtere. At quam gravis nihilominus erit pœna pro peccatis, & numero infinitis, & gravitate maximis, atque ut ita dicam immenſis? Ex his autem & ſequentibus patet, opera bona eſſe ad ſalutem neceſſaria, tanquam ejus cauſam: quia Deus in judicandis hominibus & ſive ſupplicio ſive vitæ æternæ præmio afficiendis ad illa reſpiciet. Et ne fortè dicas, Paulum hic cum iis agere, qui gratiam euangelicam non agnoſcant, & qui proinde ſi vitam æternam aſſequi velint, operibus ſuis eam obtinere debeant: animadvertendum eſt, eandem ſententiam alibi ſæpius in euangelica doctrina repeti, & iis etiam inculcari, qui gratiam illam agnoſcunt: Vid. 2 Cor. 5. 10. Apoc. 2. 23. xx. 12. xxii. 12. adde Matth. 16. 27, & 25. 34, & d. Et hoc ſanè loco, ut ex ſeqq. intelligetur, etiam illi includuntur, qui euangelicam gratiam agnoſcunt, eamque amplectuntur. Hi enim potiſſimum ſunt, qui ſecundum perſeverantiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem quærunt, quibus propterea vitæ æternæ dabitur præmium.

Verſ. 7. Sequitur enim: *Illis quidem qui ſecundum perſeverantiam boni operis* &c. Explicat id, quod modo dixerat, *Deum unicuique redditurum ſecundum opera ejus*, & diſtinctius exponit modum judicii divini, ſubjecta & effecta. *Secundum perſeverentiam boni operis*, id eſt, per conſtantiam in bono opere, ſeu perſeverando in bono opere. κατὰ pro διὰ, *ſecundum* pro *per*. Sic 1 Corint. 12. 8 idem eſt *ſecundum ſpiritum*, & *per ſpiritum*. Epheſ. 3. 3 *ſecundum revelationem* eſt *per revelationem*: Confer Galat. 1. 12. Non ſatis eſt incipere, ſed perſeverandum eſt in bono opere, uſque ad finem. Vnde Chriſtus Apoc. 2. 26: *qui vicerit, & ſervaverit uſque ad finem opera mea* (hoc eſt, a me præſcripta) *dabo ei poteſtatem ſuper Gentes*, & quæ ſequuntur.

*Opus bonum* pro operibus bonis, ſeu pro tota pietate ponitur. Sic opus Domini 1 Cor. 15. ult. & alibi *opus* pro operibus vitæ generatim, qua de re diximus Gal. 6. 4. *gloriam, honorem & incorruptibilitatem quærunt*. Comprehenduntur hac ratione omnes, qui vel ideo quod iis tanta bona apertè promiſſa ſint, pietatem conſtanter colunt, quales ii, qui ſub Chriſto vivunt, qui mortem quidem deſtruxit, illuminavit autem vitam & incorruptibilitatem, per euangelium: vel quod, utut aperta eorum promiſſione careant, nihilominus tamen ea ſe a Deo præmia ſperant obtenturos, & ad tam præſtantia ſublimiaque bona per vitæ ſanctimoniam adſpirant. Nam partim quod tam deſiderabilia ſint hæc bona, partim quod cernant homines, ea ſibi a Deo dari poſſe, & ut dentur ejus bonitate eſſe digniſſimum; fit ut etiam nullo aperto promiſſo interveniente ea ſibi polliceantur: præſertim ſi videant, pios in hac vita affligi, & non meliori, imo ſæpe deteriori, quam impios, conditione eſſe. Ita enim ratiocinantur, fieri non poſſe, quin Deus conſtanter ſibi parentes remuneret; maximè poſtquam promiſit, ſe illis benefacturum, eorumque Deum futurum. Quare cum in hac vita pietatis ſuæ præmium non reportent, omnino reſtare aliquam pietatis poſt hanc vitam mercedem.

Hinc videmus plurimos etiam ante Chriſtum ſpem habuiſſe futuræ vitæ, uti ex libris Maccabæorum, & auctore Epiſt. ad Hebr. cap. xi patet. Quin & Ethnicos vulgo aliquam futuræ vitæ ſpem ſibi finxiſſe videmus; non tam ideo, quod rationibus è media natura petitis animas hominum incorruptibiles eſſe deprehendiſſent, id quod Philoſophorum tantum fuit, eorumque non omnium: ſed ideo præcipuè, quod cum numina eſſe crederent, non putarunt fieri poſſe, quin aliquod reſtaret poſt hanc vitam, & virtutis præmium, & ſcelerum pœna: quia in hac vita ſæpe malis benè, bonis malè eſſet. Interim tamen, ut quæ vera eſſet incorruptibilitas, Ethnici neſciebant: ita multo minus rectam ad eam inſtiterunt viam. Nemo fuit qui *ſecundum perſeverantiam boni operis*, in quo omnis generis pietas continetur, *incorruptibilitatem quæreret*. Iis autem, qui eam quærunt, illi quoque ſunt accenſendi, qui etſi diſtinctè, quodnam præmium Deus ſibi perſoluturus eſſet, neſcirent, vel aliud aliquod præter incorruptibilitatem illam præmium revera ſperarent; conſtanter tamen Deo uſque ad ultimum vitæ terminum paruerunt, nec tamen, ſi ipſorum perſonas ſpectes, ſuæ pietatis mercedem Deo dignam in vita retulerunt: Nam & his, quia vitam ſuam ita compoſuerunt, ut aliud poſt hanc vitam præmium quærere viderentur, vitam æternam dabit Deus, & in eorum collocabit numero, de quibus hic eſt ſermo. Cæteroquin hæc eorum, quibus vitæ æternæ præmium ſit dandum deſcriptio, in eos maximè propriè quadrat, quibus euangelica doctrina eſt revelata: quemadmodum & in ſeqq. ita deſcribuntur ii, qui in ultimo judicio ſint puniendi, ut inprimis notentur ii, qui euangelicæ doctrinæ non parent. Tacitè enim licet aliud agens indicat apoſtolus, euangelicam diſciplinam eſſe amplectendam iis, qui in ultimo illo judicio conſiſtere, & pœnam quidem effugere, præmium autem adipiſci velint.

Videtur autem illa *gloria & honor*, cujus hic fit mentio, in ipſa incorruptibilitate aliqua ratione contineri, ita ut *incorruptibilitatis* nomen explicationis gratia cenſeatur adjectum. Unde idem præmium poſtmodum ſolo *æternæ vitæ* nomine complectitur apoſtolus. Incorruptibilitas autem pro vita æterna poni ſolet. Sunt nimirum *gloria* & *honor* incorruptibilitatis ſive adjuncta, ſive effecta quædam. Gloria autem tum pro

laude poteſt ſumi, quàm ſacræ literæ piis in ultimo judicio pollicentur, 1.Cor.4.5. 1Pet.1.7 (quanquam ea laus non in verbis, ſed in præmii perſolutione potius conſiſtit:) tum pro ſplendore ac majeſtate quadam, quam itidem non uno loco Sac. literæ nobis promittunt. Vide Matth. 13,43. inf. cap. 5.2. VIII. 17. 1.Cor.15.43. 1.Theſſ.2.12. 1.Petr.5.10. *Honor* ille in eo conſiſtet, quod ex ipſo præmio apparebit, quanti pios æſtimet Deus, quanto eos in pretio habeat. Eſt enim honor ſignum exiſtimationis de alicujus excellentia. Dicit autem Chriſtus, *ſi quis mihi ſervierit, honorabit ipſum Pater* Ioh. 12. 28. & de ſe alibi in parabola aſſerit ea, quæ oſtendunt, quanto ſit ſervos ſuos affecturus honore. *Beati*, inquit, *ſervi illi quos Dominus reperiet vigilantes. Amen dico vobis, quod ſuccingetur, & accumbere eos faciet, & tranſiens miniſtrabit eis.* Petrus tribus vocibus hæc exprimit, dum ait: *probationem fidei noſtræ repertum iri* (id eſt, nobis ceſſuram) *in laudem, & honorem, & gloriam, in revelatione Ieſu Chriſti.*

*Vitam æternam* ſcil: *reddet.* hoc enim verbum ex ỳ.ſ. 6 ἀπόδωσι hic repetendum eſt.

Verſ. 8. *Illis vero qui ex contentione. Eſſe ex re aliqua*, eſt, ei rei eſſe addictum, vel etiam, re illa eſſe præditum. Sic *eſſe ex fide*, Gal.3.7, *eſſe ex operibus legis* ibid. ỳ.ſ.10, *eſſe ex veritate* 1.Ioh.3.19 eſt, eſſe fidei, operibus legis, veritati addictum, eam re ſectari. Quare *eſſe ex contentione*, eſt eſſe contentioni addictum, eſſe contentioſum. Per iſtos contentioſos, videtur apoſtolus intelligere eos, qui præfractè veritati reſiſtunt, & contradicunt: propterea addit: *& inobedientes quidem veritati*, ἀπειθοῦσι. quod verbum duplicem habet ſignificationem. Nam & ſignificat, eos nolle veritati aſſentiri, eamque amplecti, & eos nolle veritatem factis exprimere, & iis, quæ præcepit, parere. Quæ ſignificatio vocis non raro occurrit in Sac. literis, inter alia, Act. 14. 2. XVII. 5. XIX. 9. inf. cap. 10. 21. Sic ſumitur etiam *μὴ πείθεσθαι τῇ ἀληθείᾳ non parere veritati* Gal. 3. 1. v. 7. De poſteriori nil eſt opus monere. Veritas hoc loco poſſet pro pietate ſumi, quemadmodum 1.Corint.5.8. XIII. 6. 3 Ioh. 3. 4. niſi obſtare videretur præcedens vox contentionis. Sumitur igitur potius pro doctrina, aut notitia rerum ad religionem ac pietatem pertinentium: ſive ex ratione ipſa, de qua cap.1.18 vidimus: ſive ex lege, de qua inf. ỳ.ſ. 20: ſive denique ex euangelio petatur; quæ poſtrema eſt omnium perfectiſſima, & omnem eam veritatem, quæ ad pietatem ac religionem ſua natura pertinet, in ſe complectitur, unde ἡ ἀλήθεια ſeu *veritas illa* paſſim appellatur. Et hos ſanè, ut jam antè monuimus, inprimis hic notat apoſtolus, qui euangelicæ doctrinæ ſeſe opponebant. *Obediunt autem injuſtitiæ.* Injuſtitia interdum pro falſitate & mendacio ſumitur Ioh.7.1,8. & cum hoc loco falſitati opponatur, nil prohibet eam iſto modo ſumi. Sed ſumi etiam poteſt propriè, potuit enim injuſtitia veritati ideo opponi, quod veritas pietatem præcipiat & præſcribat.

*Indignatio & ira* ſcil: continget, vel reddetur. Mutatur enim hoc loco ratio loquendi. *Indignatio* autem & *ira* pro pœna, & quidem gravi ſumitur, nempe per metonymiam cauſæ efficientis, ut monuimus cap.1.18.

Verſ. 9. Itaque explicationis cauſa poſtea ſubjicitur *afflictio* (ſeu *compreſſio*) *& anguſtia* q.d. *afflictio inquam erit & anguſtia* &c. ut quidam interpretes verterunt. Eſt enim in his & ſequentibus verbis epanalepſis quædam, qua ſuperiora aliquo modo repetuntur & explicantur. Nam & pœna clarius deſcribitur, ac gravitas ejus exprimitur: & quam latè ea pateat, apertiùs declaratur. Illud fit iſtis, quæ jam adſcripſimus, verbis: *afflictio & anguſtia.* Solet apoſtolus interdum diſtinguere θλῖψιν, ſeu afflictionem, a στενοχωρίαν ſeu anguſtia, ut inf. cap.8.35, & 2.Cor.4.8. Sed hoc loco, pro eadem re ſumuntur: licet vox στενοχωρίας aliquid priori videatur addere ponderis, & pœnæ illius gravitatem apertius ante oculos ponere. Nam θλῖψις ſignificat quidem compreſſionem, &, ut ita dicam, coarctationem, cum quis ex utraque parte premitur: ſed στενοχωρία eſt, cum quis ita in anguſtum redigitur, ut, quo ſed vertat, non habeat: metaphora, ut videtur, ſumta ab athletis, qui ab antagoniſta in anguſtias rediguntur, adeo ut ſeſe jam tueri ac defendere non poſſint; ſignificatione ad animum tranſlata, cum animus ad deſperationem redigitur, nec ulla ſalutis ſpes affulget. De hac afflictione & anguſtia vide inter alia Matth. 13.49,50. XXV. 41. Luc. 21.25, & d.

Quam latè autem pœna iſta pateat, docet apoſtolus, dum ait: *ſuper omnem animam hominis operantis malum*, ſcil. erit vel redundabit, ut antea jam innuimus; ſimilis ellipſis in re contraria occurret infra ỳ.ſ.22. Quod verſ.præced. indefinitè dixerat, quinam ſint puniendi: nunc ne quis ſibi forte impunitatem polliceatur, ſeque effugiturum hoc ſupplicium arbitretur, univerſaliter idem pronunciat, & clariſſimè, quinam pœnam ſint luituri, deſcribit. Addit ergo primum vocem *omnis*: *Super omnem*, inquit, *animam hominis*, pro, ſuper cujuſvis hominis animam. Significat animam hominis potiſſimum pœnas iſtas ſenſuram. Nam etſi corporalem etiam pœnam ſuſtinebunt impii, ignis nimirum ſupplicium: nihilominus tamen omnis afflictio, tum vero potiſſimum tanta ac tam gravis, ad animam redundat, illam premit, torquèt, cruciat. Quanquam non deſunt, qui hoc loco vocem hominis appoſitam putant ad explicationem vocis *animæ*, ut ſit genitivus ſpeciei. de qua loquendi ratione diximus nonnihil Gal. 5.5, & dicemus infra cap. 4. 11 in verbis, *ſignum circumciſionis.* q. d. ſuper omnem animam hoc eſt hominem, qui operatur malum. Animam enim pro homine ſumi notiſſimum eſt: & vox *omnis* nomini *animæ* addita, ei ſententiæ favet. Sed prior ſententia majorem habet emphaſin, & ſupplicii gravitatem evidentius exprimit.

*Operantis malum.* de hoc dictum eſt tum verſic. proximo, tum verſ. ult. cap. præced. *& Iudæi primum & Græci.* Explicat magis, quod dixerat, ſuper *omnem* animam hominis. de retione loquendi dictum eſt ſup. cap. 1. 16. Ideo autem dicit *primum Iudæi*, quia ſi tempus illud reſpicias, quod euangelium anteceſſit, Iudæi legem expreſſe ſibi latam habuerunt, ex qua divinam voluntatem cognoſcerent: qua gentes caruerunt. Gravius autem is delinquit, qui Dei voluntatem officiumque ſuum melius novit, & plures, ut illam exequatur, cauſas habet, quam is, qui aut eam ignorat, aut minus novit, & pauciores parendi cauſas habet, ſi facta alioqui ſint paria. vide Luc. 12. 43, 48. Iac. 4. ult. unde infra cap. 4. 15 *Lex iram operatur. Ubi enim non eſt lex, neque transgreſſio*, & cap. 5. 13: *peccatum non imputatur, non exiſtente lege.* Non quidem prorſus non imputatur: alias Ethnici lege carentes, & homines ante legem fuiſſent planè innoxii; cujus contrarium tum ſupplicia divina in homines, & ante legem, & poſt legem in gentes effuſa, oſtendunt, tum peccatorum remiſſio in ignoran-

tia admiſſorum, gentibus oblata ac conceſſa: ſed quemadmodum ait Chriſtus d. l. Luc. 12. 48: *ille ſervus, qui non cognovit voluntatem Domini, fecit autem digna plagis, cædetur plagis paucis. Cui enim multum datum eſt, ab eo multum repetetur.* Quare contra etiam, parum repetetur ab eo, cui parum eſt datum. Si vero tempora euangelii reſpicias, etiam iſtic cauſa eſt, Iudæum gravius, quam Ethnicum, ſi facta ipſa cæteroqui ſint æqualia, puniendi, quia etiam *ſalus*, ſeu *vita æterna primum* deſtinata oblataque eſt *Iudæo*, deinde & *Græco*, ut partim ſup. cap. 1. 16 vidimus, partim hic ſequenti ſtatim verſiculo indicabitur. *Qui* primas tenet in præmio, eum æquum eſt etiam primas ferre in pœna. Gravior eſt ejus in Deum impietas, & ingrati animi crimen, qui priorem, & aliqua ratione majorem ad ſalutem ſempiternam habuit aditum, ſi tantum bonum contemnat, nec, ut eo dignum eſt, ſeſe gerat: quam ejus, qui ea in re eſt poſterior. Vt taceam, eum etiam exactius divinam voluntatem poſſe cognoſcere, cui poſt Legem ab ineunte ætate cognitam euangelium poſtea innotuit, quam qui in ignorantia divini numinis ac voluntatis craſſiſſima educatus recta ad euangelium acceſſit, ex tenebris nempe denſiſſimis ad ipſum ſolis jubar.

Verſ. 10. *Gloria vero & honor*, de his verſ. 7. *Et pax* ſcilicet erit, vel continget. Per *pacem*, Hebræorum more, felicitas intelligitur, quæ etiam tranquillitatem ac lætitiam animi complectitur, illi anguſtiæ & afflictioni oppoſitam. ponitur loco *incorruptibilitatis*, vel *vitæ æternæ*, cujus in verſ. 7 facta fuerat mentio. *Omni operanti bonum, & Iudæo primum & Græco.* De his dictum, partim eodem verſ. 7, partim verſ. præced. 9, partim etiam cap. 1. 16.

Verſ. 11. *Non enim eſt faciei acceptio.* Reddit rationem ſuperiorum: ſed ita ut occurrat tacitæ objectioni. Cum enim tam in præmio, quam in pœna, Græcos ſeu gentiles cum Iudæis coniunxiſſet, & quod ad rem ipſam attinet, illos his æquaſſet; poterat ex Iudæis quispiam objicere: quomodo nos cum gentilibus, aut hos nobiscum comparare audes? quandoquidem nos Abrahami ſemen ſumus, qui fieri poteſt, ut vel nos perinde ac gentes extraneæ puniamur, vel illæ eodem una nobiscum præmio a Deo afficiantur? Major eſt gentis noſtræ dignitas, quam ut in eodem cum iliis ordine collocemur. Hujusmodi enim Iudæorum fuiſſe exceptiones aut objectiones ſatis patet ex Matth. 3. 9. Ioh. 8. 33, & d. infra cap. 9. 6, 7, 8. Reſpondet Paulus, ex ipſa Veteris Teſtamenti ſcriptura, *apud Deum non eſſe acceptionem faciei* vel *perſonæ* Deut. 10. 17, hoc eſt, Deum externas illas qualitates ac diſcrimina, quæ ad cauſæ ipſius, ut ita dicam, meritum non pertinent, in judicando non reſpicere. quemadmodum judices ſæpe faciunt, qui gentem, natalium ſplendorem, dignitatem, divitias, amicitiam, ſapientiam, & alia his ſimilia reſpiciunt, & ſecundum eum ferunt ſententiam, in quo iſta reſulgere cernunt, contra eum autem decernunt, in quo horum contraria conſpiciunt. At Deus opera ipſa hominum reſpicit, & ſecundum uniuscujusque opus eſt judicaturus. Pertinent huc illa Petri verba apud Cornelium, Act. 10. 34: *In veritate deprehendo, quod non eſt faciei* ſeu *perſonæ acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet ipſum, & operatur juſtitiam, acceptus ei eſt.* Vox προσωποληψίας, licet eodem ſenſu Latinè verti poſſit *faciei* & *perſonæ* acceptio, cum & vox πρόσωπον utrumque ſignificet, & perſona apud Latinos non minus, quam facies, externam hominum ſpeciem aut qualitatem denotare poſſit: nihilominus rectius vertitur *faciei* acceptio, ut & alii annotarunt. Etenim cum in Veteri Teſtamento de acceptione perſonæ ſermo eſt, ubi Græci habent πρόσωπον, in Hebræo eſt facies. Vide Gen. 19. 21. Levit. 19. 15. Deut. 10. 17, & alibi. Itaque *faciei* nomine, in hac phraſi, ſignificantur omnia externa adjuncta, quæ cum oculis ſint expoſita, gratiam conciliare poſſent; atque adeo omnes perſonarum, de quibus judicium fieri debet, qualitates ac circumſtantiæ, ad ipſum cauſæ meritum nil facientes. Vide Eph. 6. 9. Col. 3. 25. 1 Petr. 1. 17.

Verſ. 12. *Quotquot enim ſine Lege*, intellige expreſſe lata, ſeu Moſaica, quæ κατ' ἐξοχὴν Lex appellatur, *peccaverunt*, *ſine Lege etiam peribunt* &c. Id quod generaliter dixerat, nunc per ſpecies declarat, ac confirmat, id tacitè amovens, quod vel a Græcis ſeu gentilibus, vel a Iudæis poterat objici. Illi putare poterant, ſibi, etiamſi tandem peccent, ad impunitatem profuturum, quod Lege expreſſe lata caruerint: hi contra, quod eam habuerint. Reſpondet Paulus, primum de gentibus, iis nil profuturum, quod Lege ſcripta carentes peccaverint; nam ut ſine Lege illa peccarint, ita etiam ſine Lege illa perituras. q. d. cum Deus gentilibus Legem expreſſam non promulgarit, per eam etiam eosdem non judicabit: (iniquum enim foret, per eam Legem judicare homines, cujus notitiam nullam habuerint, aut ut haberent non procurarit Deus:) ſed ſinè lege illa nihilominus aliam ob cauſam jure æternum peribunt gentes, quia nimirum naturæ ac conſcientiæ ſuæ legem ſunt tranſgreſſæ, qua de re paulo poſt verſ. 14, 15.

Deinde de Iudæis reſpondet: & *quotquot in Lege peccarunt*, hoc eſt, quicunque Legem expreſſe latam, nempe Moſaicam, habentes, *peccarunt*, *per Legem judicabuntur*, hoc eſt, damnabuntur. q. d. tantum abeſt, ut Iudæis ad impunitatem ſit profuturum, quod Legem habuerint, cum nihilominus adverſus eam peccaverint; ut potius ejus ipſius Legis vi, tanquam ejus tranſgreſſores ſint damnandi.

Verſ. 13. *Non enim auditores Legis.* Hæc & ſequentia uſque ad verſ. 16 hoc eſt, uſque ad illa verba *in die, quando judicabit Deus* &c. in parentheſi legenda ſunt, quemadmodum interpretes nonnulli, ſignis appoſitis fecerunt. In iis autem apoſtolus utrumque ſuperioris verſiculi membrum illuſtrat ac comprobat, initio facto a poſteriori, de quo verſ. 13 agit. Occupat autem denuo objectionem, vel eam, quam jam aliquo modo diluere cœperat, penitus diſſolvit. Poterant enim Iudæi dicere: Atqui nos Legem Moſaicam diligenter audivimus, in eaque cognoſcenda non parum operæ impendimus. Qui ergo fieri poteſt, ut damnemur, & non potius juſtificemur? Reſpondet Paulus, *non auditores Legis ſunt juſti apud Deum*, hoc eſt, pro juſtis a Deo habentur, juſti pronunciantur, &, ut juſtis convenit, tractantur. Idem enim eſt hic *juſtum eſſe* coram Deo, quod *juſtificari*, ut ſequens verborum membrum docet. Verba *apud Deum* opponuntur hominum opinioni ac judicio. Homines ſæpe ſeipſos, nonnunquam & alios, juſtos cenſent, quod Legem audiant: at non Deus.

Sed *factores Legis*, ſeu ii, qui legem exſequuntur, & opere complent, *juſtificabuntur*, hoc eſt, juſti pronunciabuntur, & tanquam juſti tractabuntur.

*Nam qui fecerit ea homo, vivet in eis*, ait Lex Levit. 18. 5. Non affirmat autem Paulus, eſſe aliquos, qui Legem perfectè, ut hic intelligendum videtur, ſervarint: ſed tantum docet, quæ ſit juſtificationis Legalis

ratio, & quid ad eam requiratur. Cæteroquin locum habes ſimilem de Lege libertatis, nempe euangelica, apud Iacob. cap. 1. 22. *ſitis autem factores ſermonis, & non tantum auditores, decipientes vosmetipſos*, & quæ ſequuntur verſ. 23, 24, 25. Verum hæc exſequutio, non de perpetua ac prorſus exacta ſermonis illius obſervatione ſumitur, ſed de tali quæ in hominum imbecillitatem, Dei gratia adjuvante, cadat. Apparet autem hinc, juſtificationem non conſiſtere in ipſa pietate ſed eſſe ejus conſequens, locumque inprimis habituram in ultimo illo judicio. opponitur nimirum *damnationi*, quæ verſic: ſuperiori verbo *judicandi* fuit ſignificata: Vide Matth. 12. 37. monuimus hac de re nonnihil Gal. 2. 16.

Verſ. 14. *Cum enim gentes Legem non habentes.* Probat jam prius verſic. 12 membrum, oſtendens gentes, etiamſi Legem ſcriptam ſeu Legem Moſaicam non habuerint, jure nihilominus ob peccata perituras, quia Legem naturæ, cordibus ſuis inſcriptam, tranſgreſſæ fuerint. Itaque particula *enim*, non ad proxima, ſed ad ſuperiora reſpicit. Senſus eſt: Etiamſi gentes Legem Moſaicam non habeant; tamen, cum naturæ ipſius inſtinctu, ea quæ in Lege Moſaica præſcripta ſunt, ad mores pertinentia, faciunt, vel ſaltem ad ea facienda incitantur; utut aliam Legem, quemadmodum diximus, non habeant, ipſæ ſibi Legis ſunt inſtar, ſeu vim Legis ſibiipſis præſtant: dum natura ac ratione duce, honeſta a turpibus diſcernunt, illa ſequenda hæc fugienda, illa laudem aut præmium, hæc vituperationem ac pœnam mereri judicant: eaque ratione oſtendunt, opera illa moralia Legis Moſaicæ, non quidem in tabulis lapideis inſculpta, exterius ſibi eſſe propoſita, ut Iudæis; ſed tamen in cordibus ſuis inſcripta, & intimis animi ſenſibus inſculpta eſſe. Id quod & conſcientia ipſorum teſtatur, quandoquidem tacitæ ipſorum cogitationes eos nunc accuſant, nunc etiam excuſant ac defendunt; eorumque facta nunc improbant, nunc approbant, prout vel rectè, vel ſecus facta ſunt. Id quod nequaquam fieret, ſi opera in Lege præſcripta mentibus eorum non eſſent impreſſa. Sententia ipſa breviter explicata, verba percurramus. ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα. articulus τὰ non eſt ἀναφορικὸς hoc eſt, non diſcernit gentes alias ab aliis: ſed vel παραληπτικὸς eſt, & quandam excipiendi vim habet, vel ἀποδοτικὸς hoc eſt rationem reddit; q. d. etiamſi, vel cum Legem non habeant. Illo modo ponitur Gal. 6. 13. Heb. 7. 6, 11, 17; hoc vero ſup. cap. 1. 18. *Quæ legis ſunt*, hoc eſt quæ a lege ſunt præſcripta, ea nimirum, quæ ad proximum inprimis pertinet, quæ nonnunquam ſola Legis nomine intelligitur; ut inf. cap. 13. 8. 10. Galat. 5. 14. Verba ὅταν ποιῶσι, aut reddenda ſunt, *cum* ſeu *quando faciunt*, ſicut nonnulli verterunt interpretes, ut ſignificetur gentes non ſemper, ſed interdum tamen ea, quæ a Lege ſunt præſcripta facere; aut *faciendi* verbum, non de ſolo actu, ſed etiam efficacia, ſeu mavis impetu ad ea facienda, debet accipi, ut jam antè indicavimus. Idem in cognoſcendi verbo ſup. cap. 1 vidimus, & infra non uno loco, præſertim cap. 6 in aliis verbis actum propriè ſignificantibus, animadvertemus. qua de re monuimus quædam Gal. 2, & 3. ỳſ. 26 27. cap. 5. 24. ἔθνη, hi, nempe πρόσωπα, gentes. Maſculinum pro neutro, per Syneſin, quod in hac voce ἐθνῶν crebrius occurrit. Vide inter alia Matth. 28. 19. Actor. 15 17.

*Hi legem non habentes.* Epanalepſis eſt; q. d. hi inquam, etſi Legem non habeant, vel, cum Legem non habeant. *Sibiipſis ſunt Lex.* id eſt, inſtar legis, per metaphoram. Eadem vox aliter atque aliter in eadem periodo nſurpatur.

Verſ. 15. *Qui demonſtrant*, factis ſcil. & operibus honeſtis, *opus Legis ſcriptum in cordibus ipſorum.* Per opus Legis intelligi poteſt res ipſa, quam Lex continet, ut opus opponatur literis. Intelligi etiam poſſunt opera Legis, per enallagen; Nam opus interdum ſumitur pro operibus; ut ỳſ. 7. Scriptionem in cordibus tacitè opponi ſcriptioni in tabulis lapideis, vel etiam in membranis aut chartis, jam antea indicavimus.

*Conteſtante ipſorum conſcientia*, nempe præter ipſorum facta externa, quæ id, quod dictum eſt, docent. Hinc enim alio argumento demonſtrat, opus Legis cordibus eorum inſcriptum eſſe, conſcientia ipſorum in teſtimonium iſtius rei advocata; quæ licet intus teſtetur, ſeu internus quidam iſtius rei ſit teſtis; tamen quia hunc teſtem quisque in ſe experitur, facilè credere poteſt ejus teſtimonio: quanquam multis etiam externis indiciis ſæpe ſe prodit, & ab aliis deprehenditur. Teſtatur autem conſcientia, legem quandam inſcriptam eſſe animis hominum, utut lege ſcripta carentium, dum poſt factum aliquod admiſſum vel peractum tacitæ animi cogitationes eos accuſant, vel etiam excuſamt ac defendunt. hinc enim apparet, leges quasdam iis eſſe inditas, ſecundum quas, ut ſic dicam, ab animi cogitationibus in jus vocantur, & in foro conſcientiæ damnantur, vel abſolvuntur. μεταξὺ ἀλλήλων, inter ſe viciſſim, non ſignificat, cogitationes ſeſe mutuo vel accuſare vel defendere: ſed tantum, cogitationes per vices quaſdam, alias nunc accuſare hominem, ejuſque facta damnare, alias nunc defendere atque approbare. Hic conſcientiæ ingenium nobis deſcribitur, quod nil eſt aliud, quam judicium de factis noſtris morale, quo nimirum facta noſtra, ſive ſuſcipienda, ſive ſuſcepta ac peracta, probamus, vel improbamus.

Verſ. 16. *In die.* Hic verſiculus, ut ſupra monuimus, conjungitur cum ỳſ. 12. Dicit ergo apoſtolus, gentes, quę Lege ſcripta caruerunt, ſine Lege perituras: Iudæos autem, qui contra legem peccaverunt, per legem damnatum iri. *In die illa, qua Deus judicabit* &c. Quod intelligendum eſt, cum exceptione eorum, qui euangelicam gratiam receperunt, & a peccatis porro deſtiterunt, quibus Deus peccata reliqua condonabit, & clementia ac miſericordia adverſum eos utetur.

*Quando judicabit Deus occulta hominum.* Diem ſeu tempus iſtud deſcribit; dicitur autem Deus occulta hominum judicaturus; non quod facta & opera aperta, & hominibus etiam manifeſta, judicaturus & damnaturus non ſit, ſed quod non ea ſola; verumetiam occulta hominum conſilia ac facta. Sola autem occulta ideo commemorat apoſtolus, ut indicet hoc judicium ab hominum judiciis fore diverſum: ſiquidem non tantum ſecundum facta externa, ipſis hominibus nota, ſed etiam ſecundum interna animi conſilia, aut etiam actiones quaſdam nemini hominum cognitas, juſta vel præmia vel pœnæ decernentur, quo ipſo tacitæ occurrit objectioni vel cogitationi. Poterat enim quiſpiam cogitare, ſibi judicium illud non eſſe pertimeſcendum, ſiquidem externa ipſius facta omnibus manifeſta honeſtati conveniant: ita ut omnium mortalium judicio juſtus pronuntietur. Sed occurrit apoſtolus, & Deum etiam occulta hominum conſilia ac facta in apertum producturum, & ex iis quoque judicium de homine facturum docet. quod ſi fiat illi etiã, qui hominum

num judicio innocentes ſunt ac juſti, nocentes deprehenduntur. Locum hunc declarat alter ejusdem apoſtoli 1 Cor. 4. 5.

*Secundum euangelium meum, per Ieſum Chriſtum,* prout docet euangelium meum, per Ieſum Chriſtum. Verba iſta *ſecundum euangelium meum*, cum verbis, *per Ieſum Chriſtum*, ſcil. *judicabit*, conjungi debere videntur: quia hoc maximè erat ignotum, & ex revelatione tantum ac patefactione divina patebat, per Ieſum Chriſtum Deum judicaturum occulta haminum. Similis loquendi ratio extat 2 Tim. 2, ỳſ. 8: Memineris Ieſum Chriſtum reſuſcitatum ex mortuis, ex ſemine Davidis, ſecundum euangelium meum, id eſt, prout docet euangelium meum. Cur euangelium *ſuum* vocet Paulus, indicatum eſt ſupra cap. 1. 9. Apparet autem hoc vel inprimis inculcaſſe Apoſtolus, Chriſtum eſſe eum, per quem Deus homines omnes ſit judicaturus. Ita enim ait Petrus Actor. 10. 42: *& præcepit nobis* (nempe Chriſtus) *prædicare populo, & teſtari, quod ipſe ſit definitus*, ſeu *conſtitutus a Deo, judex vivorum & mortuorum.* Vnde & Paulus in oratione Athenis habita, poſtquam idololatriam Athenienſium graviter coarguiſſet, & ignotum illis Deum oſtendiſſet, ad reſipiſcentiam eos cohortaturus, mentionem judicii ultimi his verbis ſtatim ſubjicit: *Propterea quod conſtituit diem, in quo judicaturus eſt orbem in juſtitia, in viro*, (hoc eſt per virum) *quem definivit* (ſeu *conſtituit*) *fidem exhibens omnibus, dum eum ex mortuis reſuſcitavit.* Hinc autem intelligitur, quo pacto, & alibi, & ſup. verſ. 5, & ſeqq. de Deo dictum fuerit, eum homines judicaturum, & unicuique ſecundum opera ejus redditurum: nempe eum per Chriſtum, ſeu Chriſtum ejus nomine atque auctoritate id facturum. Quia vero Deus *occulta hominum per Chriſtum judicabit*; ideo ei etiam omnium occultorum notitiam, & facultatem corda ac renes humanos ſcrutandi dedit: unde enim poteſtatem judicandi habet Chriſtus, inde & ſapientiam tantam, ſine qua illa exerceri non potuiſſet. Cur autem non Deus ipſe per ſe judicium hoc exercere, ſed Chriſto eam poteſtatem dare voluerit, de eo vide Ioh. 5. 27.

Verſ. 17. *Ecce tu Iudæus nominaris.* Sequitur tertia capitis pars: in qua nominatim Iudæos, qui, ut diximus, ſanctitatis opinione turgebant, peccatorum multiplicium reos peragit, ac ſupplicio divino penitus obnoxios eſſe oſtendit. primum quidem ita, ut rationibus manifeſtis eos convincat: deinde ut rationem, qua ſe potiſſimum tueri conabantur, nempe quod circumciſi eſſent, accuratè refellat. Ut autem eos tanto validius conſtringat, & omnem illis excuſationem adimat, primo omnium commemorat ea, quibus ipſi præ gentibus maximè gloriabantur, ornamenta, ſeu multiplicem eorum dignitatem & prærogativam: utpote quæ ejusmodi eſſent, ut eos ad vitæ integritatem ac pietatem adigere omninò deberent, quod quia non fecerant, tanto gravius accuſandi erant, ac tanto magis pœnæ erant obſtricti.

A it igitur *Ecce*, Iudæos torpentes, & ob philautiam peccatis ſuaviter indormientes excitans, & ad peccatorum ſuorum, indeque ſequuturæ infelicitatis conſiderationem eos exhortans.

*Tu Iudæus nominaris.* Vox Iudæi hoc loco & gentis ſeu nationis poteſt eſſe nomen, ut idem ſignificet, quod *Iſraelita:* & nomen religionis, quemadmodum infra videbimus verſ. 28. ut ſignificet eum, qui eſt è numero divini populi, qui Deum verum ex ipſius præſcripto colit. Quia enim nulla alia natio Dei veri notitiam habebat, cumve colebat, & porrò ejus populus erat, præter Iudaicam; ideo Iudæorum appellatio, quæ originem propriè denotat, religionis nomen evaſerat, ita ut Iſraëlitæ, cum eo nomine appellarentur, ſe Dei veri cultores, & populi ipſius membra nominari cenſerent. Notant nonnulli, Paulum non dicere, *Tu Iudæus es*, ſed *cognominaris:* quia nomine potius Iudæi erant, ſi poſteriori modo vocem hanc ſumas, quam reipſa, ut infra verſ. 28, 29 apparebit. Iudæorum autem nomine promiſcuè omnes Iſraelitæ appellari cœperunt, ex eo tempore cum reliquorum Iſraëlitarum Reſpublica deleta eſſet, & ſola Judæ & Beniaminis tribus, quæ poſterior & ipſa, utpotè dignitate inferior, Judæorum nomen ſuſcepit, ſupereſſet.

2. Prærogativa eſt, *& acquieſcis Legi*, id eſt ea delectaris, vel eam ita approbas, ut nihil ea perfectius dari poſſe credas.

3. *Et gloriaris in Deo*, id eſt de Deo, Deum ſcil: eſſe tuum, utpotè quod tecum fœdus pepigerit, & non ſemel promiſerit, ſe Deum tuum fore. Sic paulo poſt verſ. 23: gloriaris in Lege hoc eſt de Lege, quod nimirum eam habeas. Simili ratione inferius ait apoſtolus, nos gloriari in Deo per Ieſum Chriſtum cap. 5. 11, id eſt, poſtquam cum illo reconciliati ſumus, & ejus amici per Chriſtum effecti, adeo ut fœdus cum illo inierimus, gloriamur eum eſſe Deum noſtrum.

Verſ. 18. 4. *Et cognoſcis voluntatem*, ſcilicet Dei. 5. *Et probas differentia.* Τὰ διαφέροντα, ſi excellentia vel eximia ſignificat, tum δοκιμάζεις, *& explorandi*, & *approbandi* verbo verti poteſt. Nam illi & explorabant ea, quæ in Lege eximia & præſtantiora eſſent, & ea etiam approbabant ſeu laudabant, & penitus illis aſſentiebantur. Sin vero διαφέροντα, ſignificant ea, quæ differunt, ſeu discrepant; ſenſus erit, Iudæos exploraſſe ea, quæ a divina voluntate diſcreparent. et hoc poſteriori potius modo tum hic, tum Phil. 1. 10 verba hæc videntur ſumi. Significatur iis quidam cognitionis divinæ voluntatis effectus, qui perfectionem ejus quandam arguit. Non rudem enim eſſe oportet, qui norit rectè ea, quæ a voluntate Dei diſcrepant, etiamſi ea interdum ſpeciem honeſti habeant, diſcernere.

*Inſtitutus in Lege.* Ratio redditur illius cognitionis divinæ voluntatis, & inde ortæ rerum ab ea diſcrepantium explorationis. q. d. utpotè quia inſtitutus ſeu edoctus per Legem. κατηχούμενος hic ſimpliciter eſt edoctus, ut Galat. 6. 6.

Verſ. 19. *Et confidis teipſum ducem eſſe cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris, magiſtrum inſipientium.* Sexta prærogativa ex ſuperioribus aliquo modo nata, quam ſibi Iudæi arrogabant magis, quam in ſe reperiebant: utpotè qui, ut Paulus de hujusmodi hominibus loquitur, a vero Legis ſcopo aberrantes, exerrarent ad vaniloquentiam, volentes eſſe Legis doctores, non intelligentes (vel conſiderantes) neque quæ dicerent, neque de quibus aſſeverarent. Nonnunquam enim vim Legis nimis intendebant; plerumque ceremonias, aut alia frivola potius, quam vitæ pietatem urgebant; cumque feciſſent proſelytum aliquem, eum faciebant filium Gehennæ, duplo magis, quam ipſi erant, ut de Phariſæis loquitur Chriſtus Matth. 23. 15. & quicquid tandem verbis pietatem creparent aut jactarent, factis tamen ipſis refutabant. Tot autem verbis hoc explicat apoſtolus, quia apparet, in hoc ſe Iudæorum ſuperbiam

biam inprimis jactaſſe, & eos multiplici ratione gentes, tanquam divinæ Legis ignaras, præ ſe contemſiſſe, ſeſe autem contra hujusmodi elogiis ornaſſe. Quare eorum jactantiam iſta verborum eandem ſententiam continentium congerie exprimit. Adde, quod hæc res vehementer pertinebat ad eos accuſandos, quod cum aliorum magiſtros ſeſe profiterentur, ipſi tam turpiter peccarent; eaque de cauſa et in ſeqq. vehementer id urget apoſtolus, et hoc loco pluribus inculcat. Appellabant ergo Iudæi, gentium extranearum homines, ob ignorantiam divinæ voluntatis, cæcos: ſe vero, qui eos docere & in rectam viam deducere poſſint, ipſorum duces: illos propter eandem ignorantiam in tenebris eſſe dicebant; ſe vero ſingulari divinarum rerum notitia prædi:os, non tantum in lumine verſari, ſed etiam lumina eſſe, & doctrina ſua caliginem illam diſpellere poſſe jactabant: illos inſipientes, imprudentes eſſe; ſe eorum magiſtros, qui eos erudire queant: illos denique infantes, hoc eſt infantium inſtar ſtultos, vel admodum rudes atque imperitos (ſic enim infantium nomen accipi ſolet, ut Matth. xi. 27. cui adde 1 Cor. 14. 20. Hebr. 5. 13.) ſe eorum doctores. Satis autem ex his & ſeqq. apparet, Paulum eos maximè notare, qui inter Iudæos ſanctitatis ac ſapientiæ opinione maximè eminebant, quales erant ſcribæ ſeu Legisperiti, & Phariſæi, quos graviter etiam objurgat ipſe Chriſtus Matt. 23. & Luc. xi.

Verſ. 20. *Habentem formam cognitionis & veritatis in Lege.* Cauſa iſtius perſuaſionis, de qua in præcedentibus dictum, exprimitur: q. d. utpote qui habeas formam &c. poteſt autem id intelligi tum de eo, quod reipſa ita ſe res haberet; tum quod ſibi id perſuaderent Iudæi. Per *Cognitionem & veritatem*, idem intelligitur, nempe notitia ac doctrina rerum ad *D*ei voluntatem, ad religionem ac pietatem pertinentium. Nonnulli arbitrantur iſſe ἐν ἀλλ. δύο q. d. *formam cognitionis veritatis*, vel veritatis cognoſcendæ, quæ figura occurrit & alibi; inter alia Matth. 4. 16. *in regione & umbra mortis*, pro in regione umbræ mortis, ut eſt apud ipſum Eſai. cap. 9. 1. & Ioh. 3. 2. vi. 63. Actor. 14. 13, 17.

Μόρφωσις ſeu *forma* illius cognitionis, videtur hoc loco idem, quod ὑποτύπωσις, id eſt delineatio quædam ejus doctrinæ, & expreſſa ejus veluti imago, qua voce utitur Paulus in re ſimili 2 Tim. 1. 13. Significat quidem interdum μόρφωσις vanam rei ſpeciem, ut 2 Tim. 3. 5, ſed æque etiam veram rei figuram ac ſpeciem denotare poteſt; quod vel ex verbo μορφόω, unde deducitur, patet. vid. Gal. 4. 19.

*In Lege.* q. d. in Lege expreſſam, in Lege comprehenſam, vel, per Legem, legis beneficio, ut *in* ſumatur pro *per*, uſitatiſſimo Hebraiſmo.

Verſ. 21. *Qui ergo doces alterum, teipſum non doces?* Iam porro Iudæos arguit & accuſat, ita quidem ut eos non ſimpliciter peccare oſtendat, ſed etiam contra quam ipſi faciendum eſſe doceant, facere; id quod peccatum vehementer aggravat. Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum. Facit autem id primum generatim, dum ait Iudæos, cum alios doceant, ſeipſos non docere. Utitur interrogatione, ad rei indignitatem oſtendendam. q. d. non pudet te, qui alium doces, teipſum non docere? Non docebant autem ſeipſos Iudæi, quatenus ipſi ea non præſtabant, quæ aliis præcipiebant atque inculcabant. Aliter ergo atque aliter vox *docendi* in his verbis accipitur. Qui ſe in aliqua re exercet, ſe ad eam præſtandam excitat, atque adigit, ſeipſum docere videtur: non docere, qui id non facit. Quadrat hoc egregie in ſcribas & Phariſæos, de quibus Chriſtus Matth. 23. 3, 4 populum ac diſcipulos ita monet: *Omnia enim, quæcunque dixerint vobis ſervanda eſſe, ſervate & facite: ſed ſecundum opera eorum non facite. Dicunt enim & non faciunt. Ligant enim onera gravia & portatu difficilia, & imponunt ſuper humeros hominum: ſed digito ſuo nolunt movere ea.* Quod autem de his dixit Chriſtus, reſpectu reliqui populi: id de cæteris etiam Iudæis, reſpectu gentium, hic dicit Paulus: quanquam, ut diximus, ad iſtos Iudæorum magiſtros inprimis oculum intendit. Quod autem in genere dixerat, id ſtatim per ſpecies quaſdam declarat, dum veluti exempli gratia tria peccatorum genera recenſet: quorum primum ad injuſtitiam pertinet: ſecundum ad libidinem, quanquam & in proximum injuriam: tertium ad impietatem, ſeu majeſtatis divinæ contumeliam. Ea autem ſine probatione ponit: quia ita tum temporis Iudæis familiaria, ac vulgo nota fuiſſe apparet, ut ſatis eſſet ea indicaſſe.

*Qui prædicas*, inquit, *non furari*, ſcil: oportere, ſeu non eſſe furandum, *furaris*? Interrogationis ratio eadem eſt, quæ antea.

Verſ. 22. *Qui dicis non mœchari*, ſeu non eſſe mœchandum, *mœcharis*? *qui abominaris idola, ſacrilegium committis*? Quia ab idololatria tum temporis vehementer abhorrebant, ii præſertim, qui in patria ſua, ſeu terra Iudæa habitabant, a gentibus extraneis ſejuncti; (nam qui inter gentes extraneas ſparſi habitabant, eos idololatria ſeſe polluiſſe ſatis conſtat ex 1 Pet. 4. 3.) ideo illis non ipſam idololatriam objicit, ſed aliud quoddam ejusdem tamen generis peccatum, nempe ſacrilegium, quod itidem ut idololatria, ad impietatem ac divini numinis injuriam ac contemtum pertinet, & ſic idololatriæ quodammodo par cenſeri debet. Veriſimile eſt, hoc peccatum eatenus potiſſimum a Iudæis commiſſum, quatenus alii quidem decimis, aut cæteris rebus, quæ Sacerdotibus ex Lege debebantur, eos fraudabant: alii pecunias templi uſibus dicatas ad ſeſe pertrahebant, & in privatos uſus convertebant. Credibile eſt hoc familiare fuiſſe ſacerdotibus, Scribis ac Phariſæis, qui rerum ad templum pertinentium curam ſuſcipiebant, quorum avaritiam non ſemel notant ſacræ literæ.

Quemadmodum autem generalibus verbis cœperat Iudæorum peccata accuſare; ita etiam generalibus eandem accuſationem finit, dum ita ait:

Verſ. 23. *Qui in Lege* hoc eſt de Lege, quod nimirum eam habeas, *gloriaris*. Et erat ſane hæc gloria Iudæorum inſignis præ gentibus. Vide *D*eut, 4. 6 8. & Pſal. 147. 19, 20.

*Per tranſgreſſionem Legis Deum ignominia afficis?* q. d. & nihilominus tamen Legem illam violas eaque ratione *D*eum, qui eam Legem tibi dedit, cujus auctoritate ea eſt lata ac ſtabilita, ignominia afficis. Id unde tu gloriam quæris, vertis in contumeliam autoris, ad quem omnis gloria debebat redundare. Quemadmodum enim obſequio colitur ac honoratur Deus, ita inobedientia ac contumacia contemnitur, & ignominia apud eos, qui a Lege ſunt alieni, afficitur. Hoc autem declarat ac probat ex effectu, nempe blaſphemiæ divini nominis, ſeu contumeliis, quibus id inter gentes extraneas, ob Iudæorum flagitia affici ſoleret, dum ita ſubjungit:

Verſ. 24.

Verſ.24. *Nomen enim Dei propter vos,* hoc eſt propter veſtra flagitia *blaſphematur in gentibus*, hoc eſt inter gentes, *quemadmodum ſcriptum eſt.* Reſpicit ad verba Eſai. 52. 5. Ezech. 36. 20. quæ tamen magis huc per accommodationem quandam referuntur, quam directè reſpiciunt. Eatenus enim ibi dicitur nomen Dei blaſphemari propter Iudæos, quatenus gentes ex ipſorum exilio & captivitate, quæ propter ipſorum peccata contigerat, occaſionem ſumebant de Deo male ſentiendi. Ita enim tunc ratiocinabantur gentes extraneæ: Si is, quem Iſraëlitæ pro Deo colunt, verus eſſet, aut potens aliquis Deus, non permiſiſſet populum hunc ſuum, ſuo cultui addictum, ita miſerè diripi, in exilium agi, in captivitatem abduci. Cum ergo videamus id fieri; apparet eum non eſſe Deum, aut non adeo potentem, ſed Deum minorum gentium, qui aliorum potentiæ cedat. Hoc autem loco, de ea potius extraneorum in Deum contumelia ſermo eſt, quæ oriebatur ex ipſis Iudæorum flagitiis, contra Legem, quam ſibi a Deo traditam gloriabantur, admiſſis; præſertim cum crederent, ea a Deo, pro ipſorum gravitate non puniri. Ita enim proculdubio dictitabant: ſi is Deus, quem Iudæi colunt, verus eſſet Deus, eorumque religio vera eſſet, non ita flagitioſus eſſet is populus, non impunè ferret Deus, tam ſceleratam illos vitam agere, & Legem quam illis dediſſet violare. Apparet ergo eum non eſſe verum Deum, religionem eorum commentitiam eſſe. Rectè nihilominus huc illa Prophetarum loca accommodantur. Nam illic quoque peccata populi, licet non proxima, remotior tamen erant blaſphemiæ, qua Deus ab extraneis populis impeteretur, cauſa. Ob peccata enim ſua in exilium fuerant acti, unde blaſphemiæ ab impiis ſumebatur occaſio. Errabant autem utrinque gentes graviter: olim quidem, quod non cogitarent, exilium ac captivitatem Iudæorum eſſe pœnam ſceleribus eorum convenientem: nec debere numen divinum ad populi ſuo nomini alias addicti flagitia connivere: hic vero, quod non cogitarent, poſſe etiam eum, qui vero *Deo* ſit addictus, optimamque Legem habeat, impiè nihilominus ac flagitioſè vivere: nec neceſſe eſſe, ut *Deus* ſtatim puniat, ſed poſſe ſupplicium differre, expectata hominum reſipiſcentia.

Verſ.25. *Nam circumciſio quidem prodeſt.* Poſtquam rationibus Iudæos peccati convicit, & ſic ſupplicio divino, de quo ſuperius actum, obnoxios eſſe oſtendit; jam etiam unam ex objectionibus eorum potiſſimis occupat ac diluit, & telum illud, quo ſe inprimis conabantur defendere, iis extorquet. Id autem erat, quod circumciſi eſſent, ac Iudæi audirent. Putabant enim, vel eo ipſo nomine ſe Deo charos eſſe, & ab ipſius ſuppliciis fore immunes; gentes autem extraneas, quia utraque illa re carerent, Deo prorſus eſſe inviſas, ac ſuppliciis ipſius obnoxias. Apparet ſatis, objectionem hanc non eſſe directam contra proxima verba, quibus peccata Iudæorum recenſentur & exaggerantur: ſed contra omnium præcedentium ſcopum, hoc eſt, contra ea quæ verſ. 9, 11, 12, 13 dicta fuerant, nempe Iudæos æquè ac gentes ob peccata damnatum iri.

Quod igitur ad circumciſionem attinet, in qua tantum credebant ſitum eſſe ad id, ut *Deo* chari, & a pœnis ejus immunes eſſent; ita reſpondet apoſtolus, prodeſſe quidem ad eam rem circumciſionem (qua de re cap. ſeq. & cap.9) *ſed* ea demum conditione, *ſi Legem facias*, ſeu præſtes atque exſequaris: *ſi vero tranſgreſſor Legis es*, vel *ſis*, *circumciſio tua præputium factum eſt.* Non ſufficit ad *Dei* gratiam, ac porro ad impunitatem obtinendam circumciſio: ſed requiritur præterea, ut cætera etiam Legis præcepta obſerves & exſequaris. Hoc enim niſi facias, circumciſio tantum abeſt ut tibi quicquam ad eam rem proſit, ut eo loco habeatur, quo præputium, ſeu non magis tibi proſit, quam præputium; & tu perinde tractaberis, ut præputiatus quiſpiam ſeu incircumciſus. Quod hic dicitur circumciſio *facta eſſe* præputium, id poſtea in re contraria dicitur *imputari* vel *reputari* in aliquid. Nam verſ. ſeq. ait apoſtolus: *Nonne præputium ejus in circumciſionem reputabitur?*

Verſ. 26. *Si ergo præputium juſtificationes Legis cuſtodiat.* Si vox *ergo* conſuetam ſuam vim hic prorſus retinet, intelligendum erit, apoſtolum hic concluſionem ex ſuperioribus elicere: & cum in iis circumciſum, qui Legem non ſervet, præputiato æquarit, ratione pœnæ: nunc viciſſim etiam præputiatum ſeu incircumciſum, ſi Legem ſervet, circumciſo æquare, in præmio. utrumque enim ſupra fecerat, in iis verbis, adverſus quę objectionem tacitam, quæ hic diſſolvitur, directam eſſe diximus: vide verſ. 10, 11. Sed poſſunt etiam hæc verba haberi pro illuſtratione tantum ſuperiorum, a contrario, ut οὖν poſitum ſit pro δὲ. q. d. apoſtolus: & contra, ſi præputiatus Legem obſervet, præputium ejus pro circumciſione reputabitur, id eſt, ipſe, licet præputiatus, eo loco eaque conditione erit, qua circumciſus, perinde cum eo agetur, ac ſi circumciſus eſſet. Vti autem nihilominus potuit Apoſtolus particula οὖν, quia hæc ſententia ex priori, cujus illuſtrandæ cauſa adhibetur, concludi, ſi rem ipſam ſpectes, poteſt. Nam ſi circumciſio Legem tranſgrediens habebitur præputii loco: conſentaneum eſt, etiam viceverſa præputium Legem obſervans haberi circumciſionis loco. Neque enim illi oberit quod circumciſus non fuerit: quandoquidem ipſi circumciſio non fuit præcepta, ſed tantum ea, quæ naturalem quandam honeſtatem habent, & per ſe ad virtutem ac pietatem ſpectant.

*Præputium* in hoc verſu dupliciter ſumi manifeſtum eſt: primum pro concreto, hoc eſt, pro præputiato, cum dicit: Si præputium Legis juſtificationem ſervet; deinde abſtractè & propriè, cum addit: nonne *præputium ejus* αὐτοῦ, hoc eſt hominis præputiati. refertur enim illud αὐτοῦ per ſyneſin ad ſententiam, non ad vocem. alias enim dicendum fuiſſet αὐτῆς, nempe ἀκροβυστίας. Τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου *juſtificationes Legis*, ſunt jura, ſtatuta, ſeu mandata Legis. Sic non ſemel redditur vox Hebræa Chukkim, quæ ſtatuta ſignificat, tum a LXX interpretibus, tum a N. Teſtamenti ſcriptoribus, qui illos hac in parte ſequuntur. Vid. Luc. 1. 6. Hebr. 9. 1, 10. quanquam mandata illa iterum pro rebus mandatis accipi ſoleant. Hoc autem loco, non ceremonialia præcepta intelligenda ſunt; ſed potius moralia. Circumciſio enim ab iis diſtinguitur, quæ inter ceremonias ordinem ducit, & non ſemel pro omnibus ceremoniis per Synecdochen ponitur, ut 1 Cor. 7. 19. Gal. 5. 6. 11, 6. 15. nec quicquam prohibet quominus hoc loco ita ſumatur; licet interea circumciſio ipſa præcipuè intelligatur. Animadvertendum autem eſt, Paulum hoc loco non affirmare, eſſe aliquos præputiatos, qui Legis ſtatuta ſervent; præſertim exactè ac perpetuo, ut Lex requirebat, ſed ſi ſint, vel eſſent, quale ſit futurum de iis *Dei* judicium, quam ſententiam de iis Deus ſit laturus. Quodſi de ejuſmodi etiam obſervatione præceptorum Legis loqui cenſendus eſt, qua-

lem

lem *Deus* ſub euangelio requirit, & ad juſtificationem pro ſua benignitate vult ſufficere; ſtatuendum erit, eum hic jam eo collimare, ut oſtendat, mirum videri non debere modum juſtificationis euangelicum, qui hujuſmodi legis obſervationem in ſe continet, gentibus extraneis, licet præputiatis, cum Iudæis communem eſſe. Quomodo præputium in circumciſionem reputetur, jam antè explicatum eſt.

Verſ. 27. *Et judicabit* (hoc eſt damnabit, ut verſ. 1, 2, 3, 12,) *id quod ex natura præputium Legem ſervans te &c.* Id, quod proximè dixerat, amplificat, & illuſtrat adhuc collatione majoris. q. d. Præputiatus, ſi legem ſervet, non tantum eadem erit conditione cum circumciſo, ſed etiam te, qui cum legem ſcriptam habeas, & circumciſus ſis, legem nihilominus tranſgrederis, *damnabit*, hoc eſt occaſionem ac cauſam te damnandi ſuppeditabit Deo, dum te excuſari non poſſe oſtendet, te peccati convincet, pœnæ reum factis atque exemplo ſuo peraget. Oſtendet enim, quod ipſe fecerit, te multo magis præſtare & potuiſſe, & debuiſſe, ſiquidem tu legem habueris ſcriptam, ex qua voluntatem *Dei* diſceres: ille non habuerit: tu circumciſus fueris, & ſic ſignum fœderis cum Deo initi, ac populi divini notam geſſeris, eaque ratione peculiariter Deo fueris devinctus atque obſtrictus, ſecus quam ille. Erit ergo is accuſatoris inſtar, qui cum reum convincit, & ea ratione efficit, ut is damnetur, ipſemet eum damnare cenſendus eſt. Neque enim cum ipſo judice, ſed cum accuſatore potius comparatur præputiatus legem ſervans, & exemplo ſuo Iudæum peccati convincens. Eodem loquendi modo utitur ipſe Chriſtus, Matth. 12. 41, 42. & D. Auctor Epiſt. Hebr. cap. 11. 7; quin & ipſe apoſtolus noſter 1 Cor. 6. 2, 3. quanquam ibi cum judicibus potius fideles videtur comparare, quam cum accuſatoribus. Per *præputium* iterum præputiatum intelligit, concretum per abſtractum. *Ex natura præputium.* id eſt qui genere atque origine eſt præputiatus, qui natus eſt gentilis, opponitur *natura Iudæo*, ut loquitur apoſtolus Gal. 2. 15.

*Legem ſervans*, hoc eſt ſi legem ſervet, ut nonnulli Interpretes verterunt. Vide verſic. præced.

*Te per literam & circumciſionem tranſgreſſorem legis.* Vox διὰ ſumitur pro *cum*, ut cap. 4. 11, *credentium per præputium*, id eſt eorum, qui credunt cum ſint præputiati; ſic hoc loco, tranſgreſſor legis per literam, & circumciſionem, ſignificat eum, qui eſt tranſgreſſor, cum habeat, ſeu licet habeat literam & circumciſionem. Sic & alibi *per* ſumitur pro *cum*, ut inf. cap. 14. 20. 2 Cor. 3. 11. 1 Ioh. 5. 6. Litera legem ſignificat, quia primum a Deo, quoad potiſſimam ſui partem, literis fuit expreſſa, ac tabulis lapideis inſculpta: deinde a Moſe integra literarum monumentis conſignata: inf. cap. 7. 6. 2 Cor. 3. 6. Cenſent nonnulli interpretes, in his verbis *per literam & circumciſionem*, eſſe ἐν διὰ δύο. q. dixiſſet apoſtolus, per literalem circumciſionem, ſeu circumciſionem eam, quæ ipſis legis literis expreſſa eſt, hoc eſt quæ externa eſt, non ſpiritualis. Et eſt ſanè hæc ſententia a mente Pauli non aliena: cum hic de circumciſione ſola videatur loqui, & externam internæ in ſequentibus manifeſtè opponat; idque ita ut hanc vocet *circumciſionem cordis in ſpiritu*, illam *in litera*. Quod ſi iſta diſtinctè ſumere malis, intelligendum erit Paulum hic veluti obiter legis mentionem inferre, & id denuo refellere, quo Iudæi inprimis etiam nitebantur, & unde ſibi immunitatem a divinis ſuppliciis pollicebantur, nempe quod legem ſcriptam haberent: qua de re actum ſupra verſ. 12, 23. itemque verſ. 17, & ſeqq. Oſtendere ergo velle apoſtolum, nihil Iudæo, qui legem tranſgrediatur, ad effugiendam damnationem profuturum, vel quod legem habeat literis comprehenſam, vel, quod circumciſus ſit, ſed potius eum tanto juſtius damnatum iri, quod cum iſtis rebus ſit præ gentibus ornatus, nihilominus tamen legem non ſervet, & ea, quæ ex præputiatis quispiam fecerit, non præſtet: quemadmodum paulo ſuperius explicatum eſt.

Verſ. 28. *Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt.* Ratio ſuperiorum per prolepſin. Poterat enim aliquis ex Iudæis dicere: Qui fieri poteſt, ut circumciſio pro præputio reputetur, ſi cæteroqui legem non ſervet, aut contra præputium pro circumciſione, ſi Lex ab eo ſervetur? cum certum ſit, id ipſum *Deo* gratiſſimum eſſe, quod aliquis ſit Iudæus, & circumciſus. Quare vel ob id ipſum *Deum* ſentiam propitium, & homini extraneo atque incircumciſo præferar, quod Iudæus ſim ac circumciſus. Reſpondet apoſtolus per diſtinctionem, tum vocis *Iudæi*, tum *circumciſionis*. Alius Iudæus eſt in manifeſto, alius in occulto; & hic quidem ſimpliciter Iudæus dici meretur, ita ut qui exterius tantum Iudæus eſt, hoc nomine videatur eſſe indignus; eadem & circumciſionis eſt diſtinctio. Concedit ergo apoſtolus, Iudæum eſſe, & eſſe circumciſum, multum valere coram Deo, ſi de Iudæo ac circumciſione, quæ in occulto eſt, loquaris: ſecus, ſi de Iudæo aut circumciſione manifeſta, & exterius in carne apparente, de qua objectio loquitur. Nihil ergo tibi ea circumciſio, & Iudæi forma exterior proderit, ſi interna deſit; (deerit autem, ſi legem non obſerves:) nec homini extraneo oberit, quod exteriori illa careat, ſi interna adſit, aderit autem ſi legem obſervet. Non ſpectat Deus externa, ſed interna animi bona, atque opera virtuti conſentanea: nec circumciſio ipſa ei placet, ſed eatenus tantum, quatenus in ea ipſi paretur atque obeditur. Ait ergo: *Non qui in manifeſto Iudæus eſt*, hoc eſt non is, qui ratione rerum externarum tantum & in oculos incurrentium Iudæus eſt, verè eſt Iudæus, qui a *Deo* pro Iudæo agnoſcitur. *Per* ellipſin omittitur *in* ſubjecto vox *Iudæus*, quæ exprædicato intelligitur. Vox enim *Iudæus*, quæ exprimitur, prædicati locum obtinet. Quanquam interea aliter atque aliter vox *Iudæi* ſumenda eſt: in ſubjecto ſignificatione vulgari: in prædicato ſignificatione eximia, & a vulgari uſu remota; nempe pro eo, qui id reipſa præſtat, quod is, qui ratione rerum exterius apparentium Iudæus eſt, ſeu Iudæus vulgo ſit appellatus, exterius profitetur: qui talis eſt animo, qualem externa quadam ſpecie hic præ ſe fert. Præ ſe fert autem quod ſit *Dei* veri cultor, & populi ipſius membrum, quod veræ religioni ſit addictus.

Eadem eſt ratio & ſequentium: *neque quæ in manifeſto, in carne, circumciſio*, q. d. neque ea, quæ exterius apparet, nempe in carne, vera eſt circumciſio, quæ ab ipſo Deo pro circumciſione revera agnoſcatur. Verba *in carne* per appoſitionem quandam adjunguntur illis *in manifeſto*, ad ea magis declaranda.

Verſ. 29. *Sed qui in occulto*, ſcil. Iudæus eſt, *ille eſt Iudæus.* hoc eſt qui animo ſe Iudæum præſtat, hoc eſt qui ex animo Deum colit, veneratur, obſervat, ac porro legi ipſius paret: qui animum veris virtutibus habet excultum, & porro facta præſtat animo huic con-

convenientia. hic enim verè id eſt, quod Judæi nomine ſignificatur, ut ex præcedentibus intelligitur.

*Et circumciſio cordis in ſpiritu, non litera.* hoc eſt circumciſio, qua cor circumciditur, ſeu quæ in corde conſiſtit, qua omnes pravæ cupiditates atque affectus, omnia prava conſilia, ab animo reciduntur, ac porro etiam omnia malefacta vitantur; ea demum vera eſt circumciſio, ea demum pro circumciſione a Deo habetur.

Verba illa, *in ſpiritu non litera*, vel accipienda ſunt de cauſa efficiente media iſtius circumciſionis, q. d. quæ circumciſio ſpiritu, nempe divino, ſeu divina efficacia peragitur, non per legem ſcriptam, quæ eam vim non habet, ut animum hominis reformet ac refingat, ut infra audiemus, cap. 7 & 8. Vel ut aliis placet interpretibus, differentiam inter cordis circumciſionem & inter illam, quæ eſt in manifeſto, magis adhuc exprimunt: quemadmodum enim antea, cum dixiſſet, *neque illa, quæ in manifeſto*, ſcil. circumciſio; addit, rei uberius declarandæ cauſa, *in carne*: ita hoc loco explicationis cauſa addere potuit, *in ſpiritu*, q. d. nempe in ſpiritu ſeu animo conſiſtens, ſeu circumciſio ſpiritualis, *non in litera*, hoc eſt non literalis, non talis, qualem verba legis expreſſa docent. Priori tamen interpretationi magis favet, oppoſitio *ſpiritus & literæ:* quæ ſi admittatur, cauſam non obſcurè animis Judæorum ſubjiciet Paulus, ob quam fiat, cur Judæi literam, ſeu legem ſcriptam habentes, nihilominus circumciſione vera careant, hoc eſt tranſgreſſores ſint legis: nempe quia illa circumciſio non literæ ſeu legis ſcriptæ vi perficiatur; ſed ſpiritus divini, quo Judæi careant. Neque vero eſt quod dicas, per ſpiritum illum literæ oppoſitum, Novum Fœdus ſeu Euangelium intelligi, cujus hoc loco nondum videatur facienda mentio: cum hic oratio ſit generalis, & de omnibus iis ſermo ſit, qui veris animi virtutibus Judæos ſeſe vel unquam præſtiterint, vel adhuc præſtent. Intelligendum enim eſt, vocem *ſpiritus*, per ſe ſuaque natura latius patere, quam Novum Fœdus ſeu Euangelium. Omnis enim efficacia divina ſpiritus eſt; non omnis autem efficacia divina (de ea ſemper loquimur, quæ hominis animum reformare poſſit) Euangelium eſt: etſi ea ordinariè nonniſi in Euangelio, aut cum eo exſeri cœperit.

Nam cum Paulus dicit, *Deus idoneos fecit nos ad id, ut eſſemus miniſtri Novi Teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus*; ex quo loco illa ſententia colligi poſſe videatur; animadvertendum eſt, ex iis nequaquam ſequi, nullum eſſe ſpiritum, præter Novum Fœdus: ſed ſatis eſt Novum Fœdus eſſe ſpiritum, ſeu per id, aut cum eo, ſpiritum ſubminiſtrari. quemadmodum ſi dicerem: nobis Chriſtianis pugna eſt adverſus diabolum, non adverſus carnem, ſed adverſus ſpiritum: aut contra, alicui eſſe rem cum homine, non cum ſpiritu, ſed cum carne: non ſignificarem, vel ſolum Diabolum eſſe ſpiritum, vel ſolum hominem eſſe carnem; ſed ſatis eſt illum quidem eſſe ſpiritum, hunc vero carnem. Veruntamen, quia aliunde conſtat, Deum efficaciam ſuam, quæ hominis animum reformet, ordinariè, ut diximus, per Euangelium, aut cum eo demum exſerere cæpiſſe: ſequitur etiam, circumciſionem illam ordinariè nonniſi in illis, qui Euangelium recipiunt, exiſtere: & valdè conſentaneum eſt, Paulum veluti obiter indicare cauſam, ob quam Judæi merito a lege ad euangelium tranſire debeant. Etſi enim id agit hactenus, ut demonſtret, omnes homines divinis ſuppliciis ob peccata ſua obnoxios eſſe, & operum ſuorum vi juſtificari minimè poſſe; ut eos hac ratione ad euangelium amplectendum adigat, in quo juſtificatio per fidem offertur; nihilominus tamen hinc inde alia quædam interſpergit, quæ eidem ſcopo ſerviant, ſintque veluti fundamenta argumentorum, quibus infra ſit uſurus, vel uti poſſit, ut homines ad Euangelium præſertim a Lege pertrahat. Inter ea autem non eſt poſtremum id, quod hoc loco continetur; de quo agetur infra in prima cap. 7 parte, & cap. 8. Simile quippiam vidimus ac monuimus etiam ſupra verſ. 7 & ſeqq. Vide etiam ea, quæ diximus ſub finem verſ. 27.

Addit tandem apoſtolus illum, qui in occulto Judæus eſt, atque adeo etiam circumciſionem internam commendaturus: *Cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo. Cujus*, nempe Judæi: eſt enim in Græco ᾧ maſculinum, quod ad Judæum, non ad circumciſionem, ſi vocem ſpectes, refertur. Interim non eſt dubium, quin apoſtolus idem intelligi velit etiam de circumciſione cordis, cujus proximè fecerat mentionem, & quæ Judæum illum verum, qui nimirum animo Judæus eſt, conſtituit. Occurrit autem & hic tacitæ objectioni apoſtolus. Poterat enim aliquis ex Judæis vanæ gloriæ cupidis dicere: Atqui is, qui in occulto Judæus eſt, uti & circumciſio illa interna laude ſua caret: cum hominibus non appareat, nec certo conſtare queat, quempiam ea ratione Judæum eſſe, alia autem eſt ratio Judæi in manifeſto, & circumciſionis in carne: ille & ab hominibus laudatur. Reſpondet apoſtolus: etſi Judæus ille verus laude ſua careat apud homines, non carere tamen apud Deum: a quo laudari vera demum felicitas eſt. Laus apud homines vana eſt, & nil niſi ventus. Laus apud Deum vera eſt ac ſolida, & cum præmio, quod Deo dignum ſit, conjuncta. Quare in ea merito quivis cordatus acquieſcere debet, & id præſtare, quo ea comparatur, utut tandem eam apud homines ſit perditurus. Quanquam apud vulgus tantum hominum, quod a Deo diſſentit, eam perdit homo verè pius, non apud homines recte ſentientes, & cum ipſo Deo conſpirantes.

## CAP. III.

### *ARGUMENTUM.*

*Hoc capite pergit apoſtolus in convincendis præcipue Judæis, & argumentum ſuum, quod cap. 1. nectere cœperat, concludens, oſtendit, non ex Legis operibus, ſed ex fide Ieſu Chriſti, juſtificationem omnibus eſſe petendam. Sunt autem tres capitis partes. In prima objectiones quaſdam ſolvit; unam quidem præcipue, quæ contra ea moveri poterat, quæ in poſtrema cap. præced. parte dicta fuerant; deinde alias, quæ ex reſponſione ad illam naſcuntur. In ſecunda, ſacræ ſcripturæ teſtimoniis Judæos inprimis peccati convincit. In tertia argumentationem ſuam concludit, & non ex operibus Legis, ſed ex fide in Chriſtum, tum Judæis, tum gentibus, juſtificationem quærendam eſſe docet.*

Verſ. 1. QUod igitur περισσὸν, *abundans Judæi, ſeu quæ igitur eſt præſtantia Judæi?* quid eſt, quo Judæus antecellat Gentili? *aut quæ utilitas circumciſionis?* Objectio quæſtionis inſtar, ut ſæpe ſolet, propoſita. Poteſt autem cenſeri inſtituta non modo contra ea, quæ duobus verſiculis ultimis dicta ſunt; ſed etiã contra præcedentia, quorum

dem eſt ſcopus, & quorum cauſa ultima illa fuerunt dicta. Ita enim quiſpiam dixerit: Si præputium hominis gentilis, qui legem ſervet, pro circumciſione reputatur: circumciſio contra Iudæi, qui Legem non ſervet, pro præputio habetur: ſi item is, qui exterius tantum Iudæus eſt, Iudæus vere ac coram *Deo* non eſt, ſed is demum, qui interius: ſimiliter nec circumciſio externa, ſed interna tantum, vera eſt circumciſio; quanam in re præſtabit Iudæus, nempe vulgari modo dictus, Gentili? quidve proderit exterius eſſe circumciſum? hoc eſt nulla in re præſtabit Iudæus gentili, & nihil proderit circumciſio. Hoc autem cum abſurdum ſit: (quorſum enim Iudæos Deus a cæteris gentilibus ſegregaſſet, & in peculiarem populum ſelegiſſet? quorſum circumciſionem nobis tradidiſſet?) abſurdum erit & illud unde id conſequitur. Conſequentiæ tantum, ſeu Majoris, ut vocant, propoſitionis, ſententia expreſſa eſt: in qua ſola nervus falſi latet, qui ab apoſtolo inciditur. Eam enim revera negat, dum ita ad interrogationem reſpondet:

Verſ. 2. *Multum ſecundum omnem modum.* Si verba reſpicias, videtur reſpondere ad priorem tantum interrogationem, ſeu priorem interrogationis partem, nam vox πολὺ, *multum*, reſpicit ad nomen περισσὸν, *abundans*, quo priori loco uſus eſt Paulus, cum dixit: *quod ergo eſt* τὸ περισσὸν *Iudæi.* Verum reipſa etiam ad poſteriorem interrogationis partem, quæ eſt de utilitate circumciſionis, reſpondere cenſendus eſt; q. d. multum præſtat Iudæus gentili, & multiplex ſeu magna eſt circumciſionis utilitas; multum prodeſt eſſe circumciſum. Nam interdum idem adjectivum ad plura ſubſtantiva refertur, licet non omnibus reſponde at genere: & præterea neutrum ſæpe aliorum generum ſubſtantivis apponitur. Quicquid ſit, quod ad priorem illius interrogationis partem reſponſum eſt, id ad poſteriorem quoque partem reſponſum cenſeri debet. *ſecundum omnem modum*, ſeu *omni modo.* Cum apoſtolus infra verſ. 9 poſtquam interrogaſſet: *quid ergo? excellimus?* reſpondeat: *Non omnino*; quia videlicet, ut ſtatim ſubjicit, non minus Iudæi, quam Græci, ſeu gentiles, peccato ſint obnoxii; apparet verba hæc verſ. 2 non eſſe extendenda ad virtutis officia, ſeu ad ejusmodi excellentiam ac prærogativam, quæ vel in ipſa pietate conſiſtat, vel nonniſi eam conſequatur: ſed reſtringenda eſſe ad beneficia divina, quibus populus divinus, ſeu homines divino nomini addicti ac conſecrati, etiamſi officium non faciat, ornari queat. quale eſt illud, quod ſubjicitur, quod illis concredita ſint oracula *Dei*; & alia, quæ recenſebuntur infra cap. 9. 4, 5. Cæteroqui poſſis hæc verba etiam ita accipere, ut nullam aliam vim habeant, quam ut validius rem aſſerant, ac fortius affirment. q. d. Multum omnino: multum prorſus. Nam & ſic contradictio inter ea, & illa verſ. 9, tollitur. Non enim pugnant inter ſe: *Multum omnino excellere*: & *Non omnino* hoc eſt, *non omni ex parte excellere*, imo qui dicit aliquem *multum* prorſus excellere, eo ipſo ſignificare videtur, eum *non omnino*, hoc eſt ut diximus, non omni ex parte excellere.

*Nam primum quidem.* Eſt in his verbis, ut Interpretes quidam notarunt, ἀναζευκτόδοτον: cum huic menbro orationis, nullum aliud reſpondeat. Nam etiamſi vocem *primum* nolis eſſe ordinis, qui in enumerando ſervetur, notam, ſed pro *præcipuo* ſumendam putes: nihilominus particula *quidem*, aliud orationis membrum ſua natura poſtulat, quale hic nullum ſubſequitur. Simile ἀναζευκτόδοτον vidimus ſuperius cap. 1. 8. Indicat igitur apoſtolus, plura eſſe genera, ſeu, ut in ſcholis loquuntur, ſpecies excellentiæ Iudæorum præ gentibus extraneis: atque in animo habere, illas recenſere: verum quia id hujus loci non adeo erat proprium, ideo in commodiorem locum enumerationem earum dilaturus, una, eaque præcipua, quæ cæteras partim in ſe quodammodo complectitur, partim ſecum trahit, hic contentus eſt; & objectione adverſus eam mota, enumerationem reliquarum præcidit. Aget autem de iis cap. 9. 4, 9. Poteſt igitur vox *primum* vel ordinis eſſe nota, & pro adverbio haberi, vel pro *præcipuo* accipi; ſed prius eſt veriſimilius. Quanquam interea ideo tanquam ordine primum ponitur, & hoc loco ſolum exprimitur, quia etiam dignitate ſit primum, ſeu præcipuum.

Eſt autem hoc, quod Iudæis *concredita ſint Dei eloquia*, ſeu *oracula.* ὅτι ἐπιστεύθησαν (ſcil: οἱ Ἰουδαῖοι) τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, hoc eſt ſi verbum verbo reddas: *quod crediti ſunt* (ſcil: *Iudæi*) *eloquia Dei.* Neque enim, ut notant Interpretes, τὰ λόγια nominativus eſt, qui regat verbum ἐπιστεύθησαν: (dixiſſet enim potius ἐπιστεύθη: cum neutra pluralia fere ſemper regant verbum ſingulare;) ſed eſt accuſativus qui regitur a verbo paſſivo, conſtructione Græca, cujus in eodem verbo πιστεύεσθαι plura habes apud eundem apoſtolum exempla, 1 Cor. 9. 17. Galat. 2. 7. 1 Theſſ. 2. 4. 1 Tim. 1. 11. Tit. 1. 3. Concredita autem fuerunt Iudæis eloquia divina, non tanquam bona aut depoſitum alienum: ſed tanquam bonum illorum proprium, & theſaurus ipſorum uſibus ſerviens. Cæterum quæri poteſt, quam latè *Dei eloquia* hoc loco ſint extendenda. Ipſum quidem nomen *eloquiorum Dei* fert, ut omnia divina effata, ſeu univerſum Dei verbum intelligatur, atque adeo ipſa etiam Lex Moſis, quam & infra inter præcipuas Iudæorum prærogativas collocat apoſtolus, cap. 9. 5, & olim Moſes, dum ita populum alloquitur Deut. 4, 6. *Hæc eſt ſapientia veſtra & intelligentia veſtra in oculis populorum, qui audient omnia præcepta iſta, & dicent: Utique populus ſapiens & intelligens, Gens magna iſta.* & verſ. 8, *quæ eſt gens* [*ita*] *magna, cui ſint ſtatuta & judicia* (ſeu *jura*) *ſicut eſt univerſa Lex iſta, quam ego do* (vel *propono*) *coram vobis hodie?* Et *David* Pſal. 147. 19, 20: *Annunciat* (Deus) *verbum ſuum Iacobo, ſtatuta ſua & judicia* (jura) *ſua Iſraeli. Non fecit ſic omni genti* (id eſt, nulli genti ſic fecit) *& judicia* ſeu (*jura ejus*) *non noverunt ea.*

Veruntamen & objectio ſequens, & ſcopus apoſtoli, oſtendere videtur, præcipuè hic intelligi promiſſiones divinas, & nominatim illa Prophetarum oracula, quibus de Meſſia, & felicitate inſigni populo Iſraëlitico per eum danda vaticinantur. quæ quidem inter præcipuas hujus populi præ Gentibus prærogativas habendæ fuerunt: Unde & infra cap. 9. 5, ubi prærogativas illas enumerat, nominatim commemorantur; & denuo inculcantur cap. 15. 8. Ubi ea in parte Iudæos gentibus apoſtolus opponit, & præfert, utpote quæ iſtiuſmodi promiſſionibus caruerint, ac proinde abſque ulla præcedente Dei obligatione, ſeu jure ex promiſſo proficiſcente, eandem *Dei* gratiam cum Iudæis participaverint: quod clariſſimis etiam verbis docuit Epheſ. 2. 12. Objectionem ſequentem huc reſpicere, quamquam non difficulter ab unoquo-

que

que intelligi poteſt, melius tamen intelligetur, ubi eam excuſſerimus. Quod ad ſcopum apoſtoli attinet, itidem apparere videtur, eum ad has promiſſiones præcipue oculum hic intendere. Etenim cum hucuſque oſtenderit, Judæos Legem tranſgreſſos eſſe, ac porro ejus vi merito damnandos; ideo prærogativam Judæorum, quam ii nihilominus præ Gentibus habeant, commemoraturus, non tam legis quæ illis concredita ſit, quam aliorum Dei oraculorum, quæ etiam peccatoribus ſpem aliquam ſalutis afferre queant, mentionem facere debebat. Alias enim poterat quiſpiam dicere: Quid tu mihi hic Legem Judæis concreditam dicis? cum tantum abſit, ut melior propterea eorum præ Gentibus ſit conditio, ut deterior etiam jure cenſeri queat: quandoquidem, ut ipſe ais, Legem non ſervarunt, ac porro ejus vi damnantur, & validius pœnæ obſtringuntur. Etſi enim poſſit aliquid ad hoc reſponderi: plus tamen efficaciæ habent illa, quæ diximus Dei oracula, quæ oſtendunt, Judæorum etiam in peccata prolapſorum, aliqua ratione meliorem eſſe conditionem, quam Gentium extranearum. Verum quia poterat aliquis ex gentibus euangelicam doctrinam amplexis, dicere, Judæos hac quoque dignitate ſeipſos jam privaſſe, nec ullam ad eam gentem jam amplius ex promiſſionibus redundaturam utilitatem, quandoquidem ii per incredulitatem ſuam ſeipſos earum fructu indignos reddiderint; ideo hanc objectionem occupans, ita porro ait:

Verſ. 3. *Quid enim, ſi diffiſi ſunt*, ſeu *increduli extiterunt quidam, num diffidentia* ſeu *incredulitas eorum fidem Dei abolebit?* q. d. Neque enim refert, quod Judæorum quidam non crediderunt Deo, promiſſa illa ſua præſtanti atque exhibenti, non propterea nulla eſt hæc illius gentis dignitas, atque ad eam ſpectans utilitas. Neque enim iſta ipſorum incredulitas tantam vim habet, ut Deus ſua promiſſa huic populo facta propterea revocet, & fidem in iis præſtandis non ſervet. Etſi enim earum promiſſionum fructus ad eos non pervenit, qui non credunt, quamdiu quidem in ea incredulitate perſiſtunt: (conditio enim fidei his promiſſionibus eſt incluſa, vel appoſita:) pervenit tamen ad eos omnes, qui ex illo populo in Chriſtum credunt, quales ſunt non pauci: & ad eos etiam ipſos, qui nunc increduli ſunt, perveniet, ſimul ac ab incredulitate receſſerint. Vide infra cap. 11. ℣ſ. 1, & d. uſque ad 6. & fiet ſanè, ut aliquando oſtium fidei huic genti aperiat Deus, promiſſionum ſuarum memor, ut ita totus Iſraël ſervetur, vide ℣ſ. 23, & d. verſ. 25, 26 & d. ſeu ampliſſimam habeat occaſionem ſalutem conſequendi. Hæc omnia fuſe infra exſequitur Paulus, toto cap. 11, quæ nunc aliud agens breviter attingit. Intelligendum enim eſt, promiſſiones illas divinas, ita eſſe comparatas, ut etiamſi non ſine conditione aliqua populus earum fructum participare queat; nihilominus tamen nunquam penitus iis excidere poſſit, ita nimirum ut non aliquis illi pateat ad eas reditus. qua de re plura dicentur, ubi illa cap. 11. 29 verba excutiemus: *Non pœnitet Deum donorum & vocationis ſuæ.* Iam quod ad verba præſentis loci attinet, cum ait, *ſi diffiſi ſunt*; non de re dubia, ſed de certa loquitur: & perinde eſt, ac ſi dixiſſet, *etſi non crediderunt quidam.* Sic ſæpe in argumentationibus loquitur Paulus, de rebus certis: & inter alia in re eadem, cap. 11. 17.

Vox *quidam* hoc loco, non opponitur *multis*, ut fere ſolet: ſed *omnibus*, ſeu *univerſis*. Non enim pauci quidam, ſed longè major pars Iudæorum euangelio non credidit, ut tum ex hiſtoria ſacra, tum ex iis, quæ ſcribuntur infra, capp. 9. 10. 11 liquet. Hoc modo idem apoſtolus, de eadem re loquitur infra, loco modo dicto cap. 11. 17: *Si vero*, inquit, *quidam ramorum effracti ſunt.* Sic & Auctor Epiſt. ad Hebr. cap. 3. 16: *quidam enim cum audiſſent* (nempe Dei vocem in deſerto) *exacerbaverunt*, (intellige *Dominum*) *ſed non omnes qui egreſſi fuerant ex Ægypto per Moſem.* Atqui longè maxima populi pars Dominum tunc exacerbavit. Verum ipſe auctor ſatis declaravit, ſe non ideo dicere *quoſdam*, quia multi id non fecerint, ſed quia *non omnes.* Subeſt tamen in Apoſtoli verbis quædam μείωσις.

*Num eorum diffidentia* (ſeu *incredulitas, infidelitas*) *Dei fidem abolebit?* num quia illi Deo diffidunt, ejus dictis fidem impiè detrahunt; ideo ipſe Deus fidem non ſervabit? num ideo in promiſſis ſuis conſtans ac verax non erit? Abſit. Similis locus eſt de Chriſto 2 Timoth. 2. 13: *ſi diffidimus* (ſeu *increduli, infideles ſumus*) *ipſe fidelis manet, ſe ipſum negare non poteſt*, id eſt id quod ipſe promiſit, negare non poteſt; præſtabit is nihilominus promiſſa ſua aliis, qui iis fidem conſtanter adhibuerint, omniaque illorum cauſſa fecerint ac tolerarint. Non eſt is talis, qui propter indignos, etiam dignis, propter infideles, etiam fidelibus neget, ut homines ira perciti nonnunquam faciunt.

Verſ. 4. *Ne fiat.* Negat his verbis conſequentiam objectionis. *Eſto autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Δὲ *autem* priori loco poſitum, idem ſignificat, quod *imo vero*, vel *quin potius*, q. d. quin potius agnoſcatur Deus veraciſſimus, & in promiſſis ſuis ſervandis appareat conſtantiſſimus: omnis autem homo appareat mendax, quatenus nimirum in contentionem cum Deo venit, & ei adverſatur, ejus dictis fidem detrahit: quod quidem faciunt illi, qui euangelio nolunt credere: quemadmodum enim, qui euangelio credit, veluti ſigillo appreſſo teſtatur, veracem eſſe Deum, Joh. 3. 33, ita contra qui non credit, mendacem eum facit 1 Johan. 5. 10. Verbum γίνεσθω, non tam de rei exiſtentia, quam de ejus declaratione & agnitione accipiendum videtur: quemadmodum infra hoc eodem cap. verſ. 26, *ut ſit ipſe* (nempe Deus) *juſtus*, hoc eſt ut appareat ſeu agnoſcatur juſtus. Et in verbis Pſal. 51. 6, quæ hic ſtatim ſubjiciuntur, ita habetur in Hebræo: *ut juſtus ſis, & ſis purus dum judicas*, id eſt ut juſtus ac purus appareas, agnoſcaris. Verba autem, *omnis homo mendax*, deſumta ſunt ex Pſalmo 116 verſ. 11. Quanquam inter interpretes nondum conſtat, utrum ea tunc cum Pſalmum iſtum caneret, adhuc approbarit David, an vero antea tantum, cum fugere cogeretur, & res eo ſpectare viderentur, ut regno ſibi a Samuele promiſſo excideret. Ait enim ibi: *Ego dixi in feſtinatione mea, Omnis homo mendax.* quod nonulli ita accipiunt, acſi dixiſſet: ego cum vehementer afflictus eſſem, præcipitanter dixi, vel cum celeriter coram Saule fugere cogerer, cum vehementer trepidarem, ita cogitavi atque apud me dixi, video ſanè omnem hominem eſſe mendacem. Ecce Samuel mihi promiſit regnum: at nunc video ejus promiſſa me fallere, apparet mihi a Deo, ut is dicebat, regnum deſtinatum non eſſe. Verum cum aliter res ceciderit, quam tum metuebam, quas gratias Deo debeo pro omnibus ipſius beneficiis, quæ in me contulit? ut in ſeqq. ſubjungit. Huic ſententiæ non parum favet locus non abſimilis apud eundem Davidem Pſal. 31. 23: *Ego dixi, in feſtinatione mea, projectus ſum ab oculis tuis.*

cogitabam me a te non amplius curari, me a te repudiatum eſſe: ſed ſequitur; *Ideo* vel *verum*, *audiſti vocem deprecationum mearum.*

Alii contra ita cenſent, Davidem in his verbis, fidem ſuam, quam in *D*ei promiſſis collocarit, quicquid contra dicerent homines, declarare. q. d. Ego eo ipſo tempore, cum hoſte imminente celerrimè fugere cogerer, ubi maxima erat cauſa de divinis promiſſis regnum mihi deſtinantibus dubitandi, cum plerique omnes fidem illis derogarent, & regno me nunquam potiturum dicerent, ego tamen ita dixi, ſeu ita apud me ſtatui: Omnes homines ſunt mendaces: quicquid illi dicant, neceſſe eſt, ut divinis promiſſis fides ſua conſtet: homines autem qui illis fidem derogare audent, mendaces deprehendantur: Hæc ſententia ſatis apta eſt huic Pauli loco. Sed etiamſi prior ſententia admittatur, credibile eſt Davidem, non in illa ſua trepidatione primum excogitaſſe, ſed potius è vulgo, tanquam uſu tritum probatumque proverbium uſurpaſſe, nec in re ipſa erraſſe, ſed in ejus ad ſuum negotium, ſeu ad Samuelem etiam, ejusque dicta divino juſſu prolata, applicatione, lapſum fuiſſe. Nam alias jure dici poteſt, *omnem hominem eſſe mendacem*: quia plerique tales ſunt. Quod enim de plerisque verum eſt, id de omnibus ſolet pronunciari: præſertim in vulgaribus proverbiis, quæ non aurificis ſtatera, ut ille ait, ſed populari quadam trutina ſunt examinanda. habebimusque ejus rei exempla infra, hoc eodem cap. in verbis Davidis, præſertim ψſ. 11, 13. quia de eadem re, ita loquitur idem David Pſal. 12. 1, 2: *Defecerunt veritates*, (vel fideles) *a filiis hominum. Vana*, (vel *mendacium*) *loquuti ſunt*, (id eſt loquuntur) *unusquisque cum proximo ſuo, labio doloſo, in corde, & corde loquuti ſunt.* Quanquam præterea univerſaliter id dictum verum eſt, quatenus homo in contentionem venit cum Deo, quo pacto, ut ſupra indicavimus, in hoc *P*auli loco homines conſiderantur. Quare, utut tandem David aliquanto latius hoc dictum olim extendiſſet, quam oporteret, jure tamen id potuit *P*aulus ad rem præſentem accommodare. quemadmodum ſæpe verba aliena ad rem noſtram accommodamus, utut is, qui ea primum protulit, ad eam non reſpexerit. Satis enim eſt, ea rectè ad illam accommodari poſſe, & ad eam relata veram nihilominus ſententiam efficere: qua de re monuimus non nihil Galat. 4, verſ. 24. *Quemadmodum ſcriptum eſt.* hæc verba quanquam ita prolata ſunt, ut & ad præcedentia, & ad ſequentia referri poſſe videantur: veriſimilius tamen eſt, ea cum ſequentibus, uti & alibi plerumque ſolent, cohærere: præcedentia per ſe conſiſtere poſſunt.

Quod ergo ad ſequentia verba, è *P*ſal. 51. 6 citata attinet, *ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, &c.* ea hoc modo poſſunt cum præcedentibus necti, q. d. Abſit, ut incredulitas hominum, Deo fidem derogantium, tantam vim habeat, ut is propterea fidem non ſervet, ac in promiſſis ſuis verax non appareat: quin potius ea ipſa ratione Deus in promiſſis ſuis verax appareat, quod tunc cum fides ei derogatur, ipſe fidem nihilominus ſervet: contra autem, omnis homo, qui fidem ei adimere audet, mendax agnoſcatur: quemadmodum in re ſimili apud Davidem ſcriptum legimus, qui peccatum ſuum, cujus pœnam deprecatur, faſſus, ita porro Deum alloqcitur: *ut juſtificeris*, hoc eſt, juſtus agnoſcaris ac prædiceris, *in ſermonibus tuis, & vincas dum judicaris*, vel *judicas*. Citat apoſtolus verba ſecunduw Græcam interpretationem. Nam in Hebræo quomodo legatur, ſupra diximus. Ea autem verba duplici ratione ab interpretibus ad *D*avidis inſtitutum accommodantur. Vnde etiam ad *P*auli ſcopum duplici ratione accommodari poſſunt. Alii enim ea jungunt cum verſ. 3, & 4 *P*ſalmi, iis, quæ verſic. quinto, & priori parte ſexti leguntur, parentheſi incluſis. Vnde hujusmodi poſſit emergere verborum ſententia, quaſi dixiſſet David: Condona mihi peccatum meum, & pœnam illam, quam mihi comminatus es, quamque mihi jure poſſes infligere, nempe ut me familiamque meam exſcindas, remitte: ut hac ratione tanto magis eluceſcat tua in promiſſis, quæ mihi familiæque meæ feciſti, ſervandis, juſtitia, ſeu veritas, ac fides: quandoquidem mihi promiſiſti, me ac poſteritatem meam in æternum regnaturam. Quodſi ergo nunc, licet ſcelere meo irritatus, me familiamque meam non ſuſtuleris, ſed ſcelus mihi hoc condonaveris, omnibus apparebit, quam juſtus ſis, quam conſtans in ſervandis promiſſis. Quanto enim Deus majores habet cauſas, ut promiſſa ſua revocet; tanto illuſtrior fit ejus fides ac juſtitia, ſi ea præſtet.

*Et vincas cum judicaris*, id eſt, ut cauſam obtineas, & purus ſanctusque agnoſcaris, ſi quis tibi de fide ac juſtitia controverſiam movere, teque veluti in judicium vocare audeat. Alii vero verba iſta jungunt proximè præcedentibus, & vel particulam Hebræam *Lemaan*, quæ a Græcis reddita eſt ὅπως, ſumunt pro *adeo ut*, vel ante eam ſubaudiunt aliquid, nempe *Hoc autem fateor*, aut ex verſu 5 repetunt verbum *agnoſco*, q. d. agnoſco aut fateor, me adverſum te peccaſſe, ut ita tu ea, quæ mihi per Nathanem denunciaſti, jure dixiſſe, & rectè agere deprehendaris, ſi me judices, ſeu punias. Quia enim in Hebræo verba ultima propriè ſonant, *in judicare te*, ideo alii pronomen *te*, de perſona agente accipiunt, q. d. dum tu judicas, alii de perſona patiente, q. d. dum tu judicaris. Iam vero ſi de perſona agente accipiatur vox *judicandi*, de pœna videtur intelligenda. Græcum verbum κρίνομαι mediæ eſt ſignificationis, & tam activè, quam paſſivè reddi poteſt. ſed rectius videtur verti paſſivè: quemadmodum & a vetere interprete, & a quibusdam recentioribus factum videmus; niſi fortè, eadem manente ſententia, malis τὸ κρίνεσθαι ſumere pro *judicio diſceptare*, aut *contendere*, quam ſignificationem habet Matth. 5. 40, ubi vide Bezam, ſi lubet. Magis id, quod diximus, videtur conſentaneum & Græcorum interpretum, & *P*auli ſententiæ. Introducitur enim hic Deus, tanquam is qui iniquè in judicium vocatus, juſtus agnoſcatnr ac pronuncietur, & in controverſia iſta judicio vincat. Indicat id tum *juſtificandi* verbum de Deo paſſivè elatum; tum verbum *vincendi*, quod longè melius parti, quæ judicio cum altera diſceptet & in ea controverſia vincat, quam judici pœnas exigenti convenit. Et licet in Hebræo pro *vincas* extet *purus ſis*, id tamen eandem, ſi rem ipſam ſpectes, vim habet; ſignificat enim, ut diximus, ut purus ſeu innocens ac juſtus agnoſcaris ac deprehendaris, quemadmodum is ſolet, qui in judicium vocatus cauſam obtinet, ſeu judicio vincit. *P*auli ſententiæ id apprimè convenire, ſatis liquet. *D*ocet enim Deum non revocaturum ſua promiſſa populo Iudaico data, etiamſi ſua incredulitate ac contumacia id cæteroqui commeruerint, ne quis unquam ſugillare ipſius juſtitiam, ſeu

in

in promiſſis præſtandis fidem ac conſtantiam poſſit: ſed quanto major ipſi cauſa data fuit, promiſſa ſua reſcindendi, tanto magis agnoſcatur in ſermonibus verax, & in factis juſtus. Quod ſi quis tamen omnino contendat, voces ἐν τῷ κρίνεσθαί σε, cum quibusdam recentioribus interpretibus vertendas eſſe *dum* vel *quando tu judicas*; & verbum *judicandi* ſumendum pro *punire*; eatenus hoc Davidis dictum ad inſtitutum apoſtoli pertinebit, quatenus in eo ſignificatur, hominum etiam peccata pertinere ad illuſtrandam veritatem divinorum ſermonum, & juſtitiam ſuppliciorum, quæ ab hominibus exigat: etiamſi in modo ſpeciali, quo id delicta hominum præſtant, aliqua forte ſit differentia.

Verſ. 5. Sed adverſus hanc reſponſionem, ejuſve illuſtrationem, aliam iterum objectionem occupat apoſtolus, dum ita ſubjicit: *Si vero injuſtitia noſtra, Dei juſtitiam commendat*, (id enim in præcedentibus fuerat indicatum) *quid dicemus? num injuſtus [eſt] Deus, qui infert iram?* q, d. num inde inferemus, Deum eſſe injuſtum, qui pœnam infligit hominibus injuſtis atque impiis? quandoquidem iniquum videtur, ea alterius facta ſupplicio perſequi, quæ ad juſtitiam illius, qui punit, illuſtrandam ac commendandam pertineant? *Ira* pro pœna ſumitur, ut ſup. cap. 1. 18, & 2, 6, 8. (*Secundum hominem dico.*) Hæc verba in parentheſi addit, ne quis putet, ipſum ex ſua ſententia hæc dicere, aut ipſimet dubitationem hujusmodi de Dei juſtitia ſuboriri: ſed ut intelligatur, ita vulgus hominum veritatis divinæ ignarum argumentari, & ſuæ doctrinæ objicere ſolere. q, d. ex aliorum hominum ſententia ita loquor: ex vulgi ſententia ita ratiocinor. Nam ex ſua ſententia, ita porro reſpondet.

*Ne fiat.* Abſit, ut propterea Deum injuſtitiæ accuſemus. Conſequentiam argumenti hoc pacto negat: et rectè; quia hæc mera eſt accidentis fallacia, ut paulo poſt explicabitur. Apoſtolus reſponſionem ſuam ab abſurdo, quod inde conſequuturum eſſet, confirmat, cum ita ſubjungit.

Verſ. 6. *Alioqui quomodo judicabit Deus mundum?* Hæc verba vel aperte conſequens tantum ſeu concluſionem argumenti evertunt, tacitè autem indicant, conſequentiam ejus fallacem eſſe; cum antecedens antea ab ipſo apoſtolo non obſcure fuerit aſſertum: vel ipſam conſequentiam, in qua nervus falſi eſt, impetunt. *P*riori modo ita loqui cenſendus eſſet apoſtolus: Abſit ut Deus ſit injuſtus, ſi enim injuſtus eſſet, quomodo judicare poſſet mundum? Judex univerſæ terræ juſtitiam non faciet? dixit aliquando Abrahamus. Atqui jam ſupra oſtenſum eſt, Deum judicaturum eſſe univerſum mundum: idque in hac ipſa objectione non obſcure aſſeritur, dum Deus iram inferre, ſeu hominum injuſtitiam atque impietatem punire dicitur. *P*atet ergo Deum nequaquam eſſe injuſtum, etiamſi eos puniat, quorum facta ipſius juſtitiam aliqua ratione commendant. *P*oſteriori autem modo ita loqui cenſendus eſſet apoſtolus; Si *D*eus ſine injuſtitiæ crimine non poſſet punire eos, quorum facta ad ipſius juſtitiam illuſtrandam, & gloriam ejus amplificandam pertinent, quomodo poſſet judicare mundum? ſiquidem omnium hominum impia facta per accidens ad commendationem divinæ juſtitiæ pertinent: omnia enim ad ejus demonſtrationem convertit *D*eus. Atqui jam manifeſtum eſt, et in hac ipſa argumentatione pro conceſſo ſumitur, Deum judicaturum mundum. Quare apparet. Deum injuſtum non eſſe qui puniat eos, quorum facta juſtitiam ejus aliqua ratione commendant. Breviter: iſta objectio ſeipſam quodammodo evertit, dum ponit *D*eum punire mundum, & interim ponit, injuſtum eſſe punire eos, quorum facta ad juſtitiæ divinæ laudem ſuo modo cedant.

Sed quia, ut ex verbis illis, *ſecundum hominem dico*, apparet, non ſemel iſta apoſtolo objiciebantur, nec deerant, qui audacter aſſererent, apoſtolum affirmare, peccandum eſſe, ut inde aliquid naſcatur boni, hoc eſt ut laus juſtitiæ ac gloriæ divinæ eo pacto illuſtretur: ideo apoſtolus, ut occaſionem habeat tanto ampliorem ſeſe purgandi, & ab ea ſententia alieniſſimum ſe eſſe oſtendendi, objectionem illam denuo urget, & aliqua ratione amplificat, ac confirmat, & id ipſum adjicit, quod ſibi per ſummam injuriam ab aliis tribui ſciebat.

Verſ. 7. Nam primum ita ait: *Si enim veritas Dei in meo mendacio redundavit in gloriam ejus, quid adhuc et ego tanquam peccator judicor?* Sumit hoc loco apoſtolus perſonam objicientium, & quidem hominum impiorum ac Deo obloquentium, & non quæ ſibi, ſed quæ illis conveniant, de ſe per proſopopœiam, aut per mimeſin pronuntiat, quemadmodum & interpretes quidam annotarunt. & per ſe manifeſtum eſt. Qui locus inprimis notandus eſt, propter eos, qui infra cap. 7 abſurdum cenſent, *P*aulum perſonam hominis ſub Lege exiſtentis, & ſub peccati ac mortis onere gementis, atque ab eo liberari cupientis, aſſumere, & quæ illi competant, de ſe pronunciare.

Vocula *enim* indicat probari his verbis aut illuſtrari ſuperiora. Non confirmantur autem proxima, quibus rationem reſponſionis ſuę complexus eſt apoſtolus: ſed remotiora, quibus ipſa objectio continetur. Confirmatur vero ab effectu, qui ex commendatione, ſeu illuſtri demonſtratione juſtitiæ divinæ naſcitur, nempe gloria divina, quæ prohibere videtur, ne is unde ea proficiſcitur, tanquam peccator puniatur. Ait ergo: Si veritas divina, ut antea indicatum eſt, mendacio meo illuſtrata, in ſingularem Dei gloriam redundat, ſeu ei magnam affert laudem ac gloriam; quo jure ego, qui gloriæ illius cauſa atque occaſio extiti, eamque meo mendacio illuſtravi, tanquam peccator punior? præmium mihi potius debebatur pro hujusmodi merito.

*In meo mendacio*, id iſt per meum mendacium, Hebraiſmo frequentiſſimo. *Redundavit*, præteritum videtur poſitum pro præſenti, itidem per Hebraiſmum, cujus exemplum inter alia infinita habes *P*ſal. 1. 1. *P*oteſt autem hoc verbum, vel ita accipi, ut nihil aliud ſignificet, quam quud Latinè diceremus *cedit*, ut ita ſententia pendeat ex vocibus ſequentibus, *in gloriam ejus*; vel poteſt ſumi pro *abundat*, *excellit*, nempe ratione effectus: ut ſequentia non tam compleant ſententiam adhuc pendentem, quam ei aliquid addant. Ea ſignificatio verbi περισσεύειν, ſat crebra eſt. Vide inter alia Matth. 5. 20. inf. cap. 15. 15. 1 Cor. 14. 12.

Loco *juſtitiæ Dei*, apoſtolus nunc ponit ejus *veritatem*; loco injuſtitiæ noſtræ, *mendacium*: ut objectionem hanc magis accommodet verbis ℣. 4, ex quibus ea primum orta fuerat. *C*um ait κἀγὼ, *& ego*, particula *&*, ut nonnemo Interpretum notavit, redundat: niſi malis comparationis eſſe notam. q. d. non aliî tantum, ſed etiam ego, qui divinæ gloriæ cauſa extiti,

vel exiſto. His autem dictis, amplificat deinde concluſionem, & id adhuc ex eadem ratione deducit, quod ſibi ab aliis per calumniam tribui ſciebat, idque a ſua ſententia penitus abhorrere oſtendit, dum ait:

Verſ. 8. *Et non (quemadmodum blaſphemamur, & quemadmodum ajunt quidam nos dicere) quod faciamus mala, ut eveniant bona?* particula ὅτι *quod*, ante verba ποιήσωμεν τὰ κακὰ *faciamus mala*, redundat, & mimeſi tantum ſervit, ut innumeris propè locis in N. Teſtamento accidit: & paulo poſt, hoc cap. verſ. 10. Senſus autem verborum is eſt, q. d. imo cur non potius omnino facienda ſunt mala, ut inde eveniant bona, hoc eſt ut gloria divina ea ratione illuſtretur; quemadmodum quidam nos aſſerere calumniantur. Nam ſi divina gloria peccatis noſtris illuſtratur, tantum abeſſe videtur, ut propterea puniri debeamus, ut potius peccata ſint patranda, ut ad *D*eum ex iis gloria redundet. Verum peſſimè totam illam ratiocinationem concluſam eſſe, quivis facile cernere poteſt. Iniquum quidem foret, ea facta punire, quæ ſua natura in divini nominis honorem redundant: ſed non ea, quæ prorſus ex eventu; & illa, non hæc, finis illius gratia facienda ſunt. Quis vero non videt, peccata hominum non per ſe ac natura ſua, ſed per accidens tantum, ad juſtitiæ divinæ commendationem, atque ad gloriam divini nominis cedere? per ſe enim potius ad Dei ſpectant ignominiam, ut ſup: cap. 2. ℣. 23, eſt oſtenſum. Adde quod ea non ab hominibus revera iſtum in finem ſuſcipi utplurimum ſoleant: (quanquam ne hoc quidem ad ea excuſanda ſufficeret, tantum abeſt ut propterea laudari mereantur) ſed a Deo ipſo, præter ipſorum hominum intentionem ac conſilium, ad gloriam nominis ſui convertantur. Hoc quia omnibus perſpicuum eſt, etiam iis ipſis, qui apoſtolum, ita ut vidimus, calumniabantur; ideo indignos judicavit, quibus aliquid directè ad iſtam argumentatiunculam reſponderet: ſed rejectione ac deteſtatione ſententiæ illius contentus, dignos judicavit, quibus ob apertam iſtiuſmodi calumniam divinum ſupplicium comminaretur. Nam partim in parentheſi iſta, *quemadmodum blaſphemamur* &c. eam ſententiam a ſe rejicit, partim in fine hujus verſiculi, expoſita jam tota objectione, ſupplicium iſtis calumniatoribus non obſcure denunciat, cum ait:

*Quorum judicium* hoc eſt, ſupplicium *juſtum eſt*. q. d. qui quidem homines, cum adeo audacter, adeo impudenter, contta manifeſtam veritatem nos calumnientur, digni ſunt divino ſupplicio, nec id, niſi reſipuerint, effugient. Nullam enim planè excuſationem merentur: nec ex quadam imbecillitate judicii, aut mero errore ita nos noſtramque doctrinam traducunt, ſed ex malitia & calumniandi libidine. Malumus autem vocem *quorum* referre ad homines, quorum in parentheſi facta fuit mentio, verbis illis, *quemadmodum ajunt quidam nos dicere*; quam ad *mala*, quorum in propioribus facta mentio. Nam omnino proximè præcedentium ſententia jam videtut abſoluta; *Faciamus mala, ut eveniant bona.* At ſi verba illa *quorum judicium juſtum eſt*, ad *mala* iſta pertinerent, per trajectionem quandam eſſent poſita, hoc modo alias collocanda: *Faciamus mala, quorum judicium juſtum eſt, ut evemant bona.* Atqui & trajectio illa per ſe durior eſt, & ſententiam quæ præcedentibus ſubeſt, evertit, cum in objectione negetur, juſtum eſſe illorum malorum judicium ſeu pœnam. Quodſi ex ſua ſententia Paulum reſponſionis loco ea addidiſſe velis, ne ſic quidem aptè cohærebunt. Nam aliter loquendum fuiſſet Paulo, nempe hac aut ſimili ratione: *Atqui iſtorum* (ſcil: malorum) *judicium juſtum eſt*: non vero *quorum judicium* &c. Deinde, quæ hæc eſſet reſponſio, ſimpliciter aſſerere id, cujus contrarium objectio concludit? Longè dignius fuit apoſtolo, omiſſa reſponſione directa ad objectionem, cujus futilitas, & calumnia in ea comprehenſa, cum omnibus aliis, tum ipſis etiam adverſariis facilè patebat, iis ſupplicium divinum ob tam impudentem calumniam comminari. Quare rectè nobis videtur ſententiam expreſſiſſe Caſtellio, qui, ut perſpicuitati conſuleret, ita collocavit verba *quin potius faciamus mala, ut eveniant bona. Sic enim malè de nobis dicitur, & ſic ajunt quidam dicere nos, qui merito damnandi ſunt.*

Vox *blaſphemamur*, rectè vertitur ab interpretibus recentioribus, *malè loquuntur*, vel *malè ducunt de nobis.* Nam hoc loco omnino calumniam in ſe complectitur: licet alias, ad homines præſertim relatum, convicium potius denotare ſoleat: unde etiam βλάσφημοι diſtinguuntur a λοιδόροις ſeu calumniatoribus. 2 Tim. 3. 2, 3. Sed vocis Græcæ proprietas etiam illam ſignificationem ſert, cum ex doctorum virorum conſenſu, βλασφημεῖν dicatur quaſi βλάπτειν φήμῃ, *lædere famam*, intellige alienam.

Verſ. 9. *Quid igitur? præcellimus?* Sequitur quarta objectio, qua reditum ſibi parat ad argumentationem ſuam, duobus ſuperioribus capitibus cœptam, & ſic paulatim ad ſecundam capitis hujus partem tranſit. Extulerat Iudæos aliquantum, quos antea depreſſerat: ſed ne criſtas propterea erigerent, iterum eos premit, & a nimia dignitatis ſuæ æſtimatione ad indignitatis ſuæ conſiderationem revocat. Satis autem liquet, hanc objectionem non duci ex proximè præcedentibus, in quibus nihil tale continetur, unde hujusmodi concluſio colligi poſſe videatur: ſed potius ex eo, unde etiam proxime præcedentia fluxerunt, tanquam ex re principali, quæ in hac cap. parte fuerat explicata, nempe ex reſponſione ad primam ſecundamque objectionem. Quia enim dixerat apoſtolus, eo præcellere Iudæos gentibus, & hanc eſſe circumciſionis utilitatem, quod Iudæis concredita fuerint oracula divina, atque inprimis tam præſtantia Dei promiſſa, huic genti nominatim facta, nec quicquam obſtare quorundam incredulitatem, quominus Deus promiſſa illa ſua opere compleat: hinc poterat aliquis Iudæorum ita ratiocinari: Si ita ſe res habet, ergo nos Iudæi ſimpliciter antecellimus gentibus extraneis; nulla eſt cauſa, cur non poſſit ſimpliciter aſſeri, nos iis præſtare. Pervertunt autem iſtam objectionem, qui conjunctim legunt, *quid igitur præcellimus*, ſeu qua igitur in re præcellimus? Nam nec occaſio jam erat amplius ita quærendi, cum in ſuperioribus aperte explicatum ſit, qua in re præcellant Iudæi Gentibus: nec reſponſio congruit, quæ eſt οὐ πάντως, *non omnino.* Congruit autem, ſi diſjunctim legas, *quid igitur?* ſcil: dicendum erit? quid igitur ſtatuendum eſt aut concludendum? *præcellimusne?* num hoc aſſerendum ſimpliciter nos antecellere gentibus?

*Non omnino.* q. d. Excellimus quidem, ſed non omni ex parte. Fallacia ergo eſt manifeſta in objectione, ab eo, quod ſecundum quid, ad id, quod ſimpliciter, ut in ſcholis loquuntur. Mirum autem eſt, cum apoſtolus expreſſe ſcribat, *Non omnino*, & non modo duobus præcedentibus capp. aſſeruerit, ſalutem

primo

primo ſpectare ad Iudæum, ſed hoc ipſo etiam cap. aperte dixerit, eo præſtare Iudæos gentibus, quod illis concredita ſint Dei oracula, & infra cap. 9 tot eorum prærogativas enumerarit; omnibus tamen præter Ariam Montanum, qui verbum verbo reddere ſolet, interpretibus, hoc loco placuiſſe a ſimplicitate verborum recedere, & eodem ſenſu, alios quidem οὐ πάντως reddere *nequaquam*, alios vero *nullo modo*. Sententia id nequaquam poſtulat, imo ut vidimus, contrarium exigit: nec ſequentia id requirunt, in quibus rationem iſtius ſuæ reſponſionis reddit:

*Antea enim accuſando docuimus, & Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe.* Hæc enim verba oſtendunt quidem, Iudæos & Gentes in re certa eaque maximi momenti pares eſſe: ſed non ſimpliciter pares. Nihil enim prohibet, quominus ii, qui æque ſint ſub peccato atque alii, illis tamen aliis in rebus multum antecellant: ut profecto antecellunt Iudæi gentibus, iis in rebus, quæ inf: cap. 9 enumerantur; quarum præcipuam verſ. 2, hujus cap. vidimus. Hoc ergo, ut diximus, oſtendit apoſtolus, Iudæos in re maximi momenti, & ad inſtitutum ipſius maximè pertinente, gentibus pares eſſe, non vero iis ſuperiores, nempe quod æquè ſint peccati rei, & pœnæ propterea obnoxii, atque gentes. Nam, *ſub peccato eſſe*, hoc loco, ut ab aliis quoque annotatum eſt, non ſignificat peccare: ſed quod illius eſt conſequens, ſeu effectum, ex rei natura neceſſarium, peccati reum eſſe, ſeu pœnæ ob peccata obſtrictum, eſſe ὑπόδικον, vide verſ. 19. confer Gal. 3. 22. In his autem verbis continetur propoſitio principalis, tum totius illius, quæ a verſ. 18 cap. 1, uſque ad finem cap. 2 deducta fuerat, diſputationis, tum ſecundæ partis hujus capitis. Vox προῃτιασάμεθα, è foro ac judiciis petita eſt. Accuſatorum enim eſt αἰτιᾶσθαι. Unde nonnulli recentiorum Interpretum reddiderunt, *criminati ſumus*. Verum quia hæc vox frequenter in malam partem ſumitur, maluimus reddere, *accuſando docuimus:* reddi etiam poſſet *arguimus*, vel cum Caſtellione *convicimus*. Factum id autem eſt ab apoſtolo, uti jam indicavimus, in ſecunda cap. primi parte, & cap. ſecundo toto. Loquitur apoſtolus iterum de ſeipſo in plurali numero, ut ſupra cap. 1. 5, quanquam hic per communicationem potius, quam per ſynecdochen, aut numeri enallagen. *Græci*, pro Ethnicis ſeu gentilibus, ut ſup. cap. 1. 16. 2. 10, 11.

Verſ. 10. *Quemadmodum ſcriptum eſt.* Id quod verſic. præcedenti aſſeruerat, & capitibus duobus præcedentibus rationibus manifeſtis probaverat; nunc ſcripturæ teſtimoniis aſſerit, idque maximè Iudæorum habita ratione, qui juſtitiæ opinione ſibi blandiebantur, deque ea plurimum gloriabantur. His ergo os potiſſimum erat obſtruendum, vel adigendi erant potius, ut ſe quoque divino ſupplicio obnoxios faterentur. De Ethnicis res erat hac in parte planior, & minoris negotii. Probat autem, Iudæos quoque omnes, per ſe nempe, ſeu extra Chriſtum conſideratos, ſub peccato eſſe, hoc eſt ut diximus, peccati reos, ac ſupplicio divino obnoxios, quia ſcriptura teſtetur, omnes peccaſſe, & quidem graviter. Conſequens autem, ut diximus, peccati ex rei natura neceſſarium eſt, ſub peccato eſſe, ſeu peccati eſſe reum; præſertim, ſi quis apertam Dei legem, cui comminatio pœnæ fuerat addita, fuerit transgreſſus, ut Iudæi fecerant. Ea vero ſcripturæ dicta, quæ citat apoſtolus, non eodem Veteris Teſtamenti loco extant, ſed diverſis, licet extiterint, qui cum arbitrarentur, apoſtolum ex uno Scripturæ loco citaſſe omnia illa, quæ uſque ad finem verſ. 18 ſubjiciuntur verba, ea etiam omnia inſeruerint Græcæ interpretationi, ac porro etiam Latinæ Pſal. 14, unde primum teſtimonium eſt adductum, tanquam ea ex Hebræo, in quo non extant, fuiſſent a Iudæis expuncta. quaſi vero non ſimul etiam debuiſſent expungere verba priorum verſiculorum, ſi eos ſententia tantopere offendiſſet: nec enim eos minus feriunt prima verba, quam cętera, quæ ſequuntur. Mirum autem eſt, eos, qui iſta Pſalm. 14 inſeruerunt, non inſeruiſſe etiam Pſalm. 54, qui aliquot tantum verbis verſ. 6, ut & inſcriptionis, diverſus eſt a 14. cæteroqui non modo ſententia, ſed & verbis prorſus idem. Non annumerat autem ubique apoſtolus verba, ſed ſententiam appendit, in locis adductis.

Primum ergo locum ex Pſalm. 14. 1, 3, & 53. 4 ad hunc modum citat verſ. 11: *non eſt juſtus, neque unus. Non eſt intelligens, non eſt quærens Deum:* verſ. 12, *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt:* verſ. 13. *non eſt faciens bonum, non eſt uſque ad unum.* In Pſalmo ita habetur: *Corruperunt* (ſeu *corrumpunt*; præteritum pro præſenti, uti & in ſeqq.) *abominabile fecerunt opus ſuum*; (ſcilicet ſtulti illi, vel potius omnes homines, ut ex ſeqq. intelligitur) *non eſt qui faciat bonum: Dominus è cœlis proſpexit ſuper filios hominum, ut videret, num ſit intelligens, quærens Deum. Omnes declinaverunt, pariter fœtuerunt* (ſeu *putruerunt*) *non* [*eſt*] *faciens bonum*; *non* [*eſt*] *etiam unus.* Satis cuivis apparet, etiamſi non omnino eadem ſint verba, ſententiam tamen verborum apoſtoli in Pſalmo contineri. Non extant quidem illa verba in Pſalmo: *Non eſt juſtus ne unus quidem:* ſed ſi ne unus quidem bonitatem facit, certè ne unus quidem juſtus eſt, & illud quidem etiamſi ita apertè in primis verbis non dicatur, at in ultimis reipſa tamen dicitur. Vltima enim priora explicant. Non dicitur quidem expreſsè, *non eſſe intelligentem, non eſſe qui Deum quærat:* veruntamen ſi Deus proſpiciens de cœlo ſuper filios hominum, viſurus num ſit intelligens, num ſit, qui Deum quærat, vidit omnes de recta via declinaſſe, omnes corruptis eſſe moribus; certè non eſt intelligens, non eſt qui quærat Deum. In verſiculo 11 & parte priori 13, ſequutus eſt Paulus Græcam interpretationem; quæ pro *fœtuerunt*, aut *putruerunt*, habet *inutiles facti ſunt.* & ſanè quod fœtet, quod computruit, inutile evaſit. Unde & putridi ſermones opponuntur utilibus Eph. 4. 29. Animadvertendum autem eſt, ut aliis plurimis ſcripturæ locis, quæ Paulus ad ſuum inſtitutum citare ſolet, ita & his verbis duplicem eſſe ſenſum. Alterum quem literalem aut hiſtoricum vocant, alterum myſticum. Si literalem ſpectes ſenſum, Propheta loquitur de hominibus generatim, ſed maximè de populi divini piorumque hoſtibus, ut locus ipſe apertè indicat, vide verſum quartum & deinceps uſque ad finem Pſalmi. Itaque iſtis hominibus opponit *generationem juſtam* verſ. 5, & *Dei plebem* ſeu *populum.* Sed myſtico ſenſu, quem verba ipſa per ſe conſiderata poſtulare omnino videntur, intelliguntur omnes in univerſum homines, quatenus adhuc a Chriſto ſi nt alieni, & extra ejus populum adhuc vivunt: eatenus enim homines omnes hoc loco ab apoſtolo conſiderari præcedenti verſiculo monuimus. Eatenns autem ii adumbrantur in illis, qui a populo divino olim erant alieni, & illorum vitia in horum vitiis. Sic & in ſeqq. teſtimoniis, quæ ex pſalmis citan-

tur, David literali ſenſu loquitur de hoſtibus ſuis, hominibus a ſe alienis. In Davide autem Meſſias ſeu Chriſtus ipſe adumbratur: in iis, qui a Davide alieni erant, adumbrantur omnes a Chriſto alieni: & porro quæ de illis ſenſu literali dicuntur, de his myſtice intelliguntur. Verumenimvero, ut ſubjecta dictorum iſtorum aliquanto aliter ſumuntur myſtico ſenſu, quam literali; ita & prædicata: licet interim in plerisque locum habeat id, quod literaliter verba ſignificant. Satis autem ex hujusmodi allegationibus Paulinis apparet, illius temporis Iudæos myſticos hujusmodi ſenſus admiſiſſe, etiamſi in perſonis errarent, & nec Ieſum eſſe Chriſtum agnoſcerent, nec ad ſe hujusmodi ſcripturæ dicta, qualia hæc Davidis ſunt, applicarent. Quod ergo ad literalem verborum ex Pſal. 14 & 53 adductorum ſenſum attinet, hyperbole quædam iis ſubeſſe videtur, quæ in ſermone communi ſatis eſt frequens, cum id de omnibus affirmamus, quod pleriſque convenit; aut negamus, quod pleriſque non ineſt. quo pacto Iohan. 3. 11, 32 dicitur, *neminem* Chriſti teſtimonium recipere: licet aliquos recepiſſe, & res ipſa teſtetur, & Johannes alibi doceat, inter alia cap. 1. 12. Id nempe ſibi vult Pſaltes: vix quemquam extare inter homines, qui virtutem colat ac juſtitiæ ſtudeat, ſeu qui habitu quodam ſanctitatis ſit præditus, & ut plurimum ſaltem id quod rectum eſt agat, atque ab omni enormi flagitio ſit immunis. Tam paucos eſſe qui ſapiant, hoc eſt, (ut ſtatim ſubjicit) Deum quærant; ut dici queat, neminem extare; Quærere enim Deum, eſt rectè factis favorem ejus ambire; vel eum curare ac reſpicere: (nam *quærere* Hebræis interdum eſt, curare aliquid, alicujus rei rationem habere:) quod qui faciunt ii demum ſapiunt. Generatim omnes ait declinaſſe vel declinare, de recto vitæ tramite; prope omnes corruptis eſſe moribus: neminem fere eſſe, qui id quod rectum ac honeſtum eſt, pro virili faciat, aut facere conſueverit. Sed myſtico ſenſu jure dici poteſt, neminem prorſus eſſe juſtum, ita nimirum, ut nihil unquam deliquerit: cum ne iis quidem, qui ab ineunte ætate Chriſtum cognoverunt iſtiusmodi juſtitia tribui queat, nedum ut iis, qui aliquando extra Chriſtum vixerunt, aut adhuc vivunt; quo pacto hoc loco a Paulo homines conſiderari diximus. Nemo eſt qui ita ut oporteret ſapiat, & ex toto pectore, perque omnem vitam Deum quærat, ejus favorem perpetuo rectefactis ambiat, eum ſemper reſpiciat, curet, obſervet. Omnes in univerſum a recta via declinarunt, declinantve, alii quidem in hanc, alii in illam partem: alii longius, alii propius: omnes, aliqua ſaltem in parte, inutiles facti ſeu corrupti ſunt, aliquid omnes traxerunt vitii: ſed plerique plurimum. Nemo eſt qui perfecte id quod bonum eſt atque honeſtum præſtet, ne unus quidem. Eſt autem in ultimis loci hujus è Pſalmis citati verbis, vox χρηστότης quæ alibi benignitatem, ut ſupra cap. 2. 4, non ſemel humanitatem denotat, qua de re dictum Galat. 5. 22: ſed hoc loco per ſynecdochen ſpecici, id quod rectum ac honeſtum eſt, ſeu virtutem ſimpliciter denotat; præſertim cum in Hebræo ſit vox *boni*, quæ ſæpe pro honeſto, טוֹב καλὸν ponitur.

Verſ. 13. Sequuntur nunc alia ſcripturæ teſtimonia, quibus omnium, etiam Iudæorum, impietas convincatur: & cum teſtimonium præcedens magis docuerit, eos bonum, quod debebant, non feciſſe; ſequentia magis docebunt, eos varia, quæ non debebant, mala commiſiſſe. Primum teſtimonium deſumtum eſt ex Pſ. 5. 10. *Sepulchrum patens guttur eorum*, Guttur eorum eſt inſtar ſepulchri patentis; quia ut ſepulchrum patens expectat cadaver, ut id abſorbeat; ita illi ſua blandiloquentia eo tendunt, ut eos quibus inſidiantur, ad ſe pellectos deglutiant, ac perdant. vel, ut alii explicant, quemadmodum ſepulchrum patens fœdum odorem exhalat; ita ex iſtorum gutture, aut ore, fœdi, putridi, ac corrupti ſermones prodeunt. ſed prior explicatio, magis conſentanea eſt verbis ſequentibus: *linguis ſuis dolosè agebant*, hoc eſt agere ſolent. In Hebræo futurum eſt pro præſenti, in Græco imperfectum. Senſus apertus eſt: eos doloſe ac fraudulenter loqui, aliud lingua promtum, aliud pectore clauſum habere, verbis alios circumvenire. Quemadmodum autem, ut ſupra diximus, ſubjectum hujus enunciati latius extenditur ſenſu myſtico, quam literali; ita & prædicatum aliquanto latius eſt ſumendum, ut intelligatur, neminem eſſe, qui non aliquando ſaltem alterum feſellerit, aut mentitus aliqua in re fuerit, & ex cujus ore putridus aliquando ſermo non fuerit egreſſus, etiamſi tandem perniciem alteri non ſtruxerit. Verum in plerisque etiam illud ipſum cernitur, quod literali ſenſu ſignificatur, quanquam non in omnibus æquè.

Tertius locus extat Pſal. 140. 4 *venenum aſpidum ſub labus ipſorum*, hoc eſt labris ſuis ita nocent, acſi venenum, inſtar aſpidum, ore ſuo habereut reconditum; idque in alios ejacularentur: veneno quodam ſunt imbuta illorum verba, hoc eſt inſidioſa, fraudulenta, quibus innocentes in exitium trahere conantur. Vide ejusdem Pſalmi verſic. 5, 6, 10, 11, 12. Idem ſenſus hujus loci eſt tum literalis, tum myſticus, qui præcedentis. Per aſpides hoc loco nonnulli id earum genus deſignari putant, quod ptyadum nomine inſignitur, utpote quod ſuo loco ſtans, venenum procul mittat, atque exſpuat. Non abſimilis eſt huic apud Jacobum locus cap. 3. 8, ubi de lingua in genere dicit, eam eſſe plenam veneno lethifero.

Verſ. 14. Quartus locus extat Pſal. 10. 7: *Quorum os maledictione*, ſeu *diris*, *& amarulentia plenum eſt*. In Pſalmo ſingulare quidem eſt, *os ejus*, id eſt impii: ſed oratio eſt generalis, q. d. cujuſvis impii. In Hebræo, pro *amarulentia*, eſt *dolis*. Sed Græcam interpretationem citat Paulus: nec ad ſcopum ejus quicquam intereſt, ſive hoc, ſive illo modo verba legas, citeſve: neque enim de certo peccati genere adeo laborat Paulus; ſed de peccato in univerſum. Quanquam utraque illa peccata, doli nimirum & amarulentia, in eo conveniunt, quod lingua exerceantur, qua homines omnium creberrimè peccant qua de re vide caput 3 modo citatum, epiſt: Jacobi, ubi etiam nominatim maledictionem, ſeu diras, quibus alii alios devovere vulgo ſolent, commemorat. *Amarulentia* paulo latius patet, quam exſecratio. Nam & hanc in ſe complectitur, & cætera omnia dictorum genera, quibus odium adverſus alterum declaratur, quæque adeo felle quodam ſunt condita, & alteri inſuavia atque acerba. At quid hujusmodi dictis, præſertim apud eos, qui a Chriſto ſunt alieni, frequentius?

Verſ. 15. Quintus locus deſumtus eſt ex Eſaiæ 59. ℣. 7, 8: *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.*

Verſ. 16. 17. *Contritio & calamitas in viis eorum: & viam pacis non noverunt.* Omittit quædam Prophetæ verba Apoſtolus, ſed ſine nulla ſenſus injuria, ut quivis Prophetæ locum inſpiciens per ſe videbit. Ait igitur propheta, omnium Judæorum peccata graviter

graviter accuſans, eos inter alia ſcelera, quæ deſignent, inprimis ad cædem eſſe promtos, eos quocunque ſe vertant, vaſtitatem facere, omnia conterere ac perdere, calamitatem ubique inferre, undique ſtragem edere: nihil illos noſſe agere amicè ac pacificè: ſed omnia hoſtiliter, *Via* enim *pacis*, eſt ratio agendi pacificè atque amicè. Hanc illi *neſciviſſe* dicuntur, quia eam ſequi & obſervare noluerint, vel non conſueverint. Sic Ierem. 4. dicitur Iſraëlitas *neſciiſſe benefacere*, hoc eſt noluiſſe, vel non conſueviſſe, perinde ac ſi neſcirent id facere. Tempora autem illa, quibus iſta ſcripſit Propheta, imaginem exhibuerunt temporum Meſſiæ, ut rectè ad Iudæos Chriſti tempore viventes iſtud Eſaiæ dictum potuerit referre apoſtolus, quanquam interim, ſi ea verba ad omnes prorſus Iudæos Chriſti tempore viventes referre velis, ut ſcopus apoſtoli poſtulat, neceſſe eſt ſub graviſſimis illis peccatorum ac nocumentorum, quibus proximus afficiatur, generibus, alia etiam minora ac leviora intelligere, quibus vulgo alii alios lædunt.

Verſ. 18. Vltimum teſtimonium iterum, ut prima quatuor, deſumtum eſt ex *P*ſal. 36. 1: *Non eſt timor Dei coram oculis eorum*, ad Dei timorem in actionibus ſuis non reſpiciunt; ſimpliciter, Deum non metuunt; ejus ſupplicia non timent; ideoque agunt quod libet, ſine metu, ſine pudore peccant. Hæc quoque verba de impiis, inimicisque ſuis extulit David, ut tum ex toto *P*ſalmi initio, tum ex ejuſdem fine, hoc eſt ℣ſ. 12 & 13 intelligitur. Quomodo autem ad præſens inſtitutum pertineant, & ad omnes Iudæos extra Chriſtum ſpectatos extendi jure queant, ſatis explicatum eſt in primo teſtimonio.

Verſ. 19. *Scimus autem quod quæcunque Lex dicit, iis qui in Lege [ſunt] loquitur.* Occupatio eſt. *P*oterat enim aliquis Iudæorum dicere: quid iſta ad nos? non de nobis, ſed de impiis tantum gentibus iſta ſunt intelligenda. Reſpondet apoſtolus: imo vero de Iudæis, quibus Lex lata eſt, iſta intelligenda ſunt. Conſtat enim inter nos, ea quæ in Lege, ſeu in Veteris Fœderis ſcriptis, quæ unum cum Lege corpus conſtituunt, & ad eam illuſtrandam aut inculcandam ſpectant, ſcripta ſunt, ad eos, quibus Lex lata eſt, ſpectare, & de iis ſcripta eſſe. Non enim excipi poſſunt, niſi ea, quæ nominatim atque apertè de ſolis gentibus extraneis inibi conſignata extant. Cætera omnia, quæ de hominibus dicuntur, ſive nomen Iudæorum in iis habeatur, ſive minus, modo aperte ad ſolas gentes non referantur, ad Iudæos ſpectant. Ait autem *Scimus*, quia apparet, id inter Iudæos in confeſſo fuiſſe. Nam & ipſa ratio id ſuadebat. De quonam enim hominum genere ea potius intelligenda ſunt, quæ indefinitè in libris ad legem aliquo modo ſpectantibus ſcripta ſunt, quam de eo, cui lex eſt lata, & ad quod libri omnes ad eam ſpectantes propriè pertinent? Iam vero in locis è Davide citatis (nam de loco Eſaiæ quin ad Iudæos pertineat dubium eſt nullum) vel de hominibus generatim omnibus, ac porro etiam de Iudæis eſt ſermo, vel ſaltem nihil eſt additum, quod ſignificet de ſolis gentibus eſſe ſermonem. Imo cum David de hoſtibus ſuis loquitur, gentium nulla facta mentione, potius de iis loquitur, quos inter ſuos gentiles habuit, qualis fuit Saul & ipſius aſſeclæ, quam de extraneis.

Cum autem dicit, *iis, qui ſunt in Lege loquitur*, non negat fieri poſſe, ut etiam gentibus ſimul loquatur, ſed negat his ſolis loqui. Semper ergo cum indefinitè de hominibus loquitur Vet: Fœderis ſcriptura, Iudæis loquitur, ſed non ſemper ſolis. *in Lege eſſe*, eſt ſub Lege eſſe, ſeu Legem ſibi latam habere. Sic 1 Cor. 9. 21. *Lex* autem duplici modo in hoc verſic: ſumitur: priori modo pro libris Vet: Teſtamenti; (neque enim ex ipſa Lege Moſis apoſtolus ullum teſtimonium citaverat, ſed tantum ex Davide, & Eſaia) Pars enim Vet: Teſtamenti princeps, nempe Lex Moſaica, ad quam reliquæ omnes quodammodo referuntur, & ex qua pendent, pro toto Vet: Teſtamento per Synecdochen ponitur. Poſteriori loco propriè pro ipſa lege ſumitur. Non prorſus quidem eadem, ſed ſimilis tamen antanaclaſis eſt in eadem voce paulo poſt, verſ. 21, & Galat. 4. 21.

*Ut omne os obturetur.* Hæc verba non pendent ex proximis tantum, ſed etiam, & quidem multo magis, ex verbis ſuperioribus, hoc eſt, ex teſtimoniis illis, quibus demonſtratum fuit, Iudæos non minus, quam gentes extraneas, peccaſſe. Poſſunt autem hæc verba tum de conſilio ac fine accipi, quem Deus, cum iſta ſcribi in ſacris literis voluit, ſpectarit; tum de eventu; de quo ſi loqui velimus apoſtolum, particula ἵνα poſita cenſebitur pro ὥστε q. d. *adeo ut*, quo pacto ſumitur Ioh. 5. 20. 2 Cor. 1. 17. Apoc. 9. 20. Simili ratione vidimus ſupra cap. 1. 20 verba illa *ut ſint ipſi inexcuſabiles*, de eventu accipi. Dicit autem, ut *omne os* obturetur, hoc eſt tam Iudæorum, quam gentium. obturatur autem eorum os, dum omnis illis excuſatio adimitur, omnis de meritis ſuis deque juſtitia ſua gloriandi materia: dum ita convincuntur peccati, ut coram *D*ei tribunali cogantur obmuteſcere, nihil habentes, quo ſe defendant.

*Et obnoxius fiat totus mundus Deo*, & hoc pacto omnes totius mundi homines, ademta illis omni excuſatione ac defenſione ſui, penitus obnoxii ſint condemnationi, ac pœnæ divinæ, vel obnoxii eſſe manifeſtè appareant. Sic enim ſupra ℣ſ. 4 vox γίνεσθαι *fieri*, ſumta fuit, pro manifeſtè apparere. Ὑπόδικος ſignificat *juri*, nempe alieno, *obnoxium*. hoc loco autem agitur de jure ad pœnam, ſeu de obſtrictione ad pœnam ac ſupplicium. Hucuſque ſecunda capitis pars.

Sequitur tertia in qua, ut diximus, apoſtolus argumentationem ſuam, cap. 1 verſ. 18 cœptam, concludens, oſtendit neminem ex operibus Legis juſtificari, ſed omnibus ex fide, & quidem ex fide Ieſu Chriſti, juſtificationem petendam eſſe; id quod ex priori concluditur. Oſtendimus enim d. l. cap. 1 nullum reſtare alium juſtificationis modum. Quare ſi ex operibus non juſtificantur homines, ex fide eos juſtificari neceſſe eſt. Primo ergo ſententiam prioris concluſionis exprimit, & eam denuo confirmat: deinde ad alteram ejus partem, quam ex priori conſequi diximus, tranſit, & illam quoque tum explicat, tum confirmat.

Verſ. 20. Priorem autem illam ita exprimit, ut videatur rationem quandam velle præcedentium afferre. Ait enim: *propterea quod ex operibus Legis non juſtificatur omnis caro coram eo.* Interpretes quidam recentiores vocem διότι quæ propriè ſignificat *propterea quod*, vertunt *propterea*, quaſi ſcriptum eſſet διό, nempe quia manifeſtum ſit, in his verbis concluſionem contineri ſuperiorum. Et ſententia quidem congruit; verum non eſt fortaſſe neceſſe, a propria vocis ſignificatione recedere, præſertim cum nullum ab illis exemplum iſtius ſignificatus particulæ διότι, quem hoc loco habere volunt, afferatur. Animadvertendum enim eſt id,

quod in Epiſt. ad Galat. 2. 16 ab interpretibus iiſdem verbis notatum eſt, reſpicere hic Paulum ad verba *Pſal.* 143. 2, ubi cum dixiſſet David: *Ne intres in judicium cum ſervo tuo*, hoc eſt ne jure mecum agas, nec pro meritis me tractes, rationem ſubjicit: *quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* quorum verborum ſententiam exactè repræſentat Paulus, cum ait: *Propterea quod ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro coram eo*; nempe Deo. perinde enim eſt ac ſi dixiſſet David, quemadmodum etiam in Epiſtola ad Galatas explicuimus: quia ſi velis jure tuo uti, & opera hominis ad Legis tuæ normam exigere, atque ex iis ſententiam de eo ferre, nemo a te juſtus pronuntiabitur, quod idem revera Paulus in iis, de quibus agimus verbis aſſerit. Quare cum ea non tam pro ipſius, quam pro Scripturæ verbis, proque divino teſtimonio haberi deberent, quod ſua luce lucere poſſet, efficereque ut etiam proximè præcedentia tanto facilius admitterentur; dicere potuit διότι, *propterea quod*: præſertim quia etiam in ipſo ſcripturæ loco, unde ſententia illa depromta eſt, conjunctio Cauſalis illi eſt præfixa. quaſi dixiſſet apoſtolus, Nempe quia, ut eſt apud Davidem, coram Deo nemo ex operibus Legis juſtificatur, hoc eſt nemo ideo juſtus a Deo pronuntiatur, ac ut juſto convenit, tractatur, quia opera illa, quæ Lex præcipit, præſtiterit, ſeu per totam vitam in omnibus Deo paruerit: ſiquidem nemo id fecit. Ex effectu ergo, qui teſtimonio Scripturæ confirmatur, poteſt colligi cauſa. quanquam alias contra, a cauſa ad effectum progreditur, & ex eo quod omnes peccaverint, docet, neminem ex operibus Legis juſtificari. Voce ergo *operum*, præſertim cum nomen Legis ſit additum, non qualiacunque opera bona, ſed opera κατ' ἐξοχὴν ſic dicta, nempe perfecta intelliguntur, qualia Lex Moſaica ab iis requirebat, qui juſtifieationem ejus vi adipiſci vellent, opera, inquam, ejusmodi, quæ juſtificationem ſua vi mererentur, ut infra cap. 4. 4 apparebit. Nam ſi etiam imperfecta intelligerentur, poſſent ea in homines quosvis cadere. in quovis ſane homine, qui fide juſtificari velit, ea reperiri eſt neceſſe, ut omnes fatentur, & apertè docet Jacobus cap. 2, & d. Nec ſequeretur, omnes peccarunt, ergo opera Legis non habent. Poſſent enim ejusmodi opera etiam in eum cadere, qui peccaſſet. Sed hac de re dictum eſt fuſius 2 cap. Gal. ℣. 16. *Legis* autem nomine, hoc & aliis locis ſimilibus, legem itidem κατ' ἐξοχὴν ſic dictam, nempe legem Moſaicam intelligimus, eamque ſolam, non vero etiam legem naturalem. Nec enim obſtat, quod in Græco articulus non ſit præfixus: ſiquidem & ſup. cap. 2 aliquoties eadem voce ſine articulo, Lex Moſaica intelligitur, verſ. 12, 14, 23, 25, & inf. cap. 5. 13, 20, & alibi ſæpe. Interim tamen ſtatuendum eſt, *opera* legis h. l. per ſynecdochen intelligi quævis opera perfecta, ſeu quamvis exactam ac perfectam pietatem, ac divinæ voluntatis executionem per totam vitam continuatam: ſpecies, nimirum eximia, pro toto genere ponitur.

Voces *coram Deo*, opponuntur judicio hominum. q. d. coram hominibus quidem, ſeu hominum quidem judicio, poſſet quiſpiam cenſeri legem exactè ſervaſſe, & porro juſtus ea de cauſa pronunciari: ſed non Dei judicio, qui altius penetrat. Homines faciem ſeu externa reſpicere ſolent; Deus cor cernit: ad multa connivent homines, quæ Deus, qui ex vero rem quamque æſtimat, improbat ac damnat. Modus loquendi Hebraicus, *omnis caro non vivificabitur*, pro Nulla caro vivificabitur: de quo diximus etiam l. d. Galat. 2. 16. ejuſdem exempla habes inter alia Matthæi 24. 22. 1 Johan. 3. 15. *Caro* pro homine, Synecdoche Hebræis uſitata: quæ inter alia occurrit etiam in loco modo dicto, Matth. 24. 22.

Rationem autem dicti iterum ſubjicit Paulus, dum ita porro ait: *per Legem enim cognitio peccati*, q. d. nam per legem, tantum abeſt ut juſtus pronuntieris, ut potius inde agnoſcas te peccaſſe. Si ad legem provocare volueris, non modo non juſtificaberis, ſed peccati potius accuſaberis, convinceris, damnaberis. Argumentum ductum eſt a contrario. Non enim de eo ſimpliciter loqui videtur Apoſtolus, quod Lex generatim oſtendat, quidnam ſit peccatum: nam inde non ſequitur protinus, niſi quid addatur aliud, neminem per legem juſtificari: ſed de eo, quod ex lege agnoſcamus, vel aperte agnoſcatur, nos peccaſſe. Inde enim rectè colligitur, nos per eam haudquaquam juſtificari, ſeu juſtos ac innocentes declarari, ac præmio juſtitiæ dignos judicari. Illud autem, quod aſſerit Paulus, Lex ea ratione præſtat, quod oſtendat, quid facere debuerimus, quid noſtri fuerit officii. Cum vero ea, quæ Lex præcipit, nemo perpetuo fecerit, idque conſcientia uniuſcujuſque facilè teſtetur, quid reſtat aliud, quam ut ex lege agnoſcamus nos peccaſſe, ac pœna dignos eſſe? Quodſi quis per legem hoc loco, nt paulo ante in priori verſiculi præcedentis parte, velit intelligere non ipſa præcepta legis Moſaicæ, ſed univerſa Veteris Fœderis ſcripta, ad legem Moſis aliquomodo pertinentia; jam ſatis apparuit, quomodo ex illis agnoſcatur nos peccaſſe. Erit autem hoc pacto ratio iſta brevis quædam repetitio eorum, quæ a ℣. 10 uſque ad 20 dicta ſunt: ac denuo antanaclaſis erit in verbis apoſtoli. q. d. Si enim ad legem provoces, tantum abeſt ut ea te juſtum ſit pronuntiatura, ut potius te damnatura; cum ſcriptis ad legem aliqua ratione ſpectantibus, tam aperte, ut vidimus, agnoſcatur, nos peccaſſe; ita ut jure dici queat, nos legis voce jam damnatos eſſe.

Verſ. 21. *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei revelata eſt.* Sequitur altera concluſio, ſeu mavis altera concluſionis apoſtolicæ pars, quæ ex priori fluit. Sublato enim illo juſtificationis modo, qui eſt per legem, ejuſve operibus, ſtabilitur modus juſtificationis qui eſt ſine lege, per fidem Jeſu Chriſti: ſi modo ponatur extare aliquem juſtificationis adipiſcendæ modum. Verum noluit id apoſtolus pro conceſſo ſumere, ſed potius aliqua ratione comprobare. Vnde factum eſt, ut ſententia iſtius, quam diximus, concluſionis non inferat concluſionis inſtar, ſed per quandam oppoſitionem, tacitæ objectionis occupationem. Potuiſſet enim quiſpiam ſuperiora audiens ita cogitare: Ergo actum eſt de nobis, juſtificationis adipiſcendæ ratio nulla eſt: ſiquidem legis, atque adeo ipſius Dei voce damnamur. Reſpondet apoſtolus, non eſſe quod de juſtificatione deſperemus. Eſſe enim nunc patefactum talem juſtificationis coram Deo obtinendę modum, qui legis implendę conditioné non includat, ſed fidem tantum in Chriſtum poſtulet. q. d. Veruntamen non eſt quod de juſtificatione deſperemus, ac de nobis jam penitus actum eſſe putemus, non eſt quod putemus, nullum reſtare modum, quo a damnatione legis abſolvamur. Etſi enim Deus antea ejuſmodi juſtificationis rationem patefecerit, quæ legis implendæ conditionem habuerit additam, utpote quam ipſamet Lex præſcripſerit; nunc tamen aliam ejuſdem con-

conſequendæ rationem nobis revelavit, quæ Legis implendæ conditionem non includit, ſed fide in Ieſum Chriſtum contenta eſt. Hanc ſi amplectamur, non eſt nobis metuenda Legis damnatio. Nonnulli interpretes voces *νυνὶ δὲ nunc vero*, ſumunt pro *atqui*, ut alibi nonnunquam accipitur, præſertim in explicandis ratiocinationum aſſumtionibus: ſed hic nil eſt neceſſe a vocum proprietate recedere. Imo cum hic concluſio potius quædam contineatur ſuperiorum, quanquam per prolepſin, ut vidimus, illata; vox *atqui* locum non habet. Itaque tacita potius hic eſt inter tempus præſens & tempora antecedentia oppoſitio, & ad objectionem tacitam reſponſio. Poterat enim aliquis urgere: Atqui *Deus* in Lege juſtificationem per ipſam Legem, ſeu exactam ejus obſervationem quærere juſſit: hunc juſtificationis conſequendæ modum hominibus propoſuit. Reſpondet Apoſtolus, antea quidem patefactam fuiſſe juſtificationem, quæ per Legem, ſeu per exactam Legis obſervationem ſit obtinenda: hoc tamen tempore per Euangelium alium ejuſdem adipiſcendæ modum a Deo revelari, vel revelatum eſſe. Diſtinguenda igitur eſſe tempora; aliam eſſe rationem temporum ante Chriſtum, ſeu ante euangelium, ubi viguit ſeveritas: aliam a Chriſto, ſeu ſub euangelio, ubi regnare cœpit gratia. Repetit hoc & ſeq. verſ. apoſtolus id, quod ſup. cap. 16 & 17 in principali propoſitione, quam ad hunc uſque locum fuſe comprobaverat, nempe, *in euangelio revelari juſtitiam Dei ex fide* aſſeruerat, & ſic eo unde profectus fuerat, redit. Id enim, quod primum fuerat propoſitio, poſtea fit concluſio. Non fuit igitur antè Chriſtum hominibus patefactus modus juſtificationis adipiſcendæ per fidem, ita nimirum ut Deus apertè pronunciaret ac promitteret, ſe quemvis hominem, qui modo fidem habeat, juſtificaturum: imo longe alius, & iſti aliqua ratione oppoſitus, juſtificationis adipiſcendæ modus in Lege Moſaica fuit propoſitus, & ipſi fœderi antiquo, quod cum Iſraëlitis pactum fuit, incluſus. licet interim, ut ſtatim ſubjiciet apoſtolus, in Veteris fœderis ſcriptis non obſcura extarent indicia, Deum aliquando illum juſtificationis modum, qui eſt per fidem, hominibus propoſiturum, imo eodem in hominibus & ante legem, & ſub ipſa Lege juſtificandis uſum eſſe. Licuit enim Deo etiam id, quod non promiſit, hominibus donare, licebitque ſemper, ſi res ipſa cæteroqui Deo ſit digna, ejuſque ſapientiæ & æquitati conſentanea. Licuit etiam *Deo*, Legis, quam ipſe fixit, ſeveritatem relaxare, & mitius cum hominibus agere, quam in ea fuerat comminatus: cum id non modo ſine ulla injuria, ſed etiam magna clementiæ laude, facere poſſet. Verum omnis hujuſmodi relaxatio ac indulgentia extraordinaria eſt. Nunc res eadem, poſtquam apertum ea de re promiſſum intervenit, eſtque id fœderi per Chriſtum cum hominibus pacto incluſum, ordinaria neceſſariaque evaſit; ita ut Deus, ſalva fide ac juſtitia ſua, negare juſtificationem credentibus non poſſit.

*Juſtitiam Dei*, vocat juſtificationem coram Deo, ſeu qua Deus ipſe nos juſtificet, non homo tantum aliquis. Genitivus eſt cauſæ efficientis. Reſpondent hæc verba illis verſiculi ſuperioris, *juſtificabitur coram eo*, nempe Deo. Quid enim nobis prodeſſet, in rebus ad ſalutem noſtram ſpectantibus juſtificatio, a cujuscunque tandem mortalis judicio ac ſententia profecta? Eodem modo *juſtitiam Dei* ſumi vidimus ſup. cap. 1. 17, & in ſequenti hujus capitis verſiculo iterum videbimus; quin etiam ex parte aliqua infra 25, 26. Voces *ſine lege*, opponuntur illis *ex operibus Legis*, ℣. præced. reſpondent autem illis, *per fidem Jeſu Chriſti*, verſic. ſeq. Quare ut iſtæ voces cohærent nomini *juſtitiæ Dei*, ita & illæ, *ſine Lege*, ſignificant, ut diximus, juſtificationem ſine operibus Legis obtinendam, ſeu cui Legis præſtandæ conditio non ſit appoſita. Quodſi omnino urgeas, eas cum verbo *revelata eſt* conjungendas, idem tamen ſenſus erit retinendus, nempe ita revelatam eſſe Dei juſtitiam, ut Legis implendæ conditio non ſit addita.

Addit autem ad commendandam ac comprobandam illam tunc recens in euangelio petefactam, *teſtimonium habens a Lege & Prophetis*, ut ita tacitæ Iudæorum præſertim objectioni occurreret. Potuiſſet enim quiſpiam vel ita cogitare: erroneam ac planè falſam eſſe iſtam juſtificationis rationem ob id ipſum, quod ſine Lege ſit: Illa, quę per Legis opera ſit obtinenda, divinis literis nobis eſt commendata; ſed illa, quam tu Paule narras, quo divino teſtimonio comprobatur? Reſpondet apoſtolus, hanc quoque juſtificationis rationem, utut legis implendæ conditionem non habeat additam, nihilominus tamen divinis teſtimoniis, quæ in Lege ac Prophetarum ſcriptis extent, confirmari atque approbari. Per legem hoc loco Moſis inprimis libros, in quibus Lex deſcripta eſt, intelligit: Prophetarum autem nomine libros propheticos, quibus etiam Pſalmi annumerandi ſunt, qui interdum a Propheticis libris diſtinguuntur. Vide Luc. 24. 44. Extant autem teſtimonia de juſtificatione abſque Legis operibus, tum in ipſis libris Moſis, ut ex hiſtoria Abrahami patet, qua de re cap. ſequentis initio, & Galat. 3. 6 & d. tum in Propheticis, ſiquidem & ſupra cap. 1. 17 citatus fuit ex Habacuco ea de re locus, & cap. ſeq. verſ. 6, 7, 8 verba Davidis Pſal. 32. 1, 2, & infra cap. 9 ℣. ult. & 10, 11 locus Eſai. 28. 16, & verſ. 13 ejusdem cap. 10 locus Joëlis 2. 32, qui eandem ſententiam continent. Breviter omnia huc pertinent loca, in quibus ſignificant prophetæ, fore ut per nomen Chriſti omnes peccatorum remiſſionem conſequantur, quotquot in ipſum credunt; id quod omnes prophetas teſtari Petrus ait Actor. 10. 43. qua de re diximus ſup. cap. 1. 2. Vide etiam Joh. 5. 39, 40, 46.

Verſ. 22. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes credentes.* Particula δὲ *autem*, hoc loco ſervit Epanalepſi, & poſita eſt pro *inquam*, quam vocem recentiores quidam Interpretes in verſionibus ſuis pro illa repoſuerunt. quo pacto etiam videtur ſumi infra cap. 6. 18, & 2 Cor. 5. 8. q. d. Juſtitia, inquam, Dei per fidem. Melius enim adhuc explicat, cujusmodi ſit illa juſtificatio, quam hoc demum tempore revelatam eſſe dixerat, & quiſnam ſit ejus aſſequendæ modus. Explicuerat id in præcedentibus negativè tantum, ut loquuntur, ſeu per remotionem modi legalis, ſeu per Legis opera conſequendi juſtificationem: nunc idem affirmativè, atque adeo longè clarius explicat, dum docet, per fidem, & per fidem quidem in Chriſtum eam obtinendam eſſe: & præterea eam omnibus hominibus eſſe communem, non vero unius alicujus gentis propriamquemadmodum olim legalis ille Judæis proprie fuerat traditus. Ita ut hic contineatur complementum concluſionis apoſtolicæ, & id quoque repetatur quod ſup. cap. 1. verſ. 16, in principali propoſitione dictum fuerat, nempe Euangelium ſalutem afferre, *omni credenti, & Judæo primum & Græco.*

*Græco.* nempe quia juſtificationem, quæ ſalutem omnino ſecum trahit, per fidem obtinendam patefacit, ut ſeq. verſiculo fuerat additum.

Modus ergo aſſequendi juſtificationem apud Deum (hanc enim per *juſtitiam Dei* intelligi, jam diximus ℣. præced.) in euangelio propoſitus, eſt *fides Jeſu Chriſti*, hoc eſt fides illa, quam Jeſus Chriſtus tradidit ac præſcripſit; ut ſit genitivus cauſæ efficientis. Sic opus Dei, opus Domini, eſt quod a Deo ac Chriſto præcipitur, & ei vehementer placet: vel (quod reipſa tandem eodem redit) fides Chriſti, eſt fides in Chriſtum collocata, sive adhibita, ut ſit Genitivus objecti. qua de re diximus Gal. 2.16, ubi etiam explicuimus, Fidem abſolutè poſitam differre a fide Jeſu Chriſti, ut genus a ſpecie. Fide quidem omnes juſtificatos fuiſſe, quotquot ab initio mundi fuerunt juſtificati: ſed non omnes fide in Chriſtum. hac enim ſub Novo demum Fœdere homines juſtificantur: & ſine ea nemo hodie vi fœderis illius juſtificari ullo modo poteſt. Quare apoſtolus, ne quis de alia fortè fide cogitet, quæ etiam in Judæum ſoli Legi addictum, in Chriſtum credere nolentem poſſit cadere; ſpecialiter explicat, quænam fides hic requiratur. Itaque etiamſi in ſequentibus nonnunquam, quatenus de hominibus ſub Novo Fœdere viventibus loquitur, fidei ſimpliciter faciat mentionem; ſemper tamen ea illius ſpecies intelligenda eſt, quæ omnium eſt excellentiſſima, & hodie nominatim nobis præcepta, nempe in Chriſtum. præſertim cum jure dici queat, illum ne Deo quidem revera credere, qui Chriſto non credit, ſi modo ullam habeat occaſionem in eum credendi. Siquidem is, qui non credit in Chriſtum, mendacem facit Deum, ut ſup. verſ. 4 ex Johanne docuimus.

Quid autem fides de qua ſermo eſt, in ſe complectatur, docuimus itidem fuſe, dicto paulo ante loco Gal. 2.16. Breviter, fides in Deum ac Chriſtum (ut de hac quoque nominatim agamus) eſt ejuſmodi in ipſum collocata fiducia, ut eum non modo exiſtere credas, ſed etiam remuneratorem eſſe eorum, qui ipſum quærunt, hoc eſt ejus favorem recte factis ambiunt; ac porro ut ejus remunerationis ſias particeps, ei reipſa pareas, ac pro viribus placere ſtudeas. Complementum enim fidei, ut Jacobus docet, ſunt bona opera, quæ ubi ad fidem ſtrictè ac proprie ſic dictam accedunt, tum demum eam animant, & vim perfectè nos juſtificandi ei largiuntur, cum alioqui fides ſit mortua, ſeu vim hujusmodi non habeat. Unde cum fidei ſoli perfecta juſtificatio aut ſalus adſcribitur, bona opera in ea per metonymiam efficientis cum ſynecdoche quadam conjunctam ſunt intelligenda. Incipit quidem aliqua ratione juſtificatio, cum quis primum in *Deo* ac Chriſto fiduciam ſuam collocat, & remunerationem ab ipſo, ſi ei pareat, ſperat, etiamſi nondum opere ipſo Deo paruerit: ſed primum in ea ipſa quoque fide licet imperfecta adhuc includitur conſilium ac decretum animi firmum Deo in poſterum parendi, & ea mutatio animi in melius, quæ μετάνοια hoc eſt, *pœnitentiæ* vel *reſipiſcentiæ* potius nomine in Sac. Lit. exprimitur, cum a bonis operibus, tanquam fructibus ſuis diſtinguitur. hæc enim non minus, quam ipſa fides, ab omnibus, qui remiſſionem peccatorum conſequi, & ſic juſtificari velint, requiritur. Deinde, ſi illud animi decretum, quod fides illa ſtatim ex ſe parit, & in ſe quodammodo comprehendit, ad effectum non deducatur, omnis fidei fructus perit, eaque plane redditur irrita, ac pro nulla habetur. Quemadmodum enim in homine, qui credere Deo ac Chriſto incipit, animus eſt ac conſilium *Deo* parendi, ut præmium pietati ab eo propoſitum conſequatur: ita etiam Deus ſtatim animum, ut ita dicam, habet, ei præmium juſtitiæ, quod antea obtulerat, tribuendi, ei id apud ſe quodammodo jam deſtinat, & reponit; id quod juſtificationis quodammodo eſt initium. Sed ſi ille iſtud animi ſui decretum non exſequatur, ceſſat etiam divinum illud de ipſo decretum ejusve effectus; utpote a conditione adhuc pendens, qua non impleta, jure etiam non implentur ea, quæ ſub illa fuerant decreta. Fidei autem omnia illa adſcribuntur: quia fides ſtrictius ac magis proprie ſumta operum bonorum eſt cauſa, & quia, ut diximus, ab ea primum incipit juſtificatio; quia denique ea bonis operibus ſingulare quoddam pretium addit. qua de re d. l. Galat. 2.16. ubi etiam prolixè explicatum eſt, quo pacto fides illa, cui juſtificatio ac ſalus in ſac. Literis ſumpliciter adſcribi ſolet, operibus a Paulo opponatur: oſtenſum enim eſt, eam non opponi operibus quibusvis, ſed operibus κατ' ἐξοχὴν ſic dictis, hoc eſt operibus perfectis quæ ſua vi juſtificationem mererentur, de quibus diximus etiam nonnihil paulo ante verſ. 20. Cauſas, cur ita inter ſe opponantur opera & Fides, vide, ſi placet, iſto ad Gal. loco.

*In omnes & ſuper omnes credentes.* Oſtendit hanc juſtificationem, ejusque adipiſcendæ rationem, omnibus omnino hominibus eſſe communem: ne quis putet Judæos quidem per Legem, Gentes autem ſolas per fidem juſtificari. Voces *in omnes*, magis videntur ſignificare ſcopum ac finem, q. d. quæ omnibus offertur, ſeu quæ omnibus, nempe credentibus, nullo habito gentis, nullo perſonarum diſcrimine, deſtinatur; verba vero *ſuper omnes credentes*, magis deſignant eventum, ſeu effectum rei, q. d. quæ ſuper omnes credentes reipſa etiam redundat, vel redundare debet, reipſa illis contingit, aut continget. Voce *credentes*, iterum inculcat conditionem, qua interveniente Deus homines juſtificare velit, & in qua una, ita ut diximus, acquieſcat: ut iterum excludat *opera Legis*.

*Non eſt enim diſcrimen.* Rationem affert, cur dixerit, *in omnes & ſuper omnes* credentes; quandoquidem, ut diximus, exiſtimare quis poterat, aliam eſſe Judæorum, aliam gentium extranearum, in juſtificationis negotio rationem: illos per legem, has per fidem juſtificari. Huic igitur opinioni occurrens apoſtolus, ait, nullum eſſe inter nationes perſonasve in eo, de quo agitur, negotio, hoc eſt in ratione juſtificationis adipiſcendæ, diſcrimen: omnes, cujuſcunque nationis, cujuſcunque etiam ſtatus, conditionis, ſexus, (nam & hæc diverſitas alicubi commemoratur Gal. 3.27,28. Col. 3.11.) omnes, inquam, æque, per fidem, eam debere adipiſci. Reſtringi verba debent ad ſubjectam materiam. Nam cæteroqui magnum eſſe inter nationes diverſas diſcrimen, etiam in rebus ad religionem pertinentibus, vidimus ſup. verſ. 2.

Verſ. 23. *Omnes enim peccaverunt, & deſtituuntur gloria Dei.* Proximè dictum iterum probat, per occupationem objectionis: quæ ratio probandi Paulo eſt familiariſſima. Dicere enim quis poterat: quidni diſcrimen aliquod ſit inter gentes perſonasve? Conveniens potius eſt, ut Judæi quibus Lex lata eſt, per legem; gentes, quibus ea lata non eſt, per fidem juſtificentur: vel ſaltem, ut aliqui ex Judæis, nempe probiores, ex Lege juſtificentur, cæteri ex fide. Reſponder

apo-

Apoſtolus, haudquaquam ita ſe rem habere: quandoquidem omnes peccaverint, quemadmodum antea oſtenſum eſt, & ſic gloria Dei deſtituantur. Quare cum per Legem juſtificari nemo poſſit, (nunquam enim peccaſſe oportuit) id reliquum eſt, ut quiſquis juſtificari cupit, per fidem juſtificetur. ſiquidem nullus reſtet alius juſtificationis modus. Lex poſtulat, ut omnia Dei præcepta perpetuo ſerves: ſiquidem maledictionem comminatur omnibus, quicunque non permanſerint in omnibus (hoc eſt, perpetuo non ſervarint) quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut ex Deut. 27 ult. docet apoſtolus noſter Galat. 3. 10. Quare ſi vel ſemel peccaveris, maledictioni, vi Legis, ſubjicieris. maledictio autem juſtificationi è diametro opponitur. Quod ſi is, qui vel ſemel peccaverit, Legis vi juſtificari non poteſt: quomodo ii, qui & toties, & tam graviter peccaverunt, ut quidem fecerunt omnes homines, per eam juſtificari poſſent?

ὑστεροῦνται, *deſtituuntur, deficiuntur.* In qua voce fruſtra ſe olim torſerunt Interpretes. Metaphora, ut nonnulli annotarunt, ſumta eſt ab iis, qui in curſus certamine, vel alioquin in via, deficientibus viribus, relinquuntur a tergo, ita ut ad metam non perveniant, vel tardius quam oportebat veniant, & ſic fructu laboris excidant. Quo reſpicit etiam Auctor ad Hebr. 4. 1. Omnes homines in curſu rectè factorum defecerunt, nonnulli eum ne ingreſſi quidem ſunt unquam, ideoque gloria ab agonotheta *D*eo illis propoſita carent.

*Gloria Dei*, cum ea ad homines refertur, qui ejus participes aut ſint aut non ſint, de gloria illa cœleſti, ſeu de immortali vita, quæ nobis a Deo parata deſtinataque eſt, accipi ſolet, ut infra cap. 5. 2. 1 Theſ. 2. 12. 1 Pet. 5, 10. Quo pacto ſi hoc etiam loco *gloriam Dei* ſumere velis, ſignificabitur neminem habere jus aliquod ad cœleſte illud regnum, ſtatumque illum glorioſiſſimum, quem *D*eus pararit omnibus, quos pro juſtis habet ac pronunciat: quod perinde eſt ac ſi dicas, neminem ſuorum operum habita ratione juſtificationem mereri, cum qua divina illa gloria ex Dei decreto neceſſario ſit conjuncta. Reipſa enim neminem cœleſtem illam gloriam habere, quis neſcit? Sed non videtur uſquequaque congruere huic loco iſta *gloriæ Dei* ſignificatio. Neque enim veriſimile eſt, apoſtolum hoc loco juſtificationem ſplendido nomine deſcribere voluiſſe, nulla ad eam rem occaſione ſibi data, & ſic tacitè pro conceſſo ſumere, eos omnes, qui juſtificentur, omnino gloriæ illius cœleſtis fore participes, etiam Legis vi inſpecta. Etſi enim alioqui verum eſt, Deum, eos, quos juſtificet, gloriæ ſuæ cœleſtis facturum participes, ut infra docebitur cap. 8. 30: tamen id ex euangelio demum revera patet, non ex Lege: nec eſt gloria illa cœleſtis natura ſua cum juſtificatione conjuncta, ſed ex benigno Dei decreto. nec videntur Judæi, quorum faſtum toto hoc loco retundit apoſtolus, id urſiſſe ac jactaſſe, ſe gloriam illam cœleſtem mereri: ſed mereri ſe, ut a Deo approbentur, ac juſtitiæ laudem apud ipſum obtineant. Quare, ut & aliis quibuſdam interpretibus viſum eſt, per *gloriam Dei* hoc loco potius ſignificatur laus & approbatio, quæ a *D*eo proficiſcatur, & opponitur *gloriæ hominum*, ſeu ab hominibus proficiſcenti, ut ſit genitivus cauſæ efficientis. quo pacto legimus Johan. 12. 44. de Judæorum principibus, *eos dilexiſſe gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*: quod Chriſtus apud eundem Johannem ita extulit: quomodo poteſtis vos credere, *gloriam alii ab aliis accipientes, & gloriam quæ a ſolo Deo* (ſcil. eſt, vel proficiſcitur) *non quæritis?* Iſtiuſmodi autem laus atque approbatio hoc loco intelligitur, quod omnes muneris tui partes penitus expleveris, quod perfectè juſtus atque innocens deprehenſus fueris. Ita enim de ſe gloriabantur Judæi: hanc apud homines, ſeu inter ſe habebant gloriam, ſed non apud Deum. hanc illis Paulus excutere cupit, ut infra intelligemus verſ. 27, & cap. ſeq. verſ. 2.

Verſ. 24. *Juſtificati gratis.* In hoc & tribus ſeqq. verſiculis, apoſtolus totam rationem juſtificationis per fidem, quam ratione manifeſta hucuſque comprobarat, uberius declarat, cauſis illius explicatis. Cum enim in eo conſiſtat principalis totius hujus tractationis ſcopus, ac controverſiæ inter Paulum & Judæos cardo; æquum fuit, ut in eo aliquantum immoraretur. Explicat autem primo cauſas ejus juſtificationis efficientes, tum principalem, tum medias, ſive extra nos, ſive in nobis exiſtentes; deinde finalem. Efficiens principalis eſt *D*eus, ejuſque gratia ſeu benignitas; quam primo loco exprimit: cauſa media extra nos poſita, eſt Chriſtus, et per eum facta redemtio, ad quam inprimis ſanguis ipſius, ſeu mors ejus cruenta ſpectat: in nobis eſt fides quæ eſt conditio, a nobis ad juſtificationem obtinendam præſtanda. Finalis, eſt demonſtratio juſtitiæ *D*ei: cui ſubſervit, & veluti uberem materiam atque occaſionem præbet, prætermiſſio peccatorum antehac in Dei toleantia patratorum. Tranſit autem ad iſtarum cauſarum explicationem, per quandam objectionis occupationem. Cum enim aſſeruiſſet quod omnes peccaverint, & *D*ei gloria careant, ſeu ut explicuimus, approbari a *D*eo, factorum ſuorum habita ratione, ac juſti pronunciari non mereantur; quærere aliquis poſſet: quomodo ergo juſtificabuntur? Actum de illis eſſe videtur. Quis enim juſtus a *D*eo pronunciaretur præter meritum? Reſpondet apoſtolus, primo, haudquaquam de illis actum eſſe: juſtificari enim eos gratis, atque adeo abſque ſuo merito, ex mera nempe Dei benignitate, clementia ac liberalitate.

*Juſtificati.* Participium hoc, quod ad verborum conſtructionem attinet, pendet a verbo ὑστεροῦνται *deſtituuntur*, ut non ſit, quod ad verba attinet, neceſſe id pro indicativo poſitum dicere. Eſt autē Græce præſentis temporis δικαιούμενοι, quo Latini in paſſivis deſtituuntur. Ideo nonnulli Interpretes, ut ſententiā clarius exprimerent, per præſens indicativi reddiderunt: particula *autem*, quā occupationis ſententia poſtulat, inſuper addita, hoc modo: *juſtificantur autem gratis.* Quanquam enim nonnulli malunt poni *igitur*, quam *autem*: rectius tamen, ob cauſam dictam, ſubaudias autem; præſertim cum aliquanto plus in ſeqq. aſſeratur, quam ex proximis colligi poſſet. Vox δωρεὰν *dono* vel *gratis*, opponitur meritis illius cui aliquid datur, & pretio a quocunque tandem profecto, quo compenſetur id quod alteri datur. Gratis enim is demum dat, qui ex mera benignitate ac liberalitate *aliquid* largitur alteri, nullo ipſius vero ac propriè dicto merito, quo jus ſibi ad rem eam repetendam acquiſiverit, provocatus, nullo pretio pro ea accepto: quanquam interim non excludat omnem conditionem. Nam hoc, de quo ſermo eſt donum, nempe juſtificatio, non niſi fide interveniente dari, ipſe urget Apoſtolus: cujus fidei animam eſſe pia opera, jam ſupra vidimus, & infra ipſe Apoſtolus docebit cap. 6. 7, 8. Sed cujus, inquies, tanta

extitit in Gentes benignitas? reſpondet Apoſtolus, *Dei gratia*. Id enim, quod voce *gratis* ſignificaverat, adhuc magis explicaturus, & eum, cujus benignitati hoc donum ſit imputandum, clare deſignaturus, addit, *ipſius*, hoc eſt Dei, cujus iu proxime præcedentibus facta fuerat mentio, *gratia*, hoc eſt ut jam indicavimus, mera benignitate, clementia, liberalitate. Hæc una revera in Deo cauſſa extitit, quæ eum ad tantum beneficium in nos conferendum impulit. Ubi enim merita deſunt, gratiam ſuccedere eſt neceſſe, ſi juſtificationem quiſpiam debeat conſequi. Et hæc de cauſſa efficiente prima.

Sequuntur ſecundæ ſeu intermediæ, inter quas primum locum tenet ea, quæ extra nos poſita eſt, nempe Chriſtus, & redemtio per eum facta; de qua ita ait: *per redemtionem, quæ in Chriſto Jeſu* ſcil. eſt, aut facta eſt. Si quæras, per quem, quave ratione tanta Dei benignitas hominibus contigerit, quo pacto, cum eſſent maledictioni ac morti obnoxii ac mancipati, ex hac dira ſervitute ac captivitate evaſerint; reſpondeo Chriſtum Jeſum eum eſſe, per quem tantum bonum hominibus Dei benignitate contigit; per hunc Deus homines è ſervitute ac captivitate illa maledictionis liberavit, & veluti pretio in eam rem impenſo eos eripuit. Per hunc enim non tantum benigniſſimam hanc ſuam voluntatem, de nobis abſque merito noſtro juſtificandis promulgavit, ſed etiam ſanguine filii ſui confirmavit ac ſanxit, ut hac ratione nobis jus ad remiſſionem peccatorum, ſeu liberationem a peccatorum reatu ac pœna largiretur, in qua juſtificatio noſtra conſiſtit. Unde etiam apparet, merito gratiæ ac benignitati divinæ totum id beneficium in ſolidum imputari. Ab eo enim tum beneficium ipſum, nempe ipſa juſtificatio, tum ejus perficiendæ media ſunt profecta: is filium ſuum & miſit, & pro nobis in mortem dedit, Johan. 3.16, inf. cap. 8.32, & per eum redemtionem nobis fecit. Deo enim ipſi, tanquam cauſſæ primæ, tribui ſolet, quod redemtionem nobis fecerit: vide Luc. 1.68, & confer cum Pſal. Cxi. 9, ad quem locum Zacharias alludere videtur. Unde etiam hoc loco non dicitur, Chriſtum ipſum hanc redemtionem feciſſe, licet id alioqui rectè dici queat, & alibi in ſac. lit. reipſa dicatur; ſed eam *in Chriſto Ieſu*, hoc eſt uſitatiſſimo Hebraiſmo, *per* Jeſum Chriſtum, factam eſſe, intellige a Deo: quemadmodum & Epheſ. 1.7. *in quo* hoc eſt, per quem *habemus redemtionem, per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus*, id eſt Dei. quibus ſimilia extant Coloſſ. 1.14 quibus etiam locis explicatur, quanam in re conſiſtat illa redemtio, nempe in remiſſione ſeu condonatione peccatorum. Remiſſio autem peccatorum nil eſt aliud, quam liberatio a reatu ac pœna peccatorum ex benignitate profecta. Hæc, ſi jus ſpectes, ſtatim proficiſcitur ex promiſſione divina ſeu Fœdere Novo, ſanguine Chriſti confirmato ac ſancito, ſeu mavis, ex ipſa morte Chriſti cruenta, qua Novum fœdus eſt ſtabilitum, in quo remiſſio peccatorum apertiſſimè promittitur: actu autem tum demum contingit, ubi fides acceſſerit, quæ ubi operibus bonis completa fuerit, completur & ipſa peccatorum remiſſio. Hoc loco de jure, quod ad remiſſionem peccatorum per Chriſtum omnes homines ſint adepti, non de actu ipſo ſermo eſt. De voce *redemtionis* diximus non pauca in Epiſt. ad Galat. 3.13. Plura adhuc videri poſſunt in diſput: F. Socini de 1. Chriſto Servatore, parte 2 cap. 1, & ſeqq. & in diſput: noſtra de ſatisfactione Chriſti cap. 8. Oſtendimus autem ea in ſac. lit. cum ad homines paſſivè refertur, ſolere denotari liberationem a ſervitute aut captivitate, & inprimis eam, ad quam perficiendam impendium aliquod intervenerit, etiamſi id nemini revera perſolvatur. Itaque hanc vocem utplurimum vel ſynecdochicè ſumi, ſpecie poſita pro genere: vel per metaphoram ac ſimilitudinem. quemadmodum hoc loco accidit, ubi tanta eſt ſimilitudo inter redemtionem propriè dictam, & liberationem noſtram, ut una tantum conditio deſit, quæ ad propriè dictam redemtionem requiritur. Eſt enim captivus, homo; ſunt hoſtes, qui eum captivum detinent, peccatum, & ejus cauſſa efficiens, diabolus, & effectum, maledictio ſeu mors æterna: eſt, qui captivi liberationem procuret, *Deus & Chriſtus*: eſt pretium ſeu impendium in liberationem factum, Chriſti anima ſeu vita, ejuſdemque ſanguis, atque adeo Chriſtus ipſe, quatenus in mortem eſt traditus. Id unum deeſt, quod nemo pretium acceperit, a Deo ac Chriſto impenſum. Id enim alioqui perſolvendum fuiſſet hoſtibus captivos nos detinentibus, quod fieri nec debuit, nec potuit. Sed hæc fuſius explicata ſunt in ſcriptis paulo antè citatis: in quibus etiam animadvertes vocem ἀπολύτρωσιν ſignificare quoque expiationem, ut Hebr. 9.12,15. Quam ſignificationem ſi hic locum habere velis, non multum pugnabimus. Res enim eodem recidit: eſt enim expiatio liberatio a reatu, præſertim victima interveniente facta. Sed prior ſignificatio uſitatior eſt, & ad gratiam Dei, cui tota juſtificatio adſcribitur, aliquanto accommodatior. Quia vero hac redemtione per Chriſtum facta certitudo juſtificationis gratuitæ, quam Paulus aſſerit, potiſſimum nititur; ideo ut ejus ratio melius intelligatur, eam quodammodo explicat Paulus; & ſimul illam juſtificationis cauſſam interſerit, quæ in nobis ſita eſt, ſeu quæ a nobis tanquam ejus adipiſcendæ conditio requiritur, dum ait:

Verſ. 25. *Quem*, ſcilicet Chriſtum Jeſum, *propoſuit Deus propitiatorium per fidem, in ipſius ſanguine*. Quæ verba, ut rectè intelligantur, animadvertendum eſt, vocem ἱλαστήριον ſeu *propitiatorium*, apud Græcos Veteris teſtamenti interpretes omnium frequentiſſimè deſignare operculum arcæ fœderis, ubi Deus alloqui Moſen, & ſuam erga populum voluntatem declarare ſolebat, ut patet ex Exod. 25.22. xxx. 9, & Num. 7. ult. ibi enim inter Cherubinos ſedere dicebatur, vide 2 Samuelis 6.2. 1 Petri 13.6. Eadem voce ſic uſus eſt Autor Epiſt. ad Hebr. 9.5. Hebraicè enim operculum dicitur *capporet*, quæ vox ab eo deſcendit verbo, quod etiam *expiandi* aut *propitiandi* ſignificationem habet, id *quod* Græcis eſt ἱλάσκεσθαι ſeu *propitiare*. quam ſignificationem hic ſecuti ſunt Græci interpretes, vel quia in eo operculo *Deus* ſe propitium exhibebat, Moſen alloquens, & populo ſuam voluntatem per eum declarans; vel etiam quia coram eo expiatio peragebatur. Ad hoc operculum, tanquam umbram quandam Chriſti, alludit hoc loco Paulus, ut ab aliis etiam obſervatum eſt. Quemadmodum enim olim *Deus*, in operculo illo quodammodo reſidens, ſuam in eo voluntatem populo per Moſen, quem alloquebatur, declaravit: ita etiam *Deus* in Chriſto habitans, in eo, ſeu per eum, voluntatem ſuam, non uni alicui genti, ſed univerſis orbis nationibus declaravit;

ravit; & voluntatem quidem admodum propitiam, benignitatis ac gratiæ pleniſſimam; omnibus enim remiſſionem peccatorum per eundem obtulit, & ſe iniquitatibus eorum propitium fore teſtatus eſt. Quare longè majori jure Chriſtus ἱλαστήριον dici meretur, quam operculum illud, in quo Deus voluntatem ſuam ad legem, cujus ſeveritas nota eſt, ſpectantem aperuit, quodque ipſum ad declarationem illam per ſe nihil contulit. Vide, ſi placet, plura de hac voce, in diſputatione noſtra de ſatisfactione Chriſti cap. 7, partic. 8, & ſeqq. uſque ad 13. ubi etiam deprehendes, tantum abeſſe, ut vel ex hac voce, vel ex toto hoc loco probari poſſit, *D*eum re atque ipſo actu iratum, per Chriſtum demum nobis placatum fuiſſe: ut contrarium potius inde probetur. Cum enim Deus ipſe Chriſtum ultro propitiatorium conſtituerit, per eum remiſſionem peccatorum ac vitam æternam nobis obtulerit, & ut tanti beneficii participes fieremus, unigenitum ſuum filium in mortem acerbiſſimam tradiderit; apparet eum, ira ſponte depoſita, nos ſummopere amaſſe, ut quidem ſac. lit. apertè teſtantur: licet interea, ut hujus beneficii fructum ſentiremus, & eum reipſa ac perfectè propitium experiremur, fidem a nobis requiſierit, & ut cum eo reconciliaremur, hoc eſt ex inimicis ejus amici fieremus, & ad eum toto pectore converteremur, voluerit. qua de re infra cap. 5. verſ. 10, 11. Quodſi ἱλαστήριον, hoc loco idem eſſe velis, quod ἱλασμὸς ſeu propitiatio, quo nomine Joannes Chriſtum inſignit, quia nimirum fit is, per quem peccata noſtra expiantur, hoc eſt nos ab eorum reatu ac pœna liberemur; nihilo magis inde probabitur Dei per Chriſtum placatio: cum hoc ipſum quoque ex ſingulari Dei erga nos amore profectum eſſe idem Joannes doceat. Vide priori Epiſt. Joan. cap. 4. 20. Sed nihil eſt neceſſe, a ſignificatione priori, & pulcherrima alluſione quicquam recedere. Eſt autem, quod Deus Chriſtum propoſuerit propitiatorium, hoc eſt eum in oculis hominum collocarit, quo pacto videtur etiam aliquo modo opponi illi propitiatorio ſub Lege, quod in obſcuro aliquo loco, ab oculis vulgi remoto, poni juſſit. At Chriſtus inter homines apertè verſari, & benigniſſimam *D*ei voluntatem omnibus teſtari voluit.

Addit *per fidem*, hoc eſt fidei, non operum, conditione addita: quemadmodum infra cap. 4. 13 *per Legem*, eſt legis implendæ conditione addita, ut ibi videbimus. Significat igitur, Deum ita ſe propitium mundo per Chriſtum exhibuiſſe, ſeu propitiam ei ſuam voluntatem declaraſſe, ut conditionem nihilominus apponeret, ſed conditionem admodum æquam ac facilem, & benignitati iſti ſuæ admodum conſentaneam: quia non opera legis, non perfectam omnibuſque numeris abſolutam totius vitæ pietatem requiſierit ab eis, qui juſtificari vellent, ſed fidem tantum. quanquam omnis generis pietate, quam fides ex ſe parit fœcundam, ut ſupra explicuimus. Voces autem illæ *in ſanguine ejus*, non cum proximis, præſertim ſolis, cohærent; ſed potius cum illis, *propoſuit propitiatorium*: q. d. eo inprimis Deus propitiam ſuam voluntatem per Chriſtum declaravit, dum ſanguinem ipſius fundi voluit, ut eam apertiſſimè demonſtraret, confirmaret, ac ſanciret. *in ſanguine* igitur, eſt, vel per ſanguinem, interveniente ſanguine, ut Eraſmus vertit: vel, quod eodem recidit, *in ſanguinis fuſione*, ſeu in morte cruenta. Hæc enim apertiſſimum eſt charitatis divinæ erga peccatores argumentum, & maximè propria Novi Fœderis, in quo remiſſio peccatorum omnibus hominibus offertur. qua de re videri poteſt tractatio de vi mortis Chriſti in ſalutis noſtræ negotio, diſputationi noſtræ de ſatisfactione Jeſu Chriſti præmiſſa, & ipſius diſputationis cap. 1. partic. 26. Alludit in voce *ſanguinis*, vel ad fœderum ſanciendorum ritum; mactata enim pecude olim confirmari ac ſanciri ſolebant, unde & Vetus Teſtamentum ita ſancitum fuit, Exo. 24. Hebr. 5. quin & alibi ejus ritus veſtigia in ſacris literis Veteris Fœderis deprehendas. Vide Geneſ. 15. vel alluditur ad ſanguinem victimarum: ſed prior alluſio loco eſt accommodatior, ubi de teſtatione divinæ erga nos benevolentiæ agitur. vide etiam 1 Timot. 2. 6, & confer cum præcedentibus. Ex his apparet tota redemtionis noſtræ, quam *D*eus per Chriſtum Ieſum fecit, ratio. Miſit *D*eus Chriſtum filium ſuum. per eum benigniſſimam ſuam voluntatem de remiſſione peccatorum, deque juſtificatione gratuita, ſola fide obtinenda, mundo declaravit, & ſanguine ejusdem obſignavit. Hac ratione nos in libertatem aſſeruit, & ex peccati, ſeu mavis maledictionis ac mortis ſempiternæ captivitate ac ſervitute, quantum in ſe fuit, exemit, & ſic jus ad juſtificationem obtinendam nobis dedit: ut jam nihil reſtet aliud, quam ut fidem amplexi, tanti beneficii reipſa fiamus participes.

Sequitur jam finis, tum ipſius juſtificationis gratuitæ, ſub N. Fœdere propoſitæ, tum vero inprimis medii illius, quod ad eam perficiendam *D*eus adhibuit, hoc eſt redemtionis per Chriſtum factę, quam in primit hujus verſiculi verbis clarius explicari vidimus; dum addit: *Ad demonſtrandam juſtitiam ſuam*. Pendent hæc proximè a verbo *propoſuit*. Quare ſi verba ipſa ſpectes, finis hic explicatur ejus medii, quod ad juſtificationem hominibus tribuendam fuit a Deo adhibitum. quamquam infra videbimus, jure ſtatui poſſe, etiam ipſius juſtificationis finem hic exprimi. Deus, inquit, propoſuit Chriſtum, per quem ſe propitium toti orbi declararet, fidei tantum conditione addita, atque ab hominibus requiſita; idque inprimis tum, cum ſanguinem ipſius fundi voluit, hoc autem totum eum in finem fecit, ut juſtitiam ſuam hoc pacto illuſtrem omnibuſque conſpicuam redderet, & apertiſſimo hoc argumento demonſtraret. Per juſtitiam Dei nonnulli hoc loco intelligunt Dei benignitatem, quæ interdum *juſtitiæ* nomine in ſac. literis ſignificatur, unde & ipſa beneficia juſtitiæ dicuntur 1 Sam. 12. 7. vide Pſ. 36. 11, & 112. qui locus citatur 2 Cor. 9. 9, ubi etiam verſic. ſeq. 10 pro benignitate vox *juſtitiæ* a Paulo ſumitur. Sunt & plura Pſalmorum inprimis loca, in quibus hoc pacto vox eadem ſumitur a viris doctis, ut Pſ. 5. 9. XXII. 32. XXVI. 7. XLVIII. 11. LXXI. 16. XCVIII. 2. CXIX. 40. in quibus tamen locis, *juſtitia Dei* ab aliis pro fide ſeu veritate Dei in ſervandis promiſſis accipitur, quam ſignificationem etiam ſupra hoc c. vidimus ℣. 5, ut collatio ejus ℣. cum ℣. 4, & 7 oſtendit. Eadem occurrit 1 Joh. 1. 9. ubi remiſſio peccatorum nobis a *D*eo promiſſa, & ſanguine filii ejus obſignata, juſtitiæ effectus conſtituitur. quin & 2 *P*et. 1. 1, niſi ibi pro benignitate ſumere malis. Huic *P*auli loco melius congruit poſterior ſignificatio, nempe ut juſtitia Dei ſumatur pro fide, ſeu veritate ac conſtantia Dei in ſervandis promiſſis, quemadmodum tum veteres, tum recentiores quidam interpretes animadverterunt. *D*eclaratio bonitatis divinę potius verbis præcedentibus continetur, quibus exprimitur medium.

ad hunc finem ſpectans. Sed quia paulo ſuperius aſſeruerat *Paulus* verſ. 21, juſtitiam illam *Dei*, ſeu juſtificationem a Deo proficiſcentem, quæ ſine Lege, per fidem Jeſu Chriſti obtinenda ſit, *habere teſtimonium in Lege & Prophetis*, in quibus *Deus* promiſit, ſe homines aliquando juſtificaturum ex fide, & ex fide quidem Jeſu Chriſti: ideo apoſtolus rectè hic dicit, Deum, dum beneficam illam voluntatem ſuam hominibus per Chriſtum patefecit, & ſanguine ejus obſignavit, & ſic omnia illa præſtitit, quæ ad tantum beneficium in homines conferendum requirebantur; eo ſpectaſſe, ut juſtitiam ſuam, hoc eſt, fidem ac conſtantiam in promiſſis ſuis ſervandis, clariſſimo argumento demonſtraret. Sanè & ſupra verſ. 4 & ſeqq. apoſtolum aſſerentem audivimus, hanc Dei juſtitiam. ſeu fidem ac veritatem nunc elucefcere, maximè quia tot extiterunt homines, qui ei fidem impiè derogarint. Non deſunt etiam, qui juſtitiam Dei eo modo ſumant, quo paulo antè verſ. 21 & 22, nempe pro juſtificatione ab ipſo proficiſcente. Sed ea nec ſola, nec primo intelligi poteſt: ſiquidem ex verſic: ſeq. ubi apoſtolus rem eandem repetit & explicat, ſatis oſtendit, juſtitiam iſtiuſmodi primo intelligi, quæ in ipſo Deo reſideat.

Ait enim: *ad demonſtrationem juſtitiæ ipſius*, vel *ſuæ, in hoc tempore, ut ſit ipſe juſtus*, hoc eſt ut ipſe appareat juſtus, *& juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu*. Verba autem *ut ſit ipſe juſtus*, quæ primum ſubjiciuntur ad explicanda illa, *ad demonſtrationem juſtitiæ ipſius*, vel *ſuæ*, ejusmodi denotant Dei juſtitiam, quæ in ipſo reſideat, qualis non eſt ea, qua nos juſtificat. Veruntamen quia ſubjiciuntur etiam illa, *& juſtificans illum, qui eſt ex fide Jeſu*, poſſis non injuria exiſtimare, apoſtolum etiam hanc ſecundario & veluti conſequenter intellexiſſe, & ſic eodem *juſtitiæ Dei* nomine, ſimul & cauſſam, & effectum, hoc eſt, & fidem Dei, & inde proficiſcentem juſtificationem noſtram, per fidem Chriſti obtinendam, incluſiſſe, q. d. ut appareat, ipſum eſſe juſtum ac fidelem, & propterea etiam juſtificare eum, qui fidem a Chriſto traditam, aut in Chriſto collocatam habet, quandoquidem id promiſit. Docuimus autem Diſput. de Satisfact. Jeſu Chriſti cap. 1 ſolere nonnunquam eod. loco, iiſdem vocibus, diverſas ſignificationes, vel inter ſe analogas, vel quarum altera ab altera quodammodo pendeat, ſubeſſe; cujus rei exemplum habebimus etiam infra cap. 6. 6, 7. Interim tamen dubium non eſt, quin ſi alterutra iſtarum ſignificationum *juſtitiæ Dei* hoc loco omittenda ſit, poſterior potius ſit omittenda: tum ob cauſſam jam dictam, tum propterea, quod demonſtratio juſtificationis per fidem a Deo obtinendæ rectè poſſit referri inter media ad demonſtrationem juſtitiæ Dei ſpectantia. Quare hæc poterit eſſe verborum verſic: ſeq. de quibus agere cœpimus, ſententia: ut ipſe appareat juſtus, utpote qui ſecundum promiſſa ſua, in lege & Prophetis extantia, juſtificet eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.

Quia vero multum ad juſtitiæ hujus divinæ demonſtrationem atque illuſtrationem contulerat tranſmiſſio peccatorum, quæ ad illa uſque tempora homines impunè patraverant, tolerante illa *Deo*, & ad illa veluti connivente; ideo ejus rei hic quoque mentionem facit apoſtolus, ut ſimul illius etiam rationem redderet, atque oſtenderet, cur Deus peccata tam gravia tam diu toleraverit. Sunt enim hæc mutuo ſibi cauſſæ: Tranſmiſſio peccatorum ante admiſſorum in tolerantia Dei, & Demonſtratio juſtitiæ Dei. Hæc cauſſa illius finalis eſt: illa viciſſiim cauſſa hujus procatarctica, quæ ei occaſionem ac veluti materiem præbuit.

Verſ. 26. Ait igitur: *propter tranſmiſſionem peccatorum antè factorum in tolerantia Dei, ad demonſtrationem juſtitiæ ipſius*, vel *ſuæ, in hoc tempore. Tranſmiſſio* in Græco eſt πάρεσις: quam vocem omnes, quos vidimus, interpretes, reddiderunt *remiſſionem*, vel verbis *veniam dare* expreſſerunt, quaſi ſcriptum eſſet ἄφεσις. Et nil quidem prohibet, vocem hanc ita accipere: rectè enim dicitur παρείναι ſeu tranſmittere peccata is, qui remittit. qua de re dicta ſunt quædam a nobis, in diſputatione jam ſemel atque iterum memorata, de ſatisfact. Chriſti cap. 1, partic. 80. Sed propriè tamen vox illa ſignificat *tranſmiſſionem* ſeu *prætermiſſionem:* & poteſt quippiam a remiſſione diverſum, quamquam ei vicinum, deſignare, quemadmodum a nonnemine interpretum, aliiſque viris doctis eſt animadverſum, nempe divinam illam indulgentiam, qua factum eſt, ut peccata impunita dimitteret, ea non ulciſceretur, ſed ea diſſimularet, & ad ea quodammodo conniveret. Poterat ea graviter ulciſci, & homines præſertim ſuppliciorum terrore ab iis revocare: ſed id non fecit, ut haberet tanto ampliorem occaſionem, juſtitiam ſuam ac fidem in ſervandis promiſſis hoc tempore oſtendendi: quia nimirum ſecundum promiſſa ſua homines tot peccatis onuſtos, & in iis penitus demerſos, modo fidem in Chriſtum amplectantur, juſtificet, & a peccatorum reatu abſolvat. Quod ſi proximis ante Chriſtum temporibus homines a peccatis ſuppliciorum metu abſterruiſſet, & ad meliorem frugem revocaſſet, non habuiſſet tam uberem materiem, fidem illam ſuam demonſtrandi, & exemplum, quod in reliqua etiam ſecula uſque ad mundi finem duraret, & omnes peccatores in ſpem veniæ per fidem in Chriſtum obtinendæ erigeret, ſtatuendi. Quid enim mirum, dixiſſet aliquis, ſi *Deus* hominibus peccata remiſit, aut remiſſionem obtulit, jam ante ad frugem revocatis, & ab impietate dudum reverſis? At quid me fiet, qui hucuſque in omnium ſcelerum cœno me volutavi? Quare etiamſi ſcelera & peccata illa hominum vehementer Deo diſplicerent, eum irritarent, & ad vindictam incitarent: ea tamen toleravit Deus, & impunita transmiſit, ut tanto illuſtriorem redderet illam, quam diximus, juſtitiam ſuam. Maluiſſet quidem Deus homines piè ac ſanctè vivere, ita ut tanta gratiæ ipſius ubertas, per Chriſtum orbi offerenda, incideret in homines bene præparatos, ita enim uberiorem tuliſſet fructum: ſed quia aliter res cecidit, ob ipſorum hominum improbitatem, etiam hac Deus ad gloriam ſuam uſus eſt, & ad juſtitiæ ſuæ illuſtrationem pro admirabili ſua ſapientia convertit. Nihil eſt, quod Deus in gloriam ſuam convertere aut non norit, aut non ſoleat. Vide inf. cap. 5. 20 IX. 17, 22, 23. XI. 32, & d. *De* hac autem πάρεσει peccatorum, quod quidem attinet ad Gentes extraneas, loquitur idem Apoſtolus Actor. 17. 30 dum ait: *Cum tempora ignorantiæ diſſimularit* (Græcè ὑπεριδὼν) *Deus, nunc denunciat hominibus omnibus ubique ut reſipiſcant.* Ubi τὸ ὑπεριδεῖν, ut nonnulli annotant, opponitur viſitationi ſeu punitioni iniquitatum. Huc etiam aliquo modo pertinet id, quod idem apoſtolus de gentibus extraneis dixit ejusdem libri cap. 14. 16, quod Deus *in præteritis generationibus* ſeu *ætatibus ſiverit gentes ambulare viis ſuis*, hoc eſt pro ſuo arbitrio ac libitu vivere.

vere. quanquam id eatenus inprimis fecerit, quodnullam illis religionis rationem præſcripſerit, & promulgaverit. quanquam id etiam acceſſit, præſertim tum cum jam tempora inſtarent publicandi per Chriſtum euangelii, ut hominum ſcelera ferè impunita dimitteret, & ea accumulari ſineret, quemadmodum jam diximus. Hac interpretatione, quæ & voci πάρεσιν & cæteris verbis apprimè convenit, admiſſa; ceſſat illa apud interpretes hoc loco agitata quæſtio, an Deus ſola illa peccata remittat, quæ ante fidem in Chriſtum fuere admiſſa: quum iſtorum ſolorum remiſſionis hic fiat mentio. Quanquam etiamſi πάρεσιν *remiſſionem* vertas, non ſequitur tamen, Paulum dicere velle, Deum ſola præterita peccata condonare; licet hic illorum ſolorum faciat mentionem: ſed potius ideo Paulum aſſerere, Deum peccata ante Chriſti tempus, ſeu ante N. Fœdus per eum publicatum admiſſa, remittere, ut illuſtre quoddam gratiæ ſuæ, qua in poſterum quoque erga credentes uſurus ſit, documentum daret. Cum enim illa fuerint longè graviſſima, eorum remiſſione, oſtendere voluiſſe, neminem in poſterum de remiſſione peccatorum ſuorum, modo in Chriſtum credat, atque adeo ab iis deſinat, deſperare debere, ſed potius ſpem ejus firmam concipere, quo pacto idem Apoſtolus 1 Tim. 1. 15, 16 cum ſe peccatorum primum ſeu præcipuum eſſe dixiſſet, addit: *ſed propterea miſericordiam ſum conſequutus, ut in me primo*, ſeu *præcipuo* ſcil: peccatore, *demonſtraret Jeſus Chriſtus omnem longanimitatem ad exemplum* ſeu *ſpecimen eorum, qui crediturí eſſent in ipſo ad vitam æternam.* Neque vero in loco noſtro peccata uniuscujuſque fidem antecedentia & conſequentia inter ſe opponuntur: ſed peccata hominum generatim ante Chriſti ſeu Novi fœderis promulgationem, & poſt eam, ipſo Chriſti tempore, admiſſa. Itaque non ex hoc loco, ſed ex aliis colligendum eſt, quid Deus de illis peccatis, quæ poſt fidem in Chriſtum ab unoquoque admittantur, ſtatuerit, num ea ſit remiſſurus, nec ne. qua de re erit a nobis agendum capp. 6. 7, 8. quamquam id fidei natura rectè intellecta ſatis intelligitur, qua de re dictum eſt fusè Galat. 2. 16. Ut igitur ad verborum apoſtolicorum explicationem redeamus, cum *A*poſtolus ait διὰ τὴν πάρεσιν, *propter tranſmiſſionem*; plerique ex recentioribus interpretibus διὰ licet accuſativo junctum, reddunt *per*, non ſecus ac ſi διὰ Græcum eſſet genitivo junctum, vel ſaltem, utut retineant vocem *propter*, eam tamen pro *per* ſumunt. Et fit quidem interdum, ut διὰ accuſativo præfixum, quod eſt *propter*, eandem vim habeat quam *per*, quam in rem notatur exemplum Joh. 6. 57. Nam & διὰ accuſativo præfixum, & Latinum *propter*, omne cauſſarum genus notare, ſed maximè tamen cauſſam impulſivam, ac finalem deſignare ſolet: hoc autem loco ſermo eſt de cauſſa procatarctica demonſtrationis juſtitiæ divinæ, quæ inter impulſivas eſt. Itaque poteſt vox διὰ accuſativo juncta rectè verti *propter*, & conſuetam vim ſuam retinere: ut ſignificetur, quia Deus jam a longo ſatis tempore peccata impunita dimiſerit, & ea multiplicari, & propè in immenſum creſcere permiſerit, atque hac ratione amplam juſtitiæ ſuæ demonſtrandæ materiem quodammodo pararit, hoc ipſo tempore voluiſſe juſtitiam illam ſuam promulgatam de juſtificatione per fidem in Chriſtum obtinenda, demonſtrare. Captavit enim Deus quodammodo hanc occaſionem, ut omnibus poſt ſecuturis ſeculis clementiæ ac miſericordiæ ſuæ aſylum, quo omnibus in Chriſtum credentibus perfugium pateret, erigeret. Nam quanto corruptius fuit ſeculum, quanto magis in omne flagitii genus effuſum; tanto uberiorem Deus habuit materiem & ſegetem declarandæ tum benignitatis ac clementiæ, tum veracitatis ac fidei ſuæ. Addit autem, hæc peccata ante facta, & ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ θεοῦ *in tolerantia Dei*, hoc eſt per *D*ei tolerantiam, Deo ita tolerante, ut reddunt interpretes quidam recentiores. pendent hæ voces a participio προγεγονότων, *ante factorum.* explicatur enim cauſſa non tam efficiens, quam non impediens, & ut nonnulli loquuntur, deficiens, ob quam peccata illa fœda commiſſa fuerint. ea eſt tolerantia Dei. Si Deus illa ſeverè ultus fuiſſet, & apertè ſuppliciis gravibus immiſſis oſtendiſſet, quantopere illa ſibi diſpliicerent; non ita audacter ac prælicenter homines iis indulſiſſent. At poſtquam Deus illa tulit; ideo contemta eſt ejus lenitas, impunitate facti ſunt homines deteriores. Licet autem ſupra cap. 1 pœnam idololatriæ hominibus immiſſam commemorarit *A*poſtolus: tamen ea ipſa pœna permiſſio fuit peccatorum, non eorum inhibitio, ut locus ipſe oſtendit. Unde & ſupra cap. 2 verſ. 4, de iiſdem hominibus loquens, quibus iſta pœna fuit a Deo impoſita, ait, eos divitias benignitatis & tolerantiæ (τῆς ἀνοχῆς) & longanimitatis contemnere, ignorantes benignitatem Dei ad pœnitentiam ipſos ducere. Nempe quia ſupplicia dolorem inurentia, & acerbitate ſua peccandi licentiam coercentia non inflixerat hominibus Deus: ideo tolerantia dicitur fuiſſe uſus. Similiter etiam infra cap. 9. 22 oſtendit *A*poſtolus, Deum tuliſſe Judæos induratos, in multa longanimitate; licet eo ipſo, quod induraſſet, puniiſſet: ſed pœna illa non admodum ab iis ſentiebatur; imo ſuavis erat; ſed ad acerbius illos ſupplicium ducebat. De voce ἀνοχῆς diximus loco modo citato cap. 2. 4. *ad demonſtrationem juſtitiæ ipſius* vel *ſuæ.* Legunt enim alii ἀυτοῦ, alii ἀυτῷ, ſpiritu tantum mutato, eodem tamen ſenſu. ad *D*eum enim referri nullum eſt dubium. Sed ſi illa, ut quidem videntur verba poſtulare, pendent a participio προγεγονότων *ante factorum*, a quo & proximè præcedentia pendere diximus, legendum eſt *ipſius*, q. d. quæ peccata antea fuerunt, tolerante illa Deo, admiſſa, ad demonſtrandam juſtitiam ipſius, non quidem quaſi ab hominibus in peccatis admittendis finis ille ſpectatus fuerit: ſed quia Deus illa tolerans eum ſpectarit. Itaque eodem planè ſenſu poſſis etiam cum verbis proximè præcedentibus, *in tolerantia Dei*, aut etiam cum remotiori, *propter tranſmiſſionem* præcedentium peccatorum, conjungere. Nomina enim verbalia, qualia ſunt πάρεσις *tranſmiſſio*, & ἀνοχὴ *tolerantia*, iſtiuſmodi nexum patiuntur. Sed alias veriſimilius eſt ipſi verbo aut participio alicui annecti. Quod ſi verba *in tolerantia Dei*, ita interpreteris, *tolerante Deo*, in ſequentibus vel legendum erit ἀυτῷ, vel ἀυτοῦ, ut in N. Teſt: ſæpe fit, pro reciproco ſumendum eſt; *ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ.* repetit autem hunc finem, jam ante expreſſum, ſed eum tranſmiſſioni peccatorum ac tolerantiæ divinæ ſubjungit, ut hujus ſimul rationem reddat, & eam excuſet, vel potius defendat, & juſtam ejus rationem Deo conſtitiſſe oſtendat. Mirari enim quiſpiam alias poſſet, cur Deus tantam hominum licentiam et impietatem tam diu tolerarit. Sed nunc nihil mirum eſt, ſine ejus rei convenientiſſimo &

maximè eximio explicato, qui & cum ſumma Dei gloria, & cum ſummo hominum ipſorum bono conjunctus eſt. Verba *in hoc tempore*, opponuntur, ut jam ſuperius indicavimus, temporibus ante Chriſtum, quæ indicantur particula πρὸ ſeu *antè*, in participio προγεγονότων, *antè factorum*. Denotant ergo tempus Chriſti revelati, & promulgati per eum euangelii, ſeu publicati Novi Fœderis; quod idem ſignificatum fuit ſupra ỳſ. 21 vocula *nunc*. Sequentia, *ut ſit ipſe juſtus, & juſtificet eum, qui eſt ex fide Jeſu*, jam ſupra ſunt a nobis explicata, cum præcedentem verſiculum expenderemus. Iſtud tantum addendum eſt, *eſſe ex fide Ieſu*, nihil aliud ſignificare, quam fidem a Jeſu Chriſto traditam, in eove collocatam habere, fidei illi eſſe addictum, qua de re dictum eſt Galat. 3. 9, ubi eadem eſt phraſis *eſſe ex fide*, & ibid. verſ. 10, *eſſe ex operibus Legis*, eſt eſſe operibus Legis addictum. ſupra hac ad Rom. Epiſtola cap. 2. 8 *eſſe ex contentione*, eſſe contentioſum, contentioni addictum. *Fides Ieſu* quid ſit, explicatum eſt verſ. 22.

Verſ. 27. *Ubi ergo [eſt] gloriatio? excluſa eſt.* Ex præcedentibus deducit Apoſtolus corollarium quoddam, quo retundit faſtum ac jactantiam Judæorum, de operum ſuorum meritis, è juſtitia ea ratione parta, deque prærogativa præ gentibus extraneis (nam & hoc addi poteſt) ſine fine ac modo gloriantium. Ita autem hæc veluti per digreſſiunculam quandam inſerit, ut nihilominus inſtitutum ſuum principale urgeat, & ex hoc ipſo, quod hic deducit, denuo probet. Poſſent hæc ex proximis verbis, in quibus dictum fuit, *Deum juſtificare eum, qui eſt ex fide Ieſu*, commodè deduci: niſi ſequentia viderentur obſtare, in quibus ex eo, quod gloriatio excluſa ſit, vice verſa colligitur, fide homines juſtificari. Non facit autem apoſtolus circulum, & quod fundamenti loco poſuerat, iterum concluſionem ejusdem ratiocinationis conſtituit. Quare ex eo potius deduci videtur, quod Deus peccata ante id tempus transmiſerit, & patienter tulerit, ut juſtitiæ ſuæ in hominibus juſtificandis documentum daret illuſtrius: eo ipſo autem gloriationem excluſum ivit, atque adeo excluſit; ſiquidem omnes peccaverunt, & deſtituuntur gloria *Dei*, ut ſupra vidimus verſ. 23: ex quibus verbis nonnulli ea, quæ hic dicuntur, concludunt, ut ſanè poſſunt propioribus in hac deductione adjungi. Iam vero ſi gloriationem excluſum ivit Deus, atque adeo excluſit; fieri non poteſt, ut ex lege, quæ opera perfecta urget, & ab hominibus poſtulat, eos juſtificet: ſed ex ea lege, ſeu doctrina, quæ fidem urget, & ea juſtificationem obtineri aſſerit. Ideo Paulus addit, principalem propoſitionem denuo aſſerturus: *per qualem legem*, ſcilicet excluſa eſt gloriatio, *operum?* num per eam legem *Deus* excluſit, aut excluſum ivit gloriationem, quæ opera præcipit, nempe perfecta? *non.* Certè hac ratione non excluſiſſet Deus gloriationem, & locum ei præcluſiſſet: ſed potius occaſionem ac materiem præbuiſſet, ſi per eam homines reipſa juſtificaret. Subaudienda enim eſt tacita quædam hypotheſis ſeu conditio: nempe ſi Lex operum, ſeu Deus per eam, hominibus juſtificationem præſtaret. Nam alioqui etiam Lex operum excludit gloriationem, quatenus omnes homines peccati arguit, ac ſua voce damnat, quia eam non præſtiterint, ut ſupra vidimus ipſum apoſtolum aſſerere verſ. 20. ſed ſi Deus per legem homines juſtificaret, non adimeret, ſed ſuppeditaret hominibus gloriandi materiam, qua de re audiemus capite. ſeq. verſ. 2.

*Sed per Legem fidei.* Per hanc Deus excluſit gloriationem: qui enim fide juſtificatur, non juſtificatur ob merita ſua, ſed ex gratia, ut hucusque vidimus, & docetur Galat. 3. 11, 12. Præterea, hæc juſtificationem conſequendi ratio, non Judæis ſolis, ut lex operum, ſeu Moſaica, & modus juſtificationis in ea propoſitus, competit; ſed & gentibus eſt communis. Quid ergo Judæis, de quo hac in parte glorientur, relictum eſt? Vox *Legis* hoc loco generalius ſumitur, quam alias ſolet, ſiquidem duæ legis illius ſpecies ponuntur, Operum, & Fidei. quarum illa, quæ Moſaica eſt, ſimpliciter, ut jam ſæpe vidimus, Lex κατ' ἐξοχὴν appellatur, & euangelio ſolet opponi: hæc vero euangelium eſt. Sumitur igitur Lex pro doctrina divinitus profecta, aliquid præcipiente ac præſcribente: quam ſignificationem vocis proprietas fert. Nonnulli legem hic ſumunt pro vi, imperio ac poteſtate quadam, in qua ſignificatione ſumitur infra cap. 7. 21, 23, 25; ubi lex mentis, lex in membris exiſtens, lex peccati commemoratur, & cap. 8. 2 lex ſpiritus vitæ, lex peccati, & mortis. Sed prior ſignificatio eſt ſimplicior. Eadem ergo eſt Lex fidei, cum Lege libertatis, quemadmodum doctrinam euangelicam appellat Jacobus cap. 1. 25, & 2. 12. Libertatis autem Lex ob id ipſum eſt, quod fide contenta ſit, eaque pietate, quam fidei nomine apud *Paulum* includi ſolere diximus: opera autem legis perfecta, ipſasque adeo ceremonias, quibus Lex Moſaica Iudæos manciparat, non exigat. Notatur ab interpretib. *Paulum* hoc loco appellaſſe euangelium legem μιμητικῶς, ob Iudæos, qui nil niſi legem, nempe Moſaicam, perpetuo creparent, eam unam in ore perpetuo haberent. Docet ergo legem quidem etiam hic eſſe, ſed longè aliam, & ab illa, quam perpetuo jactarent, longè diverſam.

Verſ. 28. *Arbitramur* vel *colligimus igitur, fide juſtificari hominem, ſine operibus Legis.* Repetit breviter propoſitionem, atque adeo etiam concluſionem principalem, ſupra ỳſ. 21, & d. fuſius explicatam. Λογιζόμεθα pro συμπερασίζόμεθα, ut notant interpretes, hoc eſt ratiocinando colligimus, concludimus. Quid fides ſit, quid opera Legis, jam ſupra dictum eſt, verſ. 22. Intelligitur ergo, hominem non ideo juſtificari, quia exactè legem obſervaverit, & ſic operum ſuorum vi juſtificationem meruerit; ſed quia in Chriſtum credat, & porro ſub ſpe promiſſorum ab ipſo propoſitorum ejus mandatis pro viribus pareat: utut & ante id tempus graviſſimè peccaverit, & nunc quoque per fragilitatem nonnunquam labatur. Simul ac fidem ejusmodi quiſpiam amplectitur, juſtificari incipit: & ea completa, completur juſtificatio, & pleno eam jure homo conſequitur, ut Abrahami exemplo Jacobus docuit cap. 2. 21, 22, 23. *Hominem*, id eſt quemvis indefinite.

Verſ. 29. *An Judæorum Deus ſolum? nonne vero & Gentium? certe & Gentium.* Nova ratione, per quandam prolepſin, principalem illam propoſitionem ex ſuperioribus illatam probat. *Poteſt* autem & objectio, & ratio illi oppoſita, duplici modo formari: primum ita ut objectio primo ac directè impugnet, ratio autem apoſtolica propugnet ſubjectum enunciationis proximè præcedentis, quod indefinitè elatum univerſali reſpondet: perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, quemvis hominem juſtificari ex fide, præſertim cum ſupra apoſtolus univerſalitatis notam & aperte addiderit, & urſerit verſ. 20, 22, 23. deinde ita ut primo ac directè

ab

ab objectione impetatur: argumento autem apoſtolico defendatur prædicatum enunciationis, hoc eſt modus juſtificationis ab apoſtolo defenſus, qui exprimitur in verbis *fide abſque operibus Legis*. Priori modo ita formari poterat objectio: Si *Deus* quemvis hominem, etiam Ethnicum, ex fide juſtificaret, non eſſet Iudæorum tantum Deus, ſeu benefactor ſingularis, ſed & gentium. Atqui Deus Iudæorum tantum Deus eſt, non gentium. Ergo non juſtificat quemvis hominem, etiam Ethnicum, ex fide. *Poſteriori* modo ita formari poterit: Si homines fide ſine operibus legis juſtificarentur, Deus non minus gentium eſſet Deus, ſeu benefactor eximius, quam Iudæorum. Neque enim fides, ac porro etiam juſtificatio per eum obtinenda, minus cadit in gentes, quam in Iudæos. Atqui *Deus* ſolorum Iudæorum Deus eſt, non gentium: illorum ſe Deum fore non ſemel profeſſus eſt. Quare non fide, ſed ex lege Iudæis propria juſtificantur homines. Paulus concedit quidem, Deum Iudæorum eſſe Deum, quod ſolum revera ex divinis oraculis, præſertim ad Novi Fœderis tempora relatis, colligi poteſt: ſed negat, Iudæorum ſolum eſſe Deum, imo contrarium potius manifeſtum eſſe ait. Quare argumentum potius invertit, & in adverſarium retorquet; idque vel hac ratione, ut univerſalitatem ſubjecti aſſertionis ſuæ ſtabiliat; quod fiet hoc modo: Si Deus Iudæos tantum juſtificaret, non etiam gentes extraneas; Iudæorum tantum, Deus eſſet, non etiam gentium: At hoc abſurdum, quare & illud; vel, ut ſtabiliatur prædicatum aſſertionis, hoc eſt modus juſtificationis per fidem abſque operibus: quod fiet hoc modo: Si Deus ex lege homines juſtificaret, non ex fide Iudæis & gentibus communi; Deus eſſet Iudæorum tantum Deus, non etiam gentium. Hoc autem abſurdum: quare & illud unde conſequitur. Conſecutionis ratio patet: quia Deus non eſt *Deus*, hoc eſt ſingularis benefactor illius, quem non juſtificat, ſed damnat, ac pro meritis punit. Iam vero ſi ex Lege petenda eſſet juſtificatio, ea ad ſolos ſpectaret Iudæos, utpote quibus ſolis Lex eſt lata. Quod vero ad aſſumtionem attinet, abſurdiſſimum eſt dicere, Deum eſſe Deum Iudæorum tantum, uni tantum populo velle, hoc præſertim tempore, vere benefacere, ad eum unum gratiæ ſuæ divitias velle adſtringere: cæteros omnes, non homines, ſed beſtias, aut beſtiis etiam pejores æſtimare. Eſtne enim credibile, Deum, qui omnes æque crearit, & æquali conditione condiderit, tantum velle eſſe unius gentis, ob carnalem propagationem, a cæteris diſcrimen, tantam præ toto orbe dignitatem, ut ei uni ſe benignum exhibere, ejus unius virtuti infinitum præmium conſtituere velit; cæteris, quorum par, fortè etiam major virtus ac pietas eſſet, ab eo penitus excluſis, & in ſempiterni exitii barathrum præcipitatis? Certe id haudquaquam eſt concedendum. Utitur interrogatione Apoſtolus, quia res adeo ſit perſpicua, ut ſine manifeſta abſurditate negari nequaquam poſſit. Eſt autem in verbis ellipſis vocis Dei, quæ & ſubjecti & prædicati locum tenet, perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet: an Deus Iudæorum tantum Deus eſt: annon & gentium eſt *Deus*? certe & gentium Deus eſt. Ea, quæ extat, ſubjecti locum tenet, ut articulus etiam videtur indicare: inde poſtea in prædicato repetenda eſt. Similis ellipſis extat in eadem phraſi Marc. 12. 17, & Luc. 20. 38, ut intelligitur tum ex reipſa, tum ex loco parallelo, apud Matth. cap. 22. 32, ubi plena eſt oratio, & Hebr. 11. 16, ſupra cap. 2. 28, 29. contra ex prædicato ſubjectum erat repetendum.

*Deum eſſe alicujus*, in ſacris literis interdum ſignificat ab aliquo pro Deo haberi ac coli Exod. 3. 6, 15. 16: 1v. 5. ſed ſæpiſſimè etiam, eſſe inſignem alicujus benefactorem Daniel 2. 23, 47. Vide Pſal. 33. 12. quo pacto Deus etiam poſt mortem Deum ſe vocavit Abrahami, Iſaaci, & Iacobi: eam ob cauſſam, quia ut D. Auctor ad Hebr. cap. 11. 16 docet, paravit illis civitatem, nempe illam cæleſtem, eoſque, ut Chriſtus ipſe docuit, eſt ex mortuis reſuſcitaturus, vide Matth. 22. 31, 32, & Luc. 20. 37, 38. conf. cum verſ. 35, 36. Sic etiam ſeminis Abrahamici Deum ſe futurum, & poſtea etiam populi Iſraëlitici, & denique noſtrum, quibuſcum Novum Fœdus percuſſit, promiſit Geneſ. 17. 7, 8 Exod. 6. 7. Levit. 26. 12. qui locus etiam ad nos refertur 2 Cor. 6. 16. conſer quoque Ierem. 31. 33. Hebr. 8. 10. Apoc. 21. 3, 7. Hoc loco poſterior ſignificatio, uti jam indicavimus, amplectenda eſt: quanquam non ita, ut ſtatuatur Deum actu ipſo, præſertim perfecto, omnium eſſe Deum, ſeu benefactorem; ſed propenſa in omnes voluntate, qua fit, ut omnibus bene cupiat, omnium ſalutem ac converſionem, ſine qua illam adipiſci non poſſunt, deſideret; quatenus inquam (ut hujus ipſius apoſtoli verbis 1 Tim. 2. 4 ſcriptis id explicemus) vult ſeu deſiderat, ut omnes homines ſerventur, & ad cognitionem veritatis, quæ ſalutis adipiſcendæ medium eſt, perveniant.

Verſ. 30. Hoc autem ita ſe habere, (quæ fuit aſſumtio argumenti apoſtolici) ea ratione probat, qua & dicto ad Timoth. loco utitur. *Siquidem unus [eſt] Deus.* Unum intelligit non tantum quatenus in ſe unus eſt, ſed etiam reſpectu omnium hominum, ſive Iudæorum, ſive gentium, omnibus idem Deus eſt communis: non alius Iudæorum, alius gentium. quo pacto & reſpectu Chriſtianorum omnium alibi dicit unum eundemve eſſe *Deum* 1 Cor. 12. 6. Eph. 4. 6. *Cum* ergo unus ſit omnium terræ nationum ac populorum Deus, qui omnibus ſupremo cum imperio præſit, omnes regat ac gubernet, ac omnibus æque ſit colendus: qui fieri poteſt, ut non æque omnibus benè cupiat, ſi facta cæteroqui ſint paria? qui fieri poteſt, ut non æque horum atq; illorum virtutem, vel præmio propoſito excitare, vel excitatam ac conſtanter cultam remunerari: & ſic omnes æq; per fidem, & in ea comprehenſam pietatem, juſtificare velit? Si peccata Ethnicorum obſtant, obſtabunt & Iudæorum: quæ etſi tandem non ita per ſe ſint gravia, ut Ethnicorum, æque tamen gravia aut etiam graviora ſunt eatenus, quod adverſus expreſſam *Dei* legem ac comminationem ſint commiſſa, nec ignorantia aliqua divinæ voluntatis queant excuſari. Lex enim ſubintroiit, ut abundaret delictum, hoc eſt ejus vis, quam ad damnandos homines habet, augeretur. Quodſi Iudæorum peccata ad juſtificationem per fidem obtinendam apud *Deum* non obſtant, non obſtabunt & Ethnicorum, apud eundem Deum, quem cum Iudæis communem habent. Ita ut jure concluſerit apoſtolus, Deum utroſque per fidem juſtificaturum, dum ita ait:

*Qui juſtificabit circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* q. d. Quare, cum unus idemque ſit Deus & circumciſorum & præputiatorum, utroſque etiam eodem modo juſtificabit, nempe non per Legem Iudæis propriam, ſed per fidem. *Circumciſio* pro circumciſis: *præputium* pro præputiatis. qua de re vide ſup.

cap. 2.26, 27. Gal.2.7,8,9. *ex fide*, & *per fidem* idem eſt. placuit apoſtolo diverſis particulis in re eadem uti. Niſi quis dicere malit, eum aliquanto ſignificantiori phraſi uſum eſſe, cum de Judæis loqueretur. dixiſſe enim *ex fide*, id eſt fidei ipſius vi, ne quam hujus rei partem legi tribuerent, & ſi ſimpliciter dixiſſet *per fidem*, putarent fidem quidem intervenire ad juſtificationem omnino debere, ſed vim tamen præcipuam in operibus Legis eſſe ſitam. De Ethnicis hac in parte minus erat metuendum.

Verſ. 31. Tandem objectionem tum adverſus proximè dictum, tum adverſus ſuperiora, in quibus principalis propoſitio ſeu mavis concluſio expreſſa fuit, occupat ac diluit, dum ita ſubjicit: *Legem ergo abolemus per fidem? Ne fiat*, ſeu *Abſit: ſed Legem ſtatuimus* ſeu *ſtabilimus*. Potuiſſet enim quiſpiam dicere: Si Deus ex fide ſola, ut tu ais, ſine operibus Legis omnes homines juſtificat: Lex Moſaica hac ratione prorſus tolletur atque abrogabitur, quid enim ea erit opus, ſi abſque ea homines omnes juſtificari poterunt ac debebunt? At lex abſque ſcelere tolli nequit. *Apoſtolus* conſecutionem argumenti negat, dum reſpondet *Abſit*, nempe ut Legem, per fidem, hoc eſt dum fidem urgemus, & ea juſtificari homines docemus, aboleamus, & irritam prorſus atque otioſam reddamus. *Poſſis fidem* ſumere pro doctrina de fide, ut Gal.1.22. 111. 2.5,23, 25. *Sed Legem*, inquit, *ſtabilimus*. imo vero Legem per doctrinam de fide ſtabilimus, tantum abeſt, ut eam tollamus. Etenim cum fides viva, & juſtificandi vim habens, omnino requirat veram pietatem in lege præſcriptam; (veram autem pietatem vocamus, quæ in virtutibus, & rerum ſua natura honeſtarum obſervatione conſiſtit.) quiſquis fidem urget, ſimul etiam urget, ut Lex, quatenus nimirum honeſta præcipit, & ſic omnibus hominibus etiam Ethnicis communis cenſeri debet, & æterna eſſe meretur, obſervetur. Quin etiam cum fides vires hominibus ſuppeditet ad pietatem colendam, quas ipſa Lex, ut inf. cap.7, & 8 audiemus, hominibus præſtare non poterat; per fidem, aut de fide doctrinam fit, ut Lex nunc longè diligentius, longè exactius, quam antea unquam factum fuerat, & a longè pluribus, hoc eſt etiam a gentibus extraneis obſervetur. Quare Lex egregiè per fidem ſtabilitur, qua de re infra cap.6, & duobus ſeqq. & cap.12, & ſeq. Eatenus tamen, quatenus nimis rigida fuit ac ſevera, & omnes in univerſum homines damnavit, atque a juſtificatione excluſit; quatenus etiam umbras tantum rerum futurarum, & veluti puerilia religionis elementa & progymnaſmata continuit, per fidem abrogatur. Euangelium, quod fidem docet, Legi oppoſitum, *gratiæ & veritatis* nomine deſcribit: illam ſeveritati, hanc umbris legalibus opponens. Quatenus ergo lex gratiæ ac veritati opponitur, eatenus abrogata eſt: quatenus cum ea conſentit, ſalva eſt, imo velut in integrum per doctrinam Euangelicam eſt reſtituta.

## CAP. IV.

### *ARGUMENTUM.*

*Hoc capite Abrahami potiſſimum exemplo totam juſtificationis rationem comprobat atque illuſtrat: id enim tum ob divina teſtimonia, tum ſummam viri, apud Judæos præſertim, contra quos hic diſputatur, auctoritatem maxime illuſtre eſt, et ejuſmodi, ex quo de cæteris quoque hominibus, ipſius veſtigia ſequentibus, judicium faciendum eſt. Partes capitis tres ſunt. In prima ex iſto Abrahami exemplo, cui etiam Davidis teſtimonium annectit, docet, hominem juſtificari fide, ſine operibus, ſeu operum meritis; atque ita comprobat id quod verſu 21 capitis præcedentis dixerat, juſtificationem iſtam habere teſtimonium in lege & prophetis. In ſecunda eodem exemplo docet, non ſolum ad circumciſos, quales erant Judæi, ſed etiam ad præputiatos, quales erant gentes extraneæ, iſtam juſtificationis rationem pertinere. In tertia ipſam Abrahami fidem deſcribit, ut hoc fidei veluti exemplar nobis proponat, & ad ejus imitationem nos excitet.*

Verſ. 1. *Quid igitur dicemus Abrahamum patrem noſtrum inveniſſe ſecundum carnem?* In hoc problemate, ſeu quæſtione, continetur id, quod in prima hujus capitis parte potiſſimum eſt tractaturus. Etſi autem revera id agat apoſtolus, ut præcedentia argumento ex Abrahami exemplo petito comprobet, annectit tamen ipſam quæſtionem præcedentibus per particulam *igitur*, quia ea quæſtio ex ſuperioribus aliqua ratione oritur, & inde quiſpiam ad eam movendam arripere occaſionem facilè poterat. quaſi dicat: cum oſtenſum ſit, Deum hodie Judæos & gentes ex fide, non ex operibus eſſe juſtificaturum: hinc non injuria quæri poteſt de Abrahamo patre noſtro ſecundum carnem, quem juſtificatum eſſe nemo dubitat, quamnam juſtificationem is ſit conſecutus, num eam quæ ex operibus, an vero eam quæ eſt per fidem? Num dicendum, illum eadem ratione eſſe juſtificatum, qua ego hoc tempore homines omnes a Deo juſtificari aſſero; an vero alia, ut quidem alii cenſent?

Cum ait *quid dicemus Abrahamum inveniſſe*, non eſt dubium, quin de juſtificatione loquatur: de hac enim toto hoc loco agitur. Jam vero, eum juſtificatum eſſe, dubium non erat, præſertim apud Iudæos, adverſus quos hic diſputat: de modo tantum & ratione juſtificationis erat quæſtio. Etſi enim hanc quoque ſatis apertè ſacræ literæ veteris fœderis exprimant, dum fidem illi ad juſtitiam imputatam eſſe oſtendunt: ſatis tamen ex ſequentibus apparet, Judæos, qui operibus juſtificationem ſe mereri putabant, eadem ratione Abrahamum juſtificatum contendiſſe. Quare vocula *quid* non tam de bono, ſeu de juſtificatione ipſa, quam de ejus modo ac ratione, ſeu mavis, de juſtificatione habita ratione modi, accipienda eſt, quemadmodum jam explicuimus. Hoc modo & alibi eadem vox, aut ſimiles, quæ rem ipſam ſignificare videntur magis de modo illius loguuntur, ſeu de re, habita rarione modi. Sic Marc. 4.23. *quid audiatis*, apud Lucam 8. 18 dicitur, *quomodo audiatis*: & Johan. 4.22: *vos adoratis quod neſcitis; nos adoramus quod ſcimus*, non tam de eo ipſo quod adorandum ſit, quam de adorationis ratione, nempe ubinam ea peragenda ſit, accivitur, ut ex præcedentibus intelligitur. Idem docuimus Galat.6.7: *quia quod ſeminaverit homo, hoc & metet:* ubi, ut ex ſequentibus intelligitur, non tam de eo ipſo quod quis ſeminaverit, quam quomodo, ſeu cui agro ſemen crediderit, ſermo eſt. *Invenire* autem hoc loco eſt conſequi, adipiſci, ut Geneſ. 26.12. Prov. 8. 35, 17, 18. Sic videtur ſumi, quoties dicitur invenire gratiam in oculis alicujus, id enim eſt gratiam alicujus conſequi, gratia & favore alicujus potiri. Voces *ſecundum carnem*, cum vetere interprete & Eraſ-

mo

mo aliisque compluribus, per trajectionem positas esse censemus, jungendas autem cum nomine Patris. Qua de causa vetus interpres, ut omnem ambiguitatem evitaret, verbum invenisse præposuit subjecto, hoc modo: *Quid igitur dicemus invenisse Abrahamum patrem nostrum secundum carnem?* Vocat Abrahamum patrem sibi cum cæteris Judæis communem, ut hoc ipso ostenderet, se illum, tanquam generis sui ducem ac principem, non minus quam Judæi cæteri suspicere ac magnificare, & ea, quæ dicturus sit, non ullo existimationem ejus minuendi studio, sed ipsius veritatis amore impulsum, ac vi quadam adactum dicere.

Sed addit, eum patrem suum & cæterorum Iudæorum esse secundum carnem, quia infra hoc ipso cap. vers. 11, & deinceps docebit, Abrahamum esse patrem omnium credentium, sive Judæorum, sive Erhnicorum, nempe secundum spiritum, seu spiritualem. Nam *secundum carnem & secundum spiritum* opponi sibi invicem solere, docuimus supra cap. 1.4. Quare significare voluit, Abrahamum eatenus suum & Iudæorum omnium communem esse patrem, quatenus carnali naturalive ratione ab eo ipso æque fuerint orti. Alioqui secundum spiritum non agnoscebat apostolus Judæos omnes pro Abrahami filiis, cum non omnes crederent, quemadmodum nec Israëlitas secundum carnem. Vide infra cap. 9.7,8. Gal. 4.28,29. Adde 1 Cor. 10.8. Secundum carnem interpretari, ex operibus, ut faciunt nonnulli, & sine exemplo, & durum atque obscurum esse videtur.

Vers. 2. *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriationem, sed non apud Deum.* His verbis per prolepsin quandam ostendit, jure se quæsiviſse, quid de Abrahamo ratione justificationis sit statuendum. Potuissent enim alii dicere, cur tu quæris, quid de Abrahamo hac in parte sit dicendum? quasi vero dubium sit, illum operum suorum vi ac meritis fuisse justificatum. Hanc ergo objectionem refellit Apostolus, & sic ostendit, rectè se ea de re quæstionem movisse. Docet enim, Abrahamum nequaquam, ut vulgo apud Judæos æstimetur, ex operibus esse justificatum. Possunt autem verba duplici modo (quanquam sententia prope eadem est) accipi. Primum, ut licet in speciem non nisi unam enunciationem videantur continere, tamen conciso quodam loquendi genere duas revera contineant, nempe majorem, ut in scholis vocant, & minorem propositionem Syllogismi hypothetici. ex quibus conclusio, quæ subticetur, facile potest colligi: quasi diceret si Abraham operum suorum vi ac merito fuisset justificatus, haberet gloriationem, seu gloriandi causam ac materiam, habet de quo glorietur. Atqui gloriationem non habet, nempè apud Deum, seu coram Deo. Apud homines enim habere gloriam nihilominus posset: sed id hic non est spectandum. Ergo ex operibus non est justificatus. Minor propositio, seu assumtio in sequentibus probabitur. Deinde possunt ita eadem verba accipi, ut, quemadmodum præ se ferunt, unam tantum enumciationem seu propositionem contineant. Sed tunc verbum justificatus est, non de re ipsa, sed de rei declaratione, seu mavis pronunciatione seu assertione intelligendum erit. Nam alias dici nequaquam posset, *A*brahamum, si ex operibus justificatus reipsa fuisset, non habiturum gloriationem apud Deum. Cur enim de suis meritis gloriandi causam justam non haberet, qui eorum vi justificatus fuisset, atque ita jure suo mercedem hanc operibus suiis per se debitam repetiisset ac sibi vendicasset, nihil hac in parte divinæ gratiæ imputans? Certe ipse *P*aulus paulo antè cap. 3.28 asseruit, gloriationem esse exclusam non per legem operum, sed per legem fidei. Non loquitur autem ibi de gloriatione injusta, aut de eo quod apud homines solos fiat. Hoc enim modo etiam hodie gloriatio locum habet, & tum, cum Paulus hæc scriberet, locum habebat apud Judæos: sed justæ gloriationi, quæ apud Deum etiam valeat, locum non amplius relictum esse ait. Solent autem, apud Hebræos præsertim, verba quæ de re ipsa propriè loquuntur, de rei declaratione, pronunciatione, assertione non semel sumi. *Sic mundare* pro mundum declarare aut pronunciare, & polluere, pro pollutum declarare Levit. 12. vers. 7,8, sæpius autem cap. 13 & 14. Sic Jeremiæ dixit Deus cap. 1.10, *Ut evellas* (gentes nempe & regna) *& destruas & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes*, hoc est, illa futura enuncies & prædicas Esaiæ cap. 6. 10. Excæca (vel *impingua*) *cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude*, id est, ea me facturum denuncia. Autor epistolæ ad Hebr. *non enim alicubi angelos assumit*, seu *suscipit*, nempe Christus: hoc est, nuspiam in scriptura angelos suscipere, & iis opitulari dicitur. Sensus ergo istorum Pauli verborum hic erit: Si *A*brahamus ex operibus, seu operum suorum meritis justificatus fuisse dicatur ac pronuncietur, habebit quidem aliquam gloriationem apud homines, qui id de eo affirmant & jactant, vel huic ejus laudi favent atque applaudunt, eamque approbant; sed non apud Deum, non Dei judicio, qui eam laudem nequaquam agnoscit atque approbat, sed longè aliter, ut statim ex scriptura docebo, ea de re statuit ac pronunciat: vana erit illa gloriatio, non vera, non justa. Verbis ergo illis, *sed non apud Deum*, tacitæ occurrit objectioni, ne quis eum de quavis gloriatione, etiam ea, quæ apud homines aliquid valeat, loqui arbitretur, & jam ipsi hoc loco objiciat. Gloriationem apud homines locum habituram concedit; sed non veram, quæ coram Deo valeat, ac in ipsius conspectu ejusque judicio subsistere, & ab eo approbari queat. Videmus ergo, apostolum negare, *A*brahamum ex operibus justificatum esse: quod quomodo cum illis consistere queat, quæ Jacob. 2.21 & deinceps extant, videbimus paulo post vers. 4, ubi etiam confirmabitur nostra horum verborum, ex operibus justificari, explicatio, quæ est, ex operum meritis, ipsorum operum vi ac dignitate justificari; mereri autem sua vi justificationem nulla opera possunt nisi ex omni parte perfecta. Nam vel unum peccatum facit ut pœnam merearis, & sic factorum tuorum habita ratione, ipsoque jure inspecto, pro justo atque innocente haberi, seu tanquam justus ac innocens tractari nequeas. Quod si vel unum peccatum istiusmodi justificationis rationem intercludit, quanto magis plura, præsertim gravia. *Gloriatio* pro gloriandi materia & causa per Metonymiam sumitur hoc versu, ut infra cap. 15.17. 2 Cor. 1.12 & Gal. 6.4.

Vers. 3. *Quid enim scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo & imputatum est ipsi ad justitiam.* Probatur his verbis, Abrahamum non habere gloriationem, seu materiam ac causam gloriandi, coram Deo, nempe in justificationis ratione; nihil eum suis meritis, sed totum Dei gratiæ debere imputare: nempe quia scriptura, quæ divinæ mentis ac sententiæ interpres est,

& ex qua verum de rebus divinis judicium ferendum eſt, longe alia ratione, & ei quæ eſt ex operibus contraria, juſtificatum eſſe teſtatur. Ait enim, Abrahamum credidiſſe Deo, & id ei imputatum eſſe ad juſtitiam, Gen. 15.7. Quomodo autem hæc verba cum juſtificatione ex operibus pugnent, & eam prorſus excludant, in ſequentibus docebit Apoſtolus. Citat hæc vorba Apoſtolus ſecundum Græcam interpretationem, vulgo tunc inter Judæos receptam. Verba Hebræa aliquantum diſcrepant: ſed ſenſus tamen idem eſt. Ita enim habent: *Et credidit* (nempe Abraham) *in Iehova, & imputavit* (nempe Jehova) *illam juſtitiam*: hoc eſt, Deus id ipſum, quod Abrahamus ei credidit, ad juſtitiam ei imputavit. Hoc loco enim in Jehova credere idem eſt, quod Deo promittenti credere, & ſic ſpem ac fiduciam in eo collocare. promiſerat enim *A*brahamo Deus, ut in præcedentibus legimus, prolem numeroſam inſtar ſtellarum cœli: qua de re infra ℣. 18. Huic promiſſo Abrahamus dicitur credidiſſe. Non ſemel confunduntur phraſes illæ credere in Deo, vel in Deum, & credere Deo: licet hæc aſſenſum promiſſis divinis adhibitum propriè ſignificet, illa magis ſpem ac fiduciam in illo collocatam: quia cum Deus aliquid cuipiam promittit, non poteſt quis ejus verbis fidem adhibere, quin ſimul in eo ſpem ac fiduciam collocet, & contra; ita ut eodem recidat, ſive dicas eum *D*eo credidiſſe, ſive in Deo vel in Deum. Cæteroqui poteſt quis Deo confidere abſque promiſſo; & contra, aliquid aliud dicenti credere abſque fiducia, ſaltem ita, ut alterum in altero non includatur. Vocula autem *illam* in illo geneſeos loco Hebræorum more ponitur pro *illud* (Neutro enim ii, ut notum eſt, carent) & refertur ad totum id quod præceſſit, nempe, quod *A*braham in *D*eo credidit, quæ eadem eſt ſententia Græcorum verborum, *& imputatum* eſt ei, nempe hoc ipſum, quod Deo credidit, *ad juſtitiam*. Qua de cauſa poſtea verſ. 5 *A*poſtolus hunc ad locum reſpiciens, ait *fidem* imputari ad juſtitiã. Imputata autem fuit Abrahamo non niſi a *D*eo.

Quare etiamſi verbum *imputandi*, quod in Hebræo activum eſt, & ad Jehovam ſeu Deum refertur a Græcis, & porro etiam a Paulo, per paſſivum ſit redditum, non expreſſa perſona agente: ſenſus tamen idem eſt, & perſona agens, hoc eſt, juſtitiam imputans, ex reipſa ſatis ab unoquoque intelligitur.

Sed nondum abſoluta eſt argumentatio Apoſtolica nec dum probatum Abrahamum ex operibus non juſtificatum, & hanc gloriationem apud Deum non habere: itaque pergit apoſtolus, & argumentationem ſuam implet, Majore, quam vocant propoſitione ei addita. Ille enim Scripturæ locus Minoris, ſeu aſſumtionis tantum locum obtinet. Ita enim demtis omnibus, quæ illuſtrandæ rei faciunt, & ipſius tantum argumenti nervis relictis ratiocinari cenſendus eſt: *Ei*, qui ex operibus juſtificatur, non imputatur juſtitia. At Abrahamo imputata eſt juſtitia. Ergo ex operibus non fuit juſtificatus.

Verſ. 4. Sententia aſſumptionis, ut diximus, vera continetur in illo genes. dicto: ſententia propoſitionis, quam Majorem vocant, in ſequentibus dum ita ſubjicit: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*: quam in ſequentibus, nempe ℣. 5, iterum illuſtrat a contrario. Neq; vero refert, quod *eum qui operatur*, ponat loco ejus, qui ex *operibus juſtificatur*: alterum enim ex altero, ut mox videbimus, conſequitur. Nec refert etiam. quod mercedem collocet loco juſtitiæ, illud enim genus eſt, hoc ſpecies; & quod de toto genere, vel affirmatur vel negatur, etiam de ſpecie vel affirmatur vel negatur. Ut taceam, genus illud ad certam ſpeciem reſtringi poſſe.

Nec porro refert, quod loco ejus, quod in verbis Genes. dictum fuerat, fidem fuiſſe Abrahamo inputatam ad juſtitiam, hic de imputatione ipſius mercedis, atque adeo ipſius juſtitiæ ſermo eſt. Cui enim fides imputatur ad juſtitiam, ei ipſa juſtitia imputatur. Verba denique illa, *non ſecundum gratiam*, ſunt quædam veluti declaratio verbi *imputandi*, ſeu latentis in eo Emphaſeos, qua argumentationis vis nititur: quæ declaratur a contrario dum additur, ſed *ſecundum debitum*, ad aſſertionis hujus veritatem ac robur tanto evidentius oſtendendum. Inde enim probatio Majoris propoſitionis, quam hic exprimi diximus, patet. Nam quod ad primum attinet, verbum *operandi* non accipitur hoc loco plane generaliter pro quavis operatione, ſive una ſive pluribus, ſive perfecta ſive imperfecta. Alias enim ſequeretur, Abrahamum nihil boni (nam de bona operatione hic ſermonem eſſe quivis videt) operatum eſſe, præſertim ante illud tempus quo illi juſtitia dicitur imputata. Ita enim argumentari liceret: Ei qui aliquid ſaltem boni operatur, non imputatur merces ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. At Abrahamo merces imputata fuit ſecundum gratiam, non ſecundum debitum: Ergo nil fecit boni. Qua concluſione quid abſurdius, & ipſi ſacræ ſcripturæ magis adverſum? ſiquidem & ſacræ literæ ejus in *D*eum pietatem etiam ante illud tempus commendant, & quandam fidem, quod *D*eo, terra domoque patria exire jubenti paruerit, *D*eum ipſum coluerit & alia quædam laude digna fecerit. Vide Gen. 12, & 14. Hebr. 11.8,9. Ratio etiam ipſa aperte monſtrat, non poſſe dictum apoſtoli de quovis opere accipi. Quid ſi enim opus longè ſit impar mercedi? quid ſi nulla ſit inter ipſum & mercedem proportio, ut ſi merces ſit infinita, opus finitum, num ſecundum debitum, non ſecundum gratiam merces imputabitur, vel operanti adjudicabitur? Adde, quod Jacobus manifeſtè docet, illa verba, *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam*, tum impleta fuiſſe, cum Iſaacum obtulit ſuper altare, & inde docet, eum ex operibus eſſe juſtificatum: quod conſiſtere non poſſet, ſi quodvis opus intelligeretur. Denique ſimili ratione loquitur Pſaltes de *P*hinea Aaronis filio, qui occiſo Zamri & Madianitide avertit Dei iram ab Iſraelitis, *P*ſal. 106.20: *& imputatum eſt ei* (nempe hoc ejus factum, quod fecit & placavit *D*eum) *in* ſive *ad juſtitiam, in generatione & generationem, uſq; in ſempiternum.*

Καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, nempe quia ipſi & ſemini ipſius ſempiternum ſacerdotium præmii loco a Deo eam ob cauſam fuit deſtinatum, ut conſtat ex Num. 25. 12, 13, licet alioqui factum id minimè mereretur. Nihilominus tamen de facto ſeu opere ejus manifeſtè ſermo eſt. Atqui ſi hæc *P*auli verba de quovis opere loquerentur, ſtatuendum eſſet omnino, Phineam tum nihil boni egiſſe, nec ejus factum ullam juſtitiæ iſtius cauſam fuiſſe. Statuendum ergo eſt, non de quovis opere, etiam imperfecto, mercedi nequaquam reſpondente, eſſe ſermonem; ſed verbum *operandi* κατ' ἐξοχὴν ſumendum eſſe de opere perfecto & mercedem æquante eive juſta analogia reſpondente.

*Operanti vero merces &c.* Probat ex allatis ſcripturæ verbis, Abrahamum non fuiſſe ex operibus juſtificatum

tum, quia Arahamo merces inputata fuerit, hoc eſt ſecundum gratiam tributa: unde apparet, eum opera perfecta non habuiſſe, ac mercedem iſtam verè non fuiſſe meritum. Intelligitur enim per mercedem hoc loco ejuſmodi merces, quæ labori dignitate reſpondeat, & quæ labori ſua natura obveniat, ſive ex æquo & juſto debeatur. Ejuſmodi enim merces operanti, hoc eſt, ei qui officio ſuo plenè ſatisfacit, ſive perfecte operatur, non ſolet ex gratia aliqua, ſed ex debito dari; qualis merces eſt juſtitia ſive juſtificatio, quæ ſua natura debetur illi, qui omni peccato & crimine eſt vacuus. *Ex* verbo autem imputandi probat apoſtolus, Abrahamo hanc mercedem non ex debito fuiſſe datam, ſed ex mera benignitate citra debitum.

Ideo addit, κατὰ χάριν, declarationis gratia, ſive vim verbi iſtius volens exprimere. Non enim aſſeruit aliquid in iſtis verbis apoſtolus, quod tacite in Scripturæ verbis non lateat. Nam alioquin *A*poſtolus ex verbis Scripturæ nihil concluderet. Quocirca ex illis verbis, *ſed ſecundum debitum*, quin etiam ex verbo *imputandi*, videtur, vel verbum aliquod vicinum, nempe *datur*, ibi, vel etiam ante voces ſecundum gratiam ſubaudiendum eſſe, hoc pacto: *Operanti* autem non imputatur merces, hoc eſt, ſecundum gratiam datur; ſed ſcilicet datur ſecundum debitum: vel denique ſtatuendum, apoſtolum brevitati ſtudendo minus quodammodo accuratè, ut in ejuſmodi conciſis ſermonibus fieri ſolet, fuiſſe locutum, & verbo imputandi in poſteriori præſertim enunciati parte abuſum aliquo modo, idque latius extendiſſe.

Verſ. 6. *Quemadmodum & David dicit &c.* Iam ad teſtimonium Davidis tranſit, quo probat, illum demum hominem beatum eſſe prædicandum cui Deus juſtitiam imputat, hoc eſt, abſque operibus tribuit. Μακαρισμὸς eſt prædicatio beatitudinis, ſeu beatificatio. Τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου. ſubintelligi debet verbum εἶναι. Quod ſi ille demum eſt beatus prædicandus, non qui juſtitiam ſeu juſtificationem meretur, ſed cui juſtitia divina benignitate attribuitur, hinc apparet, neminem eam conſequi operibus

Verſ. 7. *Beati quorum &c.* Si illi demum beati ſunt prædicandi, quorum peccata Deus remittit, certe illi demum ſunt prædicandi, quibus juſtitia imputatur a Deo, ſeu abſque operum merito tribuitur. *P*eccatorum enim remiſſione non eſt opus, ubi adſunt opera perfecta, quæ juſtificationem ſua natura merentur.

Verſ. 9. *Beatificatio igitur hæc &c.* Hic jam ad alteram capitis partem tranſit, in qua oſtendit, juſtitiæ imputationem, quæ in remiſſione peccatorum conſiſtit, non ſolum ad Judæos, ſed etiam ad præputiatos, dummodo crædant, ſpectare. Per circumciſionem intelligit circumciſos, per præputium præputiatos; Abſtracta pro concretis. *Dicimus enim, quod inputata ſit Abrahamo fides &c.* quaſi dicat id quod ex Scriptura de Abrahamo citavimus, hanc quæſtionem nobis ſuppeditat. Nam ſtatim quæri poteſt, cum conſtet, Abrahamum primum omnium ex circumciſis fuiſſe, & ab eo circumciſionem cœpiſſe, quo tempore illi fuerit juſtitia imputata, an in præputio adhuc exiſtenti, an vero circumciſo. Hinc etiam quæſtio hæc definiri poterit, nempe *A*brahami exemplo. Conſtat enim in præputio adhuc exiſtenti juſtitiam obtigiſſe.

Verſ. 11. *Et ſignum accepit circumciſionis &c.* Quorſum igitur pertinebat circumciſio, ſi non ad juſtitiam conſequendam? Reſpondet apoſtolus: Signum circumciſionis, id eſt, circumciſionem, quæ inſtar notæ & ſigni cujuſdam eſt, *& ſigillum juſtitiæ* ſeu juſtificationis: nempe quia erat, ut Moſes ſcribit, ſignum fœderis, quod Deus cum Abrahamo pepigerat. Ex fœdere autem apparet, Abrahamum Deo fuiſſe charum, ac proinde pro juſto reputatum: nam alioqui nunquam cum ipſo fœdus, & quidem æternum pepigiſſet. Itaque ex hac nota, quam in corpore ejus extare volebat Deus in ſignum pacti ſecum fœderis, poterat tum ipſe *A*brahamus, tum alii, veluti ex ſigillo aliquo colligere, ipſum eſſe Deo charum, & in conſpectu ejus juſtum. *Inſtitia* autem fidei eſt juſtificatio manans ex fide. Τῆς ἐν τῇ ἀκροβυσίᾳ. Poſſunt hæc verba referri tum ad fidem, tum ad juſtitiam. Satius eſt ea referre ad utumque, ſed primo ad fidem, ex conſequenti vero ad juſtitiam. Fide enim poſita juſtitia ſtatim fuit conſecuta. Sequenti verſu manifeſte hæc verba ad fidem refert apoſtolus.

*Ut eſſet pater omnium credentium.* De eventu magis hæc verba accipienda videntur, quam de conſilio, & perinde eſt ac ſi diceret apoſtolus (reſpondendo ad quæſtionem ℣. 9 propoſitam) hinc conſequitur (nempe inde, quod *A*braham in præputio per fidem fuerit juſtificatus) eum eſſe patrem omnium credentium præputiatorum: id eſt, ita ſe habere ad omnes credentes præputiatos, quemadmodum pater ad ſuos liberos ſive poſteros, ſeu credentes præputiatos inter ipſius liberos numerandos eſſe, & ad hæreditatem ejus pertinere, ac proinde illis quoque eſſe juſtitiam imputandam, ſive imputatum iri.

Verſ. 12. *Et patrem circumciſionis &c.* Simul vero etiam conſequitur, eum eſſe patrem circumciſorum. Τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον ſubintelligi debet vocabulum λογισθῆναι. Ad hoc enim manifeſtè reſpicit. Non enim eſt Genitivus articuli fœminini ut ad περιτομῆς reſpiciat, ſed dativus τοῖς. Quare perinde eſt ac ſi dixiſſet, καὶ πατέρα περιτομῆς εἰς τὸ λογισθῆναι αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον &c. Eſt igitur *A*brahamus pater etiam circumciſorum, adeo ut & illis imputanda ſit juſtitia; verum tum demum, ſi præter circumciſionem aliquid etiam aliud in illis reperiatur: quemadmodum in *A*brahamo præter circumciſionem aliquid etiam fuit aliud, ob quod fuit juſtificatus. Quidnam illud eſt? ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι &c. *A*rticulus τοῖς redundat. Incedere veſtigiis fidei eſt fidem imitari. Itaque illud præter circumciſionem in illis requiritur, ut fidem *A*brahami exprimant & imitentur. Hoc ſi fiat, vere *A*brahamus illorum Pater, vere illi *A*brahæ poſteritas celebrantur, & illius, quam conſecutus eſt *A*braham, juſtitiæ hæredes evadent.

Verſ. 13. *Non enim per Legem promiſsio.* Cauſam affert, cur fidem *A*brahami exprimere & imitari debeant: vel, ut alii volunt, ratio propoſitionis principalis in ſuperioribus expreſſæ redditur: quia nimirum promiſſio illa, quæ *A*brahamo & ſemini ſeu poſteritati ejus a Deo data fuit, nec *A*brahamo data fuerat, quod Legem impleviſſet; nec poſteris ejus ſub conditione Legis implendæ danda, ſed ut *A*brahamo data fuerat ob fidem, & poſteris danda ſub fidei conditione. *Sed per juſtitiam fidei.* Conſequens pro antecedente poſuit, quaſi dicat ſed per fidem quam conſequitur juſtitia, qua poſita plenum jus ad conſequendam promiſſionem conſequitur. Promiſſio autem deſcribitur: *illum eſſe hæredem mundi.* Reſpicit ad promiſſionem terræ Chananææ, quæ fuit typus promiſſionis vitæ æternæ.

ternæ. Itaque utitur voce mundi apoſtolus, ut ſenſum myſticum indicet. Non enim niſi ingenti hyperbole exigua illa mundi pars mundi totius nomine cenſeri poteſt.

Verſ. 14. *Si enim qui ex lege hæredes.* Probat, promiſſionem non contingere ob ſervatam legem, ſed ob fidem, & ex ea manantem juſtitiam, ab abſurdo duplici. Οἱ ἐκ νόμου ſunt illi qui legem ſervant, ut verſ. 16, quemadmodum οἱ ἐκ πίστως; qui fidem habent, ſeu credunt. Abſurdum autem duplex eſt: Primum, κεκένωται ἡ πίστις, *irrita* ſive in anis facta eſt fides, id eſt, nullas habuit vires in concilianda hæreditate, nihil ad eam profuit. Intelligit autem principaliter Abrahami fidem, quam Judæi non poterant negare eas habuiſſe vires, ut ex ea Abrahamus juſtificaretur a Deo, ac proinde etiam promiſſionem adipiſceretur. Quod ſi abſurdum eſt, Abrahami fidem fuiſſe irritam & inanem, etiam abſurdum erit, reliquorum omnium credentium, qui filii ſunt Abrahami, fidem debere eſſe irritam, ſeu non habere eas vires, ut ex ea juſtificentur, ac proinde promiſſionem conſequantur.

*Et deſtructa eſt promiſſio.* Alterum abſurdum, quo magis ſtringit & Judæos urget: quod abſurdum etſi ex primo etiam pendet; tamen maluit apoſtolus alia ratione conſequentiam argumenti ſui probare.

Verſ. 15. *Lex enim iram operatur.* Hic probat hanc conſequentiam: Si illi demum, ſive, ſi illi ſoli, qui legem ſervant, ſunt hæredes, & promiſſionem conſequuntur, ſequitur, deſtrui promiſſionem, id eſt, talem eſſe, quam nullus conſequatur, ſive quæ ad effectum non ſit deducenda. Ad hujus conſequentiæ probationem ſubaudienda eſt hæc argumentatio: *Si illi*, qui ſunt ex lege, ſunt hæredes, ſequetur, ex lege, ſeu per legem eſſe hæreditatem. Atqui abſurdum hoc: *ergo & illud.* Conſequens abſurdum eſſe probatur. Nam ſi ex lege eſt hæreditas, deſtruitur promiſſio. Hoc connexum nunc probat Apoſtolus: quia lex contrarium promiſſioni producat, nempe *iram*, id eſt, pœnam. Per *iram* enim hoc loco pœna intelligitur, quam lex tranſgreſſioribus fixit. Lex autem *iram* ſive pœnam producit poſita tranſgreſſione; ad quam penitus evitandam vires non ſuppeditat: quemadmodum contra poſita obſervatione producit promiſſum, ſeu præmium. Verum quia id aliquo modo impoſſibile eſt, ut quis legem exacte ſervet, partim ob legis ipſius, partim ob ipſorum hominum infirmitatem, hic dicitur lex iram ſeu pœnam potius efficere, ſeu producere, quam præmium. Quomodo autem producat pœnam oſtendit apoſtolus: *Ubi enim non eſt lex, neque tranſgreſſio.* Non negat apoſtolus, fuiſſe homines peccaturos etiamſi lex non fuiſſet data: ſed negat, peccatum habiturum fuiſſe vim ſeu rationem transgreſſionis, niſi fixa fuiſſet lex, ob quam ſit, ut delictum obliget ad pœnam. Itaque lex jus parit, vel ſaltem auget, puniendi homines. Cum igitur nemo ſit qui legem ſervet, lex autem non ſervata obliget ad pœnam (nam ſine ea nulla eſt, vel non adeo aperta firmaque ad pœnam obligatio) hinc efficitur, ut lex iram operetur, tantum abeſt ut promiſſionem nobis largiatur. Poſuit autem apoſtolus vicinam propoſitionem pro vicina. Nam pro eo quod dicere debuerat, ubi eſt lex ibi eſt tranſgreſſio, ut oſtenderet, hanc propoſitionem eſſe convertibilem, ac tranſgreſſionem, ac proinde etiam pœnam individuo nexu cum lege cohærere tanquam cauſa, eo, quo diximus, pacto maluit dicere: Ubi non eſt lex, ibi non eſt tranſgreſſio.

Vrſ. 16. *Propterea ex fide.* Remoto hoc medio, nempe lege, in conſequenda promiſſione, ponitur *aliud medium*, nempe fides. *Ut ſecundum gratiam.* Ideo ex fide, non ex lege, pendet promiſſio, ut ex gratia pendeat, non ex merito. Hoc autem propterea, *ut eſſet firma promiſſio*, i. e. talis, quam nulla res irritam facere poſſit, ſed quæ certo ſit ad exitum deducenda. *Valde* autem fuiſſet incerta, imo nulla, ſi ex merito, ſive ex legis obſervatione, non autē ex gratia & benignitate divina pependiſſet.

*Omni ſemini.* q. d. non ſolum ut eſſet firma ſimpliciter debuit ex gratia pendere, ſed etiam ut omni ſemini eſſet firma. Demus enim, Judæos legem ſervaſſe ac ſervare, ac proinde promiſſionem conſecutos eſſe, quid dicemus de gentibus? Hæ cum legem ne habuerint quidem, quomodo eam ſervare potuerunt? His igitur credendum eſt promiſſioni, & tum, ſi credunt & Abrahamum imitantur, ſemen ejus ſunt. Quare nec fuiſſet promiſſio firma, nec, ſi fuiſſet firma uni parti ex ſemine, omni ſemini firma fuiſſet. Particula hæc univerſalis non eſt apud Moſem, ſed indefinitè dictum eſt *& ſemini tuo.* At ejuſmodi propoſitiones indefinitæ æquipollent univerſalibus, præſertim in rebus favorabilibus. Inprimis autem promiſſiones divinas convenit ac decet tam latè extendi, quam ipſa verba ferunt. *Non illi qui ex lege ſolum &c.* Non iſti tantum ſeminis parti, quæ legem obſervarit & obſervet, ſed & alteri illi legem non habenti: *Quod eſt ex fide Abrahami* id eſt, quod Abrahami fidem imitetur. Sed an hoc cenſeri debet Abrahami ſemen? Imo vero. Nam Abrahamus eſt pater omnium noſtrum, id eſt, credentium, etiamſi variarum gentium ac nationum. *Pater* credentium dicitur tum ratione generationis, tum ratione hæreditatis, quatenus eorundem bonorum fiunt participes, quemadmodum filii patris ſui bona adeunt: quæ Abrahamo primum veluti in ſolidum data fuerant, & ab eo quodammodo in nos devolvuntur.

Verſ. 17. *Quemadmodum ſcriptum eſt.* Probat teſtimonio ſcripturæ, Abrahamum eſſe patrem non eorum ſolum qui ex eo carnali ratione ſunt geniti, id eſt, Judæorum; ſed eorum etiam, qui carnali ratione ab eo profecti non ſunt, utpote longe diverſarum gentium ac nationum homines. *Coram eo cui credidit.* Si volumus, Apoſtolum ad ſuperioris verſiculi ultima verba reſpicere, nempe ad ea, *qui*, ſcilicet Abraham, eſt Pater omnium noſtrum, ſenſus erit, Abrahamum eſſe patrem omnium credentium ea ratione, quæ coram Deo valet ac magno eſt apud eum in pretio, quam Deus approbat, quem convenit ac maxime decet non hanc ex ſanguine & viri voluntate generationem ſpectare, ſed aliam longe ſublimiorem ac digniorem; ut hac ratione occupet Paulus objectionem, quam ipſi movere poterant Judæi, & oſtendere, Abrahamum multarum eſſe gentium patrem, etiamſi Judæorum tantum diceretur pater. Quod ſi volumus hæc verba cum proximis, quæ parentheſi includi debent, jungenda eſſe (nam Paulus ſæpe ſolet verba quæ poſt parentheſin ſubjicit ita efferre, ut non minus parentheſi, quam ſuperiori orationi jungi & accommodari queant) poterit præter illum hic etiam eſſe ſenſus; quod Abrahamus multarum gentium fuerit pater conſtitutus, non quod reipſa, cum hæc diceret Deus, ſed tam certo id futurum erat quaſi reipſa id factum fuiſſet, divino nimirum decreto ac conſtitutione. Nam quæ Deus deſtinat ac futura decernit, ea coram Deo eſſe dicuntur, qui ea quæ non ſunt vocat tanquam ſi eſſent: quem fortaſſis etiam ſic

deſcripſit

deſcripſit hoc loco Paulus, ut oſtenderet illi nihil impoſſibile eſſe eorum quæcunque promittit & decernit; quale hoc erat, quod multæ gentes ex Abrahamo, tum ſecundum carnem, tum etiam ſpirituali ratione naſci deberent. Sed ſimul hac deſcriptione innuere voluit, tum cauſam, tum ſimul etiam objectum fidei Abrahamicæ; quam tamen deſcriptionem ſic temperavit, ut fidei noſtræ objectum & cauſam longè melius exprimat.

*Qui vivificat mortuos.* Credidit Abraham Deo, ſibi promittenti prolem jam centenario, ex Sara conjuge, quæ omnem pariendi vim ob ætatem amiſerat. Cur credidit? quia perſuaſus erat, Deum mortuos vivificare. Nam dum credidit ſe ſenem generaturum liberos, & Saram uxorem ſuam parituram, aliquid valdè ſimile mortuorum vivificationi credidit. Nam quemadmodum mortui ſe habent ad vitam, ita ut naturali ratione vitam recuperare nullo pacto queant, ſic Abrahamus cum uxore ad generandum, ſe naturalibus viribus, inhabilem prorſus eſſe videbat. Hinc apoſtolus verſ. 19 νέκρωσιν Abrahami & Saræ inculcat. Hæc autem carnalis generatio Judæorum ex Abrahamo, naturæ viribus impoſſibilis, & mortuorum vivificationi reſpondens, typus erat alterius illius generationis ſpiritualis, quæ non minus per naturam fuit impoſſibilis, ut gentes ſimilem Abrahamo fidem in Deum haberent: quæ generatio etiam per reſurrectionem ſeu vivificationem mortuorum in ſacris literis deſcribitur Joh. 5. 25, 28. Eph. 2. 1. Col. 2. 13. Idem innuit Baptiſta cum ait, Deum poſſe ex lapidibus prolem Abrahamo ſuſcitare. Reſpicere etiam potuit Apoſtolus ad eam Abrahami fidem, quam habuit dum Iſaacum immolare vellet. Nam tum temporis omni procul dubio credebat, Deum Iſaacum ex mortuis ſuſcitaturum, ſi modo perſuaſus erat (ut certe erat) in eo ſibi datum iri ſemen.

*Et vocat ea quæ non ſunt.* In his verbis videtur eſſe Metaphora, ſumpta ab heris, qui famulos ſuos vocant, & illis quæ volunt imperant; ſic Deus non tantum rebus jam exiſtentibus, ſed etiam nondum exiſtentibus, perindè ac ſi exiſterent. Qua phraſi ſignificatur, Deum eſſe tam potentem, ut quæ velit, quæ illi libeat, producere poſſit, & ut exiſtant, ac ad nutum ejus præſto ſint, efficere. Sic 2 Reg. 8. 1. Pſalm. 105. 16 dicitur Deus advocare famem, Agg. 1. 11 ſiccitatem, id eſt, ſuo nutu efficere, ut & fames & ſiccitas exiſteret, ac veluti miniſtri Dei, mandata ejus exequantur. Hæc autem deſcriptio magis eſt appoſita ad innuendum noſtræ fidei objectum & cauſam. Nos enim verè ac propriè credimus, Deum & Chriſtum à mortuis reſuſcitaſſe, & nos reſuſcitaturum ac vivificaturum eſſe: nos propriè ac verè credimus, Deum vocare non exiſtentia ac ſi eſſent. Nam etiamſi deſierimus, Deo tamen ſemper erimus. Omnes enim illi vivunt; qui propterea Abrahami, Iſaaci & Jacobi Deum ſe vocat ac beneſactorem, licet jam dudum eſſe ac vivere deſierint: quia illi eſt in prono ſemper ac facilè vitam eis reddere, quam tandem aliquando & illis & una credentibus omnibus reddet ac reſtituet.

Verſ. 18. *Qui præter ſpem &c.* Deſcribit magnitudinem fidei Abrahamicæ, ratione ejus quod credidit. *Præter ſpem* dicit eum credidiſſe, qui credidit tali promiſſo, cujus naturaliter nulla ſpes erat, quod videbat naturæ viribus non poſſe produci.

*Super ſpem.* Per ſpem videtur intelligendum eſſe ipſum promiſſum: quod ideo ſpem vocat, quia illi ſpem faciebat, per metonymiam effecti. Quaſi dicat: etiamſi naturaliter nulla ſpes ſupereſſet, tamen, cum ei ſpes divinitus facta eſſet, divino promiſſo credidit. Vel etiam ſpes, pro re ſperata, ut alibi.

*Ut eſſet Pater multarum gentium.* Εἰς τὸ γενέσθαι hoc loco non denotant cauſam finalem, ſed id quod Abrahamus credidit. Hebraica eſt conſtructio, Infinitivus pro futuro. Quanquam nos idem per Infinitivum futuri temporis poſſumus exprimere, hoc pacto, ἐπίστευσε γενήσεσθαι &c, *credidit ſe futurum Patrem.*

Verſ. 19. *Et non infirmatus fide.* Id eſt, minimè infirmus fide. Hebræis in more eſt, ut dum contrarium negant, alterum ejus contrarium fortiſſimè aſſeverent; ut minime debilis, pro robuſtiſſimo accipiatur. Sic non infirmus fide reſpondet illi quod ſequenti verſu dicit Apoſtolus ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει.

*Non conſideravit.* Conſideravit quidem, ſed perinde erat ac ſi prorſus non conſideraſſet, ac ſi id non animadvertiſſet. Id eſt, cjus rei non habuit rationem, hæc res eum in fide promiſſo divino adhibenda ne tantillum quidem turbavit.

*Centenarius fere.* A primo promiſſo Apoſtolus devolvitur ad ſecundum, cum illi Iſaacus promitteretur: quia hæc erat una fides, quæ in Abrahamo perpetuo durabat, & in variis objectis ſeſe exerebat: quæ objecta prout erant magis ad credendum ardua, ita etiam fides major apparebat. Ardua res erat primo promiſſo credere, ſed magis ardua ſecundo. Nam & ætate erat provectior, & Saram videbat jam omnes ad pariendum vires ſenectute perdidiſſe.

Verſ. 20. Εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν. Διὰ hoc loco non habet vim adverſativæ particulæ, ſed potius copulativæ; cum ἀ conjungi debet, ac ſi ſcriptum eſſet ἀ δὲ ἐς τὴν &c. Διεκρίθη hoc loco accipi poteſt, vel pro diſquiſitione, vel pro dubitatione, ut infra cap. 14. verſ. ult. Non diſquiſivit in Dei promiſſionem, non eam examinavit, ac ſuo quodam judicio metitus eſt: vel nihil etiam planè dubitavit de divino promiſſo. τῇ ἀπιστίᾳ, ob incredulitatem.

*Dans gloriam Deo.* Deo hunc honorem habuit, ut illi promittenti rem naturæ viribus impoſſibilem crederet. Solent hac phraſi uti Hebræi cum aliquem obteſtantur. Sic Joſua Joſ. 7. 19 Achani, ut vellet fateri id quod res erat, *da* inquit, *gloriam Deo*, tribue illi hunc honorem, ut ejus nominis reſpectu verum fatearis. Habet enim Deus ex eo gloriam, cum quis ejus cauſa id facit vel dicit, quod alias non erat ullius hominis cauſa vel dicturus vel facturus. Sic Judæi cæcum illum ſanatum obteſtantur, ut verum dicat de viſu recuperato: *Da*, inquiunt, *gloriam Deo* Joh. 9. 24, fatere verum, & Deo hunc honorem habe, ut ejus cauſa verum dicas. Sic hoc loco Abrahamus hunc honorem Deo habuit, ut illi rem arduam, & naturæ viribus impoſſibilem promittenti, crederit.

Verſ. 22. *Ideo & imputatum eſt &c.* Jam antea, cum primo promiſſo crediderat, imputatum hoc illi erat ad juſtitiam. Sed oſtendit Apoſtolus, fidem in Abrahamo perpetuo duraſſe, & in variis rebus ſeſe exeruiſſe, ac proinde etiam certius ac firmius à Deo juſtificatum fuiſſe. Ideo etiam Jacobus tum demum Abrahamum juſtificatum ſcribit, cum Iſaacum obtuliſſet. Pari enim paſſu cum fide ambulat juſtificatio. Durante fide, durat juſtificatio, & prout fides ſeſe in pluribus rebus prodit atque exerit, ita juſtificatio firmior eſt, ac certior.

23. *Non eſt autem ſcriptum tantum &c.* Ex eo quod id ſcriptum ſit, & divina voluntate ac juſſu memoriæ proditum, docet apoſtolus, Deum idem facturum

omnibus, qui ſimilem Abrahamicæ fidem habuerint. Non hæc, inquit, Deus ſcribenda curavit ſolius Abrahami cauſa, ut ex eo laudem & gloriam apud poſteritatem conſequeretur; ſed ut ex eo colligere poſſimus, & argumentum hinc capere, Deum ſimili ratione nobiſcum acturum, & nobis etiam fidem imputaturum, fidem inquam, in eum, qui reſuſcitavit Jeſum Dominum. Deſcriptione ejuſmodi Dei voluit & objectum fidei noſtræ, & cauſam exprimere. Nam utrumque nobis credendum eſt, tum quod Deus Chriſtum a mortuis ſuſcitaverit, tum quod nos etiam, ut promiſit, & Chriſti reſuſcitatione demonſtravit, reſuſcitaturus ſit.

Verſ.25. *Qui traditus eſt &c.* Quia mentionem fecerat reſurrectionis, quam mors neceſſario anteceſſit, propterea cauſam mortis Chriſti affert; nempe quia ea res erat Judæis ſcandalum, Græcis ſtultitia 1 Cor. 1. 13. Cauſa autem ſunt peccata noſtra. Loqui videtur Apoſtolus de cauſa impulſiva, quæ Deum impulerit ut Chriſtum in mortem traderet. Hæc autem cauſa erant peccata noſtra, poſito nimirum decreto de nobis ſervandis. Nam ſine hoc peccata noſtra non impuliſſent Deum ad Chriſtum in mortem tradendum. Illo enim decreto non poſito peccata noſtra impellebant Deum ad nos perdendos: tantum abeſt, ut eum ad tantam erga nos charitatem exercendam impellere potuerint. Poſito autem illo decreto, quia peccata noſtra obſtabant, quo minus hoc decretum ad exitum perduci poſſet, ideo impellebant Deum ut id faceret, per quod peccata noſtra amoveri poſſent, eorumque vis, (quam ad nos perdendos, & ſpem immortalitatis nobis eripiendi habebant) extingui, ne decreto illi divino obſtarent. Hoc autem erat mors Chriſti, per quam effectum eſt, ut & peccatis valediceremus, & ſpem conciperemus, peccata noſtra nobis ad ſalutem non obfutura, ſeu nos eorum remiſſionem gratuitam conſecuturos: quæ duo erant omnino neceſſaria ad id, ut decretum illud ad exitum perduceretur.

*Reſurrexit autem propter juſtificationem noſtri.* Per juſtificationem intelligit hoc loco liberationem ab omnibus pœnis, quam Dominus Jeſus a morte reſuſcitatus & glorificatus perpetuo procurat, ac tandem aliquando plenè ad exitum perducturus eſt. Eleganter admodum Apoſtolus finem conjunxit cum eo, quod ultimo loco cum Chriſto factum eſt, & cauſam impulſivam cum eo, quod primo: licet & cauſa impulſiva cum ultimo, & cauſa finalis cum primo cohæreat.

## CAP. V.

Verſ.1. *Juſtificati igitur ex fide.* Hæc verba Apoſtoli vel de ipſa juſtificatione, quam fuerimus per fidem conſecuti, vel de doctrina juſtificationis per fidem conſequendæ intelligi poſſunt. Si poſteriori modo, enumerabuntur hic ab Apoſtolo fructus, qui ex hac doctrina in nos manant: quorum primus erit *pax* ad Deum, id eſt, animi noſtri tranquillitas, & a ſuppliciis divinis non immunitas ſolum, ſed etiam ſecuritas. Cum enim ſcimus Deum præterita omnia peccata noſtra nobis remiſſurum eſſe, & inpoſterum etiam ſtricto jure adverſum nos non uſurum, ſed paterna quadam gratia ac clementia nobiſcum acturum, id eſt, leviores noſtros lapſus, ex ignorantia vel ex infirmitate aliqua profectos (hoc enim eſt ex fide juſtificari, non ex operibus) nobis ignoturum, nulla in poſterum Dei ſupplicia formidamus. Si vero priori modo ea intelligamus, enumerantur hic fructus juſtificationis ipſius, quam conſecuti fuerimus, idque per fidem. Juſtificatio noſtra vel accipitur pro ejuſmodi a reatu ac pœna, quam peccatis promeruimus, abſolutione ac liberatione, qua fit, ut nolit nos Deus punire, ſed potius nobiſcum perinde velit agere, ac ſi juſti & innocentes eſſemus: vel accipitur pro ipſa ſalute noſtra quam aliquando conſecuturi ſumus, & a pœna jam jam peccatoribus imminente liberatione æternaque immunitate. Illa juſtificatio ſimul ac fidem in Chriſtum complectimur nobis contingit, & tam diu durat, quam diu in nobis durat fides, eaque viva & per charitatem efficax, ſeu quæ obedientiam, qualem Chriſtus a nobis requirit, habeat conjunctam. Hæc vero poſterior juſtificatio, quæ ex illa prima fluit, in adventu Domini Jeſu nobis continget.

*Pacem habemus ad Deum.* Priorem horum verborum ſenſum jam ante expreſſimus. Poſterior eſt, quaſi dicat. Poſtquam Deus a peccatorum reatu nos liberavit, quod ejus gratia ac miſericordia factum eſt, non vero noſtris operibus & merito, qui multorum peccatorum rei eramus, hunc primo fructum habemus, quod firma perfectaq; nobis cum ipſo intercedit concordia, quæ non permittit, ut quicquam ab eo in nos proficiſcatur hoſtile. Deletis enim peccatis, & nobis juſtificatis, nullus eſt locus iræ & divinis in nos ſuppliciis.

*Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Qui fœdus inter nos & inter Deum pepigit, & ſuo ſanguine ſanxit; ex quo fœdere pax utraque a nobis explicata proficiſcitur: qui noſter eſt patronus, & cauſam noſtram apud Deum agit: qui noſter eſt pontifex eſt, & pro nobis interpellat, hoc eſt, ab ira, ut alibi Apoſtolus loquitur, nos ſervat & eripit.

Verſ.2. *Per quem & aditum accepimus fide ad hanc gratiam in qua ſtamus.* Secundus hic juſtificationis per fidem, ſeu doctrinæ de ea, fructus. Quaſi dicat: non ſolum autem juſtificationem, & hanc pacem, cum Deo, interveniente fidei conditione, per Chriſtum ſumus conſecuti; ſed etiam per eundem Chriſtum, eadem fidei conditione interveniente, aditus nobis patefactus eſt ad hanc gratiam, id eſt, beneficium iſtud divinum, quod gratia vocatur, per Metonymiam cauſæ, in qua ſtetimus, vel etiam ſtamus, quod adepti ſumus.

*Et gloriamur in ſpe gloriæ Dei.* Exprimit beneficium iſtud quod per Chriſtum adepti ſumus, ſeu ad quod adipiſcendum nobis aditum patefecit. *Et* hoc loco æquivalet particulæ *quod*, Hebræorum more. Eſt ergo hoc beneficium ſpes gloriæ divinæ, ſeu, quod majus eſt, gloriatio de hac ſpe: quæ res indicat ſummam ſpei iſtius certitudinem. Non ſolemus enim de rebus dubiis & incertis gloriari, ſed de rebus certiſſimis. Ad hoc beneficium tantum aditum nobis aperuit Chriſtus, cum non ſolum divinæ gloriæ, hoc eſt, immortalitatis glorioſæ promiſſum attulit, & ſuo ſanguine obſignavit; ſed etiam effecit, ut eam conditionem, quæ ad illud conſequendum requiritur, amplecteremur: qua ratione factum eſt, ut plenum ad Dei gloriam jus ſimus adepti, ac proinde merito gloriemur, nos aliquando Dei gloriæ futuros participes.

Verſ.3. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in afflictionibus.* Tertius hic fructus exprimitur. Tacitæ autem objectioni videtur occurrere Apoſtolus. Poterat enim

enim aliquis illi Chriſtianorum calamitates, quibus perpetuo afflictantur objicere, & eorum ex adverſo miſeriam & infelicitatem oſtendere. Apoſtolus non tantum oſtendit hæc mala & calamitates felicitati eorum non obſtare, ſed etiam materiam gloriandi illis præbere, & in felicitatis cujuſdam ac boni loco poni. Quod quia paradoxon alias eſſe videri poſſit, idcirco ſtatim explicat qua ratione id fiat.

*Scientes quod afflictio patientiam operetur.* Hinc apparet afflictiones & mala non per ſe materiam gloriandi fidelibus dare, & bonorum loco duci; ſed ex accidenti, quatenus operantur patientiam, non quidem per ſe; (nam aliquando, imo ſæpius operantur impatientiam) ſed occaſionem ad patientiam præbendo. Nec enim patientiam exercere & in actum deducere poſſemus, niſi nobis varia mala objicerentur, quorum tolerantia patientia exercetur. Etſi autem patientiam non per ſe nec in omnibus operentur afflictiones; operantur tamen in illis omnibus, de quibus loquitur Apoſtolus, hoc eſt fidelibus & ſibi ſimilibus: fidem enim proſupponit Apoſtolus. Hæc autem patientia in eo conſiſtit, ne nos ullis malis ac calamitatibus patiamur ab arce, ut ſic dicam, fiduciæ & ſpei in Deum dejici: unde fit ut multa turpia admittamus, & inprimis Chriſtum ejuſque religionem abnegemus. De talibus enim afflictionibus hic loquitur Apoſtolus quæ Chriſtianis qua Chriſtiani ſunt eveniunt.

Verſ. 4. *Patientia probationem.* Ex hac vero patientia oritur probatio: id eſt jam & Deus pariter hujuſmodi hominem hoc experimento exploratum approbat, & is ipſe qui omnes calamitates & excepit forti pectore, & ſuſtinuit invicto animo, manifeſte agnoſcit ſe Deo confidere, ſe fidem habere auro quovis puriorem ac præſtantiorem, quam fornax ſeu ignis calamitatum ſolvere non potuerit.

Unde poſtmodum oritur *Spes* in ejus animo; non illa quæ ex auditis divinis promiſſionibus earumque confirmationibus, ab initio ſtatum fuerat in animo ejus exorta, quæque idem eſt cum fide noſtra; ſed quæ poſt præſtitam conditionem ſequi ſolet, & in hac argumentatione, Quicunque crediderit ſervabitur, ego credo, concluſionem infert, ergo ego ſervabor: qua ſpe quid in hac vita mortali ſublimius, quid divinius nobis contingere poteſt, cum nec ex parte noſtri, nec ex parte Dei jam quicquam dubitamus? Et ne quis ex parte Dei dubitare poſſet, oſtendit id Apoſtolus, cum ait:

Verſ. 5. *Spes vero non confundit.* Id eſt non erit nobis confuſionis cauſa; quæ exoritur, cum res nimirum ſperata, & cujus cauſa multum fecimus, nos fallit. Spes alit & fallit, dici ſolet; ſed hæc *ſpes non* fallit, idque oſtendit Apoſtolus invicto plane argumento:

*Quia charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris.* Sumit argumentum ab incredibili & ſumma in nos Dei charitate & amore, & non tantum affirmat quod Deus nos amet, ſed ait nos ipſos habere charitatis iſtius ſenſum, eumque in animis & cordibus noſtris diffuſum. *Charitas* enim hoc loco, per metonymiam, pro charitatis ſenſu ſumi debet, qui effuſus eſt in cordibus noſtris, id eſt, corda noſtra non aliquo modo, aut aliqua ex parte, ſentiunt hunc Dei in nos ardentiſſimum affectum, ſed plena ſunt ſenſus iſtius, adeo ut vix complecti, imo complecti non poſſint quantum nos Deus amaverit; Senſus autem amoris iſtius excitatus eſt in nobis per Spiritum Sanctum, & per ejus in cordibus noſtris diffuſionem. Spiritu enim ſancto ubertim ab initio Euangelii in fideles effuſo, & teſtimonium Euangelicæ veritati, quæ nihil prope aliud eſt quam divinæ erga nos charitatis præconium, præbente, mentes noſtræ agnoverunt maxima iſtius in nos amoris divini argumenta & veluti pignora; quorum maximum & prorſus ſtupendum eſt Chriſti mors pro nobis ſuſcepta, quod affert Apoſtolus.

Verſ. 6. *Adhuc enim Chriſtus, exiſtentibus nobis infirmis, ſecundum tempus eſt mortuus.* Duo ſunt quæ ſummum erga nos amorem Dei arguunt, eumque nobis ob oculos ponunt. Unum, quod Chriſtum pro nobis in mortem dederit: nam etiamſi ſimpliciter Apoſtolus dicat Chriſtum mortuum eſſe, intelligi tamen debet, eum ex voluntate & conſilio Dei mortem ſubiiſſe, ſeu à Deo in mortem hanc eſſe traditum. Alterum, quod eo tempore Deus rem tantam noſtri cauſa fecit cum adhuc infirmi eſſemus, imo cum homines generatim omnes eſſent impii.

Addit, *ſecundum tempus*, nempe Chriſtum eſſe mortuum, vel propterea quod tempore à Deo conſtituto & definito id fuerit factum, ut hac ratione occurreret tacitæ objectioni, cur jam olim non fuerit Chriſtus pro hominibus in mortem datus, vel quod tempore admodum oportuno id fuerit factum, nempe cum homines ad ſummum ſcelerum & impietatis faſtigium perveniſſent, ut ſecuturæ ætates hinc documentum caperent incredibilis erga genus humanum divinæ charitatis, & certiſſimam ſpem conciperent, ſi ſe ad Deum converterint, gratiæ divinæ & remiſſionis peccatorum.

Verſ. 7. Hoc poſterius illuſtrat Apoſtolus cum ait: *Vix enim pro juſto quis moritur.* Hinc enim apparere poteſt quantus in eo fuerit amor Dei erga homines, dum pro hominibus injuſtis atque impiis in mortem filium ſuum dedit, quod vix id contingat ut quis juſti hominis cauſa mortem oppetat.

*Pro bono enim fortaſſe quis etiam audeat mori.* Quaſi dicat, dico vix id fieri, quia fortaſſis evenire id poſſet ut quis boni & probi hominis cauſa mortem non reformidet.

Verſ. 8. *Sed commendat ſuam in nos charitatem Deus.* Quaſi dicat, at non pro juſtis ac piis hominibus Deus filium ſuum morti objecit; ſed ut illuſtriorem redderet ſuam in nos charitatem, & infallibile documentum nobis relinqueret amoris ſui, propterea pro nobis adhuc peccatoribus Chriſtum in mortem dedit, nempe ut promiſſiones divinas de peccatorum remiſſione & vita æterna confirmaret ac ſanciret, & ut nos ad eas amplectendas adduceret. Ex hac igitur tanta Dei in nos charitate, ſeu ex hoc charitatis effectu concludit Apoſtolus, ſpem ejuſmodi qualem ſupra dixit, non confuſuram.

Verſ. 9. *Multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine &c.* Per juſtificationem quam nunc habemus, intelligit vel ipſam juſtificationem, ſed in jure tantum conſiſtentem, quod jus Chriſti ſanguine adepti ſumus; vel potius, per metonymiam effecti, intelligit cauſam juſtificationis, id eſt converſionem noſtri ad Deum & vitæ innocentiam, quæ rectius peccatis opponitur. Per particulam nunc opponit Apoſtolus tempus præſens converſionis noſtræ ad Deum tempori præterito, quo adhuc inimici Dei & peccatores eſſemus.

*In ſanguine ipſius.* Chriſti enim morte & ſanguinis fuſione effectum eſt, ut peccatis relictis ad Deum tantam ejus charitatem, & promiſſionum ejus certi-

titudinem animadvertentes, fuerimus converſi.

*Servabimur per ipſum ab ira.* Id eſt, à pœnis & ſuppliciis divinis, quæ ex ira Dei in homines proficiſcuntur, liberabimur.

Verſ. 10. Reddit apoſtolus conſequentis rationem, cum ſubjungit: *Si enim inimici exiſtentes reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ipſius, multo magis &c.* Duo hic ſunt quæ ſibi invicem opponuntur; inimici reconciliatis, mors Filii Dei vitæ ejus. Quod ſi ergo Deus, ut nos inimicos ſuos ſibi reconciliaret, & ad amicitiam ſecum ineundam adduceret. Filium ſuum chariſſimum in mortem impendere non dubitavit, an non multo magis nos jam ad ſe converſos, ejus ſervos, imo filios effectos, & amicitiam cum ipſo colentes, per vitam Filii ſui ſervabit; id eſt, à morte vindicatos ad ſalutem æternam perducet? Quam ad rem non opus eſt amplius morte Filii ejus chariſſimi; ſed tantum ut ad eam rem potentia ſua divina, qua à Deo eſt præditus, utatur. Argumentum prorſus invictum. Magis enim conſentaneum eſt ut Deus amicos ſuos & ſui amantes ſervet, & ab omnibus pœnis & ſuppliciis eripiat, quam ut inimicos ſuos quærat & eorum amicitiam ambiat, ac ſibi reconciliet. Quod ſi ergo hoc poſterius tanto cum impendio fecit, ut filium ſuum chariſſimum in mortem tam diram impenderit; quomodo prius illud facturus non eſt, cum jam ad id non requiratur tantum impendium, id eſt mors unigenæ illius, ſed per vitam ac potentiam ejus id fieri queat, atque adeo futurum ſit.

Verſ. 11. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in ipſo Deo.* Eo aſcendit Apoſtolus quo jam altius aſcendi non poteſt. In ipſo, inquit, Deo, quo nihil majus, nihil ſublimius, gloriamur. Deus eſt noſter. Deus ſua divina potentia & imperio in nobis beandis, & omni felicitate afficiendis uſurus, & omnia ſua bona nobiſcum communicaturus eſt.

*Per Jeſum Chriſtum.* Nempe quod per ipſum reconciliationem nunc acceperimus. Is enim eſt qui & nos ad Deum, morte ſua nimirum, adduxit, & ex inimicis amicos effecit; unde factum eſt ut & Deus jam plane omnium peccatorum & offenſarum oblitus, paterno in nos amore exarſerit.

Verſ. 12. Beneficium iſtud quod per Chriſtum adeptos nos eſſe ſuperius oſtendit, per collationem cum re contraria illuſtrare vult Apoſtolus, oſtendens ſimilitudinem & convenientiam quandam, tum etiam diſſimilitudinem. Similitudinem primo oſtendit: *Propter hoc.* Quaſi dicat, ex iis quæ hactenus de beneficio quod per Chriſtum adepti ſumus diſſerui, patet & conſequitur, me jure optimo Chriſtum cum Adamo conferre poſſe in re contraria, nempe hac ratione:

*Quemadmodum per unum hominem.* Eva cum Adamo, utpote pars quædam ejus, hoc loco pro uno homine computantur.

*Peccatum eſt in mundum ingreſſum.* Id eſt, in mundo, ſeu inter homines exiſtere cœpit.

*Et per peccatum mors.* Atque hac ratione iiſdem veſtigiis mors, nempe æterna, fuit ſubſecuta; vi nimirum comminationis, quæ præcepto Adamo dato fuit addita.

*Et ſic in omnes homines mors pertranſiit.* Oſtendit his verbis Adamum in eandem ſecum ruinam traxiſſe & involviſſe poſteritatem ſuam, & ſuo peccato effeciſſe ut poſteritati ejus eadem ſubeunda eſſet conditio. Notanda enim eſt vocula *Sic*, cujus magna vis eſſe videtur. Oſtendit enim rationem qua factum eſt, ut omnino Adami poſteritas in mortem inciderit, non ſecluſa tamen relaxatione, quæ ex divina benignitate & clementia pendet. Peccato autem ſuo in eandem ſecum conditionem traxiſſe videtur Adamus poſteritatem ſuam, & morti jus quoddam, ut ſic dicam, in eam dediſſe, duplici modo & ratione: vel ut credamus, in illa comminatione, *morte morieris*, (nempe ſi comederis) non ſolum Adamum, ſed omnem ejus poſteritatem fuiſſe comprehenſam. Solet enim in ejuſmodi comminationibus vel etiam promiſſionibus, poſteritas ſubintelligi: ut cum propheta Davidi dicit, illum moriturum non eſſe 2 Sam. 12. 13, confer cum verſ. 10, vel etiam cum promittit eidem Deus, ipſum regnaturum in æternum, ut cum ſenſu literali dicitur eſſe Sacerdos ſeu princeps (utrumque enim *koben* ſignificat) in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Poterat vero Deus nulla poſteritati facta injuria id in pœnam Adami decernere, quemadmodum etiam Paradyſo una cum poſteritate privatus, & terra maledicta uſus eſt. Hæc enim pœna in univerſam ejus poſteritatem redundavit: quæ tamen poſteritatis reſpectu rationem pœnæ non habet. Alter modus eſt, quo factum eſt ut propter Adami peccatum mortem poſteritas ejus incurrerit, quod ſoleat Deus parentum peccatis impelli ad puniendam poſteritatem, propriis ejus peccatis accedentibus, quæ fortaſſe non puniviſſet, aut non ita ſevere, niſi illa præceſſiſſent. Præterea, cum in re ipſa nihil eſſet iniqui, potuit Deus id quod ſemel conſtituerat, tranſgreſſionis ſupplicium in poſteris etiam Adami ratum velle, licet non eodem prorſus modo peccantibus: præſertim cum poſteri hoc parentis ſui damno moneri poſſent, ne id quod Deo diſplicere crederent committerent, etiamſi id lege expreſſa non vetuiſſet.

Addit apoſtolus: *Quatenus omnes peccaverunt.* His verbis oſtendit apoſtolus; etiamſi peccatum Adami vim habuerit in afferenda morte ejus poſteritati, Deum tamen pro ſumma ſua benignitate & æquitate exemturum fuiſſe eum qui prorſus fuiſſet innocens. Itaque id adhuc requirebatur ad ſubeundam parem cum Adamo mortis conditionem, ut proprium aliquod cujuſque delictum accederet, quo excluſo ſolum Adami peccatum poſteros ejus innoxios morti penitus ſubjicere nequiviſſet. Tria hic notanda ſunt: unum, quod Adamus nemini nocere potuerit, niſi ſuæ poſteritati: deinde, quod non niſi peccato cujuſque proprio accedente, tertio, quod in delicto quædam fuerit imparitas, in pœna paritas.

Verſ. 13. *Uſque ad Legem enim erat peccatum in mundo.* Innuit Apoſtolus omnes Adami poſteros peccaſſe. Hoc alicui mirum videri poterat, cum Lex per longum tempus non extaret, non extante autem Lege non videtur peccato eſſe locus. Itaque oſtendit Apoſtolus peccata extitiſſe & locum habuiſſe, etiam non extante Lege. Erat enim alia lex uniuſcujuſque animo & conſcientiæ inſcripta, quam qui tranſgreditur peccat. Sed ne quis iterum diceret & objiceret, ſi propria cujuſque peccata dantur propter quæ damnationem meretur, quid ad eam Adami peccatum conferre potuit?

Subjungit apoſtolus: *Peccatum autem non imputatur lege non exiſtente.* Non ſolet peccatum, inquit, imputari, id eſt reum pœnæ quempiam per ſe conſtituere,

ſtituere, cum nulla lex quæ pœnam minetur extet: quaſi dicat. Peccatum quidem ſine lege aliqua ſcripta eſſe poteſt; ſed pœnæ locus eſſe non ſolet. Itaque ſi pœna nihilominus infligatur, neceſſe eſt aliam ſubeſſe cauſam quæ judicem ad id impellat. Dictum Apoſtoli de eo loquitur quod generatim fit, non quod raro ob immanitatem noſtri facinoris, & de eo quod per ſe, non quod per accidens, ut in noſtro negotio contingit.

Verſ. 14. *Sed regnavit.* Quaſi dicat, atqui tamen, etiamſi lex quæ pœnam aperte comminaretur, non extaret,

*Mors.* Imperium ſuum exercuit.

*Ab Adamo uſque ad Moſen.* Qui legis promulgator fuit.

*Etiam in eos qui non peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam.* Etiam illi mortem incurrerunt qui nullam apertam Dei legem (quæ comminationem mortis haberet adjunctam) tranſgreſſi ſunt, quemadmodum fecerat Adamus. Hoc autem duplicem, ut antea diximus, ob cauſam, tum quod Adami eſſent poſteritas, tum quod eum in peccato fuiſſent aliquo modo imitati.

*Qui eſt typus illius futuri.* Hic expreſſit apodoſin apoſtolus, ſed brevibus ac conciſis verbis; quia ad explicandam diſſimilitudinem properabat. Ideo verſum 18,19 poſt parentheſin explicat. Typus autem eſt futuri Adæ, id eſt ejus qui futurus erat, & quem ille adumbrabat hac ratione, quod quemadmodum Adamus primus fuit qui apertum Dei mandatum, comminationem mortis adjunctam habens, tranſgreſſus eſt, & hac ratione univerſam ſuam poſteritatem, peccato tamen ejus proprio, licet non contra apertam Dei legem comminationem pœnæ adjunctam habentem commiſſo, accedente, mortis pœnæ mancipavit: ſic Chriſtus primus fuit, qui legem à Deo latam, vitæ promiſſum continentem, ſervavit, & hac ratione omnem ſuam poſteritatem, quæ per ſemen verbi ſeu euangelii ex eo fuit nata, id eſt credentes & doctrinam ejus recipientes, ſeu diſcipulos ſuos, accedente tamen eorum obedientia, licet non tali cui vi legis præmium ſeu juſtificatio & vita æterna debetur, ejuſdem præmii ac vitæ ſecum effecit participes. Hic enim eſt præcipuus apoſtoli ſcopus, ut oſtendat Chriſti diſcipulos, qui ejus ſunt poſteritas, licet non tam perfecte Deo obediant quemadmodum Chriſtus obedivit, adeoque vi divinæ legis juſtificari & ſalvari non mereantur, nihilominus tamen, dummodo pro viribus ea ratione quam Chriſtus præſcripſit obediant, Chriſtumque imitentur, ob Chriſti ſpiritualis ſui parentis perfectam obedientiam, eandem cum ipſo felicitatem eſſe conſecuturos; non quidem quod hoc ipſum quoque obedientia Chriſti proprie loquendo fuerit merita, ſed quod Deus ex mera benignitate tam amplo præmio ipſius obedientiam remunerare decreverit, ſeque promiſſo ſuo obſtrinxerit.

Verſ. 15. *Sed non quemadmodum delictum ſic & donum.* Incipit hic oſtendere Apoſtolus diſſimilitudinem inter Adami delictum, quodque ex illo manavit in poſteros malum; & inter donum ſeu bonum, quod ex Chriſti manarit obedientia in ejus poſteros.

*Si enim unius delicto multi ſunt mortui.* Si Deus mortem inflixit iis etiam qui non ita peccarunt, ut peccati ſui vi ad eam fuerint per ſe obligati: quippe quod nullam apertam Dei legem ſub comminatione mortis propoſitam ſint tranſgreſſi, tantummodo quod parens ipſorum talem Dei legem tranſgreſſus eſt, atque hac ratione ſeſe obſtrinxit ad mortis pœnam: multo magis gratia divina, quæ in juſtificatione & vitæ æternæ dono conſiſtit, in eos etiam dimanabit, qui Legem Dei non ita ſervarunt, ut ejus vi beneficium hoc conſequi poſſint, quippe quod nullus eorum eam perfecte & exacte ſervaverit, eo quod ſpiritualis ipſorum pater Chriſtus Jeſus, legem Dei exacte ſervavit, & ejus vi juſtificationem & æternam vitam eſt commeritus. Dicit hanc gratiam, & donum Dei, in gratia unius hominis in multos dimanaſſe ſeu abundaſſe.

*In gratia.* Id eſt per gratiam Jeſu Chriſti. Gratiam Dei vocat etiam Jeſu Chriſti gratiam, partim quia per ipſum nobis eſt oblata ac ſancita; partim vero quia ex ejus obedientia fructus illius ad nos demum manare ex decreto divino debuit, & nunc re ipſa manat, partim denique quia ejus effectus primum in Chriſto apparuit. Unum hominem uni homini opponit. Quod autem multo magis conſequi debeat ex Chriſti obedientia noſtra juſtificatio & ſalus, quam ex Adami delicto damnatio, inde patet, quod longe convenientius, longe juſtius & laudabilius ſit bona in multos derivare, quam mala. Laudabilius enim eſt & pulchrius benefacere, quam incommodo aliquem afficere, ſeu prodeſſe quam obeſſe; & comminationes cum laude relaxari poſſunt, promiſſiones non niſi injuſte reſcindi.

Verſ. 16. *Et non ſicut.* Alteram diſſimilitudinem in parentheſi ſubjungit Apoſtolus, inter donum ſeu bonum quod ex unius obedientia profluxit; & inter malum quod ab unius peccato profectum eſt. Ea autem eſt cum ait:

*Etenim judicium ex uno in condemnationem.* Per *judicium* intelligit actum illum Dei, ejuſque ſeveritatis, quæ in ferenda in Adamum & poſteros ejus ſententia conſiſtit, quæ talis eſt, ut ob unum peccatum, & Adamum & poſteros ejus qui peccarunt, damnarit.

*At vero donum ex multis delictis in juſtificationem.* Donum videtur opponi judicio, χάρισμα τῷ κρίματι, & ſignificare actum illum Dei benignum ac beneficum, quo non unum tantum aliquod peccatum, ſed innumera eaque graviſſima nobis remiſit, & ab iis abſolutos vita ſempiterna donare conſtituit. Differentia hæc duplex quodammodo eſt, altera, quod ibi ex delicto ſecuta fuerit damnatio multorum, hic autem juſtificatio; altera quod illi damnationi multorum occaſionem dederit unum tantum unius hominis delictum, hic vero juſtificationi multa delicta, hoc eſt, ſingulorum hominum qui juſtificationem illam adipiſcuntur, divinæque legis tranſgreſſiones, quæ damnationem per ſe merebantur.

Verſ. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum.* Diximus antea ſuperiorem verſum 16, parentheſi includi debere: redit enim hic ad id quod verſ. 15 dixerat. Quomodo autem unius peccato, ſeu ob unius peccatum mors regnarit, jam ante explicatum eſt. Regnaſſe autem mors dicitur, quod late imperium ſuum exercuerit.

*Per unum.* Quia nimirum deliquerit, & eam ob cauſam mortis ſupplicio fuit ſubjectus.

*Multo magis qui abundantiam gratiæ & donum juſtitiæ accipiunt.* Id eſt abundantem gratiam & donum, quod eſt juſtitia ſeu juſtificatio. *Accipere autem,* hoc loco vel receptionem quæ fit fide, vel adeptionem ſignificare poteſt; ſed prius illud potius. Tacite enim iſtos cum iis qui ſine lege peccarunt, & tamen damnati ſunt, videtur conferre, & oſtendere magis convenire ut ii qui oblatam ſibi gratiam amplectuntur, gratia etiam digni fiant, & ejus reddantur compotes; quam ut ii damnentur quibus nulla fuit pœna propoſita. Iſtis enim, ſi non damnentur, nulla fit injuria; illis vero ſi gratia & promiſſis fruſtrentur, fieret.

*In vita regnabunt.* Mala in nos regnum obtinent; ſed in bona nos potius obtinemus. Mors regnat in homines, ſed homines regnant in vita, quatenus vitam adipiſcuntur.

*Per unum Jeſum Chriſtum.* Qui eam nobis obtulit, & ſua obedientia peperit, reipſa olim daturus.

Verſ. 18. Ἄρα οὖν. Hic demum apoſtolus apodoſin plenius explicat. *Quemadmodum per unum peccatum in omnes homines in condemnationem,* ſubaudienda eſt vox κατάκριμα ex ℣. 16. Per unum peccatum judicium in omnes homines, in condemnationem, ſcilicet venit.

*Sic per unum juſte factum in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Vox gratiæ hic quoque ex eodem ℣. 16 ſubaudienda eſt. Tota autem Chriſti obedientia hic veluti unum factum conſideratur, ut oppoſitio inter ipſius obedientiam, & *Adami* tranſgreſſionem unicam tanto ſit elegantior.

*Juſtificatio vitæ.* Vel talem ſignificat juſtificationem, cujus conſequens & effectus ſit vita, vel vox vitæ eſt Genitivus, per appoſitionem adjunctus, Hebræorum more, ut corona vitæ, gloriæ &c.

Verſ. 19. *Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt illi multi.* Id eſt, cum iis non aliter eſt actum, ac ſi, ut Adamus fecit, apertam Dei legem ſub mortis comminatione fuiſſent tranſgreſſi, ſeu, quod perinde eſt, tanquam peccatores ſunt tractati, ac morti damnationique ſubjecti.

*Sic per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* Sic cum omnibus iſtis qui in Chriſtum credunt & ei obediunt, non aliter agit Deus, ac ſi omnes legem plene ſervaſſent, quemadmodum eam ſervavit Chriſtus. Nam ſi illi ſine lege, ut ſic dicam, potuerunt damnari; poterunt etiam iſti ſine lege juſtificari. Etenim ſi licuit Deo tale facere decretum, ut, ſi Adamus præceptum ejus fuerit tranſgreſſus, non ſolum ipſe, ſed omnes ejus poſteri, quicunque aliqua ratione delinquunt, eandem mortis pœnam ſubeant: potuit etiam ex adverſo tale facere, ut, ſi Chriſtus obediens fuerit, & legem plene ſervaverit, omnes ejus diſcipuli quicunque obedierint, licet non tam perfecte ut ille obedivit, eandem vitæ & felicitatis conditionem conſequantur. Ita hactenus de Adamo & Chriſto locutus eſſe videtur Apoſtolus, ac ſi peccatum illud Adami nullam amplius vim in damnandis hominibus Chriſti tempore habeat. Quod ſi decretum & conſilium Dei ſpectes, verum eſt.

Verſ. 20. *Lex vero ſubingreſſa eſt, ut abundaret delictum.* Potuiſſet aliquis quærere, quid opus fuerit lege, ſi & homines damnati ſine lege poſſint & juſtificari? Reſpondet Apoſtolus, ideo legem veluti irrepſiſſe in humanum genus, vel inter Adami maleficium & Chriſti beneficium interveniſſe, ut abundaret delictum, hoc eſt, ut homines magis adhuc obſtringerentur ad pœnam, ut peccatum majorem vim ad damnandos homines haberet. Lata enim lege, quæ tranſgreſſionibus pœnam ſancit, fit ut ii qui contra eam delinquunt, ipſa lege obſtringantur ad pœnam.

*Ubi vero abundavit peccatum, abundavit gratia.* Abundantia peccati locum fecit abundantiæ gratiæ divinæ. Nam quanto magis homines obſtringebantur ad pœnam, quanto Deus jus habuit plenius eos damnandi; tanto major & illuſtrior ejus in juſtificandis hominibus apparuit gratia.

*Superabundavit gratia.* Quia major ejus vis extitit quam peccati, ſiquidem hujus vim extinxit.

*Ut quemadmodum regnavit peccatum in morte.* Ut quemadmodum antea peccatum longe lateque humanum genus morti ſubjecerat,

*Ita nunc gratia regnet.* Peccato non opponit obedientiam, ſed gratiam divinam, quæ in remiſſione peccatorum gratuita conſiſtit; quia peccatum merebatur mortem, obedientia autem noſtra nullo modo meretur juſtificationem. Ideo infra cap. 6 ait, *ſtipendium peccati mors; donum autem,* non ſtipendium, *Dei vita æterna.*

*Per juſtitiam.* Id eſt, juſtificationem. Gratia regnat per juſtificationem, cum longe lateque homines juſtificationis compotes & participes facit.

*In vita æterna.* Quæ morti opponitur rectius quam juſtificatio.

*Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hic omnes modos incluſit Apoſtolus, quibus per Chriſtum juſtificamur & ſervamur, tum quod eam nobis promulgarit, & ſanguine ſuo obſignarit; tum quod ipſe nos juſtificaturus, & gratiam hanc divinam executioni ſit mandaturus, ſeu eam ad effectum perducturus.

## CAP. VI.

### *ARGUMENTUM.*

*Hoc capite, quemadmodum & ſequentibus duobus, oſtendit Apoſtolus, gratiam hanc divinam, de qua tam multa egit, quæ nobis per Chriſtum oblata eſt, non eſſe talem & tantam ut liberum ſit nobis in priſtinis manere peccatis. Duas autem hoc capite amolitur objectiones, quæ ex ejus doctrina manare alicui videri poterant.*

Verſ. 1. PRima objectio eſt: *Quid igitur dicemus? Permanebimus in peccato ut abundet gratia?* Quia Apoſtolus dixerat gratiam abundante peccato ſuperabundaſſe, poterat aliquis hinc colligere, manendum eſſe in peccatis, ut iis abundantibus tanto abundantior gratia appareat. Hanc objectionem non aliter ſolvit Apoſtolus, quam ut neget permanendum in peccato eſſe, & quidem eo fine ut abundet gratia; tacite oſtendens gratiam divinam tantam non eſſe, ut etiam ea peccata in quibus ad Chriſtum converſi adhuc maneamus, magnitudine & abundantia ſua obruat. Neque ſane ulla eſt in objectione propoſita conſequentiæ ratio. Nec enim abundantia peccati per ſe abundantiam gratiæ cauſatur & producit; ſed tantum per accidens & ex eventu. Et deinde alia eſt ratio peccatorum, quæ antequam Chriſtianam religionem amplexi ſummus commiſimus;

alia

alia eorum quæ Chriſti religione jam illuſtrati committimus. Nec vero protinus iſta gratia & venia ſunt digna, quod illa veniâ dignatus fuerit, & ob miſericordiam ſuam remiſerit. Et denique non de tali peccati abundantia locutus eſt Paulus ſuperiori capite, quæ in multitudine peccati conſiſtit; ſed quæ conſiſtit in peccati vi qua obligamur ad pœnam. Oſtendit autem Apoſtolus Chriſtianos homines non debere talia in animo ſuo volutare, cum eorum profeſſio & officium ſit nihil amplius cum peccatis habere commune.

Verſ. 2. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in ipſo?* Mori peccato eſt jam nihil amplius cum illo habere commune, nihil illi operæ in poſterum præſtare. Oſtendit his verbis Apoſtolus, Chriſtianorum id eſſe proprium, peccatum abdicare, & penitus ejus jugum excutere.

Verſ. 3. Id probat Apoſtolus, cum addit: *An ignoratis quod quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum, in mortem ipſius baptizati ſumus?* Apparet eos jam ab Apoſtolo fuiſſe ea de re quam ſubjungit, edoctos; nempe eos omnes quicunque per aquæ baptiſmum Chriſto ſunt initiati, in mortem ejus eſſe baptizatos, hoc eſt, per aquæ baptiſmum adumbraſſe & profeſſos eſſe ſe velle mori cum Chriſto. Quemadmodum enim aquæ baptiſmus a Joanne baptiſta miniſtratus, quo homines ejus doctrinæ initiabantur, abumbrationem continebat earum rerum quæ in ejus doctrina erant præcipuæ, nempe pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum. (ablutio enim illa, tum ab ipſis peccatis, tum etiam ab eorum reatu purgationem adumbrabat) ſic idem aquæ baptiſmus (quo ii qui Chriſto initiabantur tingebantur, quoque ſuam cum Chriſto conjunctionem, cui tanquam religionis ac ſalutis duci adhæſuri eſſent teſtabantur, & quoad fieri poterat exprimebant) continet adumbrationem earum rerum quæ ſunt fulcra quædam & firmamenta religionis Chriſtianæ, quæque in ipſo Chriſto, cui ſuum nomen dabant, maxime ſunt inſignia, hoc eſt, mortis ejus & reſurrectionis; in quibus qui Chriſto ſimilis fit, is demum vere cum eo, tanquam capite ſuo, conjungitur. Quare quicunque hanc Chriſtianæ religionis veluti teſſeram ſuſcipiebant, eo ipſo ſtatim profitebantur & adumbrabant, ſe velle cum Chriſto mori & cum illo reſurgere.

Verſ. 4. Oſtendit autem Apoſtolus, quomodo in baptiſmo mortem adumbremus, ac proinde etiam profiteamur nos morituros, cum addit: *Conſepulti igitur ſumus per baptiſmum in mortem.* Sepulturæ Chriſti imaginem continet baptiſmus; illa enim in aquas demerſio ſepulturam refert: jam vero ſepultura omnis mortem præſupponit. Per baptiſmum ergo adumbramus, nos cum Chriſto ſepeliri velle, ac proinde etiam mori. Verba *in mortem* conjungi poſſunt vel cum voce proximè præcedente *baptiſmum*, ut ſit ſenſus nos per baptiſmum *in mortem*, quemadmodum paulo ante dixerat, conſepultos eſſe cum Chriſto; vel conjungi poſſunt cum voce *conſepulti ſumus*, nempe ut hac ratione oſtendamus, nos quoque mori velle cum Chriſto (loquitur autem Paulus non de ipſa profeſſione vel adumbratione, ſed de ipſo actu.) Quod autem quis profitetur & recipit ſe facturum, præſtare etiam omnino debet, idque eum facere quodammodo præſupponi poteſt.

Quemadmodum autem Chriſtus non tantum eſt mortuus, ſed & reſurrexit, & reſurrexit ad vitam glorioſam ac divinam; ſic nos quoque profeſſi ſumus, ac proinde reipſa in nobis eſſe debet, *ut quemadmodum reſurrexit Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris ſui, ſic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Non ſolum mori eum eo debemus, ſed & Chriſtum imitantes & exprimentes novam agere vitam. Non ſolum Chriſti reſurrectionem hic conſiderat Apoſtolus, ſed una cum ea, quæ eam conſecuta eſt glorioſam vitam. Vocabulum *per* hic ſumitur pro *cum* ut ſupra 2. 27. IV. 11. Infra 14. 20. 2 Cor. 3. 11. 1 Tim. 2. 15. 1 Joh. 5. 6. Ita reſurrexit, ut eam reſurrectionem exciperet ac conſecuta fuerit gloria patris, id eſt talis gloria, qualem habet pater, ſeu qua a patre affectus eſt: quæ Chriſti gloria, ſive glorioſa vita novæ vitæ noſtræ reſpondet; novitas autem vitæ eſt nova vita.

Verſ. 5. Probat autem & oſtendit Apoſtolus, utrumque horum in nobis reperiri debere, id eſt & mortem peccatorum, quæ reſpondeat morti Chriſti; & reſurrectionem a peccatis, quæ reſpondeat reſurrectioni Chriſti, cum addit: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudine mortis ejus, ſed & reſurrectionis erimus.* Complantati, ſubintellige Chriſto. Eſt autem complantari Chriſto, Chriſto conjungi, cum illo uniri ac veluti coaleſcere, quemadmodum illa ſolent quæ una plantantur, aut quorum alterum alteri complantatur; idque ratione ſimilitudinis mortis, cum ſcilicet cum illo morimur. Propterea τῷ ὁμοιώματι non per dativum, ſed per ablativum inſtrumenti, nempe ſimilitudine, non ſimilitudini, verti debet. Si, inquit, Apoſtolus, unum quodammodo cum Chriſto facti ſumus ratione mortis, ergo etiam unum fieri debemus ratione reſurrectionis: repetenda enim eſt vox τῷ ὁμοιώματι. Ita autem ambigue loquitur Apoſtolus, ut veluti aliud agens oſtendat nobis cauſam, propter quam Chriſtum in morte & reſurrectione imitari & exprimere debeamus, quia nimirum aliquando & ipſi reſurrectionis, a vera nimirum morte, una cum Chriſto participes erimus. Hinc igitur jam apparet, duo veluti membra habere Chriſtianorum officium, quod ſe facturos in baptiſmo recipiunt & repræſentant, ac proinde etiam reipſa præſtare debent. Unum membrum continet mortis Chriſti imitationem; alterum reſurrectionis & vitæ glorioſæ. De utroque membro ſigillatim agit Apoſtolus, & utrumque Chriſtianis hominibus ineſſe debere oſtendit. Hoc oſtenſo poſtmodum ad utrumque eos hortatur & excitat.

Quod igitur ad prius membrum attinet, de eo agit verſu 6 & 7, cum inquit: *Hoc ſcimus, quod vetus noſter homo concruciſixus eſt.* Debemus peccato mori, ſi mortem Chriſti in nobis repræſentare, & ſimilitudine mortis cum illo conjungi volumus: quia optime novimus veterem noſtrum hominem una cum Chriſto eſſe crucifixum. Per *veterem hominem*, eumque *noſtrum*, intelligit veterem animi noſtri habitum, ex quo varia peccata & irreligioſæ actiones oriebantur, quem figuratè hominem vocat, ut metaphoræ ſerviret, & tanto aptius dicere poſſet, eum una cum Chriſto crucifixum eſſe, adeoque & nos ratione iſtius veteris hominis quodammodo eſſe crucifixos: quod nihil eſt aliud, quam mortis Chriſti talem eſſe vim ac virtutem, ut animos hominum & mutare & renovare queat: perinde ac ſi vitioſitas illa, & malus animorum noſtrorum habitus, una cum Chriſto mortuo fuiſſet extinctus.

*Ut aboleatur corpus peccati.* Corpus peccati, per

Hebraïſmum, eſt peccatum ipſum, quemadmodum Gen. 7. 13 corpus dici, infra vij. 24 corpus mortis &c. Maluit autem dicere corpus peccati, quam ſimpliciter peccatum, ut hic quoque Metaphoræ ſerviret: corpori enim abolitio, præſertim talis qualem hoc loco induxit, id eſt in cruce facta, competit.

Explicat id Apoſtolus quomodo peccatum fuerit abolitum, cum addit: *Ut non amplius ſerviamus peccato.* Eatenus peccatum aboletur, quatenus homines ex ejus dominatu eripiuntur, & ei non amplius obſecundant.

Verſ. 7. Ex hac autem mortificatione ſeu crucifixione noſtra, quæ eatenus in nobis habet locum, quatenus vetus noſter ho no eſt crucifixus, conſequi libertatem a peccato probat Apoſtolus, cum ſubjungit: *Qui enim mortuus eſt juſtificatus eſt a peccato.* Generalis eſt regula. Vox *mortuus* partim proprie, partim improprie, ſeu per metaphoram ſumi debet; & ex priori ſenſu qui inde oritur, poſterior aliquo modo deductus eſt: quaſi dicat, quemadmodum qui proprie loquendo mortuus eſt, non amplius quicquam habet commune cum peccato, ab ejus imperio ac dominio eſt exemtus, ita etiam ei ſimilis, hoc eſt is qui ratione veteris ſui hominis, ſeu priſtini animi habitus, mortem quandam ſubiit, ab eo erit liberatus; ac proinde cum & vos mortui ſitis cum Chriſto, nihil amplius vobis cum peccato debet eſſe commune.

*Juſtificatus eſt a peccato.* Quia illi qui juſtificantur, a reatu liberantur, & omnis juſtificatio liberatio quædam eſt, propterea pro liberatione hic ab Apoſtolo ſumitur. Videtur autem ſic de induſtria fuiſſe locutus, ut tacitè nos moneret, quid ſperare debeamus ſi peccato fuerimus mortui, & hac ratione ab ipſius ſervitute liberati, nempe juſtificationem, ſeu abſolutionem a reatu omnium peccatorum noſtrorum, quæ nobis non contingit, niſi prius jugum peccati excuſſerimus.

Verſ. 8. Jam ad ſecundam officii noſtri partem provehitur Apoſtolus, quæ in eo conſiſtit, ut Chriſti reſurrectionem, ac vitam eam conſecutam, referamus ac repræſentemus. *Si vero mortui ſumus cum Chriſto, credimus quod & vivemus cum illo.* Quaſi dicat, quemadmodum Chriſtus ex morte ad glorioſiſſimam vitam pervenit: ſic nos, mortui peccato, ad vitam ſimiliter glorioſam, hoc eſt novam & Chriſto dignam, progredi debemus. Loquitur iterum ambigue Apoſtolus, ut indicet, non tantum nunc ratione pietatis nos Chriſti reſurrectionem & vitam conſecutam imitari debere; ſed aliquando eo pacto quo nunc Chriſtus victuros eſſe, & ejuſdem gloriæ participes futuros.

Verſ. 9. Oſtendit autem quomodo cum Chriſto vivere debeamus, cum addit: *Scientes quod Chriſtus reſuſcitatus a mortuis non amplius moritur, mors ei non amplius dominatur.* Exemplo Chriſti docet Apoſtolus, quomodo nos vivere nunc oporteat, quamque conſtanter in pietate perſeverare, ita nimirum, ut in peccatorum mortem non relabamur. Apoſtolus enim hoc loco non eam mortem qua peccatis morimur, in qua perpetuo, ut ſic dicam, manere debemus, nec ex illa unquam reſurgere; ſed mortem in peccato qua antea oppreſſi fuimus, morti Chriſti reſpondentem facit, & monet, ut ſemel ab hac morte per Chriſtum ejus religionis vi liberati, iterum in eam non relabamur, ſed ab ea perpetuo, Chriſti exemplo, immunes & liberi ſimus.

Verſ. 10. *Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel.* Poterat aliquis cogitare, poſſe hominum Chriſtianum in mortem peccati relapſum iterum ex ea reſurgere, & peccato denuo mori: propterea exemplo Chriſti docere voluit Apoſtolus, non bis aut repetitis vicibus peccato moriendum eſſe, ſed ſemel tantum. Chriſtus enim cum mortuus eſt, peccato mortuus eſt, hoc eſt, per mortem omnibus calamitatibus & maiis, quæ peccatum cauſari ſolet exſolutus, idque ſemel, nunquam iterum malis & adverſitatibus tentandus, quas denuo per mortem finire ſit neceſſe.

*Quod vero vivit, vivit Deo.* Poſtquam rediit vivus novam vitam agere cœpit, nunquam eam deponit, ſed ſemper Deo vivit, id eſt ex voluntate Dei vivit, talem vitam agit qualem Deus unice ſpectavit & quæſivit, quæ proinde cum ſumma ipſius laude & gloria eſt conjuncta.

Verſ. 11. *Sic & vos.* Hic ſubjungit apodoſin Apoſtolus, oſtendens Chriſtianos ad ſimilitudinem ſui capitis debere peccato mori, Deo autem vivere. Dicit, λογίζεσθε, hoc eſt, reputate, ducite, exiſtimate, *vos mortuos peccato*: non vero, moriamini peccato, vivite Deo: quia his verbis nondum monet & hortatur ut id faciant; ſed tantum ut id ſui & muneris & officii eſſe ducant.

Ut vero etiam id quod ipſorum officii eſt præſtent reipſa, ſequenti verſiculo ſtatim monet: *In Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Secundum præſcriptum & normam doctrinæ Domini Jeſu, ſive ea ratione quam Dominus Jeſus præſcripſit.

Verſ. 12. *Ne igitur regnet peccatum.* Quandoquidem hoc veſtrum eſt officium, hoc veſtra profeſſio, & religionis ipſius natura exigit ac poſtulat, ut peccato moriamini & Deo vivatis, ideo *peccatum ne regnet in mortali veſtro corpore.* Videtur his verbis tacitæ objectioni Apoſtolus occurrere voluiſſe ne quis credat fieri non poſſe, ut hoc fragile & caducum corpus jugum peccati poſſit excutere, aut Dominum hunc & tyrannum ejicere. Videtur Apoſtolus mortale hoc corpus veluti ſedem ac regiam quandam peccati conſiderare.

Explicat autem, quanam in re peccati hoc regnum conſiſtat, cum addit: *ad id ut illi obediatis.* Tum peccatum regnat in nobis, cum ei obedimus, id eſt peccamus.

*In cupiditatibus ejus,* αὐτοῦ corporis Cupiditates enim corporis ſunt veluti juſſus quidam & imperia peccati, & qui cupiditatibus obtemperat ipſi peccato obtemperat.

Verſ. 13. *Neque ſtatuite membra veſtra arma injuſtitiæ peccato.* Explicat ac repetit id quod proxime dixerat. Itaque illud μηδὲ ita explicandum eſt ac ſi dixiſſet Apoſtolus, id eſt non exhibete. Quemadmodum enim οὐ ſæpe ſumitur pro id eſt; ita etiam μηδὲ pro id eſt non, cum μηδὲ nihil aliud ſit quam οὐ μή. Membra corporis noſtri hic conſiderat Apoſtolus tanquam arma ſeu inſtrumenta, quibus tyrannus ille, peccatum, utatur ad patrandam iniquitatem, ſeu res iniquas & injuſtas. Per proſopopœiam hic loquitur de peccato, quia id opponit Deo. Comparationes autem multas parere ſolent παραχρήσεις. Nec enim iſta injuſtitia quę per membra corporis patratur, ab ipſo peccato eſt diverſa.

*Sed exhibete Deo.* Deum, ut dixi, clementiſſimum ac benigniſſimum Dominum, opponit peccato. Oſtendit autem modum & rationem, qua nos Deo exhibere ſeu ſiſtere debemus.

Tanquam ex mortuis viventes. Ut ex morte peccatorum reſurgamus, & novam vitam agamus.

*Et mem-*

*Et membra veſtra arma juſtitiæ.* Id eſt arma quibus juſtitia exerceatur, ſeu quibus Deus ad juſtitiam patrandam utatur.

Verſ. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur.* Occurrit tacitæ cuidam objectioni: poterat enim aliquis dicere, non poſſe peccati jugum excuti, fruſtraneoſque fore conatus, ſi quis ſeſe ex hac peccati ſervitute emancipare ac eripere velit. Apoſtolus contra aſſerit, excuſſuros illos peccati tyrannidem modo conentur, & id in animum ſuum inducant, iiſque, ſi modo velint, pollicetur victoriam. Cauſam autem ob quam ſtatuit quod poſſint è peccati ſervitute ſeſe vindicare, eam affert quæ videbatur peccati in nos dominatum ac tyrannidem alere & fovere.

*Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Retorquet hic Apoſtolus telum in adverſarium, quem ab initio capitis ex gratiæ abundantia peccandi licentiam colligentem tacite induxerat, & oſtendit tantum abeſſe ut gratiâ Euangelicâ peccandi licentia ſtabiliatur, ut ob eam vel maxime poſſit ac debeat cohiberi. Legem quia gratiæ opponit, hinc apparet eum Legem ita conſiderare quatenus opponitur gratiæ. Opponitur autem tum propter illum rigorem & ſeveritatem, qua ob unicum actum peccati homines damnabantur, & a juſtificatione excludebantur; tum quod nullam apertam vitæ æternæ promiſſionem contineat. Nimius enim ille rigor & tanti promiſſi defectus, efficiebant ut homines ſervitutem & jugum peccati excutere non potuerint, partim ob deſperationem, ad quam tanta rei difficultate homines adigebantur, partim quod homines præmio potiſſimum capiantur, & ne honeſtum quidem ſine præmio, præſertim ſi adeo ſit arduum, ad ſe pertrahendi vim habet. Sed nunc cum vident benigniſſime ſecum ac paterna ratione actum iri, omnia anteacta peccata, dummodo ex animo pietati incumbant, lapſus vero & fragilitates ſi quæ forte interveniant, ſibi non imputatum iri, cum clariſſima certiſſimaque habeant promiſſa æternæ vitæ ac felicitatis, fit ut nec nimia difficultate & ſeveritate ad deſperationem adigantur, & tanti boni ſpe ad pietatis ſtudium mirum in modum erigantur.

Verſ. 15. *Quid igitur? peccabimus quod non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia?* Quia tamen hæc ratio in ſpeciem ſaltem peccati licentiam inferre videtur, quod non ſumus ſub Lege ſed ſub gratia, propterea hanc objectionem movet Apoſtolus. Ad quam ſic reſpondet, ut neget peccandi licentiam ex gratia ſequi, & ut ea ſubjiciat, ex quibus appareat gratiam iſtam certis limitibus claudi, nec ita extendi ut peccandi licentiam hominibus faciat. Apparet autem partim Judæos, legi Moſaicæ nimium addictos, cum audirent ab Apoſtolo aſſeri nos non eſſe ſub lege ſed ſub gratia; partim etiam homines carnales, hujuſmodi objectiones Apoſtolo moviſſe: illos, ut ex abſurdo quod ex iſtiuſmodi aſſertione conſequatur falſitatem ejus oſtenderent; hos, ut ea pro vera agnita, probarent ſibi in peccatis licere perſeverare. Et etiamſi id quidam aperte non dicerent, multi tamen id cogitare aut facere reipſa poterant, & ſic divina gratia abuti. Quare ejuſmodi objectiones ſibi amoliendas putavit Apoſtolus. Idem de ea ſtatuendum eſt, quæ ab initio hujus capitis eſt propoſita. Quanquam Apoſtolus in hoc capite magis poſteriori hominum generi occurrit; priori vero, hoc eſt Judæis, magis in ſequenti cap. 7.

Verſ. 16. *An neſcitis quod cui vos præbetis ſervos &c?* Non debetis vobis talem gratiam imaginari, quæ rectitudinis naturæ repugnet, & omnem æquitatis rationem evertat. Evertere autem, ſi illi qui ſeſe peccato manciparunt & illi ſe dediderunt, illius ſervi & mancipia ſunt, tanto pietatis præmio propoſito ab æterna morte eximi & juſtificari deberent, cui veſtrum ignotum eſſe poteſt? Annon unumquemque ratio & ipſe communis monet ſenſus, eum qui alicujus ſeſe famulum præbet, & illi in omnibus obſequitur ac morem gerit, ejus eſſe ſervum & mancipium, in quod ille cui hoc obſequium præſtatur, jus & dominium habeat? Quare, ſi peccato obeditis, & ejus juſſa exequimini, mancipia eſtis peccati, id eſt peccatum in vos jus Domini habet.

*Sive peccati in mortem.* Hoc eſt, quia jus Dominii, tanquam in mancipia ſua, in vos habet, propterea vos morte mulctabit. Hoc enim ſuis mancipiis facit.

*Sive obedientiæ in juſtitiam.* Si vero obedientiæ eſtis obedientes, & ejus imperata exequimini, ejus etiam mancipia, ut ſic dicam, eſtis, & illa in vos jus ac dominium, tanquam in ſuos ſervos habet, ac proinde etiam ita ut ſervos ſuos ſolet tractabit, hoc eſt juſtificabit, ut juſtificemini a Deo cauſa erit.

Verſ. 17. *Gratia autem Deo.* Quia dixerat cujus ſervi eſtis, ſive peccati in mortem, ne videatur de iis male ſenſiſſe aut ominatus eſſe, propterea veluti per correctionem quandam ſubjicit: *Sed gratia Deo quod eratis ſervi peccati:* non dico vos nunc eſſe peccati ſervos ad mortem; ſed potius Deo meo gratias ago, quod cum antea ſervi peccati eſſetis, nunc non amplius eſtis. Poſſet etiam particula δὲ poſita cenſeri pro igitur, ut infra cap. viij. 8, 9 & deinceps. Cum adeo miſera ſit eorum conditio qui peccati ſunt ſervi, jure ego vobis gratulor Deoque gratias ago, quod cum aliquando fueritis peccati ſervi, ejus jugum excuſſeritis, & ad normam doctrinæ Chriſti vos attemperaveritis.

*Obedriſtis autem ex corde, in quam traditi eſtis formam doctrinæ.* Verbum ὑπηκούσατε reſpicit ad nomen τύπον διδαχῆς, quod dativo caſu efferri debuit, ſed propter relativum ſuum, quod accuſativo caſu offertur, cum ipſo relativo caſu convenit; ut in illo: *Urbem quam ſtatuo veſtra eſt.*

*In quam traditi eſtis.* Hoc eſt, ei veluti infuſi, ſeu applicati: videtur enim in hoc verbo Apoſtoli eſſe Metaphora. Doctrinam Euangelicam conſiderat tanquam formam quandam, Romanos veluti materiam quandam ipſorum ad amplectendam hanc doctrinam adductionem ceu infuſionem, & huic formæ applicationem; ipſorum vero obedientiam quam huic doctrinæ præſtabant, tanquam formæ illius in quam materia infunditur, effigurationem, & in materiam impreſſionem.

*Ex corde.* Prompte & ſincere, nec ſimulate.

Verſ. 18. *Liberati enim à peccato ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Particula δὲ hoc loco idem valet quod καὶ: conjungitur enim cum illo ὑπηκούσατε, & illi præterito tempori ſeu conditioni Romanorum, cum peccato ſerviebant, opponitur.

Verſ. 19. *Humanum dico.* Communiſſima eſt ſententia, Apoſtolum dicere ſe humanam quandam, non Angelicam aliquam vel humanis viribus ſuperiorem vivendi rationem ipſis præſcribere; ſiquidem id tantum a Romanis exigat, ut quantum antea ſtudii impenderint in peccato, tantum nunc impendant juſtitiæ, cum poſſit jure exigere amplius. Alii putant Apoſto-

lum hoc propterea dicere, quod in deſcribenda pietate Chriſtiana utatur ſimilitudine de vulgo ſumta, idque propter infirmitatem carnis ipſorum, hoc eſt, carnales adhuc ipſorum ſenſus, & rebus ad communem vitam ſpectantibus aſſuetos; non ſublimiore & ex media Theologia religioniſque Chriſtianæ viſceribus petita explicandi ratione. Alii denique ideo ſic locutum fuiſſe Apoſtolum putant, quod dixerit illos ſervos factos eſſe juſtitiæ, tanquam ſi hæc eſſet aliqua ſervitus, juſtitiæ & recte factis operam dare; cum contra vera ſit libertas: ſe vero ex vulgi more & conſuetudine loqui ob infirmitatem carnis ipſorum, quæ juſtitiæ reluctetur ac repugnet, & grave ejus jugum eſſe arbitretur; cum tamen vita honeſta & juſta nihil ſit ſuavius, nihil dulcius.

*Quemadmodum enim præbuiſtis.* Redit ad ſuam admonitionem Apoſtolus, explicata cauſa cur ſeſe ex ſervitute peccati vindicare debeant, & objectione quæ inde nata erat diluta. γὰρ videtur poſitum pro ἄν. Quod ſi primam ex dictis verborum præcedentium explicationem ſequaris, γὰρ poſitum erit pro nempe, vide Bezam & Piſcatorem. Oſtendit autem per comparationem ſervitus peccati, quomodo juſtitiæ ſervire debeant.

*In iniquitatem.* Id eſt ad patrandam iniquitatem.

*In ſanctificationem.* Ἁγιασμὸς opponitur τῇ ἀνομίᾳ, itaque hoc loco pro ſancte factis accipi videtur.

Verſ. 20. *Cum enim ſervi eratis peccati, liberi eratis juſtitiæ.* Quia dixerat eos eo modo debere ſervire juſtitiæ quo olim ſerviebant peccato, propterea hic exprimit iſtum modum: nempe, quod quemadmodum antea cum ſervirent peccato, juſtitiæ erant liberi, id eſt juſtitiæ imperio non erant ſubjecti, ejus jugum penitus excuſſerant, eaque ipſorum miniſterio & opera non eſt uſa; nunc ita ſerviant juſtitiæ, ut peccato nullum jam amplius dominium in ipſos ſit, ne quicquam commune cum eo habeant. Et ut eos ad hanc ſervitutem juſtitiæ incitet, comparat ipſas ſervitutes inter ſeſe ratione fructus & mercedis: hæc enim in ſervitute ſpectari potiſſimum ſolent.

Verſ. 21. *Quem igitur fructum habuiſtis tunc?* Particula *igitur* non habet hic vim concludendi, ſed tantum hæc cum ſuperioribus connectendi, & oſtendendi hoc ſuperiorum occaſione addi & annecti.

*Super quibus nunc erubeſcitis.* Oratio eſt elliptica: ſubintellige, *eorum.* Dum autem peccata ſic deſcribit, innuit primum eorum fructum eſſe pudorem ac dedecus; ſed alius eſt adhuc pejor, mors æterna ſcilicet.

Verſ. 22. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem.* Fructum habere in ſanctificationem, eſt fructum habere qui eſt ſanctificatio. *Sanctificatio* hoc loco ſumi quidem poteſt pro ſancte factis; ſed commodius adhuc ſumenda videtur pro effectu qui ex ſancte factis manat, quod nimirum tales homines qui a profano hominum vulgo ſeparentur & Deo conſecrentur, ſint quippiam peculiare, præſtans ac prorſus eximium, quæ res non cum pudore & ignominia, ut turpiter factum, ſed ſumma cum laude, gloria ac decore conjuncta eſt. Pronomen *veſtrum* redundare videtur: niſi quis velit idcirco fuiſſe ab Apoſtolo additum, ut ſignificaret hunc fructum, nempe ſanctificationem, eſſe noſtrum, ſeu ſtudio ac opera noſtra comparatum; illum vero alterum quem ſubjuncturus erat, Deo potius eſſe adſcribendum.

Verſ. 23. *Stipendium enim peccati.* Hoc eſt merces, quam peccatum ſuis ſervis aut ſibi militantibus perſolvere ſolet, *eſt mors*, nempe æterna. *Mors*, non eſt ſubjectum enunciati hujus, ſed ſtipendium peccati: neque enim explicandum erat Apoſtolo quid mors eſſet; ſed quis peccati fructus.

*Donum autem Dei eſt vita æterna.* Mortem vocat ſtipendium peccati, quia peccatum meretur mortem; ſed vitam æternam obedientia noſtra non meremur, propterea donum Dei vocatur.

*In Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Omnes hic concluſit Apoſtolus rationes, quibus vitam æternam per Chriſtum conſequimur.

## CAP. VII.

### *ARGUMENTUM.*

*Quia dixerat ſuperiori capite, Romanos, ſeu potius omnes fideles, non eſſe ſub Lege, ſed ſub gratia, hoc capite oſtendit eos & jure potuiſſe Lege deſerta Chriſti religionem ac diſciplinam amplecti; & ſummo cum fructu ac utilitate id ab ipſis eſſe factum. Prius primo loco oſtendit.*

Verſ. 1. *AN ignoratis fratres.* Apparet Apoſtolum reſpicere ad id quod ſuperius dixiſſet; ſed quod in eorum ad quos ſcribebat animo hæſiſſet; ac ſcrupulum aliquem pareret, quem nunc eximere velit, (*ſcientibus enim Legem loquor.*) Non Judæos, ſeu potius ex Judæis Chriſtianos tantum, quales plurimos in Romana eccleſia fuiſſe, vel ex affixis ſalutationibus apparet, ſed omnes Chriſtianos etiam ex gentibus alloquitur. Præſupponit enim Apoſtolus, eos Legem, nimirum quatenus ad religionem Chriſtianam opus erat, cognitam habuiſſe: ſiquidem Euangelica doctrina Lege plurimum utitur, ad eamque creberrime reſpicit. Hinc toties ex Lege teſtimonia citantur, multaque ſpecialia præcepta vitam noſtram ſpectantia illic explicantur, quæ ſtrictim quodammodo & veluti obiter in Apoſtolorum ſcriptis indicata legimus. Apparet enim Chriſtianos, concepta idea ac norma religionis Chriſtianæ, per Apoſtolorum prædicationem & doctrinam, Veteris Teſtamenti ſcripta lectitaſſe, & ex iis ea quæ ad mores ſpectant, quæ cum hac norma conveniunt, petiiſſe. Hinc autem colligi poteſt, Veteris Teſtamenti lectionem non eſſe deſerendam, utpote quæ ſubſidio ſit doctrinæ Novi Teſtamenti, quæ multa ſpecialia præcepta ad mores noſtros ſpectantia, in illis libris ſufficienter explicata, veluti ſupponit. Ut taceam hiſtorias plenius explicatas, ut de creatione mundi, diluvio &c, quæ cum iis conjuncta, ſufficientem nobis & plenam præbent penum ad omnia inde depromenda, quibuſcunque ad ſalutem conſequendam eſt opus. Chriſtus enim primus Euangelii author eam viam patefecit, & annunciavit quæcunque Legi addi voluit Deus, non abrogatis interim aperte iis quæ abroganda ex Lege erant. Submiſit poſtea in locum ſuum Paulum, qui veluti alteram Euangelii partem explicavit, quæ in abrogatione ceremonialis Legis & explicatione fidei in Chriſtum, quam vim in hominibus juſtificandis habeat, conſiſtit. Hinc divina providentia

dentia factum est, ut & Christi ipsius doctrina ab aliquot Euangelistis singulari studio descripta fuerit, & Pauli Apostoli Acta & doctrina à Luca memoriæ fuerit prodita, Paulinasque Epistolas plurimas habeamus: quibus omnibus, cum iis, quæ in veteri Testamento specialiter de variis præceptis traduntur, junctis, sufficienter per ea ad salutem instrui possumus.

*Quod Lex dominatur homini quamdiu vivit.* Lex dicitur alicui dominari, cum aliquem obligat & obstringit ad sibi parendum. Verba *quam diu vivit*, si ad legem referamus, dura admodum videtur esse locutio hæc; si ad hominem, non respondebunt hæc verba sequenti similitudini, in qua Lex cum viro, nos cum uxore superstite conferimur, & præterea nihil opus erit scientia legis ad id cognoscendum, legem in mortuos nullam habere potestatem, hoc enim ipsa ratio quemque monet. Verisimile tamen est, ad utrumque referri; ad proximum proprie, ad remotius per catachresin. Aperte autem non expressit Apostolus, ad utrum eorum id referri vellet, quia ad legis abrogationem & extinctionem potissimum respiciebat; sed id, ne odiosum Judæis videretur, cogitandum potius ex sequentibus reliquit, quam dixit: & fortasse duritia sermonis, si quis verbum vivit ad legem referre vellet, effecit, ut ab initio non protinus animadverteretur, quorsum sermonem deducturus esset.

Vers.4. *Quocirca fratres mei, & vos mortificati legi estis.* Superiori similitudine ostenderat tacite Apostolus, legem esse mortuam, ac proinde nullam vim in nobis obstringendis & obligandis, ut illi adhæreamus, amplius habere. Quare hic subjungit istius rei (eam interim vitandæ invidiæ causa subticens) consequens, nempe nos quoque legi esse mortuos, seu mortificatos, id est, non amplius obligari, ut illi adhæreamus, & sub ejus simus dominio. Simili ratione ait ad Gal. 2. 19, se per Legem Legi esse mortuum.

*Per corpus Christi.* Id est, per mortem Christi, qua novum fœdus fuit sancitum, ac proinde vetus simul abolitum, nonnulli per ipsum Christum.

*Ad id, ut fiatis vos alteri.* Prior maritus vester extinctus est, ut alteri nubere & adhærescere possitis.

*Illi qui ex mortuis resurrexit.* Commemorat Paulus Christi resurrectionem, quia nisi hæc fuisset subsecuta, mors ejus exiguum, ad Novum fœdus stabiliendum, & vetus abrogandum, attulisset momentum, & vix quisquam Lege deserta Christi disciplinæ adhæsisset. Sed subsecuta resurrectione quicunque eam subsecutam fuisse credunt, non possunt non deserere omnes alias disciplinas, & Christo sese applicare. Propterea ergo Paulus non solius mortis, sed etiam resurrectionis mentionem facit, ut illis causam indicet cur Christo adjungi, deserta lege debeant. Quanquam & ideo videtur attulisse, quod vivis, non mortuis, nubendum sit.

*Ut fructificemus Deo.* Noluit Apostolus ad procreationem liberorum in matrimonio respicere, propterea aliam attulit similitudinem, ab arboribus & aliis terræ frugibus sumtam. Tacite ostendit, illos antea, cum sub lege essent, non fructificasse Deo. Et hic jam incipit altera capitis pars, in qua ostendit magno cum fructu homines deserta lege ad Christum transiisse; & tantum abesse, ut id pietati quicquam obsit, quod objicere solebant Judæi, ut etiam vehementer ad eam prosit.

Vers. 5. *Cum enim eramus in carne.* Esse in carne hoc loco significat carne seu appetitu constrictum, veluti vinculis quibusdam teneri, ut infra vers. 6 *ait*: *in qua detinebamur.*

*Affectus peccatorum.* Affectus & cupiditates peccatrices, quæ nos ad peccatum rapiunt & inflammant.

*Qui per legem.* Qui affectus per legem non tantum non cohibebatur, sed magis adhuc irritabatur & exasperabatur.

Vers.6. *Nunc vero aboliti sumus à lege, mortuo in quo detinebamur.* Ostenderat causam, cur cum adhuc sub Legis essent potestate ac dominio, non fructificaverint Deo, sed morti: nunc à contrario ostendit causam, cur fructificent Deo, non morti. Duo erant impedimenta pietatis, caro, qua constricti tenebamur; & Lex, quæ magis adhuc incitabat carnales cupiditates & affectus. Utrumque istorum nunc sublatum est. Nam & caro, in qua detinebamur, est abolita & mortua, seu nos illi mortui; (quædam enim exemplaria habent ἀποθανόντες, quædam ἀποθανόντος. Si autem illo modo legamus, subaudiendum erit post verbum ἀποθανόντες relativum ἐκείνῳ) & a legis jugo ac imperio sumus exemti: unde consequitur hic finis.

*Ut serviamus in novitate spiritus, & non vetustate literæ.* Vetustate literæ est in veteri litera. Legem literam vocat, quia nihil aliud præstabat quam litera (alludens interim eo, quod literis fuerit in tabulas lapideas olim incisa) id est, exhibebat tantum facienda, seu jubebat; sed non juvabat, non addebat homini tales vires, ut posset eam implere. Novitas spiritus est novus spiritus. Per hunc spiritum vel ipsa Christi doctrina ac religio, quatenus animis nostris percipitur, intelligi potest; vel qualitas quædam ex ea manans qua animi nostri imbuuntur, & ad omnem pietatem inflammantur, seu apti ac habiles redduntur: adeoque non tantum quid faciendum sit docet, quod solum faciebat litera, sed etiam in animum penetrat, & vires suggerit ad id præstandum, id quod spiritus videtur esse proprium. Quanquam non est excludendus, sed potius includendus ille Dei spiritus, per quem Euangelii doctrina primis ejus præconibus fuit revelata, & plenius explicata, atque in eorum animis, qui eam receperant, confirmata, & adhuc confirmatur. Imo quemadmodum inde Lex primo nomen videtur traxisse, quod literis primum fuerit insculpta atque expressa, ita Euangelium spiritus, quod per spiritum fuerit revelatum. Sed deinde illa vis animi per Christi doctrinam excitata rectissime spiritus nomine nuncupatur. Sic eos, qui prudentia mundana sunt præditi, & mundum hunc spirant, spiritu mundi præditos dicit Paulus; aliis spiritum compunctionis tribuit, infra Cap.xj. vel, ut locus habet unde verba ista citantur, spiritum soporis seu veterni.

Vers.7. *Quid ergo dicimus?* Quid ergo hinc, quod hactenus de lege dixi, nempe quod affectus peccatorum exciraverit, colligemus? Num idcirco *Lex peccatum*, id est, peccati causa? Connecti enim hæc omnia usque ad finem cap. debent cum versu 5. Nam ei plane respondent; quemadmodum sequens caput 8 respondet versui 6, & cum eo connectitur. Solet enim Paulus, duobus membris propositis, seorsim deinde agere de utroque, & aliquando prius primo loco, posterius posteriore tractare, aliquando ordine retrogrado agere. Prioris rei exemplum habuimus cap.6. 5, 6, 7, 8; posterioris cap. 2. 12, 13, 14, 15. Negat Apostolus, legem esse veram & propriam peccati causam, ut propterea peccatum per Metonymiam appella-

pellari poſſit : ſed non diffitetur legem eſſe cauſam peccati per accidens, id quod oſtendit in ſequentibus.

*Sed peccatum non cognovi niſi per legem.* Vox cognoſcendi dupliciter accipi poteſt: vel ita, ut peccatum cognoſcere ſignificet ſcire aliquid eſſe peccatum; vel ut ſignificet peccatum experiri in ſeſe, ac ejus vim ſentire. Si priori modo hanc phraſin accipiamus, (quanquam durius id ſonat, ut peccatum cognoſcere vel cupiditatem, ſignificet aliquid eſſe peccatum, vel cupiditatem eſſe peccatum cognoſcere) ſenſus erit; non quidem prorſus non agnituros fuiſſe homines illius actionis turpitudinem, niſi Lege fuiſſet prohibita: id enim falſum eſt: ſed eos non fuiſſe agnituros multarum rerum turpitudinem, ſaltem tam plene & perfecte, niſi à lege fuiſſent præſcriptæ & damnatæ. Cujus rei exemplum ſtatim ſubjicit Apoſtolus, cum addit:

*Cupiditatem enim non cognoviſſem, niſi Lex dixiſſet: Non concupiſces.* Sumſit præceptum ſpeciale quidem aliquo modo, ſed tamen adeo late patens, ut generale etiam dici queat, quodque ad omnia præcepta extendi poteſt. In omnibus enim peccatis locum habet cupiditas; & quicunque peccat, cupiditate aliqua peccat. Hæc autem cupiditas dupliciter intelligi poteſt; vel ſecundum reſtrictiorem legis ſenſum, & reipublicæ illi Iſracliticæ attemperatum; vel ſecundum ſenſum pleniorem, qui verbis ipſis melius convenit, & quem prima ſtatim fronte verba ipſa menti ſubjiciunt. Illo ſenſu accepta cupiditas erat, cum quis non ſolo tantum animo rem proximi appetebat, & decretum plenum, ſe ea potiri velle apud ſe fecerat, ſed etiam cupiditatem ſuam (ut Joſephus definit (a)) externo ſigno prodebat, ſeu ad ipſum rei potiundæ conatum progrediebatur. Sic ille uxorem alicujus concupiſcere dicebatur, qui eam aliqua ratione ſollicitaverat; ſed quamdiu animus intra ſe cupiditatem continebat, peccati, priori iſto ſenſu, reus non erat. Poſteriori autem ſenſu, ad quem reſpexiſſe videtur Apoſtolus, ille rem aliquam cupit, non qui affectu aliquo, per externum objectum excitato, abſque voluntatis noſtræ aſſenſu ſtimulatur, (id enim quo minus fiat non ſemper eſt in noſtra poteſtate) ſed qui affectui aſſentitur, & cum eo mente & voluntate conſpirat, id eſt, apud ſe conſtituit & decernit, ſeſe hac re potiri velle, etſi nihil adhuc in re iſta potiunda fuerit molitus. In rebus autem obſcœnis ad hoc peccatum ſufficit, cum quis mente ſibi res obſcœnas repræſentat, iiſque animum ſuum paſcit & oblectat. Utrumque horum prohibuiſſe videtur Dominus Jeſus Matth. 5. 28, cum vetat mulierem aſpici ad concupiſcendum eam; tum ne voluntate & animi inductione mulierem concupiſcamus; tum ne impuras libidines cogitatione nobis repræſentemus. Addit enim: *jam enim ipſam adulteravit in corde ſuo.* Cupiditatem igitur, ſecundum pleniorem Legis ſenſum, quis tam turpem & noxiam eſſe cognoviſſet (loquimur enim non de ſapientibus aliquibus viris, & Philoſophis, quorum ob ſummam paucitatem ratio hac in parte non eſt habenda) niſi eam *Lex vetuiſſet, & dixiſſet: Non concupiſces?* Si vero poſteriori modo phraſin hanc cognoſcendi peccati & concupiſcentiæ ſumamus, nempè de ipſo peccati ac cupiditatis ſenſu, cum quis reipſa vim ejus experitur, cum ſeſe in aliquo peccatum & cupiditas exerit; hoc dicit apoſtolus, ſeſe non fuiſſe ſenſurum tantam peccati & cupiditatis vim, niſi eum Lex veluti irritaſſet. *Nitimur enim in vetitum ſemper, cupimuſque negata.* Calci vivæ, quæ actu friget, cum affunditur frigida, ſubito ea incaleſcit. Sic paulo poſt dicit Apoſtolus, peccatum ſine Lege eſſe veluti mortuum, non habere tantas vires & robur in hominibus infeſtandis.

Verſ. 8. *Occaſionem vero ſumens peccatum per præceptum.* Si priori modo phraſin illam, de qua dixi, ſumemus; oſtendit hic apoſtolus, quomodo ex iſta peccati notitia, quam per Legem adipiſcimur, peccatum ſuas vires adipiſcitur. Si poſteriori, particula δὲ vim habebit adverſandi. Quaſi dicat: Si Lex peccatum & cupiditatem non vetuiſſet, vim ejus tantam non fuiſſem experturus; ſed poſtquam prohibuit, hinc peccatum occaſionem vireſque ſumſit, & præcepto veluti animatum fuit. Peccatum hic per proſopopœïam conſiderat, intelligitque per illud actionem quamvis inhoneſtam & inconvenientem; quæ idcirco lege prohiberi ſolet, quod talis ſit. Quando dicit, operatum in ſe eſſe omnem cupiditatem, non per modum cauſæ efficientis, ſed per modum cauſæ finalis, quatenus actio ejuſmodi apprehenditur ut bonum aliquod, idque deſiderabile, fieri intelligendum eſt; idque per Legem, ſeu præceptum (præcepti enim vox hic pro Lege ſumitur, ſeu pro plurali poſitus eſt ſingularis, præceptum pro præceptis in Lege comprehenſis) propterea quod (ut ſtatim Apoſtolus ſubjicit) *peccatum ſine lege eſt mortuum*) languet, Lex illi vitam vireſque indit. Videtur enim hominibus carnalibus (nam de talibus hic loquitur Apoſtolus) neſcio quomodo ſuavior & jucundior res illa, quam prohiberi vident. Cogitant enim, eam non fruſtra prohiberi. Nam ſi prorſus omni careret fructu ac voluptate, ſupervacaneum fuiſſet eam prohiberi. Quare tanto magis ejus cupiditate ac deſiderio fervent & æſtuant. Sic illa meretrix apud Salomonem Prov. 9. 17 juvenem ad ſe pelliciens, ait, aquam furtivam eſſe dulciorem.

Verſ. 9. *Ego vero vixi ſine Lege quondam.* Δὲ videtur poſitum pro γάρ. Ab experientia enim argumentatur. Dixerat, peccatum ſine Lege eſſe mortuum: hoc oſtendit per id, quod aliquando ſine Lege vixerit, ac proinde in ſe ipſo id expertus fuerit quod dicit. Poteſt etiam particula δὲ vim ſuam retinere: ego autem ſine Lege vixi quondam, Quaſi dicat, qui nunquam ſine Lege vixit, non poteſt id tam habere exploratum; ſed ego vixi ſine Lege quondam. Videtur reſpicere Apoſtolus ad populum Iſraeliticum, qui aliquando ſine Lege vixit. Ex iſtis autem verbis apparet, Apoſtolum non loqui de ſeipſo, & mire hic ſe torquent qui aliter ſentiunt. Ἀνέζησα, compoſitum, *revixit*, non habet vim compoſiti: ſed quia dixerat peccatum eſſe mortuum (quod antea mortuum eſt vivum aliquando fuit) ideo hic revixiſſe illud dixit.

Verſ. 10. *Ego vero mortuus ſum.* Id eſt morti æternæ factus ſum obnoxius. Cum enim peccatum vivit, id eſt, vim ſuam vireſque exerit, mortem & damnationem hominis ſubſequi neceſſe eſt.

Verſ. 11. *Decepit me.* Hoc eſt, pellexit me ad ſe, ac ſua dulcedine ineſcavit, perſuaſit mihi ut peccarem: atque hac ratione per præceptum occidit, quatenus occaſio-

(a) *Corn. Corn. citat lib. 22. Antiq. cap. XIII. ſed mendum ſubeſt.*

caſionem per præceptum ſumſit, dulcedinis & ſuavitatis ſuæ tanto magis oſtentandæ, meque in ſuos caſſes pertrahendi.

Verſ. 12. *Itaque Lex quidem* &c. Hinc igitur jam apparet, Legem quidem ſanctam prorſus eſſe, nec ullo modo peccatum dicendam, aut vituperandam. Omiſſum eſt alterum oppoſitionis membrum, quod poſtulat particula *quidem*. Id vero additur demum verſu ſequenti.

*Sed peccatum* &c. Maluit enim Apoſtolus prius objectionem movere, antequam id ſubjiceret: ut ſimul & objectionem illam dilueret, & oppoſitionem abſolveret.

*Et præceptum ſanctum.* Lex ſumitur pro toto præceptorum cumulo; præceptum autem ſumitur in genere pro quovis præcepto. Lex eſt totum; præceptum eſt genus: quaſi dicat. Et tota Lex eſt ſancta, & quodvis ejus præceptum eſt ſanctum.

*Juſta.* Nihil aliud, quam quod juſtum & æquum eſt præcipit.

*Bona.* Nihil jubet, niſi quod bonum ſeu honeſtum eſt; vel etiam bona, quod ſit utilis, ſeu bonum & commodum afferat.

Verſ. 13. *Igitur bonum mihi factum eſt mors?* Fateris Legem eſſe bonam, quomodo igitur dixiſti, illam tibi inventam eſſe ad mortem? Num ipſum bonum tibi factum eſt mors, id eſt, mortis, qua nihil pejus eſt, cauſa?

*Abſit.* Loquitur enim de cauſa propria & per ſe. Quæ igitur eſt mortis cauſa propria & vera?

Non Lex, inquit, *ſed peccatum: ut appareret peccatum per bonum mihi operatum eſſe mortem.* Κατεργαζομένη, participium pro verbo, quemadmodum cap. v. 11. Dicit igitur, non Legem ipſam, ſed peccatum per Legem mortem ſibi attuliſſe.

*Ut appareat peccatum.* Ut ſuas vires proderet, & ſeſe peccatum eſſe oſtenderet. Tum enim, quid poſſet, oſtendit, cum per bonum, id eſt Legem, rem peſſimam, mortem nimirum, hominibus attulit. Quomodo autem per Legem id factum fuerit, ſuperius oſtendimus.

*Ut fiat ſumme peccans peccatum per præceptum.* Quod prius breviter dixerat, *ut appareat peccatum*, id nunc plenius dicit. Peccatum fit peccans, cum hominem ad peccatum irritat & excitat, atque adeo peccare facit. *Summe peccans* autem fit, cum vehementer hominem ſollicitat, adeo ut quaſi obſequatur ei, & actionibus vitioſis indulgeat.

*Per præceptum.* Quo peccatum irritatum magis efferveſcit.

Verſ. 14. *Novimus enim quod Lex ſpiritualis eſt.* Hic jam oſtendit & aperit cauſam Apoſtolus, cur Lex homines in officio continere nequeat, & efficere, ut a peccato abſtineant, ſed potius irritet. Hæc autem eſt, quod Lex ſit ſpiritualis, id eſt, ea præſcribat ac jubeat, quæ cum ſpiritu conveniunt, ac ſpiritualem hominem requirunt.

*Ego autem carnalis ſum.* Id eſt, ſub appetitus poteſtate; appetitus in me dominium & imperium exercet.

*Venditus ſub peccatum.* Peccati mancipium, quia ea facio quæ peccatum imperat.

Verſ. 15. *Quod enim operor non agnoſco.* Hinc apparet, me eſſe peccati mancipium, quod cum non approbem ea quæ facio, nihilominus tamen faciam.

*Si vero quod nolo hoc facio, σύμφημι τῷ νόμῳ quod ſit bona.* Quia dixerat, ſe non id quod velit ac animo deſideret facere, ſed quod nolit, imo odio proſequatur, hinc oſtendit, ſe hac ratione legi præbere teſtimonium illam eſſe bonam, utpote ea quæ ipſe velit, jubentem, & quæ odio proſequatur vetantem. Vox autem compoſita σύμφημι, idem hic valet quod ſimplex. Neque enim Lex proprie teſtatur de ſe, quod ſit bona: quanquam id per ſe dici vere poſſit.

Verſ. 17. *Nunc vero non amplius ego id facio.* Vel particula δὲ ſumitur pro δή, ut cap. viij. 8. 1. Johan. 4. 18. Quaſi dicat: Cum faciam id quod nolo, ergo non amplius ego id facio. Vel etiam occupare videtur objectionem: Poterat enim aliquis dicere: Si ergo quod non vis facis, ſi Legi teſtimonium præbes quod ſit bona & honeſta, qui fit igitur quod iſta facias? Reſpondet non ſe hoc facere, ſed inhabitans in ſe peccatum. De horum verborum ſententia vide paraphraſin.

*Sed quod inhabitat in me peccatum.* Per iſtud peccatum inhabitans, vel peccatum in abſtracto ſumtum, de quo hactenus per proſopopœïam fuerat locutus, intelligit, quod in carne ſuam velut regiam habet, & illic vim vireſque ſuas exercet: vel maximam illam ad peccandum pronitatem, quam peccatum vocat, quod peccati ſit cauſa.

Verſ. 21. *Invenio igitur τὸν νόμον volenti mihi facere bonum, quod mihi malum adjaceat.* Per legem iſtam videtur intelligere hoc, quod illi malum adjaceat, adeo ut articulus τὸν videatur idem valere quod pronomen τοῦτον: vel τὸν νόμον poſitum eſt κατ' ἔλλειψιν τοῦ κρίνω. Quaſi dicat: quod attinet ad Legem, vel, ſi Legis vim & juſtitiam ſpectes. Vide paraphraſin.

*Quod mihi malum adjaceat.* Quod mihi adeo proprium ſit facere malum, ut mihi incumbat, me urgeat malum. Quam mihi incumbentis ac urgentis molem legem propterea vocat, quod homines ut Lex aliqua urgeat & conſtringat. Hanc legem mox vocabit legem in membris noſtris.

Verſ. 22. *Condelector enim legi Dei ſecundum internum hominem.* Affert cauſam, cur velit facere bonum. Συνήδομαι compoſitum ponitur pro ſimplici delector. Internus autem homo eſt animus & mens noſtra, quæ ſemper in bonum tendit & dirigitur.

Verſ. 23. *Sed video aliam legem in membris meis.* Cauſam affert, cur ſibi malum adjaceat, nempe quod alius ſit juſſus & impulſus in membris ſuis, præter illum impulſum & juſſum mentis, qui impulſui mentis prorſus adverſatur, & in contrarium vertitur.

*Et captivantem me legi peccati.* Oſtendit hunc carnis impulſum eſſe longe potentiorem & vehementiorem, quam mentis; utpote qui hominem captum & irretitum legi, id eſt, juſſui & imperio peccati ſubjiciat.

*Quæ eſt in membris meis.* In membris reſidet, ibi regnat, ibi habitat, cum lege vero membrorum illi optime convenit, arcto inter ſe vinculo nexæ ſunt. Alii quidem eandem putant eſſe legem illam in membris exiſtentem, & legem peccati, de qua Paulus aſſerit, quod ſit in membris ſuis, adeoque antecedens, licet paulo ante deſcriptum, poſitum eſſe pro relativo. Quaſi dicat: lex in membris meis captivum me reddit ſibi. Sed tamen veriſimilius eſt, quatuor hic ſtatui leges, quarum duæ duabus opponuntur,

tur, hoc eſt, duo paria legum partim ſibi adverſantium. Lex Dei opponitur legi peccati; lex mentis legi in membris exiſtenti, hoc eſt legi carnis ſeu appetitus; quarum illa legi Dei, hæc legi peccati aſſentitur. Diſtingui autem poteſt lex peccati a lege in membris exiſtente, ſeu lege carnis, quod illa ſit vis peccati, quam habet in nobis ad ſeſe pertrahendis, quatenus eſt bonum ac deſiderabile quiddam; hæc vero eſt promtus appetitus ad peccata, ſeu ad res ſuaves cum peccato conjunctas: hæc actionum malarum cauſa eſt efficiens, illa finalis. Carnis proclivitas facit ut peccatum tanquam bonum amplectamur, eique indulgeamus, alias id minime facturi. Eſt autem lex peccati in membris ſeu carne noſtra, hoc eſt, appetitu corporis, quia ibi vim ſuam exſerit. Peccatum enim carni tantum noſtræ videtur deſiderabile.

Verſ. 24. *Miſer ego homo!* Exclamat hic homo peccato invitus ac reluctans mancipatus, & miſerum ſe eſſe dicit.

*Quis me eripiet ex corpore mortis hujus!* Quis mihi feret opem, & ex hac morte me liberabit? Corpus enim mortis pro ipſa morte ſumitur. Mortem autem ſumere poſſumus pro hac ipſa tam dura peccati ſervitute, quæ ipſa per ſe mors quædam eſt, & mortem etiam affert.

Verſ. 25. *(Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.)* Hæc verba in parentheſi legi debent: ex quibus clariſſime liquet, Apoſtolum non de ſe jam Chriſti ſpiritu prædito ac regenito loqui, ſed de homine Chriſti ſpiritus adhuc experte, & ſub Lege conſtituto. Gratias enim agit Deo pro eo quod ex morte hac, nimirum ſervitute peccati, quemadmodum ex ſuperioribus apparet, per Chriſtum fuerit exemtus & liberatus.

*Igitur ego mente quidem ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.* Hic jam concluditur iſta tractatio de ſtatu hominum ſub Lege conſtitutorum, eorumque non peſſimorum, ſed ex Legis diſciplina optimorum. Nam ſi qui ſub lege peccati jugum excuſſerunt, & non ſolum mente & animo, ſed etiam operibus ac factis ipſis legi divinæ paruerunt, id non Legis vi factum fuit, quæ magis adhuc carnales cupiditates irritat; ſed auxilio & ope divina extraordinaria, aliiſque ad honeſtatem vitæ adminiculis. Accipimus autem Legem in ſenſu pleniore, qualem ipſa verba Legis præ ſe ferunt, ut alibi jam monuimus. Servire quidem legi Dei mente, eſt legem divinam animo & mente amare, illam approbare, & eſſe addictum, licet factis & operibus eam non præſtes. Carne legi peccati ſervire, eſt id quod peccatum jubet reipſa facere. Maximum igitur erat quod lex præſtare poterat, nempe ut hominis mentem honeſtarum rerum amore ac deſiderio imbueret; ſed ut hominem peccati ſervitute prorſus eximeret, id eſt, efficeret ne ullius peccati conſuetudine teneretur, hoc non poterat. Quare Legis vi non ſolum nemo juſtificari poterat, ideo nimirum, quod omnia quæ Lex præcipit exacte ac perpetuo præſtitiſſet, quemadmodum tertio capite oſtendit Apoſtolus; ſed ne id quidem per eam aſſequi, quo Deus pro ſua benignitate & miſericordia eſt ad homines juſtificandos contentus, id eſt, ne ullius peccati habitu & conſuetudine teneatur.

## CAP. VIII.

### *ARGUMENTUM.*

*Hoc capite primum ſtatus Chriſtianorum illi ſtatui qui erat ſub Lege, & quem in homine iſto cujus perſonam induerat, deſcripſit, oppoſitus oſtenditur; qui eſt, quod carni & peccato, ac proinde damnationi non ſint ſubjecti: Hinc jam Apoſtolus Romanos hortatur, ut ſtatui huic convenienter vivant, & viribus, quas ad excutiendum peccati jugum adepti ſunt, utantur, adeoque ſanctam & Chriſtianis hominibus dignam vitam ſectentur. Hoc facto, hortatur eos & excitat ad peculiarem quandam Chriſtianæ pietatis partem, Euangelicam prorſus, quæ eſt, ut in afflictionibus propter Chriſtum fortes ſint ac ſtrenui.*

Verſ. 1. *Nulla igitur nunc damnatio.* Contraria concluſio proximæ concluſioni. Unde apparet, initium hujus capitis octavi nullo modo pendere ab hac tractatione de homine fruſtra cum carne & peccato luctante. Cohæret autem cum verſ. 6 ſuperioris capitis, idque per vinculum iſtius gratiarum actionis, quæ ultimo verſu continetur. Per *damnationem* non tam genus variarum damnationum, id eſt, pœnarum intelligendum videtur, quam κατ' ἐξοχὴν damnatio & pœna omnium maxima & potiſſima, nempe mors æterna, & qua remota omnes remotæ videntur. Nam & ſequenti verſu, qui probationem hujus continet, ſolius mortis fit mentio. Itaque vox *nulla* idem valebit quod validiſſima aliqua negatio, id eſt, prorſus non eſt, non eſt ullo modo aut pacto. Quod ſi tamen velimus, ut vox nulla ſuam vim retineat, tunc limitatione quadam adhibita iſtud Apoſtoli dictum intelligendum eſt, nempe, ſi quis perfecte ſecundum ſpiritum ambulaverit, eum etiam perfecta ratione a condemnatione fore liberum, hoc eſt, ab omni prorſus pœna. Quod ſi quis ambulans ſecundum ſpiritum aliquid participaverit de carne, juſtum eſt, ut etiam aliquam pœnarum partem ferat.

*Illi qui in Chriſto Jeſu non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant.* Deſcribuntur iſti homines qui nulli condemnationi ſubjaceant: quæ deſcriptio continet cauſam propter quam ei non ſubjaceant: adeo ut hic conjungatur cauſa cum ſuo effectu. Iſti autem homines ſunt illi, qui non ambulant ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum; quemadmodum ex verſu 4 patet. Voces autem *in Chriſto Jeſu* ſunt adjunctæ, ut oſtenderet Apoſtolus quinam ſint iſti homines qui ſic ambulent, & quæ ſit ejus rei cauſa, nempe Chriſtus ejuſque religio. Quam tacite opponit Legi, quæ id tantum poterat in hominibus efficere, ut res actioneſque honeſtas amarent, eaſque ſequi conarentur & animo cuperent, interim tamen carnis & peccati vim imperiumque ſequerentur. *Ambulare* ex Hebraïca conſuetudine ſignificat vitæ actiones obire. Et quia vitæ noſtræ actiones aut ſunt honeſtæ, aut inhoneſtæ, propterea conſuetudo vel harum vel illarum, ambulatio nuncupatur. Ambulare igitur ſignificat actionum frequentationem. *Secundum carnem* ambulat is, qui carnis, hoc eſt, appetitus ductum plerumque in actionibus ſuis ſequitur;

non

non vero qui interdum & quidem leviter a recto tramite discedit; sed qui alicujus peccati seu actionis vere vitiosæ consuetudine & habitu tenetur. Accensendi etiam sunt iis qui secundum carnem ambulant, qui aliquid enorme, & cujus magna & manifesta sit turpitudo, committant, præsertim si id ea fiat ratione, ut appareat ejusmodi hominem spiritu Christi non regi, nec vero Dei timore esse præditum. Nam quisquis spiritu Christi non regitur, eis accenseri debet qui secundum carnem ambulant; etsi forte ambulandi verbum, quod frequentationem actionum significare solet, ei non eodem prorsus modo, quo cæteris in peccato aliquo hærentibus competat. Neque vero minus secundum carnem ambulat, qui, licet certi alicujus peccati consuetudine non laboret, nihilominus tamen peccata peccatis variorum generum contexit, & quotidie aliquid peccat, sic ut hæc peccatorum, ut sic dicam, textura, habitui alicui in certo peccatorum genere respondeat, & eum gravitate æquet. Nec enim hoc tantum Deo est propositum, ne hoc vel illo modo peccemus, sed ne ullo.

*Secundum spiritum ambulat* is, qui spiritus ductum, non in multis actionum honestarum generibus, sed in omnibus plerumque sequitur, & sicubi exerrat, raro idque leviter, ad majorem perfectionem semper pro viribus contendit, ut subinde rarius labatur, crebrius autem majori cum voluptate honestis defungatur actionibus; & cum medium hoc in quo honesta actio consistit aliquam habeat latitudinem, dat operam ut in omni virtute ipsam plane mediocritatis attingat medullam. Notandum est Apostolum, cum superius hominem illum incassum cum carne luctantem depingeret, nullam in eo spiritus, sed tantum mentis interioris hominis feciſſe mentionem; sed Christianis demum hominibus eum assignare, ut hoc ipso indicet eorum aliam esse rationem quam istorum qui sub Lege fuerunt constituti.

Vers. 2. *Lex enim spiritus vitæ.* Quia dixerat, in Christo Jesu homines non secundum carnem ambulare, eosdemque qui ita vivant condemnationi non esse obnoxios, hic istius rei rationem reddit, vel si mavis, rem clarius explicat. Per *spiritum* intelligitur vel Euangelica doctrina, mente jam concepta; vel affectus quidam mentis ex ea in animo concepta manans, qui mentem nostram vegetat, & mira quadam alacritate obediendi Deo implet. Vide supra cap. vij. 6. *Lex* autem *spiritus*, est spiritus istius impulsus ac ductus. Hic *spiritus* vocatur spiritus vitæ, quod sit vitalis, quemadmodum panis vitæ, aqua vitæ, est panis & aqua vitalis, id est vitam afferens, & eam producens. Quæ vita duplex est, spiritualis, quæ in pietate consistit; & æterna, cujus spiritus iste est causa, quia est causa prioris. Opponitur autem hæc Lex spiritus Legi Mosaïcæ seu literæ, quam Paulus alibi dicit occidere. Ita enim ait 2 Cor. 3. 6: *Litera occidit, spiritus autem vivificat.* Confer hæc cum seq. versu 3, & supra cap. vij. 5, 6, 10, 13.

*In Christo Jesu.* Qui spiritus nemini nisi qui religionem & doctrinam Christo Jesu amplectitur, contingit.

Hic igitur spiritus animum meum intrans, ac viribus divinis implens, *liberavit me a Lege peccati.* A peccati dominio & imperio, quod in me sub Lege exercebat.

*Et mortis.* Quia enim me liberat a peccati dominio, simul etiam ab imperio mortis eximit & vindicat, cum hoc illius certum ex divino decreto sit consequens.

Vers. 3. *Impossibile enim Legis.* Confirmat & declarat etiam id quod dixit vers. 2. Nam si Deus id præstitit quod Lex præstare non potuerat, quod tamen volebat; nempe ut hominem a jugo peccati ac mortis eximeret, eumque justificaret, sequitur hominem Christianum liberatum esse a Lege peccati & mortis. Ἀδύνατον τοῦ νόμου. Verba ita sunt comparata, ut videantur significare id quod in Lege erat impossibile, sed revera tamen significant id quod Legi præstare erat impossibile: hoc autem est, ut hominem ex peccati, atque hac ratione etiam ex mortis servitute eriperet.

*In quo infirmabatur*, pro ἐφ' ᾧ. *quatenus.* Causam affert cur Lex id præstare non potuerit, nempe quod infirma fuerit, sed non in seipsa, verum per carnem. Carnis nostræ infirmitas & ad peccandum pronitas in causa erat, ut Lex etiam fieret in coërcendis hominibus & a peccato cohibendis, ac propterea etiam a damnatione liberandis, infirma.

*Deus.* Subintellige præstitit.

Ostendit quomodo: *Suo filio misso in similitudine carnis peccati.* Caro peccati est caro peccatrix, seu ea quæ cum peccato conjunctionem habeat, hoc est quæ peccet, & quæ proinde pœnas peccati ferat. In hujus similitudine misit Deus Filium suum, non in ipsa carne peccati, sed carnem carni peccati similem habentem. *In* ponitur pro *cum.* Similitudo autem in eo consistebat, tum quod filius Dei carnem habuerit iisdem affectibus, iisdem cupiditatibus, quibus aliorum hominum caro solet ad peccandum incitari, naturaliter obnoxiam, & non minus quam aliorum hominum ad voluptatum appetitionem habilem, ut statim subjicitur; etsi nunquam ullum peccatum vel animo conceperit, vel reipsa admiserit: tum quod calamitates & mala, ipsamque mortem, pœnæ peccatorum similem, in carne sua fuerit expertus.

Hoc autem dum Deus fecit, *Condemnavit peccatum in carne.* Condemnavit, id est extinxit, delevit, quemadmodum damnati solent occidi. Ita loquitur Apostolus de peccato, ut ostendat ex ejus damnatione nostram justificationem & absolutionem pendere, quemadmodum statim subjunxit. Damnavit autem seu extinxit Deus peccatum in carne, cum effecit ut Christus eandem quam nos carnem habens, ac proinde carni peccati, qualis est nostra, similem, sanctus & innocens & ab omni peccato liber esset, & varias calamitates ac mortem perpessus, ex ea eximeretur, sempiternamque felicitatem consequeretur. Hinc autem fit, ut quemadmodum in Christi carne, sic etiam in omnium ejus fidelium carne peccatum extinguatur. Christiani enim duci suo se conformant, ut cum eodem quo ille spiritu sint præditi, proportione ea quæ inter caput & membra esse debet, conformare se illi, & peccatum in se extinguere, ut debent, sic possunt, certo sibi persuadentes, ut si eum imitati fuerint, se morti ac damnationi exemtum iri, & æternam felicitatem adepturos, quemadmodum Christus morti exemtus ad æternam felicitatem pervenit.

*Pro peccato.* Ut peccatum aboleret.

Vers. 4. *Ut justificatio Legis impleretur in nobis.* Finis exprimitur, seu effectus & consequens istius damnationis peccati in carne, qui est duplex, unus principalis, quem & priori loco collocavit, qui est justificatio nostra

alter medius, & ad principalem tendens, ambulatio noſtra non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum. Reſpondet ergo verſus 4 verſui primo, eſtque nihil aliud quam ejus reſumtio ex ſuperioribus duobus verſis deducta.

*In nobis.* Id eſt in Chriſto addictis.

Verſ. 5. *Qui enim ſecundum carnem ſunt.* Oſtendit cauſam Apoſtolus, cur illi qui ſecundum carnem ambulant, juſtificari nequeant, ac proinde cur neceſſarium omnino ſit ad juſtificationem non ambulare ſecundum carnem. Cauſa autem hæc eſt, quod ea quæ carnis ſunt ſapiant. Pro eo quod dicere deberet qui ſecundum carnem ambulant, dicit qui ſecundum carnem ſunt: quia nemo ſecundum carnem ambulare poteſt, quin ſecundum carnem, vel, ut verſ. 8 loquitur, in carne ſit. Tacite oſtendit homines ſub Lege conſtitutos, & Euangelicæ doctrinæ expertes, utpote qui in carne & ſecundum carnem ſunt, quemadmodum cap. vij. 5 innuit, ad juſtificationem aſpirare non poſſe. Secundum carnem autem eſſe nihil eſt aliud, quam eſſe ad carnis nutum & arbitrium peccati imperio obnoxium, ac veluti opportunum.

*Quæ carnis ſunt ſapiunt.* Id eſt hæc cogitant, hæc ſpectant & ſpirant quæ carni ſunt grata & ſuavia, huc illorum cogitata & conſilia tendunt & feruntur.

*Qui vero ſecundum ſpiritum, ea quæ ſpiritus.* Cauſam affert cur illi demum juſtificentur qui ſecundum ſpiritum ambulant.

Verſ. 6. *Cogitatio enim*, ſeu ſenſus *carnis mors.* γὰρ poſitum eſt pro δὲ, *nam* pro *atqui.* Continetur enim hic major propoſitio iſtius argumentationis Apoſtolicæ. Perinde enim eſt ac ſi diceret: Illi qui ſecundum carnem ſunt etiam ſapiunt quæ carnis ſunt. Atqui ſapere quæ carnis ſunt eſt mors. Ergo illi qui ſecundum carnem ſunt morti ſunt obnoxii, adeoque juſtificationem non conſequuntur. Mortem vocat id cum quis id ſpirat id ſpectat quod carnis eſt, ſeu illi gratum & jucundum, propterea quod mortem homini illud afferat.

*Vita & pax.* Id eſt vitam affert & felicitatem ei qui id facit.

Verſ. 7. *Ideo quod ſenſus carnis inimicitia in Deum.* Iſtius Minoris propoſitionis, quod attinet priorem verſus præcedentis partem, probatio hic continetur. Ideo mortem affert ſapere ea qua carnis ſunt, quia eſt res Deo adverſa ac illi repugnans, ac proinde inimica.

Hujus rei iterum hæc eſt ratio, *quod Legi Dei non ſubjiciatur.* Quicquid enim Legi divinæ repugnat, neceſſe eſt ut Deo inimicum ſit & adverſum.

*Neque poteſt.* Hæc eſt natura carnalis iſtius ſenſus, ut Legi divinæ repugnet. Ipſa ejus natura non permittit ut ſeſe Legi divinæ ſubjiciat; cum Lex divina ſpiritualis ſit, eaque præcipiat quæ carni ſunt inſuavia & ingrata. Vide ſupra cap. vij. 14.

Verſ. 8. *Qui vero in carne ſunt Deo placere non poſſunt.* Δὲ poſitum pro γάρ. Continetur enim hic concluſio argumentationis Apoſtolicæ, qua probat eos qui ſecundum carnem ſunt morituros. Pro eo autem quod antea dixerat, qui ſecundum carnem ſunt, nunc dicit, qui in carne ſunt.

*Deo placere non poſſunt.* Idem eſt quod morituri ſunt, & juſtificatione carebunt. Quos enim Deus juſtificat, eos ſane approbat ac diligit, illi Deo placent.

Verſ. 9. *Vos vero non eſtis in carne.* Quaſi dicat, non debet autem vos hoc terrere, quod illi qui ſecundum carnem ambulant, & in carne ſunt, Deo placere, ac proinde juſtificari nequeant, cum vos non ſitis in carne, id eſt in carnis poteſtate.

*Sed in ſpiritu.* In poteſtate ſpiritus.

*Εἴπερ ſpiritus Dei habitat in vobis.* Εἴπερ ſignificare poteſt vel *ſiquidem*, vel *ſi modo.* Per ſpiritum iſtum divinum qui in fidelibus hic habitare dicitur, primo & præcipue intelligendus eſt ille ſpiritus, per quem Euangelii doctrina hominibus innotuit; qualis inprimis erat ille ſpiritus, quem primi Euangelii præcones cælitus hauſerunt, propter quem etiam factum eſt, ut Euangelium ſpiritum appellaret Apoſtolus, Legem autem literam, quod Lex literis primo ſuerit inciſa, & per literas hominibus revelata, Euangelium autem per Spiritum Sanctum hominibus innotuerit. Sed ipſa deinde Euangelica doctrina, quatenus jam mente percipitur, ſpiritus divini appellationem meretur: Idem enim præſtat quod ipſe Spiritus Sanctus, cujus hic eſt effectus, ut animos doctrinæ Euangelicæ notitia imbuat. Hinc videmus, per fluvios illos qui ex ventre credentium in Chriſtum profluere debebant (qui non poſſunt eſſe aliud aliquid quam ab illis manans & proficiſcens Euangelicæ doctrinæ notitia) Spiritum Sanctum fuiſſe intellectum Joh. 4. 14. vij. 38. Ad hanc vero notitiam acceſſit adhuc in primitiva illa eccleſia Spiritus Sancti donum in fideles largiter effuſum, quod veritatem Euangelicam mirum in modum confirmabat, & peculiariter adhuc mentes illuſtrabat, & pleniori divinæ veritatis imbuebat notitia. Hunc igitur Spiritum Sanctum cum illa Euangelicæ doctrinæ notitia conjunctum intelligit Apoſtolus. Ubi enim ſpiritus iſte ex Euangelicæ doctrinæ notitia manans (accedente præſertim ab extra ſpiritu alio divino & cum illo conjuncto,) reſidet, & hominum animos invaſit, illic abunde ſuppetunt ad domandam carnem vires, ſi modo homo ſibi ipſi ſtudio ac voluntate non deſit.

*Si vero quis ſpiritum Chriſti non habet, non eſt ejus.* Cum antea vel dixerit, vel ſaltem innuerit, ſpiritum Dei in illis habitare; nunc loco ſpiritus Dei ponit ſpiritum Chriſti: ut oſtendat, ſe non de quovis ſpiritu loqui, & qui etiam hominibus ſub Lege conſtitutis ineſſe poterat; ſed de eo Dei ſpiritu qualem Chriſtus largitur, & qui Euangelicæ doctrinæ proprius eſt ac peculiaris, qui id præſtare poteſt, ut aliquis ſit in ſpiritu, id eſt, ſpiritualis plane ex carnali evadat homine. Oſtendit autem ſe merito præſuppoſuiſſe in illis habitare Dei ſpiritum, ſiquidem illos pro veris Chriſtianis reputet. Alioqui enim, ſi Chriſti ſpiritu præditi non ſint, illos non eſſe Chriſti, id eſt ad Chriſtum revera non pertinere, nec inter ejus veros ac genuinos diſcipulos numerandos eſſe.

Verſ. 10. *Si vero Chriſtus in vobis.* Poſtquam oſtendit illos, ſi vere Chriſti ſint Chriſti quoque ſpiritu præditos eſſe, hinc colligit & concludit id quod verſu præcedente affirmaverat, nempe eos non eſſe in carne ſed in ſpiritu, ac proinde damnationem ac mortem illis non eſſe metuendam, quemadmodum ſeq. verſiculo oſtendet. Chriſtum ipſum nunc loco ſpiritus Chriſti reponit, quia hæc ſe mutuo ponunt. Maluit autem ſic loqui, ideo fortaſſis ut indicaret eos debere Chriſto eſſe conformes; & ut tanto melius id quod addit concludat, nempe corpus eſſe mortuum, ſpiritum autem vi-

tam.

tam. Si enim Chriſtus in nobis eſt, debemus illi conformes fieri, & quodammodo referre, tum in morte, tum in vita, quemadmodum cap. vj docuerat.

*Corpus mortuum eſt propter peccatum.* Id eſt peccato, vel reſpectu peccati, id eſt ut non peccetur. Inſolens eſt hic loquendi modus, ſed ex Hebræo, ut videtur, profectus. Quia enim Hebræi pro Dativo ſæpe ſolent ſumere Accuſativum cum Præpoſitione *propter*, & ſic *lamed*, quod Dativi nota eſt, vim habet præpoſitionis *propter*: ideo Apoſtolus, cum dicere debuiſſet, mortuus eſt peccato, *lachataah*, dixit *propter peccatum.* Id autem videtur tanto libentius facere, propter ſequentia verba, propter juſtitiam, quæ propriam habent ſignificationem, ut tanto concinnior & elegantior eſſet oratio. Eſt tamen ſimilis locutio 1 Cor. 7. 2.

*Spiritus autem vita.* De ſpiritu noſtro loquitur, qui Chriſti ſpiritu in nobis animatur, & vires ad ſuperandam & mortificandam carnem accipit.

*Eſt vita.* Id eſt vivit.

*Propter juſtitiam.* Ut juſtitiam operetur, & honeſtis actionibus vacet.

Verſ. 11. Pergit ulterius Apoſtolus, & infert ipſos, nimirum Romanos, etiam ſalutem æternam adepturos. Qui enim ſecundum ſpiritum ambulant eam adipiſcentur. *Si vero ſpiritus ejus qui reſuſcitavit Jeſum a mortuis habitat in vobis.* Varie loquitur Apoſtolus, nunc ſpiritum Dei, nunc Chriſti, nunc ipſum Chriſtum, hic *ſpiritus ejus qui eum reſuſcitavit* mentionem facit.

*Vivificabit etiam mortalia corpora veſtra.* Videtur Apoſtolus duplicem his verbis ſenſum complecti velle, unum principalem, & alterum ſecundarium. Principalis eſt, ut hæc verba de reſurrectione & vivificatione illa futura accipiamus. Secundarius, ut ea accipiamus de vivificatione ſpirituali corporum noſtrorum, quæ in eo conſiſtit, ut corpora noſtra mortalia vivant juſtitiæ & Deo, ſeu membra noſtra tanquam ex mortuis viventes præbeamus arma juſtitiæ, ut ſuperius locutus fuerat cap. vj. 13, vel ut inferius cap. xij loquitur, ut ea exhibeamus *victimam viventem Deo.* Quod ſi ergo duplicem hunc ſenſum admittamus, non mirum erit Apoſtolum verba ſua ita temperaſſe, ut utrique ſenſui accommodari poſſint, & utrique aliquid, ut ſic dicam, indulſiſſe. Prioris cauſa quidem in futuro tempore dicitur, *vivificabit*, addito etiam epitheto *mortalia*, & denique adjungit *propter inhabitantem ipſius in vobis ſpiritum*; quæ verba cauſam impulſivam longe melius ſignificant, quam mediam & inſtrumentalem: poſterioris autem cauſa dixit, *corpora noſtra mortalia* vivificatum iri. Nec enim proprie loquendo hæc corpora noſtra mortalia in adventu Chriſti vivificabuntur; ſed alia nobis iſtorum loco dabuntur. Quanquam etiam, ſi ad poſteriorem hunc ſenſum non reſpiciamus, non mirum eſt Apoſtolum hic minus accurate fuiſſe locutum; cum hoc loco ſibi propoſitum non habeat de reſurrectione ac modo ejus agere, ſed alterius tantum rei cauſa ejus mentionem fecerit. At ibi, ubi hac de re tractationem de induſtria inſtituit, rem totam nobis accurate explicat. Quare ex illa tractatione hic & alii iſtiuſmodi loci explicari debent; non vero ex iſtis illa. Solent autem illa, quorum unum in alterius locum ſuccedit, licet numero diverſa, tanquam ſi unum numero eſſent, & qualitatibus tantum different, conſiderari. Sic dicimus, ſylvarum comas, gramina, herbas, chelas cancrorum renaſci, arbores repullulaſcere & alia ſimilia.

*Propter inhabitantem ipſius ſpiritum in vobis.* Si ad priorem ſenſum reſpicimus, vox *propter* cauſam impulſivam ſignificabit. Spiritus enim Dei in nobis inhabitans, Deum impellit ut velit nos reſuſcitare & vivificare; ex eo quod Chriſtum reſuſcitavit, colligimus Deum poſſe nos reſuſcitare; ex eo quod ſpiritum ejus habeamus in nobis, colligimus eum velle etiam id præſtare. Hæc autem inhabitatio ſpiritus divini in nobis ita debet accipi, ut includat ejus effecta, nempe pietatem & obedientiam. Non otioſa hic inhabitatio intelligi debet, ſed efficax. Si ad poſteriorem, *propter* habebit vim ſignificandi id quod particula *per*. Nam quod fit per aliquid, etiam fit propter illud: *propter* enim omne cauſarum genus ſignificare poteſt. Complutenſis editio habet hoc loco διὰ cum genitivo, id eſt *per*; quæ certe lectio poſteriori ſenſui valde favet: nec enim per hunc ſpiritum qui in nobis habitat, Deus eſt nos reſuſcitaturus, & immortales effecturus.

Verſ. 12. *Itaque fratres, debitores ſumus.* Hic jam incipit Romanos hortari, ut cum debeant & poſſint pie vivere, etiam reipſa id faciant. Hinc autem appareret nihil homines Chriſtianos juvare, quicquid tandem adjumentorum ad vitam piam ex Dei parte habeant, niſi ipſimet etiam ſtudium ſuum & conatum afferant. *Debitores ſumus.* Id eſt obſtringimur ac tenemur. Non exprimit ad quam rem obſtringamur; ſed dum contrarium addit ad quod non obſtringamur, tacite innuit ad quid obſtringamur, nempe ut vivamus ſpiritui.

Verſ. 13. *Actiones corporis mortificaveritis.* Mortificantur actiones corporis, cum efficitur ne amplius ſint & exiſtant. Tacite videtur innuere, eas antea in illis extitiſſe.

*Spiritu.* Nempe divino, qui in nobis habitat, quemadmodum ex ſequenti verſu apparet.

Verſ. 14. *Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Cauſam affert cur illi ſint victuri qui perimunt actiones carnis. Eſt autem hæc cauſa, quod ſpiritu Dei agantur, id eſt regantur & gubernentur. Qui autem tales ſunt, hi ſunt filii Dei, id eſt in ſtatu & conditione filiorum Dei, & ab eo inſtar filiorum diliguntur: uno verbo, jus habent filiorum Dei adoptivorum, quod quale ſit ex verſ. 17 apparebit. Oſtendit autem Apoſtolus, unde id ſciri poſſit, eos qui aguntur Dei ſpiritu cenſeri Dei filios, ac filiorum in ſtatu ac conditione eſſe, cum addit.

Verſ. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis denuo in metum.* Hinc poteſtis perſpicere rem ita ſe habere, quod accepiſtis ſpiritum filialem. A contrario autem illuſtrare & commendare volens hoc divinum beneficium, meminit ſpiritus ſervilis, quem eos non accepiſſe dicit. Cum vero ait *denuo*, apparet eos prius hunc ſpiritum accepiſſe. Spiritus ergo iſte erat, illa mentis qualitas, qua ex percepta Legis diſciplina hominum mentes imbuebantur, qui ſervilis erat, qui ſervis plane conveniebat, ſervis erat proprius. *In metum.* Servorum enim proprium eſt metuere ac trepidare, ſervilibus ingeniis convenit metus; metus, inquam, ejuſmodi qualis hic intelligitur, nempe ut ſeveritatem ac ſupplicia ejus cui pares, tuę cervici ſemper imminentia cogites & expaveſcas. Oſtendit Apoſtolus quid hic ſpiritus in animis eorum qui ſub Lege erant conſtituti effecerit, nempe metum, timorem, & trepidationem. Vocatur autem iſta qualitas animorum, ex Legis diſciplina severa ac rigida excitata, *ſpiritus*, propter oppoſitum ſpiritum Euangelicum, qui non ſolum ex ipſa Euangelii

doctrina, ſed etiam ex cælo in nos manat, & animos noſtros imbuit.

*Spiritum adoptionis.* Spiritum talem qũi convenit illis qui ſunt adoptati in filios Dei, qui non metum & pavorem in animis noſtris excitat, ſed clamorem talem, ut Deum tenerrimo nomine, *Abba* nimirum, appellare non dubitemus. Hinc igitur manifeſtum eſt, nos, ſi ſpiritui huic regendos nos tradiderimus, in numero ac cenſu filiorum Dei futuros eſſe.

Verſ. 16. Immoratur adhuc Apoſtolus huic documento, cum addit: *Ipſe ſpiritus conteſtatur ſpiritui noſtro quod ſimus filii Dei.* Quaſi dicat, quod aliud iſtius rei documentum quærimus? Ipſe ille ſpiritus quem a Deo hauſimus, & quo per Euangelium imbuti ſumus, teſtatur id ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei, ſi nimirum iſti ſpiritui regendos nos tradiderimus. Itaq; non ſolum nos a peccato liberat, ſed etiam a peccato liberatis teſtatur nos eſſe Dei filios. Συμμαρτυρεῖ πνεύματι ἡμῶν. Verbum compoſitum *conteſtatur* non ita debet accipi, ut ſignificet animum ſeu ſpiritum noſtrum nobis id teſtari, & una cum eo teſtari ſpiritum Dei; ſed pro atteſtatur, ut ſpiritus noſter ſit is cui teſtatur ſpiritus Dei, non vero cum quo teſtatur. Conteſtari tamen ideo dicitur, quod rem admodum gratum, & quam ſpiritus noſter ſibi libenter perſuadet, teſtatur. Simili ratione ſupra cap. vij uſurpatum vidimus verbum condelector. Nondum evicit Apoſtolus, eos qui ſpiritu Dei reguntur victuros, ſed tantum filios Dei illos eſſe demonſtravit: propterea ulterius progreditur.

Verſ. 17. *Si vero filii, & hæredes.* Filii enim ſolent hæreditatem parentum adire. Veruntamen quia poſſet quis hæreditatem adire, nec tamen protinus vitam immortalem adipiſci; cum hæreditas reſpectu diverſarum perſonarum, quarum hæres quiſpiam evadit, poſſit eſſe varia, ideo, ut appareat hæreditatem noſtram vitam immortalem in ſe complecti, id quod abſolute dixerat reſtringit, & perſonam illam exprimit cujus hæredes ſimus, (licet id ex dictis ſatis liquere poteſt) & ſimul etiam cujus cohæredes debeamus evadere; ut tum ex natura & conditione ejus cujus hæredes ſumus, tum ex bonis quæ adeptus eſt is cujus cohæredes ſumus, quique nobis exemplar ea in re eſt, diſcamus quam excellens, quamque ampla ſit illa hæreditas noſtra, quodque ea vitam immortalem omnino in ſeſe comprehendat. Et ſane hanc ipſam ob cauſam, ne ea res minus perpenderetur, & animum legentis ſtatim præterveheretur, non ſtatim expreſſit cujus hæredes ſimus, (poterat enim dicere, ſi autem filii Dei, etiam Dei hæredes) ſed rem aliquantum ſuſpendit, ut eam poſtea cum majori emphaſi exprimeret.

*Hæredes quidem Dei.* Quaſi dicat, ergo ſi filii Dei etiam hæredes Dei.

Sed ne quis aliam aliquam hæreditatem Dei ſibi imaginetur aut cogitet, quam eam quæ in profeſſione ſalutis ſempiternæ conſiſtit, addit Apoſtolus, oſtendens qualiſnam ſit iſta hæreditas: *Cohæredes autem Chriſti.* Tales hæredes qualis eſt Chriſtus, cum quo hæreditatem habituri ſumus communem: qua hæreditate nihil majus, nihil ſublimius cogitari aut optari poteſt.

Poſtquam tantæ felicitatis mentionem fecit Apoſtolus, commodiſſimam occaſionem nactum ſe ratus, tranſit ad eam pietatis noſtræ partem, quæ plane Euangelica eſt, & in tolerantia afflictionum propter Chriſtum conſiſtit. Quanquam & ipſius Chriſti, cujus cohæredes futuri ſumus, mentio ei occaſionem ad hoc addidit; ſiquidem Chriſtus per varias afflictiones, & diram mortem ad tantæ gloriæ hæreditatem poſſeſſionemque pervenit. Quocirca æquum eſt, ut qui ejuſdem cum Chriſto felicitatis conſortes eſſe volunt, calamitatum etiam ſint ſocii: *Si modo compatimur.* Compatimur, dicit, Chriſto, non vero ſimpliciter patimur, quia ad Chriſtum reſpexit.

*Ut & conglorificemur.* Ἵνα poteſt & cauſam finalem, & effectum ſeu eventum afflictionum noſtrarum ſignificare. Sed ne quis id nimium durum putaret tot adire calamitates & mala ad gloriam hanc obtinendam, propterea addit Apoſtolus:

Verſ. 18. Λογίζομαι γὰρ. Λογίζομαι ſignificat aliquid certa ratione concludere ac ſtatuere. Sic cap. iij. 28.

*Quod non ſint dignæ paſſiones hujus temporis &c, ad futuram gloriam.* Id eſt, collatæ ſeu comparatæ cum illa gloria, omnem ſuam dignitatem & meritum amittunt, id eſt comparari cum illa nequeunt.

*Futuram revelari.* Id eſt, revelandam, ſeu quæ revelabitur.

Εἰς ἡμᾶς. Vel in nobis, vel potius quod ad nos. *Revelari* autem dicitur, non quod revera jam exiſtat, (nec enim extra nos exiſtet) ſed conſequens ponitur pro antecedente, Relatio pro exiſtentia: quanquam in decreto Dei jam quodammodo exiſtit.

Verſ. 19. *Sollicita enim expectatio.* Oſtendit ſe non fruſtra gloriæ iſtius in Chriſtianis hominibus aliquando revelandæ mentionem feciſſe, ſiquidem non in hac vita, & in hoc præſenti Chriſtianorum ſtatu felicitas eorum terminetur? quemadmodum veriſimile eſt aliquos fuiſſe qui id crederent, exiſtimantes hanc eſſe Chriſtianorum felicitatem, & poſt hanc nullam aliam, quod honeſtiſſime viverent, virtutem colerent, & in tolerandis calamitatibus conſtantiam ſuam proderent, & virorum bonorum officio fungerentur. Huic cogitationi & opinioni occurrens Apoſtolus hæc verba ſubjunxit, quibus oſtendit Chriſtianos in hoc præſenti ſtatu nullo modo acquieſcere, eoque contentos eſſe; ſed ad alium longe diviniorem ac vere beatum ſtatum & conditionem adſpirare, totoque animo proſpectare. Ἀποκαραδοκία ſignificat expectationem quæ fit exſerto capite, & intentis oculis, rei alicujus eminus adventantis. Per creaturam autem nova creatura intelligi debet, id eſt homines Chriſtiani; quos ob mutationem & renovationem in illis factam creaturam vocat: idque hoc loco ideo videtur feciſſe, ut oſtenderet eorum conditionem ac ſtatum ita quidem eſſe immutatum, ut novæ creaturæ quodammodo dici queant; ſed non ita ut filii Dei, (ſi perfecta quadam ratione appellatio illa ſumatur, cujus exemplum in Chriſto extat) & ipſius hæredes (hæc enim quodammodo coïncidunt) jam actu ipſo propterea cenſendi ſint evaſiſſe, quales tamen evadere eos debere ex dictis intelligitur, ac proinde in hac ipſorum creatione & reformatione ſummam eorum felicitatem nequaquam eſſe poſitam, adeo ut licet ſint novi homines effecti, nihilominus tamen ſollicite exſpectent alium ſtatum & conditionem, nempe revelationem filiorum Dei. Ita Apoſtolus loquitur, ac ſi creatura ac filii Dei ſubjectis differrent, cum tamen qualitatibus tantum differant. Itaque illi qui nova creatura ſunt, expectant revelationem ſui ipſorum in ſtatu & conditione Dei filiorum. Tacite oſtendit Apoſtolus, creaturam iſtam, ſeu Chriſtianos homines, quamdiu

diu in hac mortalitate degunt, & variis calamitatibus premuntur, non videri esse Dei filios: quemadmodum & Johannes 1 Epist. 3 dicit, nos similes Deo futuros innuens, nos nunc nondum similes esse Deo, illa nempe perfecta ratione & modo, cujus respectu hæc similitudo quodammodo non apparet. *Expectatio expectat*, id est creatura ipsa expectat.

Vers. 20. *Vanitati enim creatura subjecta est non volens.* Probat id quod dixerat, creaturam ad alium statum, hoc minime contentum, anhelare, eumque appetere: quia invita quodammodo ac reluctans in hoc præsenti statu manet, non propria sponte, sed divino parens arbitrio ac voluntati. *Vanitatem* vocat afflictiones & mala, mortem denique ipsam, quæ hominem ac vitam hanc vanam efficiunt. Ideo enim hęc vita, & quæcunque ad eam spectant, vana sunt, quod sint caduca, mutabilia, & corruptioni subjecta. Utitur autem voce hac vanitatis, fortassis propter creaturæ appellationem. Creaturis enim in hoc mundo competit vanitas, hoc est, caducitas & corruptio.

*Non volens.* Non sua sponte, non quia in illis suæ felicitatis partem aliquam collocet, & de hac patientiæ materia per se, remotaque præmii spe, gaudeat. Mallet enim his malis & calamitatibus carere.

*Sed propter eum qui subjecit.* Id est Deum, qui tali conditione suos esse in hac mortali vita voluit.

*In spe.* Subjecit quidem, sed simul spem fecit glorioſissimi ac beatissimi status.

Quam spem declarans subjicit: *Quod & ipsa creatura &c.* Tacite ostendit jam alium aliquem præter istam creaturam liberatum esse. Quis autem is esse potest præter Christum, de quo supra vers. 17 dixerat, nos fore ejus cohæredes, & illi conglorificandos? Ad Christum igitur respicit Apostolus potius, quam ad Angelos. Eximitur autem hoc loco è creaturæ numero, cum tamen primogenitus omnis creaturæ & *principium creaturæ Dei* alibi legatur: quia hoc loco creatura non significat futuram illam mutationem & reformationem nostri, quæ in futuro illo seculo erit, (opponitur enim revelationi filiorum Dei, qua appellatione illa futura nostri mutatio significatur) sed tantum hanc quæ est in præsenti.

*A servitute corruptionis.* Hic vocat corruptionem, quod antea vanitatem vocarat. Servire autem corruptioni est corruptioni aliisque malis ad corruptionem ducentibus obnoxium esse, illisque subjacere. Ab hac servitute liberabimur aliquando.

Addit, *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Liberabimur libertate, id est vindicabimur in libertatem: non solum hac servitute eximemur, sed etiam glorioſissimam libertatem, (hoc est libertatem gloriæ) quæ filiorum Dei propria est, consequemur. Filios Dei hoc loco servis opponit. Filius vero servo opponitur, quanto magis filius Dei. Quos magis decet libertas quam Dei filios? Et quia adhuc sub servitute durissima variarum calamitatum & mortis gemimus, hinc apparet, nos nondum esse ea ratione qua omnino par est Dei filios.

Vers. 22. *Scimus enim quod omnis creatura congemiscit.* Interjecta mentione spei, & ejus descriptione, redit ad principalem thesin, & probat creaturam invitam nec volentem in præsenti conditione esse. *Scimus enim.* Ideo hoc dixi, quia optime nobis notum est & exploratum, quod omnis creatura congemiscat, id est gemitus ac suspiria inter se jungat. Vox *scimus* ostendit Apostolum loqui de re nota & explorata; ac proinde non loqui de metaphorica aliqua rerum inanimatarum expectatione & gemitibus. Gemitus autem isti ostendunt, Christianos præsenti statu non esse contentos, sed ad alium quendam adspirare. Respondet hic locus illi loco 2 Cor. 5. 4, Στενάζομεν, id est, dolores similes parturientis perfert. Notum enim est, Christum fidelium suorum afflictiones doloribus ejusmodi conferre Johan. 16. 21, 22.

Vers. 23. *Non solum autem, sed & ipsi primitias spiritus habentes.* Poterat aliquis cogitare, Christianos quidem in communi hoc suo præsenti statu contentos non esse; sed aliam esse illorum conditionem, qui inter vulgum Christianorum eminent & præcipui sunt, quorum certe conditio & status divinus esse videtur, cum tantis Spiritus Sancti donis sint prædíti, tot stupenda edant miracula, Deo ea in re quam hominibus propiores. Respondet Apostolus, parem hac in parte eorum esse conditionem cum cæteris omnibus Christianis, ut una cum iis gemant ac laborent, ad aliumque statum & conditionem toto pectore & animo anhelent. *Primitiæ spiritus* sunt potiores ac selectiores Spiritus Sancti partes. Primitiæ enim a LXX Interpretibus dici solent, non tam primæ partes frugum ratione temporis, quam potiores quędam ac selectiores, quæ ipsi Deo offerrentur, ac Levitis darentur. Quanquam Christiani qui tempore primi erant, partim inter Judæos, partim inter Gentes, & primas ratione temporis partes Spiritus Sancti acceperant, potiores etiam ac præstantiores fere acceperint: ab initio enim Deus copiosius hoc donum in homines effundebat inter Judęos primum deinde inter gentes.

*Et nos ipsi.* Verba hæc ita sumi possunt ac si diceret Apostolus; nos, inquam, ipsi, explicans quosnam intelligat per istos qui spiritus primitias habeant; vel ita, ut sit quędam gradatio in istis verbis, & Apostolus altius adhuc ascendat, seque solum, vel cum paucis sui similibus, significet.

*Adoptionem expectantes.* Hic adoptionem, nempe à Deo, nominat id quod antea revelationem filiorum Dei, & libertatem gloriæ filiorum Dei vocaverat. Adoptati quidem nunc quoque sumus in filios à Deo, sed ea ratione qua infans aliquis, aut puer in filium adoptatur, cujus conditio adhuc parum differt à conditione servi. Expectamus autem illam adoptionem, quia jam adulti ipsam hæreditatis possessionem adibimus. Tunc enim vere à Deo adoptati dici poterimus, nunc adoptatos nos esse non apparet.

Explicat verbis magis propriis hanc sententiam, & statum quem expectamus: *Redemtionem corporis nostri.* Id est liberationem corporis nostri ab omnibus malis & corruptione: quod fiet cum corpora nostra glorioso Christi corpori reddentur similia, qua de re vers. 11 diximus.

Vers. 24. Expectamus autem propterea, quia *Spe servati sumus.* Spe non re.

*Spes vero quæ videtur. Spes* sumitur pro re sperata. Videre autem rem speratam est ea potiri, ea frui: quasi diceret Apostolus, cum rem ipsam jam habemus, non est amplius spei locus. Quare cum nunc speremus, apparet nos non reipsa bonum istud adeptos esse. Simile est illud Apostoli 2 Cor. 5. 7 *per fidem ambulamus, non per speciem*, seu mavis *visionem & aspectum.* Fide nostro bono fruimur, non vero oculis id cernimus.

*Quod enim videt quis, quid & speret?* Quod quis jam reipsa habet & possidet, quomodo id adhuc sperare potest? Spes enim est boni futuri.

Verſ. 25. *Si vero quod non videmus ſperamus.* Si vero earum tantum rerum ſpes eſt quam nondum habemus, [vel: ſi vero nos ſalutem ſeu bonum noſtrum ac felicitatem non videmus, ſed ſperamus,]

Hinc conſequitur, *quod per patientiam expectamus.* Id eſt patienter id expectamus. Sed ne videatur plus concludere quam dicit, poſſumus hæc verba pro monitione Apoſtoli accipere, quaſi diceret, patienter id expectare debemus.

Poſtquam vero oſtendiſſet Paulus, Chriſtianis hominibus tolerandas & patienter ferendas afflictiones, oſtendit eundem illum ſpiritum quo à ſervitute peccati, ac proinde mortis ſunt liberati, & qui ſpiritui noſtro atteſtatur nos eſſe Dei filios, maximo nobis adjumento eſſe in hac quoque pietatis parte, quæ in malorum tolerantia pro Chriſto conſiſtit, ne forte dicerent, ſe quidem habere tantas vires per ſpiritum Chriſti ut poſſunt peccati & carnis jugum excutere, ſed ut calamitates etiam eo modo Chriſti cauſa perferant, deeſſe ſibi vires, adeoque ſeſe nihilominus quam ſub lege miſeros eſſe, & promiſſis Euangelii, cum conditioni propoſitæ ſatisfacere nequeant, non potituros: itaque ſubjungit,

Verſ. 26. *Similiter autem & ſpiritus opitulatur.* Reſpiciunt hæc verba ad verſ. 16 & quæ eum antecedunt: quaſi dicat. Qmemadmodum nos ex ſervitute peccati eximit, & ſpiritui noſtro teſtatur nos eſſe Dei filios; ſic etiam opitulatur infirmitatibus noſtris idem ille ſpiritus. Conjunctio autem ὡς videtur eſſe tranſpoſita, & ita accipienda, ac ſi ante verbum ἀντιλαμβάνεται immediate legeretur. Neque enim alterius alicujus rei mentionem fecerat Apoſtolus, cum qua conjunctis viribus ſpiritus nobis opituletur.

*Infirmitates noſtræ.* Hoc loco non tam videntur afflictiones & mala ipſa quibus premimur ſignificare, quam illas quæ ex afflictionibus ejuſmodi oriuntur, id eſt animorum noſtrorum perturbationes, quibus fit ut trepidemus, & debiles quodammodo ad ſuſtinendas calamitates reddamur. *Opitulatur*, igitur *infirmitatibus*, quatenus nos infirmos, ac metu & pavore perturbatos ac debilitatos fulcit. Dicitur autem ἀντιλαμβάνεσθαι, non quaſi cum alia aliqua re nobis opem ferat, cum tamen ille ſolus proprie ſit qui opem ferat; ſed ideo ſic loquitur Apoſtolus, quod nos ipſi quoque conemur & nitamur mala iſta ſuperare & hoc onus ſuſtinere, vel hoc onere preſſi ac quodammodo proſtrati nos erigere. Spiritus ergo veluti ex adverſo nobis manum præbet, noſque erigit: id enim proprie ſignificat vox ἀντιλαμβάνεσθαι. Sic ſuperius dixerat Apoſtolus, quod una teſtetur cum ſpiritu noſtro: non quod proprie ſpiritus quoque noſter id teſtetur; ſed quod tamen aliquid ſimile faciat, hoc eſt, id ſibi perſuadeat, & aliquo modo affirmet. Sic dixerat cap. 7. 16, σύμφημι τῷ νόμῳ, συνήδομαι τῷ νόμῳ. Oſtendit autem Apoſtolus, quomodo nobis infirmis & laborantibus manum porrigat ſpiritus. Peculiarem quendam modum commemorat, & ejuſmodi neceſſitatibus valde accommodatum. Nam præter hunc alia etiam ratione ſpiritus iſte nos fulcit & roborat, nempe eadem qua efficit ut ſancte pieque vivamus. Sed hic peculiarem quandam ſpiritus iſtius operationem commemorare voluit Apoſtolus, quæ iſti tempori, cum calamitatibus circumventi ſumus, ſit propria.

*Id enim quod oremus quemadmodum oportet neſcimus &c.* Verba, *quemadmodum oportet*, vel conjungenda ſunt cum voce neſcimus: quaſi dicat, ſcimus quidem aliquo modo, ſed neſcimus quemadmodum ſcire oportet: vel ſubaudienda eſt particula & poſt verbum *oremus:* quaſi dicat, & quid oremus neſcimus, & quemadmodum oportet orare neſcimus.

*Neſcimus.* Fit enim ſæpe ut mens noſtra periculis & malis imminentibus, vel etiam prementibus intenta, & iis quodammodo abrepta, neſciat quid oret & quomodo. Tanta ſolet eſſe in animis hominum perturbatio.

*Sed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis.* Dum noſtra mens ad malorum magnitudinem conſiderandam abripitur, adeo ut precibus vacare non poſſit, & conſiderare quid potiſſimum à Deo efflagitandum ſit, & qua potiſſimum ratione; ſpiritus veluti vices mentis ſubit, & interpellat pro nobis. Per Proſopopoëiam quandam & Metalepſin hoc de ſpiritu iſto dicitur: omnes enim agnoſcunt ſpiritum iſtud proprie loquendo non facere; ſed dicitur interpellare, quia facit ut ii in quibus eſt orent. Sed Apoſtolus pro orandi ſeu precandi verbo utitur voce *interpellandi*, quia ſpiritui ipſi, non ſecus ac ſi perſona eſſet à nobis diſtincta, precationem illam tribuit. Precatio autem pro alio fuſa ἔντευξις eſt, ſeu interpellatio, aut, ut vulgo loquuntur, interceſſio. Sed dices: quomodo ii poſſunt orare, ſiquidem quid orent & quemadmodum oportet neſciunt, ac mentem malis excuſſam habent, ſeu potius mala totam ſibi mentem vendicant?

*Suſpiriis inenarrabilibus.* Suſpiria in illis excitat ſpiritus, etiamſi preces diſtincte & conſiderate conceptas non excitet. Quæ propterea dicuntur inenarrabilia, quod verbis non exprimantur, nec exprimi ab eo ipſo qui ea ad Deum fundit queant, periculi magnitudine perturbato. Magnum certe hoc nobis eſt ſolatium, cum ſciamus Deum ſuſpiria hæc noſtra, licet ab animis perturbatis profecta & confuſa, ſpreturum non eſſe, nec ideo nobis opem ſuam denegaturum, quod mens noſtra, ingentibus intenta difficultatibus, vota preceſque accurate & cum judicio non concipiat. Simili ratione Apoſtolus alibi ſpiritus operationem, imo & preces ab operationibus & precibus mentis noſtræ diſtinxit 1 Corinth. 14. 14, 15, 19. Spiritus autem iſte qui efficit ut interpellemus ſuſpiriis iſtis inenerrabilibus, eſt partim divinus ille ſpiritus qui cœlitus venit (quem Deus vel ob ſingularem pietatem, vel preces aſſiduas, vel cum nobis aliquid magnum aut faciendum aut patiendum eſt, vel ob hæc omnia ſimul juncta, fidelibus ſuis impertiri ſolet) partim etiam ſpiritus ille Euangelicus, ex Euangelica doctrina manans, qui eſt mentis noſtræ raptus quidam & ardor, quo in finem ſuum, id eſt æternam ſalutem ac media ad eam ducentia, id eſt ad omnis generis honeſtas actiones fertur & propendet, & nil aliud quam iſta ſpirat: qui mentis noſtræ ardor & vis ſuſpiria hæc & gemitus excitare ſolet, quemadmodum ſæpe videmus, homines vel morbis, vel etiam aliis difficultatibus, vel ægritudine preſſos, dum mentem ſuam paululum à conſideratione malorum avocant, & vel aliquid dicunt, vel etiam aliorum ſermones audiunt, ſubinde tamen gemitus & ſuſpiria, etiam non cogitantes, ducere. Hoc autem facit mentis quædam affectio, illi vel ob morbum, vel ob aliam aliquam calamitatem impreſſa. Sic illa mentis noſtræ affectio, quæ eſt in omnem honeſtatem ferri, & æternæ ſaluti unice ſtudere, mente ipſa malis quodammodo obruta, excitat in

nobis

nobis crebra & ex imo pectore ducta ſuſpiria. Ne vero putemus hujuſmodi ſuſpiria in tumultu mentis & animi noſtri concepta, nullo apud Deum loco haberi, ſubjungit Apoſtolus:

Verſ. 27. *Qui vero ſcrutatur corda novit, quis ſit ſenſus ſpiritus.* In cordibus hæc ſuſpiria naſcuntur, & ex illis ducuntur. Is autem qui eſt cordium ſcrutator, novit quid ſpiritus iſte ſpectet, quid deſideret, quid appetat, quo feratur, quid unice in votis habeat, etiamſi ea ſuſpiria verbis non exprimantur, & ne is quidem ea ſuſpiria conſideret & perpendat; Deus tamen qui cordis receſſus explorat, ea intelligit.

*Quod ſecundum Deum interpellet pro ſanctis.* Novit hoc Deus, quod iſte ſpiritus in cordibus fidelium exiſtens (nam ſi ibi non exiſteret, fruſtra addidiſſet hæc verba; *qui vero ſcrutatur corda*, ſignificans, Deum ideo ſenſum ſpiritus noſſe, quod corda ſcrutetur, ac proinde ſpiritum iſtum non alibi quam in cordibus ſuſpirare) *ſecundum Deum*, id eſt ſecundum ejus voluntatem interpellet, ea petat quæ divinæ voluntati ſint conſentanea.

Idque *pro ſanctis.* Dum hoc dicit Apoſtolus, ſimul ſignificat non fruſtranea eſſe hæc ſuſpiria; ſiquidem & ea petant quæ Dei voluntati ſunt conſentanea, & petant *pro ſanctis.* Nam ubi hæc duo concurrunt ibi fruſtrari non poſſumus.

Verſ. 28. Poſtquam oſtendit Apoſtolus, ſpiritum iſtum quo homines Chriſtiani ſunt prædíti mirum in modum nobis opitulari, & auxilium ferre in tolerandis malis, incipit oſtendere mala iſta & afflictiones nullum nobis impedimentum adferre poſſe ad ſalutem adipiſcendam, quemadmodum fortaſſe alicui videri poſſet; ſed potius illam promovere: *Scimus autem quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Scimus, tum ex revelatione divina, tum ipſa ratio ſatis nos ejus rei admonet.

*Omnia.* Non ſolum læta & jucunda, ſed etiam adverſa.

*Cooperantur.* Id eſt unumquodque eorum operatur.

*In bonum.* Id eſt ut illis bene ſit, & felices evadant. Indiſtincte adhuc loquitur, & generali utitur voce, ut non ſit opus vitam æternam pro illa reponere: licet ad hunc ſcopum illa felicitas, & quicquid hic Apoſtolus intelligit, tandem redeat, ita ut vel vita æterna ſit, vel id quod ad eam obtinendam prodeſt, ad eamve reſpicit.

*Secundum propoſitum vocatis exiſtentibus.* Cauſam affert cur illis omnia in bonum cedant: quandoquidem, inquit, ſecundum propoſitum vocati ſunt. *Vocati* ſunt illi qui non ſolum invitati à Deo fuerunt, ſed etiam Deo invitanti aſſenſum præbuerunt.

Verba autem ea, *ſecundum propoſitum*, duplicem habere poſſunt ſenſum, vel ut ſignificent tales vocatos qui ſint ſecundum intentionem Dei & conſilium, tales nimirum quales Deus intendit & in conſilio ſuo approbavit, ita ut nomen vocatorum limitet & reſtringat iſta particula; vel, ut non reſtringat vocationem iſtam, ſed cauſam tantum illius exprimat, ac majorem ejus certitudinem, oſtendatque eam irritam ex Dei parte eſſe non poſſe: quaſi dicat, iis qui vocati ſunt, idque ex deliberato Dei conſilio ac decreto antegreſſo. Priori illi ſenſui magis favent ſequentia, poſteriori magis favet vox propoſiti. Si ergo priorem ſenſum ſequamur, hæc erit ratio Apoſtolica: Diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, quandoquidem illi non ſolum à Deo vocati ſunt ad ſalutem, ſed etiam tales vocati ſunt quales Deus in conſilio ſuo intendit & ſpectavit. Ideo ſubjicit.

Verſ. 29. *Quia quos præcognovit.* Id eſt præapprobavit; explicans quid ſit eſſe vocatum ſecundum Dei propoſitum.

*Et prædeſtinavit. Et* pro etiam, *conformes imagini filii ſui.* Qui autem tales ſunt, iis omnia in bonum cooperari neceſſe eſt. Si vero poſteriorem amplectimur ſenſum, ſubaudiendum aliquid erit poſt hæc verba, κλητοῖς ὅσιν, nempe, ac proinde jam à Deo approbatis. Quos enim Deus ex certo quodam decreto & conſilio ad ſalutem vocat, eos ut ante approbaverit neceſſe eſt. Quare talis eſt Sorites in verbis Apoſtoli:

*Qui Deum diligunt, ſunt ſecundum propoſitum vocati:*
*Qui ſunt ſecundum propoſitum vocati, ſunt a Deo præcogniti:*
*Qui ſunt præcogniti, ſunt prædeſtinati ut ſint conformes &c.*
*Qui prædeſtinati ſunt &c, illis cooperantur omnia in bonum:*
*Ergo diligentibus Deum cooperantur omnia in bonum.*

Illud denique addi poteſt de verbis iſtis, *us qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*, ea poſſe etiam vim habere limitandi ac reſtringendi eos qui Deum diligunt, ne id forte Judæi, quibus Paulus hoc præbet teſtimonium quod zelum Dei habuerint, quique legi Moſaicæ ſtudebant, & per ejus obſervationem ſuam erga Deum charitatem probare conabantur, ad ſe pertraherent: ſed ut intelligeretur, id non niſi ad eos qui per Euangelium vocati eſſent pertinere, & eis demum, ſi Deum diligunt, omnia in bonum cooperari; non vero iis qui Legem Moſaïcam ſectarentur. Hi enim qua tales non fuerunt à Deo vocati ad ſalutem ex decreto ejus.

*Imago filii ejus.* Id eſt Jeſu Chriſti, ſumitur pro glorioſo ejus ſtatu ac felicitate, quæ eſt exemplar atque imago futuræ felicitatis noſtræ.

*Ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Eventus hic notatur, non vero finis. Ex eo enim quod Chriſtus ſit exemplar felicitatis omnium Dei filiorum, conſequitur eum eſſe primogenitum inter omnes reliquos Dei filios & ſuos fratres. Ait, *in multis*, ut oſtenderet hanc felicitatem latiſſimè patere.

Verſ. 30. Incipit deinde Apoſtolus oſtendere, qua ratione Deus hoc ſuum decretum de hominibus ſe diligentibus, filio ſuo conformibus reddendis, ad exitum finemque perducat: *Quos vero prædeſtinavit hos etiam vocavit.* Quaſi dicat Apoſtolus: cum vellet vero Deus hoc hominum genus quod prædeſtinavit ad ſalutem, reipſa etiam ad eam perducere, primum eos vocavit, nempe diligentes Deum ac prædeſtinatos: non quod jam tum illa individua cum vocarentur Deum diligerent, & prædeſtinata eſſent; ſed quod poſtea talia evaſerint, hoc eſt Deum dilexerint, & ſic ad illud hominum genus pertinere cœperint, quod Deus prædeſtinavit, ut conformes &c. Simili ratione dicitur, Chriſtum ſeipſum tradidiſſe pro Eccleſia Epheſ. 5. 25; non quod jam tum Eccleſia eſſet, ſed quod deinde evaſiſſet. Sic dicitur manifeſtatus fuiſſe pro illis qui per ipſum credunt in Deum 1 Petr. 1. 20, 21; non quod jam tum cum ille manifeſtaretur crederent, ſed quod tales poſtmodum effecti eſſent. Sic dicitur aliquis hoſpites invitaſſe, cum tamen antequam invitarentur, hoſpites

non eſſent, ſed poſt invitationem demum extitiſſent. Non alios autem vocatos dicit præterquam prædeſtinatos, propterea quod cum cæteri fructu vocationis iitius careant, perinde eſt ac ſi nunquam vocati eſſent eorumque ratio nulla habetur.

*Quos vocavit eos etiam juſtificavit.* Quos vocavit, ſi nimirum & ipſi officium ſuum faciant, & Deo vocanti pareant. Hoc enim præſupponit Apoſtolus: Nec enim hoc loco agit de eo, quod ex parte noſtra requiritur ad ſalutem, cum de eo jam ſatis ſupra in hoc ipſo capite diſſeruerit, ſed vult oſtendere quam certa ſit ſalus noſtra ex parte Dei, & quid Deus ex ſua parte eum in finem faciat. Juſtificat nos Deus, cum nos à peccatorum reatu liberat, unde liberatio quoque ſeu immunitas, pœnis conſequitur.

*Quos vero juſtificavit, hos & glorificavit.* Aperte hic juſtificatio à glorificatione diſtinguitur. Nec enim iſta natura ſua & neceſſario cohærent, ſed divina benignitate, qui eos quos à reatu peccatorum abſolvit ac juſtos pronunciat, (idque non per opera, ſed per fidem) non ſolum nulla afficit pœna, ſed inſuper infinita afficit gloria. Præterita hic pro quovis tempore ſumuntur, vel mavis pro præſentibus, quæ abſolute nonnunquam abſque temporis reſtrictione ponuntur Hebræorum more.

Verſ. 31. Attulit hactenus firmiſſimum argumentum Apoſtolus, quo certitudinem ſalutis noſtræ probavit, oſtendere volens nulla mala, nullas calamitates eam nobis erepturas aut impedituras eſſe. Hinc jam concluſionem infert, cum ait: *Quid igitur dicemus ad hæc?* Quaſi dicat: Cum ergo res ſic ſe habeat quemadmodum oſtendi, quid habemus quo certitudinem ſalutis fidelium in dubium vocare poſſimus? An tam firmis ac ſolidis argumentis habemus quod objiciamus? An reſidere adhuc aliquis in animis noſtris poteſt ſcrupulus? Vel etiam, ut alii volunt, quid igitur ex iſtis quæ dixi colligemus, quid ex illis inferemus?

*Si Deus pro nobis quis contra nos?* Si priorem priorum verborum ſenſum ſequamur, ſubaudiendum erit aliquid, nempe, nil eſt prorſus quod dicere quiſpiam poſſit, ne mutire quidem adverſus iſta poteſt. Itaque in his quoque verbis ſubaudienda erit aliqua particula, *enim*, vel *nam:* quaſi dicat. Si enim Deus pro nobis &c. Adeo ut iſta verba ſummam quandam complectantur eorum quæ dixit. Nil enim ſibi ſuperiora volunt aliud quam Deum eſſe pro nobis, noſtras tueri partes, nobis favere. Si vero poſteriorem priorum verborum amplectamur ſenſum, his verbis, *ſi Deus pro nobis* &c, exprimetur id ipſum quod colligere atque inferre ex ſuperioribus debeamus: quaſi dicat, hoc nimirum dicemus, ſeu ex dictis inferemus: *Si Deus pro nobis &c.* Hoc modo loquitur cap. 9. 14,30. & 10. 7.

*Quis contra nos?* Non eventum his verbis ſignificat Apoſtolus, ſeu non quid fiat, ſed quid fieri debeat; nimirum, cum Deum habeamus fautorem ac patronum, neminem debere adverſum nos inſurgere, quandoquidem nihil contra talem patronum ac defenſorem poſſit quiſquam perficere: quod ſi tamen aliquis auſus fuerit contra nos inſurgere, & aliquid nobis adverſum moliri, irrito id fiet ac caſſo conatu, perinde ac ſi nihil plane contra nos eſſet molitus. Sic verſ. 33: *Quis accuſabit adverſum electos Dei?* id eſt nemo audebit adverſus iſtos obſiſtere, ut eos accuſet: quod ſi tamen auſus fuerit, nil proficiet.

Verſ. 32. Sed cum hactenus ex decretis divinis nobis probaſſet Apoſtolus, quanto favore nos Deus proſequatur, voluit aliud apertius nobis hujus rei dare documentum. Decreta enim illa divina in Deo latent, & cum ab aliquo proferuntur, niſi aliis argumentis comprobentur, dubitationi locum aliquem relinquunt. Quare alio quodam, eoque apertiſſimo argumento divini amoris & favoris nos admonere voluit, nempe eò quo & cap. 5 uſus eſt, cum addit: *Qui etiam proprio filio non pepercit. Proprius* hoc loco *ſuum* declarat, & opponitur *alieno.* Verba *non pepercit*, oſtendunt & duriter Chriſtum fuiſſe tractatum, & Deum magnam habuiſſe cauſam cur illum tam duriter tractari non ſineret, nempe hanc quod eſſet filius ipſius.

Explicat Apoſtolus quomodo ei non pepercerit, cum addit: *Sed pro nobis omnibus tradidit ipſum.* Eatenus illi non pepercit quod illum tradidit. Sic de Abrahamo dicitur, quod non pepercerit filio unico propter Deum Geneſ. 22, quia illum Deo ita jubente, occidere in animum induxerat, & quantum in ſe erat jam occiderat. Tradidit autem in mortem, nimirum truculentam & ignominioſam, *propter nos omnes*, in noſtrum omnium bonum ac commodum. Hoc igitur eſt ſummi amoris & benignitatis in nos omnes argumentum.

Ex quo colligi firmiſſimeque concludi poteſt id quod ſubjicit Apoſtolus: *Quomodo non & cum ipſo omnia nobis donabit?* Quaſi diceret, qua ratione id fieri poteſt, ut non omnia nobis donet cum ipſo? id eſt ea omnia quæ Chriſtus habet, æternam illam gloriam & ſalutem. Reſpicit enim Apoſtolus ad id quod ſuperius dixerat, nos Chriſti fore cohæredes, illi conglorificandos, ejus imagini conformes futuros. Quomodo nos non faciet Chriſti ſocios in felicitate? Quid enim difficilius ac durius factu Deo erat? An filium chariſſimum in mortem adeo acerbam pro nobis dare, an vero nos cum illo gloria & felicitate conjungere? Vocem enim *omnia* reſtringere debemus, & ex ea excludere quæ Chriſto quatenus Chriſtus eſt ſunt propria: qui ob id ipſum quod mortem adeo acerbam noſtri cauſa ſubiit, dignus eſt qui multa præ nobis habeat; quemadmodum & reipſa habet, tum quod à tot ſeculis jam ſempiterna illa felicitate ſolus fruatur, tum quod ad ſupremam majeſtatem ac poteſtatem fuerit evectus, omniumque Dei filiorum Dominus & Rex conſtitutus.

Verſ. 33. *Quis accuſabit adverſum electos Dei?* Dilatat Apoſtolus ſuam concluſionem de certitudine ſalutis noſtræ uſque ad finem capitis. Novo nomine fideles appellat Apoſtolus, cujus in ſuperioribus non meminit. Res eſt eadem, appellatio diverſa. Qui enim vocati ſunt ſecundum propoſitum, & præapprobati ac prædeſtinati ad ſalutem, illi etiam electi ut ſint neceſſe eſt, electi nimirum, & ex omnibus hominibus ſumti & ſegregati ad æternam ſalutem poſſidendam. Hi autem ſunt omnia illa individua quæ Deum diligunt, quæ hac qualitate Deum diligendi ſunt affecta. *Quis hos accuſabit?* id eſt audebit in jus vocare & reos facere? & ſi audebit, quid proficiet?

*Deus eſt qui juſtificat.* Deus qui eſt ſupremus judex, & qui de ſuo non alieno agit jure, juſtificat eos: hic juſtos eos pronunciat, & à peccatorum

reatu

reatu abſolvit. Etiamſi accuſari de multis criminibus poſſent, tamen irrita erit hæc accuſatio, cum tam faventem habeant judicem. Et quia non ſolum ex ipſius Dei favore, ſed etiam ex favore ipſius Chriſti, cujus mentionem ſuperiore verſiculo, & quidem pro nobis mortem oppetentis, fecerat, maximum argumentum & documentum certitudinis noſtræ ſalutis ſumi poteſt, propterea concluſionem ſuam dilatat, novoque eam argumento, a Chriſti perſona ſumto, fulcit, Chriſtumque cum Deo conjungit.

Verſ. 34. Itaque addit: *Quis eſt qui condemnet?* Hæc verba de condemnatione judicis ſumi poſſunt: ſed poſſunt etiam ſumi de condemnatione qua accuſator damnare dicitur reum: quo ſenſu Ninivitæ & Regina Auſtri dicuntur ſurrecturi in judicio, (quod actoris eſt proprium) & damnaturi generationem illam, id eſt Judæos Matt. 12. 41, 42. Damnaturi dicuntur, quia reos peragent Judæos, eorumque ſummam contumaciam exemplo ſuo oſtendent & plane coarguent, ac proinde in cauſa erunt, ut judex adverſum eos ſententiam pronunciet & damnet. Sic Noachus dicitur mundum damnaſſe Hebr. 11. 7. Ezech. 16. 51. Simili ratione, licet in re contraria, dicitur Jeroſolyma ſororem ſuam Sodomam juſtificaſſe, id eſt cauſam dediſſe ſuis peccatis & ſceleribus, longè gravioribus quam erant peccata Sodomitarum, ut Deus juſtos aliquo modo Sodomitas præ Judæis pronunciet. Si ergo priore ſenſu vocem condemnandi ſumamus, conſiderabitur hic Chriſtus tanquam judex, & oſtendet Apoſtolus, fideles damnari non poſſe, cum Chriſtum habeant judicem, qui & mortuus ſit, & reſurrexerit, &c. Si vero poſteriori ratione eam accipiamus, Chriſtus hic conſiderabitur tanquam patronus noſtri & advocatus, qui cauſam noſtram agat. Si vero utrumque ſenſum huic voci ſubeſſe cenſebimus, Chriſtus hic partim ut Judex, partim ut patronus conſiderandus erit, quod veriſimillimum eſt; & verba ſequentia, quibus utrumque Chriſti officium exprimitur, iſti ſenſui favent. Dicit igitur Apoſtolus, neminem auſurum quicquam contra nos vel hiſcere ut nos accuſet; quod ſi accuſabit ac reos aget, non tamen peraget ac damnabit, cum Chriſto & Patrono & judice freti ſimus. Multum ſolatii in ipſa Chriſti appellatione & nomine ſitum eſt.

*Qui mortuus eſt.* Non ſimpliciter: nam quid alioquin id nos juvaret, aut nobis ſolatio eſſe poſſet? ſed mortuus *pro bonis*. Id enim vel ſubaudiendum eſt, vel, ut nonnulli volunt, ex eo quod ultimo loco dicitur, *interpellat pro nobis*, ad præcedentia omnia referendum. Rem adeo duram & accerbam, mortem nimirum, eamque truculentam & ignominioſiſſimam ſubiit, unde ſummus ejus amor, ſumma charitas in nos perſpicitur. Qui ergo tam impenſe nos amavit, noſtramque ſalutem, ut eam ſuo ſanguine nobis pepererit, qui fieri poteſt, ut nos vel ipſe damnet, vel damnari patiatur ac permittat? Magnum in ejus morte præſidium nobis eſt, qua & ſuam & Patris ſui admirandam in nos charitatem oſtendit, & fœdus divinum ſanxit & obſignavit: ſed majus adhuc in ejus reſurrectione.

Propterea addit; *Magis vero & reſurrexit.* Plus roboris in ejus reſurrectione eſt ſitum. Nam ſi in morte manſiſſet, nihil nos juvare ipſemet potuiſſet, nullum etiam effectum habituræ fuiſſent divinæ promiſſiones, quæ per ſolum Chriſtum ad effectum perducendæ erant. Propterea dicit Apoſtolus 1 Corint. 15. 17: *Si Chriſtus non reſurrexit, adhuc ſumus in peccatis noſtris, vana eſt fides noſtra.* In reſurrectione autem includitur immortalis vita Chriſti, & perpetua in cœlis manſio. Magnum in iſtis eſt præſidium cauſæ noſtræ. Nam per mortem Chriſti divinum fœdus eſt obſignatum; per ejus reſurrectionem & immortalitatem exemplar noſtræ felicitatis nobis eſt conſtitutum, unde certiſſimi eſſe poſſumus, Deum non tantum velle, ſed etiam poſſe, nec tantum poſſe, ſed etiam velle nos ſervare. Sed majora adhuc iſtius rei documenta & argumenta habemus.

*Qui eſt in dextra Dei.* Supremam illi idem Chriſtus in cœlo pariter & in terra poteſtatem eſt adeptus, & in manu ſua noſtram ſalutem habet, noſter judex a Deo eſt conſtitutus. Hæc enim iſta phraſi ſignificantur, de qua alibi. Cum igitur Chriſtus noſter ſit judex, nos abſolvere, a pœnis peccatorum liberare, vindicare, & cœlo aſſerere queat, num quicquam de ſalute noſtra dubitare poſſumus? Sed poſſet Chriſtus noſter judex eſſe, interim tamen non abſolvere, utpote dignos qui condemnemur, & patrono omni deſtitutos. Judex enim etiamſi alioqui benigniſſimus ſit, & reo faveat; tamen, ſi juſtus eſt, perſonarum reſpectum non habet, & ex partium controverſiis ſententiam fert, cauſamque decidit.

Propterea addit Apoſtolus: *Qui & interpellat pro nobis.* Oſtendens primo hac phraſi, Chriſtum ſalutis noſtræ ſtudioſiſſimum eſſe, eamque ſollicitè cupere. Interpellationis vox, ſeu interceſſionis, (quæ ſua natura latior eſt, & ſignificat omnem operam quæ in id inſumitur ne cuiquam aliquid adverſum accidat) hoc loco per Synecdochen generis preces ſignificat, quibus aliquis ab alio malum aliquod amolitur. Illi autem qui preces ſuas interponere pro aliquo ſolent, ejus incolumitatem & indemnitatem cupiunt & deſiderant. Cupit igitur Chriſtus, qui noſter Rex & Judex eſt, noſtram ſalutem, eamque unice deſiderat. At non ſolum cupit eique impenſe favet, ſed etiam eam re ipſa procurat, operamque illi ſuam, ut ſic dicam, navat, quod ſimiliter hæc vox interceſſionis ſignificat. Itaque jam & deſiderantem, & curantem noſtram ſalutem Chriſtum habemus: ob quod deſiderium & curam Chriſtus Patronus noſter & advocatus apud Patrem a Johanne 1 Johan. 2. 2 appellatus eſt. Accedit, quod quemadmodum is qui alicui ſalutem exorat, non ſua propria autoritate & poteſtate eum ſervat, ſed aliena: ſic Chriſtus non ſua propria, reſpectu originis nimirum, authoritate & poteſtate nos ſervat, ſed authoritate & poteſtate Patris. Hactenus igitur Chriſtus patrono, ſeu illi qui pro aliquo preces interponit, eſt ſimilis, ſed in eo rurſus diſſimilis, quod ipſemet vere habeat poteſtatem ſervandi nos, & hac poteſtate nos ipſe ſervet. Itaque hujus rei reſpectu judex eſt noſter & Dominus; illius Patronus.

Verſ. 35. Pergit Apoſtolus in dilatanda ſua concluſione & certitudine ſalutis noſtræ, per enumerationem earum rerum, quæ vim alicui habere videri poſſent in adimenda nobis aut inpedienda ſalute. *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?* *Quis* maſculinum videtur poſitum pro neutro *quid*, quemadmodum ex iſtis quæ enumerantur, ad quæ pronomen iſtud refertur, apparet: Sed quia paulo ante bis eodem Pronomine uſus erat Apoſtolus, propterea hic quoque illo utitur.

*A charitate Chriſti.* Charitas Dei & Chriſti eſt fundamentum certitudinis ſalutis noſtræ. Et licet de charitatis iſtius effectu, nempe ſalute noſtra, præcipuè

Apo-

Apoſtolus agat, & huc tota ejus oratio dirigatur, ut oſtendat, ſalutem noſtram in tuto eſſe, maluit tamen charitatis Chriſti mentionem facere, & oſtendere, nihil eſſe, quod fideles & Chriſtum diligentes a Chriſti charitate ſeparare poſſit, id eſt, efficere ne Chriſtus eos diligat: tum quia facilius & proclivius hoc eſt oſtendere; tum quod ex Chriſti erga fideles amore neceſſario amoris iſtius effectus, hoc eſt, æterna ipſorum ſalus, conſequatur; tum denique quia in animo habet Apoſtolus talia enumerare, quæ iram potius Dei & Chriſti adverſum nos, quam amorem & charitatem aliquam arguere videantur. Et æquum omnino erat, ut, cum ſuperius oſtendiſſet, quantopere nos Deus & Chriſtus amet, ac ex eo certitudinem ſalutis noſtræ demonſtraſſet, oſtenderet etiam, Dei Chriſtique charitatem erga nos eſſe ſtabilem ac perpetuam, nec quicquam eſſe quod eam inhibere & a nobis avertere queat. Nam ſi aliquid eſſet, certe eſſent hæc mala & calamitates quibus Chriſtiani homines tantopere premuntur, quæ non amorem Chriſti ſpirare, ſed iram ejus in nos arguere videntur. Atqui hæc non ſunt, ut verſ. 37 oſtendit. Quare nihil omnino eſt, quod nos ſeparare ab ea poſſit.

*Separabit?* Sejunget ita, ut in nos non feratur, non redundet in nos, nos non complectatur.

*Afflictio?* Malum quid eſt, ſed adhuc levius; cum ſcilicet urgemur & premimur aliqua calamitate, ſed tamen adhuc patet exitus.

*Anguſtia?* Στενοχωρία eſt afflictio durior, cum quis ita premitur undique, ut nulla detur effugiendi occaſio, cum quis ita in arctum & anguſtum, ſeu, ut dicitur, ad incitas redigitur, ut ſe movere nequeat, ſed hoſti ſe dedere prorſus, & ejus arbitrio permittere cogitur: Itaque στενοχωρία gradu tantum ab afflictione ſeu θλίψει differt. Hoc ſenſu iiſdem verbis utitur Apoſtolus 2 Cor. 4. 8.

*Perſecutio?* Cum fugere & ſolum vertere coguntur fideles, ſive in exilium pulſi ab adverſariis veritatis, qui eos non quidem ad necem poſcunt, ſed undique pellunt & ejiciunt, ut nullibi locum conſiſtendi habeant.

Ejuſmodi vitam vagam & inſtabilem ſequi ſolet *Fames.* Propterea famem & nuditatem ſubjunxit, quæ mala ſibi quoque ſæpe incubuiſſe teſtatur Apoſtolus 1 Cor. 4. 11. 2 Cor. 11. 27.

*Periculum?* Sunt mala impendentia & imminentia, & maxime ea quæ metum mortis incutiunt, de qualibus periculis ſuis teſtatur idem Apoſtolus 2 Corint. 11. 26.

Pericula conſequi ſolet *Mors.* Mors enim eſt periculorum finis.

Hanc ſignificare volens Apoſtolus, unum ejus inſtrumentum commemorat, *Gladium.* Omnia violentæ mortis genera, quæ per gladium inferri ſolent, intelligens. Subjectos autem Chriſtianos eſſe gladio, ſeu violentæ morti, probat teſtimonio ſcripturæ ex Pſalm. 44. 23 deſumto: in quo querimonia Judæorum ad Deum continetur, Macchabæorum tempore ab Antiocho Epiphane perſecutionem diriſſimam ſuſtinentium; quæ perſecutio typus erat perſecutionis Chriſtianorum. Iſti enim Judæi non propter peccata ſua, quibus pœnas ejuſmodi ſuiſſent commeriti, hæc mala ſuſtinebant; cum innocentes ſe fuiſſe Deo fideles ibi teſtentur: ſed propter Deum ipſum, ejuſque legem ſanctiſſimam, quam profitebantur, & quam deſerere nolebant.

Verſ. 36. Propterea dicunt, *Propter te.* Id eſt propter nomen tuum & legem tuam, quæ exoſa eſt aliis gentibus, & nos propter illam, *morti tradimur totum diem.* Hoſtes noſtri a ſummo mane incipiunt nos occidere, & occidunt uſque ad veſperam. Singularem autem numerum poſuit pro plurali.

*Reputati ſumus ut oves mactationis.* Eo habemur loco ab hoſtibus noſtris quo oves, quæ non ad uſum, ſed ad necem & mactationem, ſive in ſacrificiis, ſive alias, ſunt deſtinatæ.

Verſ. 37. *Sed in iſtis omnibus ſupervincimus.* Hic affirmat, mala iſta omnia eam vim non habere, ut nobis ſalutem noſtram eripere queant. *Supervincimus* enim *in iſtis omnibus*, id eſt, victoriam, eamque inſignem prorſus, & plus quam victoriam de his omnibus malis & calamitatibus reportamus.

*Propter eum qui dilexit nos.* Vel Deum, vel Chriſtum, vel utrumque ſimul, quemadmodum verſ. ultimo eos conjungit. Deus & Chriſtus eſt, qui nobis hanc victoriam largiri poteſt, & quia nos tantopere amant, propterea etiam illam nobis largiri volunt. Præſens *ſupervincimus* poſitum eſt pro Futuro, ad rei certitudinem ob oculos ponendam.

Verſ. 38. *Perſuaſus enim ſum.* Cauſam affert, cur dixerit, nos ſupervincere in iſtis omnibus: quia nimirum perſuaſus ſit, quod nulla planè ſit res, quæ divinæ charitatis effectum, nempe ſalutem noſtram, poſſit præpedire. Quod ſi nulla res eſt hujuſmodi, ne hæc quidem mala & calamitates id efficere poterunt.

*Mors*, ſive naturalis, ſive violenta, *neque vita.* Oppoſitioni indulſit Apoſtolus, præſertim cum putare aliquis poſſet, contrariorum eſſe contraria effecta, & ſi mors nequeat impedire ſalutem noſtram, vitam poſſe, quandoquidem opus ſit deponere hoc mortale corpus, ſi quis immortalis cupiat evadere; deponi autem hoc corpus non niſi per mortem poſſe. Verum quemadmodum mors reſurrectionem, ita vita (nimirum hæc mortalis & caduca) immutationem impedire non poterit.

*Neque angeli.* Aut in genere omnes angeli, ſive boni ſive mali, intelligi debent, illi quidem quod nolint, utrique quod non poſſint, vel ſi in ſpecie de alterutris accipiendum eſt, hoc nomen de malis potius accipiendum eſt.

*Principatus.* Sunt ſummi iſtorum angelorum duces.

*Potentiæ.* Sunt angeli a ſuis principibus dependentes, ſed magno quodam robore prædiți, & cæteris cum aliquo imperio præfecti.

*Neque præſentia, neque futura.* Utraque hæc de rebus ad hoc ſeculum pertinentibus accipi debent. Quaſi dicat: neque ea quæ nunc in orbe fiunt, neque quæ uſque ad ejus finem, aut in ipſo ejus fine ac termino contingent. Illa enim quæ in futuro demum ſeculo, id eſt, cum nos jam immortales erimus, contingent, quomodo ſalutem noſtram impedire queant?

Verſ. 39. *Neque altitudo, neque profunditas.* Hæc verba tum in abſtracto accipi poſſunt, tum in concreto. In concreto accipienda eſſe ſuadet id quod ſequitur.

*Neque ulla alia creatura.* Hinc enim apparet, Apoſtolum de creaturis loqui. Altitudinem autem ipſam aut profunditatem in numerum creaturarum referre non poſſumus. Si vero voces has in abſtracto ſumemus, ſenſus erit; altitudinem quæ eſt a nobis uſque ad illum locum ubi immortalitas habitat, profunditatem quæ

eſt non

eſt non a cœlo ad nos, ſed a nobis ad ipſa uſque tartara, in quæ homines per mortem detrudi videntur, non poſſe impedire, quo minus non ſolum ex hac terræ ſuperficie, ſed ex imis terræ faucibus & voraginibus evadamus aliquando in cœlum. Si in concreto ſumemus hæc verba, ſenſus erit: nihil vel altum, vel profundum, ſive in alto ac profundo degens, id poſſe præſtare, ut nos ſeparet a charitate Dei.

*Neque ulla alia creatura.* Quicquid denique cogitari præter creatorem poteſt: qui cum ſervare nos omnino velit & decreverit, quæ creatura illi ſeſe poterit opponere?

*A charitate Dei.* Id eſt, ab effectu divinæ charitatis, qui eſt noſtra ſalus. Nec enim de quavis charitate Dei loquitur, ſed de ea quæ eſt in Chriſto Jeſu. Cum ergo noſtra ſalus indiſſolubili nexu cum charitate divina cohæreat, charitatem autem divinam nulla res impedire queat, & efficere quo minus Deus ſuos impenſe amet ac diligat, hinc efficitur, nihil prorſus eſſe, quod nobis dubiam aliquo modo ſalutem poſſit reddere.

*In Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Oſtendit de qua charitate loquatur, nempe de ea, quam Deus per Chriſtum hominibus obtulit, ſanxit, & tandem aliquando collaturus eſt.

## CAP. IX.

### *ARGUMENTUM.*

*Hoc capite & duobus ſequentibus agit Apoſtolus de Judæorum rejectione. Hoc autem capite oſtendit, Deum id jure facere potuiſſe, idque ut occurreret objectioni tacitæ, quam aliquis contra ſuperiorem Apoſtoli doctrinam afferre potuiſſet. Probavit enim, juſtificationem non per legem, ſed per fidem in Chriſtum obtineri, & juſtitiæ legalis expertes gratis juſtificatum iri. Hoc autem ſi verum ſit, conſequitur omnes Judæos, fidei in Chriſtum expertes, juſtificatum non iri. Quod cum abſurdum alicui videri poſſet, ideo de Judæorum rejectione agit Apoſtolus, & hoc capite oſtendit, nihil in eo eſſe abſurdi, Deumque id ſalva juſtitia & veritate promiſſorum ſuorum facere potuiſſe. Sequenti deinde capite pergit explicare cauſam, ob quam a Deo rejecti fuerint, oſtenditque, id non contigiſſe defectu vocationis divinæ, ſed ipſorum Judæorum contumacia. Undecimo autem oſtendit, nec omnes a Deo rejectos fuiſſe, nec in perpetuum; neque eo fine ab illis ad gentes divinam gratiam eſſe tranſlatam, ut ea in perpetuum priventur, ſed ut pia quadam æmulatione correpti, ad fidem tandem eo ipſo excitentur. Rei autem adeo odioſæ apud Judæos tractationem aggreſſurus, præfatur aliquid, quod ſummum ipſius erga Judæorum gentem amorem ſpirat; ne videatur odio quodam in Judæos exſtimulatus, hæc de Judæorum rejectione ſcripſiſſe, quandoquidem a Judæis Legis deſertor & tranſfuga paſſim audiebat. Teſtatur autem, ſe ſummo & irrequieto animi dolore affici ob eorum rejectionem, quanquam doloris ſui cauſam aperte non exprimat, ſed tantum indicet, & colligendam ex verbis ſuis cuique relinquat, ut molliſſimo quodam aditu in rei tam odioſæ & invidioſæ tractationem ſeſe inſinuaret. Non ſimpliciter autem dolere ſe, idque ſummopere, affirmat, ſed religioſe, quæ religioſa affirmatio juramentum quoddam eſt.*

Verſ. 1. *Veritatem dico in Chriſto.* Id eſt, quemadmodum hominem Chriſtianum decet, eique convenit. Chriſtianorum enim proprium eſt verum dicere.

*Non mentior.* Per remotionem contrarii rem amplificat.

*Conteſtante mihi conſcientia mea.* Teſtem appellat conſcientiam: quaſi dicat, bona conſcientia id dico, adſtipulatur mihi conſcientia mea; quam cum appello teſtem, quiſque debet mihi credere, cum unicuique conſtare facile poſſit, me conſcientiæ meæ ſummam habere rationem, nec quicquam illa reluctante, vel facere, vel loqui.

*In Spiritu Sancto.* Quaſi dicat: quod ſi conſcientiam meam teſtem, utpote occultum, repudiat quis & rejicit, at Spiritum Sanctum, quo præditum me eſſe unuſquiſque videre, & per varia, quibus ſeſe in me exerit, effecta cognoſcere poteſt, teſtem non recuſabit, quem una cum conſcientia mea cito & compello. *In* ergo videtur poſitum pro *Cum.*

Verſ. 2. *Quod mœror mihi eſt magnus, & indefinens dolor cordi meo.* Hoc eſt quod tanta cum aſſeveratione affirmat Apoſtolus, idque merito: tum ut Judæis fidem faceret; tum quod non ſimpliciter dolere ſe affirmare voluit, ſed valde & indefinenter, quæ res adhuc magis erat incredibilis. Non exprimit autem, ut videmus, quid doleat, & quamobrem tantopere triſtetur. Sequentia tamen verba indicant, quo collimet Apoſtolus, & quid inſinuet. Subjungit enim:

Verſ. 3. Ἠυχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγώ. Ἠυχόμην eſt imperfectum indicativi; ſed ſubaudita particula ἂν vim habet optativi, *optarem*, vel *optarim*; quemadmodum ad Galat. 4. 20 ἤθελον pro *vellem*. Neque enim id optare ſimpliciter & abſolute poterat Paulus, cum eam rem ex Dei decreto ſciret eſſe impoſſibilem; ſed optaturus fuiſſet reipſa, ſi fuiſſet poſſibilis. Quare poſt verbum *optarim* ſubaudiendum, ſi fieri id poſſet. Exprimit his verbis Apoſtolus, quantum dolorem Judæorum rejectio illi inurebat, iiſque probat ac demonſtrat immenſum & irrequietum dolorem ſeſe ex ea re percipere; quandoquidem eam ſumma felicitatis ſuæ jactura redemtam vellet.

*Ipſe ego.* Ἐμφατικῶς. Majorem enim vim habere videtur *ipſe ego*, quam ſimpliciter *ego*: *ipſe ego*, non alius aliquis.

*Anathema eſſe a Chriſto.* Ἀνάθημα eſt res aliqua Deo plane conſecrata, & ejus uſibus deſtinata: ἀνάθημα autem res execrabilis, quam vel contingere ſit nefas, ac proinde ex rerum natura abolenda & penitus exterminanda, longiſſimeque ab iis omnibus, qui cum illa commercium aliquod habent, ſeparanda & ſejungenda. Propterea addit, *a Chriſto*, ut indicet ſeparationem & rejectionem ab illo. Non eſt autem exiſtimandum, Apoſtolum loqui de amore & fide in Chriſtum deferenda; ſed tantum de ſalutis ſuæ amiſſione, ea nimirum mercede, ut Judaica gens ſervetur.

*Pro fratribus meis.* Vocula *pro*, licet hic commutationem quandam vel ſignificet, vel ſaltem involvat, (ut ſcilicet Judæi in Pauli locum ac conditionem, Paulus viciſſim in Judæorum conditionem tranſ-

iret) eam tamen commutationem ſignificat, quæ in alterius bonum tendat ac dirigatur; ac proinde hic quoque vim cauſæ finalis ſignificandæ habet.

*Cognatis meis.* Oſtendit hac voce, quales fratres intelligat. Nam alioqui ſimplici fratrum appellatione Chriſtiani ſignificantur. Quanquam ne hac quidem deſcriptione contentus eſſe voluit, cum & Chriſtiani ſummam inter ſe cognationem habeant.

Ideo addit, *ſecundum carnem.* Carnis reſpectu, ſeu ratione carnalis cognationis, quæ ſpirituali cognationi opponitur. Hic videmus, voces *ſecundum carnem* opponi ſpiritui, non divinæ alicui ſubſtantiæ. Quod tamen non vident, vel non perpendunt illi, qui eadem verba, lineis tribus vel quatuor tantum interjectis, de humana Chriſti natura, divinæ oppoſita, intelligunt. Simile quippiam huic Apoſtoli voto vide de Moſe Exod. 32.32.

Verſ.4. Addit Apoſtolus cauſam, quæ huc impellat, ut ſi fieri id poſſet, optaret id quod dicit. Ea autem ſumta eſt a Judaicæ gentis præſtantia ac prærogativa præ cæteris omnibus gentibus. *Qui*, inquit, *ſunt Iſraelitæ*, Jacobi poſteri, qui ſoli in ſemine Abrahami numerandi erant. Jacobus enim Iſrael vocatus eſt, a victoria quam de Angelo reportavit: quæ res erat ſimulacrum ac documentum quoddam ejus, quod fratre ſuo ſuperior evaſurus eſſet. Nam qui Deum vicit, multo magis vincet hominem. Iſraelitarum ergo titulus prorſus inſignis erat & auguſtus, ſiquidem ad eos omnes divinæ promiſſiones pertinebant.

*Quorum adoptio.* Altera illorum dignitas, quæ conſequitur ex priori. Dicitur autem illorum eſſe *adoptio*, quod totus iſte populus a Deo in filium adoptatus eſſet. Vide Exod.4.22,23; ſic Oſe.xj.1, ſi literalem ſeu hiſtoricum loci ſenſum ſpectes. Apertius enim in ſacris literis totus populus filius Dei appellatur, quam quivis ex populo iſto; quamvis quivis etiam ex populo filius Dei aliquo modo dici poterat, & alicubi etiam dicatur, præſertim qui ſingularium Dei beneficiorum eſſet particeps.

*Et gloria.* Per gloriam iſtam Chryſoſtomus non male videtur intelligere propriam ac peculiarem, eamque prorſus inſignem laudem; quod ſcilicet ſoli populus divinus eſſent, *Dei peculium & hæreditas*, quod Deus eſſet illorum Deus. Non minus recte per iſtam gloriam intelligere poſſumus id, quod divinitas inter eos quodammodo præſens erat, ac variis modis majeſtatem ſuam patefaciebat, tum per miracula illa ingentia, quæ per Moſen alioſque facta fuerant; tum per vatum oracula, qui ad illos mittebantur, nec in ulla alia natione erant; tum denique per illam Fœderis Arcam, ſuper quam Deus quodammodo præſens reſidebat, quæ etiam peculiari ratione gloria Dei vocata fuiſſe in ſacris literis videtur 1 Sam.4. 21,22: niſi quis forte ita locum accipiat, ac ſi dictum eſſet, ex eo apparere gloriam Iſraelis ad aliam gentem tranſlatam eſſe, quod Arca fœderis, quæ illius ſignum, & veluti pignus quoddam eſſet, tranſlata eſſet.

*Et fœdera.* In plurali numero loquitur, quia plura fœdera ſignificat: quorum primum erat fœdus cum Abrahamo percuſſum, deinde cum Iſaaco & Jacobo renovatum ac confirmatum; alterum fœdus illud cum univerſo populo per Moſen ictum, quod prius illud in ſe complectebatur.

*Et legiſlatio.* Quod nimirum Deus non ſolum fœdere ſe illis devinxerit, ſed & ſigillatim iſtis ſtatuta ſua ac leges præſcripſerit, eorumque rempublicam ordinaverit. Quod certe inſigne admodum hujus gentis decus erat, meritoque tum ab ipſo Moſe Deut.4, tum a Davide Pſalm.147 aliiſque in locis, tum ab aliis divinis viris celebratum.

*Et cultus*, ἡ λατρεία. Hac voce ſignificatur divinus ille cultus, Judæis a Deo traditus & præſcriptus, qui illorum erat proprius. Nam & Hieroſolymis templi ſui ſedem fixerat Deus, nec alibi coli volebat, & ſoli Judæi cognitum habebant modum & rationem numinis colendi. Ad hunc cultum pertinent omnia ſacrificia, holocauſta, ſuffitus varii, & quicquid tandem earum rerum quæ ad colendum & propitiandum numen ſub Veteri Teſtamento ſpectabant.

*Et promiſſiones.* Vox promiſſionum τῶν ἐπαγγελιῶν ſumitur pro promiſſionibus præſtantiſſimis, quæ erant de futuro Meſſia, & felicitate quæ per eum huic populo contingere debebat: quæ cum ſit varia & multiplex, propterea etiam plurali numero promiſſionum voce effertur. Quanquam etiam ideo plurali numero uti potuit, quod iſtius felicitatis promiſſio ſæpius repetita & inculcata fuerit.

Verſ. 5. *Quorum ſunt patres.* Per patres intelligi poſſunt omnes illi inſignes ac præſtantes admodum viri, ſacris literis celebrati, præſertim vero primi gentis Judaicæ autores, Abrahamus nimirum, Iſaacus, Jacobus, viri Deo adeo chari, ut cum iis fœdus percuſſerit, & ſeſe illis obſtrinxerit, ſe eorum poſteritatem omni felicitate cumulaturum, & cum illi Deo paruerint, ac in fœdere ipſius conſtanter permanſerint, poſteritati ſuæ jus quoddam acquiſiverunt ad conſequendam divinam benedictionem. Ideoque etiam ſæpe Deus immeritam hanc gentem propter iſtos ipſorum patres multis beneficiis affecit, & adhuc affecturus eſt. Sed præter hos alii quoque in hunc cenſum admitti poſſunt, quorum fides pietaſque in Deum in hac gente enituit, quales erant Prophetæ & nonnulli reges. Nam & David Patriarcha vocatur a Petro Actor.2.29, & huic inprimis promiſſus erat Meſſias, illiuſque cauſa Deus ſæpiſſime Judæorum regionem ſervavit.

Καὶ ἐξ ὧν, ὁ Χριστὸς. Ἐξ ὧν non ad Patres, ſed ad Judæos referri debet, ut indicat particula ὧν, quæ docet, de iis, de quibus hic ſermo eſt, etiam aliud quippiam fuiſſe antea pronunciatum. Ii autem ſunt Judæi, quorum cum multas enumeraſſet prærogativas, maximam tandem in fine commemorat, quod ex iis Chriſtus ipſe prodierit. Nam certe ſi magnum fuit ex tantis viris ortum ducere, & eorum eſſe poſteritatem, quanto majus erit Chriſtum ipſum, id eſt, cœli terrarumque Dominum ac Regem ex ſe fuiſſe prognatum.

Τὸ κατὰ σάρκα. Addit limitationem Apoſtolus, oſtendens, ſe hic Chriſtum ſecundum carnem conſiderare, id eſt, reſpicere ad carnalem ejus generationem, & id omne, quod ex carnali iſta generatione traxit. Conſideratus enim ſecundum ſpiritum & generationem ſpiritualem, ex ipſo Deo genitus eſt, originemque ſuam ducit, ac propterea etiam filius Dei ac Deus, ut ſtatim addit, nominatur. Et ut oſtenderet, quanta eſſet hæc Judæorum præeminentia, quod Chriſtus ex iis prodierit, ſimulque id quod in Chriſto carni opponitur exprimeret, oſtendit quantus ſit iſte Chriſtus, addens:

Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεός. Articulus in principio poſitus non habet vim eam quam ſolet habere nominibus præfixus, ut nimirum ἐχόμενον rei in ſuo genere denotet; (quanquam interdum tantum eſt ἀναφορικὸς, aut etiam redundat) ſed vim habet pronominis relativi *qui*. Vox πάντων tum in neutro, tum in maſculino genere poteſt accipi: & licet videatur vocem Dei maxime dilatare, reſtringit tamen aliquo modo. Plus enim videtur in eo eſſe cum quis ſimpliciter *Deus* nominatur, præſertim *benedictus in ſecula*, quam cum *Deus ſuper omnes* vel *omnia* vocatur. Facilius enim vox *omnia*, præſertim cum ſermo eſt de Chriſto, reſtringi poteſt, quam ſimplex vox Dei in ſeculum benedicti. Hanc autem vocem *omnium* reſtringendam eſſe docuit nos Apoſtolus 1 Cor. 15. 27. Eodem autem ſenſu hic à Paulo Chriſtus vocatur omnium Deus, quo à Petro Actor. x. 36 omnium Dominus.

*Benedicendus in ſecula.* Cui benedictio tribuenda ſit quidem in ſecula. Oſtendit quantus Deus ſit Chriſtus. Per benedictionem autem intelligit laudem, honorem, gloriam, eamque divinam, Chriſto exhibendam, quemadmodum legimus Apoc. v. 13, ubi non ſolum ſedenti ſuper thronum, id eſt ſummo illi Deo, ſed una cum eo Agno tribuuntur divini honores, & nominatim, idque ab initio ſtatim εὐλογία.

Hæc præfatus Apoſtolus ipſius rei tractationem aggreditur, oſtendens nihil in eo vel abſurdi vel iniqui eſſe, quod Judæos Deus, licet ex Abrahamo & Iſraële prognatos, ac operum merito gentibus ſuperiores, rejecerit, nec rejecerit ſolum, ſed etiam induraverit, Gentes autem in gratiam receperit, & juſtificaturus ſit ob id ſolum quod crediderint, Judæos rejecerit quod in Chriſtum non crediderint. Neque enim hic cauſas affert Apoſtolus, cur hi quidem credant, illi vero non credant; (niſi forte ſub finem capitis id fieri dicas, ubi paucis verbis rem perſtringit) ſed cur Deus credentes, cujuſcunque tandem vel gentis, vel dignitatis aut indignitatis ſint, juſtificet; illos vero qui non credunt, quocunque tandem ex ſanguine cretos, quacunque dignitate ac merito tumentes, juſtificatione penitus excludat. Cauſa autem hæc eſt, quod liberum ſit Deo ſive credendi conditionem, ſive legi obediendi in concedenda hominibus juſtificatione eligere. Et ne quis putaret, Deum liberum alioqui voluntatem ſuam jam adſtrinxiſſe Judæis, nec illi amplius integrum eſſe eos qui Abrahami ſunt progenies, dummodo Legem pro viribus impleant & eam obſervent, à juſtificatione & promiſſionibus illis ſuis excludere, propterea huic rei ſtatim ab initio occurrit Apoſtolus, & oſtendit non ita ſe habere.

Verſ. 6. Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. Quia tacite innuerat Apoſtolus, Judæos incredulos à Chriſto, ac proinde ab æterna felicitate ſeparandos eſſe, his verbis oſtendit non propterea ſermonem Dei excidiſſe. Dupliciter autem hæc verba, οὐχ οἷον δὲ explicari poſſunt: vel, *non eſt autem poſſibile*, ut οἷον poſitum ſit pro οἷόν τε, hoc eſt δυνατὸν ſeu poſſibile, quod interdum fit, ut annotavit Budæus, licet alioqui Græci, cum aliquid impoſſibile eſſe dicunt, non ſimpliciter dicere ſoleant, οὐχ οἷον, ſed οὐχ οἷόν τε εἶναι. Quod ſi ergo οὐχ οἷον ſignificabit impoſſibile, tum ὅτι ἐκπέπτωκεν Hebraica phraſi legendum erit ἐκπεπτωκέναι: vel ut οὐχ οἷον ſignificet, *non quaſi*. Si priorem explicationem ſequamur, ſenſus & nexus Paulinæ orationis erit: Etſi ego aſſeram, Judæos incredulos damnandos eſſe, & à juſtificatione excludendos, non tamen poſſibile eſt ſermonem Dei excidiſſe, ſeu, non tamen excidit ſermo Dei. Sed Apoſtolus adhuc plus dicit quam debebat, & non ſolum ſermonem Dei excidiſſe negat, ſed etiam impoſſibile id eſſe affirmat; licet poſtea ſimpliciter tantum eum non excidiſſe propterea quod Judæi rejiciantur probet, quia hoc tantum revera ad Apoſtoli propoſitum pertinebat. Si poſteriorem ſequamur explicationem, ſic cohærebunt hæc verba cum ſuperioribus: Nolo id quod de Judæorum damnatione innui ſic accipi, quaſi ſimul affirmem ſermonem Dei excidiſſe. *Excidit*, irritus eſt factus, *ſermo Dei*, id eſt divinæ promiſſiones, quibus Iſraëlitis & Abrahæ poſteritati ſalus, felicitas & benedictio promittitur.

*Non enim omnes qui ex Iſraële hi Iſraël.* Cauſam affert cur rejectio Judæorum promiſſionem Dei non faciat irritam: quia nimirum non omnes qui ſunt ex Iſraële, id eſt Jacobo ſecundum carnem propagati, *hi ſunt* Iſraël, id eſt hi ſunt propago Iſraëlis, ſpiritualis nimirum, & illa ad quam promiſſiones illæ divinæ ſecundum ſenſum ſpiritualem & myſticum acceptæ pertineant. Objectioni enim tacitæ quæ hic moveri poterat à Judæis, & procul dubio movebatur, occurrit Apoſtolus. Ea autem eſt: Iſraëlitis promiſſa eſt à Deo juſtificatio & ſalus. At quicunque ex Iſraële nati ſunt (quales ſunt ii etiam qui in Chriſtum non credunt) ſunt Iſraëlitæ. Ergo illis à Deo promiſſa eſt juſtificatio & ſalus, ac proinde ſi ii à juſtificatione & ſalute excluduntur, irritæ ſunt factæ Dei hac de re promiſſiones. Oſtendit ergo Apoſtolus, eſſe homomyniam in voce Iſraëlis ſeu Iſraëlitarum: nam vel carnalem vel ſpiritualem Iſraëlem hæc vox ſignificat. Si carnalem, negat ad eos pertinere divinas promiſſiones: ſi ſpiritualem, negat Judæos, nempe qua Judæi ſunt, & à Jacobo carnaliter ſati, hac ratione eſſe Iſraëlem.

Verſ. 7. *Neque quod ſunt ſemen Abrahæ omnes filii.* Altera eſt objectio priori ſimilis. Hoc enim in ore Judæi habebant: ſemen Abrahæ ſumus, ſignificare volentes ad ſe pertinere divinam gratiam & felicitatem Abrahamo & ſemini ejus promiſſam ac factam. Reſpondet ergo Apoſtolus, hoc non obſtare quo minus Judæi ex Abrahamo prognati rejici poſſint à Deo; cum non omnes qui ſunt Abrahæ ſemen ſint etiam ejus filii: per filios tale ſemen intelligens, quod ita ſit ex Abrahamo prognatum, ut ad hæreditatem & nominis & felicitatis ejus ac divinarum promiſſionum pertineat, & ad quod veluti hæreditario jure fortunæ Abrahami devolvendæ eſſent. Probat id Apoſtolus verba ipſius Dei citans:

*Sed in Iſaac nominabitur tibi ſemen.* Quibus oſtenditur, eos demum qui ex Iſaaco naſcituri erant in ſemine Abrahami cenſendos & numerandos eſſe. Nunc ſeminis voce eodem ſenſu utitur quo antea filiorum. *In Iſaac*, id eſt per Iſaacum, ſed una tamen cum Iſaaco. *Vocabitur*, id eſt

cen ſebitur, quemadmodum verſu ſequenti loquitur, ſeu habebitur, eoque loco ac conditione erit quæ filiis tantum genuinis convenit. Illi enim qui ex Iſmaële ſunt nati, licet revera ſemen & poſteri Abrahami eſſent, ita tamen à Deo ſunt habiti, tanquam ſi ex Abrahamo non fuiſſent prognati, nec in poſteris Abrahami cenſentur. Verum quid hoc ad nos, dicere poterant Judæi, qui non Iſmaëlitæ ſed Iſraëlitæ ſumus? Annon potius contra te ipſum hoc dicis? Reſpondet Apoſtolus, Myſterium in hoc duplici Abrahami ſemine latere, ſeu totam hanc rem eſſe myſticam.

Verſ. 8. *Hoc eſt*, igitur, *non filii carnis hi filii Dei.* Res, inquit, iſta non deſignat omnes illos qui ſunt carnis filii, hoc eſt qui ex Abrahamo carnali ratione ſunt nati, potius Dei eſſe filios. Hic dicit Dei filios loco filiorum Abrahæ, ut innuat ſe de talibus Abrahæ filiis loqui qui ſimul etiam ſint Dei filii, & de tali generatione ex Abrahamo, quæ eadem ſit cum generatione ex Deo. Id enim plane convenit, ſi hæreditatem Abrahami ſecundum ſenſum myſticum acceptum adire velint: ſiquidem hæc hæreditas ipſius Dei hæreditas eſt; filios autem carnis non eſſe filios Dei, ſeu quod idem eſt, ſpirituales Abrahami filios, propter id ipſum nimirum quod carnis ſint filii, ſeu carnali ac humano more ex Abrahamo geniti, res ipſa monet. Quid enim ad carnalem generationem, ad quam viri opera nihilominus accedit, Deus confert, ut propterea ejus qui carnali ſeu naturali modo generatur Deus pater eſſe dicatur? Cum ergo Iſaacus & ejus poſteri, cum iis qui per fidem Abrahami ſemen evadunt collati, carnali ratione ex Abrahamo fuerint progeniti; hinc conſequitur nos eſſe illos ipſos Abrahami filios qui ſimul ſint Dei filii, & ad quos hæreditas ipſius Dei pertineat. Quamvis Iſaacus cum ſua progenie, quia typus eſſe debebat iſtius poſteritatis ſpiritualis, propterea non prorſus carnali & naturali ratione fuit ex Abrahamo genitus, ſed ea, ut Iſmaëlis reſpectu haud filius dici queat, at vero reſpectu iſtius ſpiritualis poſteritatis, uti diximus, carnalis dici debeat.

*Sed filii promiſſionis reputantur in ſemen.* Filii promiſſionis opponuntur filiis carnis. Illi enim ſunt filii promiſſionis, qui carnali & naturali ratione naſci non poſſunt, ſed ſi naſci debeant, opus ſit virtute & efficacia divina, unde fiat ut à Deo promittantur. Hinc enim apparet eos naturæ viribus naſci non poſſe: nam quid attineret eos promittere? Iſaacus ergo, quia ex divina promiſſione, ac proinde etiam divina vi & efficacia genitus fuit, propterea typum gerit iſtius ſeminis ſpiritualis, id eſt omnium credentium, quod ſemen à Deo promiſſum Abrahamo fuit, cum pater multarum gentium à Deo conſtitueretur ac nominaretur: qua de re diſſeruit Apoſtolus cap. 4. Quod idcirco Deum promittere neceſſe fuit, quia naturali ratione ex Abrahamo naſci, id eſt fidem ejus imitari non poterat, niſi Deus id effeciſſet: quod ſemen dum hac ratione generat, ex ſe quoque progenuit, atque ita non tantum Abrahami, ſed etiam filios ſuos effecit.

*Reputatur in ſemen.* Semen iſtud duplex eſt: unum quod promiſſiones Abrahami ſecundum ſenſum literalem acceptas conſequi debebat, quales ſunt ii qui non ex Iſmaële, ſed ex Iſaaco ſunt prognati; alterum quod promiſſiones illas ſenſu myſtico acceptas conſequi debebat: hoc autem ſunt omnes credentes, iique ſoli.

Verſ. 9. *Promiſſionis enim ſermo hic.* Probat Iſaacum eſſe filium promiſſionis, ſeu ex promiſſione ac proinde divina virtute & ope natum, verbis Angeli ad Abrahamum: quæ verba dicit eſſe ſermonem promiſſionis, id eſt qui promiſſionem continet, ſeu promittentem.

*Secundum hoc tempus*, id eſt *anno vertente.* Tempus ipſum definitur quo filius iſte necdum conceptus erat naſciturus. Unde apparet, hanc rem à potentia & voluntate iſtius qui hoc dicebat, hoc eſt Dei, cujus perſonam ſuſtinebat, & cujus nomine loquebatur, pependiſſe. Quomodo enim alioqui tempus tam accurate ſcire ac definire potuiſſet?

*Veniam*, inquit. Quorſum enim iſte adventus, niſi ad præſtandam hanc rem quam prædicebat? Adventus autem iſte de pleno promiſſionis effectu accipi debet. *Veniam*, id eſt rem hanc quam promitto effectum dabo ac præſtabo, quemadmodum diſerte ſcriptum extat Geneſ. 21. 1, ubi dicitur, Jehovam Saræ adfuiſſe ſeu ad eam veniſſe, quemadmodum prędixerat, eique promiſſa præſtitiſſe.

*Et habebit Sara.* Sara, inquit, quæ tum alias ſterilis fuerat, & nec juvencula conceperat ac pepererat ullam prolem; tum omnem jam aptitudinem, ſi qua fuiſſet, ad concipiendum & pariendum propter ſenium amiſerat. Unde apparet non naturæ ſed promiſſionis divinæ viribus Iſaacum eſſe natum.

Addit adhuc, *Filium.* Unde enim filium, non vero filiam naſciturum eſſe ſciviſſet, niſi id ipſe effecturus eſſet? Hinc ergo apparet, Iſaacum ex promiſſione divina, ac proinde divina vi & ope fuiſſe natum, ideoque omnium credentium typum, qui ſimiliter non naturali aliqua, ſed divina prorſus opera ac virtute, quæ ex ejus promiſſione pendet, nati ſunt & progeniti.

Verſ. 10. Poſtquam igitur tam eleganti typo Apoſtolus declaraſſet, ad poſteritatem Abrahami ſpiritualem, non vero carnalem, divinas promiſſiones ſenſu nimirum myſtico acceptas, pertinere; alio adhuc, eoque maxime accommodato, rem ſibi propoſitam declarat, ideoque ſubjungit: *Non ſolum autem.* Non ſolum autem in ipſius Abrahami liberis, Iſmaële nimirum & Iſaaco, hujus rei exemplum habemus, non ſolere Deum in conferendis ſuis beneficiis, iiſve decernendis, carnalis propagationis habere rationem, aut ut habeat teneri obſtrictumque eſſe; ſed etiam in ipſius Iſaaci, qui, & una cum ipſo ejus poſteritas, in hoc ſemine recenſendus erat, liberis.

*Sed & Rebecca ex uno cubile habens Iſaaco patre noſtro.* Conciſe loquitur Apoſtolus. Senſus autem eſt: Non ſolum id accidit in Iſmaële & Iſaaco, qui non ex una matre nati fuerunt; ſed etiam in Rebeccæ liberis, licet una (quod illic non accidit) ex uno (quemadmodum & illic) concepiſſet. *Cubile*, per metonymiam ſumitur, pro concepto in utero prole.

*Iſaaco Patre noſtro.* Addit Apoſtolus *Patre noſtro*, quemadmodum etiam cum de Abrahamo cap. 4 loqueretur; idque propterea, ut innuat ſe non ideo elevare hunc ortum ex Iſaaco quod illo careat, ſed quod revera nihil per ſe ad ſalutem profit: quinetiam ut indicet, ſe eum non ita elevare ut prorſus ſpernendum arbitretur, cum ipſemet eo gaudeat, ac libenter

benter id commemoret, ſed certo tantum reſpectu.

Verſ. 11. *Nondum enim genitis.* Incipit explicare, quid cum Rebeccæ liberis factum fuerit, nempe, non utrumque eodem loco habitum, ſed nulla carnalis propagationis, imo ne prærogativæ quidem illius, quod alter eſſet primogenitus, alter ſecundo genitus, habita ratione, alterum alteri fuiſſe prælatum, & alterum electum, & alterum repudiatum. (Hoc autem ideo commemorat, ne quis forte ex Judæis diceret, non mirum eſſe, Iſmaëlem in ſemine Abrahæ non cenſeri, ſed tantum Iſaacum: quia ille ex ancilla ſeu ſerva, concubina tantum Abrahami, hic vero ex libera & vera Abrahami uxore eſſet natus. Id autem ad ſe non pertinere qui ex libera fuerint nati. Quanquam enim regerere potuiſſet Apoſtolus, Jacobum quoque quoſdam ex Patriarchis ſeu principibus duodecim tribuum ex ancillis ſuſcepiſſe, quod ipſarum uxorum quarum erant ancillæ, quæque eas marito junxerant prolis ſuſcipiendæ cauſa, filii cenſebantur, id patet Geneſ. xxx. 3, 6 &c. At eodem modo Agar fuerat a Sara marito juncta, ut ex ea ipſamet ſuſciperet liberos Geneſ. 16. 12, adeo ut non minus Iſmael deberet haberi filius genuinus Abrahæ, ac ſi ex ipſa Sara fuiſſet genitus, quam fuerint illi Jacobi filii. Hoc inquam reſpondere potuiſſet, ſed ad majus illuſtriuſque exemplum properat.) Sic etiam cum duo ſint Abrahami ſemina, ut ſic dicam, quid mirum eſt alterum, licet ex Abrahamo propagatione, & ſic prærogativa eminens, a Deo repudiari, alterum vero, licet ea fere deſtitutum, eligi, & in hæredem promiſſionum Abrahamo factarum aſſumi.

Verum, ne dicere quis poſſet, Deum in alterius rejectione & electione ſpectaſſe eorum opera, ac digniorem indigniori prætuliſſe, addit Apoſtolus: *Nondum enim natis, neque cum quicquam boni vel mali feciſſent.* His verbis demonſtrat Apoſtolus, Deum in rejectione unius & electione alterius non ſpectaſſe ipſorum opera: ſiquidem hunc quidem rejecerit, alterum vero elegerit, cum neuter adhuc natus eſſet, nec quidquam boni aut mali feciſſet. (Hinc autem, ut hoc obiter addatur, apparet, Deum futura opera hominum quæ ſunt futura contingentia, antequam ea vel in ſeſe, vel ſaltem in cauſis ſuis exiſtant, non prævidere. Nam alioqui nihil valeret Pauli argumentum: non ex operibus id fuit factum, quia eo tempore id factum fuit cum nondum quidpiam boni vel mali feciſſent. Nam ſi prævidit Deus illorum opera, poterat nihilominus ex operibus id facere, non ſecus ac ſi jam extitiſſent, præſertim cum vulgo velint, Deo omnia, etiam futura, eſſe præſentia, non Deo, ſed nobis tantum futura.) Hoc autem idcirco commemorat Apoſtolus, & diligenter inculcat, ut oſtendat nullum in operibus Judæis eſſe præſidium ad id, ut promiſſiones illas divinas conſequerentur, nec teneri Deum ad ea reſpicere. Quare non eſſe, cur tantopere opera & merita ſua crepent, etiamſi credentibus hac in parte, præſertim temporis fidem antegreſſi reſpectu, longe ſuperiores eſſent. Et hoc eſt alterum, quod in hoc cap. ſibi potiſſimum, quod ad Judæorum rejectionem attinet, docendum ſumſit Apoſtolus, cum duabus potiſſimum rebus ii niterentur, ſeſeque adverſus Apoſtoli doctrinam, qui iis interitum, ni crederent in Chriſtum; interminabatur; defenderent, carnali propagatione & operibus.

*Ut ſecundum electionem Dei propoſitum maneret.* (a) Hæc verba pendent ab illo quod ſequitur, *dictum eſt illi*; videlicet Rebeccæ, nempe cum nondum nati eſſent, nec feciſſent &c. Deinde ideo eo tempore hæc jam dicta ſunt Rebeccæ, ut appareret, nihil aliud in hac tota re valere & vim habere aliquam, præter Dei decretum, jam ante factum, quo unum præ altero elegerat, & diligendum ſingularique favore ſibi proſequendum ſumſerat.

*Non ex operibus.* Hoc itidem pendet ex verbo *dictum eſt*, cum antecedentibus *nondum natis* &c, juncto: quaſi dicat ac proinde non ex operibus. Clarior futura fuiſſet oratio, ſi Paulus verba illa, *ut ſecundum electionem* &c, poſtpoſuiſſet verbo *dictum eſt*, vel etiam ipſis Moſis verbis quæ ſubjiciuntur. Nunc enim veluti in parentheſi dicta cenſeri queunt. Simile quid accidit ſupra cap. 3. 8, ubi vide Caſtellionem.

Verſ. 12. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ipſi.* Quod cum dictum fuerit ante eorum opera, imo & nativitatem ipſam, apparet, non ex operibus, quod alter meritus, alter immeritus, id fuiſſe a Deo dictum, ac proinde etiam decretum ac conſtitutum. Quare *ex vocante dictum eſt illi*, id eſt ex liberrima voluntate ejus qui vocavit. Id enim ex Deo fieri dicitur, cujus nemo niſi Deus eſt autor, & ad quod faciendum Deus nulla cauſa externa fuit impulſus, ſed ſuo tantum beneplacito. Dicit autem, *ex vocante*, ut oſtendat, ſolam vocationem in participandis divinis beneficiis valere, ſed eos tantum iis potituros, qui ad ea vocantur, & quibus divina gratia offertur ac promittitur, quales ſunt omnes credentes. Vocatio autem eſt conſequens electionis liberrimæ jam ante factæ.

Quid autem fuit dictum Rebeccæ? quod *major ſerviet minori.* Non majorem natu, ſed natu minorem elegit, majorem vero repudiavit, etiamſi, re humano more perpenſa, contrario prorſus pacto faciendum fuerit. Hinc quoque apparet, quam libere Deus in ſuis decretis de hominibus ad felicitatem ac promiſſiones ſuas admittendis agat, nihil eorum ſpectans, quæ hominibus alicujus momenti videri poſſint. Unde per ſimilitudinem & typum concludi vult Apoſtolus, nihil in eo vel iniqui vel abſurdi eſſe, quod Judæos (qui Eſao fratri majori ob prærogativam carnalem, hoc eſt ob propagationem ex Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, pleriſque Chriſtianis, utpote quorum pars major Ethnicis prognata fuerat parentibus, antecellebant, reſponderent) rejecerit, credentes vero qui Jacobo reſpondent, ad hæreditandas promiſſiones ſuas vocaverit. Notandum eſt autem, hic non agi de eo, cur Eſaus eſſet natu major, Jacobus vero minor, ſed cur minorem Deus elegerit, majorem autem repudiaverit: quemadmodum & ſuperius in priore Iſmaelis & Iſaaci exem-



(a) *Remonſtrantes particulam Ut ſignificare putant; vel* eo fine, *vel* inde apparet. *Verbum vero* maneret, *ita explicant, id eſt, ut in Iſaaco cæptum, in Jacobo porro continuaretur, & ſic firmum & ratum eſſe conſtaret.*

exemplo non afferebatur causa, cur alter carnis alter vero promissionis filius esset; sed cur promissionis, non vero carnis filius in semine censeretur. Cum ergo credentes Isaaco & Jacobo, incredulis autem Judæi Ismaeli & Esao respondeant, non hic agitur de eo cur illi quidem credant, hi vero non credant; sed cur illi eligantur ac justificentur, hi vero qua tales reprobentur atque a justificatione excludantur. Præterea verba hæc *Major serviet minori*, non tam de ipso Jacobo & Esao, sed de eorum posteris, scilicet populis ex utroque nascituris intelligi debent: quæ res facit, ut elegantissime hoc exemplum respondeat credentibus & incredulis, populus enim populo respondebit. Jacobo enim ipsi Esaus nunquam servivit; quin potius Jacob Esaum timuit, & ejus gratiam muneribus ambivit, eumque coluit. Serviisse autem Judæis Idumæos, qui sunt Esai posteri, qui Edom, hoc est, *rufus* appellabatur, historia sacra testatur 2 Sam. 8. 14.

Vers. 13. *Quemadmodum scriptum est.* Citat aliud scripturæ dictum ex Malachia, quod eandem rem testatur. Sic autem loquitur tanquam si id quod priori loco commemoravit, scriptum non esset. Hac eadem ratione loquitur cap. 3. 4: *Jacobum dilexi, Esaum autem odio habui.* Quæ verba prophetæ aperte de Jacobi & Esai posteris agunt: & illos quidem amasse Deus (a) dicitur, quod eos ob decretum suum olim de ipsis factum, quo eos Idumæis prætulerat, meliori conditione esse voluerit, & ex servitute Babylonica reduxerit, effeceritque ut patriam suam denuo incolerent, ac urbes in ea constituerent; Idumæis vero, quorum terra itidem vastata fuerat, ipsique ex ea pulsi atque abducti, id non esset permissurus: non quod Israelitæ Idumæis fuerint meliores, sed cum eadem supplicia essent meriti, nihilominus Deus benignius cum illis quam cum his agere decrevisset: Id enim Deo licebat.

Dicitur autem odio habuisse Deus Esaum, ejusque posteros ideo, quod perinde cum illis præ Jacobæis egisset, tanquam si eos odio prosequeretur. Dum autem hæc res ad antitypum suum accommodatur, ad credentes nimirum & incredulos, verbum ἐμίσησα proprie accipitur (rejectio enim in incredulis pœnæ rationem habet, ideoque ex odio & ira proficiscitur) nec rejectionem solum continet, verum etiam indurationem, quæ illam consequi potest, & actu quidem in Judæis consecuta est. Hoc igitur Esaï & Jacobi exemplum ad scopum Apostoli aptissime quadrat. Utrumq; enim in consequenda justificatione nihil valere ostendit, quibus Judæi maxime nitebantur, primum propagationem illam ex Abrahamo carnalem, deinde operum merita ac legis observationem. Hoc enim exemplum docet, Deum ad neutrum istorum respicere teneri, ita nimirum, ut illi liberum non sit ad alios potius, nempe credentes, quam ad hos in justificatione concedenda respicere. Sunt enim duo hominum genera: unum eorum qui Abrahamo sunt prognati, & qui legem pro viribus & facultate sua observant, alterum eorum qui, quocunque tandem ex genere sint nati, quibuscunque tandem moribus hactenus fuerint præditi, fidem in Christum amplectuntur. Horum alterum ut eligeret Deus, & illi justificationem æternamque salutem destinaret (siquidem neutrum meretur aut mereri potest) liberrimum illi prorsus fuit, nec necesse habuit ad hoc vel illud omnino respicere. Non enim hic tales vel homines vel hominum genera introducenda sunt, quorum unum alteri prorsus sit impar, (quod fieret, si unum quidem obediret, alterum vero prorsus non obediret) sed inter quæ sit quædam paritas & convenientia, vel cum neutrum adhuc obedit, quemadmodum in Esao & Jacobo factum est; vel cum utrumque quidem obedit, sed non plenè ac perfectè. Sic Judæi, etiamsi legem ab ineunte ætate pro viribus servassent, non tamen eam perfectè servarunt, sed in multis deliquerunt. Et præterea cum fidem in Christum non amplectantur, quam Deus nunc præscribit, magnus in ipsorum obedientia est defectus. Christiani similiter, licet nunc obediant, anteacti tamen temporis respectu non obediverunt, & nunc etiam labi eos interdum contingit. Quare cum utrique misericordia indigeant, liberum est Deo vel utrisque, vel neutris, vel alterutris tantum eam exhibere. Non enim vult hoc loco Apostolus fidei præstantiam cum observatione Legis, qualis in Judæis esse poterat, contendere: nec ad illius præ hac præstantiam & dignitatem; (quod tamen vere facere poterat, & superius jam satis ostendit, Christianorum obedientiam eorum qui sub lege sunt obedientia longe esse potiorem) sed ad liberrimam Dei voluntatem provocat, & ostendit, licet alioquin Judæi prorsus pares Christianis essent in pietate & divinæ Legis obedientia, imo etiam superiores, liberum tamen esse Deo vel hos vel illos eligere, seu æternæ saluti destinare; alios autem non tantum rejicere & salute excludere, sed etiam propterea, quod hanc vel illam conditionem, quam Deus justificari volentibus præscripsit, amplecti nolunt cum possint, indurare.

Vers. 14. *Quid igitur dicemus?* Hæc cum ita se habeant, quid hinc concludemus? *Num injustitia apud Deum?* Num hoc, Deum esse injustum, qui ad opera non respiciat, sed pro sua voluntate ac beneplacito in conferendis suis beneficiis & justificatione agat? Vel hoc modo: si ita se res haberet ut tu asseris, nempe Deum pro arbitrio illum diligere, hunc odisse, illi beneficium largiri, huic negare, consequeretur, Deum esse injustum. Hoc autem est absurdum: ergo & illud.

Respondet Apostolus: *Absit.* Quasi dicat: haudquaquam hoc ex illo consequitur: non sequitur, inquam, ex assertione mea, Deum esse injustum. Quia enim homines ita sunt comparati, ut nec gratiam divinam mereantur, nec tamen contra odium divinum ita merentur, ut ne deceat quidem illis gratiam exhibere (hoc enim

(a) *Remonstrantes existimant, videri Paulum velle indicare, non tantum in eandem sententiam Malachiam loqui, sed etiam verum, comprobatum & confirmatum esse illud quod Rebeccæ dictum fuerat, quæ sic dicat: Et sane ipsis temporibus Malachiæ, quæ multo post secuta sunt apparuit verum esse id, quod hic a Deo pronunciatum fuit. Jacobum enim dilexit, redimendo & conservando populum ex eo ortum in terra promissa. Esaum, id est, populum Idumæum, odio habuit, non quidem proprie dicto inimico, reprobationis & damnationis, quia illud nihil haberet commune cum priore dicto:* Major serviet minori, *ad cujus tamen confirmationem hoc allegatur; & quia a sensu loci, qui apud Malachiam est, denique a natura Dei alienum est; sed metaphorico odio, eum scilicet in certa aliqua re temporali negligendo, posthabendo, & sine omni inimico & hostili affectu tantum postponendo, & sic minus diligendo. Vide Prov. 13. 24. Johan. 12. 25. Luc. 14. 26 collato cum Matth. x. 37. Et res ipsa etiam ita accipi vere postulat, quia non dedit quidem eis terram illam sanctam in hæreditatem, sed montes & deserta loca, quæ cum terra fertili, fluente lacte & melle, conferenda non erant, interim tamen non exiguus beneficus affecit imprimis populi ipsius caput & principem Esaum, ex quo duodecim principes, & ingentem etiam populum nasci fecit.*

enim ſemper præſupponi debet, idque Jacobi & Eſai exemplum demonſtrat, quorum neuter divina gratia vel fuit dignus, vel prorſus indignus) cum, inquam, tales ſunt homines, liberrimum eſt Deo non tantum hos præ aliis eligere, ſed etiam alteros, ſi illi hominum generi, quod Deus gratia ſua dignatur, applicare & adjungere ſe nolint, cum poſſint, ob hoc ipſum indurare. Utrumque horum ex ſcriptura probat, & primo quidem prius, poſteriori loco poſterius.

Verſ. 15. *Moſi enim dicit: Miſerebor cujus miſerebor.* Verba hæc ſunt Dei ad Moſen, cum deſideraret ut ſe illi Deus conſpiciendum daret. Exprimit autem iſtis verbis proprietatem quandam ſuam, quæ eſt, quod liberrima voluntate & beneplacito utatur in hominibus miſericordia proſequendis: id quod convenit divinæ ejus poteſtati, & abſoluto in omnes dominio atque imperio. Poſſunt autem hæc verba ita accipi, ut miſeratio aliter atque aliter accipiatur: & priore quidem loco accipi poteſt de ipſo effectu miſericordiæ, ſeu qui ex miſericordia manet ac proficiſcitur, cum Deus aliquem reipſa juvat vel beneficio aliquo afficit; poſteriori autem loco de ipſo miſerationis affectu, qui in animi ad aliquem inclinatione conſiſtit. Poſſunt etiam hic accipi, & quidem magis convenit hic ſenſus, ut miſericordiæ divinæ erga aliquem nulla alia ſit cauſa, præterquam quod Deo ſic viſum fuerit.

*Miſerebor*, ſed cujuſnam? *cujus miſerebor.* Quem volo miſericordia proſequi. Ita enim loqui ſolemus, cum ſignificare volumus, nullam aliam iſtius rei quam facimus cauſam eſſe præter voluntatem noſtram; vel niſi eſſe prius iſta actione, quod ejus extra nos ipſos principium ſit.

Verſ. 16. *Ergo igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Cum ergo Deus tam libere agat in hominibus beneficiis ſuis ornandis, non in eo ſitum eſt id ut divinum beneficium conſequamur, ut nos ipſi non velimus tantum, ſed etiam curramus, id eſt, operam demus ac laboremus in eo aſſequendo; ſed ut Deus, noſtri miſertus, velit id nobis conferre, cum ſcilicet, ſi vel maxime velimus & laboremus, illud reipſa promereri nequeamus. Non eſt ergo cur vos Judæi opera veſtra, conatus ac labores jactetis, tanquam ſi Deus ad iſta reſpicere cogitur, & vobis aliquid dare, cum potius omnis noſtra felicitas ſita ſit in Dei miſericordia & benignitate, qua quem vult proſequitur. Eſt igitur primo hic talis conatus & curſus intelligendus, qui natura ſua non promereatur aliquod divinum beneficium. Deinde voluntas & curſus ille conſiderandus eſt per ſe ſolus, non vero eo adjuncto, quod divinæ voluntati ac decreto ſit conſentaneus ac ſubordinatus, ita quidem, ut ei qui hoc modo currat ſalus ſit deſtinata aut promiſſa. Nam alias iſtiuſmodi voluntas ac curſus, ſi ſit rectè comparatus, nunquam eſt irritus: quanquam non in eo ipſo fundamentum ac prima potiſſimaque ſalutis cauſa eſt ſita, ſed in Dei miſericordia ac decreto ex ea profecto. Itaque tertio loco illud quoque notandum eſt, de cauſa principali, ſeu de fonte atque origine vera propriaque ſalutis hic eſſe ſermonem, eamque denotari per particulam *ex*; non vero de cauſa ſecundaria, ſcilicet ſine qua non. Quaſi dicat: Non voluntas & curſus hominis prima propriaque ejus rei cauſa eſt, quod quis bonum aliquod, verbi gratia, juſtificationem ac ſalutem aſſequatur; ſed Dei miſericordia. Quemadmodum dicere poſſes, Eleemoſynam non eſſe ejus qui velit & currat, ſed ejus hominis qui miſereatur; etiamſi tandem ponatur, eam voluntatem & curſum ad eam adipiſcendam eſſe neceſſarium, & ubi ad voluntatem divitis miſerentis fuerit conformata, eique, ut loquuntur, ſubordinetur, non eſſe irritum.

Verſ. 17. Sequitur alterum membrum, quod eſt; Deum indurare etiam ſine ulla vel minima injuſtitiæ ſuſpicione eos poſſe, qui eam conditionem recuſant amplecti, cui miſericordiam ſuam addicere & adſtringere Deo libuit. *Dicit enim Scriptura Pharaoni.* Pharaonis exemplum affert in medium Apoſtolus, qui a Deo induratus fuit, idque propterea, quod id peccatis ſuis fuerat meritus. Quare ſi hoc exemplum ad rem propoſitam accomodari debet, neceſſe eſt, in Judæis cauſas fuiſſe propter quas indurati fuerint. Et certe cum induratio pœna ſit, vel ſaltem iter certiſſimum ad pœnam, nemini niſi propter peccatum contingere poteſt. Falſum eſt igitur, Deum abſque reſpectu ullo ad ipſorum hominum opera, ſeu abſolute abſque omni conditione ex hominis arbitrio pendente, eam vel decreviſſe, vel reipſa poſtmodum exerere. Falſum etiam, Deum de ſingularibus ſeu certis individuis nominatim, antequam aliquid boni vel mali facerent, abſolute decreviſſe, ſe ea induraturum, vi rationis Apoſtolicæ, qua ſupra verſ. 11 de Jacobo & Eſao eſt uſus. Falſum denique, eos qui indurantur ac pereunt, neceſſario indurari ac perire: cum neceſſe ſit ante indurationem præcedere opera hominis mala, libere facta, alias induratus eſſet homo antequam induraretur.

*Dicit ſcriptura Pharaoni.* Scriptura id dicitur dicere Pharaoni quod Deus ipſe Pharaoni dixit, propterea quod ſermonem hunc Scriptura nobis repræſentet & ob oculos ponat.

*In hoc ipſum excitavi* vel *erexi te.* In Hebræo eſt, *ſtare te feci.* Triplex autem eſſe poteſt hujus verbi ſenſus: unus, quod Deus non permiſerit Pharaonem jam ante cadere, ſed eum conſervaverit, ac veluti labentem fulcierit: quam ſententiam ſecuti Græci Veteris Teſtamenti Interpretes, habent hoc loco διετηρήθης, *conſervatus es:* Alter, quod eum ad regium munus ac dignitatem evexerit. Verbum enim ἐξήγειρα ſumi ſolet pro collatione muneris alicujus, præſertim eximii, quale erat regium: Tertius, quod Deus inſtar ſcopi cujuſdam eum ſibi delegerit, in quem judiciorum ſuorum tela dirigeret; & quemadmodum ſcopum firmiter terræ infigere ſolemus, ne ad unum atque alterum ictum corruat, ſic Deus etiam effecerit, induratione nimirum cordis ejus, ne ad unum atque alterum divinorum judiciorum telum caderet, ſed obfirmato prorſus & obſtinato in perniciem ſuam animo immotus ſtaret, donec, in ipſum depromtis telis, penitus configeretur. Maxime hic poſtremus ſenſus convenit; ſiquidem apparet Apoſtolum hic de induratione Pharaonis loqui voluiſſe, quemadmodum & res ipſa & verſiculus ſequens oſtendit, qui ex hoc educitur, ut, niſi vocem hanc ἐξήγειρα ita explicemus ut indurationem iſtam contineat, nulla hic fieret indurationis mentio. Ita porro induratio iſta Pharaonis intelligenda eſt & accipienda, ne Deum peccati autorem ſtatuamus, utpote qui efficiat ne quis voluntati ſuæ obedire queat. Sic enim Deus Pharaonem induraſſe legitur, ut etiam ipſe Pharao ſe ipſum, ſeu cor ſuum induraſſe legatur. Vide Exod. VII. 13, 22. VIII. 19, 32. IX. 34. Quod ut melius intelligatur, notandum eſt, duplicem quodammodo eſſe cauſam peccati: unam internam quandam animi malitiam & pravitatem, qua homo divinis mandatis

datis in contrarium nititur ac fertur, & qua poſita, niſi externis aliquibus cauſis (qualis verbi cauſa eſt præſentiſſima eaque graviſſima pœna, ſi peccet) impediatur, non poteſt non peccare; altera eſt, cum aliquis non videt, peccatum allaturum ſibi certiſſimam maximamque perniciem. Pravitatis illius Deus nullo prorſus pacto eſt cauſa; ſed illa tota, quanta quanta eſt, homini adſcribi debet. At ne homo præſens exitium ſuum, ſi peccet, videat, id ſæpe Deus & ſolet, & ſine ulla injuſtitia poteſt efficere: quod fit, cum vel animi aliqua cæcitate eum percutit; vel pœnas peccatis non infligit; vel etiamſi infligat, tamen eas ſic dirigit ac moderatur, ut videantur brevi ceſſaturæ & finem habituræ, quod poſtremum Pharaoni contigiſſe Sacræ Literæ docent, qui plaga divina percuſſus cogitavit de populo dimittendo; ſed ſimulatque vidit plagam ſublatam, animum ſubinde mutavit, & contraria agitavit conſilia, quin imo plagis divinis quodammodo emollitus ac tractabilior effectus, ſubinde melioribus conditionibus rem cum populo Iſraelitico tranſigere voluit, & primo quidem ſine uxoribus & liberis, deinde una cum his abſque pecoribus, tandem etiam una cum pecoribus ac facultatibus Iſraelitas ſe dimiſſurum obtulit. Unde apparet, non ita fuiſſe Pharaonem a Deo induratum, quin, ſi voluiſſet, & rem omnem diligentiſſime perpendiſſet, & utriuſque rei tum commoda tum etiam incommoda accurata lance expendiſſet, Deo mandanti obtemperare potuerit. Indurat ergo Deus homines, cum cauſas externas, quæ hominem a peccato avocare queant, ita moderatur & temperat, ne vim aliquam & efficaciam hominem illum movendi habeant; non vero quod voluntatem ejus interna quadam ratione immutet, & perverſitate aliqua imbuat is, qui omnis rectitudinis eſt fons & autor. Sic etiam Deus per Chriſtum effecit, ne Judæi audiendo audirent & intelligerent; non animos eorum interna quadam ratione immutando, ſed per parabolas illis loquendo, quemadmodum diſerte teſtatur Matthæus cap. 13. 10, 11, 13, 14. Quod ſi occulta aliqua ratione animi eorum fuerunt excæcati, ſic ut ne intelligere & credere poſſent ea quæ Chriſtus docebat, nihil attinebat ut parabolis potius, quam proprio locutionis genere uteretur. Quanquam negari non debet, Deum, ut jam diximus, rectum animi judicium hominibus hanc pœnam commeritis eripere interdum ſolere.

*Ut demonſtrem in te potentiam meam.* In Hebræo eſt *tibi*; ſed longe commodius eſſe videtur in te. Tu eris potentiæ & virtutis meæ theatrum quoddam: univerſa autem terra ſpectabit, & viſa tanta potentia tantiſque miraculis, quibus te conteram & conquaſſabo, nomen meum laudibus feret ac celebrabit.

Verſ. 18. *Ergo igitur cujus vult miſeretur, quem vero vult indurat.* Ex his igitur exemplis & teſtimoniis ſacrarum literarum id liquet, Deum ſcilicet miſereri cujus vult, cum ſcilicet neuter beneficium divinum plane meretur, (ubi enim eſt meritum, ibi nullus eſt miſericordiæ locus) & indurare quem vult, cum ſcilicet indurationem uterque meretur. Non enim hic homines, qua homines ſunt, ſeu nude conſideratos intelligit Apoſtolus; ſed certa jam qualitate affectos, ac miſericordiæ & indurationis capaces. Cum autem induratio pœna ſit, aut ad pœnam via, peccatum præſupponit in eo qui indura-

tur. Quod ſi hoc dictum ad materiam Apoſtoli & rem propſitam accommodemus, liberum erat Deo, vel credentium miſereri, vel eorum qui ex Abrahamo carnali ratione prognati, legem ab ineunte ætate ſtudebant pro viribus implere. Non ergo quicquam in eo eſt abſurdi, ſi illorum, non vero horum miſertus fuiſſe, ac proinde illos, non hos juſtificaſſe dicatur. Similiter etiam quos vult indurat, ſi nimirum ea qualitate affecti fuerint quæ indurationem meretur; qualis eſt incredulitas, poſtquam Deus credendi conditionem ab hominibus exigit. Quod ſi exegiſſet Legis opera & obedientiam, juſta etiam indurationis cauſa fuiſſet, ſi homines nihilominus fidem potius quam Legis obedientiam ſectari maluiſſent.

Verſ. 19. *Dices igitur mihi.* Contra hæc quæ hactenus diſſeruit Paulus, (oſtendens, Deum pro libera ſua voluntate in ſalvandis ſcilicet, juſtificandis & damnandis, imo etiam indurandis hominibus agere, non tamen qua homines ſunt, ſed, quod ad juſtificationem attinet, quatenus vel fide in Chriſtum, vel operibus Legis præditi, & inſuper ex Abrahamo prognati; quod vero damnationem & indurationem attinet, quatenus contumaces ſunt, & ſuum potius conſilium quam Dei voluntatem ſequuntur, ac eam conditionem in ſectanda ſalute eligant quam ipſi volunt, non vero quam Deus, cui liberrimum omnino eſt vel hanc vel illam conditionem eligere, & ab hominibus, ſi juſtificari velint, requirere) contra hæc, inquam, potuiſſet aliquis tali objectione inſurgere, detortis præſertim in alium ſenſum Apoſtoli verbis. Cum enim Apoſtolus revera de duplici hominum genere agat, uno credentium, altero vero non credentium, ſed opera ſectantium: videri tamen poterat de ſingularibus individuis humanis agere, (præſertim cum produxiſſet ſingularium hominum exempla) non ſecus ac ſi Deus cum hominibus qua homines ſunt ſic agat, ut cujus velit miſereatur, quem autem velit, nulla prorſus habita ratione alicujus meriti, damnet, & induret. In hunc ergo ſenſum trahere malignus aliquis diſputator verba Pauli potuit: quemadmodum ſæpe in diſputationibus fieri ſolet, præſertim ſi ſit res cum adverſario aliquo præfracto, qui id tantum quærit, ut aliquid carpat, & captet occaſionem alicujus abſurditatis adverſario objiciendæ.

Sic ergo regerit iſte: *Quid ergo conqueritur?* Si ita ſe res habet, ut Deus cum hominibus pro ſua voluntate agat, & cujus velit miſereatur, quem autem vult, non ſolum damnet, ſed etiam induret, *cur* de hominibus *conqueritur?* ſeu, nullam ergo de hominibus conquerendi cauſam habet, quod illi non obediant.

*Quis enim voluntati ipſius reſtitit?* Si non vult ut aliquis illi obediat, quis in adverſum niti poterit? ſi aliquem non vult ſervare & ejus miſereri, quis illo invito & nolente ſervabitur? Proinde cum ipſe nolit homines ſervari & ſibi morigeros eſſe, nullam habet conquerendi de iis occaſionem, quod peccent, & in inobedientia perſiſtant.

Huic objectioni ſic reſpondet Paulus, ut primo acriter in eum hanc de Deo querimoniam retorqueat, innuens hac ratione, hominem illum nullam cauſam habuiſſe hoc Deo objiciendi, & ex ſuo ſermone id colligendi. Unde apparet, Paulum non de hominibus, qua homines ſunt agere: nam ſi hoc eſſet,

jure

jure hoc objici potuiſſet, præſertim cum Deus ipſe non ſemper pro imperio cum hominibus agat, ſed ſæpe cum illis jure experiri velit, & ſeſe ab omni perditionis eorum culpa purgare. Talem Dei litem nobis deſcribit Eſaias cap. 5 cum ſua vinea; & Micheas cap. 6 quoque Deum inducit cum populo ſuo jure diſceptantem. Jam ſi ipſemet Deus hominem, qua homo eſt, nulla habita ratione alicujus in ipſo, quam propria culpa ſua contraxerit, qualitatis, induraſſet, & damnare immutabili decreto ſtatuiſſet; certe nihil habuiſſet quod huic objectioni reſponderet, & omnis culpa in Deum devolvi poterat. Non ergo cum individuis qua individua humana ſunt ſic agit Deus, ut pro libera voluntate hunc eligat, hunc damnet & induret; ſed cum hominum generibus. Ipſa autem individua per ſe ſunt vaga, & in eorum eſt poteſtate, ut vel ex hoc vel ex illo hominum genere ſint, ac proinde vel miſericordiam conſequantur, vel in damnationem indurationemque incurrant. Quare & Deus libere agit, & homines libere agunt, Deus quidem in hoc vel illo hominum genere juſtificando vel damnando; homines vero huic vel illi hominum generi ſeſe applicando. Quare ut ad id redeamus quod ſupra cœperamus dicere, primum querimoniam illam de Deo in ipſum illum qui ita Deo obſtrepit, retorquet. Retorta autem in hunc hominem querimonia, pergit in ſuo propoſito Paulus, & oſtendit Deum poſſe jure facere id quod illum facere dixit, & licere illi pro libera ſua voluntate homines vel juſtificare vel damnare, & denique indurare, eo nimirum ſenſu, quo jam diximus. Tandem oſtendit cauſam præter liberam Dei voluntatem, ob quam hi quidem juſtificentur, illi vero damnentur; & ſic directe ad objectionem allatam ejuſque firmamentum reſpondet. Nam ſi de ipſis hominum generibus agamus; nulla eſt cauſa cur huic generi hominum potius Deus juſtificationem & æternam ſalutem deſtinet quam illi, præter liberrimam omnipotentis Dei voluntatem, (ponuntur enim, ut ſupra jam monuimus, illa hominum genera inter ſe paria, imo fortaſſe ponitur illud genus cujus miſeretur Deus, aliquatenus impar illi cujus non miſeretur) & immediate quidem hujus generis ſalus, illius autem damnatio cohæret cum divino nutu & voluntate: ſed ſi deſcendamus ad individua ipſa, & quæramus cur alia damnentur, alia juſtificentur, præter divinam voluntatem ipſorum quoque voluntas ad id acceſſit, qua factum eſt ut vel ex hoc vel ex illo eſſent hominum genere. Cum quæritur quare fit ut illi qui credunt in Chriſtum ſalventur, illi vero qui non credunt, etiamſi tandem neſcio quæ opera aut prærogativam carnalem habeant, damnentur, imo etiam indurentur, nulla alia eſt iſtius rei cauſa quam Dei decretum & liberrima voluntas; cum vero quæritur, qui fiat ut iſti quidem homines ſingulares, verbi cauſa Judæi damnentur, gentiles autem, licet anteactæ vitæ reſpectu Judæis longe inferiores (& ſi id fieri poſſet, etiam præſentis vitæ reſpectu) ſerventur ac juſtificentur; reſpondendum eſt, quia illi non credunt in Chriſtum, iſti vero credunt. Ut ſi rex quiſpiam pro libera ſua voluntate decerneret, ut hi quidem qui in hunc locum, verbi gratia aſylum confugiunt, ſervarentur, qui vero in illo permanſerint damnarentur, an ullam injuriam alicui ea in re faceret, ſi eos qui contumaciter in hoc loco permanſerunt plecteret, præſertim ſi aliàs etiam pœnam fuiſſent commeriti? An non unicuique liberum erat ex hoc loco in illum alterum confugere? imo digniſſimi pœna fuerunt qui tantam regis gratiam & clementiam ſpreverint. Eodem plane modo cum hominibus egit ſupremus ille rerum arbiter ac Dominus. Omnibus hominibus in Chriſto fixit aſylum. Qui ad Chriſtum confugerit, id eſt in eum crediderit, ſervabitur; qui vero non crediderit, cum alioquin etiam pœnas deberet, damnabitur. An hoc illi liberum non fuit? Annon merito pœnas luunt, qui neſcio quibus meritis confiſi antiquum obtinent, & ad Chriſtum ut ſalventur confugere nolunt?

Verſ. 20. *Imo vero, ô homo! tu quis es qui ex adverſo reſponſas Deo?* Injuria Deum cunqueri de hominibus ais? Imo vero Deus jure conqueritur; tu autem injuria de Deo conquereris. Hæc enim eſt vis particulæ iſtius ἀμμᾶ, qua tacite affirmatur vel conceditur id quod antea dictum eſt infra cap. x. 18. Luc. xi. 28. Tacite igitur Apoſtolus concedit, Deum conqueri de hominibus, idque merito; ſed hunc hominem negat de Deo merito conqueri poſſe. Nominat eum *hominem*, opponens hominem Deo, ideoque addit: *tu quis es?* quaſi dicat, cum nihil ſis niſi viliſſimus homuncio reſpectu Dei, audes illi te opponere, & injuſtitiæ neſcio cujus inſimulare? & ut videas quod id immerito facias, quæro ex te: *Num dicet fictile ſuo fictori, quid me ſic feciſti?* Hoc ſimile manifeſte oſtendit, Apoſtolum hic non agere de hominibus ipſis, qua homines ſunt nude conſiderati: tales enim luto non reſpondent, utpote cum juris & injuriæ capaces ſint, lutum autem non ſit: ſed agere de hoc vel illo hominum genere, & de illo aliquid decernere. Hoc igitur vult Apoſtolus docere; quemadmodum fictile non poteſt expoſtulare cum ſuo figulo, cur me ſic feciſti? ſic neque Judæi, ſpreta in Chriſtum fide, homines increduli, quæcunque tandem opera & merita jactent, non poſſunt Deo dicere, cur nos damnas & à juſtificatione excludis? Siquidem hoc illi liberrimum erat, dummodo illis quoque liberum fuerit in Chriſtum credere, ut certe fuit.

Verſ. 21. *Annon habet figulus poteſtatem luti?* Poteſtatem luti, id eſt in lutum. Eſt enim τῦ πηλῦ paſſive accipiendum, ut ἐξουσία πυμρόπτων Matth. 10. 1. Marc. 6. 7. Luto igitur reſpondent homines, non qua homines, ſed qua tales ſunt vel tales: quod locus Jeremiæ cap. xviij, ex quo ſimilitudo hæc eſt deſumta, manifeſte indicat, ubi Deus introducitur tanquam figulus lutum ſuum pro arbitrio fingens & refingens, ideo quod populum & nationem pœnitentem pœnis & judiciis ſuis eximere poſſit ac velit, rurſum autem in peccata prolapſam rurſum etiam punire velit ac decernat, & prout ſeſe hoc lutum ipſum, ut ſic dicam, fingit & refingit, ſic etiam Deus nunc favore & gratia illud proſequitur, nunc proſequitur vindicta. Annon habet poteſtatem Deus ut vel credentes juſtificet, vel opera ſectantes damnet?

*Ex eadem maſſa.* Id eſt ex eodem hominum genere; non tamen nude conſiderato, ſed præſuppoſita hac vel illa in hominibus conditione, quam Deus pro libera ſua voluntate illis poteſt imponere.

*Facere hoc quidem in honorem vas, hoc vero in ignominiam?* Vas in honorem eſt vas ad honeſtos uſus, vas in ignominiam ad ignominioſos uſus. Vaſis in honorem reſpondent homines ſalvandi, iſtis vero homines damnandi, qui damnari non poſſent niſi meriti fuiſſent. Damnationi enim ac pœnæ locus non eſt ubi nulla eſt

culpa. Culpa igitur præſupponitur in hominibus antequam fiant vaſa ignominioſa: hæc enim libertas Dei in homines ex eo proficiſcitur, quod illi liberum ſit has vel illas conditiones ac Leges illis præſcribere, hoc vel illud, ſi juſtificari velint, ab illis requirere, (nihil enim injuſti requirit) ac proinde prout quis has conditiones vel amplectitur vel non amplectitur, eum vel juſtificare vel punire, vel vas ad honorem vel ad ignominiam facere. Semper cum hac libertate Dei in homines libertas quoque hominum ſeu arbitrium conjungendum eſt, ut poſſit locus eſſe pœnæ. Ideoque etiam idem Paulus 2 Tim. 2, 20, 21, poſtquam homines Chriſti nomen profitentes cum vaſis quæ in aliqua divite ſeu magna domo habentur contuliſſet, diverſitatem poſtmodum inter propria & metaphorica vaſa indicat, cum ait: *Si quis ergo ſeipſum expurgaverit a talibus, erit vas in honorem.* Homines talia ſunt vaſa quæ ſeipſa expurgare ab omnibus doctrinarum erronearum ſordibus queunt, & efficere ut ad honeſtos uſus a Domino applicentur, quemadmodum in ſequentibus addit Apoſtolus, quod Deus pro libero ſuo arbitrio credentes quidem ſervare & juſtificare velit; incredulos autem omnes, quicquid tandem præter fidem in Chriſtum habeant, damnare: Jam oſtendit nihil etiam in eo ineſſe iniqui, quod incredulos iſtos induret.

Verſ. 22. *Si vero volens Deus demonſtrare iram, & notam facere potentiam ſuam.* Hic finis indurationis iſtius exprimitur, ut Deus iram demonſtret, id eſt, edat illuſtre exemplum pœnæ: *ira* enim, per Metonymiam, ſumitur pro pœna.

*Ut notam faciat potentiam ſuam.* Δυναστὴν concretum, pro δύναμιν abſtracto. Potentia enim Dei cernitur in pœnarum, præſertim gravium & inſolitarum, inflictione, quales etiam contumacibus Judæis irrogatæ fuerunt.

*Tulit in multa longanimitate vaſa iræ.* Indurationem iſtam molliſſime deſcripſit Apoſtolus, & oſtendit in hac induratione potius divinam patientiam & longanimitatem cerni, quam ſeveritatem. Nec enim hæc induratio talis erat, ut nullo prorſus modo Judæi poſſent reſipiſcere. Cur enim alioquin Apoſtolus ſtatim ab initio ſequentis capitis ſcriberet, preces ſuas ad Deum eſſe pro Iſraële ad ſalutem? Cur capite xj diceret, ſe conari ſi quo modo ad æmulationem accendere poſſet carnem ſuam, & ſervare aliquos ex illis? Et denique quomodo locus eſſe potuiſſet longanimitati & patientiæ divinæ, ſi Deus ita eos induraverat ut nullo modo poſſent reſipiſcere? Quomodo hac ſua duritie majorem & graviorem in dies ſibi pœnam accumulaſſent? Quomodo Deus jure tanto gravius illos punire potuiſſet quanto longius expectavit, ſi plane eos in ſaxa & ſilices converterat? Induraverat quidem, (deducebat enim eos ad pœnam, & pœnam aliquo modo ſpectabat ac quærebat) ſed quia tamen longanimitate & patientia utebatur, non prorſus ineptos ad reſipiſcentiam reddidit. Difficiliorem quidem eis ad Chriſtum aditum effecerat, ac multa poſuerat obſtacula: ſed ſi tamen animi ſui contumaciam frangere, & vim ſibi inferre voluiſſent, potuiſſent ad Chriſtum converti. Ruebant quidem tanquam per præceps in peccatum, ac proinde difficulter admodum poterant cohiberi; poterant tamen. Ut ſi quis præcipiti curſu ex monte ruat, ipſo impetu & declivitate loci impeditur quo minus conſiſtat: ſed ſi tamen cadere malit quam currere, abrumpit impetum. Ut igitur oſtendat Apoſtolus, nullam eſſe in hac Judæorum contumacium induratione iniquitatem, ſic eam deſcripſit ut oſtenderet ſummam potius Dei longanimitatem & patientiam ea in re cerni, quam ut propter ipſorum contumaciam difficiliorem illis ad Chriſtum aditum fecerit, ut tanto majori virtute, ſi nimirum has difficultates eluctarentur, præteritam culpam expiarent, & ut hanc virtutem exercere poſſent, pœnas tanta patientia differat, & ſi in contumacia ſua, ut veriſimillimum erat, perſtarent, occaſionem haberet tarditatem pœnarum gravitate compenſare, ac proinde illuſtri pœnæ exemplo edito potentiam ſuam omnibus notam facere, quomodo quondam fecerat in perdendo Pharaone. Vaſa iræ reſpondent vaſis in ignominiam, & vaſa pœnæ deſtinata.

*Præparata in perditionem.* Maluit dicere Apoſtolus præparata, quam quæ præparavit; ſiquidem Deus illos ita præparavit ad perditionem, ut illi ſeipſos multo magis præparaverint, ſua nimirum incredulitate. Factum id quidem eſt Dei decreto, ſed non abſoluto, verum conditionato. Conditio autem fuit incredulitas ex libera voluntate profecta. Dum autem illos vocat præparata, id eſt vaſa, alludit ad figuli illius actionem.

Verſ. 23. *Et ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ.* Hæc verba alium finem indurationis iſtius exprimunt, qui ex priori illo fine profluit. Debent autem cum illis conjungi ἵνα γνωρίσῃ; niſi quod illa per infinitivum cum participio ἵνα, hæc autem per ſubjunctivum cum particula *ut* fuerint elata. Ex illa autem pœnæ gravitate, quæ indurationem hanc & Dei longanimitatem ſecutura erat, quemadmodum ſeveritas & patientia Dei elucet; ita etiam per eam ejus contrarium illuſtratur, id eſt benignitas ac clementia erga homines credentes.

*Divitiæ*, id eſt benignitas, bonitas, *gloriæ*, id eſt glorioſæ, quæ ad gloriam ejus vergunt ac ſpectant, eamque mirifice illuſtrant, adeo ut quemadmodum pœnarum gravitas, ſic etiam divitiæ ſeu bonitas Dei ad gloriam ejus ſpectent.

*Super vaſa miſericordiæ.* Quibus miſericordiam ſuam deſtinavit & addixit. Hæc autem vaſa ſunt omnes credentes ſeu vocati, ut ſtatim indicat Apoſtolus.

*Quæ præparavit.* Nam id Deo dignius eſt præparare ad gloriam, quam ad ignominiam & interitum. Et præterea non ſolum ea ratione credentes præparat Deus ad gloriam, quod illis gloriam deſtinavit, ſed etiam quod ut crederent effecerit, miſſo illis Euangelio, variis miraculis certiſſimiſq; argumentis confirmato, quibus nemo niſi pertinax & præfractus reſiſtere poteſt. Verbum autem προητοίμασεν oſtendit decretum jam ante de credentibus ſervandis a Deo factum. Ex hoc autem Paulino diſcurſu, in quo agit de cauſis propter quas credentes in Chriſtum juſtificentur & ſerventur, apparet vanum eſſe commentum illud de merito & ſatisfactione Chriſti, cum nullam prorſus ejus faciat mentionem, quam tamen nullo modo omittere potuiſſet, ſi alii propterea juſtificarentur & ſervarentur quod pro iis Chriſtus ſatisfecerit, alii vero non ſervarentur quod ad

eos me-

eos meriti Chriſti vis & efficacia non pertineat. Sed unicam iſtius rei cauſam docet eſſe liberam & abſolutam Dei voluntatem, cui poteſtas eſt in ſuum lutum, ut poſita ea conditione quam requirit, ex eo faciat vas in honorem, remota autem hac conditione, faciat ex eo vas ad ignominiam. Cum autem Deus dicitur iraſci vaſis iſtis ad ignominiam formatis, eo ipſo Calviniſtica prædeſtinatio refutatur. Quomodo enim iis iraſci Deus poteſt, ſi ipſemet iſtius rei unica eſſet cauſa? Figulus certe luto non iraſcitur, cum ex illo vas ad ignominioſos format uſus: rurſum nec Deus iraſceretur hominibus, ſi abſque illorum omni culpa deſtinaret eos peccatis & pœnis. Dum ergo illis iraſci dicitur, indigitatur, eos Deo cauſam dediſſe pœnæ, eamque fuiſſe commeritos. Quomodo itidem diceretur eos multa longanimitate ferre, ſi abſoluto Dei decreto æterno devoti exitio, nullo modo poſſent reſipiſcere? Quam longanimitatem in eos exerceret Deus? Qua clementia uteretur? Quomodo tandem eos ſine ullo merito eorum, ob ſolum decretum & voluntatem ſuam, præparaſſet in perditionem, id eſt omnium graviſſimam extremamque pœnam.

Verſ. 24. *Quos & vocavit nos.* Hic exprimitur, quæ ſint iſta vaſa illi gloriæ deſtinata. Pronomen ἡμᾶς *nos*, eſt tranſpoſitum, & perinde eſt, ac ſi dixiſſet Apoſtolus; ſuper vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam, quæ vaſa ſumus nos. Quos autem per hoc pronomen deſignet, cuivis patet, homines nempe in Chriſtum credentes. Cauſam iſtius rei indicare volens addit, quos & vocavit. Quaſi dicat, utpote quos vocavit. Hic ſoli Chriſtiani dicuntur a Deo eſſe vocati; cum tamen & alii vocentur, imo non Chriſtiani proprie & primo: ſiquidem tunc, cum vocantur, Chriſtiani nondum ſunt, ſed per vocationem demum fiunt. Verum notandum eſt, duplicem eſſe vocationis ſignificationem, vel, ſi mavis, vim: unam, nondum poſita in eo qui vocatur conditione illa quæ ab eo requiritur; alteram, poſita jam conditione. Priori modo vocantur homines ſimpliciter, poſteriori modo ſoli vocantur Chriſtiani. Atque hoc eſt quod ſuperius dixit, eos qui Deum diligunt eſſe ſecundum propoſitum (id eſt, decretum jam ante factum de hominibus ſervandis) vocatos, id eſt, tales vocatos, qui eam conditionem jam in ſe habent, quam Deus in προθέσει ſua de hominibus ſervandis includit: ideoque ſtatim ſubjicit Apoſtolus, eos eſſe præapprobatos: & infra ait: *Quos autem vocavit eos & juſtificavit.* Quemadmodum autem ſuperius oſtendit, Deum in ſervandis & juſtificandis hominibus non teneri reſpicere ad carnalem ex Abrahamo propagationem: ſic hoc loco, ubi id quod generalius antea dixerat, ad ſpeciem ac materiam ſubjectam accommodat, ſeu, ut loquuntur, theſin ad hypotheſin tranſfert, eum etiam ad eam non reſpexiſſe affirmat, cum addit:

*Non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus.* Dum autem ait, ex Judæis, innuit multos Judæorum, imo longe maximam partem, a Deo non eſſe vocatos, id eſt, cum eam conditionem non fuerint amplexi, ſub qua homines ad ſalutem invitantur, licet eam amplecti omnes potuiſſent, ex Dei conſilio eos etiam non pertinere ad ſalutem, & illis tanquam genuinis hoſpitibus nuptias illas non eſſe paratas, ita ut qua tales ſunt ad eas venire queant, & epulis cœleſtibus perfrui. Non enim tales, hoc eſt, ſub tali conditione fuerant invitati: fuerunt tamen aliqui ex Judæis, qui fidem amplexi a Deo ſaluti fuerant deſtinati. Quia vero nihil novum erat Judæos ad ſalutem vocari, propterea etiam Paulus hoc præſuppoſito probat de gentibus, eas ad ſalutem vocatas eſſe, utpote quod hoc per Prophetas fuerat prædictum.

Verſ. 25. *Quemadmodum & in Oſea dicit: Vocabo non populum, populum meum, & non dilectam, dilectam.* Hæc Prophetia ſenſu literali de populo Iſraëlitico intelligi debet, de quo Petrus quoque, quanquam cæteroqui myſtice hæc verba ſumit, ea citat 1 Pet. 2. 10. Verum ſenſu myſtico longe melius quadrat in Ethnicos, qui plane populus Dei non erant. Iſraëlitæ autem ſemper erant Dei populus, etiamſi Deus cum illis non ſemper tanquam cum populo ſuo, utpote pœnas commeritis, egerit. Huic etiam per Moſen fuerat pollicitus, ſe eorum inter varias gentes diſperſorum fore memorem. Verbum autem *vocabo* hoc loco ſignificat appellabo, nominabo, non verbis tantum; ſed multo magis reipſa: habebo eos pro populo meo, & ita cum illis agam tanquam cum populo meo. Alluditur autem ad id, quod propheta juſſus eſt vocare filium ſuum, *Non populus*, & filiam ſuam, *Non dilectam*, ſeu *ſine miſericordia*: quæ res typus erat ejus rei, quæ populo Iſraelitico evenire poterat, eum a Deo habitum iri non pro populo ſuo, & fore ſine miſericordia. Sunt autem hæc verba Oſeæ 2. 23.

Verſ. 26. *Et erit in loco ubi dictum eſt ipſis, non populus meus vos, ibi vocabuntur filii Dei viventis.* Alterum teſtimonium ex eodem propheta citat, & ejuſdem rei ex cap. 1. 10. *Et erit*, id eſt, eveniet, nempe hoc quod ſubjungitur, eos vocatum iri filios Dei ibi, ubi illis dictum fuit, non populus meus vos. Hæc verba per Mimeſin de Deo dicuntur.

*In loco.* Id eſt, in illis locis & regionibus. Intelliguntur a Paulo regiones illæ in quibus gentes illæ habitent. Cæteroqui viderentur verba Prophetæ ita accipi poſſe, ac ſi dictum eſſet: loco ejus quod dictum eſt illis. Appellatio autem filiorum Dei viventis manifeſte indicat, ſenſum myſticum iſtis prophetæ verbis ſubeſſe. Hoc enim adeo auguſto nomine, quod aliud beneficium dignum eſſe poterat, quam quod per Chriſtum hominibus contigit? Soli Chriſtiani hac appellatione ſunt digni.

Verſ. 27. *Eſaias autem clamat.* Poſtquam teſtimoniis prophetarum probavit gentium vocationem, occurrere volens tacitæ objectioni, probat, teſtimoniis itidem prophetarum productis, prædictum fuiſſe, paucos admodum Judæorum ſervatum iri (quod ſupra verſ. 24, ut ibi monuimus, indicaverat.) Poterat aliquis cogitare; ſi fides in Chriſtum eſſet medium conſequendæ juſtificationis, & quidem tale, ut etiam gentes per illud æternam ſalutem conſequi videantur, qui fieri poteſt, ut tam pauci Judæorum in Chriſtum crederent? An permiſſurus eſſet Deus tantam multitudinem gentium, & e contrario tantam Judæorum paucitatem ſervari, adeoque nullam, aut exiguam admodum Judaicæ gentis habiturus rationem eſſet? His igitur cogitationibus ut occurreret Apoſtolus, oſtendit, quemadmodum gentium vocationem, ſic etiam ſummam paucitatem eorum, qui ex Judaico populo ſervari deberent, fuiſſe a prophetis prædictam. Quam in rem ſumta ex Eſaia Propheta citat teſtimonia, prius ex cap. x, poſterius ex primo. Dicit Eſaiam *clamare*, id eſt, apertiſſime teſtari, vel magna cum contentione id inculcare, ingeminando nimirum in textu vocem hanc reliquiarum, *reliquiæ convertentur*, vel, ut eſt in Græco, *ſervabuntur.*

*Etiamſi numerus filiorum Iſrael* &c. Agitur in textu, quod ad ſenſum literalem attinet, de Iſraelitarum calamitate & clade per Regem Aſſyriorum inferenda, cui pauci admodum ſuperfuturi erant: ſenſu autem myſtico ſignificatur hæc ſpiritualis clades, qua Iſraelitæ affecti fuerunt rejecto Chriſto. Quantula enim eorum qui crediderant fuit particula, reſpectu infinitæ multitudinis eorum, qui credere noluerunt! adeo ut hoc ſenſu longe veriſſimum ſit, reliquias tantum aliquas fuiſſe ſervatas.

Verſ. 28. *Λόγον enim conſummans & concidens in juſtitia.* In Hebræo eſt: *Conſummatio deciſa inundat juſtitiam*, id eſt, conſummatio ſeu abſolutio per internecionem Judæorum, inundabit, id eſt obruet juſtitiam, hoc eſt, divinam benignitatem & clementiam: hoc eſt, tanta erit Judæorum clades, ut divina erga eos clementia ac benignitas non ſit aſpiratura. Jam videamus, quis ſit Græcorum ſenſus. Λόγος hoc loco ab omnibus interpretibus ſumitur pro *re*: quomodo & Lucas hanc vocem uſurpare videtur Actor. 10.36: nam pro hac voce λόγος verſu ſequenti ſubſtituit vocem ῥῆμα. Participia porro, conſummans & concidens, pro verbis ſunt poſita, id eſt, conſummabit, concîdet. Quod ſi ad Hebræorum verborum ſenſum hæc verba accommodare voluerimus, ſenſus erit; rem conſummabit & concîdet *in juſtitia*, ratione juſtitiæ, id eſt, juſtitiam conſummabit & concidet ita, ut juſtitia ſit iſtius conſummationis & conciſionis ſubjectum. Sed probabilius eſt, Græcos interpretes alium ſenſum exprimere voluiſſe, qui verbis magis convenit. Λόγον, id eſt, rem: res autem iſta eſt populus Judaicus, ſeu populi iſtius numerus & multitudo. *Conſummabit*, ſeu potius *conſumet*. Conſummatio enim hoc loco non ſignificat perfectionem alicujus rei, ſed potius terminum & finem; ut cum dicitur conſummatio ſeculi. Conſumet, inquit, populum Iſraeliticum & concîdet, hoc eſt, decurtabit, detruncabit. Emollit quodammodo prius verbum, oſtendens, non plane ad unum omnes perituros, ſed tantum valde imminutum iri.

*In juſtitia.* Id eſt, juſte, non fiet illis ulla, dum tanta clade afficientur, injuria; quemadmodum ſane alicui videri poterat: jure illis id accidet. Rem eandem ingeminat Propheta. Ὅτι λόγον. Ὅτι ponitur *πρόγαρ*.

*Super terra.* Primum quidem Iſraelitica, ſed conſequenter etiam ſuper univerſa terra quam Judæi incolebant, qui omnes ad terram Iſraeliticam, tanquam patriam ſuam pertinebant. Senſu literali ſuper terra Iſraelitica; ſenſu myſtico ſuper tota terra, quam variis in locis diſperſi Iſraelitæ incolebant.

Verſ. 29. Aliud teſtimonium citat: *Et quemadmodum prædixit Eſaias.* Scilicet, ſic eveniet. *Eſaias.* Quaſi dicat, idem Propheta. Nam ex eodem prius teſtimonium fuerat citatum.

*Niſi Dominus exercituum nobis reliquiſſet ſemen.* His ſimiliter verbis prædicitur, exiguam quandam Iſraelitarum portionem ſuperſtitem futuram, quæ ſit inſtar frumenti alicujus, quod in ſemen reſervari ſolet. Hæc autem portio eſt eorum, qui crediderunt in Chriſtum.

Ὡς Σόδομα *facti fuiſſemus, & ὡς Γόμορρα aſſimilati fuiſſemus.* Niſi illud fuiſſet factum, non aliter periiſſemus ac Sodomitæ & Gomorrhæi, quorum ne unus quidem ſuperfuit. Oſtendit Propheta, parum admodum abfuiſſe, quin ſimili perirent excidio, Sodoma autem & Gomorrha urbes ſignificant vulgo notas.

Verſ. 30. *Quid igitur dicemus?* Ex his igitur quæ hactenus diſſeruimus, oſtendentes tum rationibus, Deo liberum eſſe ſolos credentes ſervare, cæteros autem omnes, qualeſcunque tandem ſint, damnare; tum Sacræ Scripturæ teſtimoniis, gentes ad ſalutem vocari debuiſſe, Iſraelitarum autem pauciſſimos, cum plerique increduli futuri eſſent, debuiſſe ſervari: quid inquam hinc concludemus?

Hoc nimirum, *quod gentes quæ non ſunt ſectatæ juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam.* Id eſt, gentes juſtificatas eſſe, etiamſi nunquam antea fuerant ſolicitæ de juſtificatione, utpote quæ fuerunt ſine Deo. Sed quomodo potuerunt illam aſſequi, ſiquidem omni peccatorum genere fuerunt pollutæ?

*Juſtitiam verò quæ eſt ex fide.* Quaſi dicat, conſecutæ ſunt juſtificationem ex fide, non vero ex ſervata Lege profectam. Hæc ergo eſt una pars concluſionis. Altera eſt quam ſubjungit:

*Iſrael vero perſequens legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit.* Iſraelitæ autem, cum de conſequenda juſtificatione coram Deo eſſent tota vita ſoliciti, & eam omnibus modis quærerent, eam tamen conſecuti non ſunt, ſed peccatorum ſuorum pœnas ſunt daturi, & damnationem ſubituri. Cum autem dicit, legem juſtitiæ, an per legem jus ſignificare voluit? an legem juſtificantem, ſeu quam putarunt juſtitiam ſibi allaturam: an eſt tranſpoſitio caſuum, ut νόμον δικαιοσύνης idem ſit quod δικαιοσύνη νόμου. Sed quia hæc res mira erat, illos qui nunquam de juſtificatione ſoliciti fuerant, eam fuiſſe adeptos; iſtos vero qui tota vita ſua anhelarunt ut eam conſequerentur, ea excidiſſe: propterea ut illic, ita hic quoque cauſam iſtius rei ſubjungit:

Verſ. 32. *Quamobrem? quod non ex fide.* Quemadmodum illi juſtitiam ſunt conſecuti propterea quod fidem ſunt amplexi; ita hi ea excidunt, quod fidem amplecti noluerunt. Atque hæc eſt vera cauſa, cur Judæi, ſeu alii quicunque homines damnentur: non quod æterno exitio, ſola Dei voluntate & arbitrio, fuerunt devoti; ſed quod fidem amplecti noluerunt: quos omnes Deus, ut jure potuit, ita etiam voluit, quicunque tandem ſint, damnare. Itaque tale ex toto hoc capite formari poteſt argumentum: Quicunque in Chriſtum non credunt, etiamſi ex Abrahamo prognati fuerint, etiamſi neſcio quibus meritis & operibus excellant, damnabuntur. (Hanc propoſitionem Apoſtolus oſtendit nihil prorſus continere abſurdi, ex eo, quod liberrimum ſit prorſus Deo hac ratione agere.) Judæi in Chriſtum non credunt: Ergo Judæi damnabuntur. Et contra: Quicunque in Chriſtum credunt hi ſervabuntur. Gentes in Chriſtum credunt: Ergo ſervabuntur.

Quomodo vero Judæi ſectati ſunt juſtitiam, ſiquidem eam per fidem non ſectantur? *Tanquam ex operibus Legis.* Poterat ſimpliciter dicere Apoſtolus, ex operibus Legis. Nam qui poſt revelatam in Chriſtum fidem nihilominus ex operibus Legis, quatenus nimirum fidem non includunt, juſtificationem quærit, juſtificationem non invenit. Sed ne hoc quidem iis largari voluit Apoſtolus, eos ex operibus Legis revera juſtitiam quærere; (id eſt, opera Legis, qualia nimirum Lex requirit, habere) ſed tantum videri quærere; cum revera operibus Legis ſint deſtituti, multorumque peccatorum rei poſſent peragi. Ideo dixit:

*Tanquam ex operibus Legis.* Addit cauſam, cur non quærant ex fide juſtificationem Judæi. Mirum enim videri alicui poterat, quomodo id fieri queat,

Judæos

Judæos fidem non amplecti; ſiquidem per eam juſtificatio contingat.

*Offenderunt enim ad lapidem offendiculi.* Chriſtus dicitur *Lapis offendiculi*, quod multa cum in ipſo Chriſto, tum in ejus doctrina fuerint & ſint, quibus homines vel prorſus mali, vel obſtinati ac pertinaces (in alterutro autem genere Judæi increduli erant, vel etiam in utroque) poterant offendi. In ipſo quidem Chriſto externa quædam vilitas, & quod ſummum eſt, mors ejus adeo ignominioſa. In doctrina vero, quod crucem omnibus ferendam oſtendat, quod mundum diligere vetet, quod aliam juſtitiæ conſequendæ rationem, quam quæ ſub Lege fuit tradat, quod ceremonialia Legis præcepta abroget, circumciſionem & nationum diſcrimen tollat, fidem in eum qui crucifixus fuit urgeat, & ſimilia.

Verſ. 33. Sed dicere quis poterat: quomodo Chriſtus potuit eſſe lapis offendiculi? an hæc res Chriſto digna fuit? Imo vero inquit Apoſtolus: ita enim ſcriptum eſt: *Ecce pono in Sione lapidem offendiculi & petram ſcandali.* Duo Prophetæ Eſaiæ loca conjunxit Apoſtolus, in quorum uno, nempe cap. XXVIII. 16 dicitur id quod prius commemoratur de lapide in Sione ponendo, in altero vero cap. VIII. 14 ait Propheta de lapide offendiculi ſeu petra ſcandali. Et in priori quidem intelligitur Chriſtus, in poſteriori autem ipſe Deus. Ad Chriſtum tamen eum accommodat, quod ſenſu myſtico Deus in Chriſto debebat eſſe *Lapis offendiculi*, allato præſertim prius loco, in quo Chriſtus quoque ipſe *Lapis* vocatur. Non ergo Chriſto vere imputari debet, quod Judæi in ipſum non credant; ſed illis ipſis qui ad hunc lapidem miſeri impingunt, qui, ſi boni & animo ſincero ac candido, ingenioque tractabili eſſent, nunquam ad eum impingerent. Licet autem Chriſtus lapis ſit offendiculi, & multa habeat quæ improborum mentes ab illo alienare queant; interim tamen pretioſiſſimus eſt iſte lapis.

Eſt quidem *Petra ſcandali*, & multi in eum impingunt: at vero, *Et omnis qui credit in ipſum* &c. *Et* videtur poſitum pro *at*. Redit ad priorem locum cap. XXVIII, quia hoc valde ad Apoſtoli inſtitutum pertinebat. Hoc enim teſtimonio oſtendit, jure eos damnari qui in ipſum non credunt, & contra eos juſtificari qui credunt; vel injuria Judæos ipſos fuiſſe offenſos, in eumque credere noluiſſe: ſiquidem *omnis qui in eum credit non confundetur*. In textu non habetur particula *omnis*, ſed ſubintelligitur. Cum enim dicimus, *qui credit*, idem eſt ac ſi diceremus, *quicunque credit*. *Credit*, id eſt, illi tanquam lapidi firmiter innititur.

*Non confundetur.* In Hebræo eſt, (a) *non feſtinabit*; in Græco *non confundetur*: cujus rei hæc videtur eſſe cauſa, quod Græci aliter legerunt in Hebræo. Quod facile fieri potuit, ſiquidem verbum Hebræum una tantum litera mutata vel inclinata, utrumque ſignificare poteſt. Nam *jatiſch*, quod in vulgatis codicibus legitur, ſignificat *feſtinabit*, vel *feſtinare faciet*, ſcilicet *ſe*, *jachiſch* vero *pudefiet*, vel *pudefaciet*, nimirum *ſe*, ut pro reciproco, vel potius neutro ſit poſitum; quod in conjugatione *Hiphil* creberrime accidit. Aliam quandam rationem explicuimus 1 Pet. 2. 6.

(a) *Non feſtinat, qui non dubitat de promiſſa ſalute, etiamſi in adventum Chriſti uſque differatur.*

## CAP. X.

### ARGUMENTUM.

*Pergit Apoſtolus in explicanda cauſa propter quam Judæi juſtificatione excidant, quæ eſt, quia fidem in Chriſtum amplecti nolint, quæ nunc eſt unica adipiſcendæ juſtificationis via: idque non eſſe factum defectu vocationis divinæ, quaſi illis Euangelium non fuerit clare annunciatum; ſed ipſorum contumacia. Interim autem dum hoc poſterius exſequitur, oſtendit eam juſtificationis adipiſcendæ rationem quæ eſt per fidem, non tantum Judæis, ſed etiam Gentibus eſſe communem, ac proinde non tantum illos, ſed & has per Euangelii præcones eſſe vocandas, atque adeo reipſa vocatas eſſe. Libenter enim Paulus, cum de rejectione Judæorum loquitur, de Gentium vocatione & receptione in gratiam ſimul diſſerit, ut ſui muneris, qui ad eas vocandas nominatim miſſus fuerat, rationem reddat, idque defendat. Quia vero iterum rem ingratam & inſuavem Judæis dicturus erat, propterea denuo præfatur, quemadmodum in initio ſuperioris capitis fecerat, & teſtatur, ſe non odio aliquo in Judæos correptum, (ut qui Legis eſſet inimicus aut Apoſtata, quemadmodum paſſim audiebat) hæc ſcribere; quin potius amore ac benevolentia ſe Judæos proſequi, ac pro iis ad Deum preces fundere.*

Verſ. 1. FRatres. Chriſtianos alloquitur. *Beneplacitum quidem mei cordis.* Ἡ εὐδοκία ſumitur hoc loco pro benevolentia & animi propenſione. Reſpicit autem ad verba Græca ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ, id eſt, ob bonum & commodum Iſraëlis: quaſi dicat, cupio illis ex animo ſalutem.

*Et precatio mea.* Non ſolum animi mei affectu eos proſequor, ſed etiam preces meas pro illis ad Deum fundo & interpono; idque *in ſalutem*. Particulâ autem μὲν, indicat ſermonem Pauli eſſe ἀνακαινικὸν πάθους, & eſſe aliquid ſubaudiendum, quod Apoſtolus aperte non ſubjicit, ſed in iis quæ paulo poſt ſequuntur ſatis exprimit. Quaſi dicat: Verum quidem eſt me illos ſummo ſtudio proſequi, & pro iis eorumque ſalute preces fundere, interim dicere cogor id quod res eſt, nempe eos non rectam viam ingredi ad conſequendam juſtificationem, ac proinde eam adepturos non eſſe. [Vel, verum eventus voto non reſpondet, cum rectam juſtitiæ conſequendæ rationem & viam non ingrediantur.]

Verſ. 2. *Teſtor enim ipſis.* Cauſam affert ſuæ erga Judæos benevolentiæ, & eos aliquo modo laudat, ne illis omnia derogare velle videatur.

*Quod Dei zelum habeant.* Zelus Dei eſt ſtudium ejus rei quam quis Deo probari exiſtimat; qualis erat Jex; cujus ſtudio Judæi fervebant. Sic ipſe Paulus ad Gal. 1. 14 dicit, ſe per excellentiam fuiſſe zeloten patriarum traditionum Act. 22. 3, *zeloten Dei*, & addit *quemadmodum vos omnes hodie eſtis*. Fatetur igitur Apoſtolus, illos habere bonam intentionem; ſed rurſus oſtendit quid eis deſit, cum addit:

*Sed non ſecundum ſcientiam.* Zelus eſt per ſe bonus, ſed, cum ſcientia non dirigatur, in eam rem non tendit quæ vere Deo probatur, adeoque in objecto errat. Hoc dicto aditum ſibi ſtruxit ad dicendum id

quod principale eſt, nempe Judæos veram juſtificationis adipiſcendæ rationem non amplecti, cum *zelum non ſecundum ſcientiam habeant*.

Verſ. 3. *Ignorantes enim illam Dei juſtitiam.* Quia Dei juſtitiam ignorant & quæ ſequuntur, Per *juſtitiam* intelligi debet juſtificatio, vel potius juſtificationis conſequendæ modus & ratio, ut verſ. 5. *Juſtitia* autem *Dei* vocatur, tum quod ab ipſo Deo & ejus gratuita voluntate pendeat & proficiſcatur, non vero ex hominum merito; tum quod ab ipſo Deo tradita ſit & præſcripta. Huic opponitur juſtitia propria, id eſt quæ ab hominum meritis pendeat, & quæ non Deum habet autorem, ſed ab hominibus eſt conſtituta. Poſtquam enim Deus aliam juſtificationis conſequendæ rationem per Chriſtum præſcripſit, vetus illa in Lege tradita, & per Euangeliam antiquata, pro hominum commento potius, quam pro divino inſtituto cenſeri debet. Judæi vero omnem lapidem movebant, ut hæc juſtificationis conſequendæ ratio obtineret: quod dum fecerunt,

*Juſtitiæ Dei non obedierunt.* Id eſt, eam conſequendæ juſtitiæ rationem quam Deus præſcribit, non ſunt amplexi, eique ſe non addixerunt; ac proinde juſtificatione illis excidendum eſt. Sed poterat aliquis cogitare, Judæos non aliam juſtificationis conſequendæ viam ſequi, quam quæ olim per Legem fuit tradita; quæ cum ſit a Deo lata, fieri non poſſe ut juſtitiam Dei ignorent, & ſuam propriam ſtabiliant, divinæque juſtitiæ ſubjecti non ſint.

Verſ. 4. Huic cogitationi occurrere volens Apoſtolus ſubjicit: *Finis enim Legis Chriſtus.* Propterea hoc dico, & nolo ut id quenquam turbet quod ſic loquar de Judæis, qui Legem hac in parte ſequuntur; quia Legis Chriſtus finis ſit, eoque exhibito Lex ceſſare debeat: itaque qui ab eo tempore Legis juſtificationem urget, non Dei, ſed ſuam juſtitiam urgere cenſendus ſit. Chriſtus finis eſſe dicitur Legis, tum quod Lex ad eum tanquam ſcopum ſuum collimet, ad eumque homines adducat, quemadmodum ait Apoſtolus Gal. 3. 24, *Legem fuiſſe pædagogum* Judæorum *ad Chriſtum*, (per Legem enim homines prima rudimenta ponebant, & ad perfectiorem ac magis ſpiritualem obedientiam præparabantur, per Legem aſperius ac durius tractabantur, ut tanto promptioribus animis diſciplinæ Chriſti ſuavitatem amplecterentur) tum quia Chriſtus ei finem imponat: nam omnis finis eſt extremum, licet non omne extremum ſit finis. Ideo etiam finis dicitur, quod rem finiat. Quare ſi Chriſtus eſt finis Legis, & Lex tanquam medium ad Chriſtum veluti finem ſuum refertur, eo exhibito medium ceſſare oportet. Chriſtus hoc loco non ſolum Chriſti perſonam ſignificat, ſed potius religionem Chriſtianam a Chriſto præſcriptam. Hæc poſtquam venit, amplius ſub pædagogo non ſumus, ut in illo ad Galatas citato loco loquitur Apoſtolus.

*In juſtitiam omni credenti.* Quaſi dicat: qui Chriſtus, poſtquam orbi datus, non aliam conſequendæ juſtitiæ rationem tradidit, quam per fidem, adeo ut quicunque fidem habeat juſtificandus ſit. Non enim venit ut Legis illam juſtitiam ſtabiliret, & homines tantum ad Legi magis parendum adduceret, ſeu efficeret ut Lex magis ab hominibus ſervetur; ſed ut omnis quicunque credit, etſi Legis opera non habeat, juſtificetur. Cum ergo Judæi hanc conſequendæ juſtitiæ, quam Chriſtus attulit, rationem non amplectantur, hinc fit, ut non eo modo quo Deus homines juſtificare vult, ſed quo ipſis videtur, juſtificationem quærant; ac proinde eam non aſſequantur. Videtur deinde Apoſtolus illum juſtificationis conſequendæ modum, qualem Lex præcipit, cum eo quem Chriſtus promulgavit conferre velle, & offendere, quantum hic illo præſtet: ac proinde tacite cauſam indicare, cur a Chriſto alius iſte modus fuerit tradendus. Id autem facit Apoſtolus occaſione duorum illorum verborum, *omni credenti*: & primo quidem loco id conſiderat, quod in Chriſto credentes juſtificantur: deinde quod omnes nullo gentis diſcrimine. Ex priori autem patet, longe faciliorem eſſe rationem conſequendæ juſtitiæ per fidem in Chriſtum, quam per eam quæ a Lege tradita eſt, ac proinde illam huic longe præferendam. Qualis vero ſit iſta quam Lex tradit, docet ex Moſe, & oſtendit quam ſit difficilis præſtatu.

Verſ. 5. *Moſes enim ſcribit juſtitiam quæ eſt ex Lege. Scribit* pro deſcribit, *juſtitiam*, id eſt rationem juſtitiæ aſſequendæ.

*Quod qui fecerit ea homo vivet in eis. Ea*, id eſt quæcunque Lex præcipit. Facere autem ea quæ Lex præcipit, eſt nullum unquam legis præceptum violare: Lex enim actus omnes peccatorum vetat.

*Vivet in eis.* Eorum vi. Unde apparet, perfecte illam ſervandam eſſe, ſi quis per eam vitam velit conſequi. Apparet autem Apoſtolum ſic ſumere juſtificationem, ut vitam includat. Nam alioquin non ſequeretur, ad vitam conſequendam requiritur perfecta obedientia Legis: ergo etiam ad juſtificationem; quo tamen modo hic argumentatur Apoſtolus. Licet enim juſtificatio ſua natura nihil ſit aliud, quam immunitas ab omnibus pœnis peccato debitis, vel ſaltem nihil aliud neceſſario in ſe complectatur, (eſt enim juſtificare quempiam ita tractare, ut juſtum ac innocentem tractare convenit) ex decreto tamen & voluntate divina præmium etiam obtinet: ſiquidem ſic viſum eſt benigniſſimo Deo noſtro, juſtos non tantum non punire, ſed etiam paterno amore ac favore proſequi, & multa in eos beneficia conferre; quorum ſummum & extremum eſt æterna vita, quæ antequam hominibus detur, nondum plena eſt juſtificatio. Per vitam autem, ſenſum Legis myſticum ſecutus, intelligit Apoſtolus vitam æternam; ſiquidem eam contineri vult in juſtificatione. Inter juſtificationem autem per Legem, & inter juſtificationem per Fidem non videtur Apoſtolus ullum diſcrimen conſtituere, quod ad ejus naturam & eſſentiam attinet; ſed tantum inter modum eam adipiſcendi.

Verſ. 6. Poſtquam ex Moſe docuit quid juſtitia quæ ex Lege eſt requirat, ſeu quis ſit eam adipiſcendi modus, nempe arduus admodum & difficilis, nunc etiam oſtendit, quam facile ſit id quod juſtitia per fidem requirit exequi. *Illa vero ex fide juſtitia ſic dicit.* Inducit per proſopopœiam juſtitiam ex fide loquentem, & oſtendentem quam facile ſit id quod illa requirit. Inducit autem loquentem verbis ex Lege mutuatis, quibus Moſes facilitatem quandam Legis ob oculum ponit, reſpectu cognitionis nimirum, oſtendens facilem eſſe cognitu Legem, nec opus eſſe ut vel ex cœlo ejus notitia petatur, vel ultra mare quiſpiam ejus cognoſcendæ cauſa proficiſcatur. Quare mirum hæc verba quæ de facilitate cognitionis quæ in Lege erat, ut diximus, agunt, ab Apoſtolo, ad facilitatem juſtitiæ fidei accommodantur, idque tanto meliori jure, quod ex facilitate cognitionis facilitas etiam fidei ipſius, & eorum quæ hanc neceſſario conſequuntur, pateat. Si enim facile eſt cognoſcere veritatem eorum quæ credenda ſunt, facile

etiam

etiam eſt ea credere, facile item ea facere ad quæ facienda fides illa unumquemque neceſſario impellit. Notandum autem eſt, quod Apoſtolus hæc verba Moſis non citet, ſed tantum ad inſtitutum ſuum accommodet. Id autem quod intendit Paulus partim negative exequitur, partim affirmative; ſeu partim in antitheſi, ut loquuntur, partim in theſi. Oſtendit enim primum, quam non ſit difficile id quod juſtitia fidei requirit; deinde vero in altera verborum parte, quam ſit facile & pronum.

*Ne dicas in corde tuo, quis aſcendet in cœlum?* Id requirit hæc juſtitia, ut credas te aliquando in cœlum aſcenſurum, & illic beatitate æterna perfruiturum. At vero ne cauſeris quidpiam, ac ſi hoc creditu admodum arduum ac difficile ſit, nec in animo tuo ejuſmodi cogitationes volvas, quis poteſt in cœlum aſcendere, quod adeo eſt ſublime? neque hanc rem pro impoſſibili habeas.

*Hoc eſt Chriſtum deducere.* Subaudienda eſt particula *enim* poſt pronomen *hoc*, quaſi dicat: (ut prius hunc ſenſum iſtorum verborum explicemus) ideo hoc non debes apud animum tuum cogitare, & in cœlos aſcenſum pro re impoſſibili, ac proinde non credenda habere; quia hoc non potes cogitare, niſi velis Chriſtum ex cœlo deripere, ſeu, eum in cœlos aſcendiſſe negare: quod tamen adeo manifeſtum eſt, ut non niſi a præfracto homine negari queat.

Verſ. 7. *Aut quis deſcendet in abyſſum?* Id etiam requirit hæc juſtitia, ut credas te aliquando ex abyſſo ſeu inferno emerſurum. Apud Moſen eſt, *quis tranſibit mare?* Paulus autem ſuo inſtituto verba accommodans, & eleganter mutans, pro tranſitu ponit deſcenſum, pro mari abyſſum; quandoquidem mare eſt abyſſus quædam, ſeu aquarum vorago & profunditas.) At ne dicas vel cogites, rem hanc eſſe creditu difficilem, ſic ut dicere poſſis: *quiſnam deſcendet in abyſſum?* ut ſcilicet inde redux oſtendat nobis dari ex eo reditum. Nam hoc ſubaudiri debet: alioquin nemo dubitat homines in abyſſum deſcendere. *Facilis deſcenſus Averni*, inquit *ille*; *Sed revocare gradum, ſuperaſque reſurgere ad auras, Hoc opus, hic labor eſt:* ac proinde de hoc non de illo dubitatio erat.

*Hoc eſt Chriſtum ex mortuis reducere.* Ideo ſic dicere & cogitare non debes, quia hoc eſt Chriſtum ex mortus denuo reducere, id eſt reſurrexiſſe negare. Qui enim a mortuis reducitur, ille adhuc mortuus eſſe ponitur, non enim niſi mortui ex mortuis reduci poſſunt. At qui Chriſtum adhuc mortum eſſe ponit, reſurrexiſſe negat. Chriſtum autem reſurriſſe nemo itidem niſi præfractus negare poteſt. Quemadmodum ſuperius Chriſtum deducere, ſcilicet de cœlo, ſignificat Chriſtum in cœlum aſcendiſſe negare; ita hic Chriſtum ex mortuis educere nihil aliud eſt, quam eum jam inde eductum fuiſſe negare. Sed etiam alius horum verborum ſenſus eſſe poteſt, ſic, ut in verbis τοῦτ' ἔστι non ſit opus ſubaudiri particulam γάρ; ſed ut ſequentia reſpondeant Latinæ particulæ *nempe*, quemadmodum & ſequens verſ. 8, & infinitivi *deducere* vel *educere* per ſubjunctivum & per ſupinum, vel denique (nam res eodem recidit) per futurum participii efferantur, hoc modo: *Quis aſcendet in cœlum?* hoc eſt, vel nempe, ut Chriſtum inde deducat, ſeu Chriſtum inde deductum, vel deducturus? *& quis deſcendet in abyſſum*, nempe Chriſtum ex mortuis reductum, ſeu ut reducat, vel reducturus? Juſtitia igitur ex fide dicit, non eſſe rem creditu impoſſibilem, aut admodum arduam, quam illa credendam requirit, ſic ut quis in animo jure dicere queat, quis nobis vel in cœlum, vel in abyſſum ibit, ut Chriſtum nobis ſiſtat, ut hac ratione illi credere poſſimus? quod quia nemo præſtare poteſt, nemo etiam illi poteſt credere. Siquidem ut hanc fidem habeamus non requiritur ut Chriſtum præſentem coram oculis cernamus; cum alia ſint certiſſima, eaque firmiſſima argumenta, quibus Chriſti reſurrectio, ac proinde etiam doctrinæ ejus veritas, ſic comprobetur, ut nemo niſi præfractus prorſus & obſtinatus iis non cedat, ſic ut Chriſtum adſpicere nihil opus ſit. Alius quoque, iſque planior, & verbis Apoſtoli ac Moſis etiam magis accommodatus, horum verborum ſenſus erit, ſi hanc quam dixi verborum τοῦτ' ἔστι explicationem ſequamur, quæ eſt: Neminem poſſe aut debere cauſari difficultatem credendi doctrinæ Chriſti, quandoquidem Chriſtus nuſquam appareat, qui doctrinam ſuam proponat; neque quiſquam ſit qui eum vel ex cœlo, vel ex inferno nobis ſiſtat, ut eum doctrinam ſuam proponentem audiamus, ac proinde illi credamus. Non eſt neceſſe (inquit illa juſtitia) ut verbum fidei vel in cœlo, vel in abyſſo quæramus, aut potius Chriſtum, qui illud nobis prædicet, inde revocemus: quemadmodum etiam his verbis Iſraelitas docet Moſes, non eſſe opus ut vel in cœlo, vel ultra mare legem divinam quærant, eamque inde petant.

Verſ. 8. *Sed prope eſt.* Ad manum eſt, in promptu eſt, *Verbum, fidei.* Seu id quod nobis credendum proponitur.

*In ore tuo, & in corde tuo.* Inſerit ſeſe in os & in cor tuum, modo os & cor aperias, nempe hoc quod nos prædicamus. Prædicamus autem Jeſum eſſe Dominum, & a mortuis reſuſcitatum. Aperi os, & confitere illum Dominum; aperi cor, & crede eum a mortuis reſuſcitatum, & ſervaberis. Tacite enim his verbis doctrinam fidei cum Lege confert, & oſtendit, quam pronum, quam facile, quam proclive ſit eam cognoſcere, ac proinde & amplecti.

*Sed quid dicit?* Ita loquitur Apoſtolus, ac ſi hæc juſtitia fidei priora non dixerit, ſed hæc demum; cum tamen utrumque dicat, & hoc, & illud. Verum quia priora verſ 6, 7 negative fuerant propoſita, nunc quid affirmative eadem fidei juſtitia dicat, quidve de ea dicendum ſit, expoſiturus, ita loquitur. Quaſi dicat; iſta quidem fieri vetat fidei juſtitia; ſed hoc contra dicit:

*Prope te verbum eſt.* His verbis oſtendit quam ſit facile, quam non arduum, doctrinam fidei, ſeu de rebus credendis, agnoſcere, & agnitam amplecti. *Prope te eſt*, habes id ad manum, obvium tibi eſt, *in ore tuo, & in corde tuo.* Declaratio eſt iſtius propinquitatis. Quod enim in ore eſt & in corde, illud ut prope ſit neceſſe eſt. In ore autem & in corde eſſe dicitur, quia nullo negotio in illis eſſe poteſt. Actus enim ponitur pro rei facilitate ſeu facultate. Quod enim & facillime præſtari poteſt, & præſtari etiam debet, illud fieri ſeu factum eſſe quodammodo ſupponimus, ac propterea ita de eo loquimur ac ſi fieret, aut factum eſſet. In ore autem eſt aliquid, cum de eo loquimur; *in corde vero*, cum ejus meminimus, idque in animo impreſſum gerimus.

*Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.* Explicat qualenam verbum intelligat Apoſtolus, verbum nimirum non Legis ſed fidei, hoc eſt de fide, ſeu potius de rebus credendis, circa quas occupari debet fides. τοῦτ' ἔστι idem eſt quod *nempe* quod prædicamus, illud, inquam,

verbum, quod a nobis Apoſtolis & Chriſti legatis ac miniſtris annunciatur & docetur.

Verſ. 9. *Quod ſi confeſſus fueris.* Particula ὅτι pro *quod eſt*, a pleriſque ſumitur, ac ſi Apoſtolus explicare vellet, quodnam ſit verbum iſtud ab Apoſtolis prædicatum. Intelligit autem hoc loco non totam prædicationem, ſed id quod Chriſtus ſit Dominus, quodque fuerit reſuſcitatus. Quare διλογικῶς potius particula ὅτι hoc loco ſumi debet. Oſtendit quippe his verbis Apoſtolus, quam prope ſit, quodque in ore vel in corde verſetur hoc verbum, quod creditum & confeſſum hanc ſalutem & juſtitiam affert.

*Quia ſi confiteatis in ore tuo Dominum Jeſum.* Particula *in* redundat. *Confiteri Dominum Jeſum*, hoc loco non videtur ita accipiendum eſſe ac ſi diviſſet, confiteri Dominum qui eſt Jeſus: ſed potius confiteri Jeſum eſſe Dominum. Hunc loquendi modum habes 1 Cor. 12. 3, *dicere anathema Jeſum*, id eſt Jeſum eſſe anathema. *Dominum Jeſum*, id eſt Jeſum eſſe Dominum. Quale autem dominium intelligi debeat, quod Chriſto competat, jam notum eſt.

*Et credideris in corde tuo, quod ipſum Deus reſuſcitaverit ex mortuis, ſalvus eris.* Diviſit iſta Apoſtolus, non quod aliud credere, aliud confiteri debeamus: cum & illud credere, & hoc confiteri ſit neceſſarium: ſed ut elegantiæ orationis conſuleret, & tanto melius explicaret, quidnam illud ſit quod credere & confiteri debeamus. Prior enim locutio majeſtatem & divinitatem Chriſti explicat; ſed quanam ratione ad eam pervenerit, & a quo eam fuerit conſecutus, non item; quod facit poſterior, quæ a Deo eam profectam fuiſſe docet, idque non nili per reſurrectionem ex mortuis. Et deinde utrumque iſtorum, illud quidem cum oris confeſſione, hoc autem cordis fide & aſſenſu eleganter congruit. Nam Jeſum eſſe Dominum ad laudem ejus pertinet, & dignitatem ipſius maximam oſtendit, ideo id ore profiteri maxime convenit: at vero eundem eſſe reſuſcitatum ex mortuis, inter ea quæ de Deo credenda ſunt, ſi a ſe invicem dirimantur, difficillimum eſt, eoque dominium ejus nititur.

*Salvus eris.* Non quia hæc fides & confeſſio ſola ac per ſe ſufficiat ad ſalutem, neque quod hoc credere primo & principaliter debeamus; ſed quia iſtud & facillimum creditu ſit, & quod reliqua omnia neceſſario nexu ac vinculo ſecum trahat quæcunque vel credenda vel facienda ſalutis conſequendæ cauſa ſunt. Hinc ergo jam manifeſtum eſt, in ore & in corde eſſe verbum, quod ſalutem creditum affert: ſiquidem hęc confeſſio & fides in ore & in corde omnium Chriſtianorum eſt, & in ore reliquorum hominum facillime eſſe poteſt.

Verſ. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio in ſalutem.* Fidei juſtitiam, id eſt juſtificationem, confeſſioni ſalutem hoc loco adſcribit, iterum ut elegantiæ ſermonis conſulat. Quanquam ſubeſt iſtius rei aliqua ratio: cum fide enim immediate nectitur juſtificationis initium. Quamprimum enim fides in corde naſcitur, ſtatim juſtificatio incipit, id eſt Deus conſtituit nobiſcum agere tanquam cum juſtis; & quamdiu durat iſta fides, viva nimirum & efficax, tamdiu etiam durat juſtificatio noſtra. Fidem autem ſubſequi ſolet confeſſio oris; cui cum aliquid adſcribendum eſſet, juſtificatio non poterat, quia jam fides eam ſibi vindicat, quare juſtificationis extremum ac terminus ultimus illi adſcribitur. In ſalute enim juſtificatio noſtra terminatur ac perficitur. Apex juſtificationis noſtræ eſt ſalus. Eandem autem cum confeſſione vim etiam habent cætera omnia fidei effecta, ſeu bona opera, quibus alias ſalus adſcribitur. Rem autem ita ſe habere ut dixerat, probat eodem illo quem in fine ſuperioris capitis citavit loco Eſaiæ xxviii.

Verſ. 11. *Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in ipſo non confundetur.* Hic jam ſolius fidei meminit, & de ſola fide probat, ne videatur aliud quid dicere quam primo aſſeruerat, ubi nulli alii rei præter fidem juſtificationem ex parte noſtra adſcripſerat: unde etiam paulo ante juſtitiam fidei urſerat. Quare nunc probaturus, cordis fidem & oris confeſſionem ſalutem omnino conſequi, locum adducit in quo fidei ſalus attribuitur: quandoquidem in fide vera & viva omnia inſunt, & confeſſio, & omnis generis opera bona, ſine quibus juſtificatio & ſalus nemini obtinget. Et hoc pacto hactenus fidem conſideravit Apoſtolus, nec eam diſtinxit a bonis operibus ex ea manantibus, ſed potius hæc cum illa conjunxit, & tanquam effectus in ſua cauſa incluſit. Hactenus ergo probavit Apoſtolus, credentes juſtitiam conſecuturos eſſe, ac proinde etiam facilem eſſe conſequendæ juſtitiæ rationem, ſiquidem credentibus obtingat, idque omnibus, ut ſimul pateat eam latiſſime patere ac diffundi. Quod ut innueret, ideo vocem *omnis* ad propheræ verba indefinita adjecit; & ne quis id miraretur ideo ſtatim ſubjungit:

Verſ. 12. *Non eſt diſcrimen Judæi & Græci.* Nimirum ratione religionis & ſalutis. Græcus pro Ethnico. Hujus rei cauſam & argumentum firmiſſimum affert:

*Idem enim Dominus eſt omnium.* Omnes enim tum Judæi, tum Græci, unum Dominum habent, cujus imperio ſubſunt; veluti cum duo populi, aut plures etiam, unius regis ſceptro ſubſunt. Dominus autem ille eſt Chriſtus, qui omnem habet in cœlo & in terra poteſtatem.

Oſtendit deinde qualiſnam ſit iſte Dominus, cum addit: *Dives in omnes.* Per vocem πλουτῶν non ſolum id ſignificat, quod habeat quæ donet & largiatur: ſed etiam quod ſit beneficus & liberalis, qui ſoleat largiri omnibus ſubditis ſuis, dummodo eum invocent.

Propterea addit: *Invocantes ipſum.* Hæc Apoſtoli oratio eſt per ſe immediate vera, ita ut non opus habeat medio aliquo termino. Cum enim aliquis dominus alicujus eſt, & dominus qui non ſolum potentiſſimus, ſed etiam beneficentiſſimus & clementiſſimus ſit, ſi invocetur, ſi aliquis ſubditorum ejus ad eum confugiat, & nomen ejus rite imploret, qui fieri poteſt quin beneficentiam ſuam in eum exerceat? Idque probat Apoſtolus Scripturæ dicto, ſeu verbis ex Joële cap. 2.

Verſ. 13. *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini ſalvabitur.* Si ſalutem confert omnibus ſe invocantibus, quanto magis reliqua omnia dona illis largietur. Verba autem iſta de Deo dicta Apoſtolus ad Chriſtum accommodat, quia hunc qui invocat, ipſum Deum invocat. Hinc etiam videmus, uni alicui rei ſalutem adſcribi: hoc autem vel propterea fit, quod hæc res reliqua omnia ſecum trahat, vel quod naturali quodam vinculo, ſeu proxime cum ea cohærere videantur, quemadmodum hoc loco cum invocatione ſalus; vel quod inter hanc & illam rem ſit quædam convenientia. Sic pauperibus ſpritu regnum, lugentibus conſolationem, pacificis filiationem Dei, mitibus terræ poſſeſſio-

poſſeſſionem, miſericordibus miſericordiam eleganter aſſignat Chriſtus; quemadmodum in ipſa felicitate multæ ſunt proprietates, quibus ſingulæ virtutes reſpondent; ſic qui eam vult conſequi omnes virtutes habere debet. Nam quemadmodum iſtæ proprietates in felicitate ſejungi non poſſunt, ſic etiam, ſi eam conſequi volumus, virtutes iſtæ ſejungi non debent. Sic remiſſioni offenſarum eleganter remiſſio peccatorum noſtrorum reſpondet, eique in ſacris literis adſcribitur.

Verſ. 14. Poſtquam docuit Apoſtolus omnes quotquot in Chriſtum credunt & nomen ejus invocant, ſine ullo gentis & nationis diſcrimine juſtificandos & ſalvandos ex divina voluntate aut decreto eſſe; hinc infert & deducit, jureſe ex divino juſſu ac voluntate omnibus gentibus fidem in Chriſtum annunciare, ac proinde non eſſe cur Judæi ſe incuſarint & eo nomine accuſent, quaſi hoc proprio motu & inſtinctu faciat. Utitur autem ad id probandum gradatione elegantiori. *Quomodo igitur invocabunt?* Particula ἐν, hoc loco oſtendit, rem hanc ex ſuperioribus non quidem concludi, ſed tamen educi. Hæc autem verba verſiculi iſtius manifeſte oſtendunt, agi hic de Chriſto; non vero de ipſo Deo. Chriſtus enim is eſt de quo nullus mortalium audire & ſcire potuiſſet, niſi per prædicationem, & quidem Euangelicam.

Verſ. 15. *Quomodo autem prædicabunt niſi miſſi ſint?* Hoc eſt ultimum gradationis iſtius membrum, ad quod rem deductam oportuit, & oſtendere ſe ad prædicandum gentibus a Deo fuiſſe miſſum. Loquitur autem de prædicatione rei non ab humano ingenio inventæ, ſed divinæ, qualis eſt iſta quod Chriſtus cæleſtis omnium Dominus evaſerit. Ejuſmodi rem nemo poteſt annunciare, niſi primum eam a Deo habuerit revelatam, deinde niſi a Deo ad eam annunciandam mittatur. Loquitur enim de annunciatione non ſimplici, ſed tali quæ divinis confirmationibus ſit munita, & cui omnes credere ac fidem habere & poſſint & debeant. Alioquin enim nihil prohibet, quo minus aliquis quippiam ſibi a Deo revelatum annunciet, licet ad annunciandum miſſus non fuerit. Loquitur preterea de annunciatione ſeu prædicatione prima, Dei nomine facta. Nam ad id quod ſemel Dei nomine annunciatum fuit inculcandum & repetendum, non eſt opus ulla peculiari miſſione. Illi qui Pauli doctrinam urgent ac repetunt, Pauli miſſione nituntur, & cum eo in hac parte ſunt copulandi, atque in ipſo, ut ſic dicam miſſi fuerunt. Si quis regis alicujus nomine rem aliquam novam ſubditis proponere velit, is miſſione a Rege habet opus: ſed ſi quis rem hanc jam dudum propoſitam, & ab hominibus ſuſceptam repeteret & inculcaret, nulla opus haberet miſſione. Privilegium novum Regis nomine nemo afferre vere & jure poteſt niſi a rege miſſus fuerit; ſed privilegium iſtud ſemel allatum explicare & hominibus inculcare quivis poteſt.

*Quemadmodum ſcriptum eſt.* Affert locum ex Eſaiæ cap. LII, quo miſſionem hanc prædictam eſſe oſtendit. Agitur enim hoc loco de miſſionis effectu, nempe adventu eorum qui pacem & bona annunciant. Hinc enim miſſio iſta colligitur.

*Quam pulchri pedes annunciantium pacem, annunciantium bona.* Senſu literali agitur de his qui populo Iſraëlitico de migratione ex Babylone annunciaturi erant. Senſu autem myſtico agitur de Chriſti legatis & Apoſtolis, qui cæleſtem pacem ac felicitatem hominibus annunciabant: horum vere amabiles, vere pulchri fuerunt pedes. *Pulchri*, quia valde accepti & jucundi erant: pulchrum enim acceptum, jucundum & amabile eſt. *Pedes* autem ponuntur pro illis ipſis qui veniunt; propterea quod pedibus veniant ac diſcurrant. Sic manum illam dicimus eſſe ſalutarem & beneficiam, per quam ſalutem aut beneficium ab aliquo conſequimur. Quemadmodum autem his verbis oſtendit Apoſtolus, prædictam fuiſſe Euangelii prædicationem ſeu annunciationem, ac proinde etiam a Deo miſſionem; ſic oſtendit ab eodem Eſaia paulo poſt prædictam fuiſſe incredulitatem eorum quibus Euangelium annunciandum erat, præſertim Judæorum: ne quis miretur, quomodo fieri queat, hominibus a Deo ſalutem & felicitatem annunciari, nec tamen nuncium hoc ab omnibus grato animo ſuſcipi.

Verſ. 16. Ut ergo tacitæ objectioni occurrat, inſerit: *Sed non omnes obediverunt Euangelio*, hoc eſt, Euangelium hoc ſeu nuncium pacis & bonorum non ſuſceperunt, illique fidem dederunt.

*Eſaias enim dicit:* Nimirum paulo poſt illa verba ubi de hoc læto nuncio agitur, ad quæ etiam reſpicit;

*Domine quis credidit* τῇ ἀκοῇ ἡμῶν. Ἀκοὴ hoc loco ſumitur pro ſermone qui ex loquentis ore auribus percipitur.

*Quis credidit?* Sic per interrogationem loqui ſolemus, cum neminem vel paucos admodum ſignificare volumus. Licet autem hæc Eſaiæ verba attulerit, ut tacitæ objectioni, quemadmodum diximus, occurreret, & oſtenderet hominum ingratitudinem & contumaciam non debere in dubium vocare miſſionem & legationem divinam: ex iis tamen ſimul confirmat id quod dicere inceperat, fidem oriri ex prædicatione. Dum enim ait Eſaias: *Quis credidit auditui*, id eſt ſermoni ſeu prædicationi *noſtræ*, oſtendit fidem alias ex ea proficiſci.

Verſ. 17. Itaque concludens ait: *Ergo fides ex auditu.* Ex ſermone nimirum qui auditur, & auribus ob ore loquentis excipitur.

Ἡ δὲ ἀκοὴ, *ſermo autem* iſte, *per verbum Dei.* Id eſt juſſu & mandato. Complectitur enim his verbis Apoſtolus gradationis illius ſuæ poſteriora membra. Nam cum ait, fidem eſſe ἐξ ἀκοῆς, oſtendit neminem poſſe credere niſi audiat; nec audire niſi ſit is qui prædicet. Dum vero ſubjungit τὴν ἀκοὴν eſſe per verbum Dei, docet neminem poſſe prædicare niſi fuerit miſſus.

Verſ. 18. Poſtquam docuit fidem ex prædicatione & audito ſermone ac nuncio proficiſci, innuerat etiam ex Eſaia, non ſemper prædicationi ab hominibus fidem & aſſenſum adhiberi, ac proinde licet fides ſine prædicatione eſſe nequeat, prædicationem tamen ſine fide eſſe poſſe: nunc quærit cauſam, ob quam fiat, ut Iſraëlitæ Euangelio non adhæreant, ſeu, quemadmodum dixerat, non obediant. Id enim vel ideo fieri oportuit, quod Euangelium ſibi prædicari non audierint; vel quod non perceperint & intellexerint; vel quod auditum ſpreverint & repudiaverint. Quanquam nihil prohibet quo minus priora verba, quæ continentur verſ. 18, referantur ad univerſos homines de quibus hactenus fuit ſermo; poſteriora vero, nempe verſ. 19 & ſequentibus, nominatim ad Iſraëlitas, quemadmodum ipſamet indicant. Hunc ſenſum ſi ſequamur, ita verba illa verſ. 18 *Sed dico*, accipienda erunt: quaſi dicat, jam vero interrogo, annon hoc quod hactenus oſtendi fieri debuiſſe, reipſa etiam factum eſt, annon ad omnium aures vox Euangelii pervenit?

Imo vero pervenit: *Nam in omnem terram &c.* Sed ſi priorem illum, quem diximus, ſenſum ſequaris, & ad Judæos nominatim verba illa accommodes, ita erunt capienda, ac ſi dixiſſet Apoſtolus: An ergo, cum videamus Iſraëlitas fidei in Chriſtum expertes eſſe, dicemus id ideo factum eſſe, quod Euangelium ſibi prædicari non audiverunt?

*Imo vero in omnem terram &c.* Verba a Davide de cœlis, ſole & reliquis aſtris dicta, accommodat Apoſtolus ad eos qui nuncium hoc Euangelii toto terrarum orbe divulgarunt. Non enim hæc verba citat, ac ſi ſenſu aliquo myſtico in iis de Chriſti Apoſtolis agatur; ſed ea tantum ad inſtitutum ſuum accommodat: quemadmodum ſuperius verba Moſis de Lege prolata ad doctrinam Euangelii accommodavit. Docet autem David, machinam cœli & ejus aſtra uſque ad extrema terrarum differre gloriam Dei. Quia dum omnibus hominibus ſeſe oſtendunt, & exhibent ſuam pulchritudinem, ſtabiles certoſque curſus ac motus utilitatem inſignem ac perpetuam, clariſſimum certiſſimumque documentum & argumentum præbent divinæ potentiæ, majeſtatis, ſapientiæ ac bonitatis, & efficiunt, ne quis niti ſtultus admodum & fatuus, divinam potentiam ignoret. Homines iſtos, qui de Deo dubitant, fatuos vocat Scriptura, eoſque ad bruta ablegat, beſtiis ſtultiores eſſe eos demonſtrans; ſiquidem non ſolum in cœlo, ſed etiam in jumentis ſapientiæ ac potentiæ divinæ multa argumenta appareant. Vide Job. xij. 7, 8, 9.

Verſ. 19. *Sed dico: annon cognovit Iſraël?* Dupliciter, ut jam innuimus, hæc quæſtio ſumi poteſt: vel ita, ut ad hanc interrogationem negative reſpondeatur, nempe non cognovit; vel affirmative. Si priori modo, ſenſus quæſtionis iſtius erit: Quandoquidem Iſraël Euangelii nuncium audivit, an eum nuncium hunc non cognoviſſe, id eſt non approbaſſe, non recepiſſe, fidem illi non dediſſe, dicemus? Contra autem dicemus, gentes profanas nuncium hunc ſuſcepiſſe & amplexas fuiſſe? Annon abſurdum hoc dictu eſt? Subticet Apoſtolus directam reſponſionem, & mavult Scripturæ dictis reſpondere, quibus hæc contumacia Judæorum exprimitur & prædicitur, ac proinde oſtendit nihil in eo abſurdi eſſe, dicere Iſraëlem nuncium hunc Euangelii non agnoviſſe nec recepiſſe; & è contrario gentes eum grato animo ſuſcepiſſe. Si vero poſteriori modo hæc quæſtio ſumitur, ſenſus erit: *num non cognovit?* id eſt non percepit, non intellexit, non eſt aſſecutus Iſraël nuncium hunc Euangelii? num adeo difficilis intellectu fuit, ut auribus quidem hauriri, ſed animis imbibi haudquaquam potuerit? Reſpondet Apoſtolus Scripturæ verbis, cognoviſſe eos oſtendens, id eſt nuncium hunc talem fuiſſe ut ab illis nullo negotio percipi & intelligi potuerit: ſiquidem a gente ſtulta, imo ab hominibus qui hominum nomine vix digni erant fuerit intellectus: ſiquidem adeo facile fuerit Deum invenire, hoc eſt Euangelii doctrinam percipere & recipere, ut etiam ab iis qui ipſum non quæſierant inventus fuerit: ſiquidem ipſe totos dies manus ſuas expanderit, & populum Iſraëliticum ad ſe invitaverit.

*Primus Moſes.* Primus, id eſt primo. Solemus enim nomen pro adverbio ſæpe uſurpare. Sic dicimus primus venit, primus hoc vel illud fecit, pro primò. Primo autem Moſes hoc loco dicere aſſeritur, vel quia ſimpliciter primus fuit inter Prophetas; vel tantum reſpectu Eſaiæ, quem ſecundo loco citat Apoſtolus.

*Ego ad æmulationem vos provocabo ſuper non gente.* His verbis indicatur illos qui nomine gentis haud digni cenſebantur, id eſt hominum appellatione, propter ſummam rerum divinarum & ad Dei cultum ſpectantium ignorantium, tantam eſſe conſecuturos rerum divinarum notitiam, ut habituri eſſent Judæi quod illis invideant.

*Ad æmulationem provocabo.* Illos nimirum quos vos vix hominum appellatione dignamini, tanta rerum cœleſtium ac mei notitia imbuam, ut vos invidia & æmulatione accenſi & excitati, daturi ſitis operam ne ab illis hac in parte vincamini, & ſic tandem ad mei notitiam perveniatis.

*Super gente intelligentia experte.* Nempe in rebus divinis, & ad Dei cognitionem ſpectantibus.

Verſ. 20. *Eſaias vero audet & dicit. Audet & dicit,* ἀποτολμᾷ λέγει, id eſt audacter dicit.

*Qui me non interrogant.* Qui enim aliquid quærunt interrogare ſolent.

Verſ. 21. *Ad Iſraëlem vero dicit.* Id eſt de Iſraële dicit: Sic loquitur & Autor ad Hebræos cap. 1. 7, 8.

*Totum diem.* Singularis pro plurali, id eſt totos dies.

*Extendi manus meas.* Vel invitantis hic geſtus eſt, vel magna animi contentione & vehementia cauſam ſuam agentis.

*Ad populum contumacem.* Seu imperſuaſibilem, ad populum cui perſuaderi non potuit id quod Deus inculcabat.

*Et contradicentem.* Qui non ſolum ſibi perſuaderi non paſſus eſt quod Deus volebat; ſed etiam huic rei contradixit, eamque falſitatis coarguere conatus eſt. Quare nulla alia non recepti Euangelii cauſa illis fuit, præter illorum contumaciam atque duritiem.

## CAP. XI.

### *ARGUMENTUM.*

*Quæ de Judæorum rejectione hactenus dixerat Apoſtolus, nunc aliquo modo mitigaturus, docet nec omnes prorſus Judæos, nec in perpetuum eſſe rejectos: Ut hac ratione & Judæis aliquam ſpem ac ſolatium relinqueret; & gentes, quæ in Judæorum locum à Deo receptæ ſunt moneret, ne Judæis propter eorum ruinam inſultarent, ſed potius eorum exemplo propoſito ſibi caverent, ne vel ſuperbia ob tantam Dei gratiam efferantur, vel incredulitatem Judæorum imitatæ ſimile ſibi judicium ac pœnam tanto facilius citiuſque accerſant, quanto minus juris ad hanc Dei gratiam quam Judæi habuerunt.*

Verſ. 1. *Dico igitur.* Quaſi dicat: cum igitur ita ſe res habent prout hactenus diſſerui, & nunc ex Eſaia oſtendi, Judaicum populum ſumma in Deum contumacia peccaſſe, & lætiſſimum illum nuncium de ſalute æterna per fidem in Chriſtum adipiſcenda repudiaſſe; num hinc concludemus Deum populum ſuum repudiaſſe?

*Num rejecit Deus populum ſuum?* Rejecit, id eſt penitus, ita ut nulli ex populo ſuo pepercerit, aut etiam in perpetuum eum abdicaverit.

*Abſit.* Habet enim hoc populus iſte Iſraëliticus præ omnibus aliis populis & nationibus peculiare, quod ejus Deus facilius miſereatur quam aliarum gentium; clementius

mentius ac indulgentius eum tractet quam ut eum unquam deleri ſinat, & quod tandem eum ad ſe converſum non ſolum in gratiam recipiat, ſed & converſionem ejus procuret ac procuraturus ſit. Primum autem oſtendit Apoſtolus, non omnes Judæos fuiſſe rejectos.

*Nam & ego Iſraëlita ſum.* Ego tantus Apoſtolus ſum Iſraëlita, nec ego tantum, ſed *& ego*, oſtendens præter ſe multos eſſe alios qui à Deo rejecti non ſint.

*Tribûs Benjamin.* Non ſum Tribus alicujus, quæ ex captivitate nunquam rediit, ſed ſum ex tribu Benjaminitica, quę cum tribu Juda conjuncta ſemper fuit; quę tribus hac cæcitate & rejectione potiſſimum digna extitit, utpote quæ plura habuerit ad Euangelium recipiendum adjumenta, cum inter illos Chriſtus, quamdiu munus ſuum obiit, Euangelium prædicavit, & miracula edidit, ibidemque poſt ejus aſcenſionem Euangelium clariſſime fuerit promulgatum, ac divinis operibus confirmatum per Apoſtolos, quorum ibi prima & prȩcipua fuit ſedes, & nihilominus tamen contumaciſſimi fuerunt, pluſquam aliæ tribus, & plura quam aliæ in Chriſtum & ejus Apoſtolos deſignarunt mala.

Verſ. 2. *Quem præſcivit.* Jam ante approbavit, & ſibi amandum fovendumque delegit. Illuſtrat id Apoſtolus quod dixit, Deum non rejeciſſe populum ſuum, ſic nimirum, ut neminem ex eo ſervaret, exemplo temporis Eliæ. Quemadmodum enim tum non omnes Iſraëlitas Deus funditus delevit, ſed aliquammultis millibus Iſraëlitarum pepercit, ſic hoc quoque tempore factum fuiſſe dicit Apoſtolus.

*An neſcitis in Elia quid dicit ſcriptura?* *In Elia*, id eſt in hiſtoria Eliæ, ſive in illa Scripturæ parte quæ eſt de Elia. Sic dicere ſolemus, Plutarchum hoc vel illud dicere in Cæſare, in Catone &c. Apparet enim ſcripturam in partes fuiſſe digeſtam, & unamquamque partem ejus nomine de quo potiſſimum & præcipue agit, fuiſſe inſignitam.

*Quemadmodum interpellat ad Deum contra Iſraëlem.* Interpellare ſemper ſignificat de altero agere apud alium: ſed id fieri poteſt vel pro aliquo, vel contra aliquem, id eſt vel ut ipſi proſit, vel ut ipſi noceat. Elias igitur interpellabat ad Deum, id eſt cum Deo de Judęis agebat, ſed contra illos non pro illis, hoc eſt accuſabat eos, non defendebat; inſtigabat Deum, non mitigabat.

*Dicens*, idq; iteratis vicibus, qua de re vide 3 Reg. 19.

Verſ. 3. *Altaria tua everterunt.* Conſtat ex hiſtoria ſacra, præſertim ex libris Regum, varia fuiſſe altaria in locis excelſis Deo extructa. Hinc etiam de Salomone legimus ante templum extructum, quod in excelſis ſacrificaverit Deo. Hinc legimus à nonnullis regibus, qui idololatriam ſuſtulerunt, excelſa non fuiſſe ſublata. Licet enim hęc altaria in honorem numinis exſtructa fuerunt; quia tamen vetabat Deus alibi quam Hieroſolymis ſacra ſibi fieri, propterea ab hujuſmodi excelſis, ſive altaribus in locis excelſioribus ſibi extructis, abhorrebat. Altaria ergo ejuſmodi in honorem Dei exſtructa Iſraëlitæ everterant, non divinæ gloriæ ſtudio, ſed odio, ne ſcilicet uſpiam veſtigium divini cultus & nominis reſtaret. Hac ergo oratione Elias ad Deum utebatur, ut eum ad perdendos Iſraëlitas inſtigaret & incitaret.

Verſ. 4. *Sed quid dicit ipſi oraculum?* Sed num Deus ipſius votis obſecutus eſt? Haudquaquam: quid enim ipſi dicit oraculum, id eſt Deus per oraculum? vocem enim ſolam audiebat Elias.

*Reliqui mihi ſeptem millia virorum.* Agit Deus de Iſraëlitarum cladibus per Hazaëlem, futurum Syrorum regem, & per Jehu futurum Iſraëlitarum regem inferendis. His cladibus ſuperſtites eſſe voluit tot homines.

*Reliqui mihi.* Id eſt ſervare decrevi à cladibus ſuperſtites, reliquiarum inſtar. In Hebræo eſt *reſervabo*, vel *relinquam.*

*Septem millia.* Ponitur numerus certus pro incerto, id eſt aliquammulta millia. Licet autem Deus, dum hos reliquos fecit, gratia & miſericordia uius fuerit, (potuiſſet enim eos, ut mox dicemus, jure cum cæteris perdere) tamen affert cauſam quæ eum ad clementiam & miſericordiam erga reliquias iſtas exercendam impulit.

*Qui non flexerunt genua τῇ Βααλ.* Hęc eſt cauſa propter quam eos Deus conſervare dignatus eſt: qui tamen, ſi ſummo jure cum iis agere voluiſſet potuiſſet illos perdere. Nec enim ſatis erat non adoraſſe Baalem, ſed adorare etiam Deum, idque Hieroſolymis, non in Dan & Bethel, opus fuit. Apparet autem iſtos homines ita latitaſſe, & à cultu divino publico abſtinuiſſe, ut ne Eliam quidem, tantum Prophetam, habuerint conſcium: qui idcirco ſe ſolum ſuperſtitem ex Dei cultoribus eſſe queritur, quod neminem ſciret ſocium. Articulus fœmininus τῇ, nomini *Baal* additus, vel ſubaudiendam eſſe vocem ἰσχύι docet, vel fœminam hoc idolum fuiſſe arguit. Vox *Baal* dominum ſignificat, fuitque uxoribus in more viros ſuos hoc nomine appellare. Sed hoc nomen idololatria contaminatum abdicat Deus Oſe 2. 16, 17, neque amplius vult appellari *Baḥali*, *dominus meus*, ſed *iſchi vir meus*: *Removebo*, inquit, *nomen Baalim de ore ejus, ut eorum nominis nulla amplius ſiat mentio.* Elegans eſt hoc caput & lectu digniſſimum, in quo ſe Deus cum viro, populum autem Iſraëliticum cum uxore comparat.

Ver. 5. *Sic igitur & in hoc præſenti tempore.* Applicat illa tempora Eliæ ad hęc, & ſimilitudinem inter illa oſtendit. Quemadmodum illo tempore non omnes Iſraëlitę perierunt, ſed eorum aliquammulta millia reſidua ab interitu conſervavit Deus, ſic etiam hoc tempore fecit.

Λεῖμμα γέγονεν. Reſiduum factum eſt, id eſt reliquit ex iis Deus ab interitu & clade ſuperſtites.

*Secundum electionem gratiæ.* Secundum gratuitam electionem; eos nimirum reliquos fecit ab interitu, quos ipſi viſum eſt ex gratia & miſericordia ſua perdendis eximere. Nec enim ipſorum dignitate & merito id factum eſt, ſed ſola gratia & miſericordia divina. Qui autem ſunt iſti? omnes in Chriſtum credentes, qui reſpondent illis qui genua olim non flexerunt Baali. Licet enim etiam qui in Chriſtum credunt pœna & interitu ſunt digni propter ſua peccata; Deus tamen illis parcere, & clementia erga eos uti decrevit.

Verſ. 6. *Si vero ex gratia non amplius ex operibus.* Quia dixerat, iſtos quos reliquos ab interitu Deus fecit, gratia divina conſervari, hinc colligit non ex operibus id fieri. Hinc apparet quid Paulo ſit, ex operibus juſtificari, quoque ſenſu vocem operum accipiat, nempe eo, ut opera perfecta ſeu meritoria plane ſignificet, quę cum gratia nullo modo conſiſtere poſſunt.

*Alioquin gratia non amplius erit gratia.* Si ex operibus jam gratia, id eſt id quod dicitur gratia, non erit gratia. Ubi enim eſt meritum, ibi nullus eſt gratiæ locus.

*Opus non erit opus.* Id eſt id quod dicitur opus non erit opus, id eſt non erit meritum, ſi gratiæ divinæ effectus ejus adſcribetur.

Verſ. 7. Ea quæ hactenus de Judæorum rejectione diſſeruit in ſummam quandam collecturus, ſubjicit: *Quid igitur?* Quid ergo jam tandem ex iſtis quæ hactenus dicta ſunt concludemus?

Hoc nimirum, *quod quærit Iſraël non eſt aſſecutus.* Juſtificationem nimirum, quemadmodum ex cap. IX. 31 patet.

*Electio vero eſt aſſecuta.* Electio, abſtractum pro concreto, id eſt electi, ex Judæis nimirum, quemadmodum verſ. 5 dixit. Electi autem iſti ex Judæis ſunt in Chriſtum credentes.

*Reliqui autem occalluerunt.* Plus hic dicit quam dixerat. Plus enim eſt occalleſcere quam juſtitiam non adipiſci; cum illud hoc præſupponat. Adeo, inquit, Judæi increduli ſunt puniti, ut non ſolum juſtificatione exciderint, ſed & animus eorum callum obduxerit. Eſt autem metaphora à corpore ad animum tranſlata: quemadmodum enim illa membra quæ callum obducunt duriora fiunt, & ſenſum amittunt: ſic animis Judæorum iſtorum durus ad Euangelii doctrinam evaſit, nec ea tangi, vimque ejus ſentire potuit; ſed reſpectu iſtius doctrinæ perinde fuit ac ſi omnem ſenſum exuiſſet. Id autem divino judicio factum fuit, qui animum eorum, jam alioqui contumacem & præfractum, majori duritie mulctavit.

Verſ. 8. Et quia rem admodum ingratam Judæis & odioſam hic dicit, propterea id Sacrarum literarum teſtimoniis comprobat, idque jam olim à prophetis prædictum fuiſſe oſtendit, productis primo Eſaïæ, deinde Davidis verbis: *Quemadmodum ſcriptum eſt: dedit ipſis Deus ſpiritum* κατανύξεως. Hæc prima verba citata ſunt ex XXIX. cap. ℣. 10. In textu eſt: *Quoniam miſcuit ſuper vos Dominus ſpiritum ſoporis*; quod hic dicitur Deus illis dediſſe, in textu dicitur eos potaſſe iſtum ſpiritum. *Spiritus* κατανύξεως poſitus videtur pro κατανυστέου ſpiritu. Interpretes autem Hebræi non erant tam accurati in verbis Græcis, adeo ut verbum aliquod vicinum pro vicino ſumere facile potuerit, exiſtimantes fortaſſis vocem κατανύξεως a νύξ deduci, ac proinde ſoporem qui noctu fit, ſignificare. Spiritus enim compunctionis nihil videtur habere commune cum πορώσει; imo illi videtur eſſe contrarius. Qui enim compunctionem ſentit, minime callum obduxit. *Spiritus autem ſoporis* eſt animi quidam veternus ac torpor, quo oppreſſus ac gravatus, Euangelicam doctrinam non conſiderat nec intelligit. Hunc ſpiritum Deus dediſſe dicitur, non quod in animos eorum vim aliquam ejuſmodi ſoporiferam ab extra infuderit; ſed quod per externas cauſas fecerit, ut ejuſmodi torpedo animos eorum invaderet. Sic etiam ſpiritum ſervitutis olim dediſſe Judæis dicitur; quia nimirum ejuſmodi legem illis dederat, & eo modo cum illis agebat, ut metu ac trepidatione quadam animi eorum imbuerentur. Cauſæ autem iſtæ externæ, quæ ſpiritum hunc ſoporis in animis eorum efficiebant, non violenta aliqua ratione in illis agebant, ſed accedente propria eorum voluntate ac malitia. Si enim voluiſſent, & ſibi vim hac in parte feciſſent, poterant hunc animi veternum ac torporem excutere, oculoſque ad lucem veritatis Euangelii aperire. Cauſæ autem iſtæ erant ea omnia quibus illi in Euangelio offendebantur. Hæc enim animos eorum malos & improbos penitus ab Euangelio abalienabant, & efficiebant ut ſilice & ſaxo duriores eſſent, nec animum ad ejus prædicationem attollerent.

*Oculos ne videant, & aures ne audiant.* Hęc verba deſumta ſunt ex capite 6 Eſai. ℣. 10, ubi jubetur prophetа impinguare cor populi Iſraëlitici, aures ejus aggravare, & oculos oblinere, ne videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant. Quæ prophetæ verba licet actionem ipſam ſignificent, pro declaratione tamen ejus ſumi poſſunt: impingua, aggrava, obline, id eſt impinguanda, aggravanda, oblinenda eſſe declara ac ſignifica; quemadmodum ex ℣. 9 apparet. Sic Jeremias conſtitutus dicitur cap. I ℣. 10, ut gentes & regna evellat, diruat, diſperdat, ædificet & plantet, id eſt evellenda, deſtruenda, plantanda declaret ac prædicet: adeo ut vi verborum ejus quodammodo effectus ſequi videatur. Quanquam etiam hæc Eſaiæ verba ſic ſumi poſſunt, ac ſi Eſaias ita videatur cum Judæis agere, ut non facile poſſint ejus dicta ac monita intelligere & percipere. Oculi & aures hic ſumuntur pro animo ipſo: animum & mentem habent, nec tamen intelligunt, & perinde eſt ac ſi mente & intellectu deſtituti eſſent.

*Uſque ad hodiernum diem.* Hęc verba ſunt Apoſtoli, quibus oſtendit hanc Judęorum cœcitatem & indurationem ad illud uſque tempus quo hæc ſcribebat Apoſtolus duraſſe, nec tot gentium converſione flecti & expugnari potuiſſe. Reſpexit fortaſſe aliquo modo ad illa Eſaiæ verba quæ ſequuntur ℣. 11, ubi tempus ſive duratio illius excœcationis exprimitur. Eouſque enim ea dicitur debere durare, donec deſolentur civitates, domus, terra &c. Idem etiam debebat fieri Pauli tempore, ut ad pœnam deſtinatam hoc pacto deducerentur Judęi contumaces: quâ de re in ſequentis teſtimonii initio aliquid dicitur. Vide ſupra cap. 9. 22.

Verſ. 9. *Et David dicit.* Alterum teſtimonium citat ex Pſal. 69, qui continet imprecationes & diras, quibus David hoſtes ſuos, & in ſua perſona in Chriſti hoſtes devovit, oſtendens hęc Judęis Chriſti hoſtibus eventura. Prima autem verba quæ Apoſtolus citat, non de excœcatione ipſa, ſed potius de ejus conſequenti, id eſt miſerabili Judæorum calamitate loquuntur, ad quam per indurationem ducebantur.

*Fiat menſa ipſorum in laqueum.* Eleganter hęc verba ſubjicit propheta iſtis: *Dederunt in eſcam mihi fel, & in ſiti mea propinaverunt mihi acetum.* Quare pœnam talionis illis imprecatur, ut nimirum eorum menſa vertatur illis in laqueum. Per menſam intelliguntur omnes eorum voluptates, ſeu quicquid illis lætum ac jucundum fuit. Alludit autem ad aucupium: aves enim eſca capiuntur, & eſca illis quodammodo vertitur in laqueum.

*Et in tendiculam.* Quemadmodum laqueum hunc explicaturus Apoſtolus addit, ſic etiam cupit propheta ut illorum dapes & menſæ pernicem illis cauſentur & accerſant.

*Et in offendiculum.* Vult ut ea omnia quæ hominibus voluptati eſſe ſolent, fiant ipſis ſcopulus ad quam impingant, & graviter offendantur. Cenſent hoc nonnulli eatenus in Judæis impletum, quatenus rebus ſecundis ditati ſuperbierunt, & Romanorum erga ſe injuriam iramque concitarunt. Alii prorſus allegorice id accipiunt, & pro cibo ſpirituali menſam ſumunt: quaſi dicat Apoſtolus, Euangelium quod illis cibi ſpiritualis inſtar eſſe debebat, eorum animos reficere & vitam ſuſtentare, in perniciem illis cedit, eoque irretiti ita implicantur, ut hoſtium ſpiritualium præda fiant ac pereant.

*Et in retributionem ipſis.* Ut hac ratione dignam peccatis ſuis & ſceleribus pœnam luant.

Verſ. 10. *Obſcurentur oculi ipſorum ne videant.* His verbis

verbis cæcitas, qua Christi hostes puniendi erant, significatur, & de qua hoc loco potissimum agit Apostolus. Quæ obscuratio sive obtenebratio oculorum in eo consistit, quod lucem Euangelii non conspexerint, sed deinde etiam in eo, quod pericula & calamitates imminentes prævidere & præcavere, præsentes autem effugere non potuerint. Solet enim Deus iis quos punire vult, oculos & mentem eripere.

*Et dorsum eorum semper incurva.* Incurvum dorsum signum tristitiæ esse solet. Homines enim cum obstipo capite incedunt, oculis in terram defixis, veluti silicernia quædam, tristi & afflicto animo esse solent. Quare his verbis perpetuam animi tristitiam & mœrorem illis imprecatur, quæ animum deprimant, & solo affigant. Sic David de se Psal. 38 ℣. 7: *Incurvatus sum, humiliatus sum vehementissime, omni die pullatus*, sive *mœstus*, vel *lugens*, *ambulavi.* Jephta quoque simili ratione filiam alloquitur Judic. XI. 35. Potest etiam per hanc dorsi vel tergi curvitatem servitus, & per eam omnis generis calamitates, quæ servitutem comitari solent, intelligi. Servorum enim terga oneribus frangi & incurvari solent. Quæ hactenus de Judæorum casu disseruit mitigaturus magis, ostenso jam eo, non omnes prorsus Judæos esse rejectos, sed incredulos tantum; nunc etiam incipit ostendere, eos non in perpetuum esse rejectos, ita ut Deus nolit eis in posterum gratiam suam exhibere.

Vers. 11. *Dico igitur.* Postquam ita se res habet, Judæos incredulos non tantum justificatione excidisse, sed etiam excæcatos a Deo esse, adeoque graviter punitos; quæro nunc, *num impegerunt ut caderent*? Quia dixerat, mensam illorum in offendiculum convertendam, ac proinde eos impingere debuisse, propterea nunc quærit, an idcirco impegerint, id est judicia & pœnam divinam incurrerint, ut caderent, ut jam in perpetuum gratia divina exciderent, extremaque ruina sine ulla resurgendi spe involverentur?

*Absit.* Non est existimandum, Deum jam in perpetuum populum Judaïcum rejecisse ac repudiasse; sed quemadmodum rejectio Judæorum occasionem dedit saluti & conversioni gentium, sic conversio gentium vice versa tendere debet in conversionem & salutem Judæorum.

*Sed ipsorum casu salus gentibus.* Παράπτωμα substituitur in locum verbi ἔπταισαν, quod offensionem seu hallucinationem, non tamen casum, seu in terram offensionem significat, opponiturque saluti, & significat rejectionem ac indurationem Judæorum. Salus autem gentibus, ipsorum τῷ παραπτώματι scilicet, non contigit per se, sed per accidens: quatenus nimirum invitatis illis ad nuptias venire recusantibus, cum omnia essent parata, altilia mactata, pauperes & mendici mensis admoti fuerunt. Nam si venissent, non nisi illis abunde satiatis reliquiæ mendicis contigissent. Ipsorum igitur rejectione effectum est, ut ad gentes celerius Euangelium deferretur, utque ab ipsis Apostolis gentibus prædicaretur; qui a Judæis excluſi ac rejecti, illam divinorum donorum abundantiam & copiam in gentes diffuderunt. Sed quo fine gentibus salus obtigit, seu euangelica gratia ad illos est translata? Quo fine illæ in populi Israëlitici locum successerunt? Num idcirco, ut jam in perpetuum Judæi a Dei gratia exulent? Nequaquam.

*Sed ut ad æmulationem provocentur.* A Judæis in gentes profecta est salus, a gentibus etiam ad Judæos redundare debet. Utrisque consultum voluit Deus, & gentibus Judæorum rejectione, & Judæis gentium conversione. Hac enim Judæi excitari & expergefieri possunt, ut tantam divinorum donorum copiam, ac rerum cœlestium notitiam, & omnis generis pietatem in gentibus conspicientes, æmulatione quadam accendantur, & vinci sese non patiantur a gentibus, ac sibi suam subtrahi felicitatem. Cum ergo hoc sit Dei consilium, hæc intentio, inde patet, quæ mens gentibus esse debeat erga Judæos, quam illos præ se contemnere, illis illudere ac insultare non debeant; quin imo omni ope niti, ut eos ad euangelicæ gratiæ consortium pertrahant. Quod ut tanto melius gentibus inculcaret ac persuaderet Apostolus, subjungit istius rei summam, quæ in gentes redundatura sit utilitatem, cum addit:

Vers. 12. *Si vero casus ipsorum divitiæ mundi.* Per *divitas* intelligit divitias spirituales, quæ in cognitione euangelicæ doctrinæ, in adeptione divinorum donorum, ac tandem æternæ salutis consistunt. Per *mundum* intelliguntur gentes, quemadmodum ex sequentibus verbis, quæ horum explicatio sunt, apparet. Quia enim τῷ παραπτώματι non satis apte divitiis opponitur, propterea, ut ea explicet, addit Apostolus:

*Et defectus eorum divitiæ gentium.* Ἥττημα diminutionem significat: sed satius est defectum seu paupertatem per ἥττημα, & abundantiam per πλήρωμα intelligere. Nam elegantius divitiis paupertas seu defectus opponitur. Hoc igitur dicere vult Apostolus: Hinc potestis cognoscere, quantum bonum per Judæorum conversionem in totum mundum reliquasque gentes sit dimanaturum, quod ipsorum paupertate ditatæ fuerint reliquæ gentes. Nam si paupertas illorum divitias attulit gentibus, quanto magis divitiis eorum ditabuntur Judæi? Illud enim non nisi ex accidente, hoc vero per se & sua natura fit. Judæis enim ad euangelium conversis, & participibus factis Christi & euangelii, quæ gens, quæ natio amplius cunctari poterit? toti terrarum orbi signum tollitur ad Christum accurendi, & illi sese subjiciendi: præterquam quod populus hic, in Sacris literis Veteris Fœderis a pueritia exercitatus, fidem Christi amplexus, non exiguum cumulum adjicere possit ad cognitionem rerum divinarum, quam gentes sunt adeptæ, præsertim quod ad Veteris Fœderis & Propheticorum scriptorum intelligentiam, & umbrarum cum corpore, seu typorum in Veteri Fœdere extantium, cum antitypis sub novo existentibus, collationem attinet.

Vers. 13. *Vobis enim dico gentibus, in quantum quidem gentium Apostolus, ministerium meum glorifico.* Verba hæc, *in quantum*, cum posterioribus potius, quam cum prioribus, *vobis dico*, conjungenda sunt. Dicit autem in his se glorificare munus suum, id est, illud glorioſum & illustre reddere: quod nihil est aliud, quam totis viribus conniti, ut quamplurimos Christo lucretur ex gentibus. Hac enim ratione maxime munus suum illustrabat, ac Spartam quam nactus erat ornabat Apostolus. Quanquam & aliis multis modis illustrare putari poterat: qualia erant miracula, tot labores quos exantlabat, tanta pericula. Interserit autem hæc verba: *in quantum quidem sum gentium Apostolus*: tum ut ministerium istud suum explicet ac declaret; tum vero inprimis, ut ostendat, se quidem officio suo adactum id operam dare, ut quamplurimos ex gentibus ad Christum perducat, utpote cum sit gen-

tium Apoſtolus, attamen ſe hac in re ipſos quoque Judæos ſpectare, & ad eorum converſionem ceu interiorem quendam finem, cuncta dirigere : quaſi dicat: Debeo id quidem vobis gentes, ut miniſterium meum quam maxime exornem,& illud quodammodo invidendum reddam, utpote cum ſim ad vos convertendos miſſus ; veruntamen id non tantum veſtri cauſa facio, ſed etiam Judæorum, ut vos convertendo illos quoque una eademque opera convertam.

Verſ.14. *Si quo modo ad æmulationem provocem.* Propter illam particulam εἰ πως (verſu præcedente) ſubaudiri debet adverſativa particula ἀλλὰ, eo quemmodo explicuimus ſenſu: cujus rei exemplum habes Actor. XIX.4: *Johannes quidem baptizabat baptiſma pœnitentiæ, populo dicens* &c. Subauditur particula *ſed: ſed populo dixit.*

*Et ſervem aliquos ex illis.* Illo tempore aliqui tantum ad æmulationem provocari & ſervari poterant; ut generatim omnes,id fieri non poterat,divina pœna & induratione, quam commeriti tanta contumacia fuerant, obſtante. Sed quod illo tempore in paucis quibuſdam contingebat, hoc extremo & ſecuturo tempore generatim in omnibus continget, ut zelotypia quadam & æmulatione accenſi, ac gentibus tantam felicitatem, tanta bona invidentes, ſuæ miſeriæ & paupertatis tandem pertæſi, recolligant ſeſe, & animum erigant, ac ad Chriſtum, tantorum bonorum largitorem, & ipſi ſupplices accedant, & converantur. Particula εἰ πως cauſam quidem finalem declarat,ſed quæ difficultatem ſibi habeat adjunctam, ac magnam curam, magnum ſtudium laboremque requirat.

Verſ.15. Iterum fructum illum ex converſione Judæorum manantem commemorat Apoſtolus, cauſam reddere volens tanti ſui in convertendis aliquibus ſaltem ex Judæis, ſtudii & laboris, oſtendens iſtius rei fructum in gentes redundaturum eſſe. *Si enim rejectio ipſorum reconciliatio mundi.* Per reconciliationem mundi intelligitur gentium ad Deum converſio, & cum eo contracta amicitia, ſic ut gentes ex inimicis Dei facti fuerint ejus amici, & Deus viciſſim eas penitus in gratiam receperit. Rejectio autem Judæorum,per Metonymiam cauſæ, dicitur eſſe mundi reconciliatio, quia occaſionem iſtius rei præbuit.

*Quæ erit receptio? niſi vita ex mortuis.* Receptio opponitur τῇ ἀποβολῇ Judæorum. *Receptio* Judæorum ſimiliter, per Metonymiam & Metaphoram,dicitur eſſe *vita ex mortuis*, per Metonymiam, quatenus eſt cauſa vitæ ex mortuis, nempe gentibus; per Metaphoram, quod vita ex mortuis non ſumatur proprie, ſed ſignificet bonum quoddam,vitæ ex mortuis, ſeu reviviſcentiæ cuidam ſimile & reſpondens. Tantum bonum Judæorum converſio toti mundo afferet, ut mundus renatus quodammodo ac revixiſſe videatur. Nam & Chriſtiani ingens gaudium ex converſione Judæorum ſunt percepturi; nec gaudium ſolum, ſed etiam commodum ac emolumentum. Populus enim iſte ſacris ſcripturis innutritus, accedente Euangelii luce, incredibilem ſplendorem cognitionis divinarum rerum in omnes poterit diffundere : & homines alii Chriſti diſciplinam rejicientes Judæorum ſequentur exemplum, & Chriſto quoque nomen dabunt, ſic ut hac Judæorum converſione mundus novam quandam formam ſortiturus eſſe videatur.

Verſ. 16. Redit Apoſtolus ad principalem theſin verſ.11 propoſitam, Deum non in perpetuum Judaicum populum repudiaſſe, ſic ut eum in gratiam iterum recepturus non ſit. *Si vero primitiæ ſanctæ, & maſſa.* Particula δὲ hoc loco idem valet quod *porro.* Per *maſſam* intelligitur populus Judaicus in genere ſumtus: per *primitias* intelliguntur primi illi populi iſtius autores ac parentes, qui ſancti dicuntur propterea, quod a Deo peculiariter fuerunt electi & dilecti, illique conſecrati. Hæc autem ipſorum ſanctitas quodammodo in omnem eorum poſteritatem redundat, tum ex ipſa rei natura, (fit enim ut divina gratia a parentibus in filios hæreditario quodam jure derivetur ac devolvatur, quatenus nimirum ad eam jus & acceſſum peculiarem habent) tum ex divino fœdere ac promiſſo, quo Deus ſeſe ipſorum parentibus adſtrinxit, ſe non tantum ipſorum, ſed etiam poſteritatis eorum Deum fore, eamque ſumma felicitate cumulaturum eſſe. Interim tamen fieri poteſt, ut aliqui ex iis indignos ſeſe gratia divina ac majoribus ſuis reddant, ſi nimirum contrarium ejus rei in illis appareat, quo Majores eorum ſeſe Deo maxime commendarunt, nempe fidei. Tales qui ſunt, omni ſeſe jure & ad gratiam divinam aditu privant. Nemo poteſt in illud jus naſci quod Pater amiſit: ipſorum tamen poſteri ſemper in jus divinæ gratiæ veniunt, & quandocunque majoribus ſui digni evadunt, gratiam divinam pleno ſibi jure vindicant. Hoc igitur habet Judaïcus populus præ cæteris omnibus gentibus, quod omnes naſcantur in jus divinæ gratiæ: quo jure ſe privant illi, qui majoribus ſuis indigni, incredulos ſe & immorigeros Deo præbent. Licet autem iſtorum poſteri parentum fere ſequantur veſtigia, ac proinde ipſi ſe hoc jure privent: quia tamen non tam contumacia, quam inveterata jam & inolita conſuetudine peccant, & Chriſti doctrinæ fidem derogant; propterea majorum ipſorum ſanctitas, & divinum illud, quo Deus ſeſe illis obſtrinxit, fœdus requirit, ut Deus illis occaſionem incredulitatis illius abjiciendæ ſuppeditet, & eorum ad ſe converſionem ipſe primus procuret. Alludit autem Apoſtolus in his verbis ad manipulum & panes illos duos, qui ex frugum primitiis ab unoquoque Deo offerebantur & conſecrabantur; qui manipulus & panes conſecrati reliquas fruges, & quæcunque toto illo anno ex iis maſſæ fiebant, conſecrabant ſeu ſanctificabant, id eſt, efficiebant, ut reliquæ fruges & maſſæ mundæ eſſent, iiſque veſci ac frui liceret. Antequam enim panes illi offerrentur, reliquæ fruges eatenus immundæ erant, quatenus iis veſci fas non erat. Sic ergo & illi primi gentis Judaicæ parentes univerſum populum conſecrarunt & ſanctificarunt, id eſt, effecerunt, ut Deo præ cæteris gentibus chari eſſent, & in jus divinæ gratiæ ac promiſſionum ejus naſcerentur. Quemadmodum autem maſſa aliqua per panes iſtos conſecrata, poterat aliunde impura reddi, verbi cauſa per impuræ beſtiæ contactum: ſic populus hic in univerſum & in genere, ſeu ratione originis & generis conſecratus, aliunde pollui & impurari poterat, peccatis nimirum & incredulitate.

Alia ſimilitudine rem eandem declarat Apoſtolus: *Si radix ſancta, etiam rami.* Quid per radicem, quid per ramos intelligendum, ex dictis ſatis conſtat.

Verſ.17.

Verſ.17. Oſtenſa jam tanta Judæorum dignitate, & præ cæteris gentibus prærogativa, nunc hortatur gentes quæ crediderunt, ne Judæos incredulos præ ſe contemnant, illiſque inſultent. Id autem exequitur Apoſtolus per occupationem objectionis, quam ſic proponit, ut gentium faſtum retundat, & viam ſibi ſternat ad monitionem ſequentem. *Si vero aliqui rami effracti ſunt.* Occaſione ſimilitudinis iſtius a ramis ducta poterat aliquis dicere; ramos iſtos, licet ex optima radice ortos, effractos jam eſſe, & a ſua radice avulſos ac reciſos, ac proinde nihili jam faciendos & contemnendos, nihilque illis radicis ſanctitatem prodeſſe; ſe vero in locum iſtorum ramorum eſſe inſertos, ac proinde jure ſe gloriari poſſe. Hanc objectionem tum proponens, tum diluens Apoſtolus, multis modis faſtum hunc retundit. Primum cum dicit: *aliqui*, oſtendens, non omnes ramos, ſed aliquos tantum eſſe fractos. Deinde dum quemvis gentilem ἀγριέλαιον appellat: *Tu vero ſilveſter oleaſter exiſtens.* Per Synecdochen totius pro parte *oleaſter* ponitur pro *ſurculo* aliquo aut palmite ramove ejus. Nec enim quivis ex gentibus eſt *oleaſter*; nec tota arbor ſolet inſeri, ſed tantum ſurculi aut tenuiores ramuſculi. Sylveſtris autem ſurculus non ſolet inſeri bono alicui trunco. Fructus enim naturam ſurculi, non trunci, ſequitur. Quare dum quemvis ex gentibus *oleaſtrum*, hoc eſt ſylveſtris oleæ ſurculum appellat, oſtendit, eum nullo prorſus jure, ac præter naturam quodammodo, quemadmodum verſ. 24 loquitur, trunco iſti ſeu arbori populi Judaïci inſertum eſſe, ac proinde nullam habere ſuperbiendi ac Judæis inſultandi materiam & cauſam.

*Inſertus es in ipſis.* Id eſt, inter ipſos, nempe ramos. Non omnes autem fractos dixit, ſed quoſdam, tacite oſtendens, multum ramorum naturalium arbori ſuæ inhærere, inter quos ſylveſtres iſti rami inſerti hærebant: ac proinde hinc quoque modeſtiæ ac humilitatis argumentum capere vult gentiles, quod non ſoli ramos iſtius arboris ſpiritualis conſtituant, ſed naturalibus ſint permixti ramis, & ſi oculos ad illos attollant, eſſe cur faſtum ſuperciliumque ponant.

*Et comparticeps radicis & pinguedinis oleæ factus es.* Verbum συγκοινωνὸς exprimit quidem participationem ſeu communionem alicujus rei, ſed talem, quam quis non jure aliquo habeat, ſed ad quam admiſſus ſit. Quare & hoc verbum faſtum gentium retundit. Radicis autem particeps ſit, qui illi inſertus eſt ac cum illa conjunctus, ſic, ut & radix ad illum, & ille ad radicem pertineat, quod gentibus contigit, quæ per fidem in Chriſtum pro poſteris Abrahami reputantur. Pinguedo autem oleæ divinam gratiam, & ex ea manantia divina beneficia ſignificat; olea vero populum Iſraeliticum.

Verſ. 18. *Ne glorieris contra ramos.* Ne illos præ te deſpicias, faſtu & ſuperbia elatus. *Si vero gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.* Conciſe loquitur Apoſtolus, quaſi hoc tum demum, ſi quis glorietur, conſequatur. Sed ſubaudiendum eſt aliquid, verbi cauſa, ſi gloriaris, hoc tibi veniat in mentem, hoc cogita, quod *non tu radicem portes, ſed radix te*: id eſt, quod nihil ex te in radicem, id eſt in populum Judaïcum, ex iſta radice, hoc eſt ex iſtis ortum redundet boni; ſed ex illis in te omnis felicitas manat ac redundat: non illi felicitate & gratia divina propter te, ſed tu propter illos frueris: tu ex illis ſuccum omnem & pinguedinen ſugis. Et hoc idem eſt cum eo, quod ſuperiori verſu, faſtum hunc ſimiliter retundere volens, dixerat, ſylveſtrem oleaſtrum eſſe comparticipem radicis & pinguedinis oleæ. Propria enim hæc ipſorum bona ſunt, & quicquid felicitatis adhæret. Hinc Paulus infra cap. 15.27 ſcribit, gentes bonorum ſpiritualium Judæis propriorum participes factas, debere quoque Judæos in communionem bonorum iſtorum carnalium admittere.

Verſ. 19. Ex his autem, quæ dixi, nempe Judæos ramorum inſtar effractos & exciſos eſſe, te autem in eorum locum inſertum & ſubſtitutum eſſe, tu inferes: Nam hanc vim habent verba, *Dices igitur.* Particula *igitur* oſtendit, id quod hic dicitur ex dictis inferri, & Apoſtolo objici. *Effracti ſunt rami, ut ego inſererer.* Non poteſt hoc ex ſuperius dictis colligi, inſertionem gentium fuiſſe cauſam finalem effractionis Judæorum, quemadmodum opponens iſte loquitur, nec hoc etiam uſquequaque verum eſt: poterant enim rami naturales non effringi, & tamen rami iſti ſylveſtres illis inſeri: niſi dicamus, hunc objicientem reſpicere ad ipſam ſimilitudinem, eamque nimis trahendo, colligere ex ea, inſertionem hanc effractionis eſſe finem. Cum enim rami arbori alicui inſeruntur, ideo priores amputantur, ut novis ſit locus. Quod ſi ergo illi ſunt exciſi ut ego inſererer, an non jure exulto? an non merito eos præ me contemno, qui ut mihi locum darent, cedere ſunt coacti? Hinc enim apparet, me illis longe digniorem eſſe.

Verſ. 20. Καλῶς *Recte* ſane, ſit ita. Dat hoc, non concedit Apoſtolus quod iſte ait, & ex verbis Pauli educit: ſed conſiderandam illi ſubjicit cauſam, propter quam & illi effracti, & ipſe inſertus ſit, ſimulque ſuperbiam & ſecuritatem illi adimit.

*Incredulitate effracti ſunt.* Verum eſt, effractos illos eſſe, ſed non tam illud tibi conſiderandum eſt, quod effracti fuerint, quam qua de cauſa fuerint effracti. Quam vero ob cauſam effracti ſunt? ob incredulitatem. Una igitur incredulitas illis nocuit. Tu quoque inſertus es: ſed quamobrem? ob fidem.

*Tu vero fide ſtas.* Verbum ἕστηκας poteſt reſpicere ad ramorum inſertionem, qua ſtant defixi; ſed poteſt etiam ſimpliciter ſumi de ſtatu beato ac felici, cum quis in Dei gratia eſt conſtitutus, ita ut opponatur τῷ πτώματι, id eſt *caſui*, qui miſerum alicujus ſtatum, æternum nimirum interitum ſignificat. Eandem ſignificationem habes infra cap. 14.4. 1 Corint. 10. 11, 12. 2 Cor. 1. verſ. ult. Hinc jam occaſionem ſumit Apoſtolus monendi eum ne ſuperbiat, vel ſecure agat, quod ſuperbiam ſequi ſolet.

*Ne altum ſapias.* Quandoquidem illi ob ſolam incredulitatem divina gratia exiderunt, tu vero ob fidem in eam admiſſus es; nullam habes tui efferendi cauſam. Non enim ulla tua dignitate ac merito præ illis id factum eſt; ſed quod illi non crediderint, tu vero credideris. Fides utramque paginam facit.

*Sed metue.* Quin potius ex eo, quod cum ramis iſtis factum vides, cauſam & occaſionem tibi metuendi ſume.

Verſ. 21. *Si enim.* A minori ad majus argumentatur Apoſtolus. Ne forte & tibi non parcat, ſubintellige, metue.

*Vide igitur bonitatem & ſeveritatem Dei.* Pergit in hoc homine, hoc eſt quovis gentili, qui in Chriſtum credidiſſet, admonendo, vultque ut perpendat non tantum bonitatem ſeu benignitatem divinam ſibi exhibitam,

bitam, ſi forte hac elatus animo ſuperbiat; ſed etiam ut ex altera parte ſeveritatem ejus perpendat, quo ſuperbus & ſecurus eſſe deſinat. χρηστότης hoc loco complectitur in ſe tum clementiam divinam, quæ pœnas aufert, tum etiam beneficentiam, quæ bonis aliquem cumulat.

*Super eos qui ceciderunt.* Hoc loco *caſus* videtur ſumi de Judæorum peccato, ſcilicet incredulitate. Poteſt etiam ſumi pro eorum rejectione & interitu.

Ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι. Articulus τῇ oſtendit, de eadem benignitatie agi, nempe de divina: *Permanet autem in divina benignitate*, quiſquis illa ſe dignum perpetuo præſtat, & facit, ne ea ſibi oblata ſemel privetur unquam. Hoc ſenſu Judas vult, ut nos ipſos in charitate Dei ſervemus ℣. 21. Tacite igitur oſtendit Apoſtolus, hanc benignitatem divinam, quæ credentibus contigit, eſſe talem, ut facile quis ea privari queat, ſua nimirum culpa, ſi nempe eam conditionem habere deſinat, qua eam adeptus eſt. Quibus enim mediis divina benignitas paratur, iiſdem & retinetur.

*Alioquin & tu excideris.* Oſtendit parem conditionem ejus eſſe cum conditione Judæorum; imo, ut verſ. 21 innuerat, aliquo modo deteriorem, ſi nimirum & ipſe incredulitate Judæis ſiat ſimilis; ac proinde nullam eum ſuperbiendi & ſecure agendi habere cauſam. E contrario vero oſtendit Apoſtolus, Judæorum hac in re parem eſſe cum gentibus conditionem, imo etiam aliquo modo meliorem, quod abjecta incredulitate in gratiam divinam faciliorem habeant receptum; ac proinde nullam habere gentes cauſam cur eos contemnant iiſque inſultent. Parem autem eorum hac in parte eſſe conditionem, primum docet Apoſtolus; deinde argumento, ut ſupra, a minori ad majus confirmat, & ſic meliorem Judæorum conditionem eſſe demonſtrat.

Verſ. 23. *Et illi inſerentur.* Id eſt, in gratiam divinam recipientur. Et ne quis putaret hoc eſſe impoſſibile, ut rami effracti & abſciſſi iterum arbori ſuæ inſerantur, & cum ea coaleſcant, etiam calore nativo penitus jam, ut videbatur, amiſſo, ſubjungit Apoſtolus:

*Potens enim eſt Deus rurſum inſerere ipſos.* Quatenus vox inſerendi receptionem in gratiam divinam ſignificat, nomen δυνατὸς de ſolo jure ſeu poteſtate divina accipi poteſt: recipientur in gratiam, ſi non permanſerint in incredulitate; quia Deus jus & poteſtatem habet eos in gratiam recipiendi, quo pacto etiam ſumitur infra cap. 14. 4. Sed quia inſertio iſta, ſeu in divinam gratiam receptio, id præſupponit, ut quis incredulitatem abjiciat & credat, atque hoc fortaſſe potiſſimum erat quod gentibus impoſſibile videri poterat, ut Judæi tam obſtinati Chriſti hoſtes, & a Deo excæcati, & indurati inſuper, fidem in Chriſtum amplectantur: propterea vox δυνατὸς & potentiam ſignificare videtur, ob quam fiat, ut illi, licet jam a ſua arbore reciſi exaruerint, ac inhabiles ad fidem, ac proinde ad gratiam divinam adipiſcendam redditi fuerint, iterum cum arbore ſua & radice coalituri ſint. Tertiam igitur objectionem his verbis occupat Apoſtolus, & rei impoſſibilitatem penitus removet; qua remota revertitur ad ſuum inſtitutum, quod eſt, Judæos relicta incredulitate inſertum iri ſuæ arbori & radici, idque probat argumento a minori ad majus ducto, oſtendens, meliorem eſſe hac in parte Judæorum præ gentibus conditionem.

Verſ. 24. *Si enim tu.* Argumentatio hæc eſt plana, nec eget explicatione. Gentiles homines ex naturali ſua ſylveſtri exciſi oliva, inſerti ſunt præter naturam in bonam oleam: quanto magis Judæi ex ſua quoque naturali olea exciſi oleæ iterum inſerentur, cum & ipſi oleæ ſuæ, & illis olea naturalis ſit & propria. Et quia hæc inſertio præſupponit fidem eorum in Chriſtum, cum fide fiat, (ne quis putet impoſſibile eſſe ut Judæi unquam in Chriſtum credant, quandoquidem fuerint indurati a Deo) huic objectioni occurrens Apoſtolus ſubjungit:

*Nolo enim vos ignorare.* Nempe quod ſtatim affert. Quam rem *myſterium*, id eſt, rem occultam eſſe dicit, quia a nemine ſciri niſi ex divina revelatione poterat, præſertim cum omnia quæ tunc cernebantur, contrarium ſuadere viderentur. Inſerit autem cauſam, cur eos myſterium hoc (cum alioquin myſteria propalari & divulgari non ſoleant) ignorare nolit:

*Ne apud vos ipſos prudentes ſitis.* Ne vobis ſapere videamini, hoc eſt, ne ſuperbiatis. *Ne tibi videaris ſapiens in oculis tuis*, inquit Salomon Prov. 3. 7, id eſt, ne ſuperbias. Plerumque enim illi qui ſuperbiunt, ſibi ſapientes videntur: et ſuperbia ex opinione ſapientiæ naſcitur. Solet quidem naſci aliunde etiam, ex divitiis, ex generis nobilitate, ex aliis corporis dotibus; ſed opinio ſapientiæ, quæ bonum quoddam divinum videtur, & cui corporis dotes conferri nequeunt, animum mire inflare ſolet, & ſuperbiam producere. Unde Paulus 1 Cor. 8, *Scientia inflat.* Hinc fit, ut illi qui ſuperbiunt, per eos qui ſapere ſibi videntur, deſignentur. Superbire autem poterant gentiles, ſi crederent Judæos jam in perpetuum divina gratia excidiſſe, nec unquam tempus fore, ut iterum in eam recipiantur, ac proinde gratiam divinam jam ſibi fore propriam ac perpetuam, Deumque, niſi penitus gloria carere velit, non poſſe gentes abdicare. Ne ergo ejuſmodi cogitationes animos eorum occuparent, ac ſuperbiæ materiam ſuggererent, propterea illis hoc myſterium aperit, quod cognitum mire faſtum gentium retundere poſſet. Quodnam autem eſt illud myſterium?

*Quod induratio ex parte Iſraëli contigit, donec plenitudo gentium ingrediatur.* Quod induratio hæc, quæ ex parte, id eſt, multis Judæorum, non tamen omnibus, quemadmodum ſuperius docuit, contigit, non futura ſit perpetua, ſed certo ſpatio ac tempore definita. Spatium autem hoc & tempus eſt ingreſſio plenitudinis gentium. Plenitudo gentium multitudinem ſeu univerſitatem ſignificat. Ingreſſio ſignificat ingreſſionem in Dei Eccleſiam. Poſtquam enim univerſæ gentes Eccleſiam Dei fuerint ingreſſæ, omneſque occaſionem habuerint amplectendi Chriſti Euangelii, tolletur hæc πώρωσις Judæorum, id eſt, Deus illis ampliſſimam dabit occaſionem, & omnia impedimenta amovebit in Chriſtum credendi. Unde conſequetur id quod ſtatim ſubjicit Apoſtolus verſu ſequenti. Videtur autem 20 cap. Apocalypſeos prophetia contineri de complemento hujus univerſarum gentium ingreſſus. Illa enim reſurrectio prima, cujus ibi fit mentio, nihil aliud eſſe videtur, quam emerſio ex tenebris ignorantiæ divinæ voluntatis. Iſtius autem reſurrectionis duæ ſunt partes aut membra, quorum unum pertinet ad eos qui Chriſti nomen adhuc profitentur, licet ſub Antichriſto degentes veluti mortui fuerint; alterum ad alios homines & gentes Chriſtianæ religionis prorſus expertes. Chriſtiani nominis homines ſua reſurrectione, quæ eſt ex tenebris Antichriſtianis emerſio, prævertent mille annis reſurrectionem illorum omnium, & mille annis cum Chriſto regnabunt, id eſt, per mille annos inter Chriſtianos populos pura Chriſti religio ac veritas regnabit. Mille autem

tem

tem iſti anni non ita præciſe ſumendi ſunt, quin liceat ultra vel citra aliquid numerare. Mille autem annis exactis ad alios quoque populos divina veritas perveniet, ut hi quoque ex tenebris & morte iſta ſpirituali emergant, & cum Chriſto regnent. Quo facto, nova illa & cœleſtis Hieruſalem, Eccleſia nimirum ex Judæis collecta (quanquam eadem cœleſtem quoque fidelium rempublicam ſeu mavis ſtatum ac conditionem ſignificat, quæ poſt mundi hujus finem exiſtet) conſtituetur, de quo ſequenti ſtatim capite agitur. Qui in hac reſurrectione prima partem habet, mortem ſecundam, id eſt interitum ſempiternum effugiet. Morti enim primæ, quæ eſt ignorantia divinæ veritatis, & eam conſequens vita variis peccatis & ſceleribus polluta, opponitur reſurrectio prima. Mortis tamen primæ non fit mentio, quia in reſurrectione prima ad eam fit reſpectus, & ſimul eum ea connotatur. Reſurrectioni primæ ſecunda reſpondet reſurrectio, morti primæ reſpondet mors ſecunda. Et quemadmodum morti primę opponitur reſurrectio prima, ita etiam, quę morti primæ reſpondet, & ejus eſt conſequens, morti ſecundæ: et viciſſim quemadmodum mors ſecunda reſurrectioni primæ opponitur, ita etiam ejus conſequenti, reſurrectioni ſecundæ. Reſurrectio prima eſt ex prima morte converſio: reſurrectio ſecunda eſt a ſecunda morte, id eſt interitu ſempiterno liberatio.

*Et ſic omnis Iſrael ſervabitur.* Et ſic, id eſt, non alia ratione, quam poſtquam id factum fuerit. *Omnis*, non pars tantum aliqua, ut nunc, ſeu reliquiæ quædam, ſed generatim omnes Iſraelitæ. *Servabitur*, id eſt, remiſſionem peccatorum ſeu juſtificationem ac vitam æternam adipiſcetur. Sed quia hanc nemo adipiſcetur, niſi in Chriſtum credat, ut jam ante demonſtravit Apoſtolus, propterea in hac ſalute ſubintelligitur Judæorum ad Chriſtum converſio, & perinde eſt ac ſi dixiſſet Apoſtolus: & tunc omnis Iſrael ad Chriſtum convertetur, atque ita ſervabitur. Dicitur autem *omnis Iſrael* ſeſe ad Chriſtum converſurus propterea, quod tales occaſiones & cauſas ejus rei habebit, ut fieri vix queat, niſi quis extreme malus ſit ac contumax, quin ſeſe ad Chriſtum convertat. Habuerunt autem ab ipſo euangelii initio magnam ſeſe ad Chriſtum convertendi occaſionem; & quod attinet ad miracula ac divinos euangelii præcones, nunquam habituri ſunt tantam: ſed aliud erit quod hunc defectum penſabit. ubi enim viderint omnes profanas gentes Chriſtum adorare, ubi viderint tantam in eis divinarum rerum notitiam ac cognitionem: ubi viderint ſe tam diu ſpe ſua & expectatione adventus Meſſiæ fruſtrari, ac tempus jam prętericiſſe, quo eum venturum rebantur: redibunt tandem & ipſi ad Chriſtum regem ſuum clementiſſimum ſupplices, & venia peccatorum impetrata, ſervabuntur.

Confirmat deinde omnem Iſraelem ſervatum iri, Scripturæ teſtimonio: cujus prior pars ex duobus Eſaiæ locis concinnata videtur. Priora enim verba, *Veniet ex Sione qui eripit*, deſumta ſunt ex cap. Lix. 20, niſi quod in Hebræo textu non ſit ſcriptum ex Sione, ſed Sioni, hoc eſt, populo ex Sione. *Venturus*, id eſt, exoriturus eſt is qui eripit, ὁ ῥυόμενος, id eſt, redemtor, liberator. Participium enim poſitum eſt pro nomine. Non eſt autem neceſſe, ut hunc adventum redemtoris iſtius ex Sione ad illum actum de quo hic agitur, id eſt, Judæorum converſionem & ſalutem reſtringamus; quaſi tum demum dicatur venturus, cum hoc fiet, ſeu cum avertet impietates a Jacob. Poſſunt enim hæc tempore disjungi, & alio tempore liberator iſte venire, & alio deinde tempore Jacobeos ſervare. Poteſt enim ſimul & adventus ſeu ortus alicujus prædici, & id quod is longo licet tempore poſt exortum ſuum ſit geſturus; præſertim cum id ſuo modo etiam ſtatim poſt adventum ſuum agere cœperit, licet plenus iſtius rei effectus longiſſimo demum poſt tempore fuerit ſecutus. Sed ſi legas ex Hebræo *Veniet Sioni*, vel *ad Sionem*, poterit intelligi adventus quem proxime conſecutura ſit illa averſio impietatis a Jacob. Advenire enim tum Deus tum Chriſtus dicitur, cum aliquid ſingulare & eximium inter homines præſtat, eoſque vel punit, vel beneficiis afficit. Vide Epheſ. 2. 17. *Et avertet impietates a Jacob.* Pro verbis quæ apud Eſaiam ſunt dicto loco, nempe *& ad redeuntes a prævaricatione Jacob*, ſcilicet veniet redemtor, maluit apoſtolus ad alia ejuſdem Eſaiæ verba ex cap. XXVII. 9 reſpicere, eaque potius afferre, in quibus de re principali, & præcipua, nempe de ſalute Judæorum agitur, idque ideo quod averſio iſta impietatum non niſi redeuntibus ex prævaricatione continget. Per *impietates* igitur, quas redemtor avertet a Jacob, principaliter intelligi debent pœnæ impietatum, conſequenter autem ipſæ etiam impietates, ſeu Judæorum peccata & incredulitas. *A Jacob* id iſt a Jacobeis. Quod nomen quia eſt indefinitum, vel potius generale, propterea generatim de omnibus Jacobeis eſt intelligendum. Quare hac Prophetia promittit Deus, ſe ab omnibus Jacobi poſteris peccata ablaturum: quod quia ab initio euangelii factum non fuit, licet non ſine propria eaque magna Judæorum culpa, fiet tandem aliquando, cum Deus omnia impedimenta & obſtacula tollet, quibus Judæi ab euangelio Chriſti recipiendo arcebantur, & aptiſſimam illis omnibuſque modis abſolutam & perfectam dabit euangelii recipiendi cauſam & occaſionem.

Verſ. 27. Ad priorem Eſaiæ locum redit Apoſtolus, ulteriuſque ſuam theſin confirmare volens ſubjungit: *Et hoc ipſis illud a me fœdus*, id eſt, hoc cum illis fœdus pangam, ſeu hæc erit illius fœderis quod ego cum illis pangam vis, hic effectus, ut tollam ipſorum peccata.

*Quando tollam peccata ipſorum.* Iterum Apoſtolus pro Eſaiæ verbis, quibus hoc fœdus dicto loco explicatur, ſubſtituit verba Jeremiæ, propterea, quod apud Eſaiam illa tantum pars iſtius fœderis divini commemoratur, quæ in eo conſiſtit, ut Deus efficiat, ut homines ſuum quiſque in fœdere officium faciat. Eſt enim apud Eſaiam cap. LIX. 1, *Spiritus meus qui in te & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui.* Quod nihil aliud eſt, quam ego efficiam, ut verba & mandata mea obſerves. Unde poſtmodum conſequitur altera illa fœderis pars, nempe peccatorum ablatio. De qua cum potiſſimum agendum ſit Apoſtolo, propterea maluit Jeremiæ de eodem divino fœdere verba citare: in quibus utraque hæc pars Cap. XXXI ſigillatim explicatur. Una autem commemorata eaque præcipua ac primaria,

primaria, altera quoque tacite includitur & ſubindicatur.

Verſ. 28. Occurrit deinde tacitæ objectioni apoſtolus, quando ſubjungit: *Secundum quidem euangelium inimici propter vos.* Poterat enim aliquis dicere, fieri non poſſe, ut Iſrael totus ſervetur, & tantam Dei gratiam experiatur, quandoquidem & illi ſint Dei inimici, & Deus illorum. Reſpondet apoſtolus, illos inimicos quidem eſſe, ſed nihilominus tamen a Deo diligi, verum diverſo reſpectu. Docet odium erga illos eſſe, cum amore recta quadam ratione conjunctum, adeoque non eſſe plane perfectum, ſed aliqua charitatis admiſtione temperatum, præſertim quod ad totum populum attinet, non vero quod ad ipſa illa individua, quæ perdere decreverat Deus. *Secundum quidem euangelium*, ſi euangelium reſpicias, ab illis ſcilicet repudiatum & rejectum, habita ratione euangelii, quatenus nimirum ab illis repudiatum fuit. Maluit autem dicere Apoſtolus, *ſecundum euangelium*, quam ſecundum rejectionem, licet hac ratione melior oppoſitio fuiſſet inter hæc membra; rejectio enim electioni opponitur. Sed maluit ſic loqui, ut oſtendat, rejectionis iſtius in illis cauſam fuiſſe, nempe quod ipſi priores euangelium rejeciſſent.

*Inimici.* Opponit huic voci vocem *dilecti*: unde apparet, hic magis de odio ipſius Dei erga Judæos agi, quam illorum erga Deum. Sed iterum ſic loqui maluit apoſtolus, ut innueret, illos prius a Deo alienatos animo fuiſſe, & odium in illum concepiſſe; quo factum eſt, ut & Deus illis redderetur inimicus & infenſus.

*Propter vos.* His verbis & finalis, & impulſiva cauſa ſignificari poteſt. Finalis, quatenus Deus Judæos magno gentilium bono rejecit (inimicitiæ enim iſtæ magis in effectu quam in affectu conſiſtunt, tum Judæorum erga Deum, tum Dei erga Judæos) quaſi dicat apoſtolus: inimici ſunt facti magno veſtro bono, ut vobis hac ratione conſuleretur & ſaluti veſtræ, nempe ut ad vos euangelium tranſferretur. Sed ſatius eſt cauſam impulſivam intelligi, ut tanto aptius membra opponantur. Gentes ergo aliquo modo cauſa fuerant impulſiva, ut Deus rejiceret Judæos, & animo ab illis alienaretur, quatenus videbat gentes aptas eſſe ad recipiendum euangelium, quod Judæi repudiabant (quæ ingratitudo Deum prius impulit) & ſperabat illas fructum euangelio dignum allaturas: quemadmodum etiam innuit Dominus Jeſus: *Auferetur*, inquit, *a vobis regnum Dei, & dabitur genti fructum ferenti in tempore ſuo.* Niſi enim vidiſſet Deus alias eſſe gentes ad recipiendum euangelium aptas præter Judæos, fortaſſis Judæorum contumaciam magis longiuſque tuliſſet. Hactenus igitur ſunt inimici.

*Verum ſecundum electionem dilecti propter patres.* Alio tamen reſpectu ſunt Deo chari & dilecti, habita nimirum ratione electionis, qua eos Deus ſibi ex omnibus gentibus & nationibus peculiariter ſumpſit fovendos. Et licet plurima ex iis individua, imo etiam per certum aliquod idque longiſſimum tempus, peccatis illorum & incredulitate id merente, amore & gratia divina careant: nihilominus tamen ipſa hæc ſtirps per ſe conſiderata Deo chara eſt, quia illam ſibi delegit fovendam: quæ res facit, tum ne hæc ſtirps unquam deficiat & intercidat; tum ut contumax facta, & diu contumaciæ pœnis exercita, tandem revocetur a Deo, & ipſius grátiam ac miſericordiam ſeu occaſionem & oportunitatem ejus rei maximam habeat. Nunquam Deus in hominibus quibuſcunque tandem ad ſe convertendis vi agit, ſed libertati noſtræ ſemper relinquit locum.

*Propter patres.* Iſti patres non dilectionis ſolum, ſed etiam electionis iſtius cauſa ſunt. Ipſorum enim pietas & fides tanti apud benigniſſimum Deum fuit, ut poſteritatem eorum peculiariter ſibi fovendam ſuſceperit, ac fœdere illis ſe devinxerit. Dilecti ſunt tum propter parentum fidem ac pietatem, quam in poſteritate eorum remunerari vult Deus; tum propterea, quod id patribus promiſerit, ac illis ſeſe obſtrinxerit.

Verſ. 29. Et ne quis cogitaret, pœnituiſſe aut pœnitere Deum iſtarum ſuarum promiſſionum, ac proinde eas ob tantam poſteritatis degenerantis indignitatem revocaturum eſſe, ſubjungit: *Impœnitibilia enim dona & vocatio Dei.* Ideo dico, illos a Deo adhuc diligi, quia jam olim eos diligendos ſuſcepit, idque patribus eorum fœdere cavit; quia Deum non ſoleat unquam pœnitere ſuorum beneficiorum, beneficiorum inquam, quæ ſpopondit, quatenus nimirum ſpopondit. Nam ſi ſpopondit ſub conditione, ſolet Deus non præſtita conditione beneficium ſuum etiam non præſtare. Si vero ſpopondit ac promiſit beneficium ſuum, ſine conditione ulla (quanquam pauciſſima eo pacto promittit) nunquam Deus promiſſum ſuum revocat ac reſcindit, quæcunque tandem ſit eorum quibus promiſit indignitas. Dedit id patrum Judaicæ gentis pietati ac fidei, idque illis promiſit, poſteritatem ipſorum quamdiu Sol, Luna, & ſtellæ lucem ſuam ſervabunt, & officia ad quæ deſtinata ſunt præſtabunt, ut conſtat ex Jerem. 31. 36, 37, non defecturam, & illis peculiariter ſeſe præ cæteris omnibus nationibus adfuturum, ac ejus memorem futurum. Hoc promiſſo obſtringitur Deus, ut & ſtirpem hanc perpetuo conſervet, & tandem etiam aliquando ejus miſertus eam ad ſeſe convertendam curet. Sed ut aliis præter hæc beneficiis vel felicitate aliqua carnali vel ſpirituali & æterna eos afficiat Deus, propter iſtam electionem eorum eorumque patres, id facere non tenetur, ſi illi ſeſe divinis beneficiis reddiderint indignos, pœnis autem & ſuppliciis digniſſimos. Hinc videmus eos jam olim toties a Deo graviſſime fuiſſe punitos tum in deſerto, tum in terra Chananæa, in qua ſæpe oppreſſi & afflicti, ex eaque pulſi, fugati & captivi abducti fuerunt. Vix quidquam videtur eſſe potuiſſe certius illa Jacobi benedictione Geneſ. 49. Exod. 32. 10, quam unicuique filiorum in Ægypto dederat; & tamen parum abfuit quin omnes iſtæ ſtirpes interierint ſolo Moſe ſuperſtite, ex quo, ut tamen divinis promiſſionibus conſtaret fides, gentem educere volebat Deus, illique terram Chananæam tradere. Non loquitur hic apoſtolus de beneficiis divinis, quæ Deus in aliquem ſimpliciter tantum contulit: cum horum ſæpe Deum pœnitere ſoleat, unde fit ut ea etiam revocet, iiſque indignos privet: ſed quæ ex pacto & promiſſo ſuo confert & collaturus eſt.

Propterea ſtatim addit: *Et vocatio Dei.* Vocatio iſta Dei eſt divinæ gratiæ oblatio. Nunquam Deum pœnitet oblatæ alicui gratiæ, ſive genti, ſive homini. Quocirca cum Abrahami ſtripi ac poſteritati gratiam ſuam ac favorem ſemel obtulerit, nunquam eam ita revocat, quin ſtirpis illius ſit memor, eamque per

multa

multa licet ſecula afflictam & rejectam tandem aliquando tamen ad ſe convertendam curet, & converſam in gratiam ſuam miſertus illius recipiat. Non eſt autem abs re, ut iſtam pœnitibilitatem magis de effectu ipſo, nempe de revocatione beneficiorum accipiamus, quam de animo & affectu.

Verſ. 30. Ad principalem ſcopum rediens apoſtolus, qui verſ. 26 continetur, nempe fore tempus ut univerſus Iſrael ſervetur, cujus gratia hæc quæ hactenus explicuimus, dixerat apoſtolus, ita ut in his quoque ſcopus iſte tacite lateat (huc enim tendunt omnia, Deum aliquando miſericordia adverſus Judæos uſurum, eoſque ad ſe converſurum, & ſic ſervaturum) huc ergo reſpiciens apoſtolus per elegantem comparationem id docet. *Quemadmodum enim etiam vos quondam inobedientes*, ſeu potius contumaces *fuiſtis Deo*. Non debetis ex iſta ipſorum erga Deum contumaica id colligere, Deum jam eorum in perpetuum eſſe oblitum, nec ullam eorum rationem in poſterum habiturum. Annon enim & vos aliquando contumaces in Deum fuiſtis, nunc vero miſericordiam eſtis conſecuti?

*Nunc vero*. Et tamen venit iſtud tempus, quo veſtri miſertus eſt Deus, nempe gratiam ſuam euangelicam vobis offerendo, & ampliſſimam occaſionem vobis præbendo ipſum agnoſcendi, colendi, ac proinde æternam ſalutem adipiſcendi.

*Horum contumacia*. Miſericordiam autem hanc conſecuti eſtis Judæorum incredulitate & contumaica. Hęc enim Deum impulit, ut ad vos gratiam ſuam transferret, & vos loco Judæorum complectendos ſibi deligeret. Hæc eſt comparationis iſtius protaſis. Apodoſin ſubjungit ſic, ut in illa argumentum a minori ad majus tacite contineatur.

Verſ. 31. *Sic & ipſi nunc contumaces facti ſunt*. Ipſi, id eſt, Judæi, opponuntur gentibus. Vos olim, nunc ipſi contumaces facti ſunt, ſubintellige, Deo.

*Veſtra miſericordia, ut & ipſi miſericordiam conſequantur*. In his verbis eſt transpoſitio. Particula enim ἵνα a fronte collocanda erat, ſic ut & ipſi miſericordiam conſequantur.

*Veſtra miſericordia*. Quemadmodum vos poſt contumaciam miſericordiam eſtis conſecuti; ita illi poſt contumaciam miſericordiam conſequentur. Contumacia enim ſua natura miſericordiam parere poteſt, ſed miſericordia contumaciam non poteſt. *Veſtra miſericordia*, id eſt, eo quod veſtri Deus fuerit miſertus. Dicitur ipſorum eſſe hęc miſericordia, licet Dei ſit, quia in illos tendit, & circa illos occupatur, & in eorum commodum dirigitur. Erit autem hęc miſericordia gentibus exhibita cauſa, quæ natura ſua vim impellendi habeat partim Judæos, ut æmulatione quadam in cenſi ad Deum ſeſe per Chriſtum convertant, ejuſq; miſericordia perfruantur; partim Deum ipſum, ut etiam erga Judæos populum ſuum miſericordia utatur, præſertim poſtquam omnes gentes ſua miſericordia fuerit amplexus. Quemadmodum ergo Deum contumacia Judæorum movit, ut gentium miſereretur; ſic viciſſim miſericordia gentibus & quidem univerſis exhibita, Deum movendi vim habebit, ut etiam Judæorum miſereatur. Si quis a filiis ſuis graviter offenſus & læſus ſervorum eorumque contumacium miſertus, paternam gratiam illis offerret, iiſque eam grato animo ſuſcipientibus, magnis beneficiis opibuſque eos quam diutiſſime afficeret, annon, omnibus ſervis non neceſſariis etiam beneficiis cumulatis & affectis, nemine præter filios jam reſtante, tandem etiam filiorum miſertus, eandem illis, quam ſervis contumacibus gratiam offerens iiſque gratiam ejus prono animo ſuſcipientibus, eadem beneficentia & liberalitate eos proſequeretur? idem ergo Deus olim Judæis facturus eſt. Non dixit autem apoſtolus ſimpliciter, Judæos poſt inobedientiam miſericordiam conſecuturos, ſed eos factos fuiſſe immorigeros ut conſequerentur miſericordiam, non tantum eventum, ſed etiam finem, ſi Dei conſilium reſpicias, mobedientiæ iſtius notans. Nec enim ſic apparet gratia & miſericordia cum is beneficiis licet magnis afficitur, qui ſeſe morigerum & obſequentem præſtitit, quam cum is beneficiis & quidem ſummis afficitur, qui aliquando admodum fuit contumax & refractarius. Ut ergo miſericordia poſſet uti Deus, ſeu ut appareret, Deum miſericordia eaque maxima uti, propterea iſti fuerunt inobedientes ſeu ἀπείθησαν.

Verſ. 32. Hoc omne non caſu aliquo fieri, ut occaſio miſericordiæ divinæ ſtruatur, ſed Dei nutu ac conſilio, ſic ut miſericordia divina ſit cauſa finalis contumaciæ iſtius (media enim in finem caſu ordinari non ſolent) declarare volens apoſtolus, quo poſtmodum divinam ſapientiam extolleret, ſubjicit: *Concluſit enim Deus omnes in inobedientiam*, εἰς ἀπείθειαν, *ut omnium miſereatur*. Hæc concluſio omnium in inobedientiam a Deo facta ſic explicari debet, ut & cum juſtitia, & cum miſericordia ſimul conſiſtere poſſit. Nam ſi Deus homines prædeſtinavit ad peccatum, ſeu εἰς ἀπείθειαν, nec illi ſua ſponte & libera voluntate tales ſunt, quomodo eos jure punire poteſt? annon injuſtiſſimum eſt decernere in aliquem pœnam nulla habita ratione ejus peccati, & ut eum jure punire poſſis, efficere, ut omnino peccet? Duplex in eo eſt injuſtitia, tum quod eum malum reddideris, tum quod malum non ſua ſponte, ſed tua voluntate, ac vi irreſiſtibili redditum punias. Nam talem dum punis innocentem punis. Nemo enim eſt vere nocens, niſi qui poterat non eſſe nocens. Pœna non ante peccatum abſoluto decreto ſtatui & irrogari debet; ſed peccato jam libera voluntate (alias enim peccatum vere non eſſet) perpetrato. Miſericordia etiam, quæſo, qua uteris, cum eum nocentem non punis, quem nocentem eſſe coegiſti ac vi irrefragabili effeciſti? Imo ſi juſtus eſſe velis, punire eum non debes. Ubi autem nemo jure puniri poteſt, cum non punitur nulla in eum exercetur miſericordia. Non ergo concludit Deus homines εἰς ἀπείθειαν niſi vere ἀπειθεῖς, niſi jam ſua ſponte contumaces, & qui ſuis carnalibus cupiditatibus & affectibus dediti in contrarium divinæ voluntati feruntur. Hos ergo concludit Deus εἰς ἀπείθειαν, tum permittendo eoſque ſuis viis ire ſinendo, nec illos ſubinde revocando ut ſemper reſipiſcendi occaſionem habeant. Et hac ratione Deus præteritis temporibus gentes in iſtam inobedientiam concluſerat, ut patet ex Actor. 14. 16, & XVII. 30; tum etiam indurando, quod fit cum occaſio agnoſcendæ divinæ veritatis alicui ſubtrahitur, cum multa ſunt quæ animum ejus pravum & in contrarium nitentem offendere, ac incredulitatem ejus confirmare & obſtinatum reddere poſſint. Et hac ratione Judæi εἰς ἀπείθειαν concluſi ſunt a Deo. Hæc eſt ratio, qua Deus homines continere ſolet in hoc carcere, quæ juſtiſſima eſt, & Deo digniſſima. Quo autem longius in hoc carcere concluſi detinentur, tanto poſtmodum illuſtrior eſt Dei miſericordia, ſi ejus occaſionem ſufficientiſſimam

tiſſimam reſipiſcendi donet, & eos ex hoc tam diuturno carcere dimittat. Sic olim gentes per longam ſeculorum ſeriem in hac inobedientia relictæ fuerunt: ſic nunc detinentur, & adhuc detinebuntur Judæi. Quemadmodum autem in carcerem nemo jure compingitur niſi nocens: ſic in hunc inobedientiæ carcerem nemo a Deo compingitur, niſi qui ut compingeretur eſt meritus. *Omnes*, tam Judæos, quam gentes.

*Ut omnium miſereretur.* Omnium quidem, ſed non omni tempore. Erat tempus, cum gentes eſſent ſine miſericordia; eſt nunc tempus quo Judæi: erit tempus, quo tum Judei tum gentes miſericordia divina perfruentur.

*Miſereretur.* Miſericordiæ laudem & gloriam in hac concluſione εἰς ἀπείθειαν quærit Deus. Poſtquam enim conſtricti vinculis & clauſtris incredulitatis, idque propria ſua culpa & animi perverſitate, homines a Deo tenentur, ſic ut amplius propriis viribus exire, & clauſtra hæc aut vincula abrumpere nequeant, tum demum miſericordia divina effulget, cum Deus his vinculis & clauſtris laxatis, libertate eos donat, ſeu exeundi ex hoc carcere copiam & poteſtatem facit, ac poſtquam exiverunt, beneficus inſuper & gratia paterna eos complectitur.

Verſ. 33. Hoc tam mirabili ſapientiſſimoque Dei conſilio expoſito, quomodo ille ex rebus malis ſibi gloriam paret, & ex contrariis contraria producat, continere ſe apoſtolus non potuit, quin erumperet in hæc verba quæ ſubjicit, & quibus hanc ſuam tractationem de Judæorum rejectione, ejuſdemque pœnæ mitigatione concludit; *O profunditatem divitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei.* Dupliciter hæc verba accipi poſſunt: tum ut vox *divitiarum* per ſe ſtet, & unum ſit ex iis, quorum *profunditatem* hic miratur apoſtolus, ac benignitatem beneficentiamque ſignificet divinam: tum ut ad cognitionem & ſapientiam divinam referatur, & profunditas divitiarum ſignificet profundas divitias; quem ſenſum poſtulat vulgatæ interpretationis lectio, quæ voculam *et* ante vocem ſapientiæ expungit. Hoc ſenſu admiſſo poſſunt voces ſapientiæ & ſcientiæ pro ſynonymis ſumi: ſed ſi prior ſenſus recipiatur, neceſſe eſt ea inter ſe diſtinguere. Non enim ſolet hæc particula, quæ modo diverſa conjunxit, ſynonyma ſtatim conjungere. *Sapientia* ergo in eo conſiſtet, quod ita norit omnia in gloriam ſuam & in bonum convertere, qui ſciat omnibus rebus in bonum uti, & cum illas aptiſſime in finem dirigit, nec unquam fine ſuo prorſus careat & fruſtretur: Cognitio autem quod ſciat & exploratum habeat, quid ex unoquoque ſequatur, & quis ſit futurarum rerum omnium, ac mediorum, quæ ille in finem ſuum ordinat, exitus.

*Quam imperſcrutabilia ſunt judicia ipſius!* Judicia ſunt Dei decreta ac juſſa, & quæ decreta conſequi ſolent, ejus actiones & facta, ſive in pœnis conſiſtant, ſive in beneficiis, quæ ad regimen ac gubernationem creaturarum ratione præditarum pertinent. Judicare apud Hebræos non ſemel ſignificat regere. Itaque judicia rectè poſſunt ſumi pro conſiliis & actionibus ad regimen & gubernationem creaturarum ratione præditarum ſpectantibus. Nemo mortalium aſſequi poteſt, quo conſilio Deus hoc vel illud fecerit. Quis ſcire poterat, quare Deus tanto tempore gentes neglexerit ac contumaces eſſe permiſerit? Exitus tandem docuit, quo fine id a Deo factum fuerit; nempe ut miſericordiam ſuam proderet. Quis etiam ſciviſſet, quorſum ſpectet Deus Judæis induratis & rejectis, niſi id per ſpiritum ſuum hominibus revelaſſet? Pertinet huc ille locus Pſal. xxxvi judicia Dei eſſe profundam abyſſum. Judicia enim illo in loco non ſolum pœnas ſignificant, ſed omnia Dei decreta, ſtatuta, ac facta, quorum cauſas rationesque miſeri ignoramus. *Quam inveſtigabiles viæ ipſius* ſciri ab homine, niſi cælitus doceatur, non poteſt, quorſum Deus aut quo pacto tendat. Sæpe enim nobis in contrarium ferri videtur, cum tamen currat in contrarium. Videbatur Deus in omnium gentium interitum tendere, & tamen in contrarium evaſit. Sic nunc videtur Judæos prorſus ire perditum; cum tamen contrarium aliquando ſit ſecuturum. Neſcimus quidem, quomodo Deus ad finem ſuum perventurus ſit: adeo ſunt perplexæ viæ illius: perveniet tamen, & tum demum apparebit, Deum ſapientiſſime cuncta fuiſſe moderatum. Non mirum eſt autem, ſi imperveſtigabiles eſſe vias Domini, & judicia ejus imperſcrutabilia.

Verſ. 34. *Quis enim cognovit mentem Domini?* Scripturæ dictis id comprobat apoſtolus. *Quis cognovit?* id eſt nemo. *Mentem*, id eſt, quid Deus cogitet, quid in animo ſuo volvat, quæ agitet conſilia.

*Aut quis conſiliarius illi fuit?* Σύμβουλος eſt is, qui una cum aliquo de re aliqua conſultat, ſive etiam conſilium ſuum alicui dat. Quod ſi aliquis eſſet qui cum Deo conſilia conferret, & rationes de rebus agendis iniret, is ſcire poſſet mentem Domini. Hæc autem verba oſtendunt, de tali aliquo ſcripturam loqui, qui non ex ejuſmodi revelatione quæ a divina benignitate pendeat, ſed alia aliqua ratione mentem Domini cognitam habeat. Conſiliarius non ideo ſecreta novit principis, quia tanta eſt erga illum principis benignitas, ut eum nihil velit celare; ſed quia princeps conſilio indiget, idque ab eo, vel una cum ipſo capit.

Verſ. 35. *Aut quis prior dedit illi?* Sive conſilium aliquod, ſive beneficium. *Et reddetur illi.* Id eſt, ut reddatur, nempe par pari referendo, beneficium beneficio compenſando. Nemini Deus reddit, ſed dat, ipſe nullius indigus; licet obſequiis & humilitate poſt beneficia jam ante ſponte collata provocetur, ut plura deinde ac majora largiatur.

Verſ. 36. *Quia ex ipſo, & per ipſum & in ipſum ſunt omnia.* Non mirum eſt neminem illi conſulere, aut quippiam in illum conferre: ſiquidem ex ipſo ſunt omnia. Quicquid eſt præter illum ex ipſo eſt: ille hæc omnia invenit & conſilio ſuo diſpoſuit.

*Per ipſum.* Ille etiam ſolus eſt, qui ea quæ invenit, quæ conſtituit, ad effectum perducit: non eſt aliquis alius qui ea quæ Deus facienda invenit & diſpoſuit, ſuis viribus faciat; ſed ille ipſe qui invenit, etiam efficit, licet non omnia per ſe ipſum, ſed plurima per cauſas medias, quas ipſe prius fecit, iiſque vim efficiendi largitus eſt.

*Et in ipſum omnia.* Ille etiam eſt ultimus omnium rerum & actionum finis: cuncta in illius laudem & gloriam tendunt ac referuntur. Solent autem hæ voces, *ex ipſo*, *per ipſum*, de Deo elatæ, nunc latius nunc ſtrictius ſumi. Si alterutrum tantum poſitum eſt, & Deo ſummo attributum, utrumque ea quam explicuimus ſignificatione complectitur, ut, *ex ipſo*, 1 Corint. 8. 6, *per ipſum* Hebr. 11. 10. Cum vero conjunguntur, tum utrumque minus ſignificat. Idem accidit ſæpe in voce fidei, charitatis, aliiſque vocibus, quæ cum ſolæ ponuntur, omnia ſignificant quæ cum illis naturali vinculo cohærent: ſi vero iis aliquid addatur,

datur, ipſarum ſignificatio in tantum reſtringitur, & magis in propriam ſignificationem cogitur.

*Ipſi gloriam in ſecula. Amen.* Pulcherrime concluſit Apoſtolus ſuperiorem tractationem de variis Chriſtianæ religionis myſteriis, divinam ſapientiam atque adeo ipſum Deum laudibus extollens. Quo facto jam tranſit ad præcepta morum.

## CAP. XII.

### *ARGUMENTUM.*

*Hoc & ſequentibus capitibus tradit Apoſtolus varia præcepta Chriſtianæ pietatis uſque ad hujus Epiſtolæ Epilogum. Primum autem in genere hortatur ad Chriſtianam pietatem; deinde ſpecialia ejus tradit præcepta.*

Verſ. 1. Παρακαλῶ *igitur vos.* Cum igitur ita ſe res habeat ut hactenus docuimus, hortor vos & moneo. Sic enim potius verbum παρακαλεῖν accipiendum eſt, quam rogo vel obſecro.

*Per miſerationes Dei.* Plurali numero utitur, vel ad declarandam amplitudinem magnitudinemve divinæ miſericordiæ, vel ad deſignandos multiplices effectus iſtius miſericordiæ. *Miſerationes* autem iſtæ ex ſuperiori tractatione eruendæ ſunt, ſeu in memoriam revocandæ, quarum tum ſupra, tum paulo ante mentionem fecit Apoſtolus ſuperiori cap. vſ. 30, 31, 32, & hoc quidem inprimis, ubi dicit Deum omnium miſereri, nunc quidem gentium, aliquando vero etiam Judæorum. Hac igitur tanta Dei miſericordia, qua nobis omnia peccata remittere, quod nos per fidem non per opera juſtificare velit, quod Filio ſuo noſtri cauſa non pepercerit, quod non ſolum Judæos, ſed etiam gentes ad hanc gratiam vocavit, flecti nos vult ab obedientiam Deo præſtandam. Quam prius, uti diximus, in genere deſcribit, deinde in ſpecie.

In genere, cum ait: *ut ſiſtatis corpora veſtra &c.* Alludit Apoſtolus ad legalem illum cultum. Quemadmodum enim ſub lege pecudes Deo immolandæ adducebantur veluti in conſpectum Dei, & ſiſtebantur ad tabernaculum, exhibebanturque Sacerdoti; qui eas poſtmodum Deo offerret: ſic vult ut nos quoque noſtra corpora Deo præbeamus ac ſiſtamus, hoc eſt firmum propoſitum habeamus Deo in omnibus obtemperandi: En me tibi ſiſto, Deus! ut me pro tuo libitu ac voluntate utaris, vel totus in uſus tuos ac cultum cedam.

*Per corpora noſtra*, ſynecdochice nos ipſos intelligit. Quanquam non fruſtra hac ſynecdoche eſt uſus, ut oſtendat nos non tantum ratione animi, ſed etiam ratione corporis Deo ejuſque cultui debere vacare & inſervire. Adde quod hoc pacto elegantior ſit alluſio ad ſacrificia: corpora enim pecudum offerebantur. Dicit autem, *corpora veſtra*, ut ea opponat alienis, nempe pecudum. Facilius enim eſt alienum corpus Deo offerre quam noſtrum.

Oſtendit nos quidem debere corpora noſtra Deo ſiſtere, ut fiant *hoſtia*, hoc eſt ut Deo penitus conſecrentur, ſeu in honorem cultumque ipſius cedant; ſed tamen ut ſint *vivens* hoſtia, diſſimilitudinem inter hanc & illas legales hoſtias innuere volens. Illæ enim mactabantur, hæc autem non mactatur, ſed vitam ſuam retinet, ac omnes vitæ actiones obit, & quatenus eſt viva Deo conſecrari & in ejus cultum cedere debet. Quaſi dicat, cum autem ſiſtitis corpora veſtra Deo, non eſt opus, ut olim ſub lege, victimus accidebat, ut ea in mortem tradatis; ſed viva ac vitæ actiones obeuntia Deo conſecrare debetis.

Addit: *ſanctam.* Quemadmodum ſub lege non ſatis erat hoſtiam adducere ad aram, eamque Deo ſiſtere; ſed eam cædere, & in divinos uſus cultumque convertere erat opus: quod dum fiebat jam penitus ſanctificabatur, id eſt non tantum ab omni alio profano uſu erat ſeparata, ſed etiam in ſacros ac divinos uſus tota cedebat. Sic etiam non ſatis eſt ſiſtere corpus ſuum Deo, ac ſeſe illi dicare, hoc eſt propoſitum firmum illi parendi in animo habere; ſed neceſſe eſt ut reipſa ejus uſibus inſervias, & ab omni profano actione liber, omnino actiones ex ejus præſcripto obeas, totuſque in illius cultum cedas & convertaris.

Hoc facto conſequitur id quod addit apoſtolus: *beneplacentem Deo.* Tum demum Deo victima vere placebat, cum jam in honorum ipſius cæſa eſſet, cum adipe incenſo odor ſurſum ferretur, qui dicebatur odor quietis, odor ſuavis & Deo gratiſſimus. Sic tum demum nos qui victimæ ſumus Deo vere placemus, cum varios ei virtutum & honeſtarum actionum odores ſpiramus, & toti in divinos uſus cedimus.

*Rationalem cultum veſtrum.* Hæc verba per appoſitionem ſunt legenda: quæ, ſi conſtructionem Grammaticam ſpectes, cohærent cum proximis accuſativis; ſed ſi ſenſum ipſum, cohærent cum verbo παραστῆσαι & ſequentibus. Tota enim hæc oratio nominis rationem habet, quaſi dicat quæ res eſt rationalis cultus veſter. Similis locutio eſt Epheſ. v. 2. 1 Tim. 2. 6. Cultum vero hominum Chriſtianorum rationalem, videtur opponere carnali potius quam irrationali. Quo ſenſu etiam Petrus hac voce uſus fuiſſe videtur cum de lacte rationali loquitur: lac enim illud rationale carnali lacti opponitur. Quocirca hæc vox eandem videtur habere vim quam vox ſpiritualis. Spiritualis enim cultus opponitur carnali: & ſic loqui ſolent ſacræ literæ, cum cultum illum legalem euangelico cultui opponunt, cum ſpiritualem eum qui ſpiritu vel in ſpiritu fiat, illum carnalem vocant. Vocatur autem hic cultus rationalis & ſpiritualis, non quod ſolo ſpiritu vel animo peragatur, quemadmodum ne legalis quidem ſolo corpore peragebatur: ſed quod in hoc cultu magis animus ſpectetur quam externa corporis actio, & hæc ex illo æſtimetur; in illo autem magis externa illa actio quam animus ſpectabatur. Deinde rationalis ſeu ſpiritualis vocatur, quod animo ac ſpiritui valde ſit gratus, & cum illo mirifice conveniat, utpote in ipſa honeſtate ac convenienti decoro fundatus; ille autem totus in ceremoniis conſiſtens, nulla naturali honeſtate ſubnixus, carni magis placet quam ſpiritui.

*Λατρείαν. Λατρεία* opus quidem ſignificat, ſed quod peculiariter ad cultum numinis refertur: qualia erant, cum hoſtiæ adducebantur, cædebantur, Deo offerebantur, & alia infinita. Hoc loco complectitur quidem omnem actionem honeſtam, ſed ex accidente, non quatenus ſit ſimpliciter honeſta, ſed quatenus ſuo modo ad cultum divinum refertur ac ſpectat.

Verſ. 2. *Et ne configuremini ſeculo huic.* Per remotionem contrarii admonitionem ſuam illuſtrat & amplificat Apoſtolus. Quaſi dicat: nolite habere eandem figuram & formam cum hoc ſeculo: nolite illi eſſe conformes, id eſt ſi antea conformes fuiſtis, ne in poſterum ſitis; ſi non fuiſtis, ne unquam fatis.

Sed illud prius potiſſimum intelligit Apoſtolus, ut ex re contraria ſtatim apparebit.

*Seculo huic.* Id eſt hominibus hujus ſeculi, ſeu in Chriſtum non credentibus : qui ſeculum hoc vocantur, tum quod longe maximam partem mundi ſeu ſeculi hujus conſtituant ; tum quod illorum omnes ſpes opeſque hoc ſeculo contineantur ac terminentur. Hujus iterum contrarium ſubjungit Apoſtolus, ut monitionem ſuam tanto melius illuſtret, amplificet & inculcet.

*Sed transformemini :* Nempe moribus. Alios mores prioribus contrarios induite, ſic ut formam ac habitum mutaſſe videamini. Hinc apparet eos prius huic ſeculo fuiſſe conformes : ideoque monentur ne amplius ſint.

*Renovatione mentis veſtræ.* Medium exprimit per quod hanc metamorphoſin conſequi poſſint. Satius enim eſt hæc verba ita ſumere, ut illis quo pacto metamorphoſis iſta fieri debeat oſtendatur, quam ut quænam illa ſit explicetur. Metamorphoſis enim mentis in melius, & una cum mente voluntatis metamorphoſin iſtam, ſeu morum mutationem ſecum trahit. Mutatio autem hæc mentis & voluntatis in eo conſiſtit, cum mens noſtra non amplius terrena ſed cœleſtia curat, voluntas cupit.

*Εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς.* His verbis mutationis iſtius terminus ad quem indicatur. Mens enim antequam innovaretur & mutaretur, expetebat ea quæ eſſent carni grata, quid ſuave, quid amabile, quid utile eſſet inquirebat, & hoc invento id etiam approbabat. Poſtquam autem innovata eſt, ſolicite inquirit & veſtigat ea quæ non carni ſed Deo ſunt grata & accepta, iiſque inventis ea approbat. Utrumque enim verbo *δοκιμάζειν* hoc loco includi debet.

*Quæ ſit voluntas Dei.* Voluntas ſumitur pro voluntatis objecto, id eſt pro eo quod Deus vult & requirit ab hominibus.

*Illa bona.* Bonum hoc loco honeſtum ſignificat. Explorare debemus quidnam ſit honeſtum, pulchrum decorum. Hęc enim vult Deus.

*Bene placens.* Quidquid enim honeſtum & pulchrum eſt id Deo placet.

*Et perfecta.* Perfecta voluntas divina continet omnes virtutes quotquot ſunt, qualis non erat ſub lege revelata, ſed ſub Euangelio demum tradita. Videtur enim tacite voluntatem hanc opponere illi voluntati divinæ quæ ſub lege hominibus nota erat. *Bona* dicitur, quatenus diſtinguitur à ceremoniis, quæ ſua natura ad virtutem & honeſtatem nil pertinebant : *perfecta*, quatenus opponitur imperfectioni diſciplinæ legis, quæ multas virtutes non tradebat quas Chriſtus tradidit.

Verſ. 3. Abſoluta generali monitione, tranſit ad ſpecialia virtutum præcepta & monita : *Dico enim.* Particula *γὰρ* non videtur habere hoc loco vim cauſæ aut rationis, ſed rei ulterius declarandæ gratia videtur addita.

*Per gratiam quæ data eſt mihi.* Per *gratiam* hoc loco intelligit munus Apoſtolicum ſibi à Deo & Chriſto commendatum : quod metonymice *gratiam* vocat, quia erat gratiæ divinæ effectus. Modeſte enim loquitur, quia alios ad modeſtiam hortaturus erat. Meminiſſe autem iſtius ſui muneris debuit, quia omnibus quotquot in Eccleſia erant, præſcribit præcepta, etiam præſtantiſſimis ; quales erant Prophetæ, quibus verſ. 6 præceptum dat. Quare ne nimium ſibi arrogare videretur, muneris ſui authoritatem interponit. Eandem etiam forte ob cauſam iſtius gratiæ, hoc eſt muneris ſui Apoſtolici meminit infra cap. 15. 15.

*Ne ſuper ſapiat plus quam ſapere oportet.* Particula *ὑπὲρ* videtur aliquo modo redundare, quia iſtud *παρὰ δεῖ φρονεῖν* videtur latius extendi quam *ὑπερφρονεῖν*. Hoc enim videtur eſſe cum quis nimis multa ſibi arrogat, illud autem eſt cum quis de ſe aliquid ſentiens, etiam minimum à veritate recedit. Monet igitur Apoſtolus, ne quiſquam aut id quod non habet, aut plus quam revera habet, divinorum donorum ſibi arroget ; neve opinione ſui, ſeu vera, ſeu falſa, tumeat & ſuperbiat.

*Sed ſapiat, εἰς τὸ σωφρονεῖν.* Εἰς idem eſt quod apud Latinos ita ut : quaſi dicat, ſed quiſque ita de ſe ſentiat, ut ſenſus iſte modeſtus ſit ac ſobrius, hoc eſt verus. Ille enim ſenſus ſobrius eſt qui verus eſt. Verbum *σωφρονεῖν*, quod temperantiam vel ſobrietatem proprie ſignificat, hoc loco ad modeſtum de ſe ſenſum ſignificandum adhibetur : quia quemadmodum temperantia cohibet carnis cupiditates in cibo & potu, ne nimias ſectetur voluptates, ſed intra modum ac mediocritatem ſe contineat ; ita modeſtia cohibet animi opinionem & de ſe ſenſum, ne à medio ac convenienti modo recedat. Omnis virtus quæ exceſſum quemvis moderatur & cohibet, *σωφροσύνη* per metaphoram, vel ſynecdochen ſpeciei pro genere, nominari poteſt.

*Unicuique quemadmodum Deus imperitus eſt menſuram fidei.* In voce *unicuique*, *ἑκάστῳ* eſt trajectio, & debet conjungi cum verbo *ἐμέρισε*. Deſcribit enim hic Apoſtolus menſuram ſeu modum de ſe ſentiendi. Modus autem iſte eſt menſura donorum divinorum. Tantum quiſque de ſe ſentiat, quantum donorum divinorum habet. Fides hoc loco per Metonymiam ſumitur, hoc eſt pro donis illis divinis quæ credentibus dabantur : fides enim cauſa erat iſtorum donorum, ſeu per fidem hominibus dona iſta contingebant. *Ἐμέρισε partitus eſt*, poſitum eſt pro impartitus.

Verſ. 4. *Quemadmodum enim in uno corpore multa membra habemus.* Quia dixerat Deum certa quadam menſura unicuique dona ſua imperitum fuiſſe ; non autem unâ omnibus *pariter*, ſed aliis majore, aliis vero minore menſura, hoc eſt aliis excellentiora & præſtantiora, aliis minus præſtantia dona dediſſe (menſura enim iſta hoc loco non tam ex quantitate, quam ex qualitate donorum æſtimari debet, ſic ut majorem menſuram habeat is qui majus donum eſt adeptus, minorem qui minus) quia, inquam, id dixerat, vel ſaltem indicaverat, propterea iſtius rei rationem in his verbis explicat, ſumpta ſimilitudine ab humano corpore, cum quo Eccleſiam comparat. Quemadmodum, inquit, in uno corpore multa ſunt membra :

*Membra autem omnia non unam habent operationem.* Operationem ponit pro facultate operandi, effectum pro cauſa. Aliam facultatem operandi, ac proinde etiam operationem ipſam habet oculus, aliam auris, aliam manus, aliam pes &c.

Verſ. 5. *Sic multi unum corpus ſumus.* Apodoſis ipſius comparationis. Sic *οἱ πολλοὶ*, nos qui multi ſumus, ac membris corporis quæ multa ſunt reſpondemus, unum corpus ſumus, omnes collectim ſumpti unum Eccleſiæ corpus conſtituimus, quemadmodum membra ſimul ſumta corpus conſtituunt. Quare non mirum, cum Eccleſia tota corpori, quiſque autem noſtrum alicui corporis membro reſpondeat, quod Deus non omnibus eadem dona, ſed

diverſis

diverſis diverſa dederit; nec una, ſed multiplici menſura fuerit uſus: hoc enim multitudo & diverſitas membrorum requirit. Quorſum enim eſſent alioquin multa membra, ſi omnium eadem eſſet operatio ſeu operationis facultas? *In Chriſto.* Ratione Chriſtianæ religionis, ſeu quatenus Chriſtiani ſumus.

*Singulatim autem alii aliorum membra.* Etſi tacite jam innuerat quemvis noſtrum membri habere rationem; (ſi enim unum corpus conſtituimus, neceſſe eſt ut membris corporis reſpondeamus) id tamen exprimere etiam voluit Apoſtolus, tacite monere nos volens, ut ſiquidem alii aliorum membra ſimus, nobis etiam mutuo inſerviamus, & dona iſta diverſa in publicam totius corporis aliorumque membrorum utilitatem convertamus. Quod ut faciamus in ſequentibus nos monet, ad quam monitionem iſtis verbis aditum ſibi ſtravit: ſubjicit enim

Verſ. 6. *Habentes autem dona ſecundum gratiam quæ data eſt nobis diverſa.* Poſtquam docuit diverſitatem donorum in eccleſia & eſſe, & eſſe omnino debere, nunc monet ut omnibus etiam ad publicum bonum & emolumentum utantur. *Secundum gratium.* Vox κατὰ poteſt hoc loco ſimpliciter ſignificare cauſam iſtorum donorum, nempe gratiam divinam. Sic apud Petrum dicitur nos Deum regenuiſſe ſecundum multam miſericordiam ſuam.

*Quæ data eſt nobis.* Quæ nobis contigit, qua nos Deus eſt proſecutus. Poteſt etiam *ſecundum gratiam*, quandoquidem vox κατὰ in diſtributionibus peculiariter adhiberi ſolet, ſignificare pro ratione gratiæ, ad normam gratiæ, ſeu prout diverſa fuit gratia qua nos Deus complecti voluit, & hoc vel illud donum nobis conferre. Videtur enim gratia ipſa divina pro donorum varietate & ipſa eſſe varia. Diverſitatis donorum non alia eſt quærenda cauſa quam divina gratia. Non reſpexit Deus in eorum collatione ad cujuſquam dignitatem vel merita, ſed tantum ad ſuam gratiam & benignitatem. Quocirca unuſquique debet eſſe contentus, ſiquidem nullus eſt meritus. Eſt autem hæc oratio Pauli elliptica, quæ tamen aliquo modo in ſpeciali donorum variorum enumeratione ſuppletur, ex quo ſpeciali ſupplemento univerſalis iſtius ſententiæ univerſale ſupplementum ſumi debet; quod nullum aliud eſt, quam unumquemque debere ſuis donis proviribus aliis inſervire, eaque in publicum uſum, quantum in illo eſt, conferre. Quod etiam monet Petrus 1 Epiſt. 4. 10: *Unuſquiſque*, inquit, *quemadmodum accepit donum in vos ipſos illud miniſtrantes*, id eſt in communem uſum conferat, *ut boni diſpenſatores variæ gratiæ Dei.* Bonus enim diſpenſator eſt, qui ea quæ ſibi diſpenſanda commiſſa ſunt diſpenſat, nec ſibi quicquam reſervat eorum quæ ad alios pertinent.

*Si quis loquatur, ut oracula Dei.* Meminerit ſe oracula divina eloqui, ac proinde illa non eſſe celanda, aut intra pectoris clauſtra premenda; tanquam ſi eſſent tua ſecreta, non autem Dei oracula, quæ Deus celari non vult, ſed omnibus nota fieri & propalari.

*Si quis miniſtret, tanquam ex viribus quas ſuppeditat Deus.* Faciat id pro viribus ac facultate ſua. Enumerat in ſpecie Apoſtolus dona, & quomodo unoquoque utendum ſit docet.

*Sive Prophetiam.* Prophetiæ donum hoc loco non videtur ita ſtricte ſumi, ut de iis tantum dicatur qui primi recenſentur poſt Apoſtolos, & ab aliis doctoribus & paſtoribus Euangelii diſtinguuntur 1 Cor. 12. Epheſ. 4, quales erant illi qui profundiora Chriſtianæ religionis myſteria, vel ex Apoſtolorum doctrina, vel ex Veteri Scriptura eruebant, vel etiam nonnulla ex ſemetipſis divino illo ſpiritu dictante promebant. In quo tamen dono procul dubio erant gradus. Non fruſtra enim Apoſtolus dicit, ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjectos eſſe. Tandem etiam aut ex iis nonnulli futura prævidebant, aut abſentia videbant. Eadem enim fere videtur eſſe vis qua occulta & in abdito latentia cognoſcuntur, qua vel futura prævidentur, vel videntur abſentia. Non videtur, inquam, hoc loco Prophetia tam ſtricte ſumi, ſed late, ut complectatur eos omnes qui doctrinam in eccleſia proponunt, & qui aliquid profantur. προφήτης enim eſt is qui profatur aliquid. Hæc videtur eſſe iſtius vocis notio 1 Cor. xj. 4. & cap. 14. Hoc autem loco id fieri id demonſtrat, quod Apoſtolus ſtatim poſt Prophetiam ponat διακονίαν; quæ cum hic a doctrina ſeu docendi munere diſtinguatur, de miniſteriis quæ opere aliquo fiebant, accipi debet. Atqui præpoſtere omnino egiſſet Apoſtolus, ſi docendi munus miniſterio ejuſmodi poſtpoſuiſſet, & ſtatim poſt tam ſublime Prophetarum munus collocaſſet. Videtur igitur Apoſtolus Prophetiam tanquam genus poſuiſſe, & poſt illam διακονίαν tanquam alterum genus; cujus utriuſque denique ſpecies enumerat, Prophetiæ quidem duas, Miniſterii autem tres.

Vult igitur Apoſtolus, ut ii qui donum Prophetiæ habent, eo *ſecundum analogiam fidei* utantur. *Fidei* voce videtur eadem ſignificatione hoc loco uti Apoſtolus qua ſuperius verſ. 3, nempe pro donis divinis, *analogia* autem eſt proportio. Quocirca vult Apoſtolus, ut is qui Prophetiæ donum habet, eo pro proportione doni ſui utatur, ut inter uſum doni & inter donum ipſum ſit proportio. Vult ut omnis abſit ignavia & negligentia, ſeu ut Prophetæ pro viribus ac facultate ſibi divinitus conceſſa laborent, & quicquid in illis eſt publicæ utilitati impendant.

Verſ. 7. *Sive miniſterium, in miniſterio.* Διακονίας vox, licet interdum ſumatur pro munere alios docendi, hoc tamen in loco munus declarat quod in opere aliquo, non vero in actione ſola conſiſtit. Senſus autem verborum Apoſtoli eſt: qui donum ac munus habet aliis miniſtrandi, totus in miniſterio occupetur, totus in illo ſit. Non enim hic prohibet Apoſtolus, ne quis ad altiora dona ac munera adſpiret in eccleſia; quod ut fiat alibi monet 1 Cor. 12. 31, & xiv. 39: ſed vult, ut quiſque ſuo munere diligentiſſime fungatur. Subjicit deinde duas Prophetiæ ſpecies, nempe docendi & exhortandi munus.

*Sive docens in doctrina.* Hoc urgeat, in hoc ſit totus ut alios doceat, nempe ea omnia quæ ad exactiorem Chriſtianæ religionis notitiam pertinent, quod fieri poteſt tum privatim, tum publice.

Verſ. 8. *Sive exhortans in exhortatione.* Aliud enim eſt docere, aliud exhortari; nec omnes qui ad alterum horum apti ſunt, etiam idonei ſunt ad alterum. Exhortatio eſt magis Rhetoricum & practicum; docere magis Dialecticum & Theoreticum. Illud impetum & vehementiam quandam animi requirit; hoc animum magis placidum & quietum. Hoc animum veri cognitione imbuit, illud voluntatem impellit; hæc autem divina dona creberrimo uſu excitari debent. Illa enim divina vis ſpiritus habilitatem & aptitudinem alicui largiebatur, quæ negligentia & torpore amitti, uſu autem & induſtria excoli & augeri poteſt. Hinc Paulus Timotheum monet, ut ſuſcitet in ſe donum Dei, quod igni cuidam aut carbunculo ignito reſpondet, in quem

niſi ſubinde ſuffles, ignis extinguitur; per flatum autem excitatur magis, & ardet ſtatim. Non dubium enim eſt, Spiritum Sanctum, prout quem vel ad hoc vel ad illud magis aptum eſt nactus, talem etiam illi qualitatem impreſſiſſe.

Enumerat deinde ſpecies ἁπλότητος: *Qui diſtribuit in ſimplicitate.* Qui munus ſibi habet demandatum ut publicas pecunias tractet, & in varios uſus diſtribuat, hoc munus ſuum in ſimplicitate obeat, hoc eſt, nihil aliud in diſtributione pecuniæ ſpectet, quam quod ſpectandum eſt, ſincero & candido animo id munus gerat. Ne agat fraudulenter, partem aliquam ſibi decerpere volens; aut etiam dum pecunias diſtribuit ſuum ſpectet commodum vel lucrum; nec vel gratiæ vel odio hic indulgeat. Det etiam tantum quantum opus eſt: (ἁπλότης enim pro liberalitate uſurpari ſolet 2Cor. 8. 2, & x. 11) qui contra faciunt non ſunt animo ſimplici, ſed duplici, & dum videntur aliorum commoda reſpicere & aliis conſulere, ſibi conſulunt.

*Qui præeſt, in diligentia.* Videntur illi eſſe intelligendi, qui eccleſiæ in rebus ad communem hanc vitam ſpectantibus præficiebantur: qui controverſias & lites inter fratres, quæ alias ad magiſtratus deferendæ eſſent, componebant, & operam dabant ut fratres pacem & amicitiam colerent, quin & in cujuſque vitam domeſticam, & rationem qua victum ſibi quæreret inquirebant; conſilio quos erat opus inſtruebant; matrimonia etiam honeſta conciliabant: qui erant veluti judices quidam ac patres-familias totius eccleſiæ, id unice ſpectantes, ut fratres tranquillam ac pacatam, ac quiſque pro ſua conditione ac ſtatu honeſtam ac convenientem vitam agerent. His optimo jure σπουδὴν ſeu diligentiam & ſedulitatem præcipit Apoſtolus. Nam qui tale munus gerit in eccleſia, ille ut ſit diligens, gnavus, induſtrius, neceſſe eſt; quem nihil lateat, nihil fugiat eorum quæ inter fratres fiant, qui cujuſque conditionem & ſtatum habeat cognitum & exploratum, qui tempeſtive & mature omnibus incommodis occurrat. Tale munus in eccleſia mirum in modum eſſe utile nemo non videt, ſine quo nulla ſocietas ſeu communitas recte habere poteſt. Unde fit, ut, ſi tales viri in Eccleſia deſint, paſtores doctoreſque eorum vices quodammodo cogantur obire: qui dum utrumque curant, neutrum recte curare poſſunt. Hæ videntur eſſe illæ gubernationes quas poſt opitulationes, quæ pecunias publicas tractantium propriæ erant, collocavit Apoſtolus, varia dona ac munera in eccleſia commemorans 1 Cor. 12. 28.

*Qui miſeretur in hilaritate.* Miſereri illorum erat munus, qui miſerorum ſive miſerabilium hominum curam gerebant, quales erant viduæ, ægroti, pauperes, & quicunque ad hunc cenſum pertinent, vel etiam advenæ, peregrini: ſive publico alicui Xenodochio præfuerint, ſive minus, pauperibus iſtis in privatis ædibus hinc inde degentibus. His hilaritatem preſcribit: vult ut alacri & læto animo id agant, & munere ſuo fungantur; tacite innuens, hoc eſſe alioqui moleſtum & inſuave; tum etiam ne mœrorem addant mœrori, ſi tetricos & moroſos in curandis miſeris ſe præbuerint. Hæc autem poſteriora tria præcepta ita temperavit Apoſtolus, ut non ſolum ad eum qui publicum ejuſmodi munus gerit, ſed etiam ad eum qui privatim vel opes ſuas diſtribuit, vel aliis præeſt, vel eorum qui miſericordia egent miſeretur; & ſic paulatim nos ad charitatem ipſam, qua omne ejuſmodi munus, omnis actio dirigi debet, deduxerit.

Verſ. 9. *Charitas ſine ſimulatione.* Charitas conſiſtat non tantum in verbis & externis quibuſdam ſignis ac geſtibus; ſed ſit in animo & in factis: animus cum verbis, verba cum factis conſentiant. Nam cum hæc virtus admodum ſit præclara & eximia, quæ vero talia ſunt etiam ſunt difficilia & ardua, fit ut qui ipſam hanc virtutem aſſequi non poſſunt, vel potius nolunt, ejus umbram & imaginem captent & conſectentur, ut cum charitate præditi non ſint, eſſe ſaltem videantur. Hanc ſimulationem & hypocriſin Chriſtianus vitare debet, & dare operam ut talis ſit qualis eſſe videri vult.

*Abhorrentes a malo, adhærentes bono.* Sententia hæc licet ſit generalis; hoc tamen loco malum & bonum videtur reſtringi ad ea mala & bona quæ ad proximum ſpectant. Nam & πονηρὸν, ſi vocis notionem ſpectes, eſt illud quod laborem & moleſtiam præbet. Vult autem Apoſtolus ut ſummo ſtudio & mala iſta vitemus, & bona conſectemur.

*Fraterna charitate in vos invicem* φιλόστοργοι. Ablativus ille inſtrumenti τῇ φιλαδελφίᾳ, hoc loco modum potius & rationem declarat qua alii in alios φιλόστοργοι eſſe debeamus. Perinde enim eſt ac ſi diceret Apoſtolus: eſtote invicem φιλόστοργοι, hoc eſt intimo quodam amoris affectu mutuo inter vos propenſi, quo illi ſolent qui ſanguinis vinculo inter ſe juncti ſunt. Quæ φιλοστοργία in φιλαδελφίᾳ eſt ſpecies φιλοστοργίας. Differt autem φιλαδελφία a charitate ſupra commemorata; tum quod charitas latius extendatur, & ad eos etiam qui fratres non ſunt pertineat, tum quod charitas magis in effectu, in factis nimirum & operibus, φιλαδελφία autem in affectu & propenſione animi conſiſtat.

*Honore alios præoccupantes.* Non loquitur hic Apoſtolus de honore quem inferior debet ſuperiori, Domino ſervus, magiſtratui ſubditus; (hic enim honor ex debito & jure proficiſcitur) ſed loquitur de honore qui ex quadam benevolentia & humanitate oritur; qui habet locum inter illos qui aliquo modo ſunt pares, ita ſaltem ut alter alteri ſubjectus non ſit, qui cum in externis & conſuetis ſignis, tum in multis aliis humanitatis officiis poſitus eſt, qualem etiam honorem Barbari Paulo & ejus ſociis naufragis exhibuerunt Act. 28. 10. Vult autem ut hoc honore alii alios præveniant, ipſi priores occupent. Pertinet enim hoc ad fovendam mutuam amicitiam & charitatem. Ejuſmodi enim externis honoris ſignis & indiciis mire hominum animi invicem devinciuntur.

Verſ. 11. *Diligentia non ſegnes.* Duo contraria hic junxit Apoſtolus. Σπουδὴ omnem ſegnitiem & ignaviam excludit, nec poteſt quiſquam diligenter eſſe ſegnis, aut ſegniter diligens: ſed eadem orationis forma in tradendis iſtis præceptis uti voluit Apoſtolus, & in hoc quidem præcepto contrarium per contrarium illuſtrare. Σπουδὴ autem hoc loco, ſi antecedentia præſertim ſpectes, videtur referri ad ea omnia quæ quis fratris cauſa agenda ſuſcipit, ut ejus commodis conſulat. Vult ergo Apoſtolus, ut diligenter noſtro fungamur officio, & omnem ſegnitiem & ignaviam fugiamus, præſertim ſi res diligentiam noſtram poſcat, verbi cauſa, ſi frater ſit in aliquo periculo, aut aliud aliquod malum ipſi impendeat. Sin vero reſpiciamus ad ea quæ ſequuntur, σπουδὴ magis referenda videtur ad ea omnia quæ divinæ gloriæ promovendæ cauſa ſuſcipimus, in quibus ſumma cum

diligen-

diligentia & indefeſſo ſtudio verſari debemus. Quanquam etiam cum priori eorum genere, ac diligentia & ſtudio in iis, ſequentia conjungi poſſunt.

*Spiritu ferventes.* Animo ferventes. Vult in nobis eſſe ardorem quendam, quo fiat, ut vehementer in finem quem nobis propoſuimus, ſive alios juvandi, ſive divinam gloriam promovendi, incumbamus, & eum mirifice deſideremus. Eſt enim hic ardor ſeu zelus animi nihil aliud, quam in fidem quem tibi propoſuiſti vehemens propenſio & impetus: qualem zelum in Epaphra laudat apoſtolus Coloſ. 4. 13, & in Apollo Lucas Act. 18. 25. Eſt autem hic animi fervor ac zelus medium ſeu cauſa, ob quam fiat, ut ſummum ſtudium ac diligentiam in rebus vel ad gloriam divinam vel ad proximum ſpectantibus adhibeamus.

*Tempori ſervientes.* Zelus iſte prudentia & conſilio regendus eſt: quod fit, cum tempori ſervimus; cum nec oportunum ac commodum rei bene gerendæ tempus negligimus (eſt enim in Græco vox καιρὸς, quæ opportunitatem ſignificat) nec alieno prorſus & importuno tempore quidquam agredimur & agimus. Hæc enim intempeſtiva deligentia plus mali dare ſolet quam boni. Alia etiam ratione tempori ſerviendum eſt, licet vel maximo divinæ gloria zelo flagremus; nempe quod ferenda ſunt multa quæ non admodum cum Chriſtianæ religionis puritate conſentiunt, modo ne ſint talia quæ per ſe hominem damnant; ſi nimirum ſine multorum infirmorum ſcandalo tolli & corrigi nequeant. Huc pertinet monitum illud Chriſti, non eſſe vinum novum infundendum in utres veteres, nec panum novum detritæ veſti aſſuendum Matth. 9. Quanquam hoc ad poſteriorem prudentiæ partem paulo ante a nobis commemoratam referri poteſt.

Verſ. 12. *Spe gaudentes.* Ad gaudium eos hortatur, mox ad tolerandas afflictiones hortaturus; ut hujus præcepti ſuavitate alterius duritiem temperet. Gaudium autem hoc debet in nobis eſſe perpetuum; licet non ſemper eodem modo ſe exerat, ſed aliquando majus ſit, aliquando minus. Nunquam tamen doloribus & afflictionibus ita debet obrui, quin tandem flammæ inſtar, triſtitiæ caligine diſcuſſa emicet *Spe*, propter ſpem.

*Afflictione patientes.* Τῇ θλίψει, pro ἐν θλίψει. Hæc tolerantia ſeu patientia in eo conſiſtit, ne ullis malis & calamitatibus ab eo quod rectum eſt nos dimoveri patiamur, aut quidquam, dolorum & calamitatum vi adacti, turpe & indecorum faciamus vel dicamus, ne de *ſpe* ac fiducia in Deum dejiciamur.

*In precibus perſeverantes.* Καρτερία ſemper eſt cum moleſtia et labore aliquo conjuncta, quæ moleſtia etiam in eo eſt, cum quis aſſidue precibus invigilat.

Verſ. 13. *Indigentiis ſanctorum communicantes.* Intelligendum id eſt univerſaliter de omnibus qui inter Chriſtianos ſunt, pauperibus, et aliena ope indigentibus, non quia nolint, ſed quia non poſſint ſibi ipſis proſpicere, et laboribus ſuis ſibi victum parare. Sed inprimis huc pertinent ii, qui religionis Chriſtianæ cauſa bonis omnibus exuti et ſpoliati egebant, vel etiam in vinculis detinebantur: quod etiam ipſi Paulo poſtea uſu venit. Non vult autem, ut indigentias eorum nobiſcum, ſed noſtras facultates cum illis indigentibus velimus eſſe communes. Sic de ſe loquitur Paulus Phil. 4. 14. Recte feciſtis communicantes meæ afflictionis, et verſ. 15 nulla eccleſia mihi communicavit, niſi vos ſoli, quia εἰς τὸν λόγον δόσεως καὶ λήμψεως.

*Hoſpitalitatem ſectantes.* Erga eos præſertim, qui veritatis cauſa extorres & extules profugerunt: quanquam & erga alios omnes Chriſtianos; præſertim cum in illis regionibus nulla eſſent publica hoſpitia, ſed quiſque quo vellet diverteret. Dixit autem διώκοντες, oſtendens, apprime nobis hanc virtutem debere eſſe commendatam, & in illa ſummo ſtudio verſari. Non tantum admittendos, ſed etiam invitandos ac ambiendos eſſe hoſpites ejuſmodi.

Verſ. 14. Poſtquam docuit, quomodo nos ipſi in afflictionibus gerere, quales erga fratres noſtros qui eas ſuſtinentes eſſe debeamus; nunc etiam docet, quales erga perſecutores ipſos eſſe debeamus. *Benedicite perſequentibus.* Omnia fauſta illis precemini, & Deum pro illis orate. Ponit autem Chriſtianos, quemadmodum plerumque contingit, in eo eſſe ſtatu, ut injuriam propulſare nulla legitima & Chriſtianis conceſſa ratione queant, hoſtium potentia preſſi. Impotentis autem animi eſt & vindictam flagrantis, cum te ab injuria tueri nequeas, maledictis & imprecationibus perſecutorem ſuum inceſſere. Et quia hoc præceptum durum eſt, propterea iterum id inculcat, & contrarium ejus expreſſe commendat.

*Benedicite & non imprecamini.* Benedicite, inquam, & ab omni imprecatione abſtinete. Quid enim vos imprecationes iſtæ juvant, niſi ut impotentiam animi veſtri prodatis.

Verſ. 15. Tranſit tandem ad præcepta, quibus oſtendit, quales nos in communi vita, tum erga fratres, & hos quidem inprimis, tum erga alios omnes gerere debeamus. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Id enim humanitatis eſt & amoris ac mutuæ benevolentiæ indicium. Nam qui aliis gaudentibus ipſe triſtatur, aut flentibus gaudet, vel inimicus eſt, vel inhumanus. Debet autem ex animo vel gaudere, vel flere, hoc eſt, triſtari, non ſimulate gaudium, triſtitiamve præ ſe ferre. Eſt autem infinitivus, qui Hebræorum & Græcorum more vim præcipiendi habet. Quanquam apud Græcos ſubaudiandum eſt δεῖ.

Verſ. 16. *Idem in vos invicem ſentientes.* Voces εἰς ἀλλήλους oſtendere videntur, apoſtolum hic non loqui de opinionibus ac ſententiis, in quibus Chriſtiani convenire & conſentire debeant; ſed potius de animi affectu, ut eodem inter ſe animo ſint affecti: ita ut φρονεῖν hoc loco non ſit ſapere vel ſentire, ſed potius cogitare, cupere, ſectari. Non vult ut contrariis affectibus & ſtudiis agitentur, ſed ut inter ſe conſpirent, & alter alterius bonum & commodum quærat. Niſi quis malit, εἰς poſitum eſſe pro ἐν, nempe ἐν ἀλλήλοις, quemadmodnm infra cap. xv. 5 loquitur apoſtolus. Quod ſi eſſet, moneret hoc loco apoſtolus, ut opinionibus ac ſententiis in rebus ad religionem ſpectantibus conveniant; aut ſententiis diſſidentes, animo ſaltem conſpirarent, nec ob diverſitatem ſententiarum ſtudio & amore abirent in diverſa, vel etiam in ſectas penitus ſcinderentur; ſed ſi ὁμοδοξίαν retinere non poſſent, ſervarent ſaltem ὁμόνοιαν. Hac enim ſervata opinionum diſſenſio non apparet, imo tandem etiam penitus tollitur. Tolle enim in opinionum ac ſententiarum diſſenſione odium, ambitionem, invidiam, ac ſuas opiniones defendendi nimium ſtudium, ament inter ſe qui diverſa ſentiant, vitent rixas, contentiones, nil niſi veritatem quærant nec ut ipſi, ſed ut veritas, ut publicum bonum vincat, quærant, cedet opinionum diſſenſio: ſed ſi illi qui ſententiis diſſident, etiam animis ac voluntati-

bus diſſidere cœperint, omnia ruent in pejus, & tandem ad rixas, ſectas, imo etiam in bella ac perſecutiones res exibit. Hoc autem fit cum homines ſunt ambitioſi, & nimio ſuarum opinionum defendarum ſtudio laborant, cum turpe putant ab aliquo vinci & errorem agnoſcere; & contra pulchrum ac glorioſum omnes in ſententiam ſuam cogere, & eos veluti diſcipulos habere. Hoc autem oritur ex ſuperbo & elato animo. Itaque ſuperbiam ſtatim prohibet apoſtolus. & è contrario humilitatem præcipit. Ubi enim ſuperbia pulſa fuerit, & in eccleſia & in animis hominum humilitas regnaverit, omnia recte habebunt.

*Ne alta ſapientes.* Alta ſapere nihil aliud eſt quam arrogantem eſſe, & multa ſibi tribuere, & neſcio quid non de ſe ſentire. Unde fit, ut homines humiles, & qui nobis minus ſapere videntur, faſtidiamus & contemnamus. Hoc prohibet apoſtolus, & ex adverſo jubet, *ut humilibus ſimul abducamur.* Συναπάγεσθαι dicuntur, qui in aliorum gratiam ab inſtituto itinere deflectunt, ut ſeſe illis comites præbeant, & eos affectentur. Quocirca hoc vult apoſtolus, ut illi qui in eminentiori dignitatis gradu ſunt, aut ſibi videntur eſſe collocati, non eo ſemper ſe modo gerant, qui eorum dignitati ſit uſque quaque conſentaneus, ut cum humilibus & vilibus cæteroqui hominibus negotium habere dedignentur, eoſve faſtidiant; ſed de ſuo ſe faſtigio ad illos demittant, & iis obſecundent, iis ſe accommodent, ne ſpernere videantur: aut ut illi, qui ſibi videntur, vel etiam ſunt ſapientes humilioribus & infirmioribus ſeſe accommodent, & illis obſecundent, infirmis fiant infirmi, & omnibus omnia, communi ædificationi conſulant, nec pudeat illos in humiliorum gratiam multa facere, & ad eos ſeſe velut demittere, cum balbutientibus interdum balbutiant & ipſi. Vox ergo ταπεινοῖς hoc loco non de rebus, ſed de perſonis accipiendum eſt.

*Ne eſtote prudentes apud vosmetipſos.* Ne vobis videamini ſapientes. Repetit aliis verbis idem præceptum. Idem enim eſt alta ſapere, & ſapientem ſibi videri. *Ne ſis ſapiens in oculis tuis*, inquit Salomon Prov. 3. 7. qua de re dictum eſt ſuperiori capite verſ. 25.

Verſ. 17. Hactenus ergo docuit apoſtolus, quam ſtudioſe pacem & concordiam Chriſtiani inter ſe colere debeant: nunc docet, quomodo cum aliis hominibus vivere debeant. *Nemini malum pro malo reddentes.* Vindictam omnem & ultionem prohibet apoſtolus, & per *malum* intelligit tale malum, quod non niſi animo nocendi, & tantum ut alteri male ſit infertur, & quod alioqui ſua natura tale eſt, ut nihil niſi nocendi vim habeat; quale verbi cauſa eſt, cum oculus pro oculo excutitur. Nam quocunque tandem animo oculum alteri, propterea quod ille excuſſerit tuum, excuſſeris, vel excutiendum curaveris, malum malo rependes, & te ulciſceris. *Procurantes bona*, ſeu potius *honeſta coram omnibus hominibus.* In id incumbite, in id eſtote intenti, ut nihil habeant homines quod jure in vobis reprehendere queant. In vobis jam ante prævisum ac proſpectum ſit quod pulchrum et laudabile eſt, quod bonam de vobis famam ac opinionem apud homines excitare, et contra id, cautum ſit quod notam aliquam et maculam vobis queat injicere. Debemus enim non tantum Dei et conſcientiæ, ſed etiam bonæ famæ et exiſtimationis ſummam habere rationem, et de jure noſtro decedere, ſi videamus hoc male apud homines acceptum iri, *et* eorum reprehenſionem nos incurſuros eſſe. Idem ſe feciſſe teſtatur apoſtolus 2 Cor. 8. 20, 21. Tale etiam eſt vindicta, aut id quod aliquam vindictæ ſpeciem præ ſe fert. Licet enim homines affectus ſuos regere neſciant, et in vindictam exardeſcant, ipſi vident tamen, omnem vindictam ab animi inpotentia et malitia proficiſci: unde fit, ut eos, quos vindictam et ultionem ſpirare putant, ſiniſtra fama notent et reprehendant, præſertim autem eos qui ſanctimoniam peculiarem, et vitam præ cæteris honeſtiorem, quales ſunt Chriſtiani, profitentur.

Verſ. 18. *Si poſſibile, quod ex vobis, cum omnibus hominibus pacem colite.* Affine eſt tolerantiæ injuriæ pacis ſtudium; imo illud eſt hujus medium. Ad pacis igitur ſtudium Chriſtianos hortatur apoſtolus, et quidem cum omnibus hominibus, nec ſolum ad ſtudium pacis, ſed ad ipſam pacem colendam. Pax autem opponitur diſſidiis et conſiſtit in animorum conſpiratione, quæ tendit in bonum ac felicitatem communem: opponitur rixis, contentionibus, factionibus, bellis, et omnibus illis quæ hoſtilem et alienatum animum ſequi ſolent. Pax igitur eſt cum animi mutuo conſpirant, cum mutuis certatur officiis ac beneficiis. Sed quia non videtur eſſe in poteſtate Chriſtianorum, ut cum omnibus hominibus pacem reipſa colant, addit apoſtolus: *Si poſſibile.* Quibus verbis oſtendit ſeſe non præcipere impoſſibilia. Ad impoſſibilia enim nemo obligatur. Verum, ut melius exprimeret, quantum in nobis eſſe debeat pacis ſtudium, addit: τὸ ἐξ ὑμῶν, quantum in vobis, pro viribus, quantum dare poteritis operam ut pacem cum omnibus colatis. Poteſtis autem tum beneficiis et officiis variis homines vobis devincire, tum ſumma injuriarum patientia, ſic ut ex veſtra parte ſemper ſit pax. Hoc præceptum quia admodum eſt arduum, nempe ne injurias noſtras ulciſcamur, cui veluti fundamento innititur pax cum hominibus, propterea illud iterum aliis verbis repetit et inculcat apoſtolus, idque ſic, ut illud etiam ratione muniat, et illuſtret ac amplificet.

Verſ. 19. *Ne vos ipſos ulciſcamini, dilecti.* In voce ἑαυτοὺς eſt emphaſis, tacite oſtendens, non idcirco hoſtes noſtros ultionem effugituros eſſe, ſi nos ipſi injurias noſtras ulti non fuerimus; neque nobis ideo ultionem prohibitam eſſe, ut illi maneant inulti, ſed ut nos ſimus boni & omni malitia vacui. *Sed date locum iræ.* Hęc verba dupliciter accipi poſſunt, vel de ira noſtra, vel de ira divina. Si de ira noſtra, vult, ut iræ ſpatium demus, hoc eſt locum illi aperiamus quo exeat & expiret, ne perfractis patientiæ clauſtris in vindictam erumpat. Ira enim in animo noſtro concepta eſt ſimilis ſpiritibus ſolido aliquo corpore concluſis, qui niſi exitum aliquem repererint, corpus illud terribili motu & ſonitu conciunt, & vi ſibi viam aperiunt. Si vero de divina ira hæc verba accipiantur, ſenſus erit, non debere fideles ulciſcendo ſeſe divinam ultionem excludere & occupare, ſed ſua patientia locum divinæ ultioni relinquere: non quod hæc debeat eſſe fidelium intentio, ſed quod hic ſit patientiæ eorum eventus. Sic de Chriſto ait Petrus, quod convicium non penſarit convicio, & patiens injurias non fuerit minatus, ſed tradiderit ſeu commendarit, injuriam nempe ſeu totum negotium, juſte judicanti; non quod hoc intenderit & ſpectarit, ut Deus ejus injurias ulciſceretur & vindicaret, ſiquidem illum oravit pro

immicis

inimicis ſuis; ſed quod hic fuerit patientiæ Chriſti exitus.

Affert iſtius ſui præcepti rationem apoſtolus: *Scriptum enim eſt, Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* Hæc verba dupliciter intelligi poſſunt: vel ut iis ſimpliciter tantum affirmetur, Deum ulturum eſſe injurias populi ſui; vel ut iis affirmetur, ſolius Dei eſſe ulciſci injurias, ac proinde nobis non licere nosmetipſos ulciſci. Et hoc quidem poſteriori modo, qui priorem aliqua ratione in ſe comprehendit, videntur ea ab apoſtolo accipi. Si priori modo hæc verba accipiamus, multo veriſimilius erit, in illis verbis, *date locum iræ*, agi de ira divina; nempe debere nos patientia noſtra locum divinæ iræ & vindictæ relinquere, ſiquidem ille ulturus ſit certo inimicos noſtros, & qui nos injuria afficiunt. Et hoc etiam ſenſu hæc verba a Moſe ſunt allata. Sin autem altero illo modo hæc verba ſumemus, nempe ut iis dicatur, neminem jus habere ſumendæ utionis præterquam ipſum Deum; optimo quidem jure hinc concluditur, non licere nobis vindictam de iis qui nos injuria afficiunt, ſumere; ſed dicendum erit, apoſtolum hæc Moſis verba, quod magis hunc quam illum ſenſum præ ſe ferant, citare. Eadem verba citat divinus autor Epiſtolæ ad Hebræos 10.30. Et licet prima ſpecie alio itidem ſenſu, quam quo apud Moſen ſunt prolata, citari videntur, nempe Deum puniturum & damnaturum populum ſuum; cum tamen contrarium his verbis Moſes affirmet, Deum nimirum ulturum injurias populi ſui, eumque judicaturum, hoc eſt, ejus cauſam ad judicium ſuum vocaturum, & eum ſententia ſua ac decreto ab oppreſſionibus liberaturum: nihil tamen prohibet quo minus eodem plane quo apud Moſen ſenſu accipiantur. Cum enim his verbis divinus autor probare velit, Deum traſſugas illos & deſertores Chriſtianæ religionis puniturum graviſſime, ſufficiebat illi ut oſtenderet, populi ſui, nempe Chriſtianorum injurias ulturum eſſe, & eorum cauſam judicaturum. Hoc enim oſtenſo ſimul etiam oſtenditur, graviſſimas hoſtibus eorum imminere pœnas. Quod ſi hoſtibus, quanto magis tranſſugis iſtis & deſertoribus.

*Dicit Dominus.* Additur hoc, ut ſciamus, quiſnam ſit is qui dicat, *Mihi vindicta*; & hinc etiam colligamus, quam certa hoſtes noſtros maneat ultio. Quicquid enim Dominus dicit, id certo eventurum eſt; vel etiam ut hinc diſcamus, jure illi eompetere pœnas exigere & ulciſci, ſiquidem Dominus eſt, qui in unumquemque abſolutam vitæ neciſque habet poteſtatem, nobis autem non licere nt nós ulciſcamur, ſiquidem ejus Domini mancipia ſumus. Hoc præceptum de non retaliandis injuriis amplificat apoſtolus alio Scripturæ dicto, quo oſtendit, nobis non tantum non licere ultionem ab inimicis ſumere, ſed etiam loco vindictæ debere nos illos, ſi opus ſit, beneficiis afficere.

Verſ. 20. *Si igitur eſurit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit pota illum.* Particula *igitur* oſtendit hoc ex ſuperiore præcepto pendere. Et certe jure hoc ex illo deducit apoſtolus. Si quis enim ab omni vindicta & ultione alienus eſt prorſus, is etiam, ſi inimicum ſuum ope & officio ſuo indigentem videbit, id illi non denegabit. Quid enim alioquin illum impediret, niſi vindictæ & ultionis ſtudium?

*Hoc enim faciens carbones ignis colliges ſuper caput ejus.* Hæc eſt laudabilis vindicta, inimicis noſtris ſimul graviſſima, quando injurias beneficiis ulciſcimur. Magnum illi dolorem inures, perinde ac ſi ignitos carbones capiti ejus imponeres. *Carbones ignis* per Hebraiſmum pro carbonibus ignitis. Dolor autem iſte non corporis eſt, ſed animi, & conſiſtit in pœnitentia, quod hunc, qui nunc ſibi benefaciat, aliquando læſerit injuria.

Verſ. 21. *Ne vincaris a malo.* Malum eſt injuria omnis. Ab hac vincitur, qui ſeſe ulciſcitur.

*Sed vince in bono malum.* Vincit malum ſeu injuriam qui eam patienter fert. In bono autem, ſive per bonum eam vincit, qui eam non ſolum non ulciſcitur, ſed etiam beneficio cumulat, & penitus obrnit. Hæc Chriſtianorum pulcherrima victoria eſt.

## CAP. XIII.

### ARGUMENTUM.

*Pergit apoſtolus in hoc capite Chriſtianorum hominum officia recenſere. Sunt autem tria Capitis iſtius membra. In primo docet, quomodo Chriſtiani erga magiſtratum ſeſe gerere debeant. In ſecundo ad charitatem mutuam eos hortatur. In ultimo præceptionem quandam & adhortationem generalem tradit ad vitæ ſanctimoniam, quibuſdam etiam particularibus vitiis recenſitis, a quibus eos dehortatur. Primum membrum extendit ſe uſque ad verſ. 8.*

Verſ. 1. *Omnis anima.* Anima pro toto homine per Synechdochen, ex Hebræorum uſu. *Poteſtatibus.* Abſtractum pro concreto, pro iis qui poteſtatem ſeu imperandi jus in alios habent. Ὑπερεχούσαις ſuperioribus ſeu ſupereminentibus. Explicationis cauſa id addidit apoſtolus, ut oſtendat, quid per ἐξουσίας intelligat, nempe eos, qui cum jus & poteſtatem habeant aliis imperandi eoſque regendi, ſupra cunctos mortales emineant & extent. Hac voce utitur quoque Petrus de rege, cum eum ὑπερέχοντα nominat, & illi idcirco obedire jubet.

*Subjiciatur.* Hic docet, in quo officium Chriſtianorum erga magiſtratum contineatur; nempe ut magiſtratui ſint dicto audientes, & illi in omnibus obtemperent, quæ divinis mandatis contraria non ſunt. Nam alioqui Deus potius quam magiſtratus audiendus eſt. Adeo autem Chriſtianus homo magiſtratui obſequi debet, ut etiam injuriam potius patiatur, quam mandata detrectet, niſi forte modeſte detrectare, & jura privilegiaque opponere mandatis injuſtis queat, er ſic ſeſe ab injuria defendere: qua in re prudentiæ, ſed quæ divini numinis metu, et pacis publicæ amore regatur, locus eſt relictus. Rationem totius præcepti ſubjungit apoſtolus:

*Non enim eſt poteſtas niſi a Deo.* Per poteſtatem tum officium ipſum ac munus aliis imperandi intelligi poteſt; tum etiam intelligi poſſunt perſonæ ipſæ quæ imperant, præſertim illæ, quæ ſummo imperio in republica aliqua gaudent. Ejuſmodi enim homines non ſine peculiari conſilio divino, licet occulto, ad rerum publicarum gubernacula admoventur, ſive boni ſint, ſive mali. In ſummis autem magiſtratibus inferiores quia ſummo dependent, comprehendi debent, utpote qui ex ſuperioris arbitrio imperant ac dominantur. Hinc Petrus ducibus ſeu legatis præeminentibus, qui Cęſaris nomine, quem regem vocavit, imperabant, parendum eſſe docet tanquam iis qui a Rege miſſi ſunt 1 Pet. 2. 13.

Quæ

*Quæ vero ſunt poteſtates.* Δὲ poſitum eſt pro ἀλλὰ; cujus rei paſſim exempla occurrunt, ut Hebr. 10. 13. quaſi d. quæ ſunt, a Deo ſunt.

Verſ. 2. *Itaque qui reſiſtit poteſtati.* Hic concludit primam rationem apoſtolus. Non eſſe autem reſiſtendum Deo, ſive ejus ordinationi ac conſtitutioni, inde patet. *quod qui reſiſtunt ſibi ipſis judicium accipient.* Vox κρῖμα, ut & ipſe argumentationis apoſtolicæ ductus ac nexus poſtulat, hic divinam potius quam humanam pœnam ſignificat.

*Qui enim dominantur non ſunt metus bonorum operum, ſed malorum.* Et rationem præcedentis dicti affert, et objectionem occupat apoſtolus. Rationem affert, quatenus docet, jure eos puniri qui magiſtratui reſiſtant; quandoquidem is malefacta prohibet non benefacta. Reſiſtere autem ei qui malefacta prohibet pœna dignum eſt. Objectionem autem occupat, quia poterat aliquis cogitare; durum eſſe ſub magiſtratu vivere, cujus vires formidare ſemper debeas, ac ſub eo veluti cruce vivere. Reſpondet apoſtolus, quemvis facile hoc metu ſolvi poſſe; ſiquidem magiſtratus non minetur aut terrorem incutiat rectè factis, hoc eſt iis qui recta faciunt, ſed iis tantum qui faciunt iniqua & mala. Quocirca tantum in id incumbendum eſt, ut omnia ſcelera ac peccata vitentur; quod qui fecerit tantum abeſt ut metuere debeat, ut etiam laudem et commendationem a magiſtratu conſecuturus ſit. Per recte facta autem et malefacta ea tantum ſunt intelligenda, quæ ad hanc communem civilemque vitam pertinent. Nam quod attinet ad ea facta quæ religionem et cultum divinum ſpectant, ſæpe fit, ut magiſtratus aut recte facta ejuſmodi damnet ac puniat, aut malefacta laudet ac promoveat: cujus rei innumera ſunt exempla. Ideo Petrus cum dixiſſet, *Quis eſt qui vos malo afficiet ſi boni ſectatores fueritis?* ſeſe veluti corrigens ac dictum ſuum limitans, ſubjungit: *ſed ſi etiam patiamini propter juſtitiam beati eſtis.* Deinde autem docet apoſtolus, qua ratione hoc metu ſolvi poſſimus. Non intelligit talem metum, qui in reſpectu quodam ac reverentia magiſtratus conſiſtit, eaque tali, ut nihil illi adverſum audeamus facere pœnæ metu: ſed metum intelligit eum, qui peccatum conſequitur jure, non qui antecedit; niſi quis forte metuat, ne injuria afficiatur. Ille metus ab homine Chriſtiano abeſſe debet, vel ſaltem poteſt; hic vero abeſſe non debet. Talem metum ipſi Deo debemus, talem debent liberi parentibus, uxor marito, ſervi ac familia domeſtica dominis ſuis & heris. De illo metu loquitur Divus Joannes, cum negat in perfecta charitate metum reperiri debere 1 Epiſt. 4. 18. De hoc vero loquitur inferius Paulus cum ait: *cui metum metum.*

*Habebis laudem ex ipſa.* Nihil enim aliud eſt fere quod a magiſtratu proficiſci ſolet præter laudem & commendationem, exceptis præclaris quibuſdam & arduis factis, quibus leges peculiariter præmium aliquod decernunt. Hinc et Petrus dicit in vindictam maleficorum, & laudem bonorum. Subjungit novam rationem apoſtolus, licet cum proxime dictis cohærentem, & ex illis profluentem, cum addit:

Verſ. 4. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.* Ideo te ſubjicere debes poteſtati, quia Dei miniſter eſt; miniſtrat autem Deo in tuum commodum & bonum: idque partim ut te cohibeat a peccatis, & impellat ad honeſtatem pœnis & laudibus, aliquando & præmiis; partim etiam ut ab aliorum injuriis defendat. Ex eo autem quod magiſtratus ſit Dei miniſter, apparet, non tantum ipſum magiſtratus officium a Deo inſtitutum eſſe; ſed & illos ipſos, qui magiſtratus gerunt, præſertim ſummos, muneribus ſuis divino conſilio admoveri, & in hoc officio conſtitui. Nemo enim Dei miniſter conſtituitur niſi Dei arbitrio & voluntate.

*Tibi in bonum.* Id eſt, ut bonum facias, ut honeſte vivas, pace ac tranquillitate fruaris. Vide 1 Tim. 2. 2.

*Si vero malum facis, metue.* Quaſi d. Magiſtratus Deo miniſtrat in eo, ut ſubditi honeſtatem & juſtitiam colant, & pace fruantur. Quod ſi non faciant officium, ſed contra leges publicas ſaluti communi latas delinquant, metuant ſibi, ne pœnas pro meritis luant.

*Non fruſtra enim gladium geſtat.* Non otioſe, nullo fine, nullo conſilio ac fruſtra. Gladius eſt inſtrumentum pœnæ, & quidem capitalis, eſt inſtrumentum maxime uſitatum. Unde jus vel poteſtas gladii apud *Iurisconſultos*, imo & in vulgari ſermone accipitur pro poteſtate capitali ſupplicio afficiendi, ſpecie pro genere poſita. Qui autem gladio poteſt ferire, poteſt multo magis alia pœnarum genera infligere: unde ſub gladio tacite comprehenduntur omnia ſuppliciorum genera. Quare verba apoſtoli id volunt, pœnam eſſe metuendam legum tranſgreſſoribus, & magiſtratus refractariis. Et ne quis putaret, magiſtratum hoc ſibi propria auctoritate, aut etiam hominum conſenſu ſumere, ſubjungit: *Dei enim miniſter eſt.*

Sed qualis? *Vindex in iram*, talis, ut vindictam exerceat, & ultionem pœnamque infligat. Vox ἔκδικος non actum vindicandi, ſed munus & officium puniendi ſignificat; ira autem actum ipſum ſeu pœnam, ut alibi ſæpe. q.d. Vindicandi gerit munus ad irroganda ſupplicia maleficis. Addit autem τῷ τὸ κακὸν πρᾶσσοντι. Nam cum innocentem punit, non amplius Deo in eo miniſtrat.

Verſ. 5. Ex his quæ hactenus de magiſtratu diſſeruit, colligit: *Ideo neceſſitas eſt obedire* vel *ſubjici.* Sed quia non hoc tantum quærebat apoſtolus, et non hoc tantum ex ipſius rationibus colligitur atque educitur, addit:

*Non tantum propter iram, ſed etiam conſcientiam.* Poterat enim aliquis cogitare, obediendum quidem eſſe magiſtratibus, ſed propter eas tantum pœnas, quas magiſtratus irrogat, alias licere homini Chriſtiano magiſtratus jugum[1], modo id alioquin illi tutum ſit, excutere. Hoc ne quis cogitaret, propterea addit verba illa: *non ſolum propter iram* &c. quaſi d. Eas ego rationes et cauſas attuli, ex quibus colligitur, quemvis magiſtratui non tantum propterea dicto audientem eſſe debere, ne ſibi aliquid mali et pœnarum a magiſtratu accidat; ſed etiam ne Deum ipſum ac conſcientiam offendat, ſic ut etſi videat, ſe pœnam magiſtratus effugere poſſe, nihil tamen adverſus eum delinquat divinæ pœnæ metu, quam nullus eorum qui ſe magiſtratui non ſubjicit effugiet.

Verſ. 6. *Propter hoc & cenſum penditis.* Novum præceptum per modum argumenti et rationis inſinuat apoſtolus, nempe tributum eſſe pendendum magiſtratui. Sed maluit illud veluti pro conceſſo ſumere, et ex eo argumentum inſuper petere ſubjectionis magiſtratui debitæ. Tributi enim penſio ſubjectionis eſt ſignum et nota. Ideo dicit, *propter hoc*, id eſt, propter ſubjectionem, ſeu propterea quod ſubjecti eſtis. Subjungit autem rationem, qua oſtendit, jure ab illis tributum exigi et pendi. *Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum perſeverantes.* Λειτουργὸς publicum miniſtrum, ſeu eum qui publicum

munus

munus gerit, significat, & proprie magistratui competit. *In id ipsum*, in hoc ministerium publicum intenti, & in illo perseverantes. Προσκαρτεροῦντες significat constantiam in aliqua re cum labore & molestia conjunctam. Quocirca æquum est ut tributis ab unoquoque subleventur, quandoquidem omnibus operam suam navant, & pro communi omnium salute excubant, & hoc solum agunt, nec privatas propterea res suas commode curare possunt, ac propterea opibus ac potentia ad defendendos bonos, & coercendos malos instructi sint oportet; id quod absque tributis fieri nequit.

Vers. 7. Postquam docuit, deberi magistratui obedientiam & tributum, non tantum humanis, verum etiam divinis legibus ac jure conscientias obstringente, generali præceptione de debitis unicuique reddendis eos hortatur ad reddenda etiam debita hæc magistratibus. *Reddite igitur omnibus debita, cui censum censum, cui vectigal, vectigal.* Census est tributum, quod vel in civium capita, vel etiam pro cujusvis facultatibus decernitur; ac magistratui penditur: Vectigal autem est tributum quod pro mercibus seu rebus quæ importantur & exportantur penditur.

*Cui metum metum.* Per metum potissimum intelligitur effectus metus, nempe obedientia. Qui enim aliquem metuit, ei etiam obedit, & qui obedit metuit, cum quod morigerum se præbet, metu faciat.

*Cui honorem honorem.* Honor in eo consistit, ut animi erga aliquem reverentiam ac submissionem externis signis, cum corporis gestibus, tum factis, tum sermonibus testemur.

Vers. 8. *Nemini quicquam debete.* Non quod obstringi nos alicui ulla in re nolit apostolus (id enim fieri nec semper potest, nec debet) sed ne ullam rem alicui jure debitam penes nos retineamus, sed competente tempore reddamus; nisi forte creditor tempus proroget, & de jure suo volens cedat. Nihil enim aliud his verbis apostolus prohibet quam alienæ rei retentionem, quam ejus dominus ac creditor reddi sibi omnino cupiat, vel postulet: quia ejusmodi retentio omnis injusta est. At si creditor ipse de suo jure cedat, retentio illa injusta esse definit.

*Nisi ut diligatis vos invicem.* Hæc dilectio tum de ipso charitatis affectu, tum etiam de effectis accipi potest. De affectu quidem, quia eum semper remanere oportet penes nos, licet alteri debitum reddere cogamur, & nihilominus solvere, hoc est, re atque opere præstare. Est enim istius debiti ea natura & indoles, ut dum solvitur retineatur. De effectis autem charitatis, quia in cæteris omnibus debitis datur aliquod tempus liberum post eorum solutionem: at in officiis charitatis præstandis nullæ sunt feriæ, nulla vacatio, nullum est temporis momentum, quo omnibus charitatis officiis defuncti ab eorum præstatione simus liberi: Semper subnascitur & subpullulat densa ejusmodi officiorum seges. Hic autem incipit altera Capitis pars, de charitate: ad quam præcipiendam & inculcandam a debitis solvendis occasionem sumsit. Affert autem causam apostolus cur fideles inter se mutuo amore devinciri velit.

*Qui enim diligit alterum legem implevit. Alterum* dicit apostolus, ut ostendat, charitatis officia non restringi ad certos quosdam homines, sed tam late extendi, quam late patet alterius nomen. Charitatem sub euangelio non tantum ejusdem nationis, ejusdem religionis, statûs, conditionis hominibus debemus; sed cujuscunque tandem sint vel nationis, vel religionis, vel conditionis sive amici reipsa sint, sive minus: omnes suo quodam jure charitatem a nobis exigunt. *Quia qui diligit alterum legem implevit.* In verbo implevit est Enallage Hebraica temporis præteriti perfecti pro futuro; sed in hac enallage est major quædam vis & efficacia. Per legem autem intelligitur ea pars legis, quæ ad proximum spectat; quæ sola legis nomine interdum appellari solet, a majori præceptorum moralium parte appellatione sumta. Id vero quod de charitate dixit apostolus duobus probat argumentis: Unum est ab inductione præceptorum specialium desumtum. Quicunque enim vere diligit aliquem nihil contra ullum horum præceptorum quæ in Decalogo continentur, & ad proximum spectant, aliaque similia, peccabit.

*Vs. 9. Non concupisces.* Cum hæc verba speciale præceptum significent, nempe decimum; apparet, per eadem verba cap. VII. 7 speciale quoque præceptum intelligi.

*Et si quod aliud præceptum.* Hæc verba videtur addidisse tum propter præceptum de honorandis parentibus, quod & in dilectione continetur; tum propter præcepta multa, quæ passim legi addita sunt, de variis officiis erga proximum exercendis, verbi gratia de fœnore non accipiendo, de rumore falso de aliis non spargendo, & his similia.

*In hoc præcepto summatim comprehenditur.* Quasi d. Horum omnium præceptorum, quæcunque aliquid ad proximum spectans vel jubent, vel vetant, summa est & compendium hoc:

*Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Proximi appellatio latius extenditur sub novo fœdere quam sub veteri. Sub veteri enim fœdere ad solos Judæos vel ejusdem religionis socios extendebatur; sub novo autem fœdere omnes homines complectitur, sive sint ejusdem, sive diversæ vel nationis vel religionis. In summa proximus est is, quicunque nobis vel humanitatis alicujus, vel necessitatis vinculo conjunctus est, præsertim si intercedat negotium aliquod, aut nos locus prope conjungat, & efficiat, ut aliqua in re operam ei nostram commodare possimus: quod ex Parabola Luc. 10 allata apparet. Illi enim homines qui longo intervallo a nobis remoti & sejuncti sunt, ac nobis plane incogniti, quibus nulla in re inservire possumus, proximi potentia potius sunt quam actu, itaque potentia non vero actu charitas nostra ad eos extenditur. *Quemadmodum te ipsum.* His verbis non significatur absoluta æqualitas charitatis istius, quam proximo debemus, cum charitate, qua nos ipsos complectimur; non æqualitas, inquam, sed similitudo his verbis exprimitur. Alioquin enim ipsa everteretur natura. Non frustra dicitur vulgo, ordinatam charitatem a se incipere. Sequeretur sane si omnimoda hic præciperetur amoris erga nos & proximum æqualitas, neminem debere pati ut proximo minus sit quam sibi, inducendaque esset omnium rerum communio, sic ut nemo quicquam proprio ac privato jure possideat, ad quam communionem & æquabilem omnium rerum societatem Christi legibus ac disciplina nequaquam cogimur. Præterea cum sub lege hoc præceptum vigeret, ea tamen in proximum permissa erant, quæ nullus in seipsum designaret. Quis, si oculum aut dentem alicui excussisset, sibi vellet excuti? quis si in furto deprehenderetur noctu, ad mortem etiam cædi ac contundi? Cum igitur hæc dilectio erga proximum specialibus legibus attemperanda fuerit, parum liquet, eam nullo modo parem prorsus esse debuisse illi charitati, quæ nobis in nos ipsos innata est? Quocirca his verbis id tantum significa-

tur, ſimilem atque vicinam admodum debere eſſe charitatem qua proximum complectamur ei, qua nos ipſos complectimur, & ſimiles utriuſque effectus eſſe debere: vel, quod eodem revera recidit, me debere id omne proximo præſtare, quod mihi ipſi, ſi ejus eſſem loco, ab alio præſtari vellem: quod ex Chriſti verbis manifeſte colligitur, qui Matth. 7. 12 docet, hanc eſſe ſummam legis & prophetarum, ut omnia quæ nobis fieri ab hominibus vellemus, ipſiſmet faciamus. Summam autem ſummæ convenire neceſſe eſt; ac proinde diligere proximum ſicut ſeipſum (quod hoc loco ab apoſtolo ſumma legis eſſe dicitur, & alibi etiam a Chriſto id eſſe dicitur) nihil aliud erit, quam facere alteri id omne, quod tibi, ſi ejus loco eſſes, fieri velles. Unde etiam colligitur, proximi appellationem tam late patere quam hominis. Homines enim Chriſtus nominat quibus hoc officium præſtari a nobis vult. Nam quemadmodum nos in neceſſitate aliqua conſtituti a quocunque tandem homine ſublevari vellemus; ſic viciſſim, quiſquis tandem ſit, modo homo ſit, is qui tuo eget auxilio ac opera, eam ipſi denegare, modo alioqui alia, eaque juſtior ac validior charitas permittat, non debemus. Charitas enim minor charitati majori, ſeu quæ major eſſe debet, ut ſubmittere ſe jure poteſt, adverſari, eamque tollere vel evertere non debet.

Verſ. 10. *Charitas proximo malum non operatur.* Alterum eſt argumentum, quod probat, charitatem eſſe legis impletionem. q. d. Charitatis erga proximum ea natura eſt, ut illi malefieri non ſinas. Atqui lex nihil aliud vult, quam ne proximo malefaciamus. Unde conſequitur, eum qui charitate præditus eſt, legem implere. Quod ſi quis dicat, legem non tantum prohibere ne proximo malefaciamus, ſed & jubere ut benefaciamus: reſpondemus, hæc bona quæ proximo exhiberi debere jubet, in eo tacite contineri, ne illi malefaciamus. Ea enim tantum bona lex proximo exhiberi juſſit, quæ nemo niſi odio ductus alteri denegare poteſt, quæque talia ſunt, ut in eorum denegatione malum proximo inferatur. Quocirca charitas ejuſmodi quoque bona aliis præſtanda a nobis exigit; quandoquidem & denegatio eorum malum continet. & non niſi ab iratis & odio flagrantibus hominibus, vel ſaltem qui omnem humanitatis affectum exuerunt, proficiſci poteſt.

*Impletio igitur legis eſt charitas.* Hæc verba ita accipi poſſunt, tum ut iis aſſeratur, in ipſa charitate ſeu dilectione proximi legis impletionem conſiſtere; tum ut aſſeratur, charitatem eſſe cauſam ex qua impletio legis proficiſcitur, ſive ob quam fiat ut legem impleamus. Illud autem magis ad ſcopum apoſtoli pertinet.

Verſ. 11. Jam tranſit ad tertiam capitis partem apoſtolus, qua generalis continetur admonitio ad veram vitæ ſanctimoniam, & quandam vitiorum, quæ tum hoc, tum ſuperiore capite reprehendit apoſtolus, depoſitionem. Καὶ τοῦτο. Hæc verba non proxime dictis, ad quæ veluti de via deflexerat apoſtolus, cohærent; ſed univerſæ adhortationi apoſtolicæ ſubjiciuntur, quæ varias virtutes & officia Chriſtiana nobis præſcripſerat, inprimis autem eas, quæ ad fugam hujus ſeculi, quod variis voluptatibus carnis indulget, tum ad pacem & concordiam cum omnibus colendam; in quibus etiam ſubjectio magiſtratui, de qua proxime egerat, & omnis generis juſtitia, quæ in tribuendo cuique id quod ſuum eſt cernitur, ſpectant. In quibus & nominatim ea vitia taxat ac reprehendit, quæ virtutibus iſtis opponuntur, quales ſunt, comeſſationes, ebrietates, cubilia, laſciviæ, nequitia, quorum ſectator ſeculo huic conformis redditur, lites & zelus. Nam & in epiſtola ad Titum c. 3. illis virtutibus, quæ in ſubjectione & obedientia erga magiſtratum conſiſtunt, opponit malitiam, invidiam, odium. Καὶ τοῦτο, *Idque.* Quam particulam ſubjicere ſolemus cum rem vel amplius declarare, aut amplificare, aut cauſam ejus afferre volumus, eamque perſuadere. Subaudiendum autem eſt verbum *facite*, vel aliud aliquod ſimile. Cauſa ſtatim affertur verbis ſequentibus.

*Scientes tempus.* Scientes in quo temporis articulo nunc verſemur, atque adeo quid hoc tempore agendum; vel qualenam hoc ſit tempus, cui rei aptum atque opportunum, imo deſtinatum. Καιρὸς enim non ſimpliciter tempus, ſed tempus rei alicui apprime commodum & conveniens, vel certum temporis articulum ſignificat. Ideo, inquit, omnia ad quæ hortaturus ſum, facite, quia optime noſtis alia nunc fluere tempora, quam quæ ante cognitionem Chriſtianæ religionis fuerunt: noſtis optime, quid tempora hęc poſtulent; vel quanta commoditas & opportunitas nos ad omnis generis virtutem ac honeſtatem invitet.

Id quod amplius explicare volens addit: *quod hora jam ſit nos ex ſomno excitari.* Per ſomnum intelligit vitiorum ſomnum, ſeu peccandi licentiam ac ſecuritatem, quæ multorum peccatorum eſt mater. Quia enim illi qui dormiunt ac ſopiti ſunt, ſecuri ſunt, nihil timent, nulla in re ſibi conſulunt ac proſpiciunt; ideo qui peccatis variis ſuaviter indulgent, ſibi ac ſaluti ſuæ nequaquam proſpiciunt, pœnas ac perniciem ſibi imminentem non vident, non metuunt, dormire dicuntur, ac cum hominibus ſomno ſepultis conferuntur. Ex hoc ſomno ſurgendi (& cognoſcendi quam miſere pereant omnes qui peccatis indulgent) horam jam eſſe dicit apoſtolus, non reſpiciens ad initia agnitę religionis Chriſtianæ (quam primum enim nobis exoritur divinæ veritatis lux, ſtatim eſt tempus ex hoc ſomno ſeſe propiendi) ſed multo magis reſpiciens ad temporis non exiguum ſpatium in Chriſtiana religione exactum; ob quod factum eſt, ut Sol iſte veritatis propius ad nos accederet, pleniore adhuc luce ac die in animos noſtros invecta.

Idcirco addit: *Nunc enim eſt propior ſalus noſtra quam cum credidimus.* Id eſt, tempus quidem & hora eſſe ſomno ſurgendi quam primum ſol exoritur; ſed ubi jam horis aliquot lucem diffudit, ac nobis vicinior effectus eſt, multo certe urgentior & major ſurgendi evigilandique cauſa eſt. Cum autem manifeſtum ſit, apoſtolum in his verbis allegoria ab exortu ſolis ac diei ſumta uti, apparet, quomodo hæc verba intelligi debeant. Per ſalutem nimirum intelligendam eſſe non ipſam ſalutem nudam & in ſe conſiderandam, ſed quatenus nobis affulget, & inſtar ſolis cœleſtem exorta lucem affert animis, & omnes ignorantiæ tenebras fugat & diſpellit, quatenus in Chriſti divina religione revelatur. Salus autem pro divina ſalute ſumi debet, ſubjectum occupans pro adjuncto occupato per Metonymiam. Hoc ſenſu dicitur in ſermone fuiſſe vitam, & vitam eſſe hominum lucem, quæ luceat in tenebris. In Chriſto enim, qui Sermo eſt, non fuit vita ipſa, ſed in doctrina ipſius de vita, nempe immortali, quæ doctrina eſt hominum lux ac ſol, qui omnes tenebras fugat ac diſpellit. Propior autem illis dicitur fuiſſe quam cum crederent, hoc eſt, cum primum credere inciperent, ſeu doctrinam Chriſti amplecterentur; quia illam clarius, plenius, exactius cognoverunt, aut ſaltem cognoſcendi occaſionem habuerunt. Ita de veritate divina ac prędmio ſalutis loquitur tanquam de

ſole.

ſole. Sol enim poſtquam exoritur ſemper propius ad nos accedit, & clariorem nobis præbet lucem. Nam quod ſol iſte corporalis naturali curſu iterum recedat, & noctem reducat, id in hoc ſpirituali ſole non conſiderat apoſtolus. Simili ratione ſpiritualis iſte ſol in animis noſtris ſubinde pleniori & uberiori luce animos noſtros complens accedere ad nos videtur, ſuoque acceſſu noctem veluti fugare ac propellere. Unde eleganter ſubjicit apoſtolus:

Verſ. 12. *Nox proceſſit, dies appropinquavit.* Quemadmodum noctis tenebræ a ſole veluti propelluntur, & tanto longius recedunt, quanto ſol propius accedit: Sic iſto ſolis ſpiritualis acceſſu omnes ignorantiæ tenebræ fugantur procul. Dies autem hoc loco appropinquaſſe dicitur non ortus ſui ratione, nam hoc modo minus efficeret apoſtolus quam volebat & res erat; quantulum enim hoc fuiſſet dicere, ſpiritualis iſtius diei ortum appropinquare? ſed ratione ipſius lucis, quam ſol ſupra horizontem noſtrum elatus ſpargit, quæque diem naturalem efficit, eamque ob cauſam dies appellari poteſt; & ſolem ipſum comitatur. Quare quo propius ſol ad nos accedit, tanto propius & ipſa nobis adducitur, tantoque magis nos illuſtrat. Idque hoc loco exprimere voluit apoſtolus: q. d. longe retroceſſit ac fugata eſt nox, & ſpirituales tenebræ, quæ è divinæ veritatis defectu & abſentia oriuntur, & cauſa ſunt ignorantiæ (quæ in hac ſimilitudine magis reſpondet cæcitati, eſtque privatio viſus; in tenebris enim oculi omnium caligant) divinæ veritatis: ea vero quatenus plenius atque exactius nobis explicata eſt, veluti appropinquavit, ac, ut ſic dicam, meridiem induxit. Quod ſi nos nihilominus adhuc caligine ignorantiæ circumfuſi ſumus, vel in peccatis dormimus, id noſtro fit vitio & culpa qui oculos aperire nolimus, vel omni pudore ac verecundia proſtituta in ipſo meridie ſtertamus.

His dictis & eleganter & appoſite monitionem ſuam ſubjicit apoſtolus: *Deponamus igitur opera tenebrarum.* Quandoquidem plena luce colluſtrati ſumus, deponamus opera quæ tenebris conveniunt, & in tenebris patrari ſolent. Quid enim turpius ac fœdius eſt quam in plena luce committere ea quæ tenebris ac latebris ſunt digna? Tenebræ hoc loco ſpirituales tenebras ſignificant, quæ in divinæ veritatis privatione ac defectu conſiſtunt, ac proinde ignorantiam divinarum rerum pariunt. Divina veritas ſeu doctrina Chriſti de ſalute noſtra veluti lux eſt quædam, quæ res divinas abditas ac latentes illuſtrat, ac efficit ut oculis animi noſtri cerni poſſint. Paulus dicit, Chriſtum illuminaſſe vitam & incorruptibilitatem per euangelium. Harum tenebrarum opera ſunt peccata; tum quod tenebris ejuſmodi plane conveniant, tum quod ab illis producantur & originem trahant. Non dubium enim videtur, quin apoſtolus nominatim deſignet ejuſmodi peccata, quæ non ſolum ſpirituales tenebras quærunt, ſed etiam proprie dictas; qualia ſunt inebriari, (præſertim in illis regionibus, in quibus infame flagitium eſt inebriari) ſcortari, & alias impuras exercere libidines. Talia enim homines pudore prohibiti non audent in plena luce patrare, ſed tenebras ac latebras quærunt. Nox enim pudore caret, juxta illud Poëtæ:

*Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent:*
*Illa pudore vacat, Liber amorque metu.*

Simili ratione idem apoſtolus ab ebrietate homines Chriſtianos dehortatur, nempe quia ebrietas ſit nocturnum vitium, Chriſtiani autem ſint diei filii 1 Theſſ. 5. 7, 8. Quæ eſt ratio hac in parte lucis ac diei proprie dicti, eadem multo magis eſt dici ac lucis ſpiritualis; quæ cum ſemper luceat ac duret, ſemper etiam ab ejuſmodi nocturnis vitiis abſtinendum eſt. *Et induamur arma lucis,* Ὅπλα τοῦ φωτός. Appellatio τῶν ὅπλων, late patet, nec de armis tantum uſurpatur, ſed etiam de veſtitu ac ornatu. Qua ratione etiam videtur Petrus hac voce fuiſſe uſus 1 Pet. 4. 1.

Verſ. 13. Sequentia verba, *ut in die decore ambulemus* oſtendunt, vocem ὅπλων de ſimplici corporis cultu ac veſtitu ſumi.

*Indumenta lucis* ſunt omnis generis bona opera. Talibus enim ornari ac indui huic luci ſpirituali ac diei optime convenit. *Ut in die decore ambulemus*, q. d. Ideo volo vos indumenta luci ac diei convenientia ſumere, quia interdiu homines decore incedunt, ſeu honeſto ac decoro habitu cultuque corporis utuntur. Quid enim turpius ac fœdius eſſet, quam vel nudum, vel ſeminudum & induſio tectum, vel diſcinctum, aut alio aliquo modo indecoro veſtitum, in plena luce in omnium hominum conſpectu apparere? Quia autem proprie dicta dies a nobis requirit honeſtum & decentem cultum; ita multo magis requirit a nobis ſpiritualis iſta animos illuſtrans dies, ut pulcherrimo nos virtutum ornatu ornemus, omnem autem peccatorum turpitudinem deponamus; cum dies illa ſpiritualis turpitudinem peccatorum multo magis ac melius detegat, quam dies proprie dicta nuditatem corporis, & quicquid eſt in cultu corporis indecorum. Oſtendit apoſtolus, tum quis ſit iſte indecorus & inhoneſtus cultus, quem vitare in hac luce conſtituti debemus, tum quis decorus, & luci iſti conveniens.

Prius continetur his verbis: *non comeſſationibus & ebrietatibus, non cubilibus & laſciviis, non contentione & zelo.* Particula *in* ſubaudiri debet. *Comeſſationes* ſunt convivia, in quibus nimirum indulgetur carnis cupiditatibus, & congreſſus voluptatis tantum cauſa inſtituti, vel ſaltem per voluptates exacti. Committit hoc vitium tam is, qui nimias & nimium exquiſitas, delicatas ac ſumtuoſas apparat dapes; tum etiam convivæ, cum non ſolum nimis voluptati indulgent, ſed etiam cum ejuſmodi conviviis libenter interſunt. Ad comeſſationes autem pertinent aliæ quædam voluptates, quæ ad homines nimia & immoderata, ac per ſe carnali lætitia replendos pertinent; ut ſunt varii luſus ac joci, inprimis choreæ ac ſaltationes, quæ ſolutum prorſus omni devotione animum, & laſcivientis carniculæ petulantia agitatum declarant. Cum comeſſationibus recte conjungunguntur ebrietates, qui exceſſus ſunt in potu: quos in plurali numero, quemadmodum & comeſſationes nominat propter earum frequentationem.

*Cubilia* ſunt omnes Venereæ & impuræ ac illicitæ voluptates, quæ comeſſationes & ebrietates conſequi ſolent. Calefacto enim ventre, ut quidam dixit, calefiunt etiam ea, quæ ſunt ſub ventre. Unde recte in fine capitis monet apoſtolus, ne nimium indulgeamus carni, & cuticulam curemus.

Ἀσελγείαις, *laſciviæ* ſunt, cum quis externis ſignis interius latentem impuræ voluptatis appetentiam prodit; qualis eſt limus oculorum aſpectus, turpis corporis motus geſtuſve, amplexationes, impuri contactus, & ſimilia. Hujuſmodi laſciviæ comeſſationes & ebrietatem libenter comitantur aut ſequuntur.

*Contentiones* nihil aliud ſunt quam verborum quędam pugnæ ac dimicationes, cum alter alteri cedere non vult; cum animus utriuſque ira & indignatione calet, vox intenditur, & quod fieri ſolet, convicia fere perſonant, &

verborum acrimonia vulnerantur & exulcerantur animi. Contentiones tandem abeunt in odia & inimicitias, inimicitiæ in diſſidia & fectas, ſectæ in bella ac pugnas. Zelus contentionum origo eſt, & nil aliud quam affectus ac commotio animi ad contentionem excitans; ſeu ſtudium de honore ac dignitate cum altero certandi, quo fit ut rivalem & æmulum pati nolis, ſed totum tibi honorem & exiſtimationem vindices, & quicquid æmulo accedit laudis & honoris, id tibi detractum putes. Hoc animorum veluti incendium inter homines ejuſdem conditionis & idem inſtitutum habentes, modo alioquin ſint aliquo modo pares, nec longe ab invicem abſint, vel ſaltem abeſſe ſibi videantur, facili negotio excitari ſolet, ſive in eccleſia, ſive in republica. Fit enim interdum ut nonnullis honorem non invideamus, vel quia nimis ſunt clari, vel nobis nimium conjuncti, ut ſunt amici, parentes; vel quia nimis longo intervallo nos antecedunt, ſic ut videamus nos nullo modo poſſe cum iis pari paſſu incedere.

Verſ. 14. *Sed induite Dominum Jeſum Chriſtum.* Id eſt rationem vivendi a Domino Jeſu præſcriptam, ſeu opera omnia, quæ Dominus Jeſus in ſua ſanctiſſima religione præſcripſit.

*Et carnis curam ne facite in cupiditates.* Ne videretur plus nimio eſſe regidus in carnem, & omnes carnis voluptates excludere, ac ſimul ut præſcriberet rationem ejuſmodi peccata quæ reprehenderat evitandi, oſtendit intra quos fines ac limites corporis noſtri cura debeat conſiſtere. Curandum quidem eſt corpus, & ejus deſideriis in cibo, potu aliiſque rebus ad conſervationem ejus ſpectantibus indulgendum; ſed moderate, quantum nimirum vita, vires, valetudo, corporiſque recta conſtitutio requirit, non autem eo uſque ut corpus laſciviat, & in varias luxuriet cupiditates, quæ ex immoderata corporis cura & vita delicata velut uberrima ſegete proveniunt.

## CAP. XIV.

### *ARGUMENTUM.*

*Abſoluta tractatione de variis virtutibus, quibus homines Chriſtiani præditi eſſe debent, & de vitiis, quibus carere, in ſequentis Capitis initio agit de rebus liberis & indifferentibus. Duæ autem videntur eſſe hujus capitis partes. In prima utroſque, tum eos quibus hæc Chriſtiana religionis pars erat cognita & explicata, tum eos quibus hæc libertas minus eſt nota, inſtruit ac informat, quomodo de ſe invicem ſentire, & quo loco alii alios habere debeant. In altera eos potiſſimum qui hanc rerum indifferentium notitiam habent monet, ne hac ſcientia ſua in aliorum perniciem abutantur, neve id, quod ſibi liberum & in religione Chriſtiana conceſſum ſciunt, tum ſibi permittant, cum illi qui hac ſcientia ſunt deſtituti, offendi poſſunt; ſimul etiam non abſcure monet infirmos, ne quid dubitante conſcientia faciant.*

Verſ. 1. *INfirmum fide ſuſcipite.* Ab illis incipit præceptionem, qui earum rerum quas liberas eſſe Chriſtiana religio voluit, ſeu quas nec jubet fieri, nec vetat, notitiam habent. Tales enim ſunt firmi fide, ſeu firmam fidem habent, quam 1 Cor. 8. 7, 10, 11 cognitionis nomine appellat. Fides hoc loco ſumitur pro aſſenſu Chriſtianæ religionis dogmatibus præbito. Qui ergo vel nondum omnibus dogmatis, nempe iis quæ ſunt de rebus iſtis liberis ac indifferentibus aſſenſum præbet, licet eum præbuerit iis dogmatibus quæ ſunt de rebus ad ſalutem neceſſariis, ſeu quæ circa eſſentialia fidei verſantur, infirma eſt fide, (nam qui nondum eſt aſſenſus poſterioris generis dogmatibus, non infirmam fidem, ſed potius nullam habet) & nondum plene ac perfecte credit, ſed dubius adhuc hæret animi, ac neſcit in quam partem aſſenſum inclinare debeat. Ex una parte movetur autoritate divinorum virorum hanc libertatem inculcantium, eorumque rationibus & argumentis; ex altera movetur autoritate legis. Hi ergo fidem jam aliquam, id eſt aſſenſum aliquem habent, ſed infirmum adhuc & vacillantem.

Ejuſmodi ergo homines jubet apoſtolus προσλαμβάνεσθε. Προσλαμβάνεσθε, ſuſcipite, pro fratre agnoſcite, ad conſortium & communionem veſtram admittite. Hæc enim ſuſceptio ex ſubjecta materia ſeu perſonis ietelligi debet. Hoc verbo utitur de Deo verſ. 3, de Chriſto infra cap. xv. 7. Ex ſuſceptione iſta nihil aliud ſequitur, quam ut ſeſe invicem amore fraterno complectantur, & Chriſtiana ſocietate dignos judicent.

Μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Jubet quidem infirmiores ſuſcipi, ſed non εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Hæc verba varie explicantur a variis. Duæ autem ſunt præcipuæ explicationes, & ad quas cæteræ redeunt, quæ ex duplici horum verborum ſignificatione oriuntur. Διάκρισις enim poteſt ſignificare dubitationem: quo ſenſu ſæpe ſumitur verbum διακρίνομαι; cujus rei exemplum, ne longe abeamus, ultimo hujus capitis verſu extat. Διαλογισμοὶ ſignificare poſſunt cogitationes animi. Ex hac iſtorum verborum ſignificatione orietur hic ſenſus: infirmum in fide non eſſe eum in finem in ſocietatem Chriſtianam ſuſcipiendum, ut magis adhuc reddatur dubius in animo ſuo, ut animus ejus turbetur & inquietus reddatur, ſic ut prorſus neſciat, in quam partem ſeſe debeat vertere, unde poſtmodum fiat, ut de omnibus etiam aliis doctrinæ Chriſtianæ partibus dubitet, & in ea fluctuet, & abjiciat penitus, vel etiam eo facile adducatur, ut contra conſcientiam aliquid faciat. Quiſque potius in ſua ſententia relinquendus eſt, quam ut tale quippiam fiat. *Quiſque*, ut paulo poſt inquit apoſtolus, ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω. Lente cum talibus feſtinandum eſt. Sæpe enim præſtat, ut aliquis in talibus quieſcat, quam ut cogitationibus & dubitationibus agitetur, vel alienior a Chriſtiana religione ac veritate fiat, et contra conſcientiam aliquid deſignet.

*Alter ſenſus* ex alia horum verborum ſignificatione manat. Διακρίσεις enim ſignificare etiam poſſunt dijudicationes, διαλογισμοὶ mutua colloquia ſeu diſceptationes. Itaque ſenſus erit: infirmum fide non eſſe in eum finem in Eccleſiæ conſortium recipiendum, ut eum diſputationibus turbemus, ut cum eo intempeſtivos inſtituamus dialogos, ſic ut ille poſtmodum magna cum triſtitia ac tædio dijudicare cogatur ultro citroque dicta. Hoc enim eſt diſputationum hujuſmodi conſequens, quod poſitum videtur pro antecedente. Reprimit ergo apoſtolus hunc diſputandi pruritum. Multi enim ejuſmodi infirmos homines nacti præclaram ſeſe occaſionem nactos putant perpetuarum & intempeſtivarum diſputationum.

Verſ. 2. *Hic quidem credit edere omnia.* Exemplo rem illuſtrat apoſtolus, & ſimul oſtendit cauſam, cur iſtud præceptum tradiderit: nempe quia ſit diverſa de rebus liberis ſententia; alioqui, ſi nulla eſſet ſententiarum ac opinionum diverſitas, nullus etiam eſſet locus huic præcepto. Commemorat autem diverſas ſen-

ſas ſententias, primum in ciborum, deinde in dierum delectu. Hoc enim diſſidio tum maxime agitabatur Chriſti eccleſia. Circa delectum ergo diſſenſionum hoc loco explicat apoſtolus.

*Hic quidem credit.* Id eſt, firmiter perſuaſus eſt, *edere omnia*, ſeu licere edere omnia. Non enim de neceſſitate edendi omnia loquitur apoſtolus ſed de facultate. Nam qui crederet neceſſarium ut omnia edamus, non minus infirmus eſſet ac rerum divinarum ignarus quam ii, qui nonnulla credunt eſſe non edenda. *Omnia*, id eſt, quævis, quoſvis cibos. Non enim collective hæc vox *omnia* ſumi debet, ſed diſtributive. Huic opponit apoſtolus infirmum, oſtendens, eum qui perſuaſus eſt, omnium ciborum uſum ſibi eſſe permiſſum, eſſe firmum fide, ſeu majorem habere notitiam dogmatum Chriſtianæ religionis.

*Qui vero infirmus eſt*, id eſt, qui adhuc ignorat, quo uſque ſeſe Chriſtiana libertas extendat, ſeu qui ea de re dubitat, nam qui dubitat nondum vere ſcit.

*Herbas edit* vel *olera.* Animi enim opinionem ac perſuaſionem facta ſolent conſequi. Nam quod quiſque ſibi licere vel non licere credit, id etiam vel facere ſolet, vel non facere; præſertim is, qui aliquid illicitum plane putat, aut ſaltem dubitat, ſi virtutem ac pietatem cæteroqui amet ac Deum metuat, quod hic de Chriſtianis tacite pro conceſſo ſumitur, ab eo abſtinere conſuevit. Nam qui liberum tantum aliquid ſibi eſſe putat, non ſemper libertate ſua aut utitur, aut etiam uti debet. Olera autem iſtum infirmum edere dicit apoſtolus, non quod ſolorum olerum uſum ſibi licitum putet, aut etiam iis ſolis perpetuo utatur; ſed quod perſæpe, metuens ne in aliquem cibum in lege vetitum, ſeu ex diſciplina legis impurum incidat, ſolis oleribus aut herbis, quarum nullam lex prohibuit, maluit eſſe contentus. Nonnulli per Synechdochen Speciei olera pro omnibus cibis in lege permiſſis hic accipiunt, ſenſu non multum diverſo.

Verſ. 3. *Qui edit, non edentem ne vilipendat.* Hic jam utriſque tam firmis quam etiam infirmis præceptum dat, quomodo ſeſe alter erga alterum gerere debeat. *Qui edit*, nempe omnia, ſeu quoſvis cibos. Id eſt, qui ſibi licitum putat quibuſvis cibit veſci, melius libertatis ac diſciplinæ gnarus; *non edentem*, nempe quoſvis cibos, nam alioquin eum edere eſt opus, & jam dixit eum olera edere. *Ne vilipendat.* Scientia enim inflat, ignorantia eſt deſpectui. Valde igitur convenienter firmos iſtos & ſcientia præditos monet, ne iſtos iſtarum rerum adhuc ignaros contemtui habeant.

*Et qui non edit, edentem ne judicet.* Μὴ κρινέτω. Κρίνειν hoc loco, ut alibi ſæpe, poſitum eſt pro κατακρίνειν, ex Hebræorum uſu, qui compoſitis verbis deſtituuntur. Vult ergo apoſtolus, ne infirmi iſti firmos damnent, ſeu de illis damnatoriam ſententiam pronuncient, illos gratia divina & ſalute æterna indignos judicent. Quemadmodum enim illis qui firmi ſunt hoc vitium ſolet adhæreſcere, ut infirmos vilipendant; ita viciſſim id infirmi in more habent, ut firmiores damnent, ex ſua opinione rem metientes. Addit apoſtolus rationem:

*Deus enim ipſum ſuſcepit.* Id eſt, pro ſuo agnovit, illum recepit in gratiam, ſuo eum favore & paterno amore dignatur. Hæc ratio apoſtoli æque ignota eſſe videtur illi qui edentem damnat, quam id ipſum quod vult concludere, nempe non eſſe damnandum edentem; præſertim ſi is qui damnat firmiter ſit perſuaſus, edentem peccare in Dei mandata. Qui enim novit, Deum edentem in gratiam ſuſcepiſſe, quomodo eum damnare poteſt? qui ſi damnat quomodo ſcire poterit eum in gratiam a Deo fuiſſe receptum? Videtur igitur dubium per æque dubium, ſeu idem per idem probare apoſtolus. Sed animadvertendum eſt, apoſtolum nihilominus rem obſcuram probare per id quod notius eſſe poterat & debebat. Nam quod ad eos attinet, qui ex gentibus Chriſti diſciplinam amplexi fuerant, nec unquam legem Moſaicam viderant, nedum obſervarant, an obſcurum eſſe poterat, eos in gratiam a Deo fuiſſe ſuſceptos, ex illis divini ſpiritus donis, quæ uberius in eos effundebantur? Hinc Petrus, recitata hiſtoria, quomodo in homines gentiles Deus ſpiritum ſanctum effudiſſet Act. 11 17: Si, inquit æquale donum ipſis Deus dedit quemadmodum & nobis qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum, ego quis fui potens prohibere Deum? Et iterum Act. 15. 8: Cognitor cordium Deus teſtatus eſt illis (gentibus quæ crediderant) dans illis ſpiritum ſanctum quemadmodum etiam nobis, & nihil diſcrevit inter nos, & illos fide purgans (ſeu cum purgaſſet) corda eorum. Quibus addit: *Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatis jugum ſuper collum diſcipulorum* &c? Quocirca hæc ratio non ſola autoritate apoſtoli nititur, ſed & clariſſimis ſignis & argumentis. Quod vero ad Judæos attinet, eos etiam abſque ceremonialis legis obſervatione a Deo in gratiam fuiſſe per Chriſtum receptos, nemo dubitare poterat, qui gentes hac lege ſolutas eſſe credidit; niſi ſimul crederet, Judæis duplo majus onus eſſe impoſitum quam gentibus, & gentes quidem per ſolam Chriſti gratiam & fidem ſervari, Judæos autem nequaquam, & ſic gentium longe meliorem eſſe conditionem quam Judæorum ſub Chriſto rege ſuo viventium: quod nemo non videt abſurdiſſimum eſſe. Numerantur enim ni fallor 613 leges Judæis olim per Moſen datæ, quarum vel major, vel media ſaltem pars ſunt forenſes, ſeu judiciales & ceremoniales: quantum igitur hoc fuiſſet jugum, ſi Judæi præter Chriſti mandata, quibus ſolis obſtringerentur gentes, 300 inſuper & amplius legibus onerati fuiſſent.

Verſ. 4. *Tu quis es qui judicas alienum ſervum?* Altera ratio. Judicare (id eſt, damnare) ſervum nemini licet niſi ejus domino, vel illi qui hujus rei poteſtatem a ſervi domino accepit; niſi forte in ipſum quoque dominum aliquod habeat imperium. Id quod hic ne cogitari quidem poterat. Damnare enim & abſolvere ejus demum eſt, qui jus & poteſtatem aliquam habet in alterum. Tu ergo quis es, qui tibi ſumis has partes? Vide quantum tibi præſumas & arroges, qui non tuum, ſed alienum, non hominis, ſed Dei ſervum, nec in tua, ſed in aliena prorſus & ad te minime pertinente cauſa judicare & damnare audes. Annon agnoſcis, te longe viliorem eſſe, quam cui id liceat? Perpende tantum ſtatum & conditionem tuam. Quod ſi nemini licet, in propria etiam privataque cauſa & injuria judicare eum qui mei juris non eſt, nec ullo mihi modo ſubjectus, quomodo tibi licebit in aliena prorſus cauſa eum judicare, qui alieni prorſus eſt juris, quales ſunt aliem ſervi ac ſubditi? In hac autem ratione non ſumitur pro conceſſo, quod in priore ponebatur, nempe ſervum hunc, de quo agitur, a Deo in gratiam fuiſſe receptum, & ſic Domini ſui ſententia abſolutum: ſed non conſtare ſaltem certo, eum fuiſſe a domino ſuo, ad quem totum hujus rei judicium pertineat, damnatum;

natum; ita ut is qui eum damnare velit, non ſequatur Domini illius ac judicis ſententiam, ſed antevertat.

*Proprio Domino ſtat aut cadit.* Stare hoc loco non eſt a peccato eſſe immunem, cadere autem peccare: (quaſi dicere velit, Dominum ſuum, non te, ſive peccet, ſive non peccet, afficit vel non afficit injuria, tua nihil intereſt:) ſed ſtare hoc loco eſt a damnatione liberum & immunem eſſe, damnationem effugere, ſeu abſolvi. Qui abſolvitur & a pœna liber pronuntiatur, ſtare dicitur atque in judicio conſiſtere: vel, quod eodem recidit, ſtare eſt incolumem eſſe, quo ſenſu ſumitur hoc verbum quoties caſui & ruinæ opponitur, ut ſtare ſalutem & indemnitatem ac incolumitatem, caſus autem interitum declaret. *Cadere* ſimiliter eſt cauſa cadere, damnari, pœnæ ſubjici. *Proprio ergo Domino ſtare vel cadere* nihil aliud erit, quam ad Domini arbitrium vel abſolvi vel damnari. quaſi d. Non tuo hæc res ſtabit aut definietur judicio ſeu arbitrio fruſtra te huic immiſces negotio: ex nutu & arbitrio proprii Domini totum hoc pendet negotium. Sed ne quis putaret, in dubio id relinqui, ſeu nihil adhuc eſſe a Domino hac de re definitum ac pronunciatum, adeo ut non immerito liceat ambigere, utrum Dominus iſte eos qui ſibi quorumvis ciborum uſum permiſſum putant, abſolvere aut damnare velit, ſubjicit apoſtolus:

*Stabit autem*, ſeu ſtatuetur autem, id eſt abſolvetur, & ab omni pœna liber ac indemnis pronunciabitur.

*Potens enim eſt Deus ſtatuere ipſum.* Per μείωσιν quandam ſatis frequentem et uſitatam loquitur apoſtolus. Solemus enim ſæpe cum aliquid alicui promittimus, ſolius potentiæ divinæ meminiſſe, benignitate ac voluntate divina quodammodo præſuppoſita, ac ſi tota res tantum in potentia divina verteretur, qua poſita ſecuturus ſit omnino effectus. Sic hoc loco ex eo, quod Deus potens ſit hunc ſervum abſolvere, vult apoſtolus colligi, eum & abſolutum iri. Cum quis dubitat, hoc vel illud Deum facturum eſſe, ſolemus dicere, an Deus id præſtare non poteſt? an Deo id facere non eſt integrum? ac ſi nulla ad hanc rem alia re ſit opus quam id faciendi poteſtate; cum tamen ſæpe de voluntate major eſſe poſſit dubitatio. Δυνατὸς autem hoc loco non de ſolis viribus id præſtandi, ſed potius de poteſtate ac jure id præſtandi ſumi debet, quæ poteſtas ſimul etiam vires ipſas ac robur id efficiendi includit; aut ſibi adjunctas habet.

Verſ. 5. *Hic quidem judicat diem præ die.* Ad aliud genus controverſiarum tranſit apoſtolus, ad dierum delectum. *Hic judicat diem præ die.* Κρίνειν hoc loco eſt æſtimare, quia judicium ſine æſtimatione fieri nequit, cum judicare nil aliud ſit, quam quanti rem aliquam facias vel tecum rationem inire, vel apud alios dicere: vel ſimplex poſitum eſt pro compoſito, nempe pro ἀποκρίνω, id eſt, antefero (quanquam hæc ſignificatio non habet locum in ſequenti particula) aut ἐπικρίνω, quod interdum ſignificat approbo, videturque opponi τῷ καταικρίνειν. Diem autem præ die æſtimare nihil eſt aliud, quam unum diem altero ſanctiorem præſtantioremve putare, ac propterea magis obſervandum ac ſanctificandum eſſe; qualis erat ſub lege dies ſabbati, neomenia ſeu novilunii dies, quales dies erant feſtorum anniverſariorum. *Hic vero judicat omnem diem.* Id eſt, æſtimat peræque omnem diem, omnes dies æqualis dignitatis eſſe putat, quemadmodum etiam natura æquales ſunt.

*Unuſquiſque in ſua ſententia plene confirmetur.* Uterque iſtorum det operam, ut id, quod hac in parte ſentit, ſive verum ſentiat, ſive falſum, firmiter ſentiat: non quod ita fieri per ſe multum referat, imo quod attinet falſas perſuaſiones, præſtaret per ſe in iis quam maxime eſſe dubium, ſed per accidens, ratione factorum. Qui enim in ſententia ſua dubius eſt & incertus, id quod facit non facit ex fide. Quicquid autem ex fide non eſt, pecatum eſt, ut infra loquitur apoſtolus.

Verſ. 6. *Qui ſapit diem, Domino ſapit.* Conjungit apoſtolus utrumque exemplum diverſarum ſententiarum, tum ratione dierum, tum ratione ciborum, & nova ratione oſtendit, non debere iſtos, qui hac in parte diverſum ſentiunt, ſeſe mutuo vel contemnere vel condemnare. Quid ſit *diem ſapere*, patet ex ſuperioribus. Quod enim prius dixerat judicare id eſt æſtimare diem præ die, nunc dicere videtur diem ſapere. Aliquid tamen hac phraſi diverſum ſignificari poteſt, quod prioris illius ſit conſequens; ita ut ſapere diem nihil aliud ſit, quam diei, hoc eſt dierum obſervationi addictum eſſe, deditum eſſe, in dierum obſervatione occupari. Simili ſenſu dicitur ſapere ea quæ carnis, aut quæ ſpiritus ſunt, id eſt in iis quæ carni aut ſpiritui ſapiunt, totum eſſe, iis eſſe addictum, in illa ferri. *Domino ſapit.* Dominus hic eſt, finis ᾧ, finis cui, id eſt in Domini honorem id facit, nempe ratione conſilii ſui & intentionis: ideo diem ſapit, ideo dierum obſervationi eſt addictus, quia exiſtimat hoc a Domino præceptum eſſe, & ad honorem ejus ac laudem ſpectare, aut ei gratum atque acceptum eſſe.

*Qui vero non ſapit, Domino non ſapit.* Non quidem quatenus hic qui dies non obſervat, ſemper id ea intentione aut faciat, aut facere etiam debeat, ut Dominum honore afficiat. Alia enim eſt ratio earum actionum quæ præceptæ ſunt a Domino, vel præceptæ exiſtimantur, alia earum quæ ſunt liberæ ac permiſſæ. In illis ita reſpicitur ad Dominum, ut in honorem ejus, ac propter ipſum tanquam finem ultimum fiant; in iſtis vero ſpectare poſſumus nos ipſos, & privatim noſtrum commodum, etſi nullus alioquin peculiaris honor aut gloria redundet ad Dominum, dummodo ſemper eo referamus oculos & animum, quod id Domini voluntati ac legibus non ſit adverſum, ſed ab illo nobis permiſſum, quod qui facit, dum ſua libertate utitur, Domino ea uti vere dici poteſt. Ad Dominum enim eatenus reſpicit, quatenus id illo permittente facit, nunquam alioqui facturus. Ita & hi & illi ad Dominum reſpiciunt, & ex ejus vel juſſis vel indultionibus facta ſua & actiones moderantur. Non de eo autem loquitur apoſtolus quod reipſa ab unoquoque Chriſtianorum fiat, ſed quod fieri debeat, & quod unuſquiſque Chriſtianorum profiteatur ac præ ſe ferat, quodque quam diu in contrarium firmis & evidentibus argumentis deſtituimur, de unoquoque ſentire & credere debeamus.

*Qui edit, Domino edit.* Hæc verba ex præcedentibus facile intelliguntur. Gratias enim agit Deo. Argumento id oſtendit, eum qui quovis cibo veſcitur, reſpectum habere ad Dominum, quatenus id Dominum ſibi permiſiſſe credit. Quia, inquit, gratias agit Deo, cibum quemvis ac ejus uſum pro divino agnoſcit beneficio. At ſi ejus uſum illicitum eſſe crederet, atque a Deo interdictum, quomodo eum pro divino beneficio agnoſceret?

*Et qui non edit, Domino non edit.* Hæc verba ſimiliter ex ſuperioribus intelliguntur.

*Et gratias agit Deo.* Omittit particulam cauſalem γὰρ: quia hæc verba reſpectu iſtius qui a cibis quibuſdam abſtinet, non tam cauſam & rationem continent, cur ille qui non edit, Domini cauſa, in *D*ominum tanquam in finem reſpiciens non edat (id enim per ſe manifeſtum eſt) quam paritatis cujuſdam & æqualitatis inter hunc & illum, qui edit quoſvis cibos, cauſam. Si enim hæc verba de iſto qui non edit omiſiſſet Apoſtolus, poterat aliquis cogitare, illum qui edit longe rectius ac melius, & plane ex Domini voluntate id facere, quia hac ratione locus relinquitur gratiarum actioni *D*eo; iſtum vero qui non edit non habere de quo gratias agat, ac proinde etiam gratias non agere. Hoc ne quiſpiam cogitaret, ideo apoſtolus addit, hunc quoque nihilominus gratias agere, licet non pro illis cibis quos immundos & illicitos putat, ſed pro aliis quorum uſum ſibi permiſſum putat, ſeu pro eo, quod Deo hos vel illos cibos ſibi concedere libuerit.

Verſ. 7. *Nemo enim noſtrum ſibi ipſi vivit.* Argumento probat apoſtolus, quemvis Chriſtianorum hominum, ſive libertate ſua utatur, ſive non utatur, propterea quod eam ſibi minime conceſſam putet, aut ſaltem ea de re ambigat, ad Dominum ea in parte reſpicere, & ejus voluntati ac nutui, vel indultioni ſaltem ſeſe attemperare: idque de unoquoque ſentiendum eſſe, quamdiu aliter non conſtat. Quod enim aliquis & profitetur, & præ ſe fert ſe facturum, & facere vi profeſſionis ſuæ tenetur, eum id facere, niſi contrarium ſentire cogaris, præſumendum eſt. His autem hujus verſiculi verbis id probat Apoſtolus, quod tacite in ſua propoſitione vi oppoſitionis complexus eſt. Qui enim dicit, aliquem Domino quidpiam facere, vel non facere, ſimul innuit, eum non ſibi ea in re indulgere, ita ut ad Dominum ejuſque voluntatem ſuas actiones non referat. Hoc ergo quod in illa propoſitione latet, probat his verbis Apoſtolus: quia nemo noſtrum ſibi ipſi aut vivit, aut moritur. Quid autem hoc loco *ſit ſibi ipſi vivere*, patet ex membro oppoſito, in quo dicitur, nos Domino & vivere & mori. Quid autem hoc ipſum ſit, ſatis conſtare poteſt ex poſterioribus verbis octavi verſiculi, quæ ſunt priorum ſumma quædam ac compendium; nos nempe ſive vivos ſive mortuos *D*omini eſſe, vel ut ℣ſ. 9 eandem ſententiam repetit, Chriſtum in nos ſive vivos ſive mortuos dominium exercere. Vivere ergo ſibi ipſi hoc loco nihil aliud eſt, quam ſui, non alieni juris eſſe, ita ut tibi liceat in actionibus tuis teipſum tantum ſpectare, non vero ex alterius pendere voluntate & arbitrio. Hoc negat de unoquoque Chriſtianorum apoſtolus, ac proinde ex eo vult concludi ac colligi, neminem Chriſtianorum, ſive diem obſervet ſive minus, ſive edat ſive non edat, ſui tantum commodi cauſa id facere, & ſe tantum reſpicere ac ſibi indulgere, nulla habita ratione Domini; nec tantum noſtri juris nos eſſe negat dum vivimus, ſed etiam dum morimur: non quod mortui ſui juris eſſe queant, & ſibi indulgere, aut ſeipſos tantum ſpectare, ſed quod videantur poſſe non eſſe juris alieni, itaque docet, ne mortem quidem nos veluti manumittere, & ex alieno jure ac dominio eximere, ſic ut ſi quidpiam agere mortui poſſemus, ad alterius arbitrium nos componere deberemus. Hoc quod dixit ab oppoſito confirmat, ac proinde ſimul directe probat id quod dixerat, *D*omino quemvis vel ſapere diem vel non ſapere, cibos quoſvis vel edere vel non edere. Nam quod ad prius attinet, oppoſitorum uno poſito tollitur alterum. Si ergo Domino cuncta facimus, certe non nobis; ſi *D*omini ſumus, ſi ipſius poteſtatis ac juris ſive vivi ſive mortui, certe noſtri juris nec vivi ſumus nec mortui. Quod ad poſterius attinet, ſi ſive vivamus, ſive moriamur, Domino vivimus aut morimur, hinc conſequitur, *D*omino nos non modo diera ſapere vel non ſapere, edere quoſvis cibos vel non edere, ſed etiam cuncta alia facere, ſeu ad Dominum in omnibus noſtris actionibus reſpicere, et ex ejus nutu arbitrioque pendere. Sed ipſa apoſtoli verba expendamus.

Verſ. 8. *Sive enim vivimus, Domino vivimus.* Ideo non nobis vivimus, quia *D*omino vivimus. Quod ſi ſibi ipſi vivere nihil aliud eſt, quam dum vivis tui juris eſſe, adeo ut poſſis pro tuo arbitrio vivere, & tuo obſequi ingenio, ſequitur ut Domino vivere nihil ſit aliud, quam dum vivis juris eſſe Domini, id eſt, Dominum in te viventem jus imperiumque habere, ſic ut is te pro ſuo poſſit uti arbitrio, tu vero ad illius nutum te componere in omnibus, & ex ejus voluntate omnes vitæ actiones moderari debeas, id quod illius eſt conſequens. Similiter Domino mori nihil aliud erit, quam morientem, imo & mortuum jam in Domini eſſe poteſtate, ſic ut de te poſſit ſtatuere quicquid ſibi libitum fuerit. Nec enim vitæ noſtræ terminis deſcriptum eſt in nos jus imperiumque Domini; ultra vitam tendit, & mortuum vel in vitam revocare, vel æternis poteſt addicere ſuppliciis.

Totum hoc in brevem faſciculum colligit Apoſtolus, cum infert: *Sive igitur vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Ex his autem verbis, quæ ſuperiorum ſumma ſunt patet, ut diximus, quomodo ſuperiora accipi debeant.

Verſ. 9. Chriſti autem nos eſſe, ſive vivos ſive mortuos, probat apoſtolus: *In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & revixit, ut & mortuis & vivis dominaretur.* Hic apparet, quem Domini nomine in ſuperioribus deſignaverit Apoſtolus, nempe Chriſtum. Apparet etiam præterea, Dominum Jeſum ante mortem reſurrectionemque ſuam non habuiſſe jus imperiumque in vivos & mortuos, imperium nempe & dominium abſolutum, quale nunc habet. Mortuos quidem poterat revocare ad vitam, ſed ad vitam hanc temporalem, & iterata morte brevi finiendam, nec omnes mortuos, ſed eos tantum, quorum corpora nondum computruerant ac diſſipata fuerant. Non eſt autem hic ultimus plane finis tum mortis tum reſurrectionis ac vitæ Chriſti; ſiquidem hic ipſe finis ulteriorem habet finem, ſalutem nempe noſtram, qua perfecta imperium hoc, utpote in hunc finem ſibi conceſſum, deponet, & Patri ſuo tradet, ut ſit *D*eus omnia in omnibus. *D*iſtingui autem hoc loco reſurrectionem a reviviſcentia Chriſti, particula *et* docet, quæ antea bis poſita ad res diverſas conjungendas, poſtea repetita diverſa jungit, non ſynonyma. Itaque reſurrectionis nomine ſignificatur revocatio Chriſti ex morte in vitam hanc terrenam. Nemini enim dubium eſſe poteſt, modo a præjudiciis abſtineat, Chriſtum poſt reſurrectionem talem habuiſſe vitam, qualem ante, nempe morti ſua natura obnoxiam, licet moriturus amplius non fuerit. Corpore enim mortali non depoſito (quale erat vulneribus ac veſtigiis clavorum confoſſum ac lacerum, & cibi ac potus capax) vita mortalis deponi non

poteſt. Reviviſcentiæ autem nomine ſignificatur adeptio immortalis illius vitæ, quæ ſola vitæ nomine digna eſt, & ſæpe abſolute vitæ nomine denotari ſolet. Revixiſſe autem tum dicitur, non quod antea non revixerit ſimpliciter: vivus enim immortalem vitam adeptus eſt: ſed quod illa vita, quam reſurgendo adeptus eſt, reſpectu iſtius, quæ fuit conſecuta, & quam nunc etiam vivit Chriſtus, vita vix cenſeri debeat, adeo ut tum temporis, cum vitam immortalem eſt adeptus, vere revixiſſe, ſeu vitam, quam per mortem penitus amiſerat, recuperaſſe dici poſſit. non quod eandem illam quam habuit recuperaverit; ſed quod vitam recuperaverit: quo ſenſu dicimur etiam nos aliquando revicturi, cum reſurgemus incorruptibiles.

*Ut & mortuis & viventibus dominetur.* Si ergo & mortuis & viventibus dominatur Chriſtus, apparet, nos, ſive vivamus ſive moriamur, Domini eſſe, id eſt, in ipſius jure ac poteſtate.

Verſ. 10. *Tu vero quid judicas fratrem tuum?* Ex his quæ hactenus de Chriſti in nos poteſtate ac dominio diſſeruit, novam rationem, ſuperiori tamen ſ.4 expreſſæ non abſimilem, texit apoſtolus, nempe non debere alterum ab altero vel contemni, vel condemnari. In exprimenda autem ipſa propoſitione aliam veluti a latere interſeruit, iſtius ſui moniti cauſam, quæ in fratris appellatione continetur. Fratrem frater minime debet aut condemnare, aut contemnere. Mutuo enim amore eoque arctiſſimo inter ſe devincti eſſe debent, & præſertim fratres non ex uno ſanguine, ſed ex uno ſpiritu, ex eodem cœleſti patre orti, nec communem in terris, ſed cœleſtem in cœlis hæreditatem adituri. Principalis autem ratio iſtius præcepti continetur verbis ſequentibus.

*Omnes enim ſtatuemur coram tribunali Chriſti.* Hæc cauſa potiſſimum damnatorias alterius de altero ſententias reprimit. Si enim omnes judicandi ſumus a tanto judice, non debemus in ejus officium ac provinciam involare, & falcem in alienam meſſem mittere. Ob eandem etiam cauſam non debemus alii alios contemnere & vilipendere. Judici hoc relinquendum eſt: ille ſciet quem vilipendere & contemtui habere, quemque in pretio habere debeat, fierique poteſt, ut is qui tibi contemtibilis videtur, judicis iſtius calculo ac ſententia tibi præferatur. Huc faciunt ejuſdem Pauli verba 1 Corint. 4. 5. Omnes autem ſtatuendos eſſe coram Chriſto judice, probat Paulus Eſaiæ teſtimonio, quod cum de ipſo *Deo* loquatur, ad Chriſtum accommodat, non quod Chriſtus ſit ipſe Deus, ſed quia id quod in hoc teſtimonio continetur, per Chriſtum, tanquam Deo ſubordinatum, ipſi Deo præſtari & exhiberi debeat. Ponit enim pro conceſſo Paulus, res iſtas inſignes a Prophetis prædictas, quale eſt hoc quod in iſtis Eſaiæ verbis continetur, ad Chriſtum pertinere, & in Chriſto demum implendas eſſe: ſiquidem id non ſolum inter Chriſtianos, ſed etiam inter Judæos in conſeſſo fuit; licet in eo Judæi a Chriſtianis diſcreparent, quod illi quidem hæc ad Chriſtum, quem nondum exhibitum cenſebant, ſimpliciter referenda putarent; iſti vero ad Jeſum Nazarenum, quem Chriſtum eſſe ſciebant.

Verſ. 11. *Scriptum enim eſt: vivo ego.* Vivo ego, formula jurantis, quam verum eſt me vivere.

*Dicit Dominus*, nempe Jehova, vel potius Jihveh, ut eſt in textu, quod nomen Græci voce Domini (plerumque nullo addito articulo) expreſſerunt; non quod eandem cum domini nomine ſignificationem habeat (nam longe diverſam rem ſignificat: eſt enim tertiæ perſonæ futuri temporis a radice *hajah fuit*, vel extitit, (qua de re alibi) ſed quod huic voci puncta *adonai* nominis, quod Dominum, aut dominos (Hebræorum more, qui nominibus dominationem aut poteſtatem ſignificantibus in plurali numero utuntur) ſignificat, ſubjecta fuerint. Summa enim Judæis etiamnum religio eſt verbum hoc Jehovæ ut ſonat efferre, neſcio ex qua ſuperſtitione orta: quandoquidem vel ex Pſalmis *D*avidis apparet, in quibus hoc verbum ſæpe occurrit, uſurpatam olim hanc vocem fuiſſe.

*Quod mihi flectet omne genu.* Verbum κάμψει, quod activum eſt, ponitur in reciproca ſignificatione, inflectet ſeſe, ſeu flectetur; quemadmodum & verbum ἐπιστρέφειν. Eodem modo uſus eſt hac voce Paulus Phil. 2. 10. *Mihi*, nempe per Chriſtum, ſeu in Chriſto. *Omne genu.* Quam late autem pateat hoc genu, ſeu quinam per hoc genu fuerint ſignificati, conſtat ex citato ad Philippenſes loco, qui hujus loci Eſaiæ Chriſtiana expoſitio eſt, ex qua apparet, quomodo & Chriſto, & ipſi Deo hæc genuum flexio id eſt adoratio conveniat. Chriſto quidem, tanquam illi quem Deus evexerit; *D*eo autem tanquam ſummo omnium autori, in quem omnia tendunt ac referuntur per Chriſtum. Hæc autem verba ad univerſale illud vivorum ac mortuorum judicium eſſe accommodanda patet ex voce *omnis*. Nec enim ante univerſale hoc judicium id vel continget, vel etiam contingere poteſt, ut omnes tum vivi, tum mortui Chriſtum & per ipſum Deum adorent, & coram illo procumbant. Mortui certe id facere nequeunt niſi prius in vitam revocentur; quod ante diem judicii non fiet. Vivi autem id nulli faciunt, niſi qui vel majeſtatem Chriſti conſpiciunt, ut Angeli; vel credunt, ut Chriſtiani. At vero plurimos ſemper futuros eſſe, qui divinam Chriſti majeſtatem minime credant, propterea quod illam oculis non cernant, nemini dubium eſt. Quod ſi omnes omnino homines Chriſtum adorare debent, neceſſe eſt, ut ſuam illis majeſtatem declaret ac oſtendat: quod ne ante extremum judicium fiat, ipſa religionis natura ac ratio requirit, ſed ut in ipſo judicio id fiat, minime prohibet, imo poſtulat. Nec enim illic, qualis quiſque futurus ſit, quæretur, ſed qualis fuerit; non ut reſipiſcat, ſed ut vel peccatorum pœnas, vel pietatis præmia reportet.

*Et omnis lingua confitebitur Deo.* Confitebitur, id eſt, laudabit, celebrabit Deum, laudando nimirum ac celebrando Chriſtum, *D*ominum eum, eumque ſummum appellando, ſive id faciat volens, ſive invitus. Omnis enim Chriſti laus ac gloria in *D*ei Patris, (ut hunc locum explicans Paulus loquitur) laudem ac gloriam tendit. In Hebræo eſt, *jurabit Deo*; qua phraſi ſæpe univerſus numinis divini cultus ſignificatus legitur. (a) Qui enim per nomen alicujus jurat, eum & teſtem & arbitrum omnium ſuarum actionum, quin etiam occultiſſimarum cogitationum, denique & vindicem omnis fraudis ac falſi agnoſcit: quod quid aliud eſt, quam aliquem pro Deo vivo habere, ac proinde eum revereri ac colere. Nec tamen, præſertim nunc ſub Novo Fœdere, in eo divinus cultus conſiſtere cenſendus

(a) *Vide Ethicam Chriſtianam de Juramento.*

ſendus eſt cum juramus: nam in eo potius conſiſtit, ne jurare audeamus in rebus nempe aut falſis, aut levibus, aut ſine neceſſitate, etiamſi gravis ſit cauſa: ſed, ſi juramus, in nullo alio nomine juremus præterquam in nomine vel Dei, vel Chriſti. Unde apparet, ut hoc obiter notemus, tolli debere in talibus ex ore noſtro illa divorum gentilium aut Poëticorum nomina, ac prorſus hominem Chriſtianum dedecere, ut vel per Jovem, aut Apollinem, aut Muſas, aut quicquid eſt ineptiarum ejuſmodi, juret.

Verſ. 12. *Ergo igitur unuſquiſque noſtrum de ſeipſo rationem reddet Deo.* Nova eſt ratio, ex ſuperioribus tamen pendens ac profluens. Ita enim hæc materia eſt prægnans ac fœta, ut undique rationes ſuppeditet. Quia unuſquiſque noſtrum cauſam apud Deum dicet, propterea alii alios judicare non debemus. Ad cauſam dicendam nos paremus, non ad ferendam de aliis ſententiam; ne forte alios damnando nos ipſos damnemus, & quas aliis poſuimus leges ipſi ſubeamus. Quiſque de ſe ipſo ſit ſollicitus ut ſe purget, & damnationem ſummi illius judicis effugiat. Quod qui facere voluerit, nunquam illi tantum temporis ſuppetet, ut aliorum ſeſe judicem conſtituat. Deum nominat, non Chriſtum, quia in verbis Eſaiæ proxime citatis, quæ apoſtolus ad judicium univerſale refert, Dei non Chriſti facta fuerat expreſſa mentio. Interim tamen Chriſtus minime excludendus eſt, ſed includendus potius, quandoquidem is nomine Dei judicium exercebit, quemadmodum præcedentia docent.

Verſ. 13. *Ne igitur amplius alii alios judicemus.* His continetur concluſio ſuperiorum & primæ partis hujus capitis. Verbum *judicandi* hoc loco tam late ſumitur, ut non ſolum condemnationem, quanquam hanc primo & principaliter, ſed etiam contemptum ſignificet. Qui enim alterum contemnit, neceſſe eſt ut ſententiam aliquam de eo ferat condemnationi ſimilem, dum eum nullius aut parvi pretii eſſe ſtatuit. Hanc autem vocem tam late hoc loco ſumendam eſſe, tum ſuperiora evincunt, ex quibus hæc verba per modum concluſionis ſunt deducta, tum vox ἀλλήλους, quæ reciprocam ac mutuam judicationem ſignificat. At firmiores proprie non damnabant infirmos, ſed tantum contemnebant.

Jam incipit altera pars hujus capitis, in qua ſeorſim ac ſeparatim tum firmos, & hos quidem præcipue atque aperte, tum infirmos monet. Firmos quidem, ne ſua libertate abutantur, vel cum infirmorum ſcandalo & offendiculo utantur; ſed potius a rebus ſibi conceſſis abſtineant, quotieſcunque periculum eſt, ne quiſpiam offendatur. Infirmos autem non obſcure monet, ne dubitante conſcientia, & animo nondum firmiter perſuaſo quidquam faciant, ſed ab ea re abſtineant, cujus uſum ſibi conceſſum eſſe nondum plene & firmiter perſuaſi ſunt.

*Sed hoc judicate potius, ne ponatur offendiculum fratri aut ſcandalum. Judicate.* Ἀνταπόκλασις eſt in hac voce: alio enim atque alio ſenſu accipitur. Antea ſumta fuerat pro condemnare, aut etiam contemnere; nunc idem eſt quod ſtatuere, decernere, decidere. Quaſi dicat id apud vos ratum atque decretum eſto, nempe ne ponatur fratri offendiculum aut ſcandalum. Voces προσκόμματος & σκανδάλου cum ſigillatim ponuntur, ſæpe idem ſignificant: ſed conjunctæ, ut hoc loco, & quidem interpoſita voce fratris, & aliquo modo ſeparata per particulam *aut*, diverſam videntur habere ſignificationem. Quod etiam ex verſu 21 manifeſte apparet, ubi tertium adhuc ab iſtis duobus ſtrictius ſumtis diſtinctum addit Apoſtolus, nempe infirmationem· πρόσκομμα aut ſcandalum in genere ſignificat tale factum, quod alteri in pietatis curſu impedimentum aliquod affert. Cum autem hæc duo conjuncta ab invicem diſtinguuntur, ut hoc loco, προσκομμα levius quid eſt quam ſcandalum, & gradu vel effectu diſtinguitur, ſic ut προσκομμα ſeu offendiculum ſit tale factum, quod non plane curſum alicujus inhibeat, ſed tantum impedimentum aliquod afferat, quemadmodum iis contingere ſolet qui in curſu pedem ad lapidem aliquem allidunt. Ab ejuſmodi enim lapidibus aut aliis impedimentis, quæ currentes morantur aut impediunt in via, hæc metaphora ſumta eſt. Ideo etiam apoſtolus voce *ponendi* eſt uſus, quæ huic metaphoræ plane reſpondet. Scandalum autem eſt tale factum, quod alterius in pietate Chriſtiana curſum plane impedit atque inhibet. Putant enim viri docti, alii quidem ſcandalum eſſe lignum in decipula, quo paululum moto mus, aut animal, cui decipula tenditur, capitur vel etiam interimitur; alii vero putant eſſe ferrum aut lignum præacutum terræ impactum, in quod ſi pes incidat vulneratur adeo ut curſum abrumpere cogat. Hoc verbo uſus eſt Chriſtus Matth. 13. 21 de eo qui perſecutionibus territus fidem in Chriſtum deſerit. Nam pro eo quod Matthæus ſcripſit, ſcandalizatur, Lucas habet ἀφίσταται Luc. 8. 13. *Ne ponatur.* Non hoc tantum vult apoſtolus, ne quis intentionem hanc habeat ut alterum offendat aut ſcandalizet (nam hæc eſt ingens prorſus malitia, & quæ in Chriſtianum hominem non cadit) ſed ne quicquam tale faciat, ex quo hic ſequatur eventus ut alter offendatur aut ſcandalizetur. Ponitur enim ſcandalum vel intentione, vel eventu. Nota autem eſt diſtinctio ſcandali in acceptum & datum. Acceptum ſcandalum eſt, cum quis re honeſta & factu neceſſaria offenditur. Datum autem ſcandalum eſt, cum quis re vel prorſus illicita, vel licita, ſi videat, vel facile videre poſſit modo velit, eam offendiculum alteri præbituram, alterum offendit.

Verſ. 14. Porro objectionem quandam quæ contra hoc præceptum afferri poterat, occupat, dum ita ſubjicit: *Novi & perſuaſus ſum in Domino Jeſu, quod nihil ſit commune per ſeipſum.* Cum enim tam ſolicite monuerit, ne quiſquam iis rebus, quas alioquin liberas & ſibi conceſſas eſſe crederet, alterum vel offenderet vel ſcandalizaret, poterat iſte quem monet dicere: Quid? an ergo illicitas has res eſſe putas & in Chriſtiana religione prohibitas? Minime id quidem, reſpondet apoſtolus. Licitæ quidem ſunt per ſe, per accidens autem poſſunt evadere illicitæ, idque tum, cum vel ab eo fiunt qui eas illicitas putat, vel fiunt cum aliorum triſtitia & ſcandalo, ſeu ſalutis detrimento.

*In Domino Jeſu*, id eſt, per Domini Jeſu ſanctiſſimam religionem, vel etiam a Domino Jeſu edoctus. Videtur eſſe tacita oppoſitio inter legalem doctrinam & doctrinam euangelii.

*Commune*, id eſt immundum, pollutum, ac proinde quod contingere, eove uti non liceat, ne polluaris. Hæc enim eſt iſtius vocis ſignificatio, quam etiam habes Matth. 15. 10, 18, 20. Quæ enim communia ſunt & omnibus patent, facile pollui ac contaminari ſolent. Commune opponitur ſancto, ſejuncto, ſegregato a communi & profano uſu.

*Nihil.* Non loquitur apoſtolus de factis, ſed de rebus omnibus extra hominem & in communi uſu poſi-

tis. Quanquam etiam nonnulla facta includit, nempe ea quæ per ſe quiſque videt eſſe licita, ſed certis tamen diebus, nempe feſtis, putant eſſe illicita hominemque polluentia. *Per ſe*, inquit apoſtolus, non per accidens: cujus rei vel exemplum, vel deſcriptio quædam ſtatim ſubjicitur.

*Niſi exiſtimanti aliquid commune eſſe illi eſt commune.* Ει μὴ poſitum eſt pro ἀλλὰ: alioquin enim ſequeretur hinc, per ſe etiam aliquid immundum eſſe; cum tamen non in re, ſed in homine ſit immunditiei iſtius cauſa. Quanquam illud *per ſe* ita poteſt accipi ac ſi dictum eſſet, habita ratione conſcientiæ ipſius utentis, non vero alienæ: & tunc particula *niſi* vim ſuam retinere poteſt, præſertim cum in ſequentibus demum verſiculis alterum oppoſitionis membrum per adverſativam conjunctionem videatur apponi. Confer hunc locum cum 1 Cor. 10. 25, 26, 27, 28, 29.

Verſ. 15. *Si vero propter cibum frater tuus triſtatur.* Alteram cauſam ponit, cur licita poſſint evadere illicita, nempe cum propter eorum uſum frater triſtatur. Subjicit autem hæc verba ſuperioribus apoſtolus per adverſandi particulam. Eſt enim oppoſitio quædam inter hæc & ſuperiorem verſiculum totum. Itaque perinde eſt ac ſi diceret: illa quidem per ſe ſunt licita illi præſertim homini, qui licita eſſe credit, ſed ſi eorum uſu fratrem tuum afficis triſtitia, non amplius ſecundum charitatem incedis. Licita quidem ſunt, non tamen propterea libertate tua abuti debes, aut ea in alterius uti perniciem. In voce *fratris* non exigua vis: ſiquidem eum toto pectore diligere debemus, & longe magis quam intempeſtivum rerum licitarum uſum.

*Triſtatur.* Non videtur de ſimplici triſtitia hoc loco agere Apoſtolus, quæ ex alieni facti diſplicentia tantum oriri ſolet; ſed de triſtitia potius quæ ex proprio facto oritur, cui tamen alienum factum, occaſionem præbuit, nempe cum infirmus ejus, qui libertatis Chriſtianæ melius eſt gnarus, & quid ſibi liceat novit, facto inducitur ut idem faciat. Solent enim interdum homines, allubeſcente illis aliquo facto, alios imitari, quos religionis Chriſtianæ melius gnaros eſſe vident: ſed quia id non faciunt tam firma animi perſuaſione ut nihil dubitent illud ſibi eſſe liberum, & demum perpetrato, ubi cupiditas & allubeſcentia deſedit, factum ſuum damnent, læſaque ac vulnerata conſcientia triſtentur, &, ſi nihilominus id facere pergunt, pereant. De tali autem triſtitia Apoſtolum loqui quæ ſit cum pernicie conjuncta, ſequentia verba indicant.

*Ne cibo tuo illum perde &c.* Eleganter autem hunc locum illuſtrat & declarat locus 1 Cor. 8. 9, 10, 11, 12. Quod ſi triſtitiam hic eam intelligere velis quæ ex diſplicentia alieni facti oriatur, ejuſmodi erit intelligenda, qua fiat, aut facile fieri queat, ut quis a religione Chriſtiana avertatur, indigne ferens eos, qui illi ſunt addicti, tam licentioſe vivere, & ea quæ is ipſe impura judicat, uſurpare, ſuaque facta ipſa hac religione defendere, quæ hanc ſibi facultatem concedat.

*Non amplius ſecundum charitatem incedis.* Scientiæ vel cupiditati potius obſequeris, non charitati. Charitas enim nulla, nedum tam pernicioſa triſtitia, fratrem afficit. *Ne cibo tuo eum perde pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Cibo tuo, id eſt uſu cibi. Eſt quædam emphaſis in voce *tuo*. Chriſtus eum morte ſua redimendum putavit, adeo eum dilexit: tu vero qui Chriſtum potius imitari debebas, adeo impius es & profanus, ut eum viliſſimi cibi uſu perdere non dubites, & (quod ſceleſtiſſimum eſt) tantas Chriſti impenſas, tantos labores irritos reddere. Hic dicit pro quo, in epiſtola ad Corinth. dicto loco propter quem; nempe ut eum a perditione & interitu vindicaret. Ex hoc autem loco manifeſtiſſime patet, Chriſtum pro iis etiam eſſe mortuum qui perire poſſunt, atque adeo pereunt. Quod ſi pro illis mortuus eſt, apparet, eos, minime prædeſtinatos fuiſſe ad interitum. Quanquam univerſa hæc apoſtoli doctrina de non ponendis ſcandalis prædeſtinationem hanc evertit. Quid enim intereſt, ſive ponantur ſcandala, ſive non ponantur, ſi immutabili decreto de quovis ſtatutum ſit, ſalvarine an perire debeat.

Verſ. 16. *Ne blaſphemetur igitur veſtrum bonum.* Nova ratio eſt, ex ſuperioribus tamen deducta ac pendens, ut particula *igitur* oſtendit. Per *bonum* intelligi poteſt tum ipſa Chriſtiana religio, tum libertas ipſa quam hæc religio concedit. Utrumque enim iſtorum valde bonum eſt. *Blaſphematur*, id eſt, conviciis proſcinditur, reprehenditur, damnatur, cum quis libertate iſta intempeſtive utitur. Videtur autem apoſtolus potiſſimum loqui de blaſphemia ab iis profecta, qui triſtitia iſta per nos afficiuntur. Noſtro enim facto inducti, ut contra conſcientiam facerent, vel eo ipſo offenſi, quod ea quæ ipſi illicita eſſe credant, a Chriſtianis abſque metu fieri videant, ipſa religione illis hanc licentiam dante, animum poſtea hoſtilem & inimicum vel religioni ipſi, vel ſaltem libertati iſti, facile ſumunt: ex quo mera convicia ac blaſphemiæ boni iſtius tam eximii oriuntur. Intelligi tamen poteſt blaſphemia etiam ab aliis, nempe Judæis, profecta. Illi enim cum vident Chriſtianos nullum vel ciborum, vel dierum obſervare delectum, quem tam anxie Lex Moſaica inculcavit, nil niſi convicia ac probra in tam ſanctam Chriſti religionem fundunt, tanquam eam, quæ homines licentioſos, ventri ac gulæ deditos, atque adeo carnales & profanos efficiat. Pertinet huc locus 1 Cor. 10. 29, 30. Ne edite, inquit, (nempe ſi vobis indicatum fuerit hoc idolis eſſe immolatum) propter conſcientiam, conſcientiam, inquam, non propriam, ſed alienam.

*Quorſum enim libertas mea judicatur ab aliena conſcientia?* id eſt, cur ego id committam, ut libertas mea ab aliena conſcientia judicetur, id eſt, damnetur? Non enim hic reprehendit Apoſtolus eum qui meam libertatem judicat; ſed me, qui ei cauſam dedi ut eam judicaret.

*Si vero ego cum gratiarum actione participo, quid blaſphemor propter quod ego gratias ago?* id eſt, ego Deo gratias ago, Deum laudo ac celebro, quod mihi iſtorum ciborum quibus veſcor uſum conceſſerit, ac ipſos cibos dederit; & tamen committo ut blaſphemer, ut reprehendar, ut conviciis variis proſcindar, ac proinde ipſe Deus quodammodo mecum. Quantum hoc eſt abſurdum! Ideo ſtatim ſubjicit: *Sive igitur editis ſive bibitis, ſive quidpiam* (aliud) *facitis, omnia in Dei gloriam facite. Sine offendiculo eſtote. &c.*

Verſ. 17. *Non enim eſt regnum Dei cibus & potus.* Nova ratio, qua docet, temperandam eſſe libertatem hanc in Chriſtiana religione conceſſam. *Regnum* ſignificare felicitatem aut felicem ſtatum, nemo neſcit. Per Dei regnum autem divinam prorſus felicitatem ſignificari, non humanam aliquam, quã homines propriis viribus & induſtria conſequi queant, ſimiliter notum eſt, eam, inquam,

inquam, felicitatem ſeu felicem ſtatum ac conditionem, quam homines per Chriſtum, cœleſtem populi divini regem, conſecuti ſunt. Hæc autem felicitas tum præſens & in hoc ſeculo eſt, tum in altero illo ſeculo futura. Utraque hoc loco per iſtud Dei regnum intelligi poteſt. Si futuram intelligas, regnum Dei ſumendum erit per metonymiam effecti pro cauſa, id eſt pro via ac ratione ejus conſequendi; quæ quidem non conſiſtat in cibo ac potu, id eſt, in eo, ut cibo & potu utaris, vel non utaris: (Nam, ut alibi loquitur Paulus 1 Cor. 8. 8, *Cibus nos non commendat Deo. Neque enim ſi edamus abundamus, neque ſi non edamus deficimus. Eſca ventri & venter eſcis, Deus autem & hunc & illas deſtruet* 1 Cor. 6. 13) ſed in eo ut juſte vivamus, & paci ſtudeamus eamque colamus, ac ut in ſpiritu ſancto gaudeamus. Quod ſi mavis præſentis ſeculi felicitatem, quam per Chriſti religionem conſecuti ſumus, intelligere, ſenſus erit; eam non conſiſtere in eo, ut edamus & bibamus, ut variis cibis & vario potu perfruamur, ac iis nos ingurgitemus: non conſiſtit in carnalibus voluptatibus, quaſi nobis ſignum ſuſtulerit Chriſtus in varias ruendi voluptates, ac cuticulam pro libitu curandi: ſed tota hæc felicitas in ſpiritualibus ac animi voluptatibus conſiſtit; nempe in eo ut juſtitiæ & bonis operibus dediti ſimus, ac carnis peccatique jugum penitus excutiamus. qua in re inſignis eſt felicitas, & quæ nemini præterquam illi, qui Chriſti diſciplinam ſequitur, contingit: atque inprimis ut paci atque concordiæ ſtudeamus, quod niſi libertate noſtra moderate utamur, fieri non poteſt, atque ita longiſſime abſimus ab omnibus inimicitiis, odiis, contentionibus, rixis ac pugnis, mutuaque devincti ac connexi charitate alter alterius commoda tum ſecundum ſpiritum, tum ſecundum carnem curemus, ac nobis mutuam præſtemos operam: ut denique cœleſti gaudio perfuſi exultemus in animis noſtris, quod quidem gaudium ſpiritus ille ſanctus in nos largiter effuſus excitat. Poſſemus etiam per juſtitiam intelligere juſtificationem, quod Deus nos pro juſtis reputet, & ita nobiſcum agat & acturus ſit tanquam cum juſtis, modo in fide ac pietate perſiſtamus: per pacem autem, ſecuritatem ac tranquillitatem animi, quæ & ex pietate ac juſtitia, & ex juſtificatione oritur, quam etiam primo inter juſtificationis fructus loco commemoravit apoſtolus ab initio cap. 5, nempe quod nulla ſupplicia divina ac pœnas pro peccatis pertimeſcamus. Huic autem ſecuritati mentis ſuccedit gaudium & exultatio animi, quam ſpiritus ſanctus magis adhuc in animis noſtris fovet, & excitat. Sed ſi hunc ſenſum ſequamur, neceſſe eſt vocem τούτοις in ſequenti verſiculo ad indifferentia illa, de quibus hoc capite agit apoſtolus, referre, & verſiculum iſtum non cum proxime dictis, ſed cum ſuperioribus connectere: quod poſterius eſt commodius, & minus coacte fieri poſſe videtur, ſi δὲ ſumamus pro at vero, quod aliquando in hac particula accidit. Hac ratione cum proxime dictis verſiculus iſte decimus octavus cohæret. Pax tum de ipſa pace, tum de pacis ſtudio ſumi poteſt. Pacis enim ſtudium, quod virtus in Chriſtianis eximia eſt, ſæpe pacis nomine in ſacris literis ſignificatum reperitur, atque inter alia Gal. 5. 22. *Gaudium in ſpiritu ſancto.* Gaudium hoc ſpirituale carnali & ex rebus ad carnem ſpectantibus illiquc ſuavibus orto opponitur: de quo gaudio loquitur Lucas cum ait; Eccleſias Chriſti conſolatione ſpiritns ſancti fuiſſe impletas Actor. 1x. 31, de quo etiam loquitur Paulus, cum ait, Theſſalonicenſes recepiſſe ſermonem in afflictione multa cum gaudio ſpiritus ſancti 1 Theſ. 1. 6. Unde videmus, gaudium hoc cum rebus carni adverſis poſſe conſiſtere: imo ſæpe ut rebus adverſis excitatur, ita ſecundis opprimitur. Vocatur autem gaudium ſpiritus ſancti non tantum quod ſpirituale ſit, & ſpiritum noſtrum potiſſimum afficiat, ſed & quod per ſpiritum ſanctum excitetur, aut ſaltem per ejus effectum, nempe divinæ veritatis notitiam, aut quod etiam notitiam hanc animis noſtris indit, Chriſti doctrinam & euangelium; quod & ipſum ſpiritus vocatur, quia per ſpiritum ſanctum hominibus traditum fuit maximeque innotuit. Spiritu enim ſancto perfuſi, ac notitiam religionis Chriſtianæ adepti, eamque certam ac firmam, (Spiritus enim ſanctus non tantum divina myſteria animis hominum inſtillabat, & efficiebat ut illa cognoſcerent, ſed etiam reddebat illos de iis certos, ſic ut fide non dubia ea amplecti poſſent; hinc arrhabo felicitatis vocatur: hinc Johannes dicit, nos ex ſpiritu quem nobis Deus dedit cognoſcere, quod & nos in illo ſimus, & ille viciſſim in nobis 1 Joh. 4. 13) non poſſumus non exultare ſpirituali gaudio, præſertim ſi noſtra accedat pietas & divinis mandatis obedientia, quæ quando deeſt gaudium hoc a ſpiritu ſancto excitatum, & ex Chriſti doctrinæ notitia manans, vehementer turbatur, & in triſtitiam convertitur: ſed ſi adſit nihil hoc gaudio purius eſt, nihil limpidius ac liquidius. Quanquam etiam nihil prohibet, quominus iſte ſpiritus ſanctus gaudium quoddam ex ſe occulta quadam ratione fundat, & in animis noſtris diffundat, ac cœleſti quadam ratione vegetet alacreſque reddat.

Verſ. 18. *Qui enim in iſtis ſervit Chriſto, placet Deo, & probatur hominibus. In iſtis*, nempe in juſtitia, pace & gaudio ſpirituali; vel, ut ſupra explicuimus, in rebus adiaphoris ſeu mediis. Priori ſententia, quæ plerorumque eſt, admiſſa, probat apoſtolus, non in cibo ac potu conſiſtere regnum Dei, id eſt rationem & modum illud conſequendi, ſed in juſtitia, pace ac gaudio ſpiritus ſancti; propterea, quod ille demum qui in iſtis, hoc eſt, per iſta Chriſto ſervit, Deo placet & hominibus probatur. Qui vero *Deo* placet (loquitur enim de placentia tali, qua Deus ad hominem juſtificandum ac ſalvandum impellitur) ille regnum Dei conſequetur: vel etiam non in edendo ac bibendo præſentem Chriſtianorum felicitatem conſiſtere; ſed in eo, ut juſtitiam ac pacem colant, & ſpirituali exultent gaudio, quandoquidem ille demum qui per iſta Chriſto ſervit (quibus verbis indicat, non in hac felicitate præſenti terminari noſtram felicitatem, ſed hanc felicitatem tendere ad aliam multo majorem, ſic ut hæc præſens felicitas officium potius noſtrum ſit, quam bonum) & Deo & hominibus placet ac probatur. Talem autem convenit eſſe ſtatum ac felicitatem Chriſtianorum hominum qui & Deo ſit gratus, & in hominum juſtas reprehenſiones non incurrat. Probari hominibus opponitur blaſphemiæ de qua verſ. 16.

Verſ. 19. *Ergo igitur ea quæ pacis ſunt ſectemur.* Ex ſuperioribus infert hanc concluſionem: quaſi dicat, quandoquidem tantopere placet *Deo* pax paciſque ſtudium, ſtudeamus paci. *Quæ pacis ſunt*, quæ ad promovendam ac conſervandam pacem faciunt, quale eſt hoc, non uti libertate tua, a rebus alioqui licitis in aliorum abſtinere gratiam qui eas illicitas putant, ne ipſorum animum irrites, turbes, alienes, ac proinde rixis ac contentionibus Eccleſiam repleas. Διώκωμεν. ſtudioſe perſequamur: ne patiamur nobis elabi quicquam

eorum

eorum quæ ad pacem ſartam tectamque conſervandam, fovendam alendamque pertinent, quæ ad conglutinandos mutua benevolentia & amore Chriſtianorum animos ſpectant.

*Et quæ ſunt ædificationis mutuæ.* Id eſt, ea perſequamur quæ ad pacem ac mutuam ſpectant ædificationem. Ædificatio latius videtur extendi quam pax. Fieri enim poſſet, ut ego ſine alienatione & irritatione alterius inducerem cum facto meo ad ſimile factum dubitante & hæſitante conſcientia perpetrandum, atque hac ratione cauſa illi eſſem ruinæ, quæ ædificationi opponitur. Poteſt tamen hæc ædificatio mutua vel ratione ſingulorum, vel ratione univerſorum ac ſimul ſumtorum intelligi. Illa potiſſimum in eo conſiſtit, ne quiſquam facto tuo offendatur vel ſcandalizetur, ac proinde non ædificetur, ſed corruat. Hæc vero potiſſimum in mutuo amore ac concordia ſita eſt. Diſcordia enim ac diſſidiis totum hoc Dei ædificium labefactatur ac corruit, concordia autem veluti firmiſſima compage inter ſe connexum, firmum ac ſtabile manet. Idem præceptum per remotionem contrarii illuſtrat & amplificat Apoſtolus.

Verſ. 20. *Ne propter cibum diſſolve opus Dei.* Diſſolutio illa ſeu καταλυσις ædificationi opponitur. Opus autem hoc Dei vel ſigillatim de ſingulis fidelibus, vel in genere de univerſa aliqua eccleſia ſumi poteſt. Elegantius quidem quadrat in totam Eccleſiam, quæ alibi dicitur Dei ædificium 1 Corint. 3. 9, *Dei* templum verſ. 16, quod qui deſtruit deſtruetur a Deo. Sic Paulus Corinthiorum eccleſiam ſuum opus in Domino eſſe dixit cap. 9 ejuſdem Epiſtolæ verſ. 15 propterea quod illam, auxiliante Domino Jeſu, veluti opifex, quemadmodum ſe alibi vocat, extruxerat. Nihil tamen prohibet, quo minus etiam quiſque fidelium opus Dei eſſe dicatur, quod deſtruit quiſquis illi offendiculum aut ſcandalum præbet.

*Propter cibum*, propter rem adeo vilem ac levem, propter momentaneam voluptatem, adeo pretioſum, & ab ipſo Deo conſtructum opus diſſolvere quantæ amentiæ eſt & impietatis! Quid ergo? num impuri ſunt iſti cibi a quorum uſu nos tantopere dehortaris? aut ſi puri ac liciti; cur mihi non liceat, quicquid tandem alii vel ſentiant vel faciant, iis uti? Jam ante verſ. 14 & 15 huic objectioni reſponderat apoſtolus; ſed nunc reſpondet apertius, & docet, impurum eſſe earum rerum omnium, & in ſpecie ciborum uſum, qui offendiculo eſt aliis, puram autem abſtinentiam.

*Omnia quidem pura.* Dicet aliquis: Atqui pura ſunt omnia, cur ergo mihi non liceat illis uti? Ita eſt, inquit apoſtolus, pura quidem ſunt omnia per ſe, ſed tamen ſi quis illis cum offendiculo alterius utatur, evadunt impura ſeu illicita ac noxia. Alibi dicitur: *Omnia quidem ſunt pura puris, pollutis autem & incredulis nihil purum* Tit. 1. 15. Fruſtra, inquit Apoſtolus, quæritur, quid ſit purum, quid impurum, quid liceat edere vel non edere. Res enim omnes aut cibi tales ſunt, qualis eſt is qui utitur. Si purus ſit, omnia illi ſunt pura, ſi impurus, omnia illi ſunt impura. Purus autem eſt is qui credit in Dominum Jeſum, & cognovit veritatem, ut 1 Tim. 4. 3 loquitur: impurus autem eſt is, cujus & mens erroribus Chriſtianæ religioni contrariis & conſcientia ſceleribus ac peccatis eſt polluta. Deus enim res omnes ac cibos in illorum, non in horum uſum condidit. Beneficium autem nemo ſibi uſurpare debet, illo cujus proprium eſt beneficium non concedente. Cibi enim omnes & res omnes in Dei ſunt poteſtate: ille habet jus in ipſas, utpote a ſe conditas, & quamdiu earum uſum non concedit, nefas eſt eas attingere, utpote alienas. Deus autem eas condidit in uſum fidelium ac piorum; non in uſum hominum incredulorum ac veritatem ſpernentium, qui impuri ſunt ac variis erroribus ac peccatis polluti: unde fit, ut quodammodo nefas ſit aliis eas attingere quamdiu tales ſunt. Sanctificatur, inquit ibidem apoſtolus, omnis creatura Dei per verbum Dei & precationem. Verbum *Dei* hoc loco vel doctrinam euangelicam ſignificat, in qua *Deus* omnium creaturarum quæ in humanos uſus converti queant, uſum concedit, & ſic, licet aliquando nonnullas ex iis impuras pronunciaverit, puras reddit ac ſanctificat, vel ipſam Dei juſſionem aut conceſſionem creaturis quibuſvis utendi ſignificat, quia antequam earum uſum Deus concedat, ſanctæ non ſint, id eſt iis uti ſit nefas, alieni enim ſunt juris, non noſtri. Hinc factum eſt, ut Deus ab initio conditi hominis non conceſſerit illi omnes creaturas in cibum, nempe carnes animantium: poſt diluvium demum has quoque conceſſit, excepto ſanguine & ſuffocatis: ſublege deinde plurimis animalibus interdixit: nunc ſub euangelio omnium permiſit uſum credentibus; accedere tamen adhuc debent ad plenam ſanctificationem preces ſeu gratiarum actio.

Licet autem puris id eſt credentibus omnes cibi ſint puri, contingere tamen adhuc poteſt, ut & iſti evadant impuri, quatenus iis vel dubitante conſcientia, vel cum aliorum offendiculo utantur. Ideo addit Apoſtolus, cum dixiſſet, *omnia* quidem ſunt pura, *ſed malum homini per offendiculum edenti.* Malum vel ſignificat illicitum, impurum; vel, quod huic loco videtur convenientius, ſignificat noxium, detrimentoſum. Per offendiculum. id eſt cum offendiculo alterius edendo, ubi offendiculum latiſſime ſumendum eſt.

Verſ. 21. *Bonum non edere carnem neque bibere vinum.* A contrario amplificat dictum ſuum. Illud malum eſt, hoc vero bonum: nequis putaret, etiamſi malum ſit cum offendiculo alterius cibo aliquo licito uti, non fore tamen adeo bonum & laudabile eo in gratiam alterius, nempe ne offendatur, non uti. *Bonum*, inquit, nempe vel pulchrum ac honeſtum, vel etiam utile admodum & commodum. *Non edere carnem.* Nunc in ſpecie nominat cibum & potum, a quo bonum ſit abſtinere, ſi eo non poſſis uti ſine offendiculo alterius. Nominat autem cibum ac potum omnium optimum ac ſuaviſſimum, carnes & vinum. Nam de carnibus etiam ac vino maxima erat controverſia. Quod enim ad carnes attinet, earum multa genera erant in lege prohibita; omnia autem ſi idolis eſſent immolata. Vinum quod attinet, illud quidem in lege prohibitum non fuit niſi ſacerdotibus ſacra facturis. Mentio tamen fit eorum, qui toto vitæ tempore ab ejus uſu abſtinebant. Unde veriſimile eſt, fuiſſe aliquos in initio Eccleſiæ, qui ejus uſum Chriſtianis tam ſanctam diſciplinam profeſſis, inprimis autem res ſacras tractantibus, illicitum eſſe credebant, aut ſaltem admodum id eos decere, ac prorſus, ut id fiat, conveniens eſſe arbitrabantur. Præterea nominatim ab eo vino, quod diis gentium atque idolis eſſet libatum, omnino abſtinendum Judæi procul dubio credebant, non minus quam a carnibus victimarum idolis conſecratarum.

*Neque in quo frater tuus.* Elliptica oratio eſt: ſubintellige, neque quidquam aliud ſive edere, ſive facere.

*In*

*In quo*, id eſt per quod offendit id eſt levius in Chriſtianæ pietatis curſu impingit: quod fit, cum animo fit a me alieniore, vel in Chriſtiana religione remiſſiore ſtudio.

*Aut ſcandalizatur.* Cum plane cadit in hoc curſu, & ulterius non progreditur; aut progreditur quidem, ſed claudicando, quod fit cum religionem Chriſtianam vel plane deſerit, vel illi leviter admodum adhæreſcit.

*Aut infirmatur.* Id eſt infirmam habens conſcientiam meo facto adducitur ad ſimile factum. Vocat hoc infirmationem per metonymiam, quia infirmitas, nempe conſcientiæ, quæ in neutram partem nondum firmiter eſt perſuaſa, iſtius rei eſt cauſa. Offenſio vel ſcandalizatio magis pertinet ad eos, qui firmiter ſunt perſuaſi, illicitos eſſe cibos iſtos. Infirmatio autem iſta ad eos, qui animi pendent; necdum in alterutram partem deciderint, referenda eſt. Vel etiam infirmatur id eſt per me aut meo facto infirmus in conſcientia redditur ac dubius, unde poſtmodum facile fiat, ut dubitante conſcientia quidpiam faciat. Infirmitas enim iſta fidei opponitur, hoc eſt, firmæ perſuaſioni aliquid eſſe licitum.

Ideo ſtatim addit, *Tu fidem habes.* Poterat iterum aliquis dicere: quid mea intereſt illum hærere, aut hæſitante conſcientia quippiam facere? alia eſt ratio mea. Ego fidem habeo; *fidem*, id eſt, firmam ac certam perſuaſionem, eamque veram, de re aliqua: quam alibi apoſtolus ſcientiam nominat. Quid tum? reſpondet apoſtolus. Nihil eſt opus, ut tuam iſtam fidem omnibus notam facias: imo contrario eſt opus, ſi videas offendiculum aliquod inde conſecuturum. *Apud teipſum eam habe.* Id eſt, preme illam in animo tuo, tibi eam habe. Num putas te oleum & operam perdidiſſe, niſi te ſcire hoc ſciat alter?

*Coram Deo.* An parum tibi erit, te Deum habere tuæ fidei teſtem ac arbitrum? Non ergo fidem vel ſcientiam noſtram ſemper ſive factis ſive etiam verbis oſtentare debemus; ſi nimirum videamus, ſatius eſſe ac ſalutarius aliis eam ignorari quam ſciri. Abnegare id, quod in rebus ad religionem ſpectantibus ſentimus, ſi ſit alicujus momenti & uſus, nunquam debemus; ſed id alios celare & in animo noſtro premere, ſæpe non tantum poſſumus, ſed etiam debemus. Illa tamen quæ ſunt magni momenti, & magni uſus, & talia, ut eorum ignoratio multum obſtet hominibus ad veram vitæ ſanctimoniam, licet alioqui non ſint prorſus neceſſaria, diſſimulari non debent, quicquid tandem conſequatur & eveniat. Plus enim damni ac detrimenti afferre poteſt ac ſolet talium rerum ignoratio quam profeſſio; quæ licet in initio turbarum dare aliquid ſoleant, ſucceſſu tamen temporis vincit veritas.

Et ne quis cogitaret, quid mihi cum iſta fide, ſi ea uti non liceat tunc cum infirmores forte adſunt, quod commodum mihi affert? Addit apoſtolus: *Beatus qui non judicat ſeipſum in quo probat.* Beatus eſt, inquit, qui fidem hanc habet, qui non judicat, non damnat ſeipſum.

*In quo probat.* Elliptica eſt locutio, ſimilis illi quam præcedenti verſiculo habuimus, pro in eo quod probat, ἐν ᾧ ἐκέλυσε &c. ſed quod nomen relativum non induit caſum ſui antecedentis, quod ſubintelligi debet. *Probat*, id eſt approbat, facto nimirum ſuo, ſi contingat ut abſque alterius offendiculo re licita utatur. Vox autem *beatus* non ſemper de ſempiterna illa felicitate ſumitur, cujus rei multa occurrunt exempla. Luc. 11 beata ubera quæ ſuxiſti & uterus qui te portavit. Capite. 1. Beata quæ credidiſti. Beatam me dicent omnes generationes 1 Cor. 7, verſ. ult. Beatior eſt ſi ſic manſerit, nempe μακάριος. Itaque beatus iſte dicitur non quod propterea ſit ſervandus ſed quod inſignem quendam fructum habeat, & bene cum eo agatur. Quantum enim bonum eſt tranquillam habere conſcientiam, cum nihil deliqueris; non angi, non torqueri in animo ob rem per ſe licitam & permiſſam! Superſtitione quid eſt crudelius? hoc autem tyranno liberatum eſſe certe inſignis eſt felicitas.

Verſ. 23. *Qui vero dubitat, ſi comedat condemnatus eſt.* A contrario rem illuſtrat apoſtolus, illius qui fidem habet felicitatem, hujus qui ea caret infelicitatem ex adverſo collocat. *Qui dubitat*, quod nondum eſt firmiter perſuaſus, rem reipſa licitam eſſe licitam. *Si edat.* Unam rem in exemplum adducit; idem autem vult ſtatui de reliquis omnibus: de eſu enim potiſſimum erat quæſtio. *Condemnatus eſt*, id eſt pœnam & condemnationem promeruit: obſtrictus eſt ad pœnam. Damnatio enim eſt ad pœnam obſtrictio: non quod ob unicum ejuſmodi factum damnationem ſit ſubiturus, modo illud non iterem, & factum doleat, ſed quod damnationem ſit promeritus, eique, niſi gratia divina accederet, devinctus. Qui enim Deum vere & ex animo metuit, dubitante conſcientia nihil facit, veritus ne Deum forte offendat.

*Quia non ex fide.* Fides, ut jam diximus, ſcientiam ac firmam animi perſuaſionem, rem licitam eſſe licitam, hoc loco denotat: quæ ſcientia vel perſuaſio duplex eſſe poteſt; vel totalis, ut ſic dicam, vel partialis. Totalis, cum quis non unam aliquam aut alteram, ſed omnes res in Chriſtiana religione licitas ac conceſſas novit eſſe tales; Partialis cum nonnullas tantum aut etiam unam aliquam talem eſſe novit. Qui ergo rem aliquam per ſe licitam ſine peccato vult facere, eum neceſſe eſt ut vel totalem illam fidem ac ſcientiam habeat; vel ſaltem in ſpecie hoc quod facit, modo alioqui ſit licitum, licitum eſſe prorſus non dubitet.

*Omne vero quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Nihil hic agit apoſtolus de fide in Chriſtum, ut nonnulli putant; qui propterea omnia bona & honeſta facta, ſi ab iis fiant qui fide in Chriſtum deſtituti ſunt, peccata eſſe judicant, contra omnem ſenſum ac rationem: ſed, ut jam diximus, fides hoc loco eſt firma animi perſuaſio, rem licitam eſſe licitam, ſine hac ſi quis rem per ſe licitam faciat, peccat ac pœna dignus eſt. Nihil enim intereſt, quod ad peccati rationem ac pœnæ meritum attinet, ſive rem per ſe illicitam, ſive opinione tua illicitam facias. Illiccontra legem divinam peccans perdes te, hic contra propriam conſcientiam, & conſequenter contra Dei voluntatem peccas. Ad peccatum ſufficit, ſive quis contra divinam legem, ſive contra conſcientiam ſuam peccet. Ad virtutem autem ac præmii adeptionem, vel etiam evaſionem pœnæ non ſufficit legen conſcientiæ obſervaſſe, niſi etiam ſimul legem divinam obſerves. Aliquando enim conſcientia non tantum licitum, ſed etiam honeſtum ac omnino faciendum eſſe putat, quod tamen Lex divina illicitum eſſe pronunciat. In talibus ſi conſcientiam ſequaris, legem divinam deſeris: & licet in eo non pecces, quod conſcientiæ obſequaris, imo peccares ſi aliter

faceres; peccas tamen quod divinæ legis ſis ignarus. Ignorantia autem juris ſeu legis in illo cui lex lata eſt (divina autem lex omnibus eſt lata, modo aliquam ejus cognoſcendæ occaſionem habueriit) non tantum non excuſat, verum etiam damnat.

## CAP. XV.

### *ARGUMENTUM.*

*Initium hujus Capitis in eadem adhuc verſatur materia: qua pertractata ac finita alia quædam tradit apoſtolus, & hujus Epiſtolæ epilogum molitur.*

Verſ. 1. *Debemus autem nos qui firmi ſumus infirmitates infirmorum portare.* Novum argumentum ab ipſa æquitatis natura ſumtum: Seu potius ita hoc præceptum de tolerandis infirmis proponit apoſtolus, ut quivis videat, æquiſſimum ac juſtiſſimum eſſe ut id fiat. Firmi ſunt illi, qui exactam habent ſcientiam rerum tum licitarum tum illicitarum, qui nihil licitum putant eſſe illicitum. Infirmi ſunt qui aut multa aut unum quidpiam licitum putant eſſe illicitum. Infirmitates eorum ſunt iſti de rebus licitis errores, quæ infirmitates ſunt veluti onera quædam quæ miſeros premunt ac urgent. Quid autem æquius eſt, quam ſub onere gementem ac laborantem, & quidem infirmum ac debilem, ab homine robuſto ac valido fulciri, ita ut ſui oneris partem in ſe recipiat, ne alter onere penitus opprimatur & corruat? Ferimus autem ſeu portamus iſta infirmorum onera, non ſolum cum ſententias & facta eorum toleramus, nec propterea eos a Chriſtiana ſocietate & communione arcemus aut excludimus, ſed etiam cum una cum aliis infirmi quodammodo ſumus, id eſt, ab iis quæ illi illicita putant, in eorum gratiam abſtinemus. Hoc qui facit veluti partem iſtius oneris in ſe recipit, & ea infirmum levat: quod niſi fiat, infirmus iſte oneri non eſt futurus par, ſed tandem ſuccumbere miſer cogetur. Onus grave portat infirmus frater, cum verbi cauſa a carnibus conſcientiæ cauſa abſtinet. Tu, qui firmus es, admove bajulanti manum, & onus cum illo facias tibi commune: abſtine in ejus gratiam carnibus, ut eum ſubleves, & in amore tui accendas, ne poſitis ſcandalis aut offendiculis procumbere ſub hoc onere cogas.

*Et non nobis ipſis placere.* Ille ſibi placet, qui ſui tantum rationem habet, ſibi indulget, id ſectatur quod ſibi tantum gratum eſt, ſuum commodum curat ac ſpectat.

Verſ. 2. *Unuſquiſque enim noſtrum proximo placeat.* A contrario rem illuſtrat & amplificat; Non ſibi, ſed proximo quiſque placere debet, id eſt illi obſequi, ejus habere rationem: quod fit cum illi te accommodas, ac in ejus gratiam aliquid ſuſcipis ad quod faciendum alioqui non tenebaris. Finem autem iſtius complacentiæ & obſequii proximo addit: *in bonum*; quod per appoſitionem declarat, cum addit: *in ædificationem*, ut eum ædificet. Ædificatur proximus, vel cum magis adhuc in Chriſtiana religione confirmatur, & ejus amore accenditur; vel ſaltem cum ei nulla occaſio, nulla cauſa peccandi præbetur: quemadmodum etiam non ædificare dicitur aliquid qui vaſtat ac deſtruit. 1 Corint. 6.

Verſ. 3. *Etenim Chriſtus non ſibiipſi placuit.* Exemplo Chriſti, qui nobis in omni vita eſt imitandus, nobis hoc præceptum vult perſuadere. Chriſtus non ſibi indulſit, & commodi ſui habuit rationem, alioqui tot mala, tot calamitates, quas volens ac noſtri commodi cauſa ultro ſubiit, vitaſſet.

*Sed quemadmodum ſcriptum eſt.* Elliptica oratio: ſubintellige fecit, aut aliud ſimile; vel etiam, ſed variis opprobriis, & aliis omnibus quæ opprobria conſequi aut comitari ſolent, malis ſemet ipſum objecit: quod certe longe gravius fuit onus, quam a cibis aliiſque rebus licitis abſtinere.

*Quemadmodum ſcriptum eſt opprobria opprobrantium reciderunt in me.* Ipſa verba ſcripturę citare maluit quam eorum ſenſum. Verba ex Pſal. LXIX deſumta ſunt: in quo populus Judaicus conqueritur de injuriis ſibi illatis, & quidem Dei ac legis ipſius cauſa. In Deum enim ac diſciplinam ab ipſo traditam injuriæ iſtæ & opprobria primum diriguntur, quæ deinde recidunt ac redundant in eos qui illi ſunt addicti, ſic ut ipſi ferre cogantur ea, quæ in divinam legem ac doctrinam ab ipſo Deo traditam ſunt directa. Non aliter Chriſtus innoxius prorſus & innocens, nullo ſuo merito ac culpa, ferre coactus eſt injurias & opprobria in doctrinam ſibi a Deo traditam tendentia. Huic enim infenſi homines impii & contumaces, cum in ipſum Deum non poſſent, in legatam ipſius innocentiſſimum omne virus evomuerunt. Nos ergo Chriſtum regem ac caput noſtrum imitari debemus, ut licet minime obſtringamur ad res nobis licitas cum moleſtia & incommodo noſtro omittendas, adeo ut quodammodo nullo noſtro merito hanc moleſtiam ſubire cogamur, aliis ut ſic dicam, peccantibus nos pœnas ſuſtineamus, nihilominus tamen hanc moleſtiam alacri ac læto animo ſubeamus. Aliam quandam horum verborum ad Chriſtum accommodationem vide in Paraphraſi.

Verſ. 4. *Quæcunque enim antea ſcripta ſunt in noſtram doctrinam ante ſcripta ſunt.* Hæc verba addidit apoſtolus, ut rationem redderet iſtius a ſe allati ex ſcriptura dicti ac teſtimonii, oſtendens, Chriſtianum debere ex quovis ſcripturę dicto doctrinam aliquam, et veluti ſuccum bonum ex quavis herba elicere. Potuiſſet enim aliquis cogitare, hoc ſcripturæ dictum nihil ad rem præſentem pertinere, nihil ad Chriſtum & Chriſtianos; olim hæc contigiſſe, aliam horum, aliam illorum temporum & rerum rationem eſſe. Ejuſmodi cogitationibus ut occurreret apoſtolus, hæc verba ſubjicit, docens, omnia eſſe literarum monumentis olim mandata in noſtrum uſum ac commodum, nempe

*Ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Patientiam ſcripturarum vocat, quia ſcripturæ patientiam, hoc eſt, malorum & rerum aſperarum ac carni noſtræ ingratarum (quale etiam eſt a rebus licitis abſtinere) tolerantiam nobis præcipiunt, commendant, ad eam nos hortantur, ejus plurima commemorant exempla, adeo ut vix ullius virtutis arvum tam cultum ſit in ſcriptura, quam patientiæ. Conſolationem etiam ſcripturarum dicit, quia ſcripturæ dum nos ad dura ſtimulant & hortantur, ſimul etiam plurimas maximaſque pandunt conſolationes. Solantur nos, animum noſtrum malis preſſum ſublevant, & marcentem recreant ac reficiunt. Omnia ergo ſcripta ſunt, ut hinc ad patientiam incitati, illinc ſolatio refecti, & mutuam ſibi manum nunc patientia, nunc conſolatione præbente *Spem habeamus*, ſempiternæ nimirum felicitatis. Patientia enim ac tolerantia malorum, ſi accedat conſolatio,

latio, quæ feliciſſimum ejus exitum eſſe docet, ſive divina promiſſa proponat quæ patientiam conſequuntur, ſive exempla eorum qui per patientiam felices, ac chari Deo evaſerint, ſpem operatur, ut ſupra cap. 5 locutus eſt apoſtolus. Nam ſine conſolatione patientia ſeu urgentium malorum moles homines ad deſperationem potius adigit, quam ad ſpem deducit.

Verſ. 5. Ad vota tandem ſe vertit apoſtolus huic tractationi finem impoſiturus: *Deus autem patientiæ & conſolationis.* Deum ſupremum, occaſione id eſt hac materia poſtulante, in qua patientiæ potiſſimum monitis eſt opus, ſic deſcripſit. Dicitur autem Deus patientiæ & conſolationis, quia & patientiam in nobis producit, dum nobis ſuppeditat varia media, quibus hæc virtus parari queat, dum efficit, ut omnia adverſa & forti accipiamus pectore, & infracto ſuſtineamus animo; & variis nos replet ſolatiis.

*Det vobis idem ſentire in vobis ſecundum Chriſtum Jeſum.* Τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Non tam de ſententiarum ac opinionum, quam animorum ac voluntatum conſpiratione loquitur apoſtolus. Magis enim hæc deſcriptio Dei eo reſpicit, ut ſententiis diſſidentes ſeſe mutuo tolerent, & affectu ac voluntate conſpirent, quam ut ſententiis conveniant. Verſiculus etiam ſeptimus, qui ex his deducitur ac pendet, mutuum illis amorem ac tolerantiam, non ſententiarum unitatem inſtillat.

Ἐν ἀλλήλοις id eſt inter vos invicem. *Secundum Chriſtum Jeſum.* Si de ſententiarum unitate loquitur, optat, ut ſententiarum convenientia conveniat veritati Chriſtianæ religionis, ut veris, non falſis & erroneis ſententiis conveniant. Sin de voluntatum conſpiratione ac mutua concordia loquitur, docet his verbis, rem hanc valde convenire Chriſtianæ religioni.

Verſ. 6. *Ut unanimiter in unoore.* id eſt uno corde & ore, ſine rixis ac contentionibus ac ſi eſſet unum cor & unum os omnium.

Verſ. 7. *Ideo recipite alii alios.* Id eſt alii alios pro fratribus agnoſcite, & in fraternum commercium admittite, ſic ut alteri alteros nec condemnetis nec contemnatis, ſed mutuo devincti amore alteri alteris obſecundetis. Quod ut faciant, iterum illis exemplum Chriſti proponit:

*Quemadmodum & Chriſtus vos ſuſcepit in gloriam Dei.* Non excluſit nos Chriſtus multo indigniores, quam alii aliorum reſpectu ſumus, ſed admiſit ad conſortium illius gloriæ ſempiternæ: tam indignos a tanti boni ſocietate non excluſit, quomodo nos a fraterna communione alii alios excludemus? Gloriam, inquit Chriſtus, quam dediſti mihi, dedi illis Johan. 17.22; feci illis mecum ſempiternam illam gloriam communem: & quidem quo fine? Ut ſint unum (nempe ii omnes qui crediturierant per ſermonem apoſtolicum in ſe) quemadmodum nos unum ſumus. Tanti ergo boni communio ac ſocietas, ad quam nos Chriſtus admiſit, perpetuum nobis eſſe debet incitamentum ut unum ſimus, & nos amore mutuo complectamur. Quanquam verba illa *in gloriam Dei* poſſunt etiam conjungi cum verbis præcedentibus, nempe recipite alii alios, quaſi dicat, Ideo alii alios fraterno amore complectimini, ut id cedat (vel, quæ res cedet) ad inſignem divini nominis gloriam; quemadmodum etiam Chriſtus eandem ob cauſam nos multo indigniores in gratiam recepit. Quomodo autem id in gloriam Dei ſit ceſſurum, partim ex præcedenti verſu conſtare poteſt, ubi dictum; *ut unanimiter & uno ore glorificetis* &c. partim ex Johan. XIII. 35, & XVII. 21 colligi poteſt.

Verſ. 8. *Dico autem.* Exponit modum, quo nos tum Judæos tum Græcos ſeu Ethnicos Chriſtus ſuſceperit: quaſi d. Id autem quod dixi, Chriſtum nos ſuſcepiſſe, ſic intelligi volo, quod Jeſus Chriſtus miniſter factus fuerit circumciſionis &c. Prius exponit modum, quo Judæi a Chriſto ſuſcepti fuerunt, deinde quo gentes; ne quis putaret idem jus utriſque ad Dei gloriam fuiſſe, & ſic vel gentes Judæis faceret pares, vel Judæos gentibus exæquaret: ſed potius viderent gentes, quia non ex promiſſo, ut Judæi, fuiſſent a Chriſto in gratiam receptæ, merito ſe debere Judæis cedere, & ab uſu rerum licitarum in eorum gratiam abſtinere. Judæi enim potiſſimum libertatem Chriſtianam capere non poterant, eaque ratione infirmi erant, Ethnici eam facile admittebant. *Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis.* Circumciſionis id eſt circumciſorum, ſeu Judæorum. Abſtractum poſitum eſt pro concreto, ut alibi. Fuit autem Chriſtus miniſter circumciſorum id eſt Judæorum, quatenus illis prædicatione & annunciatione euangelii inſerviit, & operam dedit.

*Pro veritate Dei.* Id eſt miniſtravit Judæis, ut Deum veracem ac in promiſſis fidelem eſſe conſtaret. Quibus verbis indicat apoſtolus, Judæis hanc gratiam fuiſſe a Deo promiſſam quam illis Chriſtus annunciavit, ita ut ad eam jus quoddam haberent. Explicat autem porro apoſtolus, quomodo pro veritate Dei Chriſtus miniſtraverit Judæis, cum addit:

*Ut ſtabiliret promiſſiones patrum.* Εἰς τὸ βεβαιῶσαι. Βεβαιῶσαι hoc loco ad exitum perducere ſignificat, & ſic promiſſis effectum, ut ſic dicam, largiri. Simili ratione ſermo per Angelos promulgatus dicitur fuiſſe βέβαιος Hebr. 2. 2, id eſt vim & effectum ſuum habuiſſe. Addit enim: *& omnis tranſgreſſio accepit juſtam retributionem.* Eventus enim promiſſiones vel minas comprobat, ac veluti ratas facit. Promiſſiones patrum, id eſt, promiſſiones non a patribus, ſed patribus factas: quæ patrum dicuntur, quia in ipſorum bonum & emolumentum tendebant; ſeu quia patres eas a Deo acceperant, eaſque poſſidebant tanquam ſuas atque ad ſe proprie ſpectantes.

Verſ. 9. *Gentes autem pro miſericordia Deum glorificare.* Subaudienda eſt vox δεῖν, debere. Repetenda ἀπὸ κοινοῦ vox *dico* ex præcedenti verſiculo. Hoc verſiculo exponitur modus ſeu ratio, qua gentes a Chriſto fuerint ſuſceptæ; nempe non id factum fuiſſe jure aliquo, quod gentes ad divinam gratiam ac gloriam haberent, nempe ex promiſſo aliquo, ut Judæi; ſed id factum eſſe ſola Dei gratia & miſericordia, qui cum gentibus nullas promiſſiones de vocatione earum ad ſalutem dediſſet, eas tamen ad eam vocare dignatus fuerit.

Ideo dicit: *pro miſericordia.* His verbis indicat, gentibus non ex promiſſo, & ſic jure quodam (promiſſione enim acquiritur ei cui promittitur jus ad rem promiſſam repetendam) ſed ex mera gratia ac benignitate ſalutem fuiſſe oblatam. Ne vero hoc ſuſpectum, aut non ſatis certum eſſe Judæis videretur, gentibus etiam hanc miſericordiam fuiſſe exhibitam, promit nonnulla ejus rei ex ſacris literis indicia ac documenta, quibus indicatur

gentium ad Deum converſio. Itaque dictum ſuum de gentibus ſcripturis munit, & oſtendit ſe conſentamen iis loqui, cum addit:

*Quemadmodum ſcriptum eſt: Propter hoc confitebor tibi in gentibus.* Dictum ex Pſalmo petitum, quod ſenſu myſtico de Chriſto ejuſve membris ac ſervis intelligi debet. *In gentibus*, id eſt, inter gentes, ſeu in medio gentium, in concurſu multorum populorum ac gentium. Quorſum autem in corum medio confiterotur, id eſt, gratias ageret Deo, *D*eum laudaret ac celebraret, niſi gentibus quoque cum Chriſto in rebus divinis intercederet conjunctio, & niſi illæ ipſæ gentes ad laudandum ac celebrandum Deum concurriſſent, niſi has gratiarum actiones approbaſſent, ac mente ac animo proſecutæ fuiſſent, & ad ſe quoque id, ob quod *D*ei nomen ſit a Chriſti ſervis celebrandum, pertinere cenſuiſſent? Eodem ſenſu alibi de Chriſto dictum eſt: In medio Eccleſiæ laudabo te Hebr. 2. 12.

Verſ. 10. *Et iterum dicit.* Efficacius & apertius teſtimonium nunc promit ex Deut. xxxii. 43. Ubi ita habet Græcus textus. *Exultate gentęe cum populo ipſius.* Cur enim cum populo divino, a quo aperte diſtinguuntur, exultare & lætari deberent, niſi eodem beneficio, eadem felicitate cum populo Dei affectæ fuiſſent? Hebraicus textus habet. *Celebrate ô gentes populum ejus; harninou gojin* Græci autem vel ſuppleverunt *ammo*, ut fit *im ammo* cum populo, vel pro *ammo* legerunt *immo* hoc eſt, cum eo, nempe populo Dei, puncto tantum vocali primæ literæ mutato. Paulus, etiamſi ſciret aliter legi in Hebræo, potuit tamen hanc Græcorum lectionem ab omnibus receptam ſequi, ut alias quoque ſolet; præſertim cum ex Hebræis quoque verbis hæc ſententia non obſcure colligi queat. Non enim potuerunt gentes populum divinum ut beatum ac felicem laudare ac prædicare, quin ejus felicitate affectæ eundem etiam Deum agnoſcerent.

Verſ. 11. *Et rurſum.* Aliud adhuc teſtimonium citat, in quo jubentur omnes gentes Deum laudare & celebrare: unde apparet, eos inſigne quoddam beneficium a Deo conſequi debuiſſe, imo in ipſo Pſalmo exprimitur cauſa iſtarum laudum.

*Quoniam*, inquit, *veritas ejus manet in ſeculum.* At ſi veritas hæc ad gentes nullo modo pertinuiſſet, quomodo Deum propter ejus veritatem tam conſtantem laudare vel potuiſſent, vel debuiſſent?

Verſ. 12. *Et rurſum.* Quartum teſtimonium affert, ex Eſa. cap. xi, in quo dicuntur gentes ſperaturæ in radice Jeſſe, & *in eo qui conſurget ut dominetur gentibus.* Utrumque autem, hoc eſt, & dominatus Chriſti in gentes, & gentium ſpes in Chriſto, indicat eorum ad Chriſtum converſionem.

*Erit radix Jeſſe, & qui exurget ad imperandum gentibus, in ipſo gentes ſperabunt.* Loquendi modus Hebraïcus. Hebræi enim cum caſibus deſtituantur, & aliquid de aliquo enunciare volunt, id prius in Nominativo ponunt, & deinde per Pronomen Relativum cum particula præfixa aliquid de eo enunciant, & caſum formant. Nos diceremus: In radice Jeſſe, hoc eſt, in eo qui exurget ad imperandum gentibus, gentes ſperabunt. *Radix* per metonymiam cauſæ ponitur pro ſurculo qui ex radice pullulat. Sic Apocal. ultimo dicitur Chriſtus radix & genus David verſ. 16, genus, id eſt, ex genere ſeu familia *D*avidis. Ponitur enim totum pro parte.

*Qui ex urgit ad imperandum gentibus.* In Hebræo eſt *aſcher omed lebem ammim* qui ſtat in vexillum populorum. Sed Græci ſententiam potius quam verba ſunt ſecuti: Sub principis enim vexillo agit populus. Sperabunt eſt in Hebræo *iderſchou* ipſum requirent, id quod eſt iſtius effectus. quærere enim Chriſtum nemo poteſt niſi qui in ipſum ſperat. Aptius tamen cohæret & reſpondet vexillo hoc quam illud: vexillum enim requirere, non in illud ſperare ſolemus.

Verſ. 13. *Deus autem ſpei.* Epilogus eſt epiſtolæ, quam aliquoties claudit, qui continet votum apoſtoli, quo Romanis quædam a Deo pręcatur. *D*eus ſpei ideo dicitur, quod iſtius ſpei ſit autor. Per ſpem κατ' ἐξοχὴν intelligit ſpem vitæ æternæ 2 Theſſ. 2. 16. Hanc enim ſpem Deus nobis per promiſſa ſua eorumque confirmationes produxit. In hac autem deſcriptione reſpicit ad ſpem illam, quam in ultimis Eſaiæ verbis proxime citatis gentes in Chriſto collocaturæ dicuntur, forte etiam ad illa verſ. 4 verba, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.

*Impleat vos omni gaudio.* Spirituali nimirum, non ex felici ſecundum carnem ſucceſſu, ſed ex ſpe æternæ ſalutis manante. Dicit autem, *impleat vos*, addita etiam particula *omni*, ut oſtendat, ſeſe illis gaudium plenum & undique perfectum ac confirmatum, tantum quantum in homine Chriſtiano poteſt eſſe maximum, precari. *Et pace.* Pax animi tranquillitatem ſignificat, quam nulla pericula, nullæ calamitates, non metus, non curæ turbare queant. *D*e hoc tum gaudio tum pace loquitur Apoſtolus ad Philip. 4 ab initio.

*In credere.* Id eſt, per credere, ſeu per fidem. Medium oſtendit quo Deus in nobis gaudium hoc & pacem producit, iiſque nos implet. Illud autem eſt, ut promiſſis ejus per Chriſtum nobis datis credamus: quod medium eſt tale, ut non mere ex *D*eo pendeat, ſed operam etiam noſtram requirat.

*Ut abundetis vos.* Εἰς τὸ περισσεύειν. Hæc verba videntur cauſam finalem ſignificare; ſed veriſimilius eſt, ut ſint explicatio priorum. Aliquando enim particulæ εἰς τὸ explicandi potius quam finalem cauſam ſignificandi vim habent, ut paulo ante verſ. 8, & paulo poſt verſ. 6, & cap. 3. 26 & alibi, ac ſi dicas Latine, *ita ut.* Abundare ergo in ſpe includit plenum eſſe gaudio & pace per credere. Nam qui ſpem habet credit; & qui ſpe abundat abundat etiam, ſeu plenus eſt gaudio & pace.

*In virtute ſpiritus ſancti.* Alterum medium, quod ex ſolo Deo pendet, quo Deus hanc ſpei abundantiam in nobis efficit, hoc eſt ſpiritus ſancti efficacia. Poſſuntque hæc verba non tantum ad abundantiam ſpei, ſed etiam ad totum Apoſtoli votum, adeoque etiam ad impletionem gaudii &c referri, quaſi diceret: Quod totum efficiat Deus virtute ſpiritus ſancti, quem vobis largiter impertiatur.

In ſequentibus ſcriptionem ſuam excuſat Apoſtolus, cum occupatione tacitæ objectionis, ne quis crederet ideo illum ſcripſiſſe, quod crederet Romanos vel in religione Chriſtiana nimium rudes, ut non poſſent, vel ſegnes, ut nollent ſeſe mutuo admonere, ſic ut hujus ſcriptionis magnopere indigerent.

Verſ. 14. *Perſuaſus autem ſum, frares mei.* Quaſi dicat

dicat, Etiamſi tam prolixas ad vos literas ſcripſerim, & vos de multis commonuerim; nolo tamen ut quiſpiam ſuſpicetur, me de vobis aliter quam par eſt ſentire.

*Perſuaſus ſum &c. ego ipſe de vobis.* Non tantum alii, qui fidem veſtram celebrant & prædicant, ſed etiam ego ipſe. *Quod & ipſi pleni eſtis bonitate.* Bonitas hic de ſingulari quadam virtute ſumi poteſt, quæ in eo cernitur, quod quis alterius commodis ſtudeat, & ad ea promovenda propenſus ſit, ac proinde ſi admonitione indigeat, eum etiam admonere & hortari velit. Propterea dicit; *& ipſi*, id eſt, non tantum ego, qui veſtræ ſalutis cupidus vos admonere voluerim; ſed etiam vos ipſi hac virtute quæ commodis aliorum ſtudet, nullo modo deſtituamini, imo ea pleni ſitis, ac proinde non deſit vobis voluntas alios admonendi, ac ne facultas quidem, cum pleni ſitis omni cognitione, adeo ut poſſitis & alii alios monere. Sed poteſt etiam ſumi de univerſali virtute quæ τῇ κακίᾳ opponitur, ac ſi dicat apoſtolus: Et ipſe ego ſum perſuaſus, quod & ipſi pleni ſitis omnis generis probitate ac bonitate, nec probitate ſolum, ſed etiam *omni cognitione*, ſic ut mea ſcriptione nec ad id, ut meliores, nec ad id ut doctiores evaderetis, magnopere indigueritis.

*Qui poſsitis & alii alios admonere*: non expectata videlicet mea admonitione. Quid ergo te impulit ut ſcriberes? Cauſam reddit apoſtolus, non tantum cur ſcripſerit, ſed etiam, cur aliquanto audacius & cum quadam autoritate ſcripſerit, cum addit:

Verſ. 15. *Audacius autem ſcripſi vobis ex parte.* Non plane audacter, ſed parte tantum, id eſt paulo audacius ſcripſi, ſumta mihi quadam in vos autoritate.

Cur ſcripſit? *veluti commonefaciens vos*: non tam ut eos doceret, quæ antea ignorarent, quam ut eis ea quæ ſciebant in memoriam revocaret, ne ea oblivioni mandari ſinerent. Non enim ſemper opera danda eſt, ut homines aliquid addiſcant novi; ſed etiam, ne ea quæ didicerunt dediſcant. Cur autem & ſcripſit, & paulo audacius ſcripſit?

*Propter gratiam* &c. id eſt, propter munus & officium meum, quod mihi ex ſingulari benignitate a Deo demandatum eſt, quod tale eſt, ut non ſolum potuerim, ſed etiam propemodum debuerim ad vos eo modo ſcribere.

Verſ. 16. Εἰς τὸ εἶναί με. Explicat iſtam gratiam, ut dictum eſt ſupra verſ. 8. Particula εἰς hoc loco non cauſam finalem declarat, ſed explicandi vim habet.

Λειτουργὸς Jeſu Chriſti. Λειτουργὸς proprie publicum miniſtrum declarat, ſoletque uſurpari etiam de ſacerdotibus, qui Deo in templo miniſtrabant, id eſt divinum cultum publice peragebant.

*In gentes.* Εἰς hoc loco ſignificat apud vel ad gentes. quaſi d. miniſter ſum Jeſu Chriſti apud gentes, ut apud quas legatione fungor.

Ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον θεοῦ. Ἱερουργῶ eſt operari ſacris, ſeu ſacrum miniſterium obire, quaſi dicat, Sum miniſter Chriſti publicus, qui euangelium Dei annuncians ſacris operor, ſeu inſtar ſacerdoris euangelium tanquam rem ſacram tracto. Poteſt enim verbum Ἱερουργῶ & intranſitive accipi, ut apud bonos autores fieri ſolet; & tunc ſubaudiendum eſt κατὰ ante vocem τὸ εὐαγγέλιον, quaſi dicat, ſacris operor, ſacerdotio fungor quoad euangelium, ſeu ratione euangelii, hoc eſt, ratione prædicationis doctrinæ Chriſti: vel tranſitive, quomodo ſignificabit rem aliquam tanquam ſacram tractare, aut ſancte tractare vel conſecrare, quo pacto ſacerdotes res conſecrant, aut jam aliquo modo conſecratas tractant. Ideo cauſam mox addit:

*Ut fiat oblatio gentium accepta.* Eorum enim qui ſacris operabantur erat victimas offerre, & operam dare, ut *D*eo acceptæ ac penitus conſecratæ eſſent.

*Oblatio gentium.* Oblationem gentium paſſive vocat gentes ipſas, quibus ſe tanquam victimis & ſacrificio dicit *D*eo litare. Eſt enim genitivus materiæ, τῶν ἐθνῶν. Gentes autem Deo ſacrificantur & offeruntur, quando ad fidem in Dominum Jeſum adducuntur. Ut ergo hæc gentium oblatio & conſecratio, ſeu ad fidem adductio, ſit accepta, propterea ego Chriſti ad gentes ſum miniſter, & publice euangelium Dei miniſtrandi munus habeo illudque adminiſtro. Finem ſui muneris & operationis hic exprimit; ut ſi ſacerdos diceret, ſe eſſe conſtitutum ad cultum divinum peragendum, & victimas ac oblationes tractandas, ut ſint acceptæ Deo, ut ſint ſanctæ. Niſi enim *D*eus ejusmodi publicum miniſtrum conſtituiſſet, qui gentes ad Deum adduceret, eaſque veluti offerret, effectus iſte non fuiſſet conſecutus.

*Sanctificata in ſpiritu ſancto.* Victimæ enim ſanctificabantur tum ipſius ſacerdotis actione, tum per aræ contactum, quemadmodum Chriſtus dicit Matth. 23. 19. Sic etiam gentes Pauli opera ad fidem adductæ ſanctificabantur; ſed per ſpiritum ſanctum longe diviniori ratione quam victimæ illæ legales, quatenus nimirum ſpiritus ſanctus per Pauli miniſterium ubertim effundebatur in omnes quicunque ejus prædicationi credebant: unde fiebat, ut penitus a profano hominum vulgo ſegregati ac *D*eo ſacri eſſent.

Verſ. 17. *Habeo igitur gloriationem in Chriſto Jeſu.* Ex ſuperiori muneris ſui deſcriptione & expoſitione iſtud infert, nempe quod habeat gloriationem, quaſi dicat, Quod cum ita ſe habeat, merito ſane ac optimo jure gloriari poſſum. Non dicit, ſe gloriari; ſed tantum innuit, ſe poſſe jure optimo gloriari, ſe habere maximam gloriandi cauſam. Ponitur enim effectus pro cauſa, κάυχησις pro cauſa καυχήσεως. Sic ad Philippenſes. Capite III dicit, ſe habere πεποίθησιν ἐν σαρκὶ, id eſt cauſam & materiam iſtius rei.

*In Chriſto Jeſu*, id eſt beneficio & gratia Chriſti Jeſu, Domini mei, qui me tanto munere ac dignitate decoravit.

Τὰ πρὸς θεὸν, id eſt in rebus ad Deum ſpectantibus. Non dico, me habere gloriationem in rebus terrenis & carnalibus; ſed in iis quæ ad Deum & ejus gloriam ac honorem ſpectant, in rebus ſpiritualibus.

Verſ. 18. *Non enim auſim dicere quid.* Confirmat uberius id quod de gloriatione dixerat. Senſus autem eſt, Chriſtum adeo omnia, quæcunque ad munus ac miniſterium ejus genteſque ad fidem adductas pertinent, per ipſum feciſſe, ut dicere prorſus non auſit aliquid, quod huc pertineret,

deſuiſſe,& in eo Chriſti opem ac præſentiam fuiſſe deſideratam,niſi vellet in Chriſtum injurius eſſe. Ὧν οὐ κατειργάσατο pro ἐκείνων ἃ οὐ κατειργάσατο. Alii ita accipiunt, ac ſi dictum eſſet; non auſim quicquam mihi falſo tribuere atque arrogare, ſeu dicere, Chriſtum aliquid per me feciſſe, quod tamen non fecerit, ſive quoad ſermonem, ſive quoad opera miraculoſa. Quod ſi ſequi velimus, ſtatuendum erit, Paulum ex contrario tantum, propter ſuam modeſtiam, & ad invidiam ſermonis evitandam, cogitandum relinquere quid Chriſtus per ipſum fecerit.

*Sermone & opere.* Exprimit, qua in re iſta Chriſti operatio ſeſe exeruerit, nempe tum in ſermonibus ipſius, tum in factis atque operibus. quaſi dicat, non poſſum dicere quicquam vel ſermoni meo, vel operibus, admirandis nimirum illis, deſuiſſe. Nam & ſermoni meo abunde benedixit, ut & ſapienter, & animoſe, quemadmodum par erat, euangelium ejus annunciarim; & omnis generis miraculoſa facta, quibus prædicationem meam confirmarem, addiderim.

Verſ. 19. *In potentia ſignorum ac prodigiorum.* Potentia ſignorum ponitur pro potentibus ſignis, id eſt, quæ non niſi magna ac prorſus divina potentia edi poſſunt: propterea addit prodigia. Explicat hic iſtud quod dixerat, *opere. In virtute Spiritus Dei.* Exprimit cauſam mediam, per quam hæc potentia ac portentoſa ſigna edebat, nempe ſpiritus divini potentiam.

*Ita ut a Jeruſalem.* Effectus iſtius prædicationis & talium ſignorum, eſt ingens enangelii propagatio, quam hoc loco deſcribit. Κυκλῳ. Non loca Judææ vicina, ſed vicinas regiones intelligere videtur. Jam enim ante ipſius prædicationem Hieroſolyma & circumjacentia loca euangelio Chriſti plena erant. Videtur ergo intelligere Arabiam, Syriam, Ciliciam, in quibus ſeſe prædicaſſe ſcribit in Epiſtola ad Galat. cap. 2. Regionibus autem in Judææ circuitu repletis, contendit Illyricum verſus, id eſt, verſus mare Adriaticum, & uſque ad hoc mare. Illyricum enim ipſum, ut terminus ad quem, includi debet.

*Implevi euangelium Chriſti.* Euangelium hoc loco ſumitur pro prædicatione euangelii. Prædicatio enim euangelii ſuos veluti tractus ac limites habet, ad quos ubi ventum eſt dici poteſt, eam eouſque eſſe impletam, id eſt, perfectam ac conſummatam. Simili ratione dicit Chriſtus: *non perficietis urbes Iſraelis donec venerit filius hominis* Matth. 10. 23. Dicuntur urbes perfici, quatenus omnes obeuntur. *Ita etiam impleri*, id eſt, perfici ad aliquem terminum dicitur euangelii prædicatio, cum ille terminus prædicatione attingitur. Niſi quis vel Enallagen caſuum, vel Hypallagen quandam eſſe velit, ut implere euangelium in iſtis regionibus ſit regiones iſtas implere euangelio: cujus rei exemplum a quibuſdam adducitur ex Exod. 28. 17, ubi dicitur implere in eo (in Ephod) impletione lapidum; quod iiſdem prope verbis repetitur infra cap. xxxix. 10, quod ita poteſt & ſolet accipi, ac ſi dictum eſſet; implere Ephod quatuor ordinibus lapidum. Sed id quod priori loco dictum eſt certius eſſe videtur.

Verſ. 20. *Sic autem ambientem euangelizare.* Vox φιλοτιμούμενον reſpicit particulam μὲ in ſuperiori verſiculo, ὥστε με πεπληρωκέναι. Oſtendit autem hoc verſiculo, quantam in ſe fiduciam excitarit tanta Chriſti virtus, quæ in ipſo exerebatur; & quomodo ſe in prædicatione ſua geſſerit, & quid ſpectaverit, ne quis putaret, eum in iis locis euangelium prædicaſſe, in quibus jam Chriſti nomen auditum, & Eccleſiæ plantatæ fuerant; nempe quod cum ſe ad fundamenta doctrinæ Chriſti & Eccleſiæ jacienda ſatis inſtructum videret, euangelizaverit in iis locis, ubi incognitum adhuc & inauditum erat Chriſti nomen, vel ſaltem ubi nullum adhuc veſtigium erat Eccleſiarum. Dicit autem ſe fuiſſe φιλοτιμούμενον, hac ratione videlicet in ejuſmodi locis euangelizare, id eſt cum ambitione quadam, ſed pulchra & apoſtolo digna, id ſpectaſſe, hunc honorem ſeſe veluti ambiviſſe dicit, eumque amaſſe, non vanæ gloriæ captandæ cauſa; ſed quia id apoſtolo tanto prorſus dignum erat illique conveniebat. Cui enim magis convenit novas plantare Eccleſias, nova Chriſto quærere regna, victricia circumferre ſigna, quam apoſtolis, & inter eos Paulo vel maxime?

*Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* Alienum fundamentum vocat quod eſt ab alio poſitum. Fundamentum autem iſtud eſt Chriſtianæ religionis principia ac veluti ſumma aliquo in loco jam confirmata ac recepta 1 Cor. 3. 11.

Verſ. 22. *Ideo & impeditus ſum multa venire ad vos.* Id eſt, ne venirem ad vos. Impedimentum enim rem prohibet, non promovet. Cauſam affert, cur Romam non venerit, nempe quod unam poſt aliam regionem obeundo ac peragrando, dum vicina quæque eum invitaret provincia, id facere non potuerit. Πολλάκις. Neutrum plurale poſitum pro Adverbio, id eſt ſæpe, frequenter, ſeu multis vicibus. Sic εἶναι ἴσα pro æqualiter Philip. 2. 6.

Verſ. 23. *Non amplius locum habens.* Jam enim mare Adriaticum attigerat.

Verſ. 24. *Si veſtri primum ex parte impletus fuero.* Addidit, *ex parte*, ne videretur deſiderium ſuum imminuiſſe, quod obiter ac in tranſitu expleri potuerit. Implemur autem iis quos deſideramus, dum eorum conſpectu ac conſuetudine fruimur.

Verſ. 25. *Nunc autem proficiſcor Hieroſolymam.* Loquitur de ultima profectione ſua Hieroſolymam, ut apparet ex ſequentibus verbis, cum addit:

*Miniſtrans ſanctis.* Proficiſcebatur enim cum eleemoſyna quam in Macedonia & Achaja collegerat in pauperum Hieroſolymitanorum uſum. Atqui non legimus, eum ante hanc ultimam profectionem eleemoſynas in Macedonia & Achaja collectas Hieroſolymam portaſſe. Nam illa, cujus Actorum xi verſu penultimo fit mentio, a ſolis Antiochenis diſcipulis longo tempore ante fuit in pauperes Hieroſolymitanos ob imminentem famem collecta, & per Barnabam ac Paulum tranſmiſſa. In ultima autem profectione Hieroſolymitana apparet eum eleemoſynas iſtas ſecum attuliſſe. Ita enim loquitur ad ſelicem præſidem Actor. xxiv. 17: Poſt plures annos veni (ſcilicet Hieroſolymam) eleemoſynas facturus in gentem meam. Quæ enim illæ eleemoſynæ fuiſſent, & quidem in totam gentem, præter iſtas eleemoſynas, quas paſſim in Eccleſiis per univerſam Græciam collegerat, memor ejus, quam in ſe receperat, pauperum curæ, cum ſcilicet junctis dextris Paulo gentium, aliis autem apoſtolis circumciſionis provincia obtigiſſet Galat. 2. 9 10.

Verſ. 27. Εὐδόκησαν γὰρ. γὰρ videtur poſitum pro inquam. Oſtendit autem, hoc beneficium non ſolum ex be-

ex benigna voluntate, ſeu beneplacito, ſed etiam ex debito quodam profectum eſſe, cum addit:

*Et debitores ipſorum ſunt.* Judæi enim gentes in ſocietatem bonorum ſpiritualum, quæ euangelium illis attulit, quodammodo admiſerant; vel ſaltem his bona Judæis primo ac proprie deſtinata obtigerunt, idque interveniente hominum Judæorum opera: quocirca viciſſim gentes in ſocietatem & communionem bonorum carnalium Judæos pauperes admittere debent. Ὀφείλεται καὶ. Καὶ poſitum pro viciſſim etiam.

Verſ. 28. *Hoc igitur poſtquam perfecero.* Id eſt, poſtquam collectam hanc Hieroſolymam deportavero, eamque tradidero.

*Et obſignavero illis fructum iſtum.* Σφραγισάμενος αὐτοῖς id eſt, fideliter apud eos, & veluti annulo obſignatum depoſuero; tranſlatione ſumta a veterum more, qui annulis obſignabant, quæ in tuto volebant repoſita. Collectam hanc vocat fructum, quod Judæis pauperibus ex gentium veluti agro quodam fertili ac ubere proveniſſet.

Verſ. 29. *Scio autem, quod veniens ad vos in plenitudine benedictionis euangelii.* Hæc addidit, ut adventum ſuum Romanis deſiderabiliorem redderet. Benedictio euangelii hoc loco ſignificat copiam euangelicorum donorum. Sic ait apoſtolus Eph. 1, quod nos Deus benedixit in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, id eſt, omni genere ſpiritualium ac cœleſtium donorum nos replevit ac ditavit. Per benedictionem ergo euangelii divitiæ ſignificantur euangelicæ, quas euangelium Chriſti ſecum affert. *Plenitudo autem benedictionis* plenam ac uberem benedictionem, ſeu divinorum donorum copiam declarat. Ponuntur autem duo Subſtantiva pro conſtructione Subſtantivi cum Adjectivo, Hebræorum more.

*In plenitudine. In* poſitum pro *cum*, ἐν pro σὺν, Hebræorum more. Quædam ad hunc locum pertinentia peti poſſunt ex iis quæ diximus capite 1. 11.

Verſ. 30. *Per charitatem Spiritus.* Id eſt, charitatem non carnalem, aut ex rebus, vel etiam propinquitate carnali ortam, & propter iſta debitam; ſed charitatem ſpiritualem, quæ ex ſpirituali noſtra communione ac propinquitate oritur, quam ſpiritus, non caro, in animis noſtris effecit. Συναγωνίζεσθαί μοι. Certamen hoc precum non tam pugnam aliquam ac luctam cum adverſario aliquo ſignificat, quam conatum ac laborem, qui etiam in lucta eſſe ſolet. Apoſtolus certabat euangelium prædicando & munus ſuum obeundo (ſæpe enim cum certamine & curſu vocationem muneris ſui confert.) Vult ergo, ut ſibi luctanti ac certanti precibus ſuis ad Deum veluti ſuppetias ferant. Niſi malimus potius apoſtolum hic loqui de certamine ſuo & agone itidem in precibus. Precibus enim certamus, cum aliquid obtinere a Deo conamur. In hoc autem certamine nos juvat, quiſquis idem pronobis apud Deum conatur.

Verſ. 31. *Ut eripiat ab infidelibus in Judæa.* Præſagiebat illi animus, futurum, ut Judæi increduli, idque in Judæa ipſa, perniciem ſibi machinarentur. Summo enim in odio apud illos erat Paulus, qvem patriæ legis deſertorem & oppugnatorem eſſe credebant. Nec fefellit eum animus, ut ex Hiſtoria notum eſt. Ereptus tamen divina providentia eſt ex eorum manibus, & Romam, quam tantopere videre cupiebat, vinctus quidem, ſed tamen incolumis, magno cum incremento divinæ gloriæ, perductus; ut in hac principe totius orbis urbe & Chriſtianam religionem doceret, & ſanguine tandem ſuo obſignaret. Alterum quod a Deo ſibi impetrari poſtulat, eſt:

*Ut miniſterium meum acceptum fiat ſanctis.* Noverat & hoc Paulus, non omnes ſanctos, id eſt fideles qui Hieroſolymis degebant, & ex Judæis Chriſtiani facti fuerant, ea in ſe eſſe voluntate ac animo quo par erat. Zelotæ enim legis erant plurimi, qui de Paulo ex falſo & maligno rumore inaudiverant, quod apoſtaſiam a lege doceret. Quocirca id ſibi a Deo impetrari poſtulabat, ne propterea hoc miniſterium & eleemoſyna minus grata ſanctis obveniat; ſed ut Deus eorum animos mitiget ac flectat, utque huic miniſterio, ac proinde etiam ipſi Paulo gratiam & favorem apud ſanctos conciliet.

Verſ. 32. *Per voluntatem Dei*, ita volente Deo. Addit hoc loco (ut Divus Jacobus monet cap. 4. 15.) id quod ſuperius omiſerat, cum ſimpliciter dixiſſet verſ. 28 tranſibo per vos in Hiſpaniam. Ubi tamen intelligi voluit, ſi voluerit Deus.

*Unaque vobiſcum refociller.* Id eſt, & vos ex meo, & ego ex veſtro conſpectu ac multo magis ex fide lætitiam & voluptatem capiam, ut etiam cap. 1. 12 dixit.

Verſ. 33. *Deus autem pacis.* In tertia vice concludit apoſtolus, nec dum tamen claudit. Ita ſeſe a ſcriptione ad homines adeo charos & deſiderabiles expedire non poteſt. Semper adhuc aliquid occurrit quod ſcribat, quod moneat. Magnum certe apoſtolici affectus & amoris indicium.

## CAP. XVI.

Verſ. 1. Διάκονον ἐκκλησίας, quæ publicum miniſtrandi pauperibus, peregrinis & advenis aliiſque, qui publica indigebant opera & auxilio, munus in eccleſia Cenchreenſi (ubi erat Corinthiorum portus) habebat.

Verſ. 2. *Recipiatis in Domino* non vulgari & aliis hominibus conſueto ac uſitato more; ſed in *Domino*, Chriſtianæ religioni conformiter, ut par eſt Chriſtianum a Chriſtianis accipi, ut ſtatim explicat.

Προστάτις πολλῶν. Προστάτης, ut Beza annotavit, in genere præfectum ſignificat, item patronum ac defenſorem. Peculiari autem nomine προστάται dicti ſunt qui & πρόξενοι dicebantur, qui a civitate aliqua deligebantur, ut hoſpites & peregrinos domum ſuam, atque adeo in fidem ſuam reciperent. Significat ergo Paulus, hujus Phœbes domum, veluti publicum ſanctorum hoſpitum, fratribus peregrinis patuiſſe: quas virtutes in vidua requirit 1 Tim. 5. 10. Hæc Beza.

Verſ. 7. *Concaptivos meos.* Id eſt, qui aliquando mecum Chriſti cauſa in carcerem conjecti fuerunt. Sæpe enim apoſtolus in vincula & carcerem conjectus fuit. Hinc 2 Cor. 11. 23 dicit, ſe in carceribus *fuiſſe* abundantius. *Inſignes in apoſtolis*, id eſt, inter apoſtolos noti, quorum nomen ac fama inter apoſtolos viget.

Verſ. 16. *Salutate vos invicem in oſculo ſancto.* Referendum hoc eſt ad illorum temporum morem. Sanctum oſculum vocat, ut a profano diſcernat, quod non carnalis alicujus, ſed ſancti & Chriſtiani amoris indicium eſt.

Verſ. 17. *Hortor* vel *obſecro autem vos fratres.* Ultimo adhuc valde utile & neceſſarium monitum adjicit, quod eſt, σκοπεῖν eos qui diſſenſiones & ſcandala faciant.

ciant. Σκοπῶν ſignificat diligentem & attentam obſervationem, veluti cum hoſtes ex ſpecula obſervamus. Facile enim ejuſmodi diſſenſiones irrepunt, præſertim ſi ſenſim & pedetentim, ſi clam inferantur. Tradit autem regulam apoſtolus per quam iſti homines dignoſci queant. Regula eſt doctrina quam didicerunt, id eſt doctrina apoſtolica. Vult ergo apoſtolus, ut diligentiſſime obſervent, ſi quid a quoquam afferatur quod ab hac doctrina abludat. Quod ſi quiſpiam tale quid affert, quod ab hac doctrina diverſum abit, διχοστασίας & ſcandala facit, autor eſt diſſidiorum, & quæ diſſidia conſequi ſolent, ſcandalorum. Ipſa enim διχοστασία eſt ſcandalum : eſt enim opus carnis. Sed præter hoc ſcandalum, quod in ipſa διχοστασίᾳ conſiſtit, ſunt alia quæ ſequuntur multa, inimicitiæ, odia, perpetuæ lites ac contentiones, mutuæ damnationes : unde fit, ut multi qui jam nomen Chriſto dederant, vel alieniores fiant a Chriſtiana religione, vel eam penitus deſerant ; illi vero qui nondum ad Chriſtum acceſſerunt, prorſus alienentur, & Chriſtianos ſubſannent, quod ipſi diſſenſionibus inter ſe & odiis agitentnr. Quanquam hoc loco nihil prohibet, quo minus etiam alia ſcandala præter ea quæ in ipſis diſſenſionibus conſiſtunt, aut ex iis oriuntur, intelligantur.

*Et declinate ab illis.* Non ſatis eſt eos agnoviſſe, eorunque machinationes detexiſſe ; ſed inſuper neceſſe eſt ut ab iis declines, id eſt, recedas, nullum cum illis commercium habens ac ſocietatem ; non ſolum doctrinam, ſed ipſos etiam doctores fugias ac vites.

Verſ. 18. *Iſti enim tales.* Nempe qui diverſa ab ea doctrina quam didiciſtis tradunt ac diſſenſiones excitant, ac ſcandala ponunt.

*Domino noſtro Jeſu Chriſto non ſerviunt :* non Chriſti negotium agunt, ſed ſuum ; non Chriſti commodum ſpectant, ſed ſuum.

*Sed ſuo ventri.* Idem de iſtis falſis doctoribus ſcribit ad Philip. 3. 18, 19. Ejuſmodi doctrinas proponentes hominibus non Chriſto placere ſtudent, & nihil aliud quærunt quam lucrum, quam ut ventrem ſuum ſaginent.

Et *per χρηστολογίαν & εὐλογίαν decipiunt corda τῶν ἀκάκων.* Χρηστὸς ſignificat inter alia comem, blandum, affabilem. Χρηστολογία ergo erit comitas quædam & ſuavitas ſermonis, ſeu blandiloquentia, qua ſeſe quiſpiam in animum alterius inſinuat. Εὐλογία hoc loco idem videtur eſſe quod χρηστολογία. Τὸ εὐλογεῖν Græcis declarat τὸ ἐπαινεῖν. Unde εὐλογία dicitur oratio ad prædicandas alicujus laudes accommodata ; cujuſmodi eſſe ſolet præcipue aſſentatorum ; quales proculdubio erant iſti falſi doctores. Theologis εὐλογία fauſtam precationem ſignificat, quæ ſignificatio huic loco etiam aliena non eſt. Solent enim iſti falſi doctores fauſtis precationibus, & religioſis quibuſdam dicteriis neſcio quam pietatis ac religionis ſpeciem præ ſe ferre. Τῶν ἀκάκων, hominum non malorum, non perverſorum ; qui boni Chriſtiani fuiſſent, niſi in impoſtores iſtos incidiſſent, quorum doctrinam non malitia quadam & perverſitate, ſed errore amplexi ſunt.

Verſ. 19. *Obedientia enim veſtra in omnes dimanavit.* Hic cauſam affert apoſtolus, cur ſummam diligentiam in obſervandis iſtis hominibus adhibere debeant, operamque dare, ne ab iis ſeducantur : quia, inquit, obedientia veſtra in omnes dimanavit, iſta eſt ubique nota, ubique celebratur ac prædicatur. Per hanc obedientiam non videtur ſimpliciter intelligere obedientiam euangelio præſtitam, id eſt, quod euangelium receperint ; ſed quod prono quodam & facili animo illud receperint & admiſerint, quod ſeſe doctrinæ euangelicæ non præbuerint difficiles ; unde appareat, eos habere animum ſequacem, & qui facile flecti queat ; quod ipſorum animus magnam impoſtoribus iſtis occaſionem daturus erat, ut ſua dogmata apud homines tam faciles ac ſequaces proponerent. Ideo Romanos præmunit, & eorum animos veluti præoccupare ſtudet apoſtolus.

*Gaudeo igitur quod ad vos.* Ne videretur animum hunc morigerum reprehendere, addit hæc verba, quibus oſtendit ſe gaudere quod tales eſſent, quodque euangelicam doctrinam tam pronis animis recepiſſent. Sed addit : *quod ad vos*, nempe attinet. Quibus verbis hoc gaudium ſuum limitat, ac ſi diceret : id quidem per ſe mihi gratum eſt, & magno me afficit gaudio.

*Volo autem vos ſapientes quidem eſſe in bonum.* Δὲ poſitum videtur pro ἀλλὰ. His enim verbis hanc eorum facilitatem temperat ; & prudentia quadam vult regi, ne facile in errores abducantur & decipiantur. quaſi dicat, Etiamſi gaudeam & vobis gratuler, quod animo tam facili & morigero ſitis : tamen volo, ut ex altera parte ſapientes etiam ſitis. Per ſapientiam hoc loco prudentiam intelligit. Addit autem, *in bonum*, ne prudentia in aſtutiam degeneret, ne modum in prudentia iſta excedant. Hæc prudentia eo debet tendere, ut bono perpetuo adhæreatis illudque ſequamini.

*Simplices autem in malum.* Ἀκέραιοι, impermixti nulla præditi aſtutia. Qui enim aſtutus eſt, duplex quodammodo eſſe videtur, imo multiplex. Simplex in malum eſt qui quodammodo neſcit malum ſequi, neſcit male agere, ſeu ita ſe comparat ac gerit, ac ſi neſciret male agere. Hoc eſt quod alibi dicit τῇ κακίᾳ νηπιάζετε, ταῖς δὲ φρεσὶ τελείους γίνεσθε. 1 Cor. XIV. 20.

Verſ. 20. *Deus pacis.* Opponit pacem τῇς διχοστασίας verſ. 17. *Conteret Satanam*, nempe in miniſtris ejus qui erroneas doctrinas, ac proinde multas lites ac diſſenſiones ſerunt. Videtur autem alludere apoſtolus ad locum Geneſ. III. 15, in quo de conterendo ſerpente agitur. Satanas enim ſæpe per ſerpentem ſignificatur, propterea quod & animum & artes nocendi habeat. *Sub pedes veſtros.* Videtur verbum συντρίψει poſitum eſſe pro ſubjiciet ut conteratur, per metonymiam effecti : vel ὑπὸ τοὺς πόδας reddendum cum vulgata, ſub pedibus veſtris ; quemadmodum ſane fert loquendi ratio. Significatur igitur Deum quidem contriturum hunc ſerpentem, ſed ſub pedibus noſtris, adeoque per pedes noſtros, ſeu non ſine nobis, noſtra etiam opera ac ſtudio accedente.

Verſ. 25. *Illi vero qui poteſt vos confirmare.* Epilogi hujus epiſtolæ clauſula, tacitum votum & apertam δοξολογίαν continens. Votum tacite continetur in deſcriptione Dei : *qui poteſt confirmare vos.* Voluntatem tacite præſupponit : id enim in voce δυνατὸς aut δυνάμενος, cum de Deo uſurpatur, & ad rem aliquam nobis utilem & ſalutarem refertur, accidit, ut alibi vidimus.

Secun-

*Secundum euangelium meum.* Id eſt, ratione ſeu reſpectu euangelii mei, vel quod attinet ad euangelium meum. *Et prædicationem Jeſu Chriſti.* Quia dixerat, meum euangelium, propterea ut id quodammodo limitet, alia appellatione eandem rem ſeu doctrinam deſignat. Genitivus autem Jeſu Chriſti vel prædicationis iſtius efficientem cauſam, vel objectum ſignificare poteſt. *Et revelationem myſterii.* Alio adhuc modo eandem doctrinam appellat, quod ſit revelatio myſterii, id eſt, rei abditæ & in Deo latentis.

Propterea indicare volens, quantum myſterium ſit, quod euangelica doctrina reveletur, addit: *temporibus æternis taciti.* Per tempora æterna intelligit ea tempora quæ ab orbe condito fluxerunt, ſeu ut in Epiſtola ad Epheſ. loquitur, ἐπέρχεις γενεὰς. Αἰὼν enim, pro quo Hebræi Holam dicunt, non ſemper declarat tempus prorſus æternum, ſive initio vel fine carens; ſed ſpectandum eſt, quibus rebus accommodetur, & ex earum natura ac conditione intelligendum. Per myſterium autem iſtud intelligi debet decretum illud divinum de hominibus, iiſque promiſcue omnibus, ſine ullo gentium ac populorum diſcrimine, ad æternam vitam ac cæleſtem gloriam vocandis, qua de re vide Eph. 2.

Verſ. 26. *Manifeſtati autem nunc.* Olim quidem taciti, nunc autem, per euangelium nimirum, manifeſtati & in apertum producti,

*Perque Scripturas Propheticas in omnes gentes ſignificati,* ſeu notificati. Quaſi diceret apoſtolus: non tantum per euangelicam doctrinam, quæ nova prorſus eſt & antehac inaudita, ſed etiam per ſcripta prophetica, quibus hoc myſterium incluſum quodammodo & obſcure ſignificatum fuit. Scripta Prophetica ſumimus in ſubſidium doctrinæ noſtræ, ut appareat, id quod nos docemus multo ante a Deo proviſum ac ſignificatum fuiſſe. Solebant enim apoſtoli prophetarum ſcripta citare, eorumque teſtimonia ad ſuam doctrinam accommodare; quod etiam in hac epiſtola ſæpe ab apoſtolo factum eſt: imo doctrina euangelica, præſertim quatenus de felicitaee noſtra agit, nihil aliud eſt quam verus & germanus ac genuinus ſcripturarum ac promiſſionum propheticarum ſenſus. Quocirca jure dicit Paulus, myſterium hoc per ſcripta prophetica fuiſſe in omnes evulgatum.

*Secundum ordinationem* vel juſſum *æterni Dei.* Oſtendit, unde factum fuerit, ut tantum arcanum æterno ſilentio ac nocte tectum, & per involucra verborum in ſcriptis propheticis adumbratum, evulgaretur; nempe ita volente ac jubente æterno Deo: quem propterea æternum vocat, ut oſtendat, non mirum eſſe myſterium hoc æternis temporibus tacitum fuiſſe & ſic ab æternis temporibus jam extitiſſe a ſe affirmari, quandoquidem ipſe Deus in quo hoc myſterium latuit, æternus eſt. *In obedientiam fidei.* Finem declarat revelati iſtius myſterii, quod eſt, ut homines doctrinæ de fide in Dominum Jeſum obediant.

Verſ. 27. *Soli ſapienti Deo.* Referuntur hæc verba ad ſuperiora, τῷ δυναμένῳ. Qui ſapiens vocatur, & quidem ſolus, quia omnium rerum etiam abſtruſiſſimarum cognitionem habet, & quicquid eſt ſapientiæ ac cognitionis id ab ipſo eſt. Quare nec cognitio iſtius myſterii, de quo ſermo eſt, aliunde quam ab ipſo proficiſci potuit, quia nemo novit ejus decreta ac conſilia, niſi qui eorum cognitione ab ipſo donatus fuerit. Deus omnium conſilia & cogitationes nullo patefaciente novit: ſed in divina arcana nemo, niſi admittatur a Deo irrumpit.

*Per Jeſum Chriſtum.* Chriſtus enim eſt per quem omnia in nos a Deo proficiſcuntur, & per quem viciſſim omnia a nobis ac proinde etiam honor ac gloria in Deum. Per Chriſtum enim Deus laudatur ac celebratur, & ei gloria tribuitur, cum ab iis tribuitur, qui Chriſtum pro ſuo Domino & cœleſti rege agnoſcunt, qui in eo fidem ac ſpem collocant (præſertim ſi pro ejuſmodi bonis Deo agant gratias, quæ non niſi per Chriſtum in ſe collata agnoſcunt; qualia ſunt ea ad quæ hoc loco tacite reſpicitur) & nomen ejus invocare non erubeſcunt.

*Cui gloria in ſecula. Amen.* Pronomen relativum ᾧ cui, vel redundat per Hebraiſmum, cum videlicet expreſſo antecedente relativum πλειονάζει ut Epheſ. 1. 21 redundat pronomen αὐτῷ. Sic 1 Pet. 2. 24. Apoc. 2. 13 redundat relativum ὅς: vel de induſtria ab apoſtolo appoſitum fuit, ut ad Chriſtum ſimul δοξολογία referri poſſit.

# PARAPHRASIS

## *Epiſtolæ D. Pauli Apoſtoli*

## *AD*

# ROMANOS.

### CAPUT I.

Verſ. 1. PAulus ex Moſis diſcipulo ſervus Jeſu Chriſti, ad legationis divinæ munus vocatus, & peculiaritur ſelectus ad prędicandum euangelium, ſeu beatiſſimum illum nuncium a Deo profectum:

Verſ. 2. Quem jam olim per Prpohetas, ut in ſacris literis habetur, ſeſe patefacturum promiſerat.

Verſ. 3. Is vero agit de Dei filio, qui natus quidem ex progenie Davidis, ſi humanum ipſius carnalemque ortum ſpectes: ſed, ſi ſublimiori eum conſideres modo, conſtitutus eſt Dei ſummi filius potentiſſimus, vi Spiritus divini, quo fuit ſanctificatus atque a cæteris creaturis ſegregatus, interveniente ipſius e mortuis reſurrectione vel cum e mortuis reſurrexiſſet.

Verſ. 4. Is vero nullus eſt alius, quam Jeſus Chriſtus, Dominus ille noſter cœleſtis;

Verſ. 5. Per quem tanta mihi exhibita eſt gratia, ut legatus fuerim ab ipſo conſtitutus, cujus opera interveniente per omnes gentes extraneas, atque a Iudaico populo ſegregatas, obedientia præſtaretur doctrinæ, quæ fidem prædicat, non quidem in meam, ſed ipſius, qui mihi hoc legationis munus demandavit, gloriam.

Verſ. 6. In iſtarum autem gentium numero vos quoque eſtis, qui ad communionem Jeſu Chriſti eſtis vocati ad eumque adſciti.

Verſ. 7. Ego, inquam Paulus omnibus, qui Romæ eſtis, a Deo ſingulari ratione dilectis, & ad ſanctitatem vocatis [vel qui eſtis a Deo exciti, atque a profano hominum vulgo per veritatis cognitionem ſegregati] precor gratiam ac favorem Dei, qui Patrem ſe noſtrum conſtituit; itemque favorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, atque inde manantem gratiam ſolidamque felicitatem [vel animorum ac conſcientiarum tranquillitatem.]

Verſ. 8. Principio gratias ago Deo, quem veneror, quemque viciſſim propitium expertus ſum, idque non amplius ut Moſis diſcipulus, ſed ut diſcipulus aut ſervus Jeſu Chriſti [vel, idque ita, ut Jeſum Chriſtum gratiarum actione celebrem, quæ in Dei laudem redundet [vel denique ea conſiderans quæ per Jeſum Chriſtum fiunt, aut facta ſunt] pro beneficio in vos omnes collato vel veſtro omnium nomine, quo nimirum effectum eſt, ut fidem attribueritis euangelio, quod nunc paſſim in orbe prædicatur.

Verſ. 9. Neque eſt, quod quis dubitet vera me dicere. Novit enim hoc is, quem teſtem dictorum meorum invoco, Deus, cui toto animo ſervio in euangelio filii ejus annunciando, eaque ratione favorem ejus ambio: ne quis putet, me temere in re falſa audere ipſum invocare teſtem.

Verſ. 10. Novit, inquam, is, quod ſubinde veſtri mentionem faciam, cum preces ad ipſum fundo, eumque perpetuo oro, ut tandem aliquando, quia id hactenus factum non fuit, proſperum mihi ex benigna ipſius voluntate contingat iter atque oportunitas ad vos veniendi.

Vehementer enim vos videre cupio: non ut alquid a vobis lucri aut quæſtus referam; ſed potius ut ego vobis impertiam donum aliquod ſpirituale, ad vos in fide comfirmandos ſpectans.

Verſ. 12. Unde is manabit fructus, ut utrique gaudium ac lætitiam, cum apud vos fuero, capiamus, ex fide euangelio conſtanter adhibita; quam ego in vobis, vos in me cernetis.

Verſ. 13. Quod vero antea dixi, me precari, ut tandem aliquando mihi contingat oportunitas ad vos veniendi, ea de cauſa commemoravi, Fratres chariſſimi, quia nolim vos ignorare, me ſæpe ſtatuiſſe ad vos proficiſci: ſed ad hoc uſque tempus fuiſſe impeditum, ne hoc conſilium meum exequerer. Ideo autem ad vos ſtatui proficiſci, ut inter vos quoque Romanos fructum aliquem perciperem laborum meorum, Chriſto quamplurimos lucrifaciendo: quemadmodum hactenus facio inter cæteras gentes.

Verſ. 14. Ego enim prædicandi euangelii operam, tum Græcis, tum barbaris, hoc eſt, tum ingenio excultis, quales vos quoque eſtis, tum incultis atque imperitis debeo.

Verſ. 15. Itaque quantum ad me attinet, promptus paratuſque ſum, vobis etiam Romæ euangelium annunciare.

Verſ. 16. Neque enim, quod quis forte cogitare poſſet, prædicationis euangelicæ me pudet, ita ut in tantam hominum lucem & urbis veſtræ ſplendorem eam proferre non audeam: cum in ea ſumma Dei potentia ſtupendis miraculis ſeſe exerat; eum in finem, ut ſalutem adipiſcantur cujuſcunque generis homines, non tantum Judæi, (quanquam iis primo eſt deſtinata) ſed etiam extraneæ gentes, quas Græcorum nomine complecti ſolemus; non quidem ſi per totam vitam ſanctiſſime atque innocentiſſime vixerint, ſed ſi fiduciam in Deo collocarint.

Verſ. 17. Etenim in euangelio promulgatur juſtificatio

catio seu immunitas a divinis suppliciis, fiducia tantum illa, quam diximus, non vero operum meritis, a Deo obtinenda, quam salus æterna ex decreto ipsius consequitur: promulgatur autem ideo, ut fidem illam homines amplectantur, seu spem suam in Deo collocantes, ipsi in posterum obtemperent, eoque pacto coram ipso justificati atque a peccatorum suorum pœnis liberati serventur. Talem rationem justificationem adpiscendi jam olim Habacuc Propheta indicavit, dum scripsit: justum hominem non alia ratione, quam fide sua, vitam adepturum, atque a Deo servatum iri [vel eum demum, qui ob fidem suam a Deo pro justo fuerit reputatus, vitam salutemque eam ob causam adepturum.]

Vers. 18. Quanquam non eam tantum ob causam prædicationis euangelii me non pudet, quod tantum credentibus afferat fructum, verum etiam ideo quia cœlitus plane ac manifestissime apparet Dei ira ac supplicia, quibus vindicat impietatem ac cætera peccatorum genera eorum hominum, qui salutarem hanc enangelii veritatem improbitate sua detinent, & quo magis vel in ipsis vim suam exerere, vel ad cæteros homines propagari queat, impediunt.

[Vel, ideo autem Deus tam facilem ac benignam adipiscendæ justificationis rationem in euangelio patefecit, nec operum nostrorum, ac perfectæ pietatis merita requisivit, quia ea nullum habere locum inde patet, quod manifestissime atque ex ipso cœlo apparet pœna, qua Deus hactenus vindicavit pertinacem hominum in se impietatem, aliaque peccata; idque (ne quis forte ex ignorantia excusabili ea profecta putet) propterea, quod notitiam, quam de rebus divinis, atque ad vitæ pietatem spectantibus habent, impietate sua, intus veluti luctante, premunt, ne vim suam in ipsis exerere queat.]

Vers. 19. Summo autem jure id facit Deus; quandoquidem (a) quicquid de ipso cognosci potest homini salutare, id adeo inter eos manifestum est, ut ab omnibus cognosci queat: quandoquidem Deus ipse id illis per Christum, nosque legatos illius revelavit.

[Vel, Etenim ut de religione primum dicam; quicquid de Deo cognoscere humano ingenio fas est, id inter eos est manifestum, omnibusque obvium, cum Deus ipse id illis ante oculos posuerit, eaque ratione patefecerit.]

Vers. 20. Nam ea, quæ in Deo a condito mundo huc usque latuerant, hominibusque fuerant inconspicua atque incognita, ea dum ex stupendis operibus, per Christum & nos ad confirmandum euangelium editis, æstimantur ac pervestigantur, conspicua fiunt, nempe æterna ipsius potentia, quam in nobis immortalitate donandis exerturus est; & divinitas imperiumque sublime quod præceptis, quibus vitam omnium regat, præscribendis ostendit, ita ut contemtores euangelii excusationem habeant nullam.

[Vel sic. Nam licet ea, quæ de Deo cognoscenda sunt, ad cultum illi præstandum necessaria per se sint invisibilia, & hominum oculis non conspicua, nempe æterna ipsius potentia, & supremum in omnia imperium ac benefica, qua rebus omnibus prospicit, providentia; quæ duo divinitatis nomine complectimur: tamen ea, jam ab ipso orbe condito ex operibus ab eo productis intellecta, considerataque, oculis mentis pervidentur ac conspiciuntur, adeo ut homines nullam inpietatis suæ excusationem habeant.]

Vers. 21. Nam cum Deum, quemadmodum diximus, cognovissent, vel saltem cognoscendi amplam haberent occasionem: tamen non eum illi exhibuerunt cultum, aut gratias egerunt, supremo rerum Domino bonorumque omnium authore dignas, sed vanis stultisque cogitationibus sunt immersi, & caligine quadam ignorantiæ involutus est animus eorum insipiens.

Vers. 22. Cumque se profiterentur esse sapientes, stulti evaserunt.

Vers. 23. Etenim gloriam ac majestatem Dei, qui incorruptibilis est, atque a vilitate rerum terrenarum longissime dijunctus, commutarunt cum imaginibus efformatis ad similitudinem hominum corruptioni obnoxiorum; nec hominum tantum, sed, quod multo est indignius, volucrum etiam & quadrupedum, ac denique, quo nihil potest fingi stultius, reptilium, bestiarum nimirum vilissimarum.

Vers. 24. Quia igitur illi tanta Deum contumelia affecerunt, Deus illos vicissim permisit animorum suorum cupiditatibus; ut impurissimis atque a natura abhorrentibus libidinibus immersi, corpora sua inter se mutuo afficerent contumelia:

Vers. 25. Illos, inquam, hac affecit pœna, qui verum Dei gloriam commutaverunt cum falsa & mendaci ejus imagine, & religiose venerati sunt res creatas, iisque per varia opera cultum exhibuerunt divinum, præterito creatore, cui tamen gloria omnis in omnem ævorum perennitatem debetur: quo nihil dici potest verius.

Vers. 26. Propterea, inquam, quia in Deum homines adeo fuerunt impii ac contumelioſi, Deus, ut eos vicissim contumelia afficeret, permisit eos fœdis turpibusque affectibus, atque inde natis impuris voluptatibus: Nam tum fœminæ illorum sexus sui oblitæ, naturalem corporis sui usum mutaverunt in eum, qui præter naturam est:

Vers. 27. Tum vero mares similiter, relicto naturali fœminarum usu ac consuetudine, libidinosa voluptate in sese mutuo exarserunt, adeo ut mares cum maribus turpissimam libidinem patrarent, atque ita dignam impii sui erroris ac dementiæ suæ præmium in ipsis corporibus suis reportarent.

Vers. 28. Et [Nam] quemadmodum illis cordi non fuit Deum cognoscere, cognitumque animo tenere: ita vicissim eos Deus menti permisit perversæ, omnis sani de honesto judicii experti, ut facerent ea, quæ ab honestate prorsus abhorrerent.

Vers. 29. Cooperti (cum essent cooperti) omnis generis injustitia, seu eo peccatorum genere, quod ab impietate supra distinximus; animi nimirum malitia seu nocendi cupiditate; scortatione; improbitate, quæ molestias aliis exhibet, ac injurias re ipsa infert; avaritia; contaminati undique invidia, cæde, contentione, dolo; malignitate, seu omnia in deterius rapiendi libidine;

Vers. 30. Susurrones ac clandestini delatores obtrectatores seu calumniatores aperti, Dei religionisque omnis osores, contumelioſi in alios, superbi, ac fastum suum aperte præ se ferentes, jactabundi ac glorioſi, inventores novorum scelerum, parentibus immorigeri;

Vers. 31. Desipientes ac judicio in actionibus sano haud utentes, fœdifragi, charitatis naturalis, & in consanguineos affectus, quem sponte sua exuerunt, expertes, implacabiles, immisericordes ac crudeles:

Vers. 32. Qui etiamsi jus illud a Deo sancitum cognoverint, nimirum quod ii, qui hujusmodi peccata designant, digni sunt mortis supplicio, tamen tantum abest, ut ab

(a) *Notitia Dei qua Deus est, illis est obvia.*

ut ab iis abſtineant, ut ea non ſolum ipſimet parent (id quod nonnunquam violentiæ affectuum, licet haudquaquam excuſabili, eſt tribuendum) ſed etiam (quod animi eſt prorſus improbi ac depravatæ mentis indicium) cum alii ea perpetrant, licet ipſorum nil intereſſe videatur, tamen factis tam improbis delectantur.

## CAP. II.

Verſ. 1. QUapropter cum hujuſmodi ſit hominum vita, nihil habes, quo te excuſes, tu quiſquis es hominum, qui alium damnas. Nam eo ipſo, dum alios damnas, teipſum condemnas: quandoquidem eadem perpetras, iiſque conſimilia, quæ in aliis damnas.

verſ. 2. Exploratum autem nobis eſt, Deum certiſſime damnaturum puniturumque eos, qui hujuſmodi flagitia perpetrant: ut ut hominibus impiis ſecus videatur, & ludibrio a pleriſque habeatur.

verſ. 3. Cenſeſne enim tu, quiſquis es hominum, qui alios damnas peccata ejuſmodi perpetrantes, & nihilominus eadem admittis, fore, ut effugias divinum ſupplicium?

verſ. 4. Num forte ideo tibi impunitatem polliceris, quia te Deus hactenus ſeveritate ſupplicii non perſequitur? atque adeo Deum ob effuſam ejus in te benignitatem ac patientiam qua te graviſſime in ſe peccantem hactenus tolerat, & lenitatem, ob quam tam diu ſupplicium differt, deſpicatui habes? nec conſideras hanc Dei erga te benignitatem ad reſipiſcentiam ac vitæ emendationem te invitare ac ducere?

verſ. 5. Cum tu interea, pro duritie ac contumacia animi tui reſipiſcere nolentis, Dei iram ac ſupplicium theſauri inſtar indies colligas ac reponas in tempus ſupplicio divino deſtinatum. [Vel, quod aliquando univerſum recipias ac ſentias, ubi tempus advenerit iræ Dei effundendæ deſtinatum:] quo non occulte tantum, ut nunc, ſed manifeſte exercebitur juſtiſſimum ac maxime ſolenne ipſius Dei judicium.

verſ. 6. Qui non huic tantum aut illi, ut nunc fere ſolet fieri; ſed unicuiquæ hominum pro factis dignam perſolvet mercedem.

verſ. 7. Ita nimirum ut illis, qui in recte factis conſtanter perſeverando ad honorem & gloriam cæleſtem vitamque immortalem adſpirant, vitam largiatur æternam;

verſ. 8. Illis vero qui contentioſi ſunt, & veritati divinæ pietatis officia præſcribenti non obtemperant, contra vero injuſtitiæ ac peccato ſe mancipant, graviſſime iraſcatur, & ſevere in eos animadvertat.

verſ. 9. Itaque afflictio & ſumma animi anguſtia ex ſupplicii magnitudine nata, imminet cuivis homini, qui mala patrat: ſive Judæus ſit, cui quidem primum ac potiſſimum id eſt metuendum, cum Dei voluntatem melius habuerit cognitam; & pluribus beneficiis ab eo fuerit affectus; ſive Ethnicus.

verſ. 10. Contra etiam gloria, ac honor, & felicitas cæleſtis vereque divina continget cuivis, qui recte agit, pietatemque vitæ conſtanter ſequitur, ſive Judæus ſit (cui quidem primo præmium hoc deſtinatum eſt) ſive Ethnicus.

verſ. 11. Neque enim diſcrimen hoc populorum, quod alius Judæus ſit, alius vero Ethnicus, & quæ inde pendent alia, tanti ſunt apud Deum momenti, ut vel impium pœnis eximant, vel pio adimant recte factorum præmium, adeoque efficiant, ut aliter in judicio divino tractetur Judæus, aliter Ethnicus, licet factorum ratione inter ſe ſint pares. Deus enim iſtiuſmodi perſonarum diſcrimen, & conditiones ad cauſæ, quæ cognoſcenda eſt, meritum nil pertinentes, non reſpicit; ſed pro factorum ipſorum ratione fert ſententiam.

verſ. 12. Nam ut de pœnis, quæ certius, quam præmia omnibus ſunt expectanda, aliquid dicam, ita æquabuntur alii aliis, ut, licet diverſa ratione peccarint, idem tamen illos reipſa maneat ſupplicium: ſiquidem illi, qui cum legem Moſaicam expreſſe ſibi latam non haberent, cujuſmodi ſunt Ethnici omnes, peccarunt, & ſcelera ſuppliciis digna admiſerunt, peribunt etiam, nulla habita ratione legis Moſaicæ, contra vero Judæi, qui, cum haberent legem illam ſibi expreſſe latam, contra eam peccarunt, ejus legis vi damnabuntur.

verſ. 13. Neque enim eos quicquam juvabit, quod auditores legis fuerint, eamque habuerint cognitam: neque enim ii, qui legem audiverint tantum ac cognitam habuerint, juſti a Deo pronunciabuntur, ac tanquam innocentes tractabuntur, ſed ii demum, qui legem opere fuerint executi.

verſ. 14. Quod vero attinet ad Ethnicos, ideo diximus eos, ſi peccaverint perituros, quia etiamſi non naſcantur ſub lege, eique a primo ſtatim ortu ſint obſtricti, ut Judæi, tamen cum videamus eos euangelium edoctos ea ſervare, quæ lex præſcribit, licet legem Moſaicam expreſſe ſibi latam non habeant, ſibi ipſis tamen legis vicem præſtant:

[Vel ſic. Quod vero attinet ad Ethnicos, ideo diximus eos ſi peccaverint perituros, quia etiamſi legem Moſaicam ſibi latam, ut Judæi, non habeant, videmus tamen eos naturæ inſtinctu, licet cæteroquin valde ſint corrupti, ad ea facienda adduci, quæ legi ſunt conſentanea: adeoque licet, ut diximus, legem expreſſam non habeant, ſibi ipſis legis inſtar eſſe, ex qua merito judicari, cum eam tranſgrediuntur, queant.]

verſ. 15. Quandoquidem oſtendunt opera ea lege præſcripta, quæ quidem ad virtutem ac pietatem vere ſpectant, eſſe vi euangelii animis illorum inſcripta atque impreſſa.

[Vel, quandoquidem ſatis oſtendunt, rem ipſam in lege præſcriptam, ut ut literas ac ſyllabas ejus non teneant, naturaliter animis ſuis inſculptam, ut ignorare ea, quæ facere deceat, non poſſint. Cujus rei non tantum facta ipſorum; ſed etiam conſcientia ac judicium, quod facta illa ſequitur, apertum præbet teſtimonium; ac tacitæ ipſorum cogitationes, quæ cum prave quid admiſerunt, ipſos accuſant, aut etiam cum quid forte fecerint recte, defendunt ac factum approbant.

verſ. 16. Id autem, quod hactenus diximus de perſolvenda tum Judæis tum gentibus factorum mercede,

[Vel: Id autem quod hactenus diximus de perdendis ac damnandis tum Judæis, tum gentibus, qui peccaverint, eo fiet tempore, cum Deus, non, ut homines ſolent, ea tantum, quæ aperta ſunt, atque in oculos incurrunt; ſed etiam occulta hominum facta ac cogitata in judicium vocabit, ac ſententiam

tiam de iis ferat, eamque reipſa exequetur: non quidem per ſeipſum; ſed, quemadmodum ex doctrina euangelii conſtat, quam ego prædico, per Jeſum Chriſtum delegatum ac conſtitutum a ſe judicem.

verſ. 17. Verum enimvero quia Judæi inprimis miro quodam faſtu turgent, & inſolens illis videbitur, me ipſos, cum impiis gentibus conferre, atque in pœna, a Deo hominibus aliquando infligenda conjungere, libet id nunc paulo fuſius oſtendere, & ut faſtum hunc illis demamus, utque ſe ſupplicio divino obnoxios eſſe videant ipſi, ita eos alloqui: Ecce vos gaudetis cognomine Judæorum, quaſi confeſſores ac prædicatores divini nominis diceres;

[Vel ſic: Ecce vos gaudetis cognomine Judæorum quo a profanis gentibus diſcernimini, quodque ejus tantum populi habetur, qui Deo ſit conſecratus & cum eo fœdus pepigit; & legem divinitus latam complectimini, in eaque penitus vos acquieſcere profitemini; quin etiam gloriamini, Deum eſſe veſtrum, vobis ſolis favere, vobis cum illo amicitiam ac fœdus eſſe, ad reliquas gentes non pertinere.]

verſ. 18. Præterea noſtis illius voluntatem, atque adeo etiam ea, quæ ab ea diſcrepant [vel, quæ factu ſunt utiliora, atque apud ipſum Deum eximia approbatis] exploratis ac diſcernitis, vitandaque ſtatuitis: quandoquidem ea vos lex Moſaica edocuit, atque hac ſcientia inſtruxit:

verſ. 19. Unde fit, ut etiam hoc vobis aſſumatis, eſſe vos duces cæcorum, ac lumen præferre poſſe illis, qui in tenebris divinæque voluntatis ignorantia verſantur;

verſ. 20. Hoc eſt, vos eſſe Magiſtros eorum, qui ſapientia, ſeu rerum divinarum atque ad religionem pertinentium ſcientia carent, ac doctores ſtultorum, qui quid faciendum ſit, quid fugiendum, ignorant. Propterea, inquam, id vobis arrogatis, quod ſcientiam habeatis veritatis ſeu cognitionis de rebus divinis in lege Moſaica delineatam atque expreſſam. [Vel propterea, quod impreſſam habeatis in animo formam quandam atque exemplar, ſeu mavis corpus ſcientiæ divinarum rerum ope legis Moſaicæ.]

verſ. 21. Præclara ſunt quidem iſta, ſed ejuſmodi, quæ vos magis accuſent, & omnem excuſationem peccatorum vobis adimant. Etenim cum vos alios doceatis divinam voluntatem, cur vos ipſos potius non docetis, ut eandem opere exequamini? Cur, cum doceatis alios, non eſſe furandum, ipſi nihilominus furamini?

verſ. 22. Aut cum aſſeratis, non eſſe committendum adulterium, ipſi tamen adulteria committitis, atque adeo contra quam docetis eſſe faciendum, facitis, voſque doctores culpa redarguit? Cur, cum abominemini idola eorumque cultum, interea tamen aliud ejuſdem generis ſcelus, ad Dei injuriam ſpectans, committere ſoletis, nimirum ſacrilegium, ea avare rapiendo aut retinendo, quæ Deo ſunt conſecrata, aut conſecranda?

verſ. 23. Cur, cum de lege divinitus vobis tradita gloriemini, iidem tamen, tranſgrediendo legem, Deum, legis illius autorem, contumelia afficitis, atque adeo unde vobis gloriam aucupamini, hoc illi vertitis in probrum, cujus benignitate ea fuiſtis ornati?

verſ. 24. Etenim recte huc accommodari queunt illa, quæ apud Prophetam de veſtris majoribus leguntur, atque ad vos tranſferri, quod propter vos veſtraque ſcelera fiat, ut divinum nomen peſſime audiat, ac blaſphemetur inter gentes extraneas; quæ ex veſtris moribus Deum ipſum, cujus populus eſtis, æſtimant.

verſ. 25. Verum, quid hic dicturi ſitis, animadverto, nimirum vos circumciſos eſſe, notamque hanc ac ſignum fœderis cum Deo circumferre; hanc non permittere, ut Deus vos eodem modo plectat, quo gentes, homines ſcilicet præputiatos ac ſigno illo fœderis cum Deo iniri carentes. Atqui animadvertere debebatis, circumciſionem nihil prodeſſe, niſi legem ſervaveritis. At ſi legis fueritis tranſgreſſores, circumciſio veſtra eo loco habebitur, quo præputium, ac nil magis quam hoc vobis proderit.

verſ. 26. Unde ex eo ipſo etiam facile eſt colligere, quid de præputio ſit ſtatuendum. Pone ergo hominem præputiatum ſeu non circumciſum, qui tamen legis præcepta & jura in eo comprehenſa obſervet, facile animadvertere poteris, ipſius præputium eodem loco a Deo habitum iri, quo circumciſio, nec quicquam illi obfuturum, quo minus idem cum circumciſis pietatis præmium referat.

verſ. 27. Imo ſi quis præputio illo naturali atque externo adhuc præditus legem divinam, ſeu ea, quæ in illa ſunt præſcripta præſtiterit, is exemplo hoc ſuo ſuaque pietate vos, qui cum literali illa atque externa circumciſione eſtis præditi, [vel qui cum legem literis comprehenſam habetis, & corpore ſitis circumciſi] legem divinam nihilominus tranſgredimini, condemnabit, & omnem vobis peccatorum veſtrorum atque impietatis excuſationem adimet, voſque ſupplicio digniſſimos eſſe oſtendet.

verſ. 28. Neque enim is vere Judæus eſt, ſeu Dei cultor, atque ex eorum numero, qui Deo verè ſunt accepti, qui quoad externa tantum atque in ſenſus hominum incurrentia Judæus eſt; neque ea vera eſt circumciſio ac nota ejus qui cum Deo fœdere ac amicitia quadam conjunctus ſit, quæ in corpore exterius appareat, atque oculis ſubjecta eſt:

verſ. 29. Sed ille demum vere eſt Judæus, qui ratione animi, qui oculis hominum non apparet, atque adeo ratione factorum, quæ animus Deo conſecratus ex ſe parit, Judæus eſt Deique cultor: & ea demum vera eſt circumciſio, qua a corde reciduntur cupiditates vitiaque carnalia, quęque adeo ſpiritualis eſt, non literalis atque externa: aut quæ Spiritu Dei, ſeu ſpiritualis doctrinæ vi, non vero lege, quæ exterius tantum facienda præcipit atque oſtendit, ad animum vero non penetrat, perficitur: cujuſmodi Judæus ac circumciſus qui ea eſt præditus, ut ut laude ſua fraudetur apud homines, qui externa fere reſpiciunt, animum hominis aut ignorant, aut negligunt; tamen apud Deum laudem atque approbationem invenit, præ qua laus humana plane pro nihilo reputanda eſt.

## CAP. III.

Verſ. 1. SEd dicet hic aliquis: ſi in obſervatione legis & interna animi circumciſione omnia ſita ſunt, & eodem loco Deus habet Judæum atque Ethnicum, & idem utrique præmium pœnamque decernit, quanam re Judæus præcellit Ethnicum,

aut

áut quid utilitatis affert hæc externa circumciſio?

verſ. 2. Cui hoc reſponſum volo; magnam omnino Judæi præ Ethnico eſſe excellentiam, multumque referre eſſe circumciſum. Nam inter alia, quæ commodiore loco exponemus fuſius, illud primum eſt, quod habent Judæi præ Ethnicis, quod Judæis ſint commiſſa Dei oracula, iiſque ſolis Deus aperte promiſerit Meſſiam ac felicitatem ſingularem per ipſum dandam.

verſ. 3. Nam ſi quis dicat, excellentiam hanc Judæorum præ gentibus nullam eſſe, nullamve id afferre populo illi utilitatem; propterea, quod quidam, atque adeo plerique illorum Deo promittenti promiſſaque ſua in hominem exhibenti fidem non adhibuerint, & ſic fructu promiſſionis illius exciderint, is valde labitur.

verſ. 4. Etenim iſtorum hominum incredulitas haudquaquam efficiet, ut Deus promiſſorum ſuorum fidem non ſervet, eaque non præſtet iis, qui ea fide amplectuntur. Abſit ut hoc de Deo ſuſpicemur, vel ſuſpicari audeamus: imo potius firmiter ſtatuamus, Deum eſſe veracem ac fidem præſtare; quod omnes vero homines, qui fidem ei ſua incredulitate derogant, mendaces ac vanos. In quam ſententiam illud quoque ſcriptum eſt in Pſalmis Davidis, Pſalmo LI. 6. & LXII. 10. & CXVI. 11, fore ut Deus pro juſto ac veraci in iis, quæ pronunciaverit, agnoſcatur, ac vincat ſuperiorque evadat in judicio, cum ejus dicta ſub examen atque in diſceptationem vocantur: ita ut veritas Dei cum ſunt qui ei ſe opponant adhuc evadat illuſtrior.

verſ. 5. Sed hic nobis objectio ſubnaſcitur ejuſmodi. Si noſtra injuſtitia [vel, noſtrum mendacium] atque iniquitas, ea inprimis, quam in cenſendis divinis oraculis ac promiſſionibus oſtendimus, Dei juſtitiam ac fidem illuſtriorem reddit, iniquus videbitur Deus, qui eos punit, per quos juſtitia ejus redditur magis conſpicua.

Quam quidem objectionem non ideo affero, quaſi ea mihi meique ſimilibus in mentem veniat, & nobis difficultatem aliquam faciat: ſed quia ita vulgus hominum argumentari & nobis obſtrepere ſolet, [vel, non meam, ſed vulgo ttitam objectionem hic affero.]

verſ. 6. Verum id, quod objectio illa concludit, haudquaquam ex eo quod poſitum eſt ſequitur, neque ſane ullo pacto eſt admittendum: imo potius ejus contrarium ex eo ipſo quod in objectione ponitur, non obſcure poteſt colligi. Etenim ſi Deus injuſte ea in re ageret, dum punit eos ex quorum impietate ipſius juſtitia redditur illuſtrior, quomodo is Judex eſſe poſſit univerſi orbis? quomodo enim judex univerſæ terræ juſtitiam non exerceat? Deum autem mundum judicare illi ipſi ponunt, qui id objiciunt.

[Vel hoc modo. Abſit, ut ita de Deo concludamus aut ſtatuamus. Nam ſi ita ſe res haberet, quo pacto Deus poſſet judicare ac punire univerſum mundum, in quo eadem poſſit habere locum ratio?]

verſ. 7. Sed inſtant illi qui iſtud nobis objiciunt, atque argumentum ſuum urgent. Si enim, inquiunt, veritas Dei ac fides in ſervandis promiſſis noſtro mendacio, quo nos fidem illi detrahimus, redditur illuſtrior, indeque major redit ad eum gloria, quo jure nos propter mendacia ejuſmodi tanquam peccatores judicari ac puniri poſſumus? ſiquidem ei, qui in cauſa eſt ut ad Deum major redundet gloria, præmium etiam videatur deberi; tantum abeſt ut puniri ob facta ſua debeat.

verſ. 8. Quorum judicium ſi ſequamur, dicendum nobis erit, facienda eſſe mala ut inde aliquid eveniat boni: quemadmodum quidem aliqui audent nos blaſphemo ore traducere, & per ſummam calumniam de nobis aſſerere, nos ita docere:

[Vel ita: Sed cogitandum erat, haudquaquam facienda eſſe turpia ac mala, ut inde aliquid boni proveniat, aut gloria Dei, verbi gratia, inde reddatur major ac illuſtrior: quemadmodum iſtorum argumentatio videtur poſtulare; quanquam non deſint qui nos ita traducant, ac de nobis aſſerant, nos ita dicere: qui homines merito a Deo punientur, quos mirum eſſet non videre, impia facta ad Dei ignominiam proprie ſpectare; ad gloriam ipſius ex eventu; nec peccantium, ſed Dei conſilio ac providentia.

verſ. 9. Sed, ut ad inſtitutum redeamus, cum oſtenderimus multum antecellere Judæum gentili, putabit fortaſſe aliquis, inde merito concludi, nos Judæos ſimpliciter excellere gentibus. Verum id nequaquam ſequitur: nec ſi in re certa excellimus, excellimus omnino atque in univerſum: ſiquidem nos in ſuperioribus reos peregimus non minus Judæos, quam Græcos ſeu Ethnicos, & veluti cauſam atque accuſationem adverſus eos inſtituentes, eos omnes (qua in re hic eſt plurimum ſitum, vel potius univerſum) peccati convicimus, adeoque ſupplicio divino obnoxios eſſe comprobavimus.

verſ. 10. Id quod ſacrarum literarum etiam teſtimonia oſtendunt, in quibus ſcriptum eſt, quod nemo ſit mortalium juſtus ac plane innocens, ne unus quidem:

verſ. 11. Quod nemo extet qui recto judicio utatur, & intelligenter agat, quive Dei favorem ac benevolentiam recte factis ambiat:

verſ. 12. Sed potius quod omnes de recta pietatis ac mandatorum divinorum via declinarint, adeoque corruptis ſint moribus, ut Deo plane ſint redditi inutiles, atque ad ea quæ ipſi probantur facienda inepti, quodque nemo extet qui bona rectaque agat, ne unus quidem: quæ etſi de majore parte hominum dicta ſint, & propterea, quod tam rari ſunt, qui contra faciunt, ut prope nulli appareant, ideo pronunciatum fuit, ne unum quidem eſſe; tamen ſi exactam illam pietatem, quæ in hominibus reperitur, ſpectes, & corruptos hujus ſeculi mores contempleris, jure dici poterit, ne unum quidem eſſe, qui id quod bonum eſt perfecte præſtet.

verſ. 13. Contra autem videbis, generatim omnes adeo eſſe corruptos ac ſceleratos, ut de illis merito dici debeant ea quæ in iiſdem ſacris libris hinc inde leguntur: nempe quod guttur hominum ſit inſtar ſepulchri aperti, adeo ut quemadmodum hoc cadaver quod abſorbeat & quodammodo devoret expectat ac deſiderat; ita illud blandiloquentia ſua homines in inſidias pertrahat, atque ita deglutiat ac perdat: quandoquidem linguis ſuis fraudes, ac dolos ſtruunt aliis, itaque ſuo ſermone nocent, atque ſi aſpidis venenum, quod omnium eſt præſentiſſimum, ſub labris linguiſque ſuis habeant reconditum,

eoque inficerent eos, quos linguis suis petunt.

vers. 14. Ex ore ipsorum nihil aliud audias, quam execrationes, & acerba convicia odiique plena dicta. Celeres propterea sunt ad nocendum effundendumque aliorum sanguinem.

vers. 16. Quocunque se vertunt, quocunque eant, omnia vastant, calamitatem ubique inferunt, ubique scelerum suorum vestigia post se relinquunt.

vers. 17. Pacifice cum hominibus agere volentes nesciunt, ab eoque penitus abhorrent, quod concordiæ est consentaneum.

vers. 18. Quod totum propterea accidit, quia Deum non metuunt, neque supplicia ejus cogitant aut verentur.

vers. 19. Neque est quod Judæi forte dicant, quorum causa hæc nunc potissimum afferimus, istiusmodi dicta ad se non pertinere; nec de sui generis hominibus, sed de Ethnicis esse prolata. Satis enim nobis constat, quod quicquid scripta ad legem spectantia loquuntur, nisi forte nominatim atque expresse de aliis gentibus quippiam proferant, de iis loqui, qui sub lege vivunt, eique sunt obstricti. Quare cum hujusmodi dicta in scriptis ad legem spectantibus extent, [vel, sunt autem illa divino consilio pronunciata, & literarum monumentis consignata, quare] illud reliquum est, ut omnium hominum etiam Judæorum, de sua justitia gloriantium, & innocentiam suam apud Deum defendere conantium, os obstruatur, ut, quo se defendant, non habeant; adeoque universum hominum genus judicio divino obnoxium esse convincatur.

vers. 20. Quapropter ut tandem concludamus id cujus causa hæc omnia disputamus hactenus, nemo hominum[vel hoc modo:Sed quorsum hæc,dicet aliquis? nimirum ut intelligas, quod nemo hominum apud Deum (nam hominum sæpe diversum est judicium) ideo pro justo atque innocente habebitur, atque, ut justo dignum est, tractabitur, quod ea præstiterit opera, quæ lex postulat, eaque universa servaverit. Nam si ad legis judicium provocare volueris, quid aliud inde consequeris, quam ut exinde tua peccata magis agnoscas, & ejus testimonio reus peragaris?

vers. 21. Cum ergo Justificatio ex operibus legis contingere nemini queat; hoc tempore, ex quo Christus inter homines prædicandi munere fungens apparuit,justificatio apud Deum obtinenda promulgata est, quæ conditionem legis implendæ non haberet additam; sed quæ nihilominus ab ipsa lege ac prophetarum scriptis, (ne rem vanam, & a nobis demum excogitatam existimes) contestata omnibus fuit ac prædicata.

vers. 22. Justificatio, inquam, ut ab initio tractationis hujus nostræ dicebamus, obtinenda per fidem, quam Jesus Christus nos docuit, hoc est fiduciam, quæ in ipso Deo ac Christo collocatur, quæ spem promissorum divinorum, & ex ea natam divinorum mandatorum observationem, quam vires humanæ ferant, complectitur: quæ justitia non ut legalis illa uni tantum genti est destinata, sed omnibus hominibus, Judæis ac gentibus; ac reipsa etiam redundatura est in omnes, qui fidem illam, quam diximus, habuerint. Neque enim ullum est in hoc negotio inter utrumque discrimen:

vers. 23. Quandoquidem, ut prolixe antea ostendimus, omnes prorsus peccaverunt, adeoque non habent, de quo apud Deum glorientur [vel, eo non pervenerunt, ut innocentiæ ac justitiæ perfectæ gloriationem factorunque suorum plenam approbationem mereantur; vel, justitia illa, quam gloria immortalis vitæ consequitur, destituuntur.]

vers. 24. Pro justis autem habentur, seu, tanquam justi tractantur gratis, nullo suo merito, ex mera Dei benignitate, interveniente ea nostri a peccati mortisque servitute liberatione, quam per Jesum Christum Deus, quantum in se est perfecit, charissimo filio suo eam in rem impenso.

vers. 25. Hunc enim Deus non ut olim operculum arcæ fœderis, quod propitiatorium appellabatur, quia in eo Deus cum Mose colloquens, & quid de sua voluntate populum Israeliticum scire vellet, explicans, ea ratione se propitium populo exhibebat, in obscuro collocavit; sed oculis omnium proposuit, ac verum propitiatorium constituit, dum in eo benignissimam suam voluntatem promulgavit, & qua ratione propitium se experiri possemus, ostendit, fidei tantum, non, ut olim, operum conditione nobis imposita, idque morte ipsius cruenta, qua effusam suam in nos charitatem ostendit, confirmavit ac sanxit. Id vero totum fecit ad ostendendam omnibusque perspicue demonstrandam justitiam suam, hoc est, fidem constantiamque suam in servandis promissis, indeque manantem justificationem, quam in lege & Prophetis, ut supra diximus, fuerat omnibus pollicitus; ad quam demonstrandam plurimum profuit, quod passus fuerit temporibus proxime præcedentibus homines in gravissima peccata labi, eaque patienter tulit hunc ipsum in finem.[vel,demonstravit autem justitiam illam suam ea imprimis ratione; quod impune transmiserit, ac condonaverit hominibus delicta antea ab illis admissa: quæ licet gravissima, tamen fieri permisit ac patienter tulit, eum in finem]

vers. 26. Ut hoc tempore, quo filium suum ad homines mittere, & Novum fœdus per eum nobiscum sancire voluit, amplissimam haberet materiam & occasionem demonstrandi suam, quam diximus, justitiam, hoc est, ut appareret, eum esse justum ac fidelem, adeoque justificare velle eum, qui fidem eam habuerit, [vel fidem in Dominum Jesum Christum collocaverit] quam Jesus Christus ipsius nomine nobis præscripsit.

vers. 27. Quid ergo nunc est ô Judæe, de quo glorieris? certe nihil: adempta est tibi omnis gloriandi materia. Qua vero ratione ademta, aut cujus doctrinæ vi? Non utique vi doctrinæ illius, quæ opera inculcat, eorumque meritis justitiam parare jubet:

[Vel, Per quam nam vero, ut vos subinde jactare soletis, legem, justitia est quærenda? num per eam, quæ opera exigit perfecta, eorumque meritis justitiam quærere jubet? haudquaquam: sed per eam quæ fidem præcipit: (hæc enim gloriandi potius materiam suppeditaret ei, qui ipsius vi justitiam adipisceretur) sed vi doctrinæ illius, quæ fidem præcipit atque ab hominibus, si justificari velint, exigit.

vers. 28. Quare ita rationem subducimus, ac concludimus fide quemvis hominum justitiam adipisci, seu a Deo tanquam justum tractari, non aceedentibus operibus perfectis, [vel, non vero per opera] quæ lex Mosaica præscribit ac exigit.

vers. 29. Quid enim? Num Deus Judæorum tantum Deus est, iisque solis favet, & eorum tantum gerit curam? quemadmodum statuere oportet eum, qui ex

lege

lege Moſaica ejuſque obſervatione juſtitiam petendam eſſe docet, cum ea ſolis Judæis ſit lata. Quid? annon Deus gentes quoque curat iiſque favet? Sane etiam gentes curat, earumque eſt benefactor:

verſ. 30. Quandoquidem unus eſt & communis tum Judæorum, tum gentium, Deus, qui quemadmodum omnes ex æquo creavit, ita etiam omnes fovet ac curat. Proinde quemadmodum circumciſos hoc tempore juſtificat, ac porro juſtificaturus eſt ideo quia fidem habeant: ita etiam præputiatos ſeu gentiles, eadem fide interveniente, juſtificabit, & tanquam innocentes tractabit.

verſ. 31. Sed dicet aliquis: ergo vos, dum fidem inculcatis, & per eam omnes juſtificari docetis, non vero per obſervationem legis, legem hac ratione tollitis atque inutilem pronunciatis? Abſit hoc a nobis. Imo dum fidem inculcamus, legem magis ſtabilimus, & firmiorem, quam unquam fuerat, reddimus: dum nihilominus quidquid eſt in lege ad pietatem pertinens inculcamus, & robur dum fidem exigimus, hominibus indimus ad legem tanto magis diligentiuſque exequendam.

## CAP. IV.

Verſ. 1. His ita conſtitutis, oſtenſoque juſtificationem non ex operibus legis, ſed ex fide petendam, quæſtio nobis oritur de Abrahamo, a quo nos Judæi genus ducimus. Cum enim nemini dubium eſſe queat, eum fuiſſe a Deo juſtificatum, explicandum eſt, qualemne ſeu quo pacto juſtificationem ſit adeptus: num eam quæ operum meritis obtinetur, an vero eam, quæ per fidem: qua re explicata tota hæc de ratione adipiſcendi juſtificationem controverſia non parum illuſtrabitur.

verſ. 2. Quod ſi aſſerere quis velit, Abrahamum operum ſuorum meritis fuiſſe a Deo juſtificatum, habebit is quidem forte gloriandi materiam, apud homines ita ſentientes, ſed non apud Deum, cum aliter ſe res habeat.

[Vel ſic: Nos quidem aſſerimus, fide fuiſſe eum juſtificatum, ea nimirum ratione, quam hactenus in univerſum probavimus. Nam ſi operum ſuorum meritis fuiſſet juſtificatus haberet, olimve habuiſſet, de quo apud ipſum etiam Deum gloriaretur. Atqui ut ut ab hominibus, non ex vero rem æſtimantibus & immoderatis laudibus ſtirpis ſuæ autorem extollentibus, gloriam factorum aut meritorum habeat, non habet tamen apud Deum.

verſ. 3. Ita enim Scriptura, ex qua quid de divina ſententia ſtatui debeat, cognoſcendum eſt, de ratione, qua Abraham fuerit juſtificatus, loquitur: Credidit Abraham Deo, copioſam nimirum progeniem inſtar ſtellarum Cæli ſibi promittenti; & hæc illius fides ei ad juſtitiam fuit imputata; ſeu propter eam a Deo fuit pro juſto habitus ac tractatus.

verſ. 4. Ex quo facile eſt intelligere, eum non fuiſſe operibus ſuis juſtificationem commeritum: quandoquidem ei qui perfecte operatur, & ſibi demandatum officium exacte implet, merces, natura ſua operi illi reſpondens, qualis eſt juſtificatio, non imputatur, hoc eſt ex gratia attribuitur (hæc enim verbi imputandi in hujuſmodi materia vis eſt) ſed tribuitur ex debito, nec denegari ei ullo jure poteſt.

verſ. 5. At vero ei, qui non perfecte operatur, adeoque operum ſuorum meritis non nititur, ſed ſibi diffiſus, confidit, & ſpem ſuam collocat in Deo, qui non tantum eum qui leviter deliquit, tanquam juſtum atque innocentem tractat, ſed etiam eum qui antea fuerit impius, & in graviſſimis hæſit ſcelcribus, ei, inquam, demum poteſt imputari, atque adeo reipſa imputatur hæc illius fides ad juſtitiam: hoc eſt, tanquam juſtus tractatur a Deo, tam benigne fidem illius æſtimante, & operum loco pro ſua miſericordia accipiente.

verſ. 6. Adſtipulatur autem huic noſtræ ſententiæ etiam David, qui aſſerit, eum hominem eſſe beatum prædicandum, [vel eſſe beatum] cui Deus imputet, ſeu ex benignitate tribuat juſtitiam, eumque in juſtorum ſtatu collocet, cum opera, quibus id mereatur, non præſtiterit.

verſ. 7. Dum ita inquit: Beati ſunt homines illi, quorum iniquitates graviſſimaque ſcelera ſunt a Deo remiſſa ac condonata, id eſt quorum peccata a Deo veluti conteguntur:

verſ. 8. Beatus, inquam, eſt vir ille, cui Dominus peccata ipſius non imputat, ſeu propterea pœnas ab ipſo exigere ob clementiam ſuam non ſtatuit: quod cui contingit, is pro juſto habetur a Deo, non operum ſuorum ratione cum quibus peccata illa prorſus pugnant; ſed ex divina benignitate.

verſ. 9. Hinc jam porro nova oritur quæſtio, utrum hæc beatitudo, (vel beatitudinis prædicatio) de qua David in verbis modo adductis loquitur, ad circumciſos tantum pertineat, & iis tantum contingat; an vero etiam præputiatis? Quæ quæſtio ex eodem Abrahami, quod paulo ante adduximus, exemplo decidi poteſt. Diximus enim ei fidem ipſius ex Dei benignitate ceſſiſſe in juſtitiam, ſeu ipſum tanquam juſtum ob eam a Deo fuiſſe tractatum.

verſ. 10. At quonam in ſtatu exiſtenti Abrahamo id contigit? an jam circumciſo, an vero adhuc præputiato? non certe jam circumciſo, ſed adhuc præputiato.

verſ. 11. Quod ſi quis urgeat, non fruſtra tamen illi præceptam fuiſſe circumciſionem, ſed eam proculdubio ob cauſam, quia ſine ea juſtitiam conſequi non potuerit: is nimirum vehementer fallitur. Nam tantum abeſt [vel, at tantum abeſt] ut poſt circumciſionem demum adeptus fuerit juſtitiam, ut potius ſignum hoc corpori ipſius impreſſum eam ob cauſam acceperit, ut eſſet nota quædam externa, oſtendens, ipſum jam fuiſſe juſtitiam adeptum per eam fidem, quæ fuit in ipſo adhuc præputato: quæ juſtitiam illam neceſſario ponit, ſiquidem fuit nota fœderis & amicitiæ cum Deo initæ. Id vero non temere accidit, ſed Deo rem ita moderante, ut appareret eum eſſe Patrem [vel, unde conſequitur, eum Patrem eſſe] ſpiritualem ac myſticum (hoc eſt, Patrum veluti auctorem ac caput, unde ad cæteros tum officii, tum felicitatis manat exemplum) omnium eorum, qui, cum adhuc præputiati ſint, eo quo ipſe modo fidem habent, adeo ut, quemadmodum illi ob fidem fuit juſtitia a Deo imputata, atque ex gratia tributa, ita ſimiliter etiam illis juſtitia ex divina benignitate ſit tribuenda atque imputanda: quod illud ipſum eſt, quod antea quærebatur.

verſ. 12. Veruntamen quia Deus eum voluit circumcidi, patet, eum non tantum illorum eſſe patrem ſpiritualem; verum etiam circumciſorum: ſi modo non tantum fuerint circumciſi, ſed etiam ſecuti fuerint exemplum fidei Abrahamicæ, patris noſtri, quæ in ipſo adhuc præputiato extitit, & ob quam eum diximus juſtificatum. Tum enim demum iis quoque Abrahami exemplo, juſtitia imputabitur.

verſ. 13. Neque enim ut ad inſtituti noſtri caput redeamus, quod eſt de ratione, qua juſtificationem atque inde pendentem felicitatem adipiſcamur, Abrahamo ac progeniei ipſius facta eſt promiſſio, quod hæreditario jure poſſeſſuri ſint mundum, hoc eſt partim terram Chananæam, quæ pars eſt mundi hujus valde præſtans atque eximia, ſed ad ſpiritualem Abrahæ poſteritatem per ſe nihil pertinet; partim futurum illum mundum ac cœleſte habitaculum, vel ob legem ab Abrahamo jam præſtitam, vel ob eandem a progenie ejus præſtandam. Non hanc, inquam, ob cauſam, nec ſub hac conditione promiſſio iſta facta eſt: ſed ob fidem indeque pendentem juſtitiam: quam Abrahamus quidem fuerat ſectatus; ejus autem progenies ſectari debeat.

verſ. 14. Quod ſi illi demum hæredes fieri deberent mundi illius promiſſi, qui legem ejuſque opera præſtant, jam nulla eſſet fidei ea in re vis; quam tamen magnam fuiſſe in Abrahamo oſtenſum eſt: unde etiam concludendum docuimus, eandem quoque progeniei ipſius rationem eſſe; quin etiam ſequeretur, promiſſionem plane factam eſſe irritam.

verſ. 15. Tantum enim abeſt, ut vi legis conſequi poſſint homines juſtificationem, atque adeo, quæ illam conſequetur, hæreditatem mundi, ut lex potius eos pœnæ magis obſtringat, ac divinæ iræ reddat obnoxios. Etenim lex expreſſe lata & ſevera comminatione ſancita facit, ut, quæ homines peccant (peccant autem, ut ſupra oſtendimus, omnes) non ſint amplius ſimplicia quædam delicta ac lapſus, ſed tranſgreſſionum nomen mereantur: quarum ea vis eſt, ut qui eas admittunt, ad pœnam omnino obligent; quod non fuiſſet futurum, ſi lex non extitiſſet: ſiquidem ubi lex nulla eſt, ibi, proprie loquendo, nulla etiam eſt tranſgreſſio, ut ut a recto aberretur ac delinquatur.

verſ. 16. Quapropter ſtatuendum eſt, per fidem potius hæreditatem illam, quam diximus, contingere; ut ita non ex merito, ſed ex gratia ac benignitate iis obveniat; adeoque promiſſio iſta, quam diximus, firma rataque ſit; & rata quidem non uni parti ſeminis ſeu progeniei Abrahamicæ, ſed ei univerſæ: hoc eſt, non tantum illi progeniei parti, quæ legem habet & (ut illud nunc quoque largiamur) eam exequitur; verum etiam illi, quæ cum lege careat, imitatur tamen fidem Abrahami, cum is ſit ſpiritualis pater, non horum aut illorum tantum, ſed omnium noſtrum, quotquot fidem habemus, etiam gentilium.

verſ. 17. (Ita enim ſcriptum eſt, Deum aliquando dixiſſe Abrahamo: Ego te conſtitui patrem, non unius nationis, ſed multarum gentium) Patrem autem intelligo, tum in meis, tum in his Dei verbis, non eo modo, quo homines nomen hoc ſolent capere; non, inquam, ob generationem ac cognationem carnalem; ſed ob eam, quæ coram Deo valeat, ac judicio approbetur illius, cui Abrahamus fidem adhibuit, ac in quo ſpem ſuam collocavit. Quod quidem merito fecit: cum is tanta ſit potentia, ut non tantum alia præſtare poſſit; verum etiam, quod eſt omnium difficillimum, omnemque naturam ſuperat, mortuos in vitam revocat: & tantundem poteſtatis habeat in ea, quæ non extant, quæ perinde ac famulos & miniſtros ſuos advocet, atque in res exiſtentes.

Verſ. 18. Id quod, quemadmodum ex parte apparebit, Abrahamus de Deo credidit, & nos, qui illius fidem ſequimur, credere debemus, effectum que hujus rei aliquando ſentiemus una cum Abrahamo: qui cum natura rei inſpecta, ſpes eſſet nulla; tamen, cum ei promiſſo divino ſpes eſſet facta, credidit, ſe fore patrem, non unius tantum, ſed multarum admodum gentium, prout illi dictum fuerat a Deo: qui, cum ſtellas illi oſtendiſſet, quæ ſunt innumerabiles, addidit: ita numeroſa erit progenies tua.

verſ. 19. Neque enim Abrahamus infirma fuit præditus fide in Deum, ut in ejus verbis hæſitans reſpiceret corpus ſuum jam fere emortuum, atque ad generandum inhabile, cum repetita poſtmodum ea Dei promiſſione fere 100 haberet annos: neque etiam ſpectavit imbecillitatem, emortuum Saræ, alioquin etiam ſterilis, uterum, atque ad generandum prorſus ineptum: nullam, inquam, rerum ejuſmodi rationem habuit.

verſ. 20. Neque ob incredulitatem de promiſſionibus divinis dubitavit; aut, quomodo id, quod Deus pollicitus fuerat, fieri poſſet, curioſe inquiſivit, ſed potius validam concepit fidem, hunc honorem & reverentiam habens Deo promittenti.

Verſ. 21. Ut firmiſſime ſibi perſuaderet eum id, quod promiſerat reipſa etiam præſtare poſſe, atque adeo præſtiturum.

Verſ. 22. Quam ob cauſam etiam hæc fides, qua Deum tanto affecit honore, ei fuit divina benignitate imputata ad juſtitiam, ſeu ob eam pro juſto a Deo fuit habitus, atque ut innocenti convenit, tractatus.

Verſ. 23. Neque vero putandum eſt, propter ipſum tantum Abrahamum ejuſque laudem ac perpetuam memoriam, in divinis literis perſcriptum eſſe, quod hæc ipſi fides ad juſtitiam fuerit imputata;

verſ. 24. Sed etiam, idque multo magis, propter nos, quibus ad exemplum Abrahami juſtitia debeat imputari, ex divina benignitate: qui ſecuti Abrahamum, non ſecus atque ipſe, credimus in Deum, ac reſurrectionem glorioſam, vitamque immortalem ab ipſo, ſecundum ejus promiſſa ſperamus, nixi maxime illuſtri potentiæ ipſius opere, quod eſt reſuſcitatio Jeſu Chriſti Domini noſtri cœleſtis e mortuis, in quo exemplum earum, quas ſperamus, rerum, ac firmamentum videmus.

verſ. 25. Is vero non ſuum aliquod ob delictum, morti, & morti quidem cruentæ, a Deo fuit traditus; ſed ob delicta noſtra, quæ ſaluti nobis decretæ ejuſque ſpei obſtabant: ac poſtea ut ab eorum reatu ac pœna reipſa liberaremur, a morte revocatus,

ac ſu-

ac ſupremo imperio, ut iſtud ipſemet perficeret, donatus eſt.

[Vel ſic. Is uero (ut hujus rei etiam cauſam ſimul afferamus) non temere morti cruentæ ac contumelioſæ, ex qua eum reſuſcitatum diximus, fuit traditus: ſed ut a ſceleribus, in quibus hærebamus, nos liberaret, ac poſtmodum ad vitam immortalem imperiumque ſupremum exſuſcitatus eſt, ut nos reipſa juſtificaret, atque a morte liberatos ſempiterna vita donaret.]

## CAP. V.

Verſ. 1. SEd dicet aliquis, quid eſt, quod tantopere urges, nos non ex operibus, ſed ex fide juſtificarii? Quid enim inde ad nos redit utilitatis? Sane permultum refert, hoc modo a Deo pro juſto haberi atque inſtar innocentis tractari. Primum enim poſtquam a Deo pro juſtis habemur, ideo quod ipſi confidimus, ſtabilem ac firmam habemus cum Deo amicitiam ac concordiam, quam animi noſtri ſentiunt, cum ſciamus, ipſius ſupplicia haudquaquam nobis eſſe metuenda. Hoc vero totum [vel, Cum ergo, ut hactenus firmis rationibus oſtendimus, ideo a Deo ſimus juſtificandi, quia ipſi confidamus, animi jam noſtri, qui id novimus ac Deo confidimus, tranquilli ſunt, ac divinorum ſuppliciorum ſecuri, quod totum] nobis contigit per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui & eam juſtificandi rationem nobis primum promulgavit; & fiduciam illam in Deum animis noſtris inſeruit, iſque eſt, per quem a ſupliciis divinis nunc defendimur.

verſ. 2. Dein per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ejuſque doctrinam, quam tum per ſe, tum per legatos ſuos hominibus annunciavit, aditus nobis patefactus eſt prædictæ fiduciæ vi, quam is nobis inſeruit, ad tantum Dei beneficium, quo nunc perfruimur. Id vero eſt, quod promiſſis ipſius nixi jure poſſimus gloriari de ſpe, quam habemus, gloriam divinam, hoc eſt, ipſam immortalitatem aliquando adipiſcendi: quo bono ne cogitari quidem poteſt majus, id enim in ſeſe atque adeo in ipſum Deum credentibus Chriſtus promiſit.

verſ. 3. Sed præterea nos, qui per fidem juſtificamur, non tantum de eo gloriamur, quod tanti boni ſpem habemus: verum etiam de eo, quod juſtitiæ cauſa affligamur, & omnis generis malis objiciamur. Mirum quidem id videri poteſt; ſed non abſque ratione id a nobis fit, intuentibus inſignem fructum, qui ex iſtiuſmodi calamitatibus ad nos redundat. Scimus enim afflictiones ejuſmodi patientiam in nobis, qui Deo per Chriſtum confidimus, excitare: quandoquidem licet patientiæ conſilium ſeu animus omnia Chriſti cauſa conſtanter ferendi, in eo eſſe poſſit, qui nondum quicquam patiatur mali: tamen actu ipſo patientia exiſtere ſeque exercere non poteſt, niſi ei campus hic detur, ac patiendi materia: quæ nihil aliud eſt quam afflictiones a nobis commemoratæ.

verſ. 4. Porro autem patientia alium iterum ex ſe parit fructum, eumque valde inſignem, ſui nimirum explorationem & approbationem: inde enim homo perſpicit, quantum in fide, quantum in pietate erga Deum, cujus cauſa iſta patitur, profecerit [vel, Inde enim fit, ut tum Deus hujusmodi hominem ita exploratum approbet; tum ipſe quoque homo ſeipſum, poſtquam hujuſmodi fidei aut pietatis ſuæ in Deum experimentum cepit,] atque adeo ſeipſum approbat, & talem eſſe judicat, qualem Deus requirit. Hinc alius rurſum naſcitur fructus, nimirum ſpes firmiſſima gloriæ illius divinæ, de qua diximus, ſeu beatæ immortalitatis, atque ab omnibus malis, quibus nunc obnoxij ſumus, liberationis. Etenim etiamſi jam antequam juſtitiæ cauſa quicquam perferas, neceſſe ſit, te ſpem præmii illius cœleſtis animo concepiſſe, (hæc enim prope ſola eſt, quæ nos ad malorum iſtiuſmodi tolerantiam excitare poſſit) tamen poſtquam homo patientiæ, atque adeo fidei etiam ac pietatis ſuæ cepit experimentum, longe validior ac firmior ea ſpes evadit, ac prope dixerim alia in animo ejus ſubnaſcitur. Antea enim ſperaverat ſe immortalem evaſurum, ſi Deo pareat, & omnia juſtitiæ cauſa conſtanter perferat: nunc ideo ſperat, quia paruerit, & iſta pertulerit. Itaque non ſub futura demum conditione pendet, ſed ea jam præſtita, promiſſis divinis & rectæ conſcientiæ judicio, quæ ipſa etiam per ſe ſpei bonæ plena eſt, nititur.

verſ. 5. At vero fructus hic, quem ex afflictionibus manare oſtendimus, haudquaquam ſpernendus eſt: ſiquidem ſpes hujuſmodi fallere nos haudquaquam poteſt, & ſic rubore nos ſuffundere. Fieri enim nequaquam poteſt, ut Deus id, quod promiſſis ipſius impulſi ſperamus, nobis reipſa non præſtet, cum nos ſummopere diligat. Quid enim iis, quos tanta charitate complectitur, non præſtet? Ejus vero charitatis, qua nos Deus complectitur, tanta habemus documenta, ut de ea dubitare nullo pacto poſſimus. Nam primum dona illa ſpiritualia, euangelicæ doctrinæ adjuncta, quæ tam largiter Deus in nos effudit, animis noſtris de ea Dei erga nos charitate adeo aperte teſtantur, ut eam ipſam propemodum in ipſis cordibus animiſque noſtris largiter diffuſam ſentiamus. Nam cum illa ipſa dona tam inſignia, tamque multiplicia amoris divini erga eos, quibus dantur, ſunt argumentum: tum vero eatenus imprimis id præſtant, quatenus euangelium, quod prope nihil aliud eſt, quam teſtimonium amoris divini erga genus humanum confirmant, & ſic eorum, quæ in illo continentur, guſtum quendam præbent.

verſ. 6. Sed deinde apertiſſimum charitatis divinæ erga nos documentum præbet mors Chriſti, unigeniti filii Dei, quam ex conſilio ac voluntate patris ſui, noſtra cauſa ſuſcepit. Etenim cum adhuc infirmitate & morbis animarum noſtrarum plane lethiferis, hoc eſt graviſſimis peccatis laboraremus, ipſe innocentiſſimus ac Deo chariſſimus, ut nos ſanaret, atque a morte vindicaret, tempore a Deo præſtituto, [vel tempore plane convenienti, in quo materia erat uberrima, in qua charitatis ſuæ amplitudinem Deus primo oſtenderet] mortem diriſſimam ſubiit: noſtri, inquam, cauſa, qui mali atque impii eramus:

verſ. 7. Cum vix reperiatur, qui hominem juſtum ac pium tantopere amet, ut ejus cauſa mortem appetere velit, (dico, vix inveniri, quia fortaſſe tamen reperiri quiſpiam poſſit, qui probi viri cauſa mori non recuſet; licet id proculdubio ſit paucorum.)

verſ. 8. Quapropter maximam erga nos charitatem atque benevolentiam *Deus* oſtendit: quandoquidem, cum adhuc in peccatorum cœno volutaremur, voluit, ut Chriſtus, dilectiſſimus ipſius filius, ſalutis noſtræ

causa mortem subiret, ut nos hoc pacto e servitute peccati, atque adeo etiam mortis eximeret.

vers. 9. Unde jam ita concludere licet, & spei istius nostræ, de qua antea diximus, robur & infallibilitatem ostendere: Si Deus filium suum unigenitum, pro nobis adhuc impiis & coram ipso injustis, in mortem tam diram atque ignominiosam tradidit: multo magis nunc, postquam per mortem ipsius cruentam effectum est, ut ad Deum fuerimus conversi, & in eum statum traducti, ut ex ipsius promisso simus ab ipso justificandi; a pœna quam peccatoribus constituit, quamque aliquando in ipsos effusurus est, hoc est, a morte æterna per eundem Jesum Christum liberabimur, & sic vita sempiterna donabimur.

vers. 10. Si enim Deus, cum adhuc hostes ipsius essemus, & in peccatis viventes impium cum ipso bellum gereremus, tantum tamen nostra causa fecit, ut, quo nos sibi reconciliaret, & ex inimicis amicos, ex impiis pios efficeret, crudelissime & ignominiosissime filium suum mori voluerit: nonne multo magis nunc, postquam ad ipsum a peccatis conversi ejusque amici facti sumus, nos liberabit a peccatorum suppliciis, vitaque sempiterna donabit, per viventem filium suum? quem ejus rei causa mori amplius non erit opus: cum id vivens, idque summa cum gloria, tum sua tum patris sui, præstare potuerit, atque adeo sit præstiturus. Hoc certe longe est credibilius, quam illud fuit: & si contra faceret Deus, sequeretur, eum hostes suos impensissime amasse; amicos vero effectos æternum odisse: id quod de Deo dicere longe est absurdissimum. Firma ergo est spes nostra, ac minime fallax, quam ex afflictionum tolerantia nasci docuimus; adeoque tum in spe ista, tum in afflictionibus istis, ex quibus illa oritur, merito gloriamur.

vers. 11. Sed non tantum istis de rebus gloriamur, verum etiam, quo altius ascendere amplius non licet, & quo nihil potest animo concipi majus, gloriamur de ipso Deo, qui jam noster est factus: ita ut quicquid bonorum est in ipso, quicquid voluptatum, quicquid felicitatis, quod ab ejus favore in nos manare potuit, id totum nostrum dicere possimus. Hoc vero contigit nobis per Dominum nostrum Jesum Christum, quatenus per eum effectum est, ut, qui antea inimici Dei eramus, nunc ad ipsum conversi stabilem ac firmam cum ipso amicitiam iniremus. Hoc enim solum adhuc requirebatur ad id ut Deo per omnia propitio fieremur, & æterno ipsius favore gauderemus.

vers. 12. Hujus vero tanti Dei beneficii, quod per Christum in nos dimanavit, imago quædam nobis est proposita in re contraria,

[Vel: Cum ergo, ut hactenus docuimus, tanti Dei beneficii, hoc est justificationis ac vitæ sempiternæ per Christum fiamus participes: per Christum, inquam, qui illud primum nobis obtulit, & perfecta sua obedientia id primum obtinuit; imo etiam omnibus in se credentibus ejus dandi jus acquisivit, licet ii non ita perfecte Deo pareant, quemadmodum ipse paruit: hinc jure concludi potest, totius hujus rei imaginem quandam nobis esse propositam in re contraria] hoc est in Adami lapsu, & eo, quod inde tum ad ipsum, tum ad universam ejus posteritatem redundavit, damno. Etenim quemadmodum per unum hominem, nimirum Adamum, cum quo uxorem ejus nunc computamus, peccatum & divinæ voluntatis, ut sic dicam, inobedientia inter homines primum existere cœpit, & per peccatum mors certa atque perpetua (hæc siquidem fuit pœna, peccato jure merito a Deo constituta) unde porro factum est, ut ad universam ejus posteritatem, in divina comminatione Adamo proposita tacite comprehensam, hoc est ad omnes homines mors eadem dimanaret, [vel ut eadem mors dimanaret ad universam ejus posteritatem, in qua Deus id, quod de Adamo parente ipsorum semel statuerat, itidem valere voluit; præsertim cum parentis sui pœna moneri poterant, ne eum ullo pacto in peccato æmularentur. Neque enim in ipsa quicquam erat iniqui: cum pœna hæc naturali ipsorum conditioni esset consentanea: & solet præterea Deus ob parentum delicta severius agere cum posteris, quam fuisset acturus, si parentes fuissent innocentes. Quapropter ut ad rem revertamur, sicut ex Adami delicto & consequenti ejus damnatione factum est, ut mors perpetua ad omnes homines dimanaret] eosque sibi manciparet; quatenus tamen ipsi quoque omnes peccarunt, & sic parentis sui factum, licet non prorsus æquarint, tamen aliquo saltem pacto secuti sunt: ita etiam contra per unum hominem, id est Christum, inter homines primum existere cœpit vera solidaque justitia atque obedientia veritati divinæ præstita; & per hanc vita certa atque perpetua: hoc siquidem est præmium, quod ex sua benignitate Deus isti obedientiæ constituit. Unde porro fit, ut eadem vita ad omnem Christi posteritatem, hoc est ad eos omnes, quotquot doctrinæ ipsius fidem adhibent, dimanet: quatenus tamen omnes Deo obediunt, & sic Christo non quidem pares, sed tamen similes evadunt. [Vel, ad omnes homines dimanet: quatenus tamen doctrinæ ejus fidem adhibentes, obedientiam ejus ac justitiam imitantur.]

vers. 13. Nam, ut ad priorem comparationis partem revertamur, eaque addamus, quæ ad illius declarationem & confirmationem quandam pertinent: si quis dicere velit, non recte fuisse a nobis affirmatum, eatenus in omnes homines seu Adami posteros mortem dimanasse, quatenus omnes peccaverunt, siquidem ante legem peccatum non extiterit, is nimirum vehementer fallitur. Nam licet homines legem Dei expressam ante Mosen non haberent, præsertim tam copiosam, & per omnes vitæ partes diffusam; peccarunt tamen nihilominus adversus legem conscientiæ unicujusque naturali insculptam, adeoque peccatum, út diximus, in humano genere passim extitit. (a) Veruntamen ne quis rursus inde concludat, ob ea ipsa peccata unumquemque mortis perpetuæ pœnam subipse; non vero ex Adami delicto istud damnum in omnes ejus posteros manasse, quemadmodum nos antea affirmavimus: animadvertendum est, peccatum non solere imputari ad pœnam, eumque qui illud admittit supplicio per se suaque vi obnoxium reddere, cum lex expresse lata, quæ illud prohibeat, non extet.

vers. 14. Atqui videmus, non tantum post legem a Mose latam, homines morti perpetuæ fuisse mancipatos, propterea nempe quod legem istam aperte latam, & com-

(a) *Aliam horum verborum explicationem vide apud Faustum S.*

& comminatione mortis communitam fuiſſent tranſgreſſi, ſed etiam ante illud tempus, ab ipſo inde Adamo uſque ad legem a Moſe latam, morti fuiſſe mancipatos homines, atque adeo etiam eos, qui non ita prorſus peccarunt, quemadmodum Adamus, utpote qui expreſſam Dei legem fuit tranſgreſſus, & ſic ejus vi mortis pœnæ fuit ſubjectus. Unde apparet, cauſam primam, cur iſti homines morti facti fuerint obnoxii, non fuiſſe proprie ipſorum delicta, quæ tantum fuerunt cauſa ſine qua non, ſeu ſine quibus fuiſſet, æquitatis divinæ vi fuiſſent e mortis ſervitute, ac parentis ſui pœna exemti, ſed primam hujus mali cauſam atque originem in ipſo Adamo eſſe quærendam, qui in re tamen contraria, typus & figura quædam fuit Adami alterius, qui ſecuturus erat, hoc eſt Chriſti, e quo novum quoddam genus hominum, nimirum Chriſtianorum, atque adeo (ſi Dei conſilium ſpectes, qui omnes ex eo ſpiritualiter naſci cupit) omnium hominum, ducit originem.

Nam, ut alteram quoque comparationis antea inſtitutæ partem nunc declaremus, & quomodo priori reſpondeat, doceamus, hic primus, atque adeo ſolus, Dei legem implevit, & ſic hujus obedientiæ ſuæ vi fuit a Deo juſtificatus, ſeu, ut juſto dignum eſt tractatus, dum vitam perpetuam eſt conſecutus. Dein per eandem obedientiam ſuam id conſecutus eſt præmii ex divino promiſſo, ut univerſam ſuam progeniem (ſi modo ipſius obedientiam pro viribus imitetur) juſtificare vitaque ſempiterna donare queat, ita ut, licet facta ipſorum non ſint Chriſti factis paria, nec vi legis divinæ juſtificationem mereantur (ſiquidem eam non impleverunt) eodem tamen modo tractentur ut ipſe, vitamque immortalem conſequantur. Quare quemadmodum ibi prima mortis omnium hominum cauſa in Adami tranſgreſſione, & ſevero Dei decreto fuit, ſecundaria in ipſorum hominum peccatis adverſus expreſſam legem non commiſſis: ita hic vitæ omnium hominum ſempiternæ cauſa prima quærenda eſt in benigniſſimo Dei promiſſo, & perfecta Chriſti juſtitia, ex qua promiſſi illius executio pependit; ſecundaria vero in noſtra obedientia, quæ legi divinæ haud ſatisfacit.

verſ. 15. Et hactenus quidem ſimilitudo inter id, quod ex Adami delicto in ejus poſteros manavit, malum, & inter divinum beneficium, quod per Chriſti obedientiam in nos redundavit, intercedit: ſed intercedit etiam diſcrimen inter delictum Adami, & donum per Chriſtum in nos collatum; ita quidem, ut illud ab hoc longe ſuperetur. Nam primum ſi ob unius hominis delictum multi, hoc eſt omnes ex Adamo progeniti morti perpetuæ facti ſunt obnoxii: multo magis divina benignitas, & donum ea benignitate comprehenſum (hoc eſt juſtitia ſeu vita æterna) quæ per unum hominem, nimirum Jeſum Chriſtum eſt nobis oblata, ejuſque obedientia interveniente effectum ſuum habet, ac porro habitura eſt, in multos, hoc eſt, in omnes eos, qui ex ipſo ſpiritualiter naſcuntur, exuberare debet: [vel, Et donum exinde pendens, nimirum juſtificatio & vita æterna, in multos, eos nempe omnes, qui ex Chriſto ſpiritualiter naſcuntur redundare debuit, interveniente benignitate unius hominis Jeſu Chriſti, qui obedientia ſua perfecta non tantum ipſe juſtificatus, ac ſempiterna vita donatus fuit; verum etiam ſuam progeniem juſtificandi & eadem vita donandi poteſtatem eſt adeptus] ſeu, ut rem clarius explicem, multo majorem vim habet hæc gratia divina in nobis juſtificandis & ſempiterna vita donandis, quam Adami delictum in nobis damnandis & morti æternæ mancipandis habuit: tum quod odia atque incommoda reſtringere & minuere, favorem autem & beneficia amplificare convenit, tum quod ibi comminatio tantum interceſſerit, hic promiſſio. Minas autem relaxare cum benignitatis laude licet; promiſſa reſcindi ſine fidei ac juſtitiæ detrimento non poſſunt. Quare licet Deo multos ex Adami poſteris pœnæ Adamo conſtitutæ eximere: at non convenit eidem, nec ſalva fide licet, quenquam ex Chriſti progenie, qui modo ejus obedientiam imitetur, a juſtificatione vitaque ſempiterna excludere.

verſ. 16. Deinde iſtud quoque diſcrimen eſt inter id, quod per unum illum hominem accidit, qui peccavit, & inter donum, quod per unum hominem, qui Deo perfecte obedivit, nobis contigit. Etenim ex uno illo Adami delicto profectum eſt ſeverum Dei judicium ac ſententia, tum illum ipſum, qui peccaverat, tum poſteros ipſius damnationi ſubjiciens: hic vero multa delicta, quibus ii, qui ex Chriſto naſcuntur, damnationem fuerant commeriti, occaſionem dederunt tantæ Dei beneficentiæ, ut nos juſtificaret, atque a damnatione liberaret. Ibi nempe unum delictum multos damnationi ſubjecit, hic multa ſingulorum delicta non damnationem attulerunt iis qui ea commiſerunt; ſed juſtificatio eſt conſecuta.

verſ. 17. Sed ne de hoc poſteriori diſcrimine plura nunc dicamus, id, quod priori loco diximus, diligenter expendendum eſt: nempe, ſi ob unius hominis delictum mors in mundo regnavit, omneſque homines ſibi mancipavit, initio facto ab uno iſto homine, qui delicto ſuo eam accerſivit: multo magis illi, qui tam abundantem Dei gratiam & donum, quod nil aliud eſt, quam ab omni reatu abſolutio, ſibi oblatum fide amplectuntur, [vel quibus tam abundans Dei gratia & donum continget,] excuſſo mortis jugo, vitæ æternæ regnum obtinebunt per unum hominem Jeſum Chriſtum, qui videlicet ad hanc vitam primus pervenit, ejuſque adipiſcendæ jus acquiſivit aliis; ſibi vero ejuſdem conferendæ poteſtatem.

verſ. 18. Quare, ut comparationem ſuperius cœptam abſolvamus, & totius rei ſummam concludamus: quemadmodum ex uno delicto, unius hominis, conſecutum Dei judicium omnes homines damnationi ſubjecit, eo, quo ſupra explicuimus, pacto: ita etiam una unius hominis juſtitia factum eſt, ut gratia divina in omnes homines, qui nempe eam, ut diximus, amplectuntur, dimanaret, ac vitam illis ſempiternam afferret. [vel, Ut gratia divina in omnes homines, ſi conſilium Dei ſpectes, redundaret, iiſque juſtificationem & ab omni reatu abſolutionem afferret, quam vita æterna ex ipſius decreto neceſſario conſequitur; vel potius, quæ in vita ſempiterna reipſa conſiſtit.]

verſ. 19. Quemadmodum enim per unius hominis inobedientiam factum eſt, ut multi, hoc eſt, omnes ii, qui ex ipſo ſunt prognati, tanquam peccatores tractarentur, & eidem ſupplicio cum parente legem divinam tranſgreſſo ſubjicerentur; ita etiam per unius hominis obedientiam fiet, ut multi, nempe omnes ii qui ex ipſo ſpiritualiter naſcuntur, tanquam juſti tractentur, & idem adipiſcantur præmium, quod ipſe eſt adeptus.

verſ. 20. Sed hic quæret aliquis: quid tu ergo legi

relinquis : cum tu damnationis cauſam delicto Adami, juſtificationis vero ac vitæ Chriſto ejuſque obedientiæ adſcribas ? nihil enim vel in damnandis, vel in juſtificandis hominibus lex hoc pacto habebit virium. Reſpondeo, legem inter maleficium ſeu damnationem ex Adami delicto in nos manantem, & inter beneficium divinum per Chriſtum in nos conferendum, veluti medium interveniſſe, ut, cum eas vires non haberet, quibus homines ad obedientiam ſibi præſtandam adigeret, quod reliquum erat, vim peccati augeret, & delinquentes tanto validius pœnæ adſtringeret, ac damnationi obnoxios redderet, ita ut, cum antea ob parentis ſui delictum potiſſimum eſſent obnoxii, poſtea ob ſua ipſorum delicta, vi legis & comminationis in ea comprehenſæ, eidem potiſſimum ſubjicerentur, ita ut non primaria quidem, ſed ſecundaria ſaltem ; non juſtificationis, ſed damnationis ſit cauſa.

verſ. 21. Neque tamen peccati vis gratię divinæ poſtmodum exhibendæ obſtitit ; ſed potius, poſtquam tantam vim habuit peccatum, tanto major atque uberior ſubſecuta eſt Dei gratia, vim peccati omnem longe ſuperans. Hoc ipſum nimirum quæſivit Deus lege lata, poſtquam pro ſua ſapientia vidit, homines ei non parituros, ſed in vetitum potius niſuros, ut tanto ampliorem poſtea haberet benignitatis ſuæ exercendæ materiam, quanto graviora eſſent peccata, & ad damnandos eos, quorum miſerturus eſſet, validiora : ita, ut, quemadmodum hactenus peccatum regnum quoddam obtinuit, homines morti æternæ ſubjiciendo, ita nunc gratia divina regnum quoddam obtineat, & vim ſuam exſuperantem exerat homines juſtificando, eoſque ad vitam ſempiternam deducendo. Quod quidem univerſum fit per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eam Dei gratiam nobis primum obtulit & confirmavit, & primus obedientia ſua perfecta ſempiternam vitam adeptus, ſimul etiam nobis aditum ad eandem aperuit, & tandem aliquando eam nobis reipſa daturus eſt.

## CAP. VI.

verſ. 1. SEd dicet hic quiſpiam : ſi, ut paulo ante dixiſti, lex Moſaica fuit lata, ut exuberaret peccatum, idque eo profuit, ut tanto magis exuberaret Dei benignitas : concludendum videtur, nobis porro in peccatis perſeverandum eſſe, ut gratia divina tanto reddatur uberior ac illuſtrior.

verſ. 2. Abſit a piis mentibus ejuſmodi cogitatio. Nam præterquam quod ex accidenti tantum fit, ut, aucta peccati vi, augeatur etiam tanto magis divina benignitas : illud etiam cogitandum eſt, de priſtinæ vitæ peccatis me antea locutum eſſe, quibus, utpote in voluntatis divinæ ignorantia admiſſis, ut ignoſceret Deus, clementiæ ipſius erat conſentaneum : ſed nunc, ex quo tempore religionem Chriſtianam amplexi ſumus, alia eſt conditio noſtra, alioſque mores omnino exigit. Nam cum nos vi religionis noſtræ profeſſi fuerimus, nos penitus valedicturos peccato, ita ut ipſius reſpectu mortui cenſendi ſimus : [vel, Nam cum vi religionis noſtræ peccato penitus valedicere debeamus, idque a nobis ſtatus, in quo poſiti ſumus, poſtulet :] quomodo nihilominus conveniet, ut in peccatis vitam porro tranſigamus ?

verſ. 3. Hanc vero religionis noſtræ vim eſſe, idque nos fuiſſe profeſſos, vel ex ea ceremonia, qua Chriſtianæ religioni fuiſtis initiati, eamque primum profeſſi, diſcere poteſtis. An enim ignoratis, quotquot noſtrum per baptiſmum ſeu immerſionem in aquam, Chriſto nos conſecravimus, & ſolenni hoc ritu teſtati ſumus, nos ipſi tanquam religionis ac fidei duci conſtanter adhæſuros ; nos, inquam, ea ipſa ceremonia profeſſos fuiſſe, nos mortem quandam ſubituros ei quam ipſe ſubiit, aliquo modo ſimilem ; [vel nos ei ratione mortis adhærere & cum ipſo conjungi velle] eam nempe de qua paulo ante diximus, quæ nihil eſt aliud, quam peccati abdicatio, & æternum ab eo divortium.

verſ. 4. Id autem eatenus factum eſt in baptiſmo, quatenus in aquam immerſi, & ea veluti ſepulti, teſtati ſumus, nos una cum Chriſto, cui initiaremur & conſecraremur, veluti ſepeliri, atque adeo etiam, cum ſepultura ſine morte non contingat, cum eo mori velle. Quod ſi per immerſionem in aquam profeſſi ſumus, nos cum Chriſto mori, & priſtinos mores ſepelire velle, conſequens certe eſt, nos emerſione ex aquis reſurrectionem quoque adumbraſſe ac profeſſos fuiſſe, quemadmodum Chriſtus reſurrexit, novam ac glorioſam vitam, qualem pater ipſius habet, adeptus : [vel per glorioſam patris ſui potentiam ; vel ad ſummam patris ſui gloriam] ita etiam nos novam ac glorioſam in poſterum vitam acturos.

verſ. 5. Etenim ſi ratione mortis Chriſto ſimiles evaſimus, & eatenus cum eo quodammodo coaluimus, conſentaneum certe eſt, nos etiam ratione reſurrectionis ei ſimiles & nunc evadere, ac cum ipſo coaleſcere debere, quatenus relicta peccatorum morte, ad pietatem vitæ nobis tranſeundum eſt ; & olim quoque ſimiles evaſuros, quatenus ad eandem, quam ipſe conſecutus eſt, vitam nempe glorioſam atque immortalem excitandi ſumus. Quod autem reipſa facere debemus, aut nobiſcum futurum eſt, id in baptiſmo, ut diximus, etiam adumbravimus ac profeſſi ſumus. Ut vero tota hæc res fiat planior, & ratio pateat, cur tum mortis, tum reſurrectionis ratione Chriſto debeamus evadere ſimiles, idque in baptiſmo adumbraverimus : utrumque hoc declarandum eſt ; initio facto a morte.

verſ. 6. Sciendum igitur vobis eſt, mortem Chriſti, qua novum fœdus fuit ſancitum ; vim habere plenam ac ſufficientem ad nos a peccatis abſtrahendos, noſque, ut id facere velimus, adigendos, adeo ut, Chriſto cruci affixo, cenſeri queat ipſe vetus noſter homo, hoc eſt, priſtinus noſter animus priſtinaque vivendi ratio una cum ipſo cruci fuiſſe affixus ac peremtus. Hoc vero, ut quiſque per ſeipſum cernit, eum in finem eſt factum, ut peccatum univerſum, & ipſius ut ita loquar corpus perimeretur eatenus, ne nos ei amplius ſerviremus.

[Vel : Et corpus peccati, hoc eſt peccatum univerſum fuiſſe peremtum atque extinctum. Id uero, ut quiſque animadvertere poteſt, eum in finem factum eſt, ne nos ipſi amplius ſerviremus.]

verſ. 7. Etenim quemadmodum is, qui, proprie loquendo, moritur, ab omni peccati imperio penitus eſt liberatus, nec ſervire ei amplius poteſt : ita etiam

is, qui ſpiritualem hanc mortem ſubiit, ſeu, in quo priſtinus animi habitus ac vivendi ratio extincta eſt, ſimili quapiam ratione a peccati imperio eſt liberatus, ita ut nec ſervire ei amplius debeat, nec, quam diu in eo ſtatu eſt, poſſit. Nos ergo illa mortis Chriſti vi perſpecta, ut illam in nobis exprimeremus, mortem quandam ratione priſtinæ noſtræ vitæ atque animi ſubvimus, & nos ſubituros in baptiſmo profeſſi ſumus.

verſ. 8. Porro ſi ratione mortis Chriſto ſimiles evaſimus, aut evaſuri ſumus, nil dubitamus inde concludere, ut antea quoque fecimus, nos eidem etiam ratione reſurrectionis ſimiles hic evadere debere, & olim, cum e mortuis excitabimur, evaſuros eſſe. Id quod eſt alterum caput eorum, quæ nobis explicanda antea ſumſimus.

verſ. 9. Quod ut tanto rectius intelligatur, animadvertendum eſt, Chriſtum ita reſuſcitatum eſſe ex mortuis, ut non amplius moriatur, nec ullam amplius mors in eum poteſtatem atque imperium habeat, utpote jam immortalem factum.

verſ. 10. Nam quod mortuus eſt aliquando, id non ideo factum, ut morti, quæ peccati ſolet eſſe conſequens, jam porro manciparetur, & ſic peccato (hoc eſt, afflictionibus, quæ ex peccato fere manare ſolent) in ipſum jus aut dominium acquireretur: ſed potius ut eo ſemel defungeretur, & hoc pacto ab ea liberaretur: quod autem nunc vivit, vivit ex Dei veluti animo ac voluntate, atque ad ſuam ipſius gloriam, hoc eſt, vitam degit immortalem & vere divinam.

verſ. 11. Quare ſimiliter & vos, qui ea in re, ut diximus, ſimiles Chriſto evadere debetis, apud vos ſtatuite, veſtri eſſe officii, idque a vobis religionem veſtram exigere, ut reſpectu peccati ſitis mortui, & ex ejus imperio penitus exemti; contra vero vivatis ad nutum gloriamque Dei ex præſcripto Domini noſtri Jeſu Chriſti [ſeu inſerti Chriſto Jeſu Domino noſtro.]

verſ. 12. Itaque ne in corporibus hiſce veſtris mortalibus, quæ ad peccandum valde ſunt prona, dominium exerceat peccatum, ita ut id faciatis, quod ipſi eſt conſentaneum, cupiditatibus atque affectibus corporis impulſi, quibus peccatum ad homines ſibi mancipandos uti ſolet:

verſ. 13. Neque peccato exhibete membra veſtra, tanquam inſtrumenta, ad exercendam injuſtitiam omniſque generis turpitudinem; ſed potius Deo voſmet ipſos totos permittite atque exhibete, & quidem tales, ut, relicta peccatorum morte, vitam degatis ejuſmodi, quæ hoc nomen vere meretur, [vel quemadmodum convenit iis, qui ex peccatorum morte ad vitam tranſierunt, aut tranſire debent,] hoc eſt piam; & membra veſtra exhibete Deo, ut illis utatur ad omnis generis juſtitiam ac virtutem exercendam.

verſ. 14. Neque enim eſt, quod vereamini, ne forte peccatum vos etiam invitos in ſui ſervitutem adigat, irrituſque ſit conatus veſter. Ne vos hæc cogitatio a pietate abducat. Audete tantum: non habebit peccatum tantam in vos vim, ut vos ſibi, etiam invitos, mancipet & parere cogat. Non enim ſub lege eſtis conſtituti, ſub qua peccatum ejuſmodi dominatum exercebat, cum & ipſa promiſſa deeſſent, quæ a peccatis ad pietatem revocare hominem ſua vi poſſent; & ipſa legis ſeveritas & rigor (tot mandatorum perfectam atque perpetuam obedientiam exigens) ipſa difficultate ac deſperatione conatum impediret, cum uno etiam delicto labor omnis caderet in irritum: non, inquam, ſub hac legis ſeveritate eſtis conſtituti, ſed ſub euangelii gratia, quæ diviniſſimorum promiſſorum ſuavitate ac magnitudine ad pietatem unumquemque allicit, & modum *Deo* parendi facilem, & æquitati maxime conſentaneum præſcribit, omnia priſtinæ vitæ ſcelera & lapſus, pietatis cœptæ curſui intervenientes delet, conatum piè vivendi non tantum non retundit, verum etiam excitat. Quantum autem ad pietatem viribus hominum largitur, tantum peccato virium detrahit, tantoque illud reddit invalidius ad nos ſibi mancipandos.

verſ. 15. Sed dicet hic aliquis: non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia, ut tu aſſeris: ergo peccare nobis nunc licebit, amota legis ſeveritate, tanquam unico peccatorum repagulo; & gratiâ, cujus non eſt punire, ſed remittere potius peccata, in ejus locum ſubſtitutâ.

[Vel ſic: Quid audio? inquies, nos non debere peccare quia non ſub lege, ſed ſub gratia ſimus? an non potius contrarium inde concludendum eſt, & ſtatuendum peccandum eſſe nobis; aut ſaltem peccare licere quia non ſimus ſub lege, ſed ſub gratia?

verſ. 16. Haudquaquam. Neque enim vobis ejuſmodi fingere debetis gratiam, quæ omnia jura pervertat, & ipſam rerum naturam propemodum immutet. An vero ratio ipſa unumquemque veſtrum non docet, vos ejus fore mancipia, cui voſmet ipſos ad obſequium præſtandum mancipatis ac ſubjicitis, ut illi porro vobiſcum facere liceat quod libet: adeoque ſi peccato vos mancipaveritis, id vos porro ſubjecturum damnationi & morti æternæ: ſi vero vos mancipaveritis pietati, inde vos reportaturos juſtificationis atque adeo vitæ æternæ præmium? Ut ita haudquaquam vobis ejuſmodi gratiam Dei fingere debeatis, quæ peccati etiam mancipiis, & in impietate perſeverantibus juſtitiæ præmium largiatur, eoſque è mortis ſervitute eximat.

verſ. 17. Quare cum adeo miſera ſit eorum, qui peccato ſerviunt, conditio, Deo ſunt agendæ gratiæ, quod ita illi vos ſubjeciſtis, ut ad ejus doctrinæ veluti modulum ac formam, hoc eſt vivendi rationem in ea præſcriptam, ad quam adducebamini, & cui quodammodo applicabamini, vos accommodaretis, & ſic eam vivendi rationem in vobis ipſis veluti expreſſam cernere liceret.

[Vel: Neque vero hoc eo dico, quod de vobis male ominer, & ne forte peccati mancipia ſitis, verear. Eſt Deo gratia habenda, quod cum fuiſſetis alioquin peccati mancipia, poſtea audita euangelica doctrina, eam non ſimulate, ſed ex animo promptoque ſtudio receperitis, & ita ei voſmet ipſos ſubjeciſtis, ut quemadmodum metalla formæ ſeu modulo cuipiam infuſa eandem figuram, quam modulus ille habet, recipiunt, ita etiam vos, poſtquam vos applicuiſtis doctrinæ euangelicæ, ad quam fuiſtis adducti, in vobis ipſis exhibere cœperitis eam vivendi rationem, quæ in illa doctrina præſcribitur.

verſ. 18. Adeoque liberati a ſervitute peccati juſtitiæ ac pietati ſitis mancipati:

verſ. 19. Non exigam autem a vobis hoc loco cæleſtem quandam pietatem, licet id cæteroquin æquum foret: ſed id tantum a vobis poſtulabo, quod moderatum eſt, & viribus humanis accommodatum; habita ratione appetitus veſtri ad juſtitiæ obſequium imbecillis, & ægre ei parentis: [vel: Utor autem in tota hac re explicanda ſermone inter homines vulgo uſitato, & ſimili-

similitudine e medio petita: idque ideo, quod attemperare me cogar imbecillitati intellectus vestri, rebus hujusmodi carnalibus, & ad communem vitam pertinentibus assueti: cum possem uti sublimiore quodam sermonis genere, & ratione explicandi magis theologica, atque ex ipsius religionis Christianæ visceribus petita. Quemadmodum igitur a vobis, &c.] poteram a vobis postulare, ut quemadmodum antea peccato studuistis, ita nunc longe majori studio ac contentione, atque ut ita loquar, toto pectore justitiæ studeatis, cum æquissimum sit, longe majori studio justitiæ, ipsique adeo Deo parere, quam peccato ipsique Satanæ. Verum id ut dixi, a vobis non exigam, ne fortasse vos rei difficultate ab ipso parendi conatu deterream: sed id exigam, ut par saltem afferatis studium ad colendam justitiam, quod impendistis peccato.

[Vel sic: Qua servitutis similitudine cum utor, de justitia loquens, vulgarem inter homines rationem loquendi sequor, rationem habens appetitus vestri carnalis, ad Deo pietatique parendum adhuc imbecillis atque invalidi & ægre divinis mandatis obsequentis cum alias maxima sit libertas pietati studere. Quare, ut ad rem redeam, quemadmodum antehac membra vestra mancipastis turpitudini impurisque voluptatibus & iniquitati, quæ nulla legis divinæ habita ratione omne jus honestumque violat, nempe ad iniquitatem omnisque generis peccata perpetranda: ita nunc contra membra vestra mancipate pietati atque justitiæ, ad omnis generis sancta opera, quæ pristinæ vitæ labem aboleant, perficienda.]

vers. 20. Etenim ex quo tempore cœpistis vos mancipare justitiæ, peccati jugum penitus excutere, & ab illo immunes esse debetis: quemadmodum etiam tunc, cum peccati essetis mancipia, a justitia & pietate eratis prorsus alieni, ejusque jugum plane excusseratis.

[Vel sic: Atque ut videatis quantam miseriam, quanta cum felicitate commutaveritis, cum excusso peccatorum jugo justitiæ vos mancipastis, libet pristinam conditionem cum præsenti, peccatique servitutem cum servitute justitiæ contendere.]

vers. 21. Quem vero tum temporis percipiebatis fructum ex hujusmodi factis vestris, quæ ita erant turpia, ut nunc eorum vos vehementer pudeat? Nullum certe nisi admodum miserandum & fenestum. Nam ut taceam ipsam factorum turpitudinem, cujus notam vobis hoc pacto inussistis, atque inde natum pudorem, qui primus est eorum fructus: quis alius illorum potest esse exitus, quæ merces alia, quam mors æterna?

vers. 22. At vero nunc postquam peccati jugum excussistis, & e contrario vos mancipastis Deo, hunc primo reportatis fructum, ut eluta prioris vitæ macula pietatis opera patrantes sanctitatis habitu sitis decori ac splendidi: mercedem vero reportaturi sitis aliquando vitam sempiternam.

vers. 23. Nam stipendium ac merces, quam servis suis sibi militantibus persolvit peccatum est mors sempiterna: at vero præmium, quod non ex factorum meritis, sed ex mera benignitate daturus est Deus sibi servientibus, est vita æterna nobis per Jesum Christum & promissa & exequenda. [Vel quæ per Jesum Christum demum, adeoque non nisi iis, qui sacrosanctam illius religionem amplectantur, & ex ejus præscripto vixerunt, contingit.]

## CAP. VII.

vers. 1. QUod vero superius dixi, vos non esse amplius sub lege, sed sub gratia euangelica per Jesum Christum patefacta, id nemini vestrum mirum videri debet, cogitanti, eum, qui semel legi Mosaicæ fuerit obstrictus ab ipsius obligatione & imperio nunquam liberari posse. An enim ignoratis, charissimi fratres, (eos siquidem me alloqui scio, qui legem Mosaicam habent cognitam, adeoque facile ea intelligent, quæ mox dicturus sum, ad rem totam declarandam) an, inquam, ignoratis, legem eousque tantum dominari homini, eumque ad sibi parendum obligare quam diu vel ipse homo vivit, vel lex, ex voluntate legislatoris, viget atque authoritatem suam retinet? Quod si vel homo legi obnoxius moriatur, vel lex antiquetur aut abrogetur, cessat ille nexus legis; & is, qui antea ei servandæ fuerat obnoxius, obnoxius esse desinit. Nec enim aliter statuendum est de obligatione, qua homines sunt devincti legi, quam de ea, qua, ex ipsius illius legis præscripto, uxor est devincta marito.

vers. 2. At vero mulier maritali subjecta dominio tantisper, ex præcepto legis Mosaicæ, viro est obligata, quam diu vel ipsa, vel, quod magis hic nobis considerandum est, maritus ipsius vixerit. Simul atque vero is mortuus fuerit, protinus liberatur uxor ab eo nexu ac vinculo, quo viro fuerat obligata. [Vel ab obligatione legis, viri imperio eam adstringentis ac subjicientis.]

vers. 3. Proinde si, vivente adhuc marito, alteri viro nubat, adultera jure censebitur ac nuncupabitur: at vero si maritus ipsius moriatur, non tenetur amplius ea lege, [desinit illi esse obstricta cui] qua ipsi antea fuerat obstricta; adeo ut adultera censeri nequeat, si alteri viro postmodum nubat.

vers. 4. Quapropter similiter statuendum est de obligatione, qua legi Mosaicæ fuistis obstricti. Quam diu illa, ex summi legislatoris, hoc est, ipsius Dei voluntate viguit: tam diu vos eidem fuistis obstricti, nec, ea deserta, ulli alii disciplinæ ac religioni vosmet ipsos addicere vobis licuit: at nunc, postquam Christus novum fœdus non modo promulgavit, verum etiam corpore suo in mortem tradito ac cruci affixo, illud sanxit; antiquum fœdus seu legem Mosaicam eoipso abrogavit, ejusque vim, quam ad obligandum antea habebat, sustulit, adeo ut & ipsa nunc veluti sit mortua, & vos ipsi, eaque deserta jure possitis, imo etiam debeatis transire in jus alterius veluti mariti, nempe Christi, ejusque religioni vos penitus addicere: utpote quam a mortuis resuscitatus, divinaque potentia donatus, pleniſſime confirmavit, & omnibus amplectendam esse ostendit: Id vero eum in finem, non ut jam, lege velut omni soluti, vivatis prout libet: sed ut Christo velut matrimonio juncti, fructum omnis generis pietatis proferatis ad Dei gloriam; a quo vicissim dignum ejus rei fructum, vitam nimirum sempiternam, referatis.

Neque vero est, quod quis hic dicat, nihil fuisse necesse, ut eum in finem a lege Mosaica ad Christum transiremus; imo contra potius faciendum fuisse: siquidem credibilius sit, eos pietatis fructum Deo allaturos, qui tam arctis legis vinculis adstringantur, &

tam

tam ſevera illius comminatione ad eam ſervandam adigantur, quam qui legis iſtius vinculo & obligatione ſint ſoluti. Non ita ſe res habet, rectèque a me aſſertum eſt, nos ideo a lege ad Chriſtum tranſire debuiſſe, ut uberrimum pietatis fructum Deo afferremus, eoque ipſo indicavi, id, quamdiu ſub legis Moſaicæ fuerimus imperio, factum non fuiſſe, nec ob vim carnis noſtræ fieri potuiſſe.

verſ. 5. Etenim appetitus quamdiu noſtri carnalis vinculis eramus conſtricti, iſque mente & ratione noſtra erat validior (erat autem quam diu ſub lege eramus, quæ vim appetitus efficacia ſua retundere ac coercere non poterat) tantiſper affectus vitioſi ſeu cupiditates, ad peccata nos incitantes, quæ per legem non tantum reprimebantur, ſed etiam concitabantur, vigebant in corpore hoc noſtro ejuſque membris; & ſic in cauſa erant, ut opera proferremus, non Deo grata nobiſque ſalutaria, ſed mortifera.

verſ. 6. At vero nunc, poſtquam Chriſtus apparuit, liberati ſumus a lege Moſaica, & ei rei, quæ nos antea conſtrictos tenebat, hoc eſt tum legi, tum carnali noſtro appetitui, quæ ſub ipſa vigebat, mortui ſumus, ita ut nihil in nos amplius juris atque imperii habeat: unde fit, ut Deo nunc ſerviamus ex præſcripto ac ductu novi illius ſpiritus, hoc eſt doctrinæ euangelicæ, mentibus noſtris a divino ſpiritu primum impreſſæ ac conſignatæ: quæ non tantum, quid faciendum ſit, monſtrat; verum etiam vim atque impetum largitur id faciendi: non vero ex præſcripto ac impulſu literæ illius veteris, hoc eſt, legis Moſaicæ; [vel: nunc vero poſtquam a lege ſumus liberati, & id, in cujus poteſtate antea eramus, nempe tum lex ipſa, tum carnalis appetitus, vim ſuam atque imperium amiſit, opere ac reipſa Deo ſervimus, adjuti novo illo ſpiritu, hoc eſt Chriſti euangelio, quod mentes noſtras afflat, & vim quandam illis inſpirat, qua fit, ut id etiam faciamus, quod præcipit; non vero ita languide ac negligenter officium illi præſtemus, vel potius non præſtemus quemadmodum antea, cum lege tantum Moſaica uteremur:] quæ ut literis, quoad potiſſimam ſui partem erat primum a Deo expreſſa, ita nil aliud præſtat, quam quod ſcriptio ſolet, nempe ut monſtret quidem, quid faciendum ſit, ſed in animum non penetret, adeoque ut ipſi pareatur non efficit.

verſ. 7. Sed objiciet hic aliquis: ſi lex non tantum appetitum carnalem non repreſſit, ſed etiam affectus vitioſos incitavit ac concitavit, quemadmodum tu paulo antea aſſeruiſti, concludendum nobis erit, legem eſſe veram peccati cauſam. Abſit ut hoc ſtatuamus, neque id ex meis dictis ullo pacto conſequitur: non, inquam, per ſe, ſed per accidens tantum, nec ſuo, ſed appetitus noſtri vitio lex peccati eſt cauſa. Atque ut rem totam hanc melius explicem, ſuſcipiam nunc perſonam hominis ſub lege conſtituti, & quæ de eo dici debent, ad me transferam. Hoc ergo primum mihi tribuit lex, ut plenius cognoſcerem, tum quam late pateat peccatum, tum quanta ejus vis ſit. Hæc cognitio mihi non niſi per legem contigit. Neque enim verbi gratia, ſciviſſem, concupiſcentiam eſſe peccatum, peccatum nempe ejuſmodi, quod pœnam gravem mereatur, niſi lex Moſaica dixiſſet, non concupiſces: [vel, ſed hoc tantum, quod vim peccati non ita ſenſerim (de me autem nunc loquor, ac porro locuturus ſum, docendi cauſa, & ea ad me transferam, quæ ad hominem ſub lege conſtitutum proprie pertinent) niſi per legem demum, quæ illud antea velut ſopitum excitavit. Etenim concupiſcentiæ vim, quæ quidem patet latiſſime, non ita ſenſiſſem, niſi lex dixiſſet, non concupiſces:] Quod ad certa rerum genera ibi reſtrictum, ad res omnes illicitas extendi debet, patetque latiſſime. Et hic quidem effectus legis eſt verus ac per ſe: unde porro conſequitur alius, ſed per accidens tantum, & alieno vitio.

verſ. 8. Is vero eſt, quod peccati ſuavitas atque illecebræ, appetitus noſtri ad illud pronitas, occaſione ex lege arrepta, & in vetitum, ut ſolet, nitens, excitaverit in me omnis generis cupiditates. Nam quandiu lex, quæ inhoneſta vetet, abeſt, tantiſper etiam peccatum & appetitus noſtri ad illud pronitas, veluti mortua ſepultaque jacet, nec vim ſuam tantopere exerit. Hæc vero non temere aſſero, ſed ipſo experimento edoctus.

verſ. 9. Ego enim vixi aliquando abſque lege; ſive quod lex nondum eſſet lata, ſive quod ego illam nondum haberem cognitam, nec ei eſſem adſtrictus: ſiquidem Jndæi, quorum perſonam hic ſuſtineo, certo demum tempore legem acceperunt; alii vero, nempe proſelyti; cum antea ejus notitiam non habuiſſent, poſtea demum eam ſunt amplexi.

[Vel: Nec eſt quod quis dicat, temere hæc a me aſſeri, cum ii quorum perſonam ſuſtineam, ſemper ſub lege vixerint, adeoque aſſerere non poſſint ſine lege peccatum eſſe mortuum; per legem autem concupiſcentias eſſe excitatas. Etenim Judæi, quorum perſonam ſuſtineo, vixerunt aliquando abſque lege: vel quod nondum eſſet illis lata; vel quod nondum eſſet cognita: id quidem mihi ipſi nunc docendi cauſa tribuo. Jam vero poſtquam præcepta lege Moſaica comprehenſa mihi fuerunt lata, mihique innotuerunt, vis illa ad peccandum homines trahens atque incitans, quæ antea veluti mortua ſepultaque jacebat, revixit, & ſeſe in me exeruit. Hoc autem illud ipſum eſt, quod paulo ante aſſerui.

verſ. 10. Hinc porro conſecutus eſt alter effectus legis accidentarius, quem ſupra expreſſi, de miſero eorum ſtatu differens, qui adhuc ſunt ſub lege. Is vero eſt, quod poſtquam per legem peccatum vim ſuam vitamque quodammodo recepit, ego morti ſum factus obnoxius, quam lex ſui tranſgreſſoribus interminabatur: ita ut lex, quæ in eum finem data erat, ut vitam felicitatemque æternam mihi afferret mortem mihi pareret, adeoque eventus eſſet conſilio ac fini legis primario plane contrarius.

verſ. 11. Etenim, ut rem breviter repetam, peccati ſuavitas, meaque ad illud pronitas, occaſione ex præceptis legis arrepta, in errorem me induxit; dum mihi perſuaſit, admodum deſiderabile eſſe, quod lege iſta vetaretur, eoque pacto me ad peccandum pellexit: Unde illud porro conſecutum eſt, ut per eandem legem mihi mortem afferret; utpote quam ipſa lex, ut antea diximus, delinquentibus conſtituit.

verſ. 12. Quapropter nullam ipſi legi culpam impingo, nec ullum ei vitium ineſſe ullo pacto aſſero.

Eſt enim ea per ſeſe ſancta, id eſt, omnia præcepta, quæ in ſeſe complectitur, ſancta ſunt, pietatique convenientia; ſunt etiam juſta & æquitati conſentanea, ita ut quiſque cernere poſſit, illis obtemperare jus faſque eſſe: ſunt denique obtemperantibus utilia & admodum fructuoſa.

verſ. 13. Sed dices iterum: ſi lex adeo eſt bona & fructuoſa, ut nunc aſſeris, & nihilominus tamen paulo ante dixiſti, eam tibi mortem peperiſſe; annon inde ſequetur, id ipſum, quod bonum eſt ac fructuoſum, redditum eſſe mortiferum, ſeu veram mortis extitiſſe cauſam? Haudquaquam iſtud conſequitur. Nam non ipſum bonum proprie ac per ſe tantum mihi malum peperit, ſeu morti me ſubjecit: ſed peccatum, ut vim ſuam peſtiferam certo documento comprobaret, eamque clariſſime oſtenderet, per id, quod bonum eſt, hoc eſt per ipſam legem mortem mihi peperit. Oſtendit enim profecto peccatum vim illam ſuam, quod per ipſa Dei præcepta ſibi adverſa, & ad ſeſe cohibendum comparata, multarum admodum tranſgreſſionum cauſa extitit, & ſic morbi remedium in morbi incrementum convertit.

verſ. 14. Neque verò quiſquam mirari debet, legem divinam non tantum non efficere, ut ipſi paream; ſed etiam me irritare, & ad peccandum quodammodo provocare: quandoquidem lex adeo adverſa eſt pronitati meæ, iiſque rebus ad quas ego tantopere feror; atque interim tamen pronitatem ipſam non tollit. Quod autem ejuſmodi eſt, id irritat potius peccatum, quam coercet. Etenim novimus omnes, legem divinam ea præcipere, quæ ſunt ſpiritualia, & menti noſtræ ad honeſta aſpiranti conſentanea: ego vero appetitui carnali ſum adhuc addictus, ad eaque propendea, ac magno impetu feror, quæ carni ſunt grata ac ſuavia; ſumque adeo ipſius peccati, ad quod appetitus me rapit, mancipium, ita illi obſequens, ac ſi ære ipſius eſſem comparatus, & ſervitio illius eo pacto addictus; quanquam mente aliquo modo renitens, &, ut mancipia ſolent, domino huic non prorſus libenter parens.

verſ. 15. Nam ipſemet facta mea non approbo: quandoquidem non id ago, quod libenter vellem; ſed id, quod odi, quodque mihi ipſi vehementer diſplicet.

verſ. 16. Jam vero ſi id ago, quod ipſe factum nollem, eo ipſo atteſtor legi divinæ, quæ eadem facta improbat, & contraria quæ ipſe quoque libenter vellem præcipit, eam bonam eſſe atque honeſtam; ita ut nequaquam ſim cenſendus legem ipſam, tanquam vitioſam, accuſare.

verſ. 17. Præterea hoc quoque inde concludi poteſt, non tam meipſum in culpa eſſe, cur talia committam, quam tantam peccati vim, quæ me occupavit, & ſedem quandam in me fixit: hoc eſt, non improba prorſus voluntate, ac perverſitate mentis meæ fieri, quod peccem; ſed peccati ſuavitate, & mea ad illud pronitate, quanquam non ſine animi ac voluntatis, peccati illecebris irretitæ, aſſenſu.

verſ. 18. Etenim novi, atque adeo experior, non habitare, ſedemque in me fixiſſe bonum & honeſtum, ita, ut ad illud ſim pronior, virtutiſque imperio obſequentior: quod tamen de me aſſero, non ratione mentis, quæ virtuti favet; ſed ratione appetitus carnalis, qui propria peccati ſedes eſt, ubi vim ſuam primo exerit. Nam voluntas recte agendi mihi ineſt: ſed id non conſequor, ut recte etiam agam, & honeſtum, quod approbo, opere exequar.

verſ. 19. Neque enim, ut dixi, honeſtum illud, quod libenter vellem, facio: ſed malum atque inhoneſtum, quod nollem, quodque mihi diſplicet, id facio.

verſ. 20. Unde ſane id, quod antea concluſi, recte infertur, nempe, non tam meipſum, hoc eſt mentem ac voluntatem meam, in cauſa eſſe, cur ea quæ dixi admittam: ſed potius vim illam peccati, & ad vitia pronitatem, quæ in me appetituque meo carnali reſidet.

verſ. 21. Quapropter ut totius rei ſummam breviter repetam, cum id, quod bonum ac honeſtum eſt, animo propono ac facere volo, comperio, me pronitate ad peccandum, tanquam lege quadam obſtrictum teneri, & loco legis divinæ hanc mihi dominari. [Vel: Quapropter ut potius rei ſummam breviter repetam, Quod ad vim legis attinet, id tantum reipſa ſentio atque experior, quod ab ea edoctus velim quidem id quod rectum atque honeſtum eſt; ſed nihilominus tamen id quod malum eſt reipſa faciam, idque ſolum aſſequar.

verſ. 22. Nam reſpectu diverſarum facultatum in me exiſtentium adeo in diverſa diſtrahor, ut in me uno duo quodammodo homines ſint conſiderandi: alter quidem internus; alter externus. Internus mens eſt ſeu animus meus: Externus appetitus eſt, in corpore reſidens, ipſumque adeo corpus. Quoad internum illum hominem delector Dei lege, eaque approbo quæ ipſa approbat:

verſ. 23. Sed alia eſt ratio hominis externi ſeu appetitus in corporis membris reſidentis. Animadverto enim ac comperio, in membris meis reſidere aliam quandam vim atque imperium, quod legem poſſis appellare, (legis enim eſt præcipere atque imperare) quod dictamini & imperio mentis meæ, quæ itidem inſtar legis eſt, repugnat, & ita cum eo de me, tanquam de præda, certans, vincit in hac pugna, meque tanquam captivum abripiens, mancipat legi atque imperio peccati, quod in corporis mei membris, & appetitu in illis exiſtente, exeritur.

verſ. 24. Quod cum ego conſidero & conditionem hanc meam ad animum revoco, exclamare cogor: ô me miſerum atque infelicem! quomodo tandem ex hac miſeria, quæ mortis eſt inſtar, mortemque tandem mihi afferet, evadam? quis me ab hac infelicitate liberabit?

verſ. 25. (Ego vero Paulus, cum meam felicitatem cum hujuſmodi hominum infelicitate contendo, cogor Deo optimo Maximo ſummas agere gratias, qui per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum me, omneſque adeo Chriſtianos, in quorum perſona nunc interloquor, ab hac miſeria, ipſaque adeo morte liberavit.) Quapropter ut ea, quæ hactenus fuſius diſſerui de ſtatu eorum, qui ſub lege ſunt, concludam, & eorum ſummam quandam, perſona quam ab initio hujus ſermonis indui, reſumta colligam: ego idem mente quidem ac voluntate addictus ſum legi divinæ; quatenus eam approbo eique parere cogito: ſed appetitu carnali, ipſisque corporis membris, quibus opera ipſa exercentur, & actiones perficiuntur, pareo peccati imperio, & quæ ſunt illi conſentanea, facio.

## CAP. VIII.

verſ. 1. ET hactenus quidem de miſero eorum ſtatu, qui ſub lege adhuc vivunt, ſatis dictum eſt: reſtat ut è contrario etiam explicemus feliciſſimum eorum ſtatum, qui vivunt ſub euangelio, & gratiæ divinæ per Chriſtum facti ſunt participes. Quem quidem ſtatum ſupra diximus eſſe ejuſmodi, ut jam ſerviamus Deo, eique bonorum operum fructum afferamus, adjuti ſpiritu euangelico: cujus ſtatus quia ipſemet factus ſum particeps, ideo paulo ante Deo per Jeſum Chriſtum gratias egi. Quare, ut ad rem accedam & breviter ſummam iſtius felicitatis complectar, ea hæc eſt: quod iſti homines condemnationi ſeu morti æternæ, cui ſubjectos eſſe diximus eos, qui ſub lege vivunt, nullo modo ſint obnoxii amplius: utpote cum per Jeſum Chriſtum id conſecuti ſint, ut non ex arbitrio appetitus carnalis vivant, quemadmodum ii qui ſub lege, ſed ita actiones ſuas moderentur, prout ſpiritus ille euangelicus, quo mentes noſtræ ſunt imbutæ, dictat ac poſtulat.

verſ. 2. Etenim imperium ſpiritus hujus atque afflatus vivifici (vivificum dico: quia cum vitam immortalem ſub conditione pietatis promittat, vitam etiam ſpiritualem nobis largitur & æternam denique parit) qui per Jeſum Chriſtum nobis contigit, liberavit me cæteroſque omnes Chriſtianos mei ſimiles, primum a jugo ac imperio peccati, deinde etiam a jugo mortis æternæ, cui neminem ſubjectum eſſe vult divina benignitas, qui peccati jugum excuſſerit.

verſ. 3. Lex Moſaica id præſtare non poterat: non quidem ſuo aliquo vitio; ſed vitio carnis noſtræ, quæ, quia adeo prona eſt ad peccatum, ideo invalidam reddebat vim legis, nos a ſervitute peccati, atque inde etiam a condemnatione liberare nitentis. Sed quod illa efficere non poterat, id Deus nunc præſtitit hac ratione: miſit in mundum Jeſum Chriſtum, filium ſuum unigenitum, carne ejuſmodi circumdatum, qualis eſſe ſolet hominum peccatorum, cum & natura ſua ad peccatum nequaquam eſſet inhabilis, & afflictionibus illis diræque morti, quam peccatores ferre ſolent ac merentur, ſubjecta. Hoc ita facto, Deus, ut peccatum aboleret, primum in ipſo, & ſic in carne noſtræ prorſus ſimili, illius vim penitus extinxit, atque abolevit: ſiquidem effecit, ut licet tali carne eſſet præditus, nihilominus & innocentiſſimus eſſet, & a morte, quæ peccatum conſequi ſolet, liberaretur, nobiſque ita exemplo eſſet, ex quo diſceremus, poſſe hominem, licet carne hac fragili circumdatum, ſi modo ejuſdem ſpiritus, quo Chriſtus fuit præditus, fit particeps, peccati jugum excutere & mortem denique evadere.

verſ. 4. Hinc ergo factum eſt, ut nos ſpiritu illo donati, non jam amplius ad nutum & arbitrium carnalis noſtri appetitus; ſed ad nutum ſpiritus illius vitam noſtram inſtitueremus, atque ita porro juſti coram Deo haberemur, non ſecus atque illi habiti fuiſſent, qui legem integram ſervaſſent. [Vel: atque ita porro juſtificationem illam conſequeremur, quam lex ſibi obtemperantibus promittebat.]

verſ. 5. Ideo autem inculco, eos demum a condemnatione liberari, & juſtificationem aſſequi, qui non ex carnalis appetitus, ſed ex ſpiritus arbitrio vitam inſtituunt; adeoque non eos, qui appetitus hujus carnalis vinculis ſunt conſtricti, quales ii qui ſub lege: ſed eos, qui ſpiritui euangelico ſunt addicti: quia quicunque ſunt carnali appetitui obnoxii & ex ejus veluti partibus ſtant, ii etiam ea ſpirant, eaque deſiderant & agunt, quæ carni ſunt grata: contra vero ii qui ſpiritus euangelici imperio ſunt addicti, & ex illius ſtant partibus, ea ſpirant quæ huic ſpiritui ſunt grata, & ad quæ is impellit.

verſ. 6. Atqui deſiderium hoc appetitus carnalis & actio illi conſentanea, mortem æternam affert: deſiderium autem & actio ſpiritui conſentanea vitam ac felicitatem affert ſempiternam.

verſ. 7. Etenim deſiderium appetitus carnalis, & actio ei conſentanea, eſt odium quoddam & inimicitia adverſus Deum, quandoquidem legi, qua Deus voluntatem ſuam expreſſit, & quid a nobis requirat ac deſideret oſtendit, penitus repugnat, nec poteſt ei eſſe conſentanea; cum natura ſua illi adverſetur.

verſ. 8. Unde conſequitur, eos, qui carnis vinculis conſtricti tenentur, Deo placere haudquaquam poſſe, atque adeo ab ipſo pro juſtis haberi, mortemque æternam effugere. Quomodo enim is, qui inimicitias adverſum Deum gerit, a Deo approbari, & ita ab eo tractari poteſt, ut juſtum ac innocentem tractare convenit?

verſ. 9. Sed ad vos hæc non pertinent: cum vos non teneamini conſtricti carnis vinculis, nec eo ſitis in ſtatu, ut appetitus vobis imperet: ſed potius euangelicus ſpiritus vobis dominatur, & in ejus eſtis poteſtate: ſi modo, ut de vobis perſuaſus ſum, ſpiritus hic divinus in vobis ſedem fixit, voſque penitus occupavit. Ita autem de vobis ſentio propterea quod perſuaſus ſim, vos veros eſſe Chriſtianos, idque ipſimet de vobis profitemini. At quiſquis ſpiritu Chriſti, (qui idem eſt cum illo Dei ſpiritu, cujus mentionem feci modo) non eſt præditus, is etiam ad Chriſtum vere non pertinet, neque ei eſt addictus.

verſ. 10. Jam vero ſi Chriſtus per ſpiritum ſuum in vobis habitat, hunc primo conſequemini fructum, ut Chriſto in vobis habitanti quodammodo evadatis ſimiles; & quemadmodum is, ut ſupra alicubi diximus, corpore mortuus eſt peccato, hoc eſt morti & afflictionibus non eſt amplius obnoxius, contra autem nunc ſpiritu vivit Deo: ita & corpus veſtrum ad peccatum cæteroquin valde pronum, jam porro peccato ſit mortuum, neque amplius eam vim habeat, ut illi pareat, ejuſque juſſa exequatur; contra autem mens ac ſpiritus veſter vivat juſtitiæ, voſque ad eam colendam excitet. Unde porro alter conſequetur fructus longe uberior, quem itidem in Chriſti perſona tanquam exemplari cernere licet.

verſ. 11. Nam ſi ſpiritus Dei, qui ſua virtute Chriſtum e mortuis excitavit, in vobis ſedem fixit, certe idem ille Deus, qui Chriſtum, ducem veſtrum, in vobis, ut dixi, habitantem, ex mortuis exſuſcitavit, & corpus ipſius immortale reddidit, idem, inquam, Deus etiam veſtris corporibus nunc quidem vitam quandam ſpiritualem indet, efficietque, ut ea una cum

mente veſtra juſtitiæ ac pietati pareant; aliquando autem ea reddet ex mortalibus immortalia, idque propter idipſum, quod nunc ſpiritus ejus in vobis habitat, qui vos ipſius filios, & divinæ quodammodo naturæ participes reddit.

verſ. 12. Quapropter, fratres chariſſimi, cum hæc ita ſe habeant, id nobis incumbit, ut obſequamur, non carnali appetitui, ita nimirum, ut ex ejus arbitrio vitam inſtituamus; ſed ſpiritui euangelico.

verſ. 13. Nam ſi ex appetitus arbitrio vivetis, æternum moriemini: contra vero ſi ope illius ſpiritus affectus & opera, quæ ex appetitu corporis naſci ſolent, & antehac in vobis locum habuerunt, extinxeritis, eaque in poſterum evitaveritis, vitam conſequemini æternam.

verſ. 14. Etenim quotquot ſpiritui illi divino ſe regendos tradunt, ejuſque ductum ſequuntur, quemadmodum ſane faciunt ii, qui ejus ope carnis opera in ſe perimunt, eaque non admittunt, ii Dei ipſius ſunt filii: qui quemadmodum jam naturæ ipſius ſunt quodammodo participes, eique ſimiles; ita etiam viciſſim a Deo filiorum loco habentur, ab eoque ſunt adoptati, & in filiorum jus adſciti. Eos autem, qui a Deo inſtar filiorum diliguntur, vitæ ſempiternæ fore participes quanquam per ſe unicuique videtur patere, mox tamen planum faciam. Interim id, quod modo aſſerui, demonſtrabo, nos, ſi officio noſtro ſatisfecerimus, ac ſpiritui nobis dato obſecuti fuerimus, omnino filiorum Dei loco haberi.

verſ. 15. Id autem docet ille ipſe ſpiritus, quo a Deo donati eſtis. Neque enim ſpiritum ſervilem quendam iterum accepiſtis, ita ut Deum, tanquam herum quendam ſeverum, metuere, & ad ejus mentionem, inſtar mancipiorum quorundam expaveſcere cogamini: quemadmodum vobis contigit, qui legem aliquando a Deo latam accepiſtis, quæ, cum multa ac gravia ſub comminatione execrationis ac mortis præciperet, animum vobis indebat ſervilem, qui ſupplicia Dei perpetuo horreret; non, inquam, talem nunc accepiſtis ſpiritum, ſed ſpiritum filiis plane convenientem, & Deo vos adoptantem; utpote qui animos veſtros impellit, ut ad Deum, tanquam patrem benigniſſimum clametis, & inſtar filiorum tenerrimorum ſingulari cum fiducia clametis; Abba, hoc eſt ô pater.

verſ. 16. Non eſt ergo opus aliunde conquirere argumenta, quibus probetur, nos, ſi ſpiritui euangelico fuerimus obſecuti, eſſe Dei filios: cum ille ipſe ſpiritus ſatis teſtetur animis noſtris, id cupientibus, & ſibi perſuadentibus, nos eſſe Dei filios, hoc eſt a Deo adoptatos, & in jus filiorum accitos.

verſ. 17. Jam vero ſi ſumus filii, & in liberorum jus admiſſi, ſane etiam hæredes erimus, & paternorum bonorum poſſeſſionem adibimus. Hæredes, inquam, erimus ipſius Dei, & cohæredes Chriſti, utpote filiorum Dei primogeniti, in quo Deus nobis ſpectandum exhibuit, quæ filiorum ſuorum ſit conditio. Proprium autem Dei bonum, quod Chriſtus hæreditavit, quodque in alios etiam manare poteſt, eſt ſempiterna illa vita ac gloria. Hæc itaque eſt, quæ filios Dei, hoc eſt omnes illos, qui ſpiritu ipſius reguntur, manet. Verum quemadmodum Chriſtus non alio modo, quam per afflictionis perque mortem truculentam & ignominioſam ad tantam gloriam ac felicitatem pervenit: ita etiam nobis, ſi ejuſdem gloriæ ac felicitatis velimus fieri participes, eædem quoque afflictiones & contumeliæ, ac denique truculentiſſimæ mortis genus, quod nobis perpetuo impendet, non eſt detrectandum.

verſ. 18. Neque eſt, quod quis dicat, nimis duram eſſe hanc conditionem noſtram: ego enim ita ſtatuo, & certiſſima ratione ductus apud me decerno, nullo modo comparandas eſſe afflictiones, quas nos in hoc ſeculo juſtitiæ cauſa perpetimur, cum gloria illa & felicitate, quæ aliquando in nobis apparere & manifeſte exiſtere debet, quæ nunc in Deo ejuſque decreto adhuc latet, nec oculis hominum cernitur.

[Vel: dura quidem foret, ſi poſt hanc vitam nihil reſtaret amplius, nec patientiæ hujus noſtræ præmium ac merces eſſet adeo ampla. At vero tanta eſt illius gloriæ ac felicitatis, quæ nobis aliquando reipſa contingere debet, & ſic manifeſte cerni, quæ nunc in Dei decreto tantum continetur magnitudo, ut afflictiones, quas nos illius cauſa in tam brevi vitæ hujus ſpatio perpetimur, cum illa ne comparandas quidem eſſe merito ſtatuam.]

verſ. 19. Neque enim eſt quod quis putet, homines Chriſtianos, qui a Deo ejuſque ſpiritu fuerunt reformati, & animæ ac vitæ ratione ita immutati, ut novæ quædam ſint creaturæ, in hoc ipſo ſuo ſtatu penitus acquieſcere, & in eo ſupremam ſuam felicitatem, Philoſophorum inſtar, collocatam arbitrari. Haudquaquam ita ſe res habet: ſed potius ii, qui ita ſunt a *Deo* reformati, magno cum deſiderio expectant, & veluti exerto capite proſpectant felicitatem ſuam futuram: quæ in eo conſiſtit, ut cum nunc jure ſeu decreto divino Dei filii ſint, aliquando etiam reipſa ac manifeſte tales exiſtant, hoc eſt, immortalitate illa glorioſa & ſic naturæ ratione, Deo ſimiles evadant: cum reformatio illa animi ac morum, quæ in illis nunc locum habet, efficiat quidem, ut novæ creaturæ jure dici mereantur, quemadmodum diximus; ſed ut Dei filii perfecta qnadam ratione cenſendi ſint, (cum ea res in perfecta cum Deo ſimilitudine conſiſtat) non efficit; adeoque merito idipſum adhuc expectare dicuntur.

verſ. 20. Nam, ne alia nunc commemorem, quæ merito efficiunt, ne homines Chriſtiani, a Deo ita, ut diximus, reformati in hoc ſuo ſtatu penitus acquieſcant, ſed ad majorem felicitatem adſpirent, illæ ipſæ afflictiones, quæ illos tandem conſumunt, & evanidos caducoſque vel oſtendunt, vel efficiunt, ei rei ſunt argumento. Nec enim ideo illis ſubjecti ſunt homines Chriſtiani, quia ipſi iis delectentur, ſponteque ſua illis, ut virtutis oſtendendæ materiam habeant, ſeſe objiciant, in eoque aliquam felicitatis ſuæ partem collocent; ſed ob Dei voluntatem atque imperium, qui eos hujuſmodi calamitatibus ſubjectos eſſe voluit:

verſ. 21. Verum ita ut ſpem illis faceret, fore, ut quemadmodum filius ipſius Jeſus Chriſtus, cujus cohæredes nos eſſe antea diximus, quique aliorum Dei filiorum exemplar eſt, ab hujuſmodi afflictionibus ac morte ipſa liberatus, immortalis evaſit, & nullis amplius malis ſubjici poteſt; ita ipſi quoque ab afflictionibus ac morte, cui nunc ſunt obnoxii, ac velut mancipati, penitus vindicati aſſerantur in glorioſam libertatem, filiis Dei perfecta ſic dicta ratione convenientem, hoc eſt, naturam iſtiuſmodi conſequantur, quæ ipſos ab omnibus ejuſmodi malis, atque ab ipſa corruptione perpetuo reddat immunes.

verſ. 22. Quod ſi quis forte dicat, non omnes Chriſtianos

ſtianos præſentem rerum ſtatum ita moleſte ferre, ut ad meliorem ac beatiorem ſuſpirent, is vehementer fallitur. Scimus enim & experimento ipſo diſcimus, omnes eos, qui per Chriſtum ſunt reformati, ac denuo veluti creati, ſimul gemere ac ſuſpirare, afflictionum & periculorum onere preſſos, itaque angi, ut ſimul omnes parturire videantur, ab ipſo hujus novæ creationis initio, ad hoc uſque tempus: ex quo, quid de reliquo tempore ſit ſtatuendum facile colligi poteſt.

verſ. 23. Neque vero vulgares tantum Chriſtiani ita gemunt in afflictionibus, ac inſtar parturientium dolore anguntur: verum etiam ii, quos quiſpiam putaret maxime ab hujuſmodi angore ac gemitu eſſe liberos, & in præſenti ſua felicitate penitus acquieſcere: ii nempe, qui ſpiritus divini, qui Chriſtianis hominibus hactenus datur, veluti priores ac potiores partes acceperunt, eoque ita opulenter ſunt donati, ut videantur illius vi adverſus dolorem illum ſatis eſſe muniti. Nos, inquam, ipſi, qui inter cæteros Chriſtianos, ex divina benignitate, eminemus, utpote cæterorum duces, etiamſi dolorem non ita præ nobis feramus, intus tamen atque in animis noſtris ſuſpiramus, expectantes atque deſiderantes, ut re ac facto ipſo filii Dei evadamus, & id conſequamur, quod filiis a Deo adoptatis jure hæreditario competit, nempe liberationem noſtram; non ratione animi, quam jam per divinam gratiam ſumus aſſecuti, ſed etiam ratione corporis, quod nunc afflictionibus ac morti, ut diximus, mancipatum eſt, aliquando vero debet immortale evadere, atque ab omnibus hujuſmodi malis immune.

verſ. 24. Quod ſi quis dicat, a nobis aſſeri, nos jam ſervatos eſſe ac ſalutem adeptos; ei id reſponſum volumus, nos non actu ipſo, ſed jure; non re, ſed ſpe ſalvos nunc evaſiſſe (de ſalute perfecta loquor, quæ ſupremam in ſe felicitatem complectitur) idque ſolum a nobis aſſeri. At vero res ſperata, cum jam reipſa cernitur & tenetur ab eo qui ſperat, jam non amplius res ſperanda eſt, ſeu in ſpe non amplius conſiſtit. Id enim quod quiſque cernit ac reipſa tenet, quomodo ſperare poteſt? cum ſpes ſit rei futuræ.

verſ. 25. Quod ſi ergo bonum hujuſmodi, quod oculis non eſt ſubjectum, ſperamus, quid mirum eſt, me antea aſſeruiſſe, nos ad illud hactenus aſpirare, ſeu quod perinde eſt, patienter expectare: quandoquidem quiſquis patientia utitur, is ſtatum ſuum moleſtum per ſe putat, ac meliorem deſiderat. [Vel: Quod ſi ergo ſalus noſtra ſupremaque felicitas nondum a nobis cernitur, & reipſa obtinetur, ſed ſperatur tantum, conſequens ſane eſt, ut eam patienter inter tot calamitates expectemus.]

verſ. 26. Non eſt autem quod quis putet, nos tanto malorum oneri ferendo pares non eſſe, adeoque, etiamſi videat æquum alias eſſe, ut propter tantam felicitatis ſecuturæ magnitudinem afflictiones hujusmodi ferat, nolit tamen humeros ſuos illis ſubjicere, eritus ne ſuccumbat. Etenim habemus, quod nos leiat ac erigat. Nam idem ille divinus ſpiritus, qui, t ſupra diximus, efficit, ut peccati jugum excutiamus, quique in animis noſtris efficit, ut ad Deum tanquam patrem clamemus, noſque ita Dei filios eſſe teſtatur; is etiam ad tolerandas afflictiones quaſque vires nobis ſuggerit atque inſpirat, & cum malorum onere preſſi labaſcimus, & fere fatiſcimus, nobis ſuccurrit, &, veluti manus auxiliares nobis porrigens, nos erigit. Nam ne id nunc repetam, quod jam antea oſtendimus, ſpiritum hunc, quatenus teſtatur, nos eſſe Dei filios, & ſic divinæ hæreditatis nobis ſpem facit, animos noſtros erigere, & quemadmodum ad cætera pietatis officia, ita etiam ad malorum omnium tolerantiam nos excitare, aliud præterea nobis in afflictionibus præſtat ſubſidium, quod pacis tempore non ita locum habet, neque ita eſt neceſſarium. Id vero eſt, quod, cum afflictionum, aut periculorum magnitudine conterriti, adeo turbamur, ut vix ſcire ac cogitare poſſimus, quid orare Deum debeamus, præſertim ita quemadmodum oportet: [aut quemadmodum oporteat orare convenienter nimirum Deo ejuſque voluntati:] cum tamen in precibus unicum propemodum eſſe videatur rebus noſtris afflictis præſidium: ſiquidem auxilium divinum, quo tunc maxime indigemus, precibus eſt impetrandum: tunc, inquam, ſpiritus ille atque afflatus divinus, animis noſtris inſidens, excitat in iis ardentia ſuſpiria, facitque, ut Deum corde & affectu precemur, etiamſi ore gemitus ac ſuſpiria iſta exprimere non poſſimus: adeo, ut ipſe ille ſpiritus propemodum cenſeri debeat pro nobis apud Deum interpellare, & auxilium nobis ab eo petere.

verſ. 27. Neque eſt quod quis forte putet, vel Deum iſtas preces, cum verbis non exprimantur, ſed in animo tantum lateant, non intelligere, vel non admittere, propterea quod fieri videatur poſſe, ut ſuſpiria illa, quæ mente turbata in nobis excitantur, non ſint ipſius voluntati conſentanea; non eſt quod quemquam hæc cogitatio turbet: Nam Deus qui non tantum ſermones noſtros percipit, ſed corda etiam hominum ſcrutatur, & quæ in eorum receſſibus latent abdita intelligit, is etiam intelligit ſuſpiria illa ac gemitus, quos ſpiritus illius tum temporis in animis noſtris excitat, licet verbis non exprimantur: idem etiam cernit ſuſpiria illa ad ipſum miſſa, quibus homines ſancti, pro nomine ipſius tanta mala ſuſtinentes, boni aliquid ſibi ab ipſo poſtulant, eſſe voluntati ipſius conſentanea; adeo ut dubitare non debeant quin Deus illis ea ſit daturus quæ petunt, & ipſum, ut ita loquar, ſpiritum pro ipſis interpellantem exauditurus. Quæ enim ab hominibus ſanctis, aut pro illis a Deo flagitantur, ipſius voluntati conſentanea, ea nunquam non præſtat Deus.

verſ. 28. Sed dicet iterum aliquis, æquum quidem fore, ut ſempiternæ ſalutis cauſa omnia mala perferremus, niſi ipſa illa mala felicitatem noſtram impedirent atque interciperent. Sed non eſt, quod hæc cogitatio quoque quenquam turbet. Certo enim novimus, iis qui Deum ex animo diligunt, ipſoque opere ſuam hanc erga illum pietatem probant, quales ii qui nihil non pro ejus nomine facere ac pati parati ſunt, omnia, quæ ex Dei conſilio ipſis accidunt, adeoque non tantum læta, verum etiam adverſa ac triſtia bonum ac felicitatem ipſorum conjunctis velut viribus promovere, & ad eam adjumentum aliquod afferre, tantum abeſt, ut eam impediant atque eripiant. Quandoquidem ejuſmodi homines a Deo ſunt ad ſalutē vocati [vel certo conſilio ac decreto,

jam ante conditum mundum facto, ſunt ad ſalutem vocati, ita ſe gerant, ut intentioni & conſilio divino, jam olim de iis, quibus gratiam ſuam offerri vellet, facto, prorſus reſpondeant, hoc eſt, tales ſint, quales Deus quæſivit, cum de hominibus ad ſe ſalutemque vocandis decretum fecit. [Vel: Cum autem eorum, qui Deum diligunt, mentionem facio, eos intelligo, qui non quocunque modo Deum diligunt, verbi gratia de iis, qui legem Moſaicam ſectando, ſuum Deo amorem probare conantur: ſed de iis, quos Deus certo conſilio ac decreto jam olim apud ſe facto, ad ſalutem invitavit, quique ipſi vocanti ſunt obſecuti: quales ſunt ii, qui euangelium receperunt, & in Jeſum Chriſtum credunt.]

verſ. 29. Quomodo vero hujuſmodi hominibus ſalutem quiſpiam poſſit eripere, & non potius omnia, ut eam adipiſcantur, adjumentum aliquod afferre poſſint? quandoquidem eos, quos Deus jam olim apud ſe approbavit, & ſibi diligendos ac favendos propoſuit, de iis etiam ſimul decrevit, ut aliquando ſimiles evaderent, ratione ſtatus ac conditionis, Jeſu Chriſto ipſius filio, qui cæteris tanquam exemplar & imago eſt conſtitutus; ita ut non ipſe ſolus tantum filius ac hæres Dei evadere debuerit; ſed fratres ac cohæredes habere quamplurimos, ex eodem Deo genitos, inter quos ipſe tum tempore, tum dignitate eſſet primus.

Quare quemadmodum ipſi non obſtitit mors truculenta, quo minus ad tantam gloriam perveniret, & Dei filius perfecte evaderet, & hæreditatem ejus adiret; ſed potius illa ipſa mors ei ad tantam felicitatem profuit: ita nec iis, qui eidem gloriæ ſunt deſtinati, & jam quoque aliqua ratione ex Deo ſunt geniti, quicquam oberunt iſta mala, quæ perpetiuntur, ad ſummam felicitatem, ſed potius ad eam conſequendam illis proderunt.

verſ. 30. Iſtud vero decretum ſuum de felicitate ſempiterna nobis danda, cujus hactenus feci mentionem, ita exequitur Deus: ut eos quos ſaluti deſtinavit, non protinus ad eam deducat, ſed per certos veluti gradus. Iis enim qui ad illud hominum genus, quod huic gloriæ deſtinavit, pertinere debeant, ſeu tales ſint evaſuri, quales ſempiternæ gloriæ deſtinavit, iis, inquam, primum per euangelium ſuam gratiam offert, eoſque ad ſalutem invitat; deinde eos, quos ita invitavit, & ipſi officium ſuum faciunt, de quo ſupra ſatis diſſerumius, juſtorum atque innocentium loco habet, hoc eſt, ab omni peccatorum reatu ac pœna abſolutos ita tractat; ac porro ſibi tractandos proponit, ac ſi nunquam peccaſſent. Ac denique quos ita tractat, tandem ad ſupremam gloriam deducet: adeo ut illi, quos Deus ad ſalutem vocavit, ſi ſuum officium fecerint, ipſumque ex animo dilexerint, nullo modo felicitate illa excidere queant, nec quicquam tam adverſum, tamque noxium illis poſſit accidere, quod ſalutem ipſorum impediat.

verſ. 31. Quid ergo quiſpiam poſſit adverſum tam valida argumenta, quibus ſalutis noſtræ certitudo nititur, afferre? aut quomodo ea labefactare poſſit? Si enim Deus [vel: Hæc cum ita ſe habeant, annon ita concludere debemus? ſi Deus] ipſe a noſtris ſtat partibus, ac ſalutem noſtram unice deſiderat, curat ac promovet, quis poterit nobis ita adverſari, ut eam nobis eripiat? quid mali nobis poteſt contingere, ut aditum ad felicitatem ſupremam nobis intercludat? adeo ut ne audere quidem quiſpiam debeat ſaluti noſtræ intercedere. Deum autem a nobis ſtare, ac ſalutem noſtram curare & promovere (ne ex abdito ipſius conſilio, quod hactenus potiſſimum explicui rationem petam) apertiſſimo demonſtravit argumento, quod fidem facit omnibus, quæ hactenus expoſui.

verſ. 32. Id vero eſt, quod ſuum ipſius filium, ſibi longe chariſſimum, qui videbatur ab omnibus afflictionibus debuiſſe eſſe immunis, non detrectavit tamen, ut ſaluti omnium noſtrum conſuleret, noſque ad ſe perraheret, diræ atque infami morti ſubjicere. Quod ſi Deus rem adeo duram noſtri cauſa fecit, quomodo nobis, qui filii ipſius hac ratione evaſimus, eumque ex animo diligimus, non donabit omnia ad veram perfectamque felicitatem pertinentia, ſuorumque bonorum nos faciet hæredes; quemadmodum fecit Chriſtum, quem inter filios Dei eſſe primogenitum diximus?

verſ. 33. Quis ergo tanta erit impudentia, ut adverſus homines Deum diligentes, quos ipſe Deus ſibi amandos ac ſalute donandos ex hominum genere delegit, audeat accuſationem inſtituere? aut ſi quis ſit ejuſmodi, quid proficiet? quandoquidem Deus, qui ſupremus eſt judex, & in cujus arbitrio eſt vel abſolvere, vel damnare, eos juſtos pronunciat & ab omni peccatorum reatu penitus abſolvit.

verſ. 34. Quis eſt, inquam, qui eos reos poſſit peragere, & efficere, ut damnentur? cum Chriſtus, Dei filius, pro illis mortem tam diram oppetierit, adeoque ſalutem ipſorum tantopere deſiderarit? Sed non tantum mortuus eſt Chriſtus ſalutis eorum, de quibus loquimur, cauſa: verum etiam, ut eandem penitus confirmaret, & exemplo ſuo demonſtraret, atque ad exitum denique perduceret, etiam ex mortuis reſurrexit, vitam ſempiternam adeptus. Id quod per ſe majorem adhuc vim ad ſalutem nobis afferendam habet, quam mors ipſa per ſe conſiderata: quam niſi excepiſſet reſurrectio, nos adhuc peccatorum pœnæ eſſemus obnoxii, nec quicquam ipſe in ſalute nobis conferenda præſtare potuiſſet. At nunc contra ſe res habet; præſertim cum non tantum ex mortuis ad vitam ſempiternam reſurrexerit, verum etiam in Dei Patris ſui conſederit ſolio, & imperii factus ſit particeps: ſiquidem illi Deus regnum ſuper populum ſuum, & omnia, quæcunque ad eum ullo pacto ſpectant commiſit; ita ut ſupplicia divina ab iis avertere, & æternam illis ſalutem reipſa largiri poſſit. Sed id præſtare non tantum poteſt, verum etiam cupit, atque in eo omnis eſt, ut nos a peccatorum noſtrorum pœna exemtos vita ſempiterna donet: quod quidem facturus eſt potentia & autoritate, quam non ex ſeipſo habet, ſed a Deo accepit; cui univerſa ſalus noſtra accepta ferenda eſt: ita ut dici quodammodo poſſit, Chriſtum nunc apud Deum, tanquam ſupremum judicem, pro nobis interpellare, & eundem rogare, ut noſtri miſertus nobis parcere, atque ex morte eripere velit, cum ipſemet revera judex ſit, qui patris nomine ſit ſententiam de nobis laturus & executurus.

verſ. 35. Quid ergo eſt, quod efficere queat, quo minus nos Chriſtus, atque adeo Deus per ipſum, diligat, &, ne fructum amoris illius percipiamus, efficiat? Nihil ſane. Non afflictio ulla, non ejuſmodi rerum anguſtia, quæ faciat, ut, quo nos vertamus, neſciamus; non perſecutio & in exilium ejectio, non fames & rerum ad victum neceſſariarum inopia;

non

non corporis nuditas; non periculum ullum præſcutem intentans mortem; non ipſa denique mors violenta, cui divini nominis cauſa nos perpetuo obnoxii ſumus.

verſ. 36. Nam ad nos vel inprimis pertinent illa Pſalmi verba, quæ de populo divino aliquando ſub externo dominatu acerbiſſima patiente, & populi Chriſtiani imaginem quandam exhibente, dicta ſunt; ubi ita homines afflicti Deum alloquuntur: Tui cauſa, ô Deus, quod nomen tuum profitemur, & tibi tuæque legi, omnium gentium moribus & inſtitutis adverſæ, addicti ſumus, ſine intermiſſione occidimur; totos dies nihil aliud agunt hoſtes noſtri, quam ut nos perimant, planeque cenſemur ac tractamur inſtar ovium, quæ mactationi ſunt deſtinatæ, ut ſubinde producantur ac jugulentur. Eadem nimirum eſt conditio noſtra, qui Deo per Chriſtum addicti ſumus, ejuſque nomen profitemur.

verſ. 37. Sed ne deſpondeamus animum: non oppriment nos iſta mala, & in ſempiternum interitum conjicient: ſed nos jis omnibus ſuperiores evademus, & victoriam de illis ac triumphum reportabimus glorioſum; non noſtris quidem viribus ac merito, ſed virtute ac benignitate Chriſti, ipſiuſque adeo Dei, qui nos tantopere, quemadmodum ſuperius oſtendimus, dilexit, ita ut non poſſit deſinere nos, qui ipſum conſtanter diligimus, & pro ipſius nomine omnia patimur, charitate ſua complecti:

verſ. 38. Ego enim ita penitus perſuaſus ſum, ac firmis nixus fundamentis prorſus confido, quod neque mors, quæ tamen maximam vim habere videtur, ad nos ſempiterna vita privandos; neque contra hæc mortalis vita, quæ niſi deponatur, immortalitati non poſſit eſſe locus; neque Angeli, ſive boni, ſi vellent noſtræ felicitati intercedere, quod tamen nolunt; ſive mali, qui libenter vellent; & non tantum angeli vulgares ſed nec ii, qui inter eos principatum tenent, ac poteſtate cæteris omnibus ſunt ſuperiores; neque ii, qui virtute ac robore inter eos maxime pollent, adeoque multo minus terreni principes; neque illa, quæ nunc extant, & hominibus Chriſtianis nocere poſſe videntur; neque illa, quæ poſthac futura ſunt (ne quis forte putet, pejora adhuc, & majorem vim ad nos perdendos habentia aliquando ſubſecutura;) neque cœli in quo ſupremæ felicitatis ſedes eſt, ſublimitas & a nobis diſtantia; neque abyſſi, in quam per mortem deſcendere videmur, profunditas; [vel: neque quicquam quod in ſublimi ſit, neque quicquam quod in profundo;] neque denique ulla alia creatura, ſi quæ cogitari etiam poteſt, tantum habere poſſit virium, ut efficiat, quo minus nos Deus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum cæleſtem reipſa diligat, & ſalute ſempiterna, qui amoris illius fructus eſt, nos aliquando donet.

## CAP. IX.

Verſ. 1. VErum hoc loco nobis haud exigua oboritur difficultas, quæ, niſi tollatur facile ea omnia, quæ prolixe hactenus ad ſtruximus, labefactare queat. Etenim ſi juſtificatio non operum meritis acquiritur, ſed fide, quam euangelium Jeſu Chriſti docet, obtinetur; neque iis poteſt contingere, qui ſub lege adhuc vivunt, divinæ gratię per Chriſtum hominibus oblatæ expertes; conſequetur, Judæos pleroſque juſtificationem haud aſſecuturos: cum contra gentes extraneæ, fidem amplexæ, eam ſint aſſecuturæ. Qua de re quia ea nobis dicenda erunt, quæ popularibus meis ingrata erunt auditu, id primum proteſtor, ne quis ea odio gentis meæ, ut fortaſſe nonnulli arbitrantur, a me dici putet. Tantum enim abeſt, ut gentem meam ullo proſequar odio, eorumque delecter interitu & pernicie, ut potius ardentiſſimo illos amore complectar, erorumque pernicie vehementer afficiar. Id loquor, quod res eſt, quemadmodum Chriſtianum hominem, qualis ego ſum, facere par eſt, [vel: Chriſto ejuſque ſanctiſſimæ doctrina linguam meam moderante] nec quidquam mentior: cujus rei teſtimonium mihi apud omnes præbet mea conſcientia; cujus me ſummam rationem habere facta mea unumquemque docere poſſunt, quamque adeo non temere a me in teſtimonium advocari, quivis facile perſpicit: nec tantum conſcientia, quæ licet mille teſtium inſtar eſſe debeat, tamen cum ejus vis ac teſtimonium aliquo modo ſit in occulto, ideo ab homine, vel vitæ meæ ignaro, vel iniquo rerum æſtimatore in dubium vocari poteſt; verum etiam luculentiſſimum, & omni exceptione majus teſtimonium, quo comprobetur, me vera dicere, præbet mihi Spiritus Sanctus ſeu vis illa divina, quæ in me cernitur, & multis admirandiſque operibus ſe exerit; quæ ſane unumquemque monere poteſt, me haudquaquam eſſe hominem vanum ac mendacem, qui id aſſerere audeam, quod ab omni veritate abeſſe ipſemet compertiſſimum habeam. [Vel quæ conſcientia mea Spiritu Sancto regitur ac gubernatur, ne eam forte putetis adeo laxam, & ab omni jure ſolutam, ut quidvis ea mihi permittat dicere, & in re, quantumvis aperta, mentiri.]

verſ. 2. Teſtor autem, majorem in modum me diſcruciari animumque meum perpetuo dolore confici, quod videam tantam Judæorum multitudinem perire, & ideo quod Chriſtum repudiet, ab eodem viciſſim repudiari, atque gratia divina ſaluteque ſempiterna excludi.

verſ. 3. Poteſt doloris illius mei, quam ex ea re percipio, magnitudo inde æſtimari, quod optarim, [vel: tantus inquam eſt dolor ille meus, ut optarim] ſi id ullo pacto fieri poſſit, meo ipſius interitu ipſorum interitum redimere: nec recuſarim ipſe a Chriſto rejici, ipſiuſque gratia excidere, & tanquam execrabilis interitui ab ipſo devoveri, ut illorum ſaluti, quibus gentis ac generis cognatione junctus ſum, conſulerem, & ut illi, fidem in Chriſtum amplexi, gratia ipſius perfruantur, efficerem. Ut autem tantopere triſter Judæorum interitu, tantoque eum impendio redimere cupiam, non tantum ea, quam dixi, ſanguinis conjunctio, quæ mihi cum illis intercedit, me movet; ſed etiam, idque vel inprimis, tanta ejus gentis excellentia, qua divino beneficio eſt ornata, quaque ſuper omnes reliquas gentes eminet.

verſ. 4. Nam id primum ad ipſorum ſingularem dignitatem pertinet, quod ſint Jacobi progenies, ejus nempe viri, qui a Deo nomen Iſraelis, hoc eſt, victoris Dei, ſortitus eſt, & cujus univerſa poſteritas pro Dei populo haberi debebat, atque adeo fuit habita. Deinde illud potiſſimum ad ſummam illorum dignitatem ſpectat, quod ejus gentis homines ſoli fuerint ex omni-

bus orbis nationibus delecti a Deo, ut in eos ſingularem ac plane paternam charitatem exerceret, tantamque eorum curam gereret, ut cum cæteris gentibus comparati, adoptati a Deo,& filiorum loco habiti cenſeri poſſent. Præterea (3) illis ſolis tanta contigit gloria, ut Deus illis perpetuo præſens, lucem iis ac fulgorem ſuum quodammodo circumdaret, eoſque ſplendore ſuo colluſtraret; [vel: Qua in re ſumma hujus populi præ cæteris omnibus orbis totius nationibus, gloria atque eminentia conſiſtit] cum & ab initio ſtupendis operibus ſuam inter illos majeſtatem oſtenderit, nempe cum eos ex Ægypto per mare Erythræum deduceret, atque in ipſo deſerto circumduceret, nec poſtea deſtiterit inter eos miracula ac oracula per Prophetas edere, ſuamque ea ratione præſentiam teſtari, & denique ſuper arca fœderis ſingulari quadam ratione perpetuo adeſſe,& tum cultui ſuo,tum univerſo populo præſidere. Quæ ſane tanta fuit hujus populi gloria ac majeſtas, ut nulla gens cum illa hac in parte eſſet comparanda, & cæteris a Deo deſertis,& Dæmonum imperio quodammodo relictis, ſoli Judæi Dei præſentia gaudere cenſendi eſſent. (4) Adde, quod ad hos ſolos ſpectent fœdera, non ſemel a Deo repetita, nempe fœdus cum Abrahamo primum percuſſum, deinde cum Iſaaco & Jacobo renovatum, cujus complementum fuit fœdus illud nobile per Moſen a Deo cum populo hoc ſancitum; quod priora iſta cum Patriarchis pacta in ſeſe complectitur, quodque ipſum poſtea, præſertim poſt captivitatem Babylonicam, fuit quodammodo renovatum. Fœdera hæc cum aliis gentibus non fuerunt Judęis communia; ſed horum propria. (5) Cum hac Judaicæ gentis eminentia conjuncta eſt illa, quod his ſolis expreſſe lex fuerit lata, & tam copioſe explicata; quam hujus gentis gloriam apud alias terræ nationes fore, non fruſtra prędixit Moſes: cum nulla gens tam ſancta, tam æqua, tamque rationi conſentanea haberet inſtituta. (6) Huic iterum illud conjunctum eſt, quod his ſolis fuerit certa quędam Deum colendi ratio prędſcripta, & ceremoniæ, quibus numen rite honoraretur ac propitiaretur, traditæ, interque illos ſolos locus ille fuit conſtitutus, ubi Deum adorari, & publicis ſolennibusque ſacrificiis venerari liceret; ita ut ibi ſedem divini cultus, qui in externis ritibus ac oblationibus conſiſteret, propriam ac unicam fuiſſe dici debeat. (7) Accedit, quod ad hos ſolos pertinuerint promiſſiones divinæ, ac præſertim illæ, quæ ſunt omnium maximæ, nimirum de Meſſia ac felicitate per ipſum danda; Judæis, inquam, ſolis tanta bona fuerunt promiſſa, & a Deo olim denunciata, non cæteris gentibus, quæ cum ad eadem bona admittuntur, non ideo id fit, quod Deus ſe illis promiſſo aliquo obſtrinxerit, ſed ex libera ejus voluntate ac benignitate.

verſ. 5. (8) Porro illud quoque ad eorundem ſingularem dignitatem pertinet, quod genus ducant ab inclytis illis, ac Deo chariſſimis gentis noſtræ luminibus atque auctoribus, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, & aliis, qui principes familiarum clariſſimarum fuerunt, & quorum in Deum ſingularis pietas emicuit, quique ab eo ſingulariter fuere dilecti: qualis, inter alios, Joſephus, Moſes, Joſue & Caleb, David, aliique, quorum virtus effecit, ut poſteri etiam eorum Deo eſſent, & nunc ſint quoque gratioſi, nec unquam penitus favore divino excidant. (9) Agmen denique hujus tam multiplicis dignitatis claudit Chriſtus; qui, ſi naturam ipſius ſpectes, & ut hominem carne circumdatum conſideres, (nam ſi id quod in eo ſpirituale ac cæleſte prorſus eſt ſpectes, longe alia eſt ejus ratio, aliuſque ortus, ut mox patebit) ex Judæis ortus eſt. Quanta vero ea ſit dignitas, Chriſtum habere conſanguineum ac cognatum, vel ex eo æſtimari poteſt, quod is in omnes, non modo homines, ſed etiam angelos, atque adeo in res omnes, uno illo excepto, qui ipſi omnia ſubjecit, divinum habeat imperium, illorumque ſit Deus in omne ævum laudibus celebrandus: quod ut reipſa fiat, ex animo opto. Nempe, ſi naturam ipſius ſpectes, ex Judæis originem ducit; ſi dignitatem, ex Deo: quod ipſum tamen ad eorum pertinet dignitatem. Quare cum hæc ita ſe habeant, magna eſt cauſa, cur graviſſime doleam, populares meos, cum fidem in Chriſtum non fuerint amplexi, juſtificatione ac ſalute excidiſſe, imo etiam a Deo induratos ad ſupplicium reſervari.

verſ. 6. Quod cum aſſero, non eſt quod quiſquam mihi objiciat; hinc ſecuturum, irritas eſſe factas Dei promiſſiones, qui Iſraelis poſteris ac progeniei Abrahæ perpetuum ſuum favorem, & exinde manantem juſtificationem ac ſalutem fuerit pollicitus: cum tamen impoſſibile ſit, Dei verba ac promiſſiones reſcindi atque in irritum cadere. Neque ſane id in hoc negotio factum eſt, aut ex meis dictis ullo modo conſequitur. Intelligendum enim eſt, duplici modo accipi poſſe Iſraelitas ſeu Iſraelis poſteros: alii enim eatenus tantum ſunt Iſraelis progenies, quatenus ſecundum carnem ex eo ſunt orti, & naturalis propagationis ordine ex eo deſcendunt: alii vero eatenus, quatenus fidem pietatemque Iſraelis ſequuntur; qui quidem veri ac genuini Iſraelitæ apud Deum, qui ſpiritum potius, quam carnem, reſpicit, æſtimantur: & quemadmodum illi in terrena ac corporalia Iſraelis bona ſuccedunt, & promiſſionum Dei carnalium fiunt hæredes; ita hi ſpiritualium ac cæleſtium; de quibus nos in univerſa hac noſtra diſputatione agimus. Hoc jam ad inſtitutum noſtrum accommodemus, & objectionem propoſitam diluamus. Fateor igitur, populares meos, quos a Deo repudiatos cenſeo, eatenus eſſe Iſraelis poſteros, quatenus ex eo carnali ac humana ratione ſunt geniti: ſed inde tamen non conſequitur, eos eſſe veros illos ac genuinos Iſraelitas ſeu Iſraelis poſteros, ad quos ſpiritualium bonorum promiſſio pertinet: cum non omnes qui ex Iſraele ortum ſuum ducunt, protinus ſint veri ac genuini Iſraelitæ.

verſ. 7. Quod idem de Abrahami quoque poſteris ſtatuendum eſt, ex quorum ratione facile intelligitur id quod de Iſraelis poſteris modo diſſeruimus. Nam etiam Abrahami poſteri duplices ſunt: alii ſecundum carnem; alii ſecundum ſpiritum; & hi quidem pro vera & genuina Abrahæ progenie, ad quam ſpiritualium bonorum hæreditas, ipſi a Deo promiſſorum, pertinet, cenſentur; illi non item: neque ideo, quod quis ex illorum ſit numero, ſeu ſecundum carnem ex Abrahamo ſit genitus, protinus etiam eſt ex horum numero, & ſic genuina Abrahami proles ac hęres: ac proinde Judęi, quos a Deo rejectos dixi, non poſſunt ſibi eo nomine poſſeſſionem divinæ illius gratiæ ac hæreditatis vindicare, quod ex Abrahamo ortum ducant. Adumbratum autem eſt hoc totum in carnali Abrahami progenie: quæ non tota in jus filiorum

venit,

enit, & hæreditatem, quæ Abrahami filiis a Deo destinabatur, adiit. Habebat enim Abraham duos filios, Ismaëlem & Isaacum: quorum illum naturali prorsus ratione genuerat, non vero accedente opera ac virtute Dei singulari; alterum vero Isaacum, quem singulari Dei ope ac virtute accedente genuerat, ita ut si hunc cum illo conferas possis dicere, Isaacum secundum spiritum; hoc est, spirituali quadam virtute fuisse genitum; illum vero secundum carnem, seu carnalibus tantum viribus. Jam vero Deus noluit, ut Ismael cum suis posteris haberetur pro genuina Abrahami progenie, & sic hæreditatem Abrahami, licet carnalem ac terrenam, adiret. Nam cum Sara dixisset Abrahamo, ut ejiceret ancillam Agarem ejusque filium Ismaëlem, non enim filium ancillæ hæredem fore cum filio suo Isaaco: Deus hunc Saræ sermonem comprobavit, & Abrahamo, qui ægre eum tulerat, mandavit, ut omnia, quæ ipsa dixerat, faceret, addita ratione: quia Isaacus & ejus progenies censebitur pro vera & genuina tua posteritate.

vers. 8. Quibus verbis, (ut mysterium hoc evolvamus, & ex umbra, quid de corpore sentiendum sit, colligamus) significavit, non eos protinus, qui secundum carnem ex Abrahamo sunt prognati, eosdem etiam veros ac genuinos esse filios ac hæredes Abrahami: cum eos, qui veri Abrahami sint filii atque hæredes, necesse sit Dei etiam esse filios, utpote qui divina bona divinamque felicitatem sint hæreditario jure possessuri: (hæc enim est illa hæreditas Abrahamo ejusque progenici promissa.) Qui autem carnis viribus ex Abrahamo est prognatus, is eatenus Dei filius censeri non potest: cum ad ejus generationem divina virtus nihil tale contulerit, ob quod Dei filius dici mereretur. Hos igitur, ut diximus, significavit Deus non esse genuinam Abrahami progeniem; sed eos demum, qui vi promissionis divinæ, atque adeo virtute ipsius Dei promittentis ex Abrahamo nascuntur, quemadmodum Isaac natus fuit.

vers. 9. Eum enim nasciturum promisit aliquando Deus per Angelum; qui personam ipsius sustinens apud Abrahamum, Sara audiente, ita locutus est: circa hoc ipsum tempus anni sequentis ego favore meo præsens adero Saræ, fietque, ut ea filium pariat. Nam etsi alicui videri possit, hanc simplicem tantum esse prædictionem: revera tamen sermo hic promissio fuit Dei per Angelos loquentis; ita ut significarit istis verbis, se opera sua effecturum, ut filius ille, nempe Isaac, nascatur, præsertim cum sese præsentem favore & auxilio suo adfore dicat, & matrem jam anum, cæteroquin sterilem & ad pariendum prorsus ineptam, designet, & sexum prolis nascituræ, & nativitatis tempus exprimat: quæ sane omnia non sunt prævidentis simpliciter, sed promittentis, & rem ipsam viribus suis effectam dare volentis. Isaaco autem hoc modo generato ejusque progenici, quæ, quatenus per patrem hunc suum ex Abrahamo descendebat, eatenus ipsa quoque vi promissionis divinæ, ac proinde etiam efficacia Dei promittentis, fuit ex Abrahamo prognata; ei, inquam, respondent omnes ii, qui fidem Abrahami sequuntur; qui non carnalibus Abrahami viribus ab ipso procreantur, sed virtute Dei; qui hoc olim ipsi promisit, cum ut supra jam alicubi innuimus, fore prædixit, ut semen ipsius sit instar cæli stellarum innumerabile; & ipsum fore patrem multarum gentium: id quod non de carnali, sed spirituali semine intelligendum esse dicto loco indicavimus. Possunt ergo Judæi vel ex hoc ipso typo agnoscere, Deum, in hominibus justificandis, carnalis ex Abrahamo propagationis rationem non habere, fierique posse, ut aliquis ex Abrahamo naturaliter prognatus hæres tamen benedictionis divinæ, semini illius promissæ, non evadat.

vers. 10. Quod si quis forte excipiat, non mirum esse, in Ismaële non fuisse habitam carnalis ex Abrahamo propagationis rationem, eumque cum sua posteritate jure fuisse exclusum ab hæreditate Abrahami; solum autem Isaacum pro genuino Abrahami filio & hęrede habitum propterea, quod Ismael ex serva Abrahami concubina, Isaacus vero ex libera, domina, legitimaque Abrahami uxore fuerit natus: ne illud nunc respondeam, quod illud discrimen per se tanti non fuerit apud Deum, siquidem Jacobi etiam filii ex ancillis nati, tribuum quarundam autores ac principes, pro legitimis ejus filiis sunt habiti, & hæredes ejus constituti; alio adhuc exemplo, eoque propiore, ostendam, carnalis propagationis, imo etiam prærogativæ natalium non haberi a Deo in assignandis suis beneficiis rationem. Nam non tantum in Abrahami filiis illud discrimen observare licet, quorum Matres tam diversæ fuerunt conditionis; sed etiam in filiis ipsius Isaaci, cujus posteritas pro vera Abrahami progenie censeri debebat. Ii enim non ex uno tantum Patre, sed etiam ex eadem Matre, Rebecca, fuerunt nati; & tamen admodum dispar eorum apud Deum fuit conditio: idque non ob disparitatem operum ac meritorum, (quæ pro se quoque populares mei a Deo repudiati allegant, arbitrantes sibi ideo vel inprimis deberi justificationem ac benedictionem divinam, quod non tantum natalium ratione præcellant plerisque eorum, qui in Christum credunt, sed etiam ratione operum ex legis præscripto præstitorum: cum plerique credentium Ethnici impiique antea fuerint.)

vers. 11. Nam ne operum quidem Deus olim habuit rationem in Isaaci & Rebeccæ filiis. Nam tum, cum nondum essent editi in lucem filii isti, adeoque nihil adhuc fecissent sive boni, sive mali, ut appareret, Dei tantum alterum præ altero eligentis propositum valere, nec operum merita ab ipso spectari, sed libera eum voluntate alteri eorum singularem gratiam ac favorem destinare & promittere,

vers. 12. Dictum est eorum matri oraculum consulenti: majorem natu, hoc est Esauum ejusve posteros servituros posteritati natu minoris, nimirum Jacobi.

vers. 13. Cui consentit Prophetæ Malachiæ locus, ubi asserit Deus, se Jacobum singulari ratione dilexisse, ejusque posteros favore eximio fuisse prosecutum; contra vero Esauum ejusque progeniem ita neglexisse & Jacobæis postposuisse, ut illos præ his quodammodo odisse dici possit. Esauo ejusque posteris respondent ii, qui natalium prerogativa eminent, Judæi in Christum non credentes; Jacobo vero ii, qui in Christum credunt, licet natalium ratione incredulis Judæis multo inferiores: quorum hos Deus non propter operum merita, quibus excelluerint, præ illis sibi diligendos jam olim destinavit, sed ex mera sua benignitate liberaque voluntate; illos vero repudiavit, etiamsi credentibus operum ratione non tantum impares non essent, sed etiam fuissent antea superiores.

vers. 14. Sed objiciet quispiam: si ita agit Deus, ut eos, qui indigniores aliquando fuerint, dignioribus

præferat; & nulla habita ratione prærogativæ carnalis operumve antecedentium, alios quidem diligit, iisque justificationem ac salutem decernit; alios vero negligit, imo odit, & ut tu de Judæis statuis, eos indurando ad pœnam reservat: nonne inde consequitur, Deum esse injustum, & iniquitate in decernendo uti? nequaquam. Nam primum quod in beneficiis suis conferendis alios quidem eligit, alios vero præterit, seu illis ea destinat, hos vero ab iis repellit, in eo propterea nulla est injustitia, quod liberum Deo sit beneficium vel dare, vel negare, & alicujus vel misereri, vel non misereri.

vſ. 15. Quod ipsemet Mosi aliquando significavit, cum dixit; se eum, quem voluerit, misericordia prosecuturum, eumque se singulari favoris affectu complexurum, quem libuerit. Beneficia enim in dantis sunt potestate; & ubicunque misericordiæ locus est, ibi apparet nullum esse meritum ac jus illius cui misericordia sit exhibenda; sed de ejus tantum qui misereatur jure agi. Intelligendum nimirum est, quod ad nostram disputationem attinet, nec illud hominum genus, quod Deus amandum & justificatione ac salute donandum delegit, nempe credentes; nec illud quod repudiavit, nempe credere nolentes, licet secundum carnem credentibus emineant, & fortasse etiam operibus anteactis; justificationem ac salutem mereri: cum ut supra prolixe docuimus, omnes peccarint, adeoque neutri jus ad tanta bona repetenda habeant, sed ea penitus in Dei sint manu ac potestate.

vers. 16. Quapropter prima ac potissima causa, unde hæc beneficia in alterutrum hominum genus proficiscuntur, non est hominum bona ista ambientium voluntas, aut eorundem in iis adipiscendis studium ac labor, utpote qui bona illa revera non merentur; sed Dei misericordia. Huic revera imputandum est, quod cuipiam hæc felicitas offeratur; licet eam postea nemo consequatur, nisi conditionem eam præstiterit, quam Deus illi imposuit; & sic Dei misericordiam prævenientem voluntas & studium beneficium amplectentis, consequatur. Quatenus ergo Deus huic hominum generi justificationem destinat, illi negat, eatenus nulla in ipso est iniquitas.

Sed nec in eo injustitia est, quod illius generis homines, cui justificationem ac salutem non destinavit, etiam induret, & sic odii sui vim in eos exserat. Licet enim Deo, quem jure supplicio destinavit, eundem etiam indurare: atque eo pacto ad supplicium reservare ac ducere.

vers. 17. Cujus rei exemplum habemus in Pharaone, cui, ut Sciptura testatur, ita denunciari jussit Deus: Ego teipsum ob nefanda scelera, tum tua, tum Regum te antecedentium, nominatim mihi elegi & tanquam scopum quendam præfixi ac erexi, nec permisi hactenus, ut subito telis meis confixus caderes, aut mihi cederes; sed potius ita egi, ut animum tuum porro obfirmares: nec a malitia ac contumacia jam antea concepta recederes, ut ita occasionem haberem tanto ampliorem, te singularibus atque inusitatis suppliciis afficiendi, & eo pacto admirandam meam potentiam ostendendi; idque eum in finem, ut in universo terrarum orbe nomen meum prædicetur, & fama potentiæ meæ ubique celebretur.

vers. 18. Quapropter, ut dictorum summam breviter colligamus: misericordia prosequitur Deus quoscunque libet, sive certos quosdam homines nominatim sive certum aliquod hominum genus; ut in nostro negotio accidit, in quibus misericordiæ possit esse locus, iisque sua beneficia destinat; contra etiam quoscunque libet homines, in quos justa cadit pœna, quique sunt supplicium aliquod commeriti, indurat, eorumque animum, Dei voluntati repugnantem, & in mala sponte sua pronum, ea ratione qua Deo dignum est, obfirmat, ne forte supplicium effugiant, sed potius pœnæ tempori reserventur.

vers. 19. Sed, quid hic dicturus sis, cui hujusmodi Dei libertas & decreta inde manantia displicent, video; nec dubito, quin præfracte mihi sis oggesturus: Si ita Deus agit, ut non tantum cujus velit, misereatur; sed etiam, quem libeat, induret; quid habet, quod de nobis, quos tu ab ipso repudiatos induratosque putas, conqueratur: cum nemo ipsius voluntati possit resistere, adeoque nec nos, quos ille interitui, opinione tua, destinavit, aliter possimus agere, quam agimus?

vers. 20. Quod cum objicis, non tantum pessime concludis, ut inferius ostendemus; sed etiam superbe ac petulanter agis. Tu Deo iniquitatem tribuere audes, quod de te tuique similibus conqueratur: atque interim non cogitas, te, qui vilissimus es homuncio, de Deo conqueri, & creaturam Creatori supremoque suo Domino ac Rectori obloqui ac superbe respondare, consilia ac decreta ejus carpere? Qua in re perinde agis, ac si vas aliquod fictile vellet obloqui & respondare figulo, & rationem facti ab eo exigere, cur se hoc potius modo, quam illo; & in hunc potius usum, quam in illum finxisset, eumque accusaret iniquitatis, quod se meliore conditione esse noluisset. Quis vero vas hujusmodi ferret? nemo sane.

vers. 21. Nam annon figulus hanc habet potestatem in lutum, ut ex eadem massa fingere ipsi liceat diversi generis vasa; & alia quidem in usus honestos, alia vero in usus inhonestos ac sordidos? Similiter de Deo statuendum est; qui, etiamsi homines cæteroquin inter se sint pares, ita tamen, ut neutri beneficia ipsius, ac nominatim justificationem ac salutem, mereantur, potest aliud hominum genus gloriæ sempiternæ destinare, aliud vero supplicio ac pœnæ, pro suo arbitrio addicere: relicta tamen singulis hominibus libertate, ut in utro hominum genere esse velint, esse etiam possint, eamque ad rem justo illis concesso temporis spatio. Quare nihil est in eo iniqui, quod Deus credentes gloriæ sempiternæ destinaverit; non credentes vero interitui æterno: atque adeo tu iniquus es, qui eam ob causam Deo obstrepis.

vers. 22. Sed neque in eo ulla est iniquitas, nec ullam tu habes de Deo conquerendi causam, quod eos, qui similes sunt vasis in sordidos ac inhonestos usus fictis; hoc est, eos, quibus irascitur, quosque interitui destinavit, induret ac pœnæ reservet, quod dum facit, non malos revera facit; sed potius jam antea contumaces, ac sibi reluctantes, magna ac diuturna usus patientia, tolerat. Quandoquidem non malitiam illorum animis immittit Deus: sed cum voluntati divinæ revelatæ sponte sua reluctentur, Deus illis resipiscentiæ causas, quas dederat, subtrahit, & ne aliqua externa ope contumacia illorum ingatur, efficit: sed potius ea illis objicit impe enta, quæ contumaciam illorum irritent; non itatura tamen, si vim sibi ipsis magnam facere ellent, & omnes malitiæ nexus summis viribus perrumperent. Quod cum non faciant supplicia

sibi

ſibi magis accumulant, Deo interim eos, ut diximus, patienter ferente. Hoc autem ut faciat Deus, juſtas habet cauſas & ſeſe dignas. Partim enim id facit, ut, quemadmodum in Pharaonis exemplo ſupra vidimus, ſingularem ſuam potentiam in iis ſupplicio poſtmodum afficiendis exſerat. Nam dum illi iræ pœnæque cauſas cumulant & exaggerant, toto eo tempore, quo ſunt indurati, hinc fit, ut tanto graviora illis poſtmodum ſupplicia immittat Deus; in quibus infligendis major ipſius potentia ac robur apparet, quam in ſuppliciis levioribus; adeoque etiam major inde ad ipſum nominis fama ac gloria redundat.

verſ. 23. Deinde eam etiam ob cauſam id facit, ut tanto illuſtriorem reddat amplitudinem beneficentiæ ſuæ, laude ac gloria digniſſimæ, qua utitur erga eos, qui ſimiles ſunt vaſis in uſus honeſtos fictis ac concinnatis: hoc eſt erga eos, quos ineffabili complexus miſericordia ad ſupremam illam æternamque gloriam præparavit, eam illis benigniſſime offerendo, & media ad eam conſequendam ſuppeditando. Etenim ex rerum contentione, ex comparatione nempe iræ atque ſupplicii, quo priores illos proſequitur Deus, tanto magis cernitur magnitudo miſericordiæ divinæ ac benignitatis, qua hos poſteriores proſequitur: præſertim cum ipſimet agnoſcere cogantur, ſeſe eodem ſupplicio potuiſſe a Deo affici, ideoque ex aliorum ſumma infelicitate ſuam felicitatem æſtimare, tantoque plus divinæ benignitati in ea re tribuere diſcant.

verſ. 24. Ii vero quos ad ſempiternam gloriam ex Dei miſericordia præparatos eſſe diximus, nos ſumus, qui in Chriſtum credimus: utpote quibus gratiam & benignitatem ſuam obtulit Deus, quoſque ad ſalutem invitavit nulla gentis atque ortus habita ratione: quandoquidem non ex Judæis tantum, ſed etiam, idque majorem partem ex Gentibus extraneis, ad gratiam ſuam æternamque ſalutem homines invitavit.

verſ. 25. Quod jam olim, ne quis id forte miretur, per prophetas ſuos indicavit. Nam quod ad gentes extraneas attinet, quas Deus ad gratiam ſuam æternamque ſalutem invitare decreverit, de iis extant Dei verba in Oſeæ Prophetia: quæ licet de populo Iſraelis ad tempus a Deo repudiando, ſed in gratiam poſtea recipiendo, primum fuerint dicta, tamen ſenſu reconditiore, ſed verbis ipſis maxime conſentaneo, ad gentes extraneas ſpectant. Ita enim ibi Deus loquitur: Ego gentem illam, quæ populus meus mihi conſecratus atque addictus non eſt, efficiam populum meum, eamque ut populo mihi penitus conſecrato atque addicto dignum eſt, tractabo, & ſic non verbis tantum, ſed reipſa populi mei nomine dignabor: gentem, inquam, quæ hactenus a me dilecta non fuit, diligam, &, ut dilecta jure appellari queat, efficiam:

verſ. 26. Unde eveniet, ut iis in regionibus, quarum incolis jure a me dici potuit, atque adeo dictum fuit, vos non eſtis meus populus, nec ad meam tutelam patrociniumque pertinetis: ibi contra de incolis dici queat, eos eſſe filios Dei illius ſummi; qui non inſtar idolorum vita eſt deſtitutus; ſed potius tum ipſe vivit, tum aliis rebus omnibus vitam ſpiritumque ſuppeditat. Ita nimirum diligentur a me extraneæ gentes, quemadmodum filii a patre diligi ſolent. Hæc Dei dicta annon in gentes optime quadrant, & longe quidem melius, quam in Iſraelitas, qui nunquam penitus antea deſierunt eſſe Dei populus, quique in aliqua divini amoris parte ſemper hæſerunt? Et hæc quidem de gentium extrancarum vocatione per Oſeam olim ſunt prædicta.

verſ. 27. Contra vero de Iſraelitarum populo, magnaque eorum paucitate, qui ex ea gente ſalutem ſint conſecuturi, aperte magnaque animi ac vocis contentione pronunciat Eſaias: Etiamſi, inquit, fuerit tanta Iſraelitarum multitudo, quanta eſt arenæ ad maris immenſi littora jacentis, quæ ſane eſt innumerabilis atque infinita: tamen reliquiæ tantum, ſeu exigua quædam iſtius populi pars, ſalutem conſequetur. Non curabit Deus multitudinem hominum contumacium, ſed, iis perditis, paucos tantum ſibi obſequentes ac confidentes interitui eximet, ac felicitate æterna donabit.

verſ. 28. Nam Deus prope ad internecionem delebit populum ſuum, eumque valde accîdet, & ad ſummam paucitatem rediget, idque juſtiſſime. Accîdet, inquam, Dominus, & veluti decurtabit numerum hominum in terra Iſraelitica. [Vel: Nam Deus ob hominum contumaciam beneficentia ſua, ſi effectum ipſum ſpectes, parce utetur, eamque populi ſui excidio quodammodo obruet: parce, inquam, utetur ea in terra Iſraelitica.] Quæ verba licet ſenſu proprio de clade illa dicta fuerint, quam populus Judaicus ab Aſſyriis olim accepit; tamen a ſpiritu divino, longius proſpiciente, de interitu ſempiterno plerorumque Judæorum Chriſti tempore futuro, & paucitate eorum, qui doctrinam ipſius amplexi ſalutem æternam adipiſcentur, pronunciata fuerunt.

verſ. 29. Quam alibi idem Eſaias his verbis prædixit, myſticum ſenſum itidem, ut priora, continentibus, & de alia re olim intellectis. Niſi, inquit, ſupremus ille exercituum Angelicorum, atque adeo omnium rerum Dominus; aliquos ab interitu conſervaſſet, qui inſtar ſeminis eſſe poſſunt, unde renaſci quodammodo queamus, funditus periiſſemus; non ſecus atque olim Sodomæ & Gomorrhæ incolæ, qui ita igne cæleſti ſunt conſumpti, ut nemo prorſus ſupereſſet tantæ cladi, nec ullæ remanerent gentis reliquiæ, unde reſtitui ac renaſci poſſet. Hoc idem nunc accidit. Nam niſi Deus paucos quoſdam, nimirum eos, qui Chriſti doctrinam ſunt amplexi, gratia ſingulari fuiſſet dignatus, tota gens noſtra fuiſſet interitura.

verſ. 30. Sed quid tandem ex his omnibus, quæ copioſe hactenus diſſeruimus, concludendum eſt, & quid de tota hac re ſtatuendum? Hoc nempe, homines gentium extranearum, & quidem quamplurimos, cum anteæ haudquaquam id agerent; aut de eo laborarent, ut a Deo juſtificarentur, & a reatu ac pœna peccatorum liberati vita ſempiterna donarentur, juſtificationem tamen fuiſſe conſecutos, juſtificationem nimirum illam, quæ non operum meritis, ſed fide in Deo per Chriſtum collocata obtinetur:

verſ. 31. Contra vero Iſraelitas licet ſtudioſe ſequerentur legem ejuſmodi, per quam juſtificationem aſſequi poſſent, ejuſmodi tamen legem, generatim loquendo, non fuiſſe aſſecutos, nec eo perveniſſe, quo intenderant.

verſ. 32. Sed quam ob cauſam, dicet aliquis, hoc factum eſt? An forte quia Deus, licet ii officium facerent, & rectam viam ingrederentur, tamen illorum ſtudiis fuit adverſus, eoſque gratia ſua dignari noluit? Haudquaquam; ſed quia ipſi rectam viam, quæ ad ſalutem ac juſtificationem duceret, ſibi licet oſtenſam, ingredi noluerunt. Non enim juſtificationem ſtuduerunt

runt assequi per fidem eam, qua gentes illam consecutas esse diximus: sed obstinate contendentes, eam operum meritis esse acquirendam, non quidem opera perfecta præstiterunt: sed aliquid illis simile, quo putarunt justificationem se assecuturos. Sua enim obedientia, quæ haudquaquam legi satisfacit, putarunt sese assecuturos præmium istud, quod perfecte legem servantibus constitutum est. Hæc jam vera est causa, ex parte ipsorum Judæorum, cur a Deo repudiati ac indurati fuerint: spontanea nempe eorum contumacia, qua factum est, ut iter a Deo ad justificationem sibi ostensum ingredi nollent: ut nulla supersit causa, cur quisquam Deum iniquitatis accuset, quod de iis conqueratur. Contigit nempe Judæis, ut impingerent in Christum ejusque doctrinam, qui instar lapidis est, ad quem inpingi facile potest: tum propter alia, tum imprimis propter magnam personæ ejus in terris adhuc viventis humilitatem atque infirmitatem, quæ in morte ipsius ignominiosa & truculenta maxime fuit conspecta, quæque Judæos, terrena spirantes & regem mundana potentia & magnificentia conspicuum expectantes, facile offendere poterat; quemadmodum & ipsius doctrina similem Christianorum omnium quæ ipsius Christi conditionem esse prædicens: ut alia taceam, quæ Judæos levius rem æstimantes novitate sua turbare poterant: ut nemini mirum videri debeat, Judæos fidei viam, quam Christus illis monstravit, non fuisse ingressos.

verſ. 33. Sed nec hoc ipsum mirandum est, talem Christi conditionem doctrinæque ipsius rationem fuisse, ut merito ipse propterea lapis vocari posset, ad quem impingatur. Nam id ipsum quoque a Prophetis olim fuit prædictum. Dixit enim olim Deus per Esaiam: Ecce, (rem novam & inopinatam dicturus, attentionem auditoris excitat) ego in Sione, populi mei præcipua sede, ejusmodi excitabo ducem, qui sit instar lapidis, cui totus meus populus inniti queat; sed ejusmodi tamen, ut eo offendi quispiam facile queat; quique sit instar scopuli, in quem quispiam incurrere possit, seque ea ratione graviter lædere (liceat enim nunc diversa Prophetæ loca conjungere: quandoquidem etiamsi de ipso Deo dictum sit apud Esaiam, eum fore lapidem offensionis, & petram, in quam impingatur; tamen quia id in Christi persona implendum est, in quem qui incurrit in ipsum Deum incurrit, seque graviter offendit, recte hoc ad ipsum Christum, qui alias lapidi apud eundem Prophetam a Deo comparatur, refertur) Sed tamen injuria illi offenduntur, quicunque ei fidem adhibere nolunt: quandoquidem ejusmodi ille est, ut quisquis ei innititur, in eoque spem ac fidem suam collocat, cujuscunque tandem sit generis, spe sua haudquaquam frustrandus, adeoque pudore suffundendus sit; sed certo salutem æternam sit consecuturus: ut proinde optime sibi consulant ii, qui fidem ipsius doctrinæ adhibent, eique penitus innituntur.

## CAP. X.

Verſ. 1. CHarissimi Fratres, ego hæc, quæ de Israelitis hactenus dixi, aut porro etiam dicturus sum, non sine ingenti animi dolore loquor. Nam ego quidem ex animo illis faveo ac bene cupio, eamque ob causam Deum supplex oro ut eos in rectum salutis iter deducere velit: Sed tamen non possum non id dicere, quod verum est, [vel, sed eventus voto non respondet; cum ipsimet sibi ipsis desint] licet id ipsis futurum sit insuave, atque adeo mihi ipsi, qui in eos adeo sum propensus. Magnam habeo istius benevolentiæ ac precationis causam: licet ii, & doctrinæ Christi & mihi ipsi propter eam adeo sint infensi:

verſ. 2. Ipsemet enim testari cogor, eos non improbo prorsus ac perverso animo id facere, quod faciunt: cum studio ferveant earum rerum, quas Deo gratas esse opinantur, & inprimis legis Mosaicæ ac rituum in ea præscriptorum: sed illorum hic fervor judicio ac scientia non regitur, neque in id fertur, in quod ferri omnino debebat.

verſ. 3. Ignorant enim eam justificationis consequendæ rationem, quam Deus ipse constituit ac promulgavit: contra vero eam, quam ipsimet sibi errore opinionis confinxerunt, stabilire volunt, idque agunt, ut ea obtineat.

[Vel ignoranr enim eam justificationem, quæ ex divina voluntate ac benignitate revera pendet, eique tota est imputanda; contra vero eam, quæ ipsorum studio, labori atque operibus tribuenda sit, ipsorumque adeo sit propria, stabilire volunt.] Inde adeo fit, ut eam rationem justificationem adipiscendi quam ipse Deus proposuit, non sint amplexi, neque obsecuti fuerint doctrinæ eam proponenti.

verſ. 4. Quod si quis dicat, injuria de illis dici, quod eam rationem, qua Deus vult homines justificare, vel non agnoverint, vel noluerint ingredi; quandoquidem eam justificationis consequendæ rationem teneant, ac sequantur, quæ in lege Mosaica fuerat præscripta; hanc autem a Deo fuisse profectam: ei hoc responsum volumus: legem Mosaicam, adveniente Christo ejusque doctrina, ad quem tanquam ad scopum quendam collimabat, fuisse antiquatam, ac finem suum sortitam: non quidem ut jam nulla amplius extaret ratio justificationem assequendi; sed potius ut & longe facilior, & longe amplior succederet: hoc est, ut justificationem assequerentur omnes, cujusque nationis, homines, idque non operum meritis, quæ lex præscripserat; sed fide ea, de qua jam supra copiose disseruimus.

verſ. 5. Diversa nempe est ejus justificationis ratio, quæ a lege Mosaica pendet, & illius, quæ per fidem obtinetur: nec mirum est, hac promulgata illam fuisse sublatam. Nam duobus, ut jam indicavimus, modis justificatio illa, quæ ex fide, secundum Dei gratiam proficiscitur, eam superat, quæ ex lege ejusque obedientia pendet:

*Primo, quod sit facilior;*
*Deinde, quod pateat latius, omniumque hominum nationibus sit communis.*

Prius ex descriptione ejusmodi, quo utraque sit obtinenda, patet. [Vel: Ita ut mirum non sit, hac promulgata, illam fuisse sublatam. Nam quod ad istud discrimen attinet, quod in difficultate ac facilitate consistit, id colligi potest ex ipsius Mosis verbis, quæ de utraque justificationis assequendæ ratione habentur, aut ad alterutram accommodari queunt.] Nam rationem assequendæ justitiæ eam, quam lex proponit, istis verbis describit Moses, quæ in Levitico extant: Ille demum, inquit, qui omnia ea fecerit, & exacte præstiterit, quæ in lege sunt præscripta, eorum vi, suoque

ſuoque adeo merito, conſequetur vitam, quam Deus in eadem lege promiſit: quæ quidem, ſenſu legis hiſtorico, erat vita longæva atque proſpera, & omni terrenorum bonorum copia circumfluens; ſed ſenſu reconditiore ac myſtico, intelligebatur vita illa æterna, omni cæleſtium bonorum affluens copia. Dura ſane hæc eſt juſtitiam conſequendi conditio, quam nemo hactenus, ut ſuo loco oſtendimus, præſtitit, adeo ut perinde ſit, ac ſi nulla ejus adipiſcendæ ratio extaret.

verſ. 6. Sed adeo expedita ac facilis eſt ea juſtificationis conſequendæ ratio, quæ ex fide pendet, ut de ea longe rectius uſurpari queant ea Moſis verba, quibus ille aliquando uſus eſt, ad elevandam difficultatem, non quidem præſtandæ, ſed cognoſcendæ legis: præſertim cum facilitas, quæ cernitur in cognoſcenda rei veritate, pariat ipſius fidei, quæ rei cognitæ adhibenda eſt, facilitatem, atque adeo etiam facilitatem eorum omnium, quæ fides iſta vi ſua efficit ac in hominibus gignit.

Requirit enim illa a nobis juſtitiam, quæ ex fide pendet, ut credamus, nos, qui nunc in terris mortales degimus & aliquando a morte abſorpti veluti in abyſſum infernumque deſcendimus, ex mortuis tamen, ipſoque inferno poſſe emergere, atque adeo emerſuros, atque in ipſum cælum ad ſenſuros, ubi beata illa vita, cum Deo perfruemur. Atque hoc fieri poſſe, imo etiam futurum eſſe, adeo eſt reſurrectione & aſcenſione Chriſti in cælos demonſtratum, ut, ſi illud negare velis, etiam hoc tibi ſit negandum: quod tamen non niſi a præfractiſſimo ac contumaciſſimo homine negari poteſt. Quapropter ipſa prope juſtitia, quæ fide obtinetur, ita unumquemque noſtrum alloquens introduci poteſt, Moſis verba ad ſuum inſtitutum accommodans. Ne ita in animo tuo cogites, quis poterit hominum in cælum adſcendere, & vita æterna ac cæleſti perfrui? fieri id nulla ratione poteſt. Nam ita cogitare nil aliud foret, quam negare, Chriſtum in cælum adſcendiſſe, eumque velle de ipſo cælo deripere.

[Vel: Quare, verbis Moſis ad noſtrum inſtitutum accommodatis, ita juſtitiam illam quæ ex fide pendet, loquentem & difficultatis opinionem ac metum nobis eximentem, noſque adeo mirifice conſolantem introducere poſſumus. Ne ita cogites apud animum tuum, quis hominum poterit in cælum adſcendere, nempe ut Chriſtum ejuſque doctrinam inde nobis deducat, & eam ita det in conſpectum, ut ejus veritatem perſpicue videamus &c.]

verſ. 7. Neque etiam ita cogitare debes, quis hominum poterit in abyſſum infernumque deſcendere, ut nimirum in lucem inde vitamque redeat? Hoc enim ita cogitare, & rem hanc impoſſibilem arbitrari, nil foret aliud, quam vel negare, Chriſtum eſſe mortuum, vel potius eum velle demum in vitam revocare, quaſi nondum reſurrexiſſet; quod tamen factum eſſe non niſi ab obſtinatiſſimo negari poteſt. Hujuſmodi ergo incredulitatem longe abeſſe a nobis vult juſtitia illa, quæ ex fide eſt, & contra aſſerit, in promtu eſſe id quod credendum eſt, atque adeo velut in ore noſtro poſitum, ut id confiteamur, & in animo agnoſcamus & credamus, id nempe, quod nos euangelii præcones toti orbi annunciamus. Quid enim aliud, ut ſalutem aſſequaris, ab euangelii præconibus requiritur, quam ut confitearis ore tuo &c.

[Vel etiam, quis in profundum poterit deſcendere, nimirum ut inde nobis Chriſtum ejuſque doctrinam evocet, & eam nobis cognoſcendam exhibeat? quaſi nimirum Chriſtus ejuſque ſanctiſſima doctrina, cui nobis fides eſt adjungenda, adeo ſit ab intellectu noſtro remota adeoque obſcura, ut a nobis cognoſci, & veritas ejus deprehendi nequeat, & veluti in remotiſſimo, atque abſtruſiſſimo & nobis plane inacceſſo loco (qualis eſt cælum altiſſimum, & abyſſus profundiſſima, quem utrumque locum Chriſtum adiiſſe conſtat) ſit poſita. Haudquaquam ita ſe res habet: Sed potius, (ut porro quoque fidei juſtitiam loquentem, & facilitatem ſuam nobis Moſis verbis explicantem audiamus,]

verſ. 8. Prope te, inquit, eſt ſermo ille, nempe & in ore tuo, ut de illo promte et expedite loqui queas; & in tuo corde atque animo, ut nimirum illum intelligas ac memoria teneas. Ille, inquam, ſermo adeo eſt in promtu, omnibus eſt obvius, qui eſt de fide, hoc eſt, ſermo euangelicus, quem nos prædicamus.

verſ. 9. Quid enim doctrina hæc ab hominibus poſtulat, quæve illius eſt ſumma, quam ſi animo complectaris, omnia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſponte ſua conſequentur? Hæc nempe, ut ore tuo confitearis, & palam ac manifeſte aſſeras, Jeſum Nazarenum nunc eſſe cæleſtem Dominum, omnia, Deo tantum ſummo excepto, imperio ac poteſtate ſua complectentem; atque ut ex animo oredas, eum, cum occiſus fuiſſet, a Deo ſuiſſe excitatum e mortuis, eaque ratione ad vitam æternam, tantumque imperium, quod ore nobis confitendum eſt, evectum: ut ita cor cum ore conſentiat. Hoc ſi credideris & confeſſus fueris, ſempiternam ſalutem te aſſecuturum ſermo evangelii, qui eſt de fide, pollicetur. Quandoquidem quicunque hæc crediderit, & omnibus contemptis periculis, confeſſus fuerit, eum neceſſe eſt firmam reſurrectionis & immortalitatis ſpem ex doctrina Chriſti, ipſius reſurrectione ac exaltatione mirum in modum confirmatam, concepiſſe, eique jam eſſe facilia Dei mandata, ſine quorum obſervatione, viribus hominis accommodata, tantam felicitatem nemo conſequetur. Quid vero iſtis rebus, quas animo credendas, & ore confitendas eſſe diximus, evidentius? quid creditu ac confeſſu facilius? cum tot tantaque extent eorum argumenta, ut mira animi contumacia eum eſſe oporteat, qui iis non moveatur.

verſ. 10. Non temere autem aſſerui, eum hominem, qui iſta, quæ dixi, ex animo crediderit, & ore confeſſus fuerit, ſalutem æternam conſecuturum. Nam ſimul ac quis veram animo fidem conceperit, (concepit autem quiſquis illa credit) is eum hinc conſequetur fructum, ut a Deo juſtificetur, ſeu ab omni peccatorum reatu abſolutus ita a Deo tractetur, tanquam ſi eſſet prorſus innocens. Porro autem ſi idipſum quoque aperte fuerit profeſſus quod animo credidit, omnibus mundi odiis, omnibus vitæ commodis contemtis, (confitebitur autem quiſquis vivam ac ſolidam animo concepit fidem, quæ non poteſt pectore premi, ſed ſeſe per ora, ubicunque uſus exigit, effundit, omniaque membra, ut ea faciant, quæ religioni Chriſtianæ ſunt conſentanea, movet ac impellit) illud tandem conſequetur præmium, quo nullum cogitari poteſt majus, ſalutem nempe vitamque ſempiternam; quæ juſtificationi ultimum imponit faſtigium, ejuſque extremum eſt complementum.

verſ. 11. Id vero eo probatur Scripturæ loco,

quem jam ſuperius citavimus, in quo euangelicæ juſtitiæ ratio explicatur; qui quidem apud Eſaiam extat, in hanc ſententiam loquentem: omnis, quicunque in ipſum, nimirum Chriſtum, crediderit, ſuamque ſpem ac fiduciam in eo, tanquam ſolido fundamento, collocaverit, ſpe ſua non fruſtrabitur, atque adeo non erubeſcet. Ubi vides fidei ſimpliciter adſcribi ſalutem; fidei tamen non emortuæ, ſed vivæ, ac proinde confeſſionem oris, quam ad ſalutem requiri diximus, & reliqua pietatis opera, quorum eadem eſt ratio quæ confeſſionis, ex ſe parientis. Et hoc quidem unum eſt ex iis, quæ in hoc loco inprimis obſervanda, quæque diſcrimen oſtendunt juſtitiæ in euangelio propoſitæ ab ea, quæ in lege, & illam benigniorem, quam hanc, eſſe comprobant.

Sed ex eodem loco alterum quoque inter utramque juſtificationis rationem diſcrimen animadverti poteſt, cum ita verba ſua concipiat Eſaias, ut appareat, eum generatim atque univerſaliter verba ſua intelligi voluiſſe, perinde ac ſi dixiſſet: omnis, qui crediderit, non confundetur, quiſquis ille tandem fuerit.

verſ. 12. Et recte quidem: quandoquidem gentium diſcrimen Dei benignitate ſublatum eſt, & nil quod ad ſalutis conſequendæ rationem attinet, intereſt inter Judæum & Ethnicum. Etenim non alius eſt Judæorum, alius gentium Dominus; ſed unus tantum utrique populo ſummo cum imperio præeſt Jeſus Chriſtus, inque ipſo Deus ille ſummus, a quo imperium accepit Chriſtus: qui ut inexhauſtos habet, unde omnibus munera dilargiri queat, theſauros; ita etiam munificus eſt admodum atque benignus in omnes cujuſcunque nationis homines, qui ad opem ipſius ſupplices confugiunt, ejuſque ſanctiſſimum nomen colunt, ac precibus auxilium ipſius efflagitant.

verſ. 13. Teſtatur id Joël, qui ad novi Fœderis tempora ſpiritu prophetico reſpiciens, omnis, inquit, quicunque nomen Chriſti invocarit, eumque colens opem ipſius ſupplici prece imploraverit (id autem facit, quiſquis Dominum Jeſum, in cujus manu univerſam ſalutem noſtram poſuit Deus, & in quo id quod Propheta olim de Deo ſummo dixit, impleri debet, ſupplex invocaverit, eumque adeo ex animo coluerit) is ab interitu liberatus ſalutem ac felicitatem conſequetur. Audis hic neminem excipi, & nullum gentium nationumve diſcrimen conſtitui, cum Propheta diſertis verbis dicat; omnem, quicunque nomen Domini invocaverit, ſalutem conſecuturum: adeo ut nihil ad eam requiratur aliud, quam ut quis nomen Domini invocet: in qua invocatione, ut innuimus, univerſus continetur Dei cultus; cujus apertum ſignum eſt invocatio nominis, ſeu imploratio auxilii, etiam ab abſente; & auxilii quidem, quod naturæ vires excedat.

verſ. 14. Porro ſi ad omnes omnium nationum homines ſalus pertinet, ea tantum conditione, ut Dominum ſuum invocent, & ab eo ſupplices ac venerabundi opem petant; quiſque facile animadvertit, neceſſe quoque eſſe, omnibus hominibus occaſionem dari a Deo, ut Domini hujus nomen invocare queant, & præcones, qui hanc illis rem annuncient, ad eos mitti. Nam quomodo invocare poſſent eum, ab eoque opem expetere, in quem non credant, & in quo ſpem ac fiduciam ſuam non collocent? quandoquidem ad eum demum ſupplices confugimus, a quo ſperamus nos impetrare poſſe ea, quæ petimus, & de cujus potentia & benignitate bene perſuaſi ſumus, maxime ubi res tanta, quanta ſalus ac felicitas æterna, flagitanda eſt. Quapropter ſi omnium populorum homines invocare debent nomen Domini, ut æternum ſerventur, neceſſe eſt ut in ipſum credant, in eoque ſpem ac fiduciam collocent, & ejus rei faciendæ occaſionem habeant. Jam vero quomodo quiſpiam poteſt in eum credere ac ſpem ſuam ponere, de quo nihil unquam audivit? adeo ut, ſi omnes homines in Chriſtum credere debeant, neceſſe ſit, eos etiam de Chriſto, ejuſque divino in omnia imperio audire. Audire autem quomodo poteſt quiſpiam id quod nemo annunciet ac prædicet? Quare nec de Chriſto audire poſſent homines, niſi eſſet, qui illis Chriſtum ejuſque doctrinam annunciet ac prædicet.

verſ. 15. Porro autem quomodo annunciare hominibus poſſet quiſpiam rem divinam & oculis hominum non ſubjectam, atque a divina voluntate ac nutu totam pendentem; ita nimirum, ut homines ipſi tuto inniti, & auctoritate ipſius permoti fidem ipſius præconio firmiter adjungere queant, niſi is a Deo ipſo fuerit miſſus, & ad hanc rem denunciandam nominatim delectus, iiſque inſtructus ſit at Deo teſtimoniis, quibus plenam doctrinæ ſuæ fidem faciat: (Neque enim de iis loquimur præconibus, qui doctrinam ab aliis viris divinis, a Deo ad eam annunciandam miſſis, acceptam repetunt, & non ſua, ſed illorum tantum auctoritate ea in parte nituntur; & non ideo, quod ipſi hæc dicant, ſed quod illi hæc prius dixerint fidem verbis ſuis adhiberi poſtulant, qui hac in parte illorum tantum ſunt adminiſtri, & cum iis computandi:) Quare, ut Chriſtus, ejuſque ſupremum in omnia imperium, ac ſalus per eum omnibus danda, rite annunciari omnibus hominibus poſſet, neceſſe fuit præcones aliquos a Deo hunc in finem deligi ac mitti, qui tam lætum felicemque nuncium per varias orbis partes diſcurrentes promulgarent.

Et præcones quidem hujuſmodi aliquando venturos jam olim ſignificatum fuit per Prophetas, apud quos ita ſcriptum legimus: O quam grati quamque jucundi erunt nuncii illi, eorumque, ut ita dicam, pedes, qui advenientes atque hinc inde diſcurrentes annunciabunt hominibus perennem pacem ac felicitatem, & bona omnium maxima, cæleſtemque felicitatem iis Dei nomine offerent.

verſ. 16. Etiamſi autem tam jucundi per ſeſe futuri erant, atque adeo jam ſint, tam beati nuncii præcones: non conſequitur tamen, omnes omnino homines debuiſſe nuncio iſti fidem adhibere, & euangelicæ doctrinæ ſeſe ſubmittere, eique parere; quemadmodum ſane nec paruerunt. Id enim prædixit Eſaias, qui, cum dixiſſet, tam jucundum. [Vel: Sed dices: ſi tam jucundi tamque grati eſſe debuerunt atque adeo fuerunt iſti nuncii, omnes ſane homines nuncio iſti fidem adhibuiſſent, eumque fuiſſent amplexi. Quis enim rem adeo jucundam non admittat? Atqui non omnes homines euangelio, quod nihil aliud eſt quam beatus ille nuncius, fidem adhibuerunt, idque ſunt amplexi. Cui ejuſdem Eſaiæ, cujus illa fuerunt ex parte verba, teſtimonio reſponſum volo. Nam idem, qui dixerat, tam jucundum.] Fore adventum eorum, qui tanta bona hominibus annuncient, non multo poſt, ad eadem tempora reſpiciens, & de Chriſto aperte diſſerens, ait: Domine, quis credidit iis, quæ a nobis prædicata & aperte promulgata omnes audierunt?

runt? quasi dicat, tam exiguus est numerus, præsertim inter Judæos, ad quorum aures nuncius tam beatus primo & pervenire debebat, & pervenit, tantaque est eorum paucitas, qui sermoni a nobis prædicato fidem adhibuerint, ut prope nemo esse videatur, qui crediderit; habita præsertim ratione multitudinis eorum, qui non crediderunt.

verſ. 17. Ex quibus Prophetæ verbis illud ipsum etiam, quod paulo ante conclusum est, colligi potest, nempe, fidem nasci ex sermone, ab aliis quidem prædicato, ab aliis vero audito ac percepto; prædicato, inquam, Dei jussu ac mandato: aduo ut, si omnes homines in Christum credere debeant, necesse sit, iis Christum ejusque doctrinam, Dei jussu, annunciari.

verſ. 18. Jam vero annon etiam reipsa id factum est, quod fieri debuisse hactenus ostendi? imo vero factum id est pleniſſime, ita quidem, ut jure ad hoc negotium transferri queant illa Psaltæ verba, quæ de cælis ac temporum vicissitudine, certa lege a Deo sapientissime constituta, aliquando sunt pronunciata, & ad euangelii præcones accommodari. Ubivis nimirum terrarum vox illorum est audita: nullus est terrarum angulus, ubi doctrina Christi ab iis non fuerit promulgata; adeo ut ad extremas quoque orbis partes, quæcunque ab hominibus coluntur, sermo eorum dimanarit.

verſ. 19. Sed nominatim de Israele nunc quæro, an ad illius notitiam non pervenit sermo evangelii? an occasio illis defuit, doctrinam Christi percipiendi, in eumque credendi? habent ne ullum incredulitatis suæ prætextum? Haudquaquam. Nam tanrum abest, ut non potuerint agnoscere doctrinam Christi, eamque penitus percipere, ut rudissimi quoque populi, & respectu Judæorum stulti, eam agnoverint ac perceperint, hac in parte etiam Judæis æmulandi. Nam primum Moses, prophetarum veteris Fœderis maximus, ita Deum loquentem, & de pervicacia populi sui conquerentem introducit: Quandoquidem vos Israelitæ adeo prefracte meis dictis resistitis, & mihi parere renuitis, gratiam meam transferam ad eum populum, quem vos populi, seu hominum, nomine non dignamini, hoc est, ad homines extraneos seu Ethnicos, eosque tanta voluntatis meæ cognitione donabo, ut vobis etiam sint futuri invidiæ; eaque ratione efficiam ut vos, tantam illis rerum divinarum cognitionem tantamque felicitatem quodammodo invidentes, eos æmulemini, ac in me contumaces esse dsinatis: gentem, inquam, præ vobis stultam & in maxima rerum divinarum ignoratione versantem tanta donabo sapientia, ut vos hac ratione irritem, & ad eandem studiose quærendam & amplectendam provocem.

verſ. 20. Sed deinde Esaias adhuc apertius atque audacius ea de re loquitur, cum Deum ita loquentem introducit: Adeo ego me aperte hominibus patefeci, meamque illis gratiam tam manifeste obtuli ac denunciavi, ut etiam illi, qui me antea non quærebant, nimirum homines extranearum gentium, me invenerint, meamque gratiam sibi oblatam agnoverint atque amplexi fuerint: conspectus sum, inquam, ab iis, qui de me antea ne interrogarant quidem, nec ullam in eo curam studiumque posuerant, ut me meamque voluntatem cognoscerent. Et hæc quidem de gentibus extraneis propheta dixit: ex quo ipso jam satis apparet, perspicue sese Deum hominibus patefecisse.

verſ. 21. Sed de ioso adhuc Israelitico populo nominatim idem propheta asserit, eum & ampliſſimam habuisse occasionem voluntatem divinam in euangelio revelatam cognoscendi, & nihilominus tamen eam noluisse agnoscere atque amplecti, nihilque hac in re quam ipsorum contumaciam esse accusandam, dum ita Deum loquentem, ac populi sui contumaciam accusantem facit: Totos ego dies ad populum hunc pervates meos verba faciens manus veluti meas ad eum extendi, eumque ad me invitavi, & nil omisi eorum, quæ ad illum alliciendum pertinerent. Sed irritus fuit omnis ille labor meus; cum nihilominus populus meus contumax esse pergeret, nec flecti se pateretur, sed potius mihi contradiceret, & contentiose mihi obstreperet atque obloqueretur.

## CAP. XI.

Verſ. 1. SEd hic nova oritur quæstio. Dicere enim quispiam posset: si ita se res habet, ut hactenus docuisti, tantaque extitit Israelitarum in Deum contumacia, & vicissim etiam Dei erga illos ira, quam induratio eorum est consecuta, annon inde consequitur, Deum jam penitus repudiasse populum Judaicum; ita ut qui antea ipsius erat populus, nunc non sit amplius, non secus atque antea gentes extraneæ? Haudquaquam ita statuendum est, neque id ex dictis meis concludi potest: cum nec universum populum Judaicum a gratia sua excluserit, nec in perpetuum.

Prius satis est manifestum: quandoquidem præter alios, qui in Jesum Christum credunt, & sic in salutis via consistunt, ego ipse quoque, qui non tantum Christianus sum, sed etiam apostolus, Israelita sum, atque adeo ex Abrahami progenie, oriundus e tribu Benjamitica, quæ una est ex duabus illis, quæ Judeam nunc incolunt, queque inprimis fuere Christo ejusque sanctissimæ religioni adversæ, ac proinde in Deum contumaces.

verſ. 2. Non penitus ergo, inquam, repudiavit Deus populum suum, utpote quem jam olim, ob fidem erga se, ac pietatem majorum ejus peculiariter sibi fovendum ac diligendum sumsit: ut ut videantur omnes ob contumaciam suam perituri, & vix quispiam appareat, qui interitum sit evasurus. Non est id, quod dico, novum, ac sine exemplo. An enim ignoratis, quod in historia Eliæ sit scriptum, quoque pacto is allocutus fuerit Deum, Israelitas accusans, & non salutem ac incolumitatem, sed perniciem potius ac supplicium expetens.

verſ. 3. Ita enim ait: Domine, Israelitæ qui Samariæ regnum incolunt, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tibi variis in locis consecrata, non honoris tui studio, & legis tuæ veneratione inducti, sed odio potius tui, ac cultus tui penitus tollendi desiderio, suffoderunt, ac penitus destruxerunt, atque ad internecionem usque deleverunt tuos servos ac veros nominis tui cultores, ita ut ego solus supersim ex iis, cujus ipsius quoque vitæ insidiantur, & ut nemo jam amplius supersit, qui te colat, me ad necem querunt. Vides, divinum hunc virum censuisse, universum Israeliticum regnum, se tantum excepto, a Deo ad Idololatriam desciviſſe, omnesque adeo extremum commeritos supplicium, quod procul dubio essent Deo persoluturi.

℣ſ. 4. Sed animadverte, quid ipsi Deus seu Angelus Dei personam sustinens per oraculum responderit: Ego, inquit, constitui a clade, quam Israelitis immissurus sum

mihi meoque cultui reservare aliquammulta millia utpote qui simulachro Baalis honorem non exhibuerunt, genua coram illo flectendo, idque ea ratione adorando. Ex quibus verbis patet, nec omnes Israelitas a Deo ad Idololatricum cultum defeciſſe, etiamsi eum aperte non colerent, unde ipsi quoque Eliæ erant ignoti; eamque ob causam nec omnes interitui ac perditioni fuisse a Deo destinatos; sed relictos ac reservatos fuisse aliquos, qui ab impio falsi Dei cultu sese conservaverant illibatos: licet eos quoque jure Deus una cum cæteris potuisset delere, propterea quod ad supplicium divinum effugiendum non satis sit, falsum numen non colere, sed illud quoque requiratur, ut verum numen colas, idque ea ratione, quæ ab ipso fuit præscripta: id quod illi non fecerant, adeo ut divinæ gratiæ ac misericordiæ fuerit imputandum, quod ipsos ab interitu ac supplicio conservandos decreverit.

vers. 5. Simile quippiam hoc quoque tempore accidit. Nam etiam nunc quoque aliquos ab interitu reservavit Deus, eos nimirum quos ex singulari sua gratia ex tanto pereuntium numero delegit, & misericordia prosequi constituit: qui quidem sunt omnes, qui ex Judæorum gente in Christum credunt, & cæterorum contumaciam non sunt imitati. Etiamsi autem quemadmodum in illis, quos Eliæ tempore Deus salute donavit, ita etiam in his, quos hoc tempore donat, aliquid sit, quod Deo probetur, & ob quod ab interitu conservati fuerint, aut porro conservandi sint, quodque in iis, qui pereunt, non inveniatur: nihilominus tamen non operum suorum merito ab interitu conservantur, aut conservari a me dicuntur; siquidem, ut modo dixi, ex divina gratia sunt & electi, & ab interitu a Deo vindicati atque exemti.

vers. 6. Jam vero si id ex gratia divina contigit, unicuique patet, id non esse factum vi ac merito operum, ab ipsis præstitorum. Nam alioqui gratia, ex qua id factum dicitur, non foret amplius gratia: id quod seipsum evertit. Quemadmodum contra, si hoc ex operum merito illis contigisset, non amplius gratia ibi habuisset locum, nec huic posset salus eorum, de quibus loquimur, adscribi. Nam cæteroquin opus meritorium non amplius foret opus meritorium ac perfectum; tollunt se nempe mutuo gratia divina, & hominum ipsorum merita, in re eadem; ita ut fieri nequaquam possit, ut quispiam boni quidpiam consequatur simul ex dantis gratia, & ex operum suorum merito, quo dantem obliget, & jure quodam ad bonum istud sibi reddendum obstringat. Qui meretur quippiam, is per se jus habet ad rem eam repetendam sibique vindicandam: cui gratia exhibetur, seu ex gratia quippiam datur, is jus ad id repetendum non habet.

vers. 7. Quapropter ita nobis statuendum est: etiamsi Israelitæ, qui hodie vivunt, prope universi magno studio id quærant, ut a suppliciis divinis immunes salutem consequantur, operumque meritis eo pervenire laborent, eos tamen id, quod quærunt, non assecutos esse, neque porro hac ratione assecuturos: contra autem eos, quos Deus ex singulari sua benignitate ac gratia ineffabili ex illo populo delegit, omnes nempe qui in Christum credunt, tantum bonum esse consecutos, & eo esse loco ac statu, ut sempiterna illos maneat felicitas: Cæteros autem Judæos, qui eam viam non sunt ingressi, adeoque nec in electorum istorum sunt numero, esse a Deo induratos, & ob spontaneam animi contumaciam ita a Deo punitos, ut eorum animi callum obduxerint, & ad sensum divinæ veritatis obstupuerint, & sic resipiscere vix, ac ne vix quidem, possint; id quod supra quoque alicubi innui.

vers. 8. Ac ne id cuipiam novum videatur, ipsius Scripturæ dictis nunc probabo, quod antea a me factum non est. Inter ea merito primum locum occupant Esaiæ verba, quæ in hanc alicubi sententiam scribit de Israelitico populo: Dedit illis Deus spiritum alti soporis, seu vi quadam soporifera eos potavit, ita ut, veluti in veternum demersi, nihil sentiant, nihilque intelligant eorum, quæ ad salutem suam pertineant, sed veluti sensu omni destituti, securi stertant, nec imminentem perniciem prævideant. Itaque oculis ipsorum vim quodammodo ademit videndi, & auribus audiendi: hoc est, mentem atque intelligentiam illorum excæcavit, & vim res divinas percipiendi quodammodo ademit, idque in hodiernum usque diem; nec porro cessabit etiam hæc induratio, donec, ut ex ejusdem Prophetæ dictis apparet, eorum regio penitus devastetur. Id vero totum eatenus præstitit Deus, quatenus illorum oculis paulatim splendidam veritatis euangelicæ lucem subtraxit, & occasionem in Christum credendi, quam antea habuerant, ademit: contra vero impedimenta objecit, quæ hominibus alias tam duræ cervicis, & odio in Christum furentibus vix, ac ne vix quidem, permitterent, ut resipiscere vellent, & id quod ad ipsorum salutem pertinebat amplecti.

vers. 9. Similia iis, quæ ex Esaia nunc attulimus, leguntur etiam apud Davidem, qui de hostibus ac interfectoribus Christi vaticinans, pœnas iis divinas imprecando, prophetico spiritu denunciat, dum ita inquit: quemadmodum ipsi pro cibo mihi dederunt fel, & pro potu sitienti mihi dederunt acetum: ita ipsismet vicissim ipsorum mensa ac cibi, quibus se oblectare consueverunt, vertantur in laqueum, quo capiantur, non secus atque aviculæ, dum esca sese oblectant, ab aucupe irretiuntur. Cedant, inquam, illis voluptates consuetæ in offensionem ac ruinam: ut ita talionis pœnam luant, & dignam factis suis mercedem reportent.

vers. 10. Excæcentur ipsorum oculi, ut videre nequeant, (id quod de mentis oculis potissimum intelligendum est, si sensum propheticum ac mysticum, quem hic sequimur, spectes) & dorsum eorum semper incurva, id est fac, ut partim servitutis jugo pressi, partim tristitia, tanquam silicernia incedentes, humum semper spectent. In quo testimonio vides, præter alia suppliciorum divinorum genera, quibus Deus sit persecuturus Christi hostes, quales sunt Judæi ii de quibus loquimur, esse etiam excæcationem oculorum, quam ab Esaia quoque iis denunciari audimus; & cum indurazione illa animi, qua Judæos incredulos punitos esse diximus, vel eadem est, vel saltem eam alit atque fovet. Nam quod veritatis euangelicæ splendorem non videant, inde fit, ut obstinatis animis ei reluctentur.

vers. 11. Sed dicet iterum aliquis: num ita propter incredulitatem impegerunt Judæi, & sic damnum tantum, quantum hactenus explicatum est, incurrerunt, ut penitus conciderent, & absque ulla resurgendi spe in interitum ruerent? nullane in posterum huic populo spes restat divinam gratiam ac salutem recuperandi? Absit, ut ita statuamus: non ita conciderunt Judæi; sed po-

ſed potius occaſione lapſus ipſorum, ſeu rejectionis a gratia divina gentibus extraneis ſalus eſt oblata, & eam aſſequendi data eſt facultas: non ut hi ſoli perpetuo tanto bono fruerentur; ſed potius ut ſuo exemplo Judæos ad æmulationem provocarent, quod ſupra a Moſe prædictum fuiſſe vidimus. Unde apparet non in perpetuum gratia divina excidiſſe populum Judaicum, nec eum in finem euangelicam veritatem ſalutemque æternam eſſe ad gentes tranſlatam, ut ii ſoli tanto bono in æternum fruerentur; Judæi vero eo æternum carerent: ſed potius ut id ipſum inſerviret populi Judaici ſaluti; eumque ſtimularet ad eam tanto avidius quærendam & amplectendam.

verſ. 12. Hoc vero ut fiat, ipſis gentibus extraneis ſummis votis eſt exoptandum, nec arbitrandum, Judæorum incrementum ſuum fore decrementum, nec ita redituram ad illos divinam gratiam & ſalutis adipiſcendæ occaſionem, quin ſibi multum ea in parte decedat. Haudquaquam ita ſe res habet; ſed contra potius Judæorum converſio ipſaſmet gentes divinorum bonorum copia augebit ac ditabit. Id quod ex eo ipſo, quod jam factum eſſe vidimus, colligi poteſt.

Nam ſi, ut paulo antea dixi, Judæorum rejectio, atque a gratia divina repulſa, in cauſa quodammodo fuit, ut mundus univerſus, ex gentibus extraneis maximam partem conſtans, eadem gratia ditaretur, & longe citius ad eam admitteretur, quam alias futurum fuiſſet, ſi Judæi euangelium recepiſſent: (Nam ſi ii, qui primo ad nuptias fuerant invitati, comparuiſſent, & locum ſuum occupaſſent, nulla fuiſſet cauſa mendicos, circa ſepimenta & ad vias publicas jacentes hinc inde conquirere, & in eorum locum ſubſtituere; ſed, ſatiatis demum hoſpitibus, reliquiæ iſtius cœnæ, quæ mendicis tamen explendis abunde ſuffeciſſent, his obveniſſent, & ſic non ex inopia, ſed ex copia Judæorum ubertas gratiæ divinæ in gentes redundaſſet) Si, inquam inopia Judæorum, & gratiæ divinæ illis ſubtractæ defectus gentes quodammodo ditavit, ſeu occaſio extitit, cur gratia divina uberrime perfruerentur: annon multo magis gentes ditabuntur ex ubertate atque opulentia gratiæ divinæ in Judæos exundantis? [vel, ſi, inquam ex eo, quod tam pauci Judæorum ſalutem ſint conſecuti, factum eſt, ut gentes extraneæ ditarentur: quid futurum cenſemus ubi gens illa univerſa, ſeu Judæi generatim omnes, ſalutis viam ingredientur?] Nam certe defectus alterius non ſua natura, ſed ex eventu tantum alterum ditare poteſt: alterius vero copiæ & ſumma opulentia per ſe vim habent, alterum quoque ditandi.

verſ. 13. Ego ſane hoc vobis, qui ex gentium extranearum eſtis numero, ingenue ac aperte dico, me eatenus quidem, quatenus ad gentes potiſſimum ſum a Chriſto miſſus, ut illis euangelium annuntiem, & ad ſalutem eas perducam, diligentiſſime munere meo fungi & ſpartam, quam nactus ſum, ornare, idque agere, ut quam plurimos ad Chriſtum ſalutemque amplectendam pertraham: ſed tamen ea in re non tantum gentium ipſarum habere rationem, & ipſorum ſaluti ſtudere;

verſ. 14. Sed id etiam eadem opera quærere, ut, ſi id ullo pacto fieri queat, eos, qui ſecundum carnem mihi ſunt cognati, ſeu populares meos, gentium extranearum exemplo ad æmulationem provocem, ut tantam euangelicæ veritatis cognitionem ac pietatem gentibus quodammodo invidentes, eandem ipſi quoque velint amplecti; & ſic, ſi non omnes (quod hoc tempore ſperandum non eſt) ſaltem aliquos ex iis ad fidem in Chriſtum pertractos, ad ſalutem æternam perducam. Id autem jure merito facio, nec in vos gentes, quibus proprie labor meus ſervire debet, ullo pacto ſum injurius: ſed potius vobis ipſis quoque veſtroque gaudio ac felicitati ſero ac meto; ita ut vos ipſimet ſtudio huic meo favere debeatis, tantum abeſt, ut indignemini, aut Judæis invideatis.

verſ. 15. Nam ut id, quod paulo ante dixi, aliquo modo repetam ac explicem; ſi ex eo, quod Judæi fuerunt repudiati, atque a gratia Dei repulſi, factum eſt, ut gentes extraneæ, quæ mundum prope univerſum conſtituunt, ad ipſum converſæ in gratiam penitus reciperentur, & veluti in amicitiam cum ipſo admitterentur: quid putamus futurum, cum Judæi in gratiam denuo recipientur? annon perinde erit, ac ſi mundus univerſus e mortuis reſurgeret, ac vitam, quam perdidiſſe propemodum videbatur, reciperet? quandoquidem præter id, quod Judæorum gens nunc prope emortua, vitam ſpiritualem recipiet, & ex ignorantiæ tenebris ſuaque infelicitate emerget: multo etiam plures ex gentibus extraneis fidem in Chriſtum amplectentur, cognito eo, quod gens Judæa, quæ tam contumaciter hactenus Chriſto rebellavit, & per tam longum tempus religionem ipſius amplecti recuſavit, tandem tamen, evidentia veritatis victa, ceſſerit, & doctrinam Chriſti fuerit amplexa. Præterea ipſi quoque credentes præter ſummum gaudium, quod ex tot myriadum ſalute percipient, plurimum adjumenti ad cognitionem rerum divinarum capient a gente ea, quæ in ſacris literis veteris fœderis ab ineunte ætate exercetur, quæque umbras illius cum Novi Fœderis imagine, aut potius ipſo corpore, rectius conferre, & prophetarum vaticinia enucleare dexterius poterit. Tantus ergo fructus ad ipſas gentes etiam redundaturus, facit, ut Judæorum ſaluti muneris mei functionem attemperem.

verſ. 16. Porro autem ut ſperem, hanc gentem aliquando a Deo in gratiam recipiendam eſſe, efficit gentis hujus, quam majorum ſuorum fide ac pietate conſecuta eſt, quædam ſanctitas, quæ in eo conſiſtit, quod populus hic fuerit a Deo ex cæteris omnibus orbis nationibus peculiariter delectus, cui beneface-ret; ita quidem, ut nec penitus deleri unquam pateretur, nec ita a ſe, ob ipſius peccata unquam repelleret, ut nullus poſteritati ejus pateret ad ipſius gratiam reditus, ſed potius occaſio reſipiſcendi iis daretur, & ſimul ac ad eum ſeſe converterent, in gratiam reipſa reciperentur.

Nam, ut ſimilitudine utar ex lege Moſaica diviniſque in ea inſtitutis; quemadmodum per primos frugum manipulos, & panes ex earundem primitiis confectos ac Deo conſecratos, conſecratur etiam reliqua maſſa univerſa, & univerſæ anni illius fruges ac conſperſiones ex iis factæ, ita ut, cum antea iis veſci Judæis non liceret, eaque ratione pollutæ cenſerentur, poſtea oblatione primitiarum interveniente, eatenus redderentur puræ, ut iis uti frui liceret: ita etiam cum primi hujus gentis auctores fuerint Deo ob ſuam fidem ac pietatem ſingulariter chari ac dilecti, ita quidem, ut cum iis fœdus percuteret, ad

omnem eorum poſteritatem duraturum, hinc fit, ut totus quoque populus fuerit conſecratus, & præ reliquis gentibus dilectus, nec unquam ita divina gratia excidat, quin in aliqua amoris illius parte hæreat, & ſpes illi reſtet ad priſtinam felicitatem redeundi: quam reipſa etiam recipiet, ſimul ac majorum ſuorum fidem ac pietatem fuerit imitatus.

Idem alia ſimilitudine illuſtrari poteſt, partim ex natura deprompta, partim ex legali inſtituto. Videmus, ramos radicis ſuæ naturam imitari, &, ſi radix ipſaque ſtirps non cenſeatur, impura, nec ramos cenſeri impuros: niſi forte quippiam peculiariter ramis acciderit, ob quod inquinentur: quod idem de maſſa intelligendum eſt, quæ primitiarum oblatione fuerit conſecrata. Quare cum radix ac ſtirps populi Judaici, nempe ejus majores, fuerint ita Deo conſecrati, & præ cæteris a Deo dilecti, quemadmodum diximus: conſequitur, poſteros quoque ipſorum, qui inſtar ramorum ſunt, ex radice aut ſtirpe iſta enatorum, Deo eſſe conſecratos, ipſique charos, ea, qua explicatum eſt, ratione, ita ut, ſi hæc cauſa, ob quam hodierni Judæi Deo ſunt inviſi, ſublata fuerit, ramis poſtea naſcituris nihil obſit horum contumacia; contra vero proſit primorum gentis auctorum ſanctitas.

verſ. 17. Sed dicet hic aliquis, quid prodeſt ramis radicis ſanctitas, poſtquam ipſi ſunt ex arbore exciſi? nihil ſane. At vero iis proderit radicis ſanctitas vel ſuccus, qui ex radice ac ſtirpe in ramos dimanat, qui in eam ſunt aliunde inſerti: ita ut rami, licet naturales, poſtquam defracti ſunt, & a radice ſejuncti, nihili ſint faciendi præ ramis aliunde inſertis. Quare cum Judæi ob incredulitatem ſuam gratia divina, quæ majoribus ipſorum contigit, & ipſorum poſteritati promiſſa eſt, exciderint, ac perinde nunc cenſeantur, ac ſi ab iſtis majoribus non fuiſſent profecti; contra vero nos, qui oriundi ſumus ex gentibus extrancis, occupaverimus illorum locum, & gratia divina genti illi promiſſa perfruamur, merito illos præ nobis contemnere poſſumus.

Sed hæc dum dicis, non conſideras primo, non omnes Judæos, ſed aliquos tantum, licet valde multos, gratia divina excidiſſe, & ſic ex Dei populo exciſos eſſe, alios autem adhuc ſtirpi ſuæ adhærere: ita ut vos, qui Ethnici aliquando fuiſtis, non omnium prorſus loco, ſed inter alios hujus gentis homines, fueritis ad gratiam divinam admiſſi, & ſtirpi hujus populi velut inſerti; voſque una cum illis participes eſſe factos bonorum Judaicæ genti proprie deſtinatorum & illorum majoribus primò promiſſorum. Deinde id vobis cogitandum eſt, vos aliquando ſimiles fuiſſe ramis oleaſtri, qui vel nullum, vel acerbum atque inſuavem fert fructum; poſtea vero præter naturam inſertos fuiſſe olivæ, & pinguedinis ipſius factos fuiſſe participes, hoc eſt, vos ex iſtiuſmodi nationibus fuiſſe oriundos, quæ jam olim a Deo fuerunt repulſæ, & quibus ipſius gtatia ac ſuprema felicitas non ſuit promiſſa: nunc vero nullo jure veſtro participare iis bonis, eaque felicitate, quæ majoribus Populi Judaici promiſſa, poſteris ipſorum proprie fuit deſtinata, precario nempe jure tanta felicitate perfruimini, & in alienam meſſem miſiſtis falcem.

verſ. 18. Quapropter non eſt, quod vos jactetis, & Judæos a gratia divina excluſos præ vobis contemnatis, iiſque inſultetis. Quod ſi tamen pergatis contra illos gloriari, & iis inſultare, hoc vobis oppono; quod ſuperbiam iſtam retundere & ſpiritus vobis minuere poteſt, nempe, quemadmodum non rami radicem ferunt eique præſtant; ſed potius radix ac ſtirps ramos ſuſtinet, & iis ſuccum, quo alantur, ſubminiſtrat: ita etiam vos nihil huic genti conferre, nec propter vos eam gratia divina perfrui, ſed potius vos ob ipſam ipſiuſque majores, quibus eam promiſſam diximus, ea perfrui: ita ut hoc nomine genti huic plurimum vos debere agnoſcere ac profiteri debeatis.

verſ. 19. Sed dicetis iterum, illud nihilominus nobis concedis, defractos eſſe ex ſua radice ac ſtirpe ramos, hoc eſt Judæos ex populo divino veluti exciſos, adeo ut illis fœdera ac promiſſa majoribus illorum facta nihil proſint, idque eum in finem, ut nos Ethnici eorum loco inſereremur, & beneficiis diuinis, quæ ad illos pervenire debebant, perfrueremur.

verſ. 20. Eſto nunc ita, (quanquam veſtri inſertio non tam finis fuit, quam conſequens iſtius Judaicæ defractionis, ſeu a gratia divina rejectionis) ſed non tam illud vobis conſiderandum eſt, quod illi defracti, & a gratia divina excluſi, vos vero Ethnici inſerti, & ad eandem admiſſi ſitis: quam qua de cauſa, quave conditione vel illi ſint rejecti, vel vos in gratiam recepti. Quod ſi conſideraretis, non modo nullam haberetis ſuperbiendi cauſam; ſed potius modeſte de vobis ſentiendi, ac vobis metuendi. Nam illi ob incredulitatem ſunt ex arbore ſua veluti exciſi, & a gratia divina excluſi; vos vero ideo, quod in Chriſtum credidiſtis, ad tantam felicitatem perveniſtis, & tanquam rami, tam felici arbori inſerti, perſiſtitis divinaque gratia perfruimini. Unde facile cernitis, vos haudquaquam debere efferri animo, ſed potius metuere, & de veſtra ſalute admodum eſſe ſollicitos.

verſ. 21. Nam ſi Deus non pepercit Judæis, qui inſtar ramorum naturalium erant, ad quos beneficia divina, ad ſalutem pertinentia, proprie ſpectabant; ſed eos repudiavit, & beneficiis ſuæ genti propriis privavit: annon multo magis vobis, qui præter naturam ex oleaſtro inſerti eſtis iſti oleæ, & beneficiorum gentis Judaicæ propriorum facti eſtis participes precario jure, verendum eſt, ne, ſi Judæorum incredulitatem imitemini, vobis quoque nequaquam parcat Deus, ſed vos quoque ex arbore excidat & a gratia ſua repellat.

verſ. 22. Quapropter diligenter vobis perpendenda eſt, & conſideranda, tum ſingularis Dei benignitas; tum ſeveritas ejuſdem, qua in hoc negotio eſt uſus. Severitas quidem, qua uſus eſt adverſus eos, qui per incredulitatem lapſi, peccarunt. [Vel qui ab eo rejecti, in ſempiternum ſunt conjecti interitum.]

Benignitas autem qua uſus eſt, quaque in poſterum etiam erga te, idque pleniſſime, uſurus eſt, ſi modo ea te dignum præſtiteris, & eam conditionem conſtanter præſtiteris, ſub qua benignitas divina tibi eſt oblata: hoc eſt, ſi in fide permanſeris. Nam alias ſi ab ea diſceſſeris, & ſic indignum te præſtiteris divina benignitate, ea excides, & ex arbore divini populi, cui præter naturam es inſertus, exſcinderis.

verſ. 23. Quemadmodum etiam vice verſa Judæi, ſi non perſtiterint in ea incredulitate, in quam inciderunt,

runt, ſed in Chriſtum crediderint, reſtituentur priſtino loco, & populo divino inſerentur, eorumque beneficiorum, quæ gentis ſuæ ſunt propria, hæredes evadent. Nam etſi per naturam alias vix fieri poſſit, ut rami ſemel exciſi denuo ſtirpi ſuæ inſerantur, & cum ea coaleſcant; præſertim ubi jam exaruerint, & naturalem humorem ſuccumque perdiderint: Deus tamen id quoque facere poteſt, atque adeo efficiet, ut illi denuo ſtirpi ſuæ inſerantur, & felicitate populo ſuo deſtinata perfruantur.

verſ. 24. Nam ſi vos exciſi eſtis ex oleaſtro, ex quo naturaliter fueratis enati, & præter naturam inſerti fuiſtis in bonam frugiferamque oleam, hoc eſt, cum ex populis extraneis, ad fœdus divinum non pertinentibus, eſſetis oriundi, inſerti eſtis populo divino, & propriis gentis Judaicæ bonis fuiſtis potiti: quanto magis Judæi inſerentur olcæ ſuæ, cujus naturales fuerant rami, & bonis ſuæ gentis propriis perfruentur, cum facilius coaleſcant propria, quam aliena, & natura ſibi cognata, quam quæ præter naturam conjunguntur. Non temere hoc aſſero, nec abſque gravi cauſa vobis iſta, quæ de Judæorum inſertione & in gratiam divinam receptione dixi, inculco.

verſ. 25. Nolim enim vos, chariſſimi in Chriſto fratres, (illos potiſſimum alloquor, qui ex Ethnicis facti ſunt Chriſtiani) ignorare rem hanc, quæ ſecreta hactenus fuit, & in ipſo Deo latuit, nec humano ingenio perveſtigari potuit, ſed ab ipſo Deo fuit nobis pateſacta; quo nimirum pacto ſeſe habeat, quamque late pateat, & quouſque duratura ſit hæc populi Judaici induratio. Id enim ſcire veſtra ideo intereſt, ne nimium vobis tribuatis, &, ut illi ſolent, qui ſibi ipſis ſapere videntur, ſuperbiatis, arbitrantes, Judaicum populum penitus eſſe a Deo rejectum, & ſic vos de gratia divina ſecuriores eſſe poſſe, amotis iis, qui eam vobis poſſent præripere. Quapropter ſciendum vobis eſt, induratum quidem eſſe populum Iſraeliticum, & a Deo rejectum, ſed ad tempus tantum, nimirum eouſque, [vel, ſed non penitus, verum ex parte tantum, hoc eſt, eouſque] donec omnes extraneæ nationes occaſionem in Chriſtum credendi, & in populi divini Rempublicam veluti ingrediendi, facultatem habuerint.

verſ. 26. Hoc ubi factum fuerit, tunc Iſraelitico etiam populo ampliſſimus aperietur ad ſalutem aditus; ita ut credibile ſit, non aliquos tantum, ut nunc fit; ſed generatim omnes ejus nationis homines in Chriſtum credituros, & ſic ſalutem adepturos. Tam illuſtris nimirum, tamque ampla dabitur illis a Deo credendi occaſio, totque erunt ad eam rem incitamenta, ut extreme improbum eſſe oporteat, qui ex illis nolit in Chriſtum credere. Id enim olim a Deo fuit promiſſum, quemadmodum Prophetica teſtantur ſcripta, in quibus primum legimus, oriturum eſſe aliquando ac ſurrecturum ex populo Judaico, cujus præcipua ſedes eſt urbs ad Sionem montem collocata, inſignem quendam ſervatorem, eumque effecturum, ut omnia impietatis genera, omnia peccata eorumque pœnæ a Judaico populo, qui Jacobi eſt progenies, amoveantur. Quibus verbis non uni atque alteri ex populo Judaico, ſed populo univerſo, & omnibus generatim Jacobi poſteris promittitur, eos per hunc ſervatorem, qui nemo eſt alius præter Chriſtum, tum a peccatis ipſis, tum ab eorum pœnis, liberatum iri.

verſ. 27. Quod idem alia prophetica verba indicant, in quibus Deus ipſemet pollicetur, ſe hujuſmodi cum populo illo percuſſurum fœdus, cujus vi futurum ſit, ut pœnas peccatorum ab iis auferat. Quæ verba cum ipſum effectum denotare videantur, cumque ad Iſraelitas generatim omnes ſpectantem, omnino ſignificant, Deum tale quippiam facturum, ut generatim omnes ampliſſimam commodiſſimamque habeant occaſionem a peccatis recedendi, & omnia peccatorum ſupplicia effugiendi, ita quidem, ut vix fieri queat, quin generatim omnes remiſſionem peccatorum ſalutemque æternam conſequantur. Alioquin Deus iſtiuſmodi verbis non fuiſſet uſus, quæ ipſum effectum proprie denotant. Jam vero etiamſi ejus rei initium factum hactenus, nondum tamen plene ad effectum ea eſt perducta: quandoquidem licet nemo Judæorum niſi ſua culpa pericrit; tamen tot hactenus fuerunt obſtacula, quæ illos, ne in Chriſtum crederent, impediverunt, ut, quemadmodum ſupra diximus, Chriſtus illis fuerit lapis offenſionis & petra ſcandali. Unde factum eſt, ut ii quoque, quos divinæ gloriæ fervore ac legis ipſius ſtudio teneri dixi, quique adeo non ſunt prorſus improbo animo, non credant.

Illa vero tam prægnantia tamque ampla *Dei* promiſſa, quæ vidimus, ſignificant, obſtacula iſta aliquando amotum iri, nec ullam fore cauſam, quæ a ſalute æterna illum, qui non ſit extreme improbus, arcere poſſit. Id ergo adhuc reſtat.

verſ. 28. Neque eſt, quod quis objiciat, id propterea credibile non eſſe, quod ii Dei ſint hoſtes atque inimici, ac propterea quod odio furant in Chriſtum, ac conſequenter in ipſum Deum; viciſſim etiam Deus illos perſequatur odio: tantam autem felicitatem non eſſe ſperandam iis quos oderit Deus, ſed iis quos magno favore perſequatur; non eſt, inquam, cur ita quiſpiam objiciat. Nam etiamſi illi, ſi euangelicam doctrinam ſpectes, quam repudiarunt, Deo ſint exoſi: idque propter vos, gentes extraneas, quas in ipſorum locum ſubſtituere poterat, quaſque videbat avidius gratiam in euangelio oblatam recepturas; [vel: idque eum in finem, ut vobis gentibus extraneis veſtræque ſaluti tanto melius ac citius conſuleretur;] (inde enim factum eſt, ut tanto celerius illos repudiaret, & gratiam ſuam ab illis ad vos transferret) nihilominus tamen, ſi electionem ejus populi ſpectes, qua factum eſt, ut Deus ex omnibus terræ nationibus, hunc ſolum ſibi peculiariter fovendum ſuſciperet, ejus gentis homines adhuc in aliqua divini amoris parte hærent, & a Deo diliguntur propter ipſorum majores, quorum fidei ac pietati id dedit Deus; ut cum iis, eorumque poſteritate, fœdus percuteret.

verſ. 29. Nec eſt quod quis rurſus dicat, irritas eſſe factas eas Dei promiſſiones, & Deum, quia populus hic tam contumax fuerit, earum pœnituiſſe, eaſque revocaſſe; non eſt ita de Deo juſtiſſimo ſimul ac beniguiſſimo, ſtatuendum. Non pœnitet eum donorum ſuorum, quæ alicui obtulit, & ad quæ quempiam ſua ſponte invitavit: ſed ea ſemper præſtat illo, quo promiſit, pacto. Diximus autem ſupra, Deum cum hoc populo æternum fœdus percuſſiſſe, nec ita id poſſe fieri irritum, populi illius peccatis, quin, ſi ad Deum convertantur, in gratiam recipiantur, eorumque poſteritati aliquando ad eam pateat aditus.

verſ. 30. Quod ſi forte vos, qui e gentibus extraneis ad Chriſtum acceſſiſtis, inſtetis, & fieri non poſſe aſſeratis, ut Judæis adhuc reſtet ad gratiam divinam

receptus, quia illi adeo contumaces in Deum fuerint, eamque ob cauſam, non ex Dei, ſed ex illorum parte irritum eſſe factum fœdus, quod Deus cum illis pepigerit; veſtro ipſorum exemplo poteſtis refutari, & exinde cognoſcere, non obſtare hanc iſtorum contumaciam, quo minus Deus olim ipſis denuo gratiam exhibeat. Nam quemadmodum vos aliquando fuiſtis in Deum contumaces, & ab eo averſi, antequam euangelii vocem audiretis, ea patrantes, quæ Deo maximopere diſplicerent, & tamen nunc miſericordiam eſtis conſecuti, atque in gratiam ab eo recepti: occaſione contumaciæ & incredulitatis Judæorum:

verſ. 31. Ita etiam Judæi nunc contumaces ſunt in Deum, & a Deo averſi, ut etiam ipſi aliquando in gratiam ab ipſo recipiantur, occaſione gratiæ ac benignitatis illius, qua Deus vos Ethnicos complexus eſt, hoc eſt, ut ubertate donorum divinorum, quæ in vobis conſpicient, irritati quodammodo ac provocati, eandem Dei gratiam ambiant, & ſibi oblatam tanto avidius excipiant. Hoc enim eſt haud paulo veriſimilius, quam illud. Veriſimilius eſt, miſericordiam divinam alteri exhibitam parere miſericordiam alteri exhibendam; quam contumaciam alterius efficere, ut alteri miſericordia exhibeatur. Quod ſi nihilominus id contigit vobis; multo magis illud continget Judæis.

verſ. 32. Non induravit, nempe Deus, vel vos Ethnicos aliquando, vel nunc Judæos, ut vel veſtrum, vel iſtorum populum æterno proſequeretur odio: ſed potius ideo Deus omnes orbis nationes, hoc eſt, olim gentes quidem extraneas, nunc vero Judæos ſponte ſua contumaces factos, in hanc inobedientiam, tanquam carcerem quendam, concluſit, & variis impedimentis objectis, ne egredi facile poſſent, continuit, aut porro continere conſtituit ut ampliſſimam poſtmodum haberet occaſionem, in eos omnes, tum Ethnicos, tum Judæos, miſericordiam exercendi, atque adeo reipſa exerceret: id quod jam, quod ad gentes attinet, factum eſt; quod ad Judæos, olim perfecte fiet. Minus nimirum agnoſceretur divina benignitas, niſi longior ac diuturnior anteceſſiſſet hominum contumacia, ex qua perſpicias, quam indignus fueris divino amore, & ſummis beneficiis, ex eo in te manantibus.

verſ. 33. Quæ cum conſidero, in tam ſapienti ac benignitatis pleno Dei conſilio defixus, penitus obſtupeſco, & admirabundus cogor exclamare: O quam profundæ ſunt divitiæ, quanta amplitudo ſapientiæ ac ſcientiæ Dei optimi maximi, qua omnia [vel: O quanta eſt profunditas, quanta amplitudo tum benignitatis Dei ter optimi maximi, qua in univerſum genus humanum utitur; tum ſapientiæ ac ſcientiæ,] qua omnia mirabili ratione diſponit ac gubernat, & ad finem quodque ſuum dirigit, & quid ex quoque conſecuturum ſit, perſpicit! O quam reconditæ ſunt, & ſupra humanum captum rationes illæ, quibus in rerum omnium gubernatione, atque inprimis in ſalute humani generis adminiſtranda utitur! Nemo eas per ſeipſum perſcrutari, & ſuopte ingenio explorare poteſt, nemo inveſtigare conſiliorum & actionum ipſius rationes ac modos, adeo ſæpe ſunt intricatæ ipſius, ut ita loquar; viæ & turbata veſtigia per quæ incedit, ut neſcias, quo tendat, ut nonnunquam in contrarium ire putes.

verſ. 34. Nam ut Sacræ literæ quoque teſtantur, quis unquam ea extitit ſapientia, aut nunc extat, aut denique extiturus eſt, qui per ſeipſum poſſit mentem ac conſilium Dei, niſi id ipſemet ei ſponte ſua revelarit cognoſcere? An forte *D*eus cum aliquo conſilium init, & cum eo, quid factu ſit opus, deliberat, ejuſque ſententiam, ut reges ſæpe ſolent, expoſcit?

verſ. 35. An denique quiſpiam fortaſſe eſt, qui aliquid Deo prior ſuggeſſerit, eumque beneficio aliquo prævenerit, ita ut Deus ad eum remunerandum ſit obligatus?

verſ. 36. Haudquaquam. Nam ex ipſo, tanquam primo auctore, fluunt omnia; primus ipſe omnia invenit, & initia rebus omnibus largitur: nec tantum invenit, ſed etiam ea executioni reipſa mandat, &, ſive per ſe ipſum ſive per alios quippiam exequatur, ipſe operi univerſo præeſt, & quicquid cæteri, qui ei ſubſerviunt, virium habent, tantum ab ipſo habent. Unde denique conſequitur, ut in ipſum ejuſque gloriam omnia, tanquam in ultimum finem, dirigantur, & ad eum referri merito debeant. Quapropter ipſi omnis reddatur gloria, non tantum nunc, verum etiam in omnem ævorum perennitatẽ: quod ut fiat ex animo opto.

## CAP. XII.

verſ. 1. POſtquam ergo explicuimus, quanta vos proſecutus ſit Deus miſericordia, quam facilem juſtificationis & ſalutis æternæ rationem oſtenderit, & ſanguine proprio ſui filii ſanxerit; quamque late ea Dei gratia pateat: reliquum eſt, ut vos quoque veſtrum faciatis officium, & tanta Dei benignitate dignos vos præſtetis.

Quapropter rogo atque adhortor vos, chariſſimi in Chriſto fratres, per intimam illam *D*ei miſericordiam, qua vos proſecutus eſt, ut ea permoti cultum atque honorem ei exhibeatis convenientem. Cultus *D*eo conveniens, atque inter alia honoris genera præcipuus, collocatur in oblatione victimarum: ideo vos quoque hortor, ut victimam Deo offeratis, ſed diſſimilem ei, quam Moſes olim offerri voluit. Non enim aliena, hoc eſt, pecudum, corpora *D*eo debetis ſiſtere: verum potius veſtra ipſorum corpora, atque adeo vos totos divino honori addicere, & ipſius arbitrio vos penitus permittere; ita ut vos veſtraque corpora fiant victimæ quædam, hoc eſt, ad cultum & honorem divinum reipſa adhibeantur: non eo quidem pacto, quemadmodum victimæ legales, ut ea mactentur, & mortua *D*eo offerantur; ſed potius ut vivant, & vitæ actiones obeant, itaque in iis ſe gerant, ut penitus ſanctificentur; quemadmodum olim per ſacrificium ſacerdotiſque actionem, & loci ſancti contactum conſecrabantur hoſtiæ. Quemadmodum vero olim, dum ex ſacrificiis odor in ſublime ferretur, odor is *D*eo cenſebatur eſſe ſuaviſſimus, ipſaque victima ipſi credebatur accepta: ita etiam vos veſtraque corpora, quatenus per ea ſanctas editis actiones; in honorem divini numinis Deo reddentur accepta. Hic ſpiritualis eſt Dei cultus, & Deo vobiſque digniſſimus: ille alter, quem dixi, carnalis fuit, & ſpiritualis iſtius umbra, ac quoddam velut progymnaſma ad tempus tantum præſcriptum.

℣ſ. 2. Quia vero victimæ a rebus profanis omnibus ſegregantur, & poſtquam Deo ſunt oblatę, ne contactu quidem earum profanari debent; ideo etiam vos ſi velitis hoſtiæ fieri, & Deo penitus conſecrari, cavere debetis, ne contactu hominum profanorum polluamini.

Vel ſic: Hunc cultum ſi Deo exhibere velitis, cavendum vobis eſt, ne hujus mundi hominibus quorum multo maximus eſt numerus, quiq; in corruptibili hoc ſeculo om-

omnes ſuas ſpes poſuerunt, ſitis ſimiles, & mores ipſorum imitemini, a qua re Chriſtianis hominibus maximum eſt corruptelæ ac contagionis periculum: ſed potius vitam ac mores veſtros penitus reformetis, ita ut cum antea fueritis mundi hujus hominibus ſimiles, nunc illis reddamini moribus penitus diſſimiles. Id autem fiet, ſi mentem animumque veſtrum ita reformetis, ut, qui antea nil eorum cogitabatis, quæ *Deo* placerent, nunc in eo toti ſitis, ut exploretis, quidnam a vobis requirat *Deus*, quæve ſit ipſius voluntas; ea nempe, quæ pietatis honeſtatiſque officia præſcribit, & res *Deo* gratiſſimas præcipit, eſtque omni ex parte perfecta, ita ut nil deſit eorum, quæ *Deo* probari queant, & honeſtati ſint conſentanea: quæ *Dei* voluntas non in lege, quæ multos etiam ritus cum virtute per ſe nihil commune habentes, atque adeo nec per ſe *Deo* placentes, præſcribebat nec omnia prorſus pietatis officia in ſe complectebatur, ſed in euangelio patefacta eſt. Hanc ergo quam diligentiſſime explorate, & exploratam cognitamque approbate.

verſ. 3. Nam ut præcipua pietatis, ad quam vos hortor, officia breviter nunc explicem, id primum cuivis e veſtro numero, quantuſcunque tandem ſit, & quibuſcunque ornatus dotibus, pro auctoritate muneris apoſtolici, quod ex ſingulari *Dei* gratia mihi demandatum eſt, præcipio, ne plus quam oportet, ſibi arroget, neve majora ſibi a *Deo* conceſſa eſſe dona exiſtimet, quam revera data ſint; ſed potius ut moderate modeſteque de ſe ſentiat, tantum ſibi nempe tribuens donorum divinorum, quæ fidem doctrinæ euangelicæ adhibitam conſequi nunc ſolent, quantum ipſi *Deus* eſt impertitus. Menſura itaque donorum divinorum ſit unicuique menſura ſuî de ſeſe ſuaque dignitate judicii. Non omnibus data ſunt omnia, nec eadem menſura.

verſ. 4. Ita nempe ſe res habet in Eccleſia, ut in corpore humano. Nam quemadmodum unuſquiſque noſtrum unum tantum habet corpus, membra autem multa; membrorum porro non eædem ſunt functiones eædemque facultates, ſed pro membrorum varietate variantur quoque propria eorum munia ac vires:

verſ. 5. Ita etiam nos, quatenus Chriſtiani ſumus, licet multi ſimus, unum tamen Eccleſiæ corpus conſtituimus; ſinguli autem ſumus communia & inter noſmet copulata ejus corporis membra. Unde etiam facile eſt cernere, non eandem omnium eſſe functionem, adeoque nec eaſdem omnibus dotes eſſe a Deo conceſſas, quarum ope unuſquiſque functioni muneris ſui incumbat.

verſ. 6. Porro autem, cum, ut modo docuimus, pro divina illa benignitate, quæ nobis contigit, non uniuſmodi habeamus dona ſpiritualia, ſed varia ac multiplicia: iis quiſque ad commune Eccleſiæ bonum & corporis hujus myſtici incrementum uti debet, & pro viribus in munere ſibi conceſſo verſari. Itaque ſi cui contigerit a *Deo* facultas prophetandi, ſeu res divinas dextre ac ſolerter explicandi, utatur conceſſo ſibi munere, detque operam ut labor ipſius proportione quadam reſpondeat dono iſti cæleſti, quod ipſi ob fidem in Dominum Jeſum collocatam, doctrinamque ipſius receptam, obvenit. [Vel: diligenter caveat, ne quid ab analogia ac perpetua quadam norma religionis Chriſtianæ diverſum tradat, ſed omnes doctrinas, quas populo Chriſtiano proponit, ad illam fidei normam exigat, detque adeo operam, ut omnia dicta ſint primis & evidentibus religionis Chriſtianæ principiis conſentanea.

verſ. 7. Quod ſi vero cui contigerit miniſterium ejuſmodi, quod ad neceſſarios Eccleſiæ uſus & vitæ hujus commoditates, quibus carere in his terris non poſſumus, procurandas potiſſimum refertur, vireſque ſit adeptus ad munus hoc dextre obeundum, ne officium hoc divinitus ſibi demandatum deſerat, ſed in miniſtrando aſſidue ſtrenueque verſetur, omneſque animi ac corporis vires intendat, ut officio ſuo ſatisfaciat. Et hæc quidem de iis, quibus functio aliqua Eccleſiaſtica eſt demandata, & donum ad eandem obeundam neceſſarium contigit generatim dicta ſunto. Verum cum utriuſque functionis, nempe tum illius, quæ in rebus divinis explicandis, tum illius, quæ in miniſtrando cernitur, plura iterum ſint genera, de iis quoque eſt nonnihil dicendum diſtinctius. Et eorum quidem, qui prophetant, ſeu res divinas populo Chriſtiano oratione explicant, duo ſunt genera. Alii enim doctores appellari queunt, ſtrictius hoc ſumto nomine: quorum partes ſunt capita doctrinæ ac religionis Chriſtianæ, variaque myſteria explicare, & quid de ſingulis ſtatuendum ſit oſtendere, atque una noxios errores refellere: quorum opera fit, ut in ſcientia ac cognitione populus Chriſtianus proficiat. Alii vero hortatores appellari queunt, quorum munus eſt, pietatis officia populo Chriſtiano inculcare, eum ad iſta præſtanda exſtimulare; a vitiis contra & peccatis dehortari, eorumque fibras ex animis hominum evellere. Sunt enim alii ad docendum aptiores, alii ad hortandum: licet utrumque officium aliqua ex parte inter ſe miſceatur. Quare ſi cui conceſſa fuerit facultas docendi in Eccleſia & veras de religione ſententias explicandi, inſtet huic ſuo muneri, & in docendo perpetuo ſummaque cum diligentia ac fide verſetur.

verſ. 8. Si vero cuipiam contigerit munus aut facultas exhortandi populum Chriſti, & ad omnis generis virtutes excitandi, is quoque officio ſuo ne deſit; ſed fide quanta poteſt maxima officii ſui partes exequatur, & in admonendo ſit aſſiduus.

Quod autem ad miniſterium Eccleſiaſticum attinet, quod uſus Eccleſiæ neceſſarios, & vitæ hujus commoditates potiſſimum curat, id in triplici ſitum eſt differentia.

Alii enim veluti quæſtores ſunt Eccleſiæ, qui publicam ejus pecuniam colligunt, collectamque in uſus neceſſarios diſtribuunt: alii vitæ communi Chriſtianorum regendæ præſunt, & quod quiſque vitæ genus ſequi debeat, & quo pacto ſeſe in eo gerere, niſi ipſemet ſciat, præſcribunt ac conſulunt, & ſi quid in eo peccetur, corrigunt ac emendant: qui ſunt inſtar patrum familias totius Eccleſiæ: [vel: alii xenodochiis præſunt & oeconomi quidam ſunt eorum, quos alit Eccleſia, pauperum viduarumque.]

Alii denique miſericordiam publico Eccleſiæ nomine in miſeros exercent, ægrotis inſerviunt, nudos veſtiunt, & ſi quid eſt huic ſimile procurant: qui hypodiaconi dici queunt, ſeu miniſtri inferiores, qui manuum etiam labore opera charitatis exercent.

Horum unuſquiſque munere ſibi delegato diligenter fungatur: & is quidem, qui pecunias Eccleſiæ publicas colligit ac diſtribuit, id faciat non fraudulenter, ſed animo ſimplici, ac ſumma cum fide; non ſuum captans lucrum, non eum defraudans, in quem pecu-

nias Ecclesiæ nomine debeat erogare; sed in illos plane usus pro conscientia eam impendat, in quos Ecclesia ipsam destinavit. Quod si vero quisquam vitæ communi Christianorum [vel xenodochio] regendæ præsit id faciat summo cum studio, nec labori (est enim functio hæc laboriosissima, magnaque est negotiorum hujusmodi, in copiosa præsertim Ecclesia, moles) ullo modo parcat. Quod si denique ægrotis aliisque miseris aut pauperibus ministret, id faciat non invitus, non tristi animo, ac vultu torvo ac severo (id enim esset calamitosis calamitatem addere, & omnem beneficii gratiam deterere) sed animo alacri vultuque hilari, ut hac ipsa ratione calamitatem miserorum allevet. Et hęc quidem de iis officiis dicta sunto, quæ ad certas in Ecclesia personas pertinent. Redeundum nobis est ad ea; quæ omnibus in universum Christianis incumbunt: inter quę iterum ordinem ducit charitas, ex qua illa quoque, quæ hactenus tradidimus, certorum hominum in Ecclesia pendent officia: ita ut si quis eam habeat, munere sibi divinitus concesso fideliter ad commune totius Ecclesiæ bonum sit usurus.

vers. 9. Charitas autem illa non fucata, non simulata esse debet; sed sincera: nec lingua tantum ac verbis, sed opere ac factis ipsis ostendi ac exprimi. Cum enim hæc virtus sit per se eximia, & vel inprimis pertineat ad aliorum sibi benevolentiam conciliandam, sed simul etiam præstitu sit ardua ac difficilis, fere fit, ut eam simulare malint homines, quam reipsa præstare: ut ita laudem quidem virtutis referant, labore vero ac molestia, quæ in ea cernitur, careant. Quare nil magis est cavendum, quam ne simulatione charitatis charitatem ipsam vitietis. Hoc vero evitabitis, si abhorueritis ab omnibus rebus, quæ noxam & damnum aliquod afferant proximo: contra vero summo studio fueritis sectati id, quod aliis commodum gratumque fuerit, nec ullo pacto ab eo fueritis passi vos deduci:

vers. 10. Quia vero inter eos, quibus charitatem debetis, homines eminent fratres, id est, ii, qui ejusdem religionis societate vobiscum sunt conjuncti, & ex eodem Patre Cælesti una vobiscum sunt geniti: eos etiam ardentiori, quam cæteros omnes, affectu debetis prosequi, ita quidem, ut eam æmulemini charitatem, quam natura fratribus germanis insevit, qua fit, ut & optima sibi invicem cupiant & iisdem rebus lætentur, iisdem doleant, ac vehementer sese desiderent absentes, & simul esse gaudeant. Porro cum ad charitatem mutuam fovendam magnum habeat robur, si alii alios in pretio & honore habeant; nec ulla contemtus appareant indicia, quę alienare animos hominum vel inprimis solent: honore omnisque generis officiis, quibus ostendatis, quanti fratres faciatis, inter vos certate: ita ut nemo expectet, dum alius eum honoris & officii delatione præveniat; qui superborum hominum mos est: sed potius quisque alium honore antevertere studeat: quæ res mirum in modum vestros animos conciliabit, & amicitiam illam sacratissimam, quæ inter vos esse debet, stabilem firmamque reddet.

vers. 11. Quia vero in officiis, quibus alii alios prævenire debent, præstandis, studium & diligentia requiritur; plerique autem cum alias a labore ad desidiam sunt proclives, tum vero in alienis rebus curandis solent esse negligentes: cavenda vobis est omnis segnities, & adhibenda in negotiis fratrum & charitatis officiis diligentia, non minor, quam in vestris ipsorum rebus: imo sæpe etiam major, quemadmodum etiam in aliis negotiis, quæ ad divini nominis spectant gloriam. Hoc autem rursus consequemini, si animus vester totus tum divinę glorię ac religionis studio zeloque, tum spirituali fratrum charitate ferveat, & tum in illam, tum in hanc totus propendeat, magnoque feratur impetu: ita ut nihil sit illi honore divini numinis, & frarum salute ac prosperitate antiquius. Ut autē fervor hic non modo non noceat, sed plurimum etiam prosit, temporis ac occasionis accurata vobis est habenda ratio: ita ut opportunitatem diligentissime captetis, & si ea vobis sese offerat, adeo ei serviatis, ut etiā cum rerum vestrarum detrimento eam arripiatis. Neque enim semper est homines Deo lucrifaciendi, & cum eis de rebus divinis colloquendi opportunitas, eaque fere properat, & si semel e manibus dimiseris, frustra postmodum eam requiras. [vel: Hunc autem animi fervorem facilem vobis excitabitis, si cogitabitis, vos in ea re Domino Jesu servire; apud quem haudquaquam frustra operam collocabitis, sed multo maximum laboris vestri fructum referetis. Hoc ergo perpetuo cogitate, & hujus Domini servitiis penitus vos addicite: quod fiet, si nihil eorum omiseritis, quæ ad gloriam divini nominis, & regnum ipsius amplificandum, atque ad fratrum commoda promovenda pertinebunt. Moderandus est etiam interdum animi fervor, ne importuno zelo aliorum odia iriasque temere provoces, & periculo te absque causa objicias. Itaque aliquando cedendum est tempori, & prudentia temperandus animi calor.

vers. 12. Unde illud quoque consequitur, vos, cum tam diviti benignoque Domino serviatis, spe amplissimi præmii, quod vobis apud eum in cælis est repositum, perpetuo debere gaudere.

[Vel: Quia vero adeo laboriosa, & ut mox apertius ostendam, dura admodum & aspera est Christianorum hominum, si terrenam hanc vitam spectes, conditio: non est tamen quod animo frangamini. Est quod labores & molestias illas abunde compenset; easque non leves tantum, sed & suaves reddat, spes nempe certissima ac solidissima prędmii omnium amplissimi, quod vobis est propositum. Quare hac spe vos perpetuo exultare eaque in mediis etiā calamitatibus vos solari debetis, & ea suffulti omnes afflictiones, atque inprimis eas, quæ ob Christi nomen, & sanctissimæ ejus religionis professionem, & veræ pietatis studium vobis incumbunt, invicto animo superare, nec committere, ut a veritate ac pietate illarum vi deduci aut deterreri vos patiamini.] Ad hanc vero in persecutionibus perseverantiam, & invictum animi robur comparandum plurimum adferunt subsidii preces assidue ad Deum fusæ. Neque enim vires nostræ tanto oneri ferendo sufficiunt; sed divino nobis est opus auxilio: quo si destitueremur, calamitatum mole pressi succumberemus. Quapropter precibus perpetuo invigilate, & dies noctesque divinæ gratię fores pulsate, ut tum ad omnis generis afflictiones substinendas robur vobis inspiret; tum alia omnia quibus indigetis bona largiter in vos effundat.

vers. 13. Sed ad ea redeo pietatis officia, quæ cum charitate sunt conjuncta, & ex ea proficiscuntur; a quibus paulisper sum digressus. Postulat autem charitas, ut aliorum subveniatis inopiæ, & vestra copia aliorum expleatis egestatem; atque inprimis fratrum, quos Deus a profano hominum vulgo separavit, per veritatis agnitionem, & sibi consecravit. Quod si ergo videatis, ut quidem sæpissime contingit, eos rebus indigere necessariis, liberali manu illis succurrite, & de facultatibus vestris illis impertimini ea, quibus est opus. Eosdem etiam libenter hospitio excipite, præsertim veritatis causa exules, ac sedibus suis pulsos. His ædes vestrę pateant, his mensa

mensa vestra sit parata: & non tantum non fugite vel laborem, vel sumtus, qui ea in re cernuntur; sed ultro etiam hospites hujusmodi ambite & invitate, ac tam præclaram virtutem omni studio ac contentione prosequimini.

vers. 14. Verum non tantum in fratres atque amicos exercenda est charitas, sed etiam in inimicos. Quare iis, qui vos insectantur, & nihil non mali justitiæ causa vobis inferre conantur, aut etiam reipsa inferunt, fausta omnia precemini: ut, si opere non possitis, votis saltem piis egregium erga ipsos animum & affectum testemini. Iterum hoc vobis dico atque inculco: bene precemini vestris inimicis, tantum abest, ut illos execremini, aut diris verbis eos insectemini: quemadmodum quidem illorum videbatur postulare improbitas; & affectus carnalis suadet ac solicitat. Unde passim videmus, eos, qui mali aliquid patiuntur, cum Dei timore non regantur, & Christi spiritu mansueto careant, hostes suos diris devovere, & lingua saltem suas injurias ulcisci: quorum consuetudinem haud vos imitari debetis, qui Christi estis discipuli.

vers. 15. Quemadmodum autem in hostes miti ac placabili debetis esse animo: ita etiam humanitate erga omnes uti debetis: quam quidem testabimini, si eorum rebus tum lætis tum tristibus afficiamini. Quare cum aliquid læti contingit aliis, atque inprimis hominibus Christianis, unde ii merito gaudeant, vos quoque gaudere iisque gratulari debetis: Contra vero si quid acciderit illis adversi, quod lacrymas eorum cieat, aut ciere queat, vos quoque eorum calamitate tristari, & infelicitati illacrymari debetis.

vers. 16. Istud autem vel maxime vobis enitendum est, ut inter vosmet ipsos sitis concordes; &, cum una vobis sit religio, unus etiam sit in vobis animus: & licet fortasse sententiis quibusdam, in quibus salutis cardo non vertitur, dissideatis; nihilominus tamen voluntatibus conspiretis. Ad hanc porro concordiam retinendam nihil est aptius modestia & animi demissione: quemadmodum nihil ineptius alias superbia; unde aliorum nascitur contemptus. Quare ne elate de vobis ipsis sentiatis, aliosque præ vobis supercilioſe spernatis, ut ut vobis videantur esse viliores: sed potius ad eos, qui humiliori sunt conditione ac loco, ac dignitate vobis impares, vos demittatis, & iis ita obsecundetis, ne suspicari facile queant, se vobis esse despicatui. Quia vero ex eo potissimum nascitur aliorum contemtus, quod nobismet ipsis videmur sapientes & plus æquo nobis tribuimus: ideo cavendum nobis hoc opinionis fermentum, ne sapientiæ, aut cujuscunque alterius boni laudem vobis præter verum assumatis.

vers. 17. Præterea illud quoque Christianæ charitatis est, & ad retinendam firmandamque pacem admodum necessarium, a vindicta quam longissime abesse. Quapropter cavete, ne injuria a quoquam affecti injuriam reponatis, eumque ulciscamini: id quod fit, cum quis ei, qui noxam intulerat, vicissim aliquid infert mali; sive id par sit acceptæ injuriæ, sive impar, eum in finem, ut dolorem tantum reponat. Ab hujusmodi autem vindicta non tantum Dei metus, verum etiam honestæ existimationis studium avocare vos debet. Nam utut plerique libidine vindictæ æstuent, & ulcisci se conentur: in alieno tamen negotio facile agnoscunt, turpem esse vindictam, & impotentis animi argumentum; maxime cum eos animadvertunt hac cupiditate teneri, qui sanctiorem religionem, majoremque præ aliis omnibus charitatem ac patientiam profitentur. Solentque homines externa magis spectare, quam interna; & id potius quid feceris, quam cur feceris: ita ut, si malum malo rependeris, non tam reposuisse, quam intulisse injuriam videaris. Vestri autem officii est, diligenter providere, ut actiones vestræ non tantum Deo placeant; (non placebunt autem si malum pro malo reddatis) sed etiam omnibus hominibus probentur, & honestæ ab iis judicentur.

vers. 18. Atque hic, ut jam indicavi, proximus est ad pacem cum omnibus hominibus colendam gradus: cujus vobis maxima est habenda ratio. Itaque si fieri ullo potest pacto, ut cum omnibus hominibus pacem colatis, colere etiam omnino debetis, saltem quantum in vobis est. Quod ideo dico, quia nonnunquam per aliorum iniquitatem pace nobis perfrui non licet: vel quia conscientiæ nostræ vis infertur; vel quia alias ab injuria abstinere nolunt ii quorum amicitiam ambimus. Quod si fiat, dare operam debemus, ne per nos stetisse, quo minus pax coiret, merito dici queat.

vers. 19. Quia vero, ut paulo ante diximus, ad hanc rem perneccessarium est, a vindicta abstinere, ideo denuo vobis est inculcandum fratres charissimi, ne injurias vestras quocunque modo velitis ulcisci, sive per vosmet ipsos, sive per alios: sed potius, si forte contingat, ut ob injuriam acceptam ira tentet animum & ad vindictam solicitet, ei locum exeundi quamprimum detis, atque ut ex animis vestris migret, atque exspiret, curetis. Neque enim vobis id jus competit; sed Deo, qui id sibi soli vendicat: quandoquidem ita apud Mosen Deus pronunciare scribitur: Meum est vindicare atque ulcisci: ego quicquid injuriæ populo meo intulerint hostes, ipse rependam inquit Dominus, supremus omnium rerum Monarcha. Ubi vides Deum nemini alii hoc juris concedere; sed sibi soli reservare (non exclusis interim iis, per quos is vindicare injurias servis suis illatas solet.) vel: Sed potius injuriam patienter tolerando locum concedatis divinæ iræ atque supplicio: cui aditum præripiunt ac præcludunt, qui seipsos ulciscuntur: non quod hęc mens vestra esse debeat, ut Deus inimicos vestros puniat; sed tantum ne jus hoc Deo velitis præripere: etiamsi cæteroquin ne a Deo quidem vindictam de hostibus sumendam desiderare debeatis. Ideo autē hoc vobis ipsis non debetis sumere, quia &c.]

vers. 20. Quapropter tantum abest, ut inimicum tuum ulcisci debeas, ut contra potius Salomonis tibi sit sequendum consilium, Christianis hominibus factu omnino necessarium. Illud vero est ejusmodi: Si, inquit, inimicus tuus fame laboret, præbe illi cibum; si sitiverit, præbe ei potum. Quod idem de cæteris humanitatis officiis statuendum est, quæ indigentibus exhiberi solent ac debent; nempe inopiæ inimici tui libenter debes succurrere, & egestatem ipsius qua potes ratione sublevare. Hoc demum pacto vindictam de illo sumes, non eam, quæ ex impotentia animi proficiscatur; sed quæ ex pietate, charitate; quæque Deo sit gratissima, ipsi inimico tuo utilissima. Nam si hujusmodi benignitatem exercueris, ita ures hominem, atque si ignitos carbones capiti ipsius imponeres. Adeo nempe eum cruciabit conscientia, adeo dolebit, se tibi, homini tam humano, tam benigno, aliquando intulisse injuriam, ut pudore totus suffundatur, & seipsum graviter accusęt, totusque æstuet.

Quapropter ne te vincat injuria ac tuam patientiam expugnet: id quod imbecillis impotentisque est animi:

sed

ſed tu potius beneficiis ſuperes injuriam, eamque ita obruas, ut ab ea deſiſtere adverſarium quodammodo cogas.

## CAP. XIII.

Verſ. 1. PORro cum ſub alieno vivatis imperio, diligenter conſiderandum vobis eſt, quid his debeatis, quibus eſtis ſubjecti. Itaque præcipio, ut quivis homo, cujuſcunque alias ſit conditionis aut ordinis, obtemperet in omnibus, quæ divinis mandatis non repugnant, magiſtratibus, ſeu iis qui poteſtate ſuper alios eminent, & imperium in eos habent: ſummis quidem primum, conſequenter vero etiam inferioribus, qui a ſuperioribus dependent. Ideo autem quivis magiſtratui obtemperare debet, quia etiamſi is ab hominibus tantum creari, & eorum arbitrio conſtitui videtur; revera tamen non aliunde eſt, niſi a Deo. Ab hoc imperia ac poteſtates, quæ exiſtunt, ſunt conſtitutæ, atque ordinatæ, adeoque magiſtratus ii, qui nunc exiſtunt, etiamſi Ethnici forte ſint, & a Deo alieni, nihilominus tamen ab ipſo Deo, ejuſque arbitrio ſunt conſtituti.

verſ. 2. Quare quicunque magiſtratui reſiſtit (reſiſtit autem quiſquis non obtemperat,) is non putare debet, ſe hominibus tantum reſiſtere, aut humanæ tantum conſtitutioni, ſed potius pro certo ſtatuere, ſe Deo ejuſque ordinationi atque inſtituto reſiſtere.

Facile autem intelligere quivis poteſt, eos, qui Deo ipſi reſiſtant, impune id minime laturos, ſed ſupplicium luituros.

verſ. 3. Idque tanto magis, quod principes ac magiſtratus non ſoleant prohibere, ac multo minus punire recte facta, ſed contra male facta, & ſocietati civili adverſa: ita ut haud quaquam metuendi iis ſint, qui cum honeſtate vitam traducunt, atque a maleficiis abſtinent. Quapropter ſi tibi gravis eſt principum metus, & ſi ſecurus vis eſſe a ſuppliciis, quæ ab iis ſolent infligi, bene & honeſte vitam traducas, ac virtutem colas. Id enim ſi feceris, tantum abeſt ut ſupplicium aliquod tibi a magiſtratu ſit metuendum, ut etiam laudem, etiamſi tandem alia abſint præmia, ab eo ſis reportaturus.

verſ. 4. Etenim magiſtratus Deo miniſtrat in tuum commodum, nempe ut honeſtam & tranquillam vitam agere queas: at vero ſi male egeris, & flagitiis aliquibus te contaminaveris, merito debes tibi metuere a magiſtratu, & ſupplicium ab eo expectare. Neque enim fruſtra poteſtas illi data eſt, gladio feriendi atque ulciſcendi maleficos, ac jus vitæ neciſque conceſſum: quam poteſtatem qui habet, is multo magis minora ſupplicia ac mulctas poteſt irrogare. Non fruſtra, inquam, id factum eſt, ſed eum in finem, ut, ubi opus, pœnas irroget, & ſupplicia commerita infligat. Deo enim hac in re miniſtrat, & pœnam ejus nomine atque autoritate de maleficis ſumit, eorumque delicta vindicat.

verſ. 5. Quapropter cernere quivis poteſt, neceſſe omnino eſſe, magiſtratui parere; idque non tantum ob ſupplicium, quod ipſe magiſtratus infligere queat ſibi immorigeris, quod fortaſſis a nonnullis contemni poſſit, ſed etiam ideo, quia conſcientia id poſtulet, & per ſe rectum & honeſtum, ac divinis mandatis debitum eſſe dictet. Ne quis forte putet, ſi vel ſupplicium magiſtratus effugere poſſit, vel illud contemnat, aut ſuſtinere non abnuat, licere ſibi magiſtratus juſſa violare, & nihil referre, ſive magis, ſive minus. Non ita ſe res habet: cum ipſa pietatis ac honeſtatis ratio id per ſe etiam requirat.

verſ. 6. Et ſane eandem ob cauſam etiam cenſus ac tributa magiſtratibus pendere tenemini, atque adeo penditis: id quod ſubjectionis ſignum eſt. Jure, inquam, & propter conſcientiam penditis: quandoquidem ii publici quidam miniſtri ſunt Dei ſummi, qui hoc unum agere debent, ut publicum bonum curent, & civilem tranquillitatem tueantur. Huic autem uni rei vacare, & tantis rebus gerendis ſufficere non poſſent, niſi tributis ſubditorum ſublevarentur.

verſ. 7. Quare tum his, tum cæteris omnibus, reddite ea quæ debetis: cui debetis cenſum, ei cenſum pendite; cui vectigal, quod pro importatione vel exportatione mercium ſolvendum eſt, ei vectigal pendite; quem metuere ac revereri debetis, eum metuite ac reveremini; cui honorem debetis ei honorem exhibete:

verſ. 8. Atque ut uno verbo complectar omnia, ita præſtate unicuique ea, quæ iis præſtare convenit, ut nemini quicquam debeatis amplius, hoc uno excepto, ut vos invicem amore ſincero complectamini. Nam omnibus præſtitis, quæ alii aliis debent, affectus tamen ſincerus, ex quo varia iterum manabunt officia, ubi opus erit, exhibendus. Hic nunquam ita præſtari poteſt alteri, quin ſemper ulterius debeatis. Id autem vos vel inprimis ad hujuſmodi charitatem mutuam impellere debet, quod, ſi hoc feceritis, legem divinam, quæ ad proximum ſpectat, implebitis. Quiſquis enim vere diligit alterum, eo ipſo legem hanc implet.

verſ. 9. Nam omnia, ſecundæ, ut vocant, tabulæ præcepta, videlicet ea omnia, quæ ad proximum ſpectant, qualia ſunt illa, ne adulterium committas; ne occidas; ne fureris; ne falſum teſtimonium in alterum dicas; ne res proximi concupiſcas, & ad te pertrahere iniqua ratione velis; & ſi quod aliud eſt in lege Moſaica præceptum hujus generis, ea omnia, inquam, ſummatim comprehenduntur in hoc uno ſermone, ſeu præcepto: dilige proximum tuum (proximus autem ſub lege quidem erat quivis Iſraelitici generis homo; nunc qnivis, cum quo tibi intercedit aliquid negotii, tuaque indiget opera) ratione ei ſimili, qua temet ipſum diligis; atque adeo quicquid tibi præſtari ab altero cuperes, id eidem quoque præſtes.

verſ. 10. Id inſuper hac quoque ratione confirmari poteſt, quod charitas non permittat, ut proximo tuo noceas, eique aliquam injuriam inferas. At vero lex Moſaica, quæ ad proximum pertinet, id revera tantum poſtulat, ne injuriam alteri inferas: ut vel ex præceptis Decalogi modo allatis patet. Quod ſi quid a Deo mandatum, quod ad beneficentiam videatur ſpectare, id ejuſmodi eſt, ut propemodum injuriam videaris facere ei, cui id denegas. Quare cum charitas, ut diximus, non permittat, ut alteri noceas injuriamve facias, certe charitas complementum quoddam eſt legis, & omnium mandatorum ad proximum ſpectantium obſervationem in ſeſe complectitur.

verſ. 11. Tanto autem magis tum hoc, quod explicuimus, tum cætera, quæ ſuperius enumeravimus, pietatis officia præſtare debemus: quod ſciamus, quale ſit hoc tempus, in quo vivimus, & quibus rebus perficiendis aptum atque oportunum. Conſtat enim nobis, tempus eſſe, ut jam tandem ex vitiorum ſomno ſurgamus. Appropinquante ſole, & meridiem fere appetente, turpe eſt ſomno indulgere; at apud nos Chriſtianos

ſtianos ſol veritatis jam lucet clariſſime. Nam ſalus ſempiterna, & ejus adipiſcendæ ratio nobis a Deo patefacta, quæ ſolis inſtar, jam propius, ut ita dicam, ad nos acceſſit, ac clarius nobis innotuit, quam tum innotuerat, cum doctrinæ Chriſti primo fidem adjungeremus, eamque reciperemus. Eo tempore diluculum tantum erat, & ſol ille ſalutaris nobis tum primum illuceſcebat: ſed ab eo tempore ſubinde ad nos acceſſit propius & plenius a nobis eſt cognitus.

verſ. 12. Jam nox ignorantiæ rerum divinarum, ab exſurgente ſalutis jubare propulſa, longius proceſſit, atque a nobis abiit; diei vero lux nobis facta eſt propinquior. Quare quemadmodum homines ſolent interdiu relinquere atque omittere ea quæ in tenebris perpetrant, ob pudorem aut metum eadem non audentes, quin etiam induere habitum cultumque corporis honeſtum: ita etiam nos in tam clara ſalutis luce facere oportet. Deponamus igitur atque omittamus omnia illa facta, quæ in tenebris ignorantiæ divinæ voluntatis perpetrabamus olim, quæque ii, qui ignorantiæ illius nocte adhuc premuntur, pudore ac metu ſemoto adhuc perpetrant; contra vero virtutis ac pietatis induamus habitum, qui luci veritatis cæleſtis conveniat, eoſque deceat, qui in luce illa verſantur, id eſt, qui voluntatem cæleſtem habent cognitam.

verſ. 13. Ac porro non indecore, quod noctu fortaſſe licet, ſed tanquam in media die, decenter atque honeſte ambulemus, ac vitam noſtram pie tranſigamus, non indulgentes comeſſationibus ſeu epulis luxurioſis ac diſſolutis; non ebrietati ac potus intemperantiæ; non turpi libidini ac petulanti procacitati; non rixis, &, quæ illarum ſæpe mater eſt, invidiæ atque æmulationi:

verſ. 14. Contra autem amplectamini eandem vitæ rationem, quam Dominus Jeſus Chriſtus tum præcepit, tum vitæ exemplo docuit, & hanc veluti veſtem honeſtiſſimam pulcherrimamque induatis.

Neque vero eſt, quod quis putet, me, dum voluptates illas veto, corpori nihil putare tribuendum. Ego enim honeſtam ac moderatam corporis curam haudquaquam prohibeo: ſed illud tantum moneo ac præcipio, ne hujnſmodi ſuſcipiatis corporis curam, eique tantum indulgeatis, ut luxuriet, & in varias cupiditates exardeſcat, atque ad eas explendas ſeſe accingat. Quod qui facit, is nequaquam eam vivendi rationem ſequi poterit, quam Dominus Jeſus nobis tradidit.

## CAP. XIV.

verſ. 1. NOn eſt autem hoc loco prętereundum, quo pacto homines Chriſtiani in rebus adiaphoris ac per ſe licitis gerere ſeſe debeant: qua in re non exigua charitatis pars cernitur. Primum ergo vos moneo, qui pleniorem adepti eſtis rerum ad religionem pertinentium notitiam, &, quid liceat, quid non liceat exactius cognoviſtis: ut eos, quoram fides adhuc eſt infirmior, quique ob judicii imbecillitatem non audent, vel non poſſunt aſſentiri iis, quæ de libertate Chriſtiana a nobis dicuntur, ut inquam, eos tanquam fratres in Chriſto Jeſu complectamini, eoſque vobis adjungatis: non eo tamen animo ut eos ad diſputationes & certamina adigatis, velitiſque ut ſubinde vobiſcum de rebus iis diſceptent, quæ in controverſia inter vos & illos verſantur. [vel: ut eos magis reddatis dubios, & cogitationes eorum in diverſas partes trahatis: quæ res & animi tranquillitati, & aliqua ex parte etiam conſcientiæ, non parum nocet.]

verſ. 2. Hoc vero quod dixi, ideo moneo, quia probe novi, eſſe inter homines Chriſtianos, Judæos præſertim ac gentiles de hujuſmodi rebus controverſias. Nam alii quidem firmiter credunt, quibuſvis cibis ſibi licere veſci; alii vero quorum fides eſt infirmior, nec eas habet vires, ut hujuſmodi ſententiæ, licet veriſſimæ, aſſentiri audeat, ne forte cibo aliquo ipſorum opinione impuro aut illicito veſcantur, malunt vilioribus eſcis, verbi gratia, ſolis oleribus ac herbis, quarum nullam Deus in lege Moſaica vetuit aut impuram judicavit eſſe, contenti.

verſ. 3. Hac controverſia & ſententiarum diverſitate exiſtente ita ſe gerere utrique debent, ut neque ii qui cibis quibuſvis veſci audent, eum præ ſe contemnant, tanquam imperitum ac rudem, qui non audet quibuſvis cibis uti: nec contra is qui non audet quibuſvis veſci cibis, condemnet eum, tanquam impium & profanum, qui id facere audet. Ideo vero eum damnare non debet, quia Deus, ſupremus omnium dominus ac judex, eum in gratiam recepit, ac pro ſuo eum agnoſcit: cujus rei non pauca, nec obſcura extant documenta.

verſ. 4. Jam vero tu, quiſquis es, quo pacto audes te Dei judicio opponere? cogita tantum, qui ſis, qui audeas ſervum, non tuum, ſed alienum, ſervum, inquam, Dei & Chriſti, condemnare, & judicis partes tibi in eum ſumere? Unde tibi ea poteſtas? Non tuo ille judicio vel cauſa damnabitur vel abſolvetur: ſed domini ſui, id eſt Dei ac Chriſti judicio ac arbitrio is vel abſolvetur a crimine atque innocens pronunciabitur; vel cauſa cadet, ac pœnæ adjudicabitur. Quanquam non eſt, quod verearis, ne forte damnetur & cauſa cadat. Conſiſtet ille hac in parte in domini ſui judicio, & ejus ſententia abſolvetur. Eſt enim hoc in Dei arbitrio ac poteſtate, ut illum abſolvat; abſoluturum autem ſe illum multis modis jam oſtendit.

verſ. 5. Eſt autem & alia ſimilis priori inter Chriſtianos homines controverſia, de dierum diſcrimine. Nam alii quidem uni diei plus tribuunt, quam alteri, & alterum altero judicant ſanctiorem; alii vero peræque æſtimant, & eodem habent loco quemvis diem, nec alium alio cenſent ſanctiorem. In qua controverſia, quemadmodum etiam in ſuperiori, illud unuſquiſque curare debet, ut in ſua ſententia plene confirmetur; nec dubitet, ſe id, quod facit, recte ac divinæ voluntati convenienter facere.

verſ. 6. Dein de utriſque hominibus optime ſentiendum eſt, ac ſtatuendum, eos bono pioque animo id facere, quod faciunt. Nam is, qui uni diei præ altero quicquam tribuit, eumque tanquam ſanctiorem celebrat, ideo id facit ut domino Jeſu, atque ipſi *Deo*, hac in parte obſequatur. Contra etiam, qui diem diei non præfert, nec unum ſanctius colit præ altero, id facit animo ſtudii domino Ieſu obſequendi pleno: ita ut perſuaſus ſit ſe nil facere ipſius voluntati adverſum; quod ſi putaret, omnino aliter ageret. Similiter etiam is, qui quibuſvis utitur cibis, facit id animo revereutiæ in dominum pleno: quandoquidem pro cibis illis *Deo*, qui eos ſibi conceſſerit utendos, gratias agit: quod haudquaquam faceret, ſi putaret domini ſui voluntati id eſſe adverſum, eoſque cibos ab ipſo, & ſic a *Deo* eſſe prohibitos. Contra etiam is qui non utitur quibuſvis cibis, eo animo id

facit ut Domino obsequatur, quem putat quibusdam cibis interdixisse, & nihilominus tamen cæteris esculentorum generibus contentus, gratias agit Deo, qui illa sibi in usus necessarios concessit. Ita nempe homines Christiani de se mutuo sentire debent, & sibi, ut charitas postulat, persuadere, quemvis hoc, quo diximus animo id facere, quod facit, & ita sese componere, prout religio, quam profitetur, ac status ipsius postulat.

vers. 7. At vero religio nostraque conditio id postulat, ut im omnibus ad Domini Jesu Christi voluntatem respiciamus, eique nos penitus attemperemus: Nam nemo nostrum, quisquis ille tandem sit, sui est arbitrii; &, tanquam alieno imperio minime subjectus, pro libitu suo vitam componere potest: quin imo non tantum viventes arbitrii nostri non sumus, & ab aliena potestate immunes, sed ne post mortem quidem: per quam tamen alias humanæ potestatis omne jugum excutimus.

vers. 8. Nam sive vivamus, sub Domini Jesu imperio ac potestate vivimus, ita ut ad illius arbitrium ac voluntatem omnes vitæ actiones componere debeamus: sive contra morimur, ita morimur, ut nihilominus sub ejusdem maneamus imperio. Quare sive vivamus, sive moriamur, Domini hujus sumus; ita ut ille in nos jus ac potestatem habeat plenissimam, & de nobis statuere possit quicquid velit.

vers. 9. Nam in hunc ipsum finem Christus Jesus & mortem tam acerbam adiit, & postea a mortuis resuscitatus ad immortalem vitam pervenit, ut & in homines mortuos, & in vivos dominium adipisceretur, idque pleno jure exerceret.

vers. 10. Hoc cum ita se habeat, quo pacto quispiam audet vel condemnare, vel contemnere fratrem suum, cujus eadem sit apud Deum conditio? Quandoquidem non hominis est cujuspiam de altero sententiam ferre, & eum vel penitus damnare, vel saltem sibi postponere: sed Christi hæ sunt partes cujus judicio nos omnes, quicunque tandem simus, sive peritiores, sive imperitiores, sistemur, factorum uostrorum rationem reddituri, & sententiam illius de nobis excepturi.

vers. 11. Ita enim apud Esaiam scriptum legimus: quam verum est, me vivere, ait supremus rerum Dominus, tam certo etiam futurum est, ut omnes homines mihi genua aliquando flectant, seu me adorent, & omnes linguis suis divinum meum nomen celebrent: id quod plene atque ab universis hominibus non fiet, nisi tum, cum Christus veluti pro tribunali sedens, patris sui nomine, orbem judicabit, & præmia ac pœnas decernet ac distribuet. Tunc enim demum omnes majestatem ipsius agnoscere ac revereri, & sic eundem adorare, ac nomen ipsius celebrare cogentur. Qui cultus universus ad Deum, cujus personam is sustinebit, redundabit: ita ut perinde sit, atque si homines ipsi Deo genua flecterent ac nomen ejus celebrarent.

vers. 12. Ex quo perspicitur, quemvis nostrum de se suisque factis, non de alienis, rationem redditurum Deo, & vel pœnas eorum daturum, vel præmia laturum: ita ut non tam de alienis factis, iis præsertim, quibus in neutram partem quicquam pronunciavit Deus quam de suis unusquisque debeat esse solicitus, & universum de alienis factis judicium Deo, per Christum judicaturo, penitus reservare.

vers. 13. Quapropter ne alii alios damnemus, & judicum partes in eos sumamus: sed hoc potius, fratres mei, judicate, ac penitus apud vos decernite, non esse a vobis quicquam faciendum, ad quod frater infirmior impingat, seu in cursu religionis ac pietatis Christianæ offendatur, aut ab eo penitus avertatur: quod facile fieri potest, si quis libertate Christiana intempestive utatur, & id facit, quod ipsemet quidem sibi licere scivit, alius vero rerum imperitior ac infirmior nesciat.

vers. 14. Scio quidem, ac penitus persuasus sum, a Domino Jesu Christo edoctus, & per sanctissimam ejus religionem eruditus, nullum ciborum genus, ut nec quicquam aliud extra nos positum, per seipsum impurum esse, ita ut eo per conscientiam frui non liceat; sed ei demum aliquo modo impurum illicitumque fieri, qui putet id ipsum impurum esse atque illicitum. Itaque si tu idem quod ego sentias, hactenus quidem omnibus istis rebus uti ac frui tibi licet, nec tibi illæ sunt impuræ: sed alia tamen ratione illicitæ fieri possunt.

vers. 15. Nam si fiat, ut propter cibum alioquin licitum, quo tu vesceris, fratris tui conscientia turbetur ac contristetur; quod tum inter alia fit, cum is tuo exemplo inductus, hæsitante interim ac repugnante conscientia, idem facere ausus est: non amplius ita te geris, ut charitas postulat: quandoquidem fratrem tuum hoc pacto perdis. At vero nequaquam committere debes, ut ob cibum, rem nempe per se vilissimam, ei occasionem præbeas, cur æternum pereat, cujus servandi & ab interitu vindicandi causa mortem tam acerbam Christus sustinuit.

vers. 16. Quapropter ab intempestivo libertatis vestræ usu abstinere debetis, nec committere ut hoc bonum vestrum ab aliis vituperetur, & impietatis nomine traducatur. [vel: Committere, ut sanctissima Christi religio, quæ vobis illam libertatem concessit, quaque nihil a Deo vobis est concessum melius.]

vers. 17. Indignum sane est, hominem Christianum, libertatis suæ in cibo ac potu adeo esse tenacem, quasi in ea re quædam ipsius consisteret felicitas, & id potissimum nobis attulisset Christiana religio boni, ut quibus rebus uti libeat, etiam liceat. Non consistit felicitas illa, quam *Deus* per *Christum* in nobis peperit, in cibo ac potu; [vel, de rebus hujusmodi admodum digladiari, quasi in iis salutis nostræ cardo verteretur. Neque enim ratio felicitatem illam divinam, quæ nobis promissa est, assequendi in eo consistit, ut, quovis cibo ac potu utaris, vel non utaris: sed in justitia potius, seu omnis generis pietate, ac inprimis in pacis ac concordiæ studio, & denique in gaudio spirituali, quod quis in seipso divina adjutus virtute religiosis cogitationibus excitet;] sed in eo potius ut justitiam & omnis generis virtutem colamus; ut colamus concordiam ac pacem, cujus causa sæpe libertate nostra utendum non est: ut denique gaudium percipiamus, non ex rebus carnalibus, qualis cibus & potus est, quo homines mundani se exhilarare potissimum solent; sed ex spiritu sancto, quo pleni esse debemus: cujus vim in nobis sentimus, cum ad devotionem singularem animos nostros componimus, & quanta Deus nobis promiserit bona consideramus. [vel: Sed in justificatione: qua fit, ut non secus atque innocentes a Deo tractemur, & animi tranquillitate, quæ inde oritur, & gaudio denique non carnali, quod cibus aut potus verbi gratia, pariat; sed spiritus sanctus in nobis efficiat.]

vers. 18.

verſ. 18. Nam qui in hujuſmodi rebus, nempe juſtitia, pacis conſervandæ ſtudio & gaudio ſpirituali Chriſti Domini ſui voluntati obtemperat, is tum Deo eſt vehementer charus, [vel: Nam qui in hujuſmodi rebus per ſe licitis non ſibi indulget; ſed Chriſti Domini ſui voluntati obſequens, aliorum voluntati ſeſe accommodat, is Deo vehementer placet;] cui placere ſumma eſt felicitas; tum hominibus, niſi omnem humanitatem exuerint, probatur, cum omnia faciat, quæ ad eorum amorem conciliandum ac retinendum honeſte fieri queant.

verſ. 19. Quapropter ea ſtudioſe conſectemur ac faciamus, quæ ad pacem ac concordiam inter nos retinendam faciunt, atque adeo omnia, quæ eo pertinent, ut alii aliis adjumentum aliquod adferamus ad fidem, & pietatem, & ipſam denique ſalutem, vel ſalrem nullum iis rebus adferamus impedimentum: quod fieret, ſi intempeſtive libertate noſtra uteremur.

verſ. 20. Cogita tu, quiſquis es Chriſtianorum, ne ob cibum aliquem ac momentaneam, quam ex eo percipis, voluptatem, id deſtruas, quod Deus conſtruxit, [vel: fidem ac pietatem, quam Deus in fratre tuo operatus eſt tollas atque annihiles,] & eum hominem, quem Deus ad fidem & pietatem perduxit, ab ea abducas. Neque eſt quod dicas, puri licitique ſunt illi cibi. Sunt quidem res omnes illæ puræ per ſe, ac licitæ; ſed interea tamen cum alterius offendiculo quicquam comedere ei ipſi vehementer obeſt, qui id audet.

verſ. 21. Satius eſt longe abſtinere a carnium eſu, aut a vini potu, aliiſque rebus omnibus, quibus frater tuus infirmior vel ita poſſet offendi, ut remora ei in curſu pietatis objiciatur, vel ita, ut ab ea penitus avertatur, vel denique ex imbecillitate peccare, & hæſitante ac reluctante conſcientia, exemplum tuum ſecutus, delinquere.

verſ. 22. Quod ſi dicas, atqui ego eam habeo fidem, ut firmiter ſim perſuaſus, iſtis omnibus licere uti frui: cur ergo mihi non liceat, ſalva pietate ac conſcientia, ea libertate uti; aut quorſum ea mihi fides, ſi ea uti non licet? Habere quidem fidem iſtiuſmodi non tantum licet, verum etiam prodeſt. Sed nihilominus tamen tibi ipſi eam reſervare atque habere debes, Deo tantum conſcio, ſi ejus conſcientia fratrem tuum poſſet offendere. Inde autem hunc habebis fructum, ut bene tecum agatur, ſi libertate tua abſque offendiculo alterius utaris. Bene enim cum eo agitur, nec quicquam ei metuendum eſt mali, qui ſeipſum non damnet ob rem alias licitam, quam amplectatur & reipſa uſurpet.

verſ. 23. Contra vero is, qui hæſitante animo comederit, pœnæ reus eſt: quia hoc ipſius factum non proficiſcitur ex certa animi perſuaſione, quod liceat id facere, quod facit. [vel: Contra vero is, qui diſcrimen aliquod inter cibos verbi gratia conſtituit, idque ratione conſcientiæ; ita ut aliud genus cibi licitum, aliud illicitum judicet: ſi nihilominus id, quod illicitum arbitratur uſurpaverit, pœnæ reus eſt.] At vero omne factum, quod ex hujuſmodi animi perſuaſione non proficiſcitur, etiamſi per ſe foret licitum, tamen ob id ipſum, quod hæſitante animo fiat, illicitum fit, atque cum peccato conjunctum eſt.

## CAP. XV.

verſ. 1. QUapropter nos, qui ita ſumus fide ſcientiaque rerum divinarum confirmati, ut probe norimus, quid liceat quid non liceat, debemus ferre imbecillitatem eorum, quorum fides eſt infirmior, quique nondum audent pro licitis habere omnia, quæ revera licent.

Ferre autem imbecillitatem iſtam eo debemus pacto, ut non tantum eos a fraternitate noſtra ob iſtiuſmodi errorem non repellamus, nec moleſte feramus, eos hac in parte judicio labi, atque a nobis diſſentire: verum etiam ut ſi quid eam ob cauſam nobis ſit faciendum, aut a re jucunda, quam nos licitam exiſtimamus, abſtinendum, moleſtiam hanc devoremus, & in illorum gratiam toleremus.

verſ. 2. Neque vero cogitare quiſpiam debet: quidni faciam, quod mihi libet? quid id ad me, quod alter ſecus ſentiat? Neque enim animo noſtro morem gerere, & id, quod nobis ipſis placet, facere debemus: ſed potius unuſquiſque noſtrum alterius animo debet obſequi, & id facere, quod ipſi placeat, bonum in finem; nempe ut eum ædificet, atque aliquod adferat ad fidem ac pietatem ipſius confirmandam adjumentum; eatenus ſaltem, ne adferat impedimentum.

verſ. 3. Docet enim nos Chriſtianos homines Chriſti ducis noſtri ſequi exemplum: qui non ſibi ipſi indulſit, & quod carni ipſius jucundum foret, ſecutus eſt; ſed potius cum ita poſtularet ſalutis noſtræ ratio, ſuſtinuit contumelias atque opprobria eorum, qui in Deum erant contumelioſi, quemadmodum ſcriptura prophetica de ipſo teſtatur. vel: [mortemque ignominioſiſſimam ob eam contumeliam, qua nos Deum affeceramus, ita ut noſtra ſcelera propemodum ipſe in ſe recepiſſe ac luiſſe videatur.]

verſ. 4. Nec eſt quod quis dicat, quid iſta ad nos? Jam olim illa fuere in Davide completa. Haud ita fuere completa, quin ad Chriſtum quoque & nos, qui ipſius membra ſumus, pertineant. Quicquid enim in ſacris literis olim fuit ſcriptum, id ideo eſt ſcriptum, ut nos inde erudiremur, & omnis generis doctrinis inſtrueremur: atque inter alia, ut inſtructi patientia, cujus inter cætera eſt aliorum imbecillitatem, &, quæ ex ea manare poſſunt, onera ac moleſtias perferre; inſtructi etiam conſolatione (quarum hanc præbet, illam docet ſacra ſcriptura) ſpem felicitatis ſupremæ tanto majorem ac firmiorem concipiamus:

verſ. 5. Quam ut vos quoque adipiſcamini, Deum illum precor, qui patientiæ ac conſolationis omnis eſt autor, ut vobis id largiatur, idque in vobis efficiat, ut concordes inter vos ſitis, ac animis conſpiretis, quemadmodum religio Chriſtiana poſtulat: ut ita [ſed ita, ut conſenſus hic veſter Chriſtianæ diſciplinæ conveniat.]

verſ. 6. porro conſentientibus animis, conſentiente etiam ore laudetis ac celebretis Deum illum ſummum, hoc eſt, patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

verſ. 7. Quapropter ut ad inſtitutum redeam, & cœptam hortationem perſequar, fraterno amore alii alios proſequamini: ut etiam Chriſtus nos complexus eſt, & ad hæreditatem divinæ gloriæ beatæque immortalitatis, cujus

ipse primus hæres est, constitutus admisit atque ultro vocavit. [vel: Id quod ad insignem divini nominis honorem ac gloriam redundavit.]

vers. 8. Ut autem cernatis, quantam apud vos vim habere debeat exemplum Christi, nos, tum Judæos, tum gentes, ad divinæ gloriæ participationem vocantis, ad id, ut vos quoque mutuo complectamini, paulo plenius explicabo, qua ratione id Christus effecerit: ut ita cernatis, gentes potissimum, qui libertatem Christianam facilius amplectuntur, eaque gaudent, multum hac in parte debere indulgere Judæis, & diligenter cavere, ne eos offendant. Id ergo est, quod antea dicere volui; Jesum Christum, cum in terris versaretur, solis circumcisis seu Judæis ministrasse, & saluti ipsorum, euangelium prædicando, idque variis modis inter illos confirmando, inservisse; ut ita, Deum veracem esse demonstraret, & re atque effectu ipso comprobaret, ratasque ostenderet divinas promissiones, majoribus illorum factas, de Messia & felicitate insigni ipsis nominatim danda, quibus Deus obstringebatur ad Christum iis mittendum, & sic fidem suam comprobandam.

vers. 9. Sed alia fuit Ethnicorum ratio, quibus Deus nullo se promisso obstrinxerat. Itaque non ex debito quodam, sed ex mera *Dei* misericordia ac benignitate factum est, ut Christus eos ad eandem cum Judæis felicitatem vocaret: adeo ut gentes pro tanta *Dei* misericordia insigniter laudare *Deum* debeant. Qua de re testantur prophetica scripta, in quibus prædictiones quædam hujus rei extant. Nam inter alia ita scriptum legimus. propterea, quod me nimirum liberasti, nomen tuum, ô Deus, aperte celebrabo inter gentes [vel, una cum gentibus] una nempe mecum gloriam tibi reddentes, & ad gloriam nominis tui Psalmos canam. Quæ verba a Davide olim prolata, ad Christum, ejus antitypum, eatenus referuntur, quatenus is servorum suorum linguis ac vocibus id præstitit, utpote qui Christi in terris vices aliqua ratione obeunt, & personam ejus sustinent.

vers. 10. *Dein* alio in loco iterum ita Psaltes ait: lætamini, ô gentes extraneæ, una cum populo divino, id est Judaico, quem Deus peculiariter sibi delegit. Lætari simul jubet utrosque ob communem felicitatem sibi a Deo concessam.

vers. 11. Et rursus, alio loco: laudate Dominum omnes, quotquot terram incolitis, gentes, & celebrate nomen ejus omnes orbis nationes. Nempe ob causam jam commemoratam.

vers. 12. Accedit & Esaias, qui ita inter alia ait: Ex eo, qui ex stirpe ac progenie Jesse, qui pater fuit Davidis, atque adeo ex familia Davidica, est oriturus & surrecturus, ad imperandum gentibus ac populis omnibus: in eo, inquam, gentes etiam extraneæ spem ac fiduciam suam collocabunt; spem, inquam, non vacuam atque irritam (quid enim de hac prophetam attinuisset tot ante seculis vaticinari:) sed minime fallacem.

vers. 13. Cum ergo vos quoque, Romani, qui ex gentibus extraneis facti estis Christiani, in Christo spem collocare merito & possitis, & debeatis, atque inde etiam gaudium percipere, opto vobis, ut Deus ille summus, qui spei hujus autor est, animos vestros compleat gaudio maximo, eosque penitus reddat pacatos atque tranquillos, per fidem doctrinæ Christi firmiter adhibitam, ita ut abundetis spe supremæ felicitatis. Id autem totum efficiat virtute sui spiritus, quem vobis largiter impertiatur, eaque ratione fidem ac spem vestram firmet atque augeat.

vers. 14. Has autem literas, charissimi fratres, non ideo ad vos scripsi, quemadmodum suspicari quispiam posset, quasi de vestra vel pietate, vel rerum divinarum scientia dubitarem; aut ita rudes vos esse crederem, ut omnino institutione mea indigeatis. Haudquaquam ita se res habet: sed potius ita de vobis una cum aliis sum persuasus, [vel: Etiamsi autem de vobis una cum aliis persuasus sim charissimi fratres,] vos tam singulari præditos esse bonitate, atque in alios propensione, & plena quadam rerum ad religionem ac pietatem pertinentium cognitione instructos, ut non modo tantum, quantum vobis ipsis privatim sufficiat, habeatis cognitionis, sed quemadmodum ob bonitatem vultis, ita etiam ob scientiam possitis alii alios admonere ac instituere.

vers. 15. Scripsi nihilominus ad vos, charissimi fratres, & quidem audacius aliqua ex parte; [vel, Nihilominus tamen ad vos, fratres charissimi, scripsi, & aliquanto quidem audacius,] ut, etiamsi nihil vos novi docerem, tamen vos rerum, quas jam didicissetis, commonefacerem, easque melius vobis inculcarem: quod facere ut jure potui, ita etiam debui, propter munus mihi ex singulari Dei benignitate concessum a Deo:

vers. 16. Quod quidem est ejusmodi, ut sim minister Jesu Christi apud gentes extraneas, euangelium ita inter illas prædicans, ut sacerdotio quodam ea in parte fungar, idque agam unice, uti gentes illas extraneas mea prædicatione ad Christum conversas, Deo offeram, tanquam victimam gratam: non quidem contactu loci sancti, aut certis quibusdam ritibus consecratam, ut legales victimæ; sed consecratam sancto spiritu, quo per meum ministerium donantur.

vers. 17. Ex quo apparet, me in rebus sacris atque ad Deum religionemque pertinentibus habere de quo glorier; & cur eam mihi sumam etiam, apud vos, fiduciam: habere autem non meo merito, nec labore aut viribus meis partam, verum per Jesum Christum, qui munus illud & quæcunque ad illud recte administrandum pertinent, suppeditavit & adhuc suppeditat.

vers. 18. Etenim omnia per me præstitit Christus, quæcunque ad gentes in obsequium ejus adducendas spectabant, ita ut nihil ausim possimve dicere quod is per me non fecerit, quod quidem in eum finem spectaret. Id autem partim in sermonibus meis cernere licuit, quos ipse veluti ori meo inseruit ad gentes erudiendas, & convincendas idoneos: [vel: Non vana sunt hæc, quæ dico, nec a me, ut me apud vos tantum jactem, conficta. Neque enim in animum inducere possem, ut quicquam dicerem Christum per me fecisse, quod tamen non fecisset, ad gentes sanctissimæ disciplinæ suæ subjiciendas, ut sane fecit; partim sermonem, ad eos erudiendos & convincendos idoneum, ori meo inserendo;]

vers. 19. Partim in factis, dum potentia stupendaque opera & miracula, ad doctrinam meam confirmandam per me edidit, vi divini spiritus, quem mihi largiter est impertitus. [vel sic: Partim operibus ad eum confirmandum per me edendis; quatenus potentiam subministravit patrandi miracula, & quævis stupenda opera, quæ quidem præstita sunt virtute divini spiritus quem mihi largiter dedit.]

Unde factum est, ut ab urbe Hierosolymitana, & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum progressus sim in euangelio ipsius prædicando, & eousque cur-

cursum prædicationis ipsius perduxerim atque absolverim. [vel: Omnia loca euangelii prædicatione compleverim, & ut in iis notitia ejus extet, effecerim:]

vers. 20. Idque ita, ut studiose quærerem ea loca, in quibus euangelium prædicarem, ubi nondum quicquam de Christo esset auditum, ne doctrinam meam superstruerem fundamento, quod alius jam ante me collocasset: [vel, fundamento Christianæ religionis, quod alius ante me ibidem collocasset.]

vers. 21. Sed potius ut id fieret, quod in scripturis propheticis legimus, nempe fore, ut ii cognoscant Christum ejusque salutarem doctrinam, quibus antea de eo nihil fuerat annunciatum; & illi religionis ipsius mysteria intelligant, qui de ipso antea nihil audiverant.

vers. 22. Et hæc fuit causa, cur, licet ad vos ire cogitaverim sæpius, hactenus tamen fuerim impeditus, quo minus hoc animi consilium exequerer.

vers. 23. Nunc vero cum in his regionibus nullum amplius habeam locum, in quo euangelium non prædicaverim, & fundamenta ejus doctrinæ non jecerim; contra autem jam a multis annis ad vos venire desiderem:

vers. 24. Proficiscar ad vos, cum in Hispaniam sum iturus: Spero enim me vos in transitu visurum, meque a vobis ipsis eo deductum iri, ubi prius vestro conspectu ac consuetudine desiderium meum aliqua ex parte (nam penitus qui possim tantum meum desiderium, tam brevi præsertim temporis spatio, explere?) satiavero.

vers. 25. Cur vero nunc statim non eam, illud in causa est, quod iter mihi sit Hierosolymam, ut inserviam, & opera mea prosim sanctis, seu Christianis, ibi viventibus.

vers. 26. Visum enim ita est Macedonibus & Achaicis fratribus conferre aliquid liberali manu in pauperes Christianos Hierosolymis degentes.

vers. 27. Visum est, inquam, ita fratribus illis, & jure quidem; cum illis plurimum debeant, & magno nomine sint obstricti. Nam si bonis spiritualibus, Judaicæ genti primo ac proprie destinatis, participarunt gentes, id est Christianæ religionis cognitione, & felicitate, quam ea adfert, ditatæ sunt, (ut sane sunt ditati fratres illi, quos dixi) vicissim hi Iudæis debent rebus ad carnalem, seu temporariam hanc vitam pertinentibus, inservire, & in eorum usus necessarios libenter eas erogare.

vers. 28. Huic eleemosynæ deferendæ ego nunc operam meam impendo, & iter in eum finem Hierosolymam suscipio, quod negotium ubi perfecero, & fructum hunc, quem ex gentibus percipiunt Iudæi, tanquam ex fertilibus agris, in quos sementem sparserunt, fideliter, & quasi annulo obsignatum apud eos deposuero, per vos vestramque urbem in Hispaniam iter sum ingressurus.

vers. 29. Confido autem meum illum adventum vobis admodum utilem fore ac jucundum. Novi enim quod ubi ad vos pervenero mecum allaturus sim insignem bonorum divinorum copiam, quæ doctrinæ Christi prædicatio secum afferre solet. [vel: Novi enim quod ubi ad vos pervenero ita apud vos euangelium Iesu Christi sim annunciaturus, ut inde plena quędam cælestium ac spiritualium donorum copia ad vos redundet.]

vers. 30. Quia vero in hoc ipso itinere, quod nunc ingredior, non exigua mihi impendent pericula, verendumque mihi est ne quid præter votum mihi accidat, ideo vos, charissimi fratres, rogo atque obtestor, per Dominum nostrum Iesum Christum & per spiritualem illam charitatem, quam nobis mutuo debemus, ut magno fervore, ac summa animi contentione pro me apud Deum in precibus vestris interpelletis, & mihi, qui eodem studio Deo supplico, hac in parte auxilium feratis:

vers. 31. Primum quidem, ut ipsius benignitate defendar ac liberer ab illis, qui in Judæa sunt, hominibus infidelibus, atque a Christiana religione alienis, qui mihi sunt infensissimi, ac procul dubio periculum atque adeo interitum mihi machinabuntur. Deinde ut hæc mea opera atque officium, quod in eleemosyna deferenda Christianis Hierosolymitanis præsto, iis sit grata atque accepta: neque (ut non sine causa subvereri cogor) propter meam personam, quæ ob falsos de me rumores siniſtramque opinionem de me conceptam, non paucis fortasse suspecta atque ingrata est, minoris fiat.

vers. 32. Quod utrumque, & mihi, & vobis, ideo optandum est, ut lætus ad vos, Deo ita volente, & itineri meo successum largiente, veniam, & una vobiscum recreer, vobis de me, me de vobis gaudente.

vers. 33. Interea opto, ut Deus ille, qui omnis felicitatis autor est, vobis omnibus favore ac divite sua benignitate adsit, & auxilium in omnibus præstet. Ita vobis ex animo precor.

## CAP. XVI.

vers. 1. CUm vero ad vos nunc proficiscatur Phœbe, nostra ob communem religionem soror, quæ Ecclesiæ Christi Cenchreensi ministrat, ægrotos nempe curando, atq; exules Christianos hospitio excipiendo, eam vobis commendo:

vers. 2. Vosque hortor, ut eandem propterea, quod Domino Jesu Christo sit addicta, ita excipiatis, [vel, ut eam ita excipiatis, prout religio Christiana jubet,] seu, quemadmodum decet homines sanctos, Deo per Christum consecratos, eique auxilio sitis in omnibus negotiis, in quibus opera vestra indiguerit. Et digna sane est, cui hoc a vobis præstetur officium: quandoquidem ipsa quoque multos Christianorum patrocinio suo defendit, hospitioque excepit, atque adeo me ipsum quoque.

vers. 3. Salutate porro Priscillam & Aquilam, ejus maritum, qui aliquando una mecum labores in religione Iesu Christi promovenda susceperunt atque exantlarunt;

vers. 4. Quique tanto me sunt prosecuti amore, ut vitæ meæ servandæ causa, suam ipsorum vitam indiscrimen summum adducerent, & pro mea suam propemodum cervicem supponerent, non renuentes morte sua vitam meam redimere. Pro quo beneficio non ego tantum illis gratias habeo atque ago; verum etiam universæ Christi Ecclesiæ ex gentibus extraneis collectæ: utpote quæ hac ratione sese magno affectos beneficio sentiunt, cum sciant, quantum in sui doctoris atque apostoli vita sibi sit positum.

vers. 5. Simul autem salutate etiam Ecclesiolam, quæ in domo eorum versatur. [vel quę ex domesticis eorum est collecta.] Salutate præterea Epænetum, mihi charissimum, qui primus inter universos Achæos ad Christum accessit, messis illius spiritualis, quæ ibi collecta est, primus veluti manipulus.

vers. 6. Salutate Mariam, quæ multa nobis præstitit beneficia [vel officia,] & non parum nostra causa laboravit.

verſ. 7. Salutate Andronicum & Juniam, conſanguineos meos, &, quam conjunctionem majoris adhuc æſtimo, vinculorum meorum, ac captivitatis, quam Chriſti cauſa aliquando ſuſtinui, ſocios: quorum nomen apud ipſos apoſtolos Chriſti eſt valde celebre ac illuſtre. Ad quorum laudem etiam illud pertinet, quod ante me in Chriſtum crediderint, ejuſque religionem fuerint amplexi.

verſ. 8. Salutate Ampliam, qui ob Domini nomen ac religionem mihi chariſſimus eſt.

verſ. 9. Salutate Urbanum, qui una mecum in religione Chriſtiana promovenda laboravit, & Stachyn mihi percharum.

verſ. 10. Salutate Apellem, qui chriſtianiſmi ſui aperta dedit documenta, ita ut probata perſpectaque ſit illius in Chriſtum fides. Salutate eos, qui ex Ariſtobuli familia Chriſti nomen profitentur.

verſ. 11. Salutate Herodianum, conſanguineum meum. Salutate eos qui ex Narciſſi familia Chriſto ſunt addicti.

verſ. 12. Salutate Tryphænam & Tryphoſam, quæ in rebus ad Dominum Jeſum ejuſque religionem pertinentibus non parum laboris atque operæ poſuerunt. Salutate Perſidem mihi percharam, quæ itidem multum laboris in rebus ad Chriſtianam religionem pertinentibus exhauſit.

verſ. 13. Salutate Rufum, electum ac ſingularem Chriſtianum, & una matrem ipſius: quid dico, ipſius? imo & meam, tanta extant ejus in me beneficia, ac charitatis maternæ documenta.

verſ. 14. Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & eos fratres ac Chriſtianos, qui cum illis vivunt.

verſ. 15. Salutate Philologum & Juliam; Nerea item & ſorovem ipſius, & Olympam, & omnes Chriſtianos, qui cum ipſis vivunt.

verſ. 16. Denique vos quoque omnes alii alios ſalutate, & non profano, ſed ſancto oſculo amorem veſtrum alii aliis teſtamini. Salutant etiam vos Eccleſiæ Chriſti, quibus de mea ad vos ſcriptione aliquid conſtat.

verſ. 17. Hoc autem loco, antequam epiſtolam meam claudam, non poſſum facere, quin vos moneam atque adhorter, fratres chariſſimi, ut, quemadmodum inter vos, quos hactenus longo ordine recenſui, ſummam cupio eſſe animorum ac vitæ conjunctionem: ita contra etiam diligenter, veluti è ſpecula, obſervetis eos, qui factiones excitant inter fratres, & tum hoc ipſo, tum aliis modis peccant, & tum fidelibus tum infidelibus offendiculo ſunt, atque ad pietatem impedimento. Id quod haud convenit doctrinæ illi, quam vos a divinis viris didiciſtis. Non ſolum autem illos obſervare debetis, ſed etiam ubi eos deprehenderitis, illorum commercium fugere ac declinare.

verſ. 18. Etſi enim hujuſmodi homines, magnum præ ſe ferre ſolent ſtudium ac fervorem in religione Chriſti promovenda, & ſe pro ſervis ipſius venditare: nequaquam tamen illi id agunt, ut Domino noſtro Jeſu Chriſto ſerviant, & religionem ac gloriam ipſius propagent: ſed de ſuo tantum ventre ſunt ſoliciti, & lucrum tantum captant, ut voluptatibus dein corporis indulgere queant. Eorum autem artes maxime in lingua & ſermone conſiſtunt: cujus proinde diligentiſſima vobis eſt habenda ratio: quandoquidem illi per blandiloquentiam & aſſentationem capere ac circumvenire ſolent homines cæteroquin minime malos & improbos, in vitium tamen flecti faciles atque incautos.

verſ. 19. Hæc vero propterea potiſſimum moneo, quia paſſim ad omnes emanavit fama, de ſingulari animi veſtri promtitudine, & ad obſequendum iis, qui de religione quippiam doceant, ac præcipiant, facilitate. Quam tantum abeſt ut reprehendam, ut de ea vehementer gaudeam, [vel: quia prope nemo eſt, qui non audiverit, quam promte religionem Chriſtianam receperitis, eique vos addixeritis: id quod tantum abeſt ut reprehendam, ut etiam vehementer ea re gaudeam.] Idque veſtri ipſorum habita ratione. Interea tamen cupio, ut huic animi promptitudini addatis prudentiam: ſed prudentiam tamen ejuſmodi, quę id ſibi habeat unice propoſitum, ut id, quod bonum eſt & honeſtum, & noritis, & teneatis, ac reipſa præſtetis. Cæteroquin ſimplices eſſe debetis; ſimplices, inquam, ratione malarum artium, ad quas ingenio veſtro haudquaquam abuti debetis, ſed ita vos gerere, ac ſi male agere plane ignoraretis.

verſ. 20. Hæc ſi feceritis, non eſt quod Satanæ, per ſervos ſuos vos ſubvertere conantis, vim aut aſtutiam ullo modo metuatis. Deus enim ille, a quo omnis vera manat felicitas, atque ea inprimis, ad quam vos vocavit, ſatanam in ſervis ſuis, hominibus vel vafris, vel etiam potentibus vos oppugnantem, ita vobis ſubjiciet, ut eum pedibus veſtris conculcetis, & omnes illius artes, omnemque potentiam irritam vanamque reddatis: idque faciet celeriter. Quam ad rem vobis favorem precor Domini noſtri Jeſu Chriſti, is vobis adſit propitius, ac vobis opem & auxilium ferat, Amen.

verſ. 21. Salutant vos Timotheus, laborum meorum, quos in Chriſtiana religione propaganda ſuſcipio, ſocius fideliſſimus, & Lucius, & Jaſon, & Soſipater, conſanguinei mei.

verſ. 22. (Ego quoque Tertius, qui hanc epiſtolam ex ore Pauli excepi, ac manu mea tranſcripſi, vos tanquam Chriſtianos Chriſtianus ſaluto, & quæ religio ſanctiſſima optare aliis jubet, vobis precor.)

verſ. 23. Salutat vos Cajus, meus, nempe Pauli, hoſpes; nec meus tantum, ſed qui univerſæ Eccleſiæ veluti hoſpitium præbet. Salutat etiam vos Eraſtus, oeconomus ſeu quęſtor urbis hujus Corinthiacę, & Quartus, noſter ob communem religionem frater.

verſ. 24. Denuo vobis precor, ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus vobis omnibus faveat, & propitius adſit. Amen. In hac autem epiſtola mea expoſui vobis ſummam quandam prædicationis meæ, quam apud vos ratam firmamque cupio.

verſ. 25. Deus autem eſt, qui, ut vult, ita etiam poteſt vos confirmare in iis, quæ ego prædico, ac de Jeſu Chriſto annuncio ac promulgo. Quæ quidem doctrina mea nihil eſt aliud, quam revelatio rei ſecretiſſimæ, de omnium hominum ſalute a Deo decretæ, ab ipſo mundi initio, per tot ſecula occultatæ ac ſilentio involutæ;

verſ. 26. Sed quæ nunc patefacta eſt, non aliis tantum modis, ſed etiam per ipſa prophetarum ſcripta, quæ de ea re teſtantur; eſtque ex mandato Dei, qui ab omni æternitate extitit, & a tot retro ſeculis decretum iſtud fecit, omnibus gentibus extraneis promulgata, eum in finem, ut omnes doctrinæ de fide ſeſe addicant, & eidem pareant.

verſ. 27. Huic Deo, qui ſolus a ſeipſo omnem poſſidet ſapientiam, & a quo quicquid in nobis eſt ſcientiæ ac cognitionis rerum tam ſublimium pervenit, per Jeſum Chriſtum, ex præſcripto ſanctiſſimę ejus religionis reddatur gloria, & ſacratiſſimum ejus nomen in omnem æternitatem laudibus celebretur. Amen.

COM-

JOANNIS CRELLII FRANCI

*COMMENTARIUS*

In priorem

# PAULI

Ad

# CORINTHIOS

## EPISTOLAM.

# COMMENTARIUS

## *In priorem Pauli*

## *AD*

# CORINTHIOS

# EPISTOLAM.

---

## PRIORIS AD CORINTHIOS EPISTOLÆ

### *ARGUMENTUM.*

HÆc Epiſtola fere tota in reprehendendis Corinthorum tum vitiis tum erroribus verſatur: pauca ſunt quæ per ſimplicem docendi modum ab Apoſtolo fuerint tradita. Primo reprehendit Corinthios eo nomine, quod ſchiſmata inter illos eſſent; quatenus non omnes ſolius Chriſti, ſed alii hujus, alii alterius doctoris diſcipulos ſeſe profiterentur. Cujus rei occaſione prolixe de eo agit, cur tam humili orationis genere inter illos uſus fuerit, & cur nulla profunda Chriſtianæ religionis myſteria illis tradiderit. Apparet enim his potiſſimum de cauſis elevatam fuiſſe a quibuſdam Apoſtoli autoritatem: unde porro fiebat, ut multi alterius ſe diſcipulos profiteri mallent, quam Pauli; quippe cum illis Paulus propter ſimplicitatem quandam ſorderet. Tractat hoc argumentum primis quatur capitibus. Secundo redarguit eos, quod inceſtuoſum quendam hominem inter ſe tolerarent. Cujus itidem rei occaſione alterius cujuſdam Epiſtolæ ſuæ verba explicat, quam de vitanda malorum conſuetudine ad eos ſcripſerat; quod facit capite quinto. Tertio perſtringit eos, qui coram judicibus infidelibus cauſas ſuas ac controverſias diſceptarent. Quarto, quod ſub prætextu Chriſtianæ cujuſdam libertatis, a ſcortatione non abſtinerent: quorum utrumque ſexto capite peragitur. Quinto loco diſſerit Apoſtolus eorum rogatu de cœlibatu & conjugio; quod ſeptimo capite continetur. Sexto agit in ſequentibus tribus capitibus de rerum liberarum uſu, reprehendens Corinthios, quod libertatem ſuam ex communis ædificationis uſu non moderarentur. Septimo taxat id, quod mulieres eorum contra decorum capita non velarent in cœtibus publicis. Octavo quod cœnæ dominicæ ritum non ex illius dignitate celebrarent. Quorum utrumque undecimo capite abſolvit. Nono agit de donorum ſpiritualium uſu: ubi etiam varias reprehenſiones admiſcet. Quæ tractatio duodecimo, decimo tertio & decimo quarto capitibus terminatur. Decimo agit de reſurrectione, quam nonnulli in dubium vocare non verebantur, capite decimo quinto. Undecimo agit de publica collecta in pauperum uſus, ac de quibuſdam aliis rebus magis privatis, tandemque Epiſtolam concludit: quod fit capite ultimo.

Epiſtolæ hujus, ut aliarum omnium, tres ſunt partes, exordium, principalis tractatio, ac Epilogus. De tempore, quo ſcripta ſit, agemus capite ultimo.

## CAP. I.

### *ARGUMENTUM.*

*Hujus capitis tres ſunt partes. In prima continetur exordium uſque ad verſ.* 10. *In altera agitur de Corinthiorum diſſidus ac veluti factionibus, dum unus iſtius, alter alterius magiſtri nomen profiteretur: quæ durat uſque ad verſus decimi ſeptimi medium. In tertia incipit agere de eo, cur inter Corinthios humili orationis genere fuerit uſus.*

Verſ. 1. *Vocatus Apoſtolus.* Non qui ſe in apoſtolatum ingeſſit, ſed qui a Chriſto ipſo vocatus eſt.

*Per voluntatem Dei.* Expreſſe hoc addit, ut doctrinam ſuam, quæ videbatur divinæ legi contraria vindicet, corroboret, & autoritatem illi conciliet. Gentes enim jugo legis ſolvebat, quo ipſo legis illa diſciplina jam peſſum ibat. Nec enim par erat Judæos deteriori conditione eſſe quam gentiles. Videtur etiam hoc tacite voluiſſe innuere, quod jam olim ad hoc munus a Deo fuerit deſtinatus: quemadmodum in Epiſtola ad Galatas ait, ſe a Deo ſeparatum fuiſſe ab utero matris.

*Et Soſthenes.* Apparet hunc apud Corinthios in magna fuiſſe autoritate, & eum ideo ſibi adjungit Paulus. Quod etiam colligi poteſt ex eo, quod de eo narratur cap. XVIII. Act. verſ. 17.

ὁ ἀδελφὸς. Articulus in iſto loco nullam aliam vim habet, quam ut fratrem, qui notus ſit, deſignet.

verſ. 2. *Eccleſiæ Dei.* Vox Dei hanc eccleſiam ſeu congregationem ab aliis congregationibus civilibus & profanis ſejungit, & ſignificat congregationem Deo dicatam, & ad Deum plane pertinentem.

*Sanctificatis in Chriſto Ieſu. Sanctificatis* id eſt ſegregatis a reliquis hominibus. *In Chriſto Ieſu.* Id eſt per Chriſtum Jeſum, quatenus nimirum eam religionem ac doctrinam, quam ille tradidit, amplexi ac profeſſi eſtis. Quibus verbis oſtenditur, quo pacto illi Dei eccleſia evaſerint.

*Vocatis ſanctis.* Id eſt vocatis, a Deo nimirum & Chriſto, ut eſſetis ſancti, ſeu a profano hominum vulgo ſeparati: quemadmodum ℣. 1 vocatus apoſtolus: [Vel etiam vocatis ejuſmodi, qui ſunt ſancti.] Itaque priori modo ſignificantur tales ſancti qui ſunt vocati, qui non ſua ſponte, non privato auſu ac autoritate ſe ſegregarunt a reliquis, ſed divino conſilio ac voluntate; poſteriori vero tales vocati, qui ſunt ſancti. Prior ſenſus eſt verior, poſterior autem ſcitu utilior.

*Cum omnibus.* Quo pacto hęc verba cum ſuperioribus cohæreant, ac quomodo etiam reſtringenda ſint, ex altera ad Corinthios Epiſtola manifeſtum eſt cap. I. 1.

*Invocantibus nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Id eſt, colentibus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Invocatio enim nominis divini pro cultu divino ponitur, cujus eſt pars.

*In omni loco*, nempe vobis vicino, ad vos aliquo modo pertinente, id eſt in Achaja, ut ex citato loco manifeſtum eſt.

*Ipſorum & noſtri*, αὐτῶν καὶ ἡμῶν. Pronomina hæc non niſi inepte ad locum referri poſſunt: ad Dominum autem apte referuntur. Declarat enim apoſtolus, quam late accipiat pronomen *noſtri* priori loco, nempe ut non tantum complectatur ſe ac Soſthenem, ſed quoſvis Chriſtianos, quorum communis Dominus ſit Chriſtus: quare etiam non injuria omnes nomen illius invocant. Itaque pronomen *noſtri* primo loco latius, pronomen vero *noſtri* ſecundo loco anguſtius accipitur: illud omnes Chriſtianos; hoc ſolum Paulum ac Soſthenem complectitur.

Verſ. 3. *Gratia vobis.* &c. Hic verſus alibi jam a nobis eſt explicatus.

℣. 4. *Gratias ago Deo meo.* Abſoluta ſalutatione ad gratias Deo agendas ſe convertit pro collatis in Corinthios ſpiritualibus beneficiis; quo facto & Deo debitas laudes tribuit, & erga Corinthios amorem ac benevolentiam ſuam teſtatur, quo viciſſim eorum benevolentiam ac ſtudium ſibi excitet.

*Deo meo.* Pronomen hoc nomini Dei adjectum peculiarem quandam relationem denotat: quæ duplex eſt, tum qua Deus refertur ad eum, cujus dicitur eſſe Deus; tum qua is, cujus Deus eſſe dicitur, refertur ad Deum. Illâ ſignificatur Dei favor & gratia, qua aliquem proſequitur; hac cultus & obedientia, quæ ab aliquo Deo defertur.

*Sempor.* Id eſt, aſſidue, non quod preces iſtas aliis etiam actionibus, imo & precibus non interpungat; ſed quod eam, quam par eſt, diligentiam in iis adhibeat, id eſt, frequenter & conſtanter id faciat.

*Super gratia Dei.* Explicat quomodo pro iis gratias agat, nempe pro gratia Dei, quæ illis contigerit. Gratia per metonymiam cauſæ ponitur pro effectis gratiæ. Non enim iſta gratia, quæ in Deo reſidet, illis fuit data; ſed tantum ejus effecta, quæ ſunt ſpiritualia dona.

*In Chriſto Ieſu.* Id eſt, per Chriſtum Jeſum, per quem Deus dona ſua in homines confert.

Verſ. 5. *Quia in omni ditati eſtis in ipſo.* Gratiam iſtam divinam explicat. In omni, ſcilicet dono. Omni dono cumulati eſtis, nullum vobis donum denegavit Deus.

*In omni ſermone & omni cognitione.* Videtur velle explicare prius illud *in omni*, quaſi diceret in omni, inquam, ſermone &c. Per *ſermonem* videtur intelligere donum linguarum; per *cognitionem* donum Prophetiæ. Videtur hoc pugnare cum eo, quod capite tertio de Corinthiis ſcribit apoſtolus, ſe non potuiſſe illis loqui tanquam ſpiritualibus, ſed tanquam carnalibus, tanquam infantibus in Chriſto, imo ne nunc quidem poſſe eos ſolidum cibum concoquere. Quomodo enim in omni cognitione ditati erant, ſi tales erant? Reſponderi poteſt, apoſtolum tantum loqui de ipſis divinis donis, quæ non in ipſo effectu & operatione, ſed in operandi facultate ac apitudine conſiſtunt, quam ſæpe homines ſua culpa & vitio impedire poſſunt. *Itaque ſermo & cognitio* per metonymiam pro facultate variis loquendi longuis & res cognoſcendi ſumi debet. Vel etiam dici poteſt, apoſtolum, cum de donis divinis loquitur, non in commune de Corinthiis loqui, ſed tantum eorum reſpectu, qui in eccleſia donis iſtis ditati fuerant, ſic ut in illis tota eccleſia quodammodo ditata fuerit; cum vero loquitur de eorum ruditate & infantia, in commune de illis loqui.

Verſ. 6. *Quemadmodum teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis.* Sic, vel ita ditati eſtis, *quemadmodum, vel prout.* Cauſam & occaſionem iſtius rei, quod divinis donis expleti fuerint, indicat apoſtolus: quæ eſt, quod inter illos Chriſti teſtimonium fuerit confirmatum. Confirmabatur autem nulla ratione magis, quam cæleſtium donorum collatione. Particulæ iſtæ ſimilitudinis, *quemadmodum*, *ſicut*, *prout* &c. aliquando non tam ſimilitudinem aut compa-

comparationem notant, quam ſimpliciter unius rei ex altera conſecutionem. Ut verbi cauſa: ſi quis dicat: Chriſtiani ſunt omnis generis virtutibus ornati, quemadmodum Chriſtiana religio requirit, & alia ſimilia.

*Teſtimonium Chriſti* dupliciter accipi poteſt: vel ut vox *Chriſti* ſignificet teſtimonii iſtius cauſam efficientem, id eſt eum, a quo teſtimonium hoc profectum eſt; vel ut ſignificet teſtimonii objectum, id eſt teſtimonium de Chriſto, ſeu illius doctrina. Uterque ſenſus convenit. Priorem etiam juvat, quod capite ſequenti, verſ. 1 dicat apoſtolus, ſe Corinthiis annunciaſſe teſtimonium Dei. Teſtimonium autem Dei illud potius dici videtur, quod ab ipſo Deo profectum ſit, quam quod de Deo ſit. Quare etiam teſtimonium Chriſti eodem ſenſu dicitur. *Teſtimonium* autem non pro ſola teſtatione ſeu aſſeveratione ſumitur; ſed pro eo, quod Deus vel Chriſtus teſtatus eſt. Iſtud autem nihil aliud eſt quam euangelium.

*Confirmatum eſt*, miraculis ſcilicet divinis, & inprimis ſpiritus ſancti diſtributione, in qua divina dona continentur. Apparet, quanta ſit euangelii firmitas, quæ non ſolum tanto teſtimonio nititur; ſed etiam tanta habet argumenta ac documenta.

*In vobis*, id eſt inter vos.

Verſ. 7. *Adeo ut* &c. Licet ſuperior verſiculus in parentheſi legendus eſſe videatur, nihilominus hic potius cum illo, quam cum remotiore conjungi poteſt. Ita enim apoſtolus parentheſes ſolet innectere, ut ſequentia non minus cum illis, quam cum ſuperioribus cohæreant. Explicat autem hoc verſiculo, quo pacto & Corinthii in omni ſermone ac cognitione ditati fuerint, & teſtimonium Chriſti inter illos confirmatum fuerit; ita nimirum, ut nullo ſpirituali dono deſtituti fuerint.

*Expectantes.* Hoc addit apoſtolus, ut quanta ſit eorum felicitas, quamque merito pro illis Deo gratias agat, tanto magis appareat; quippe quod eorum felicitas non ſtet intra iſta divina dona, ſed tendat ulterius, utpote quæ in revelatione Domini noſtri Jeſu Chriſti demum complenda ſit, & ad cumulum perducenda.

*Expectare revelationem Domini Jeſu Chriſti*, eſt expectare vitam ac gloriam cæleſtem & ſempiternam. Id eſt, illius certiſſimam ſpem habere: qua in re certe maxima eſt in terris felicitas. Hanc vero dum expectas, interim divinis donis frueris, quæ Deus per Spiritum Sanctum veluti arrhabonem apud te depoſuit.

verſ. 8. *Qui & confirmabit vos.* Pronomen relativum *qui* videtur potius ad ipſum Deum verſu 4 nominatum (nam ſequentia ex occaſione tantum adjecta fuerunt) quam ad Jeſum Chriſtum proxime nominatum referendum, quemadmodum etiam verſiculus ſequens indicat, in quo cauſa iſtius, quod hoc verſiculo dicitur, redditur. At in illo de ipſo Deo loquitur apoſtolus. Sed ſive ad Deum ſuperius, ſive ad Chriſtum proxime nominatum pronomen hoc referamus, alterutrius rei exemplum habemus. Nam ſi ad Deum referimus, videmus, Pronomina relativa non ſemper ad proxime nominatum ſubjectum referenda eſſe; ſi ad Jeſum Chriſtum, videmus antecedens repeti, & poni pro Relativo, Hebræorum more. Addit autem hoc apoſtolus, ut Corinthios ſoletur, & animos illis addat. fore, ne ſua ſpe & expectatione fruſtrentur. Poterant enim cogitare, fieri facile poſſe, ut in fide & expectatione Chriſti labaſcant, & ſic tanto bono excidant: quocirca promittit illis divinum auxilium; dummodo illi quoque ſibi non deſint.

*Confirmabit vos*, nempe in fide, ſpe & expectatione Jeſu Chriſti.

*Ad finem* id eſt, tam diu, quam diu veſtram fidem & officium durare neceſſe eſt.

*Inculpatos.* Id eſt ut ſitis inculpati.

*In die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Hæc verba conjungi debent cum nomine inculpati: quaſi dicat ut ſitis *inculpati*, non in humano aliquo die, hoc eſt, in judicio hominum; ſed in die Jeſu Chriſti, coram illo judice viventium & mortuorum.

Verſ. 9. *Fidelis Deus.* Cauſam affert, cur illud ſperet & polliceatur apoſtolus; quia Deus ſit fidelis, id eſt, qui facturus ſit id quod ſuarum eſt partium, quodque ſe facturum recepit.

*Per quem vocati eſtis in communionem filii ipſius Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Quaſi dicat, utpote per quem vocati eſtis &c. Hæc eſt cauſa cur vos nunquam deſerturus, nec vobis opem ſuam denegaturus ſit, quia ipſe vos vocavit in communionem filii ſui, ipſe vobis amicitiam ſuam & gratiam obtulit.

*In communionem filii ſui.* Per iſtam communionem intelligitur vel communio eorum bonorum ac felicitatis, quam adeptus eſt filius Dei, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, ut ſcilicet cohæredes filii Dei Domini noſtri efficiamur, & ideo voces *Filii Dei & Domini noſtri* emphaſin magnam habent; vel etiam ſimpliciter ſocietas, amicitia & conjunctio cum filio Dei, quo ſenſu Johannes eadem communionis voce utitur 1. Joh. 1. 3,6,7.

verſ. 10. *Obſecro autem vos, Fratres.* Hic jam orditur principalem tractationem, & primum caput de diſſidiis.

*Per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Id eſt autoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus ſum legatus, cujus ſenſum & voluntatem optime calleo.

*Ut idem dicatis omnes:* nempe quoties integrum eſt vobis idem dicere, quoties nulla neceſſitas vos cogit, ut alii ab aliis diſſentiatis, & diverſa profiteamini.

*Et non ſint in vobis ſchiſmata*, nempe dum unus hujus, alter alterius magiſtri diſcipulum ſe facit. Hac enim ratione in factiones ſcinditur Eccleſia, quæ inter ſe æmulatione quadam certant, dum quiſque ſuum magiſtrum ſupra cæteros, ſuamque factionem ſupra reliquas eo nomine extollit.

*Sitis autem coagmentati, in eadem mente, & in eadem ſententia.* Καταρτισμένοι. Aliquando hæc vox ſignificat perficere, & rem ſuis partibus veluti complere; aliquando partes inter ſe apte connectere & compingere: hoc loco poſterior ſignificatio magis convenit. Connexio enim & compactio ſchiſmatibus rectius opponitur.

*In eadem mente*, &c. Id eſt per eandem mentem & ſententiam. Dum enim omnes idem ſentiunt, ſchiſmata locum non habent. Idem autem ſentire eos vult, quoties, ut diximus, nulla eſt juſta ab aliis diſſentiendi cauſa, qua data modeſte ab aliis diſſentire licet, & animo ſemper pacis ſtudioſo.

Verſ. 11. *Significatum enim.* Cauſam & juſtam rationem admonitionis refert.

Verſ. 12. *Dico autem hoc.* Speciatim hæc eorum diſſidia & contentiones exponit. Generalem

enim culpam poterant non cognoſcere.

*Quod quiſque veſtrum dicat.* Non quod quiſque dicat hæc omnia; ſed quod quiſque dicat aliquid ex iſtis.

*Ego quidem ſum Pauli,* ſcilicet diſcipulus. Primo loco ſe nominat, non ſuperbiæ, ſed modeſtiæ cauſa. Aſcendit enim non deſcendit. Idem fecit cap. III. 22. *Ego Chriſti.* Eos procul dubio intelligit, qui ſe ex ipſius Chriſti ore religionem didiciſſe gloriabantur. Hæc eorum ſtudia tribus redarguit argumẽtis apoſtolus, ſubjungens:

℣. 13. *Diviſus eſt Chriſtus?* Unum argumentum. Nam aut plures ſunt Chriſti; aut unus in plures diviſus. Qui enim plures in religione Chriſtiana duces agnoſcit quam unum Chriſtum, ille unum Chriſtum in plures dividit.

*Num Paulus crucifixus eſt pro vobis?* Se ſolum nominat, ne aliis invidere videatur: ſed idem argumentum & alios petit. Sumitur autem hic *crucifigi pro aliquo* κατ' ἐξοχὴν, tali ſenſu, qui nulli alii competit quam Chriſto. Hic vero eſt, quod ſua morte & jus nobis ad æternam ſalutem, & ipſam ſalutem peperit.

*Aut in nomen Pauli baptizati eſtis?* Tertium Argumentum. Ex hoc autem loco apparet, *baptizari in alicujus nomen* nihil aliud eſſe, quam alicui tanquam magiſtro, & in religione duci nomen ſuum per baptiſmum dare. Simul etiam videmus, (a) quis baptiſmi aquæ finis fuerit, nempe ut homines in nomen Chriſti initiarentur, ſeu illius nomini tanquam diſcipuli ſeſe addicerent.

Verſ. 14. *Gratias ago Deo.* Oſtendit hic & ſequentibus Paulus, non tantum Corinthios in nomen ſuum baptizatos reipſa non eſſe, ſed nec ſuſpicioni quidem iſtius rei ullum locum relictum eſſe; quandoquidem neminem inter eos, niſi pauciſſimos quoſdam, baptizaverit: q. d. Bene res cecidit, quod neminem veſtrum baptizarim. Cur vero?

Verſ. 15. *Ne quis dicat, quod in nomen meum baptizavi.* Non finem ſui facti hic notat apoſtolus, ſed effectum ſeu eventum. Hinc autem apparet, Paulum non tantum ipſum non baptizaſſe, ſed etiam neminem baptizandum curaſſe. Nam alioqui ſuſpicionem hanc non tantum non effugiſſet, ſed magis etiam forte incurriſſet. Nam nec Chriſtus ipſe baptizavit, ſed tantum ejus diſcipuli & ſectatores Joh. 4. 2. Unde manifeſte conſtat, (b) nequaquam fuiſſe apoſtolici muneris homines baptizare, aut etiam baptizandos curare. Quomodo enim officio ſuo non fuiſſet functus Paulus? Quid? quo pacto gratias Deo egiſſet, quod officio ſuo functus non fuiſſet?

℣. 16. *Baptizavi vero & Stephanæ domum.* Videtur Paulus hæc verba per correctionem adjeciſſe, cum prius dixiſſet, ſe neminem baptizaſſe niſi Criſpum & Gajum. His enim verbis reliquos omnes excluſerat. Niſi quis dicat, Paulum primo loco commemorare voluiſſe ſingulares tantum perſonas, hoc vero integras domos.

Verſ. 17. *Non enim miſit me Dominus baptizare.* His verbis reddit cauſam apoſtolus, cur de baptizandis hominibus inter Corinthios non fuerit ſolicitus: non quod vel jam baptizati fuiſſent, quemadmodum quiſpiam credere potuiſſet; vel quod in munere ſuo negligens fuiſſet, ſed quod iſtud ſui muneris non eſſet, ſive per ſe, ſive per alios baptizare. Nam, ut diximus, non tantum hic excludit baptiſmum per ſe, ſed etiam per alios ſe curante miniſtratum. Hic autem locus docet verba illa Chriſti, (c) cum Matth. 28. 19 præcepit apoſtolis ſuis, ut diſcipulos facerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & Spiritus Sancti, de aquæ baptiſmo, qua aquæ baptiſmus eſt, ſeu proprie ſumto accipienda non eſſe. Nam quomodo alioquin dicere poſſet Paulus, gentium inprimis apoſtolus, ſe a Chriſto ad miniſtrandum aquæ baptiſmum miſſum non eſſe? quomodo baptiſmo prædicationem euangelii opponere potuiſſet, ſi cum prædicatione tam arcte conjunctus eſſet? Itaque aparet, Chriſtum baptiſmum ponere per metonymiam ſigni pro re ſignata, vel per ſynechdocem ſpeciei pro genere, id eſt baptiſmum pro initiatione & addictione in alicujus nomen, cujus rei baptiſmus ſignum quoddam & teſſera, vel etiam ſpecies quedam illis temporibus admodum uſitata erat.

*Non in ſapientia ſermonis.* Hic incipit capitis pars tertia, in qua diſſerit de eo, cur artificioſo & eleganti ſermone in prædicatione euangelii non utatur, propter quam, ut apparet, cauſam contemptior erat. Unde fiebat, ut multi aliorum ſe diſcipulos appellare mallent quam Pauli. Qua de re non ideo tamen diſſerit Paulus, quod vellet cunctos ſibi adhærere, vel potius addici; ſed quod nollet ſe iſta de cauſa a quoquam contemni.

*Non in ſapientia ſermonis.* Sapientia ſermonis eſt ſermo ſapiens; id eſt comtus, ornatus, concinnus, qualis oratorum eſſe ſolet, qui verborum figuris ac pulchritudine auditorum animos demulcent: qualem elegantiam in primis Græci deſiderabant, & cui aſſueti erant. Hoc eſt quod infra cap. 2 dicit ℣. 1: *Veni non ſecundum excellentiam ſermonis*: & ℣. 2: *Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ ſermonibus.* Non loquitur apoſtolus de ſapientia, quæ in rebus & ſenſu conſiſtat; ſed quæ conſiſtit in eleganti verborum ſtructura, in orationis artificio.

*Ne evacuetur crux Chriſti.* Id eſt, ne Chriſti crux vim & efficaciam ſuam amittat. Hæc eſt cauſa cur Dominus Jeſus me ad euangelium prædicandum non miſerit rhetorum præceptis & eleganter dicendi facultate inſtructum; cur voluerit orationem meam eſſe rudem, incomtam, ſalebroſam, nihil mundanæ elegantiæ in ſe habentem. Quæ autem ſit iſta crucis Chriſti vis ſtatim explicat, ſubjungens:

Verſ. 18. *Sermo enim ille crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, iis vero qui ſervantur, vobis, potentia Dei eſt.* Oſtendit, Chriſti crucem, & ſermonem etiam de cruce (qui eſt annunciatio Chriſti crucifixi, qua in re continetur totius euangelii prædicatio, quod Chriſti cruci innititur) duplicem habere vim, prout ſint homines qui eum excipiant. Alii ſunt pereuntes; alii qui ſervantur. Illi ſunt homines mundani, voluptatibus carnalibus & ſeculo huic dediti, ideoque euangelio refractarii: iſti ſunt homines ad pietatem euangelicam apti & idonei, ideoque euangelicæ doctrinæ obtemperantes. Vocantur autem illi *pereuntes*, hi *qui ſervantur* per metonymiam conſequentis pro antecedente. In illis ergo ſermo de cruce eam vim habet, ut *ſtultitia*, id eſt ſtultus illis videatur. Stultum putant amplecti religionem & doctrinam hominis tam contempti; tam abjecti, qui a ſuis etiam popularibus in crucem fuerit actus, & morte tam infami peremtus; hunc pro Rege ac cæleſti Domino agnoſcere ac venerari; illius cauſa cuncta contemnere. In iſtis vero eam vim habet, ut illis *Dei potentia* eſſe videatur, id eſt, ſummam in Chriſti cruce Dei potentiam agnoſcant, ac proinde & ſapientiam. Ubi enim Dei potentia agnoſcitur, illic & ſapientiam agnoſci neceſſe eſt; & ideo eam Paulus infra verſ. 24 potentiæ divinæ adjungit. Hinc autem apparet in

(a) *Baptiſmi aquæ finis.* (b) *Baptizare apoſtolici muneris non fuit.* (c) *Locus Matth. 28. 19 quomodo intelligendus.*

ret in (a) prædicatione crucis Chriſti reſurrectionem, imo & gloriam conſecutam comprehendi. Nam alioquin in Chriſti cruce Dei potentia neutiquam appareret. Hanc vero utramque vim Chriſti crux & ejus prædicatio amitteret, ſi quis oratorum floſculis ſermonem ſuum condiret, & comta aliqua oratione uteretur. Nam utramque, oratoris lenocinio faſcinati, vim crucis Chriſti non diſpicerent. Eloquentia enim & ſtultitiam, quæ in cruce Chriſti apparet, & Dei potentiam occultaret. Unde nec illos ſtultitia a Chriſto deterreret; nec hos Dei potentia, ſed comta oratio, ad Chriſtum pelliceret. Quocirca apoſtolus crucem Chriſti veluti nudam, nullis orationis pigmentis commendatam, rudi & indocto ſermone cunctis proponebat ſpectandam.

*Vobis.* Per appoſitionem hoc adjungit apoſtolus. Unde apparet per σωζομένοις iſtos nullos alios eſſe intelligendos, quam qui euangelio aſſentiuntur: unde ex contrario per τοῖς ἀπολλυμένοις nullos alios intelligere debemus, quam euangelio refractarios. Eis eſt crux Chriſti ſtultitia, & ideo etiam euangelio non credunt; illis eſt Dei ſumma potentia, & idcirco credunt: ac proinde illi ἀπολλυμένοι ſeu pereuntes, vel etiam perditioni deſtinati; hi σωζόμενοι & ad ſalutem deſtinati evadunt.

Verſ. 19. *Scriptum enim eſt.* Oſtendit Paulus, merito iſtud accidere, quod Criſti crux ſit quibuſdam ſtultitia, quandoquidem ſcriptum ſit:

*Perdam ſapientiam ſapientium, & intelligentiam intelligentium.* Unde apparet, hoc a Deo fuiſſe jam olim decretum, & ſuo tempore implendum. Eſt autem Prophetia deſumta ex Eſaiæ xxix. 14: *Propter ea ecce ego addam ut mira faciam in populo iſto, mirabile & miraculum: & peribit ſapientia ſapientium ejus, & intelligentia intelligentium ejus abſcondet ſe.* Porro his verbis non tantum probat Paulus merito accidere, ut Chriſti crux & ejus prædicatio quibuſdam ſtultitia appareat; ſed etiam ut hujus ſeculi ſapientibus talis appareat. Nam iſti ſunt qui maxime Chriſti crucem exſibilant.

*Perdam ſapientiam ſapientum.* Id eſt, efficiam, ut ſapientum ſcilicet hujus ſeculi ſapientia & intelligentia in ſtultitiam vertatur, ut dum illi ſibi maxime ſapere videbuntur, maxime deſipiant: efficiam, ut ſapientum cogitationes, quibus Chriſti crucem & una cum ea religionem ejus ſubſannabunt, ſint ſtultiſſimæ. Quæ enim ſtultitia major eſſe poteſt, quam Chriſtum ejuſque religionem contemnere?

verſ. 20. *Ubi ſapiens, ubi ſcriba.* Accommodat huc eadem Eſaiæ verba cap. xxxiii. 18. Nam apud Eſaiam longe alio ſenſu dicta ſunt. Agitur enim illic de populi ex ſervitute liberatione, qui liberatus adhuc nondum ſibi ſatis credet ſe liberatum eſſe. Et idcirco ait Propheta: *Cor tuum meditabitur horrorem: ubi eſt ſcriba? ubi ponderator? ubi numerans turres?* id eſt circumſpicit, an non ſint adhuc tributorum exactores, qui cenſum ut prius exigant. Quare Eſaiam imitatus Paulus, ſuperioribus verbis ſubjungit: *Ubi eſt ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſputator hujus ſeculi?* id eſt, ubi eſt ſapientia ſapientum? ubi eſt diſputatorum acumen?

Quia vero non quemvis ſapientem & doctum ac diſputatorem intelligit, propterea addit, *hujus ſeculi.* Nam hujus ſeculi ſapientes Deus per euangelicæ doctrinæ prædicationem confudit.

(a) In *prædicatione crucis Chriſti etiam reſurrectio & gloria illam conſecuta comprehenditur.*

*Nonne infatuavit Deus ſapientiam mundi hujus?* Quaſi dicat. Ideo ſic quæro, ideo ſapientes ipſos requiro; quia Deus hujus mundi ſapientiam infatuavit, id eſt, in ſtultitiam convertit.

Verſ. 21. *Quandoquidem enim.* Oſtendit cauſam, cur Deus tale conſilium iniverit, quamque merito id fecerit. Hæc autem eſt, quod mundus Deum per opera illius, quæ manifeſtam & cunctis conſpicuam ſapientiam continent, noluerit cognoſcere, & ſapientia ſua in eo uti: itaque merito Deus talem viam homines ad ſui agnitionem ac ſalutem perducendi ingreſſus eſt, ut tale quid ſtatueret, & hominibus annunciandum curaret, quod ſtultitiam quandam præ ſe ferret; ut ſic ſimul & contraria ratione ſaluti eorum conſuleret, & ſapientiam eorum plecteret, dum ſcilicet ſtultos vult fieri, ſi ſalutem adipiſci nolint.

*In ſapientia* ſcilicet Dei, *non cognovit Deum.* Id eſt per Dei ſapientiam, facta & opera, in quibus ſumma Dei ſapientia elucet, qualis eſt hujus mundi ſtructura, in qua omnes ſummam ſapientiam agnoſcunt.

*Non cognovit mundus per ſapientiam Deum. Mundus,* id eſt homines hujus ſeculi, & præſertim ſapientes. *Per ſapientiam,* id eſt ſuam. Licet ſapientem ſe eſſe gloriaretur mundus, non tamen Deum cognovit ex operibus tantæ ſapientiæ. Quemadmodum etiam in Epiſtola ad Romanos de eadem re agens loquitur: *Dicentes, ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, nempe dum mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volatilium & quadrupedum, & reptilium.*

*Per ſtultitiam prædicationis.* Id eſt per ſtultam prædicationem. Subſtantivum pro Adjectivo: ut momentanea levitas affictionis, pro afflictione momentanea & levi 2. Cor. 4. 17. item ad humilitatem ancillæ reſpexiſti, id eſt ad ancillam humilem ſeu pauperem. Luc. 1. 48. Loquitur enim non de humilitate animi, ſed de humilitate conditionis: non dedignatus es me tam pauperem & abjectam. Eſt enim in Græco ταπείνωσις. *Stulta prædicatio* eſt prædicatio rei ſtultæ, ſeu quæ ſtulta hominibus hujus mundi videatur, quod conſtet oratione valde ſimplici, ſine ullo verborum ornatu & pompa.

*Servare credentes.* Id eſt ſervare eos, quicunque iſti ſtultæ prædicationi crediderunt: ut hac ratione vel ſapientes iſti ſtultæ prædicationi credere cogantur, & aliquid contra ſuæ ſapientiæ leges facere, vel ſi ſapientiæ ſuæ obſequi velint; miſere, idque merito ſe deceptos ſentiant.

Verſ. 22. *Quandoquidem & Judæi ſignum quærunt.* Jam oſtendit, quæ ſit iſta ſtulta prædicatio, per quam Deus ſervare velit credentes & cur ſit ſtulta: quia nimirum nequaquam vel cum Judæorum, vel cum Græcorum phantaſia congruit: quaſi dicat, ideo dico ſtultam prædicationem, quandoquidem & Judæi ſignum poſtulant, & Græci ſapientiam quærunt. Nos vero prædicamus Jeſum Chriſtum crucifixum, qui pro ſigno Judæis ſcandalum, pro ſapientia Græcis videtur ſtultitia.

*Signum,* nempe σημεῖον id eſt tale, ut nullus amplius dubitationi, ac ne fidei quidem relinquatur locus: quale etiam ab ipſo Chriſto aliquando petierunt: *Da nobis ſignum e cælo.* Tale fuiſſet, ſi verbi cauſa Deus ipſe ex cælo viſibili & cunctis conſpicua ratione teſtimonium Chriſto dediſſet.

*Sapientiam*, id eſt ſapientem aliquam prædicationem

nem ſeu doctrinam, qualis philoſophorum erat, qui ſubtiliter, acute, ornate, plauſibiliter de rebus diſſerebant.

Verſ. 23. *Nos vero prædicamus Chriſtum crucifixum.* Id eſt Chriſtum qui crucifixus ſit. Non quod ſolam Chriſti crucem prædicarent; ſed quod prædicarent Chriſtum & illius doctrinam, ſed ita, ut crucis Chriſti minime obliviſcerentur. Et hoc eſt quod cap. 2. 2 dicit: *Non enim judicavi ſcire quidquam inter vos, niſi Ieſum Chriſtum*, id eſt illius doctrinam.

*Et hunc crucifixum.* In hac enim Chriſti cruce, euangelicæ doctrinæ adjuncta, maxima vis fuit in utramque partem.

*Judæis ſcandalum.* Chriſtus crucifixus Judæis non tantum non eſt ſignum, quod eos cogat ad fidem; ſed illis eſt ſummum ſcandalum: ita Chriſti cruce offenduntur, ut propter id ipſum credere nolint. Unde apparet, quantopere hæc prædicatio à ſapientium Judæorum mente ac judicio diſcrepet.

*Græcis vero ſtultitiam.* Similiter nec Græcorum palato arridet: ſtulta illis videtur hæc prædicatio Chriſti crucifixi, & quoad orationem, & quoad rem, credere in hominem Judæum eumque cruci ſuffixum, hunc pro vitæ ac pietatis duce agnoſcere, illius etiam cauſa dira pati; ab eo ſempiternæ ſalutis ac gloriæ præmium expectare.

Verſ. 24. *Ipſis vero vocatis Judæis & Græcis.* Jam etiam redit ad id, quod ỳſ. 18 propoſuerat: *Iis vero qui ſervantur, potentia Dei eſt.* Nempe ſermo de cruce. Oſtendit non ita omnibus etiam Judæis & Græcis hanc prædicationem diſplicere, ut non reperiantur inter utroſque multi, qui longe aliter de ea judicent; illi nimirum, qui huic prædicationi credunt. Ideo enim credunt, quia aliter quam illi judicant. Unde apparet, iſtam prædicationem revera ſtultam non eſſe, ſed tantum ita comparatam, ut ſapientibus hujus mundi ſtulta videatur, revera autem eſſe ſapientiſſimam.

*Vocatis*, id eſt euangelio credentibus: qui non tantum invitati ſunt (nam omnes ſunt tales) ſed etiam venerunt, & cœnaculum Eccleſiæ, ut ſic dicam, ingreſſi ſunt.

*Chriſtum Dei potentiam & Dei ſapientiam.* Vocatis & fidelibus Chriſtus, quem nos prædicamus, videtur eſſe potentia & ſapientia Dei, in eo eam agnoſcunt, ſtupent ac mirantur, dum nimirum cogitant, eum a mortuis reſuſcitatum & ſupra omnia a Deo exaltatum fuiſſe. Ingentis enim eſt potentiæ hominem morte extinctum, ad vitam, eamque ſempiternam revocare, & illi ſummam in cuncta poteſtatem conferre. Ubi autem tanta potentia apparet, illic & ſapientiam eſſe neceſſe eſt. Sine ſapientia enim res tanta perfici non poteſt. Adde quod in eo peculiariter inſignis prorſus ſapientia eluceat quod per crucem & mortem tam infamem Deus ad tantam gloriam Chriſtum perducere voluerit.

Verſ. 25. *Quia ſtultum Dei* &c. Occurrit tacitæ objectioni. Poterat enim aliquis dicere: quo pacto ſtulta prædicatio poteſt eſſe Dei ſapientia & potentia, nonne hæc invicem pugnant? Itaque cauſam reddit, cur ſtulta prædicatio nihilominus & potentiam & ſapientiam Dei maximam includat. *Quia*, inquit, *ſtultum Dei ſapientius eſt quam homines: Stultum Dei*, id eſt, Dei ſtultitia: neutrum pro ſubſtantivo, Græcorum more: id eſt, cum Deus ſtulte agit, ſapientius agit, quam omnes homines. Itaque non mirum eſt, quod ſtultitia Dei hominibus rem recto æſtimantibus judicio, nihilominus ſumma ſapientia videatur eſſe.

*Sic etiam infirmum Dei potentius eſt quam homines.* Id eſt, Dei infirmitas plus habet virium ac roboris, quam omnes omnium hominum vires. Merito ergo vocati illic Dei potentiam agnoſcunt, ubi reliqui nil niſi infirmitatem ac imbecillitatem cernunt.

Verſ. 26. *Videtis enim* &c. Confirmat id quod dixerat, prædicationem euangelii hominibus videri ſtultam, præſertim ſapientibus hujus ſeculi. Hoc enim rem ipſam indicare, cum pauci in eccleſia ſint ſapientes ſecundum carnem &c. Itaque particula γὰρ non ad proxime dictum, ſed ad principale reſpicit, verſiculum videlicet 23.

Βλέπετε. *Videte* vel *videtis*: utrumque enim convenit. *Vocationem veſtram.* Id eſt, rationem veſtræ vocationis ſuſpicite & conſiderate. Vocatio non tantum invitationem divinam, ſed etiam aſſenſum hominum includit.

Rationem autem vocationis, quam ab illis conſiderari vult, exprimit cum addit: *quod non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes.* Supplendum eſt aliquid, nempe, *veſtis*, vel etiam ex nomine vocationis, *vocati ſint. Sapientes ſecundum carnem*, id eſt quoad humanam, ſeu ab hominibus inventam ſapientiam; quo in genere ſunt Philoſophi, Oratores, Politici. Quia ergo pauci ſunt ejuſmodi ſapientes in eccleſia, hinc apparet, illis prædicationem euangelii ſapientiæ conformem non videri, ſapientibus ſecundum carnem.

Adjungit *potentes* & *nobiles*, quia horum hac in parte par eſt ratio. Sapientia enim carnalis ad opes, ad potentiam ad famam ac dignitatem dirigitur. Potentes autem hoc loco ſignificantur non tantum illi, qui multas habent clientelas, aut etiam in magiſtratu ſunt poſiti; ſed etiam qui multam habent pecuniam, id eſt divites.

*Nobiles*, εὐγενεῖς, qui ſunt ex claris familiis oriundi, qui natalium ſplendore communem plebem ſuperant. Omnes iſti dedignantur Chriſtum crucifixum, & illius doctrinam.

Verſ. 27. *Sed ſtulta mundi elegit Deus.* Stulta mundi, id eſt homines nulla rerum ſcientia, nulla doctrina excultos, ſimplices, indoctos, ratione tamen bona utentes.

*Elegit*, id eſt vocavit, & eccleſiæ ſuæ aggregavit, quoad eventum ſcilicet; quanquam etiam quoad conſilium, dum ejuſmodi doctrinam proponi curavit, quæ ſapientibus hujus mundi neutiquam arrideret.

*Ut ſapientes confundat.* Id eſt, ut oſtendat, ſe ſapientes contemnere, ſe nihili eam ſapientiam ducere, propter quam tantopere ſuperbire ſolent: unde fit ut illi confundantur. Qui enim contemnitur, confunditur.

*Et infirma mundi.* Neutra ponuntur pro ſubſtantivis, id eſt, homines inopes, pauperes, nulla dignitate & autoritate conſpicuos.

*Robuſta.* Ἰσχυρά. Utitur nomine, quo alias corporis robur & vires ſignificantur, quod ita tranſfert ad vires fortunæ vel facultatum.

Verſ. 28. *Et quæ non ſunt.* Id eſt, quæ nil ſunt magnum & eximium. Τὰ μὴ ὄντα, & τὰ ἐξουθενημένα ſunt idem.

*Ut ea quæ ſunt*, ſcilicet aliquid, *deſtruat.* Utitur *deſtruendi* verbo propter oppoſitionis concinnitatem. Perinde enim eſt ac ſi diceret; Deus ex eo

quod

quod non eſt, fecit aliquid, & ex eo quod eſt fecit nihil. Deſtruuntur vero iſta, cum a Deo contemnuntur, repudiantur, in numerum eccleſiæ non leguntur.

Verſ. 29. *Ut non glorietur.* Cauſam iſtius divini conſilii exprimit, ne quis forte miretur. Unde etiam patet, Deum in his eligendis, illis vero ſpernendis, non abſoluta aliqua voluntate ſine ulla hominum culpa uti; ſed hominum faſtu & ſuperbia eo adduci, quam ſi homines deponerent, una cum hominibus in mundo deſpectis a Deo eligerentur. Nec enim Deo vel ſapientia, vel opes, vel nobilitas per ſe obſtat; ſed, quæ ex his naſci illaque comitari ſolet, ſuperbia & aliorum contemptus.

*Ut non glorietur*, id eſt, ne glorietur *ulla caro coram ipſo.* Caro gloriatur, cum homines propter res carnales & ad carnem ſpectantes gloriantur. Hoc odit Deus. Jam vero ſi in electione ſua carnales iſtas qualitates ſpectaſſet Deus, nonne ſapientibus ob ſuam ſapientiam, potentibus ob potentiam, nobilibus ob nobilitatem gloriandi materiam dediſſet? Dixiſſent enim ſuæ dignitati iſtud datum eſſe, nec ſuam felicitatem divinæ clementiæ & miſericordiæ in ſolidum imputaſſent; quod facere coguntur homines pauperes & contempti.

Verſ. 30. *Ex ipſo vero vos eſtis.* Opponit Chriſtianos homines illis, qui carnalibus iſtis qualitatibus ornati ſunt, & oſtendit eos omnem ſuam dignitatem ex Deo habere illique acceptum ferre debere, contra quam fiat in hominibus mundana dignitate præditis.

*Ex ipſo*, nempe Deo, vos eſtis, id eſt omnem veſtram dignitatem ex Deo habetis, ac proinde ex mera illius gratia ac miſericordia.

*In Chriſto Jeſu*, id eſt per Chriſtum Jeſum, qui tanquam cauſa media cuncta in vobis efficit. Qui ſcilicet Chriſtus Jeſus, *factus eſt nobis ſapientia a Deo.* Explicat id quod dixerat, eos eſſe ex Deo in Chriſto Jeſu: ubi ſimul Chriſtianorum hominum dignitatem ac præſtantiam exprimit. Dignitas noſtra conſiſtit in ſapientia, juſtitia, ſanctificatione, redemtione. At unde eam adepti ſumus? A Deo per Chriſtum. Chriſtus enim factus eſt nobis a Deo hæc omnia.

*A Deo*, id eſt, Dei conſilio, Deo id curante, tanquam prima omnis noſtræ felicitatis cauſa. Chriſtus autem nobis hæc omnia factus eſt, quatenus horum omnium nobis cauſa extitit.

*Sapientiæ* quidem, dum nos euangelicæ veritatis, quæ maxima eſt ſapientia, notitia donavit.

*Juſtitiæ*, quæ pro juſtificatione hoc loco ponitur, dum per fidem in ipſum juſtificamur;

*Sanctificationis*, dum ſancti reddimur, & a peccatis abducimur;

*Redemtionis*, quæ in perfecta noſtri ab omnibus malis liberatione, & æternæ ſalutis adeptione conſiſtit, dum ex eadem in Chriſtum fide redemtionis iſtius hic certiſſimam ſpem habemus; aliquando autem illius per Chriſtum reipſa reddemur compotes. Ex ſapientia autem & redemtione apparet, (a) non agi hic de aliqua imputatione juſtitiæ & ſanctitatis Chriſti. Nam alioquin nec vere ſapientes eſſemus, nec vere redimeremur aliquando, ſed tantum per imputationem.

*Factus* autem hæc omnia nobis Chriſtus dicitur, ut indicetur, eum hæc omnia in nobis efficiendi virtutem non ex ſeipſo habere, ſed a Deo accepiſſe. Porro eleganti ordine apoſtolus hæc bona, quæ nobis per Chriſtum contigerunt enumerat. Nam primo per Chriſti cognitionem ſapientes reddimur; deinde juſtificamur, ſimul atque doctrinæ illius fidem adjungimus, id eſt, jus adipiſcimur ad immunitatem ab omnibus pœnis, ac præſertim a pœna mortis æternæ; quæ reipſa non niſi in Chriſti adventu auferetur (hoc enim eſt tempus illi deſtinatum) & ad vitæ æternæ adeptionem. Verum hoc jus nondum eſt plenum, ſed adhuc a conditione, quæ ſequi debet, pendet, nempe ut conſtantes in fide ſimus, ac ſanctitati vitæ in poſterum ſtudeamus, ſeu ut fidem habeamus vivam & bonis operibus animatam. Unde tertio naſcitur in nobis ſanctificatio; quæ ſi ad extremum in nobis duret, tum demum juſtificationem claudit, & facit ut illa pleniſſimo jure nobis obveniat. Itaque (a) juſtificatio partim antecedit ſanctificationem, partim ſequitur; partim illius eſt cauſa, partim effectus. Inchoata juſtificatio antecedit & producit ſanctitatem; plena vero & abſoluta ſequitur ſanctitatem, & ab illa deducitur. Unde poſtremo ſequitur redemtio, omnis noſtræ felicitatis complementum. Itaque hæc juſtificatio antecedit ſanctificationem; nihilominus ſanctificatio antecedit redemtionem, quæ cum nemini contingat niſi prius ſanctificatus fuerit, nec plenior juſtificatio, quam neceſſario ſequitur redemtio, cuiquam obvenit, niſi prius ſanctificatus fuerit, ſeu ſancte vixerit. Hinc patet, quid ſentiendum de illo triſtiſſimo dicto: *Bona opera non antecedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.* Antecedunt enim juſtificandum plene; ſequuntur juſtificatum inchoate. Quanquam fides & pœnitentia ſtricte ſumta, id eſt, firmus Chriſti doctrinæ aſſenſus, ac animi & conſiliorum in melius mutatio, prioriſque vitæ ſeria ac recta deteſtatio omnino juſtificationem ſemper debet antecedere.

Verſ. 31. *Ut quemadmodum ſcriptum eſt.* Ideo veſtra omnis dignitas eſt a Deo, & ex ejus gratia ac benignitate, ut id eveniat quod ſcriptum eſt, nempe;

*Quicunque gloriatur, in Domino glorietur.* Καυχάσθω imperativus eſt, ideo poſt particulam ἵνα, ut, neceſſe eſt ſubaudire verbum aliquod, nempe *fiat*, vel *eveniat*.

*In Domino gloriari eſt* gloriari in illis rebus, quæ nullis noſtris viribus, aut etiam meritis nobis obtigerunt, ſed ſolo Dei beneficio ac benignitate. Itaque ob ſapientiam carnalem, ob divitias, opes, nobilitatem gloriandum non eſt; quippe quæ etiam ſine peculiari Dei munere comparari poſſint. At ob Dei cognitionem, juſtificationem, ſanctificationem & redemtionem gloriari poſſumus & debemus; quippe quæ nullis noſtris viribus, nullis meritis adepti ſimus, præſertim qui contempti in mundo ſimus, nec ullis mundanis qualitatibus ornati; ſed ſola gratia & miſericordia divina. Ex tali enim gloriatione nihil in nos derivatur; ſed omnis in Deum gloria redundat. *Quemadmodum ſcriptum eſt, ſcilicet Ierem.* IX. 24. *Sic dixit Dominus: Ne laudet ſe ſapiens in ſapientia ſua, nec laudet ſe potens in potentia ſua, neque laudet ſe dives in opulentia ſua. Quinimo in hoc laudet ſe laudans ſe, quod intelligat & ſciat me.*

(a) *Contra imputativam Chriſti juſtitiam.*

(a) *Juſtificatio quomodo ſanctificationem antecedat & ſequatur.*

## CAP. II.

### ARGUMENTUM.

*Quatuor ſunt iſtius capitis partes. In prima oſtendit, ſe inter Corinthios non fuiſſe uſum excellentia ſermonis, nec ſapientiam mundanam illis annunciaſſe, quemadmodum ſuperius docuit fieri debere, & ſic theſin applicat ad hypotheſin. In altera per occupationem quandam docet, ſe nihilominus ſummam ſapientiam prædicare. In tertia ſimiliter per occupationem quandam oſtendit, unde ſapientiam iſtam, quam occultam vocaverat, ipſe & alii ſui ſimiles hauſerint, & quâ fiat ut ſimplici oratione utatur. In quarta cauſam affert, cur quibuſdam euangelica prædicatio minime arrideat.*

Verſ. 1. Pars I. *Et ego poſtquam veni ad vos.* Redit apoſtolus ad id quod dixerat, ſe miſſum eſſe ad prædicandum euangelium, non in ſapientia ſermonis. Itaque oſtendit, ſe etiam ita ſe geſſiſſe inter Corinthios: quod hactenus nondum docuit; ſed tantum de cauſis, cur ita fieri conveniat, diſſeruit: quaſi d. Quemadmodum ergo miſit me Chriſtus ad prædicandum euangelium ſine ſapientia ſermonis, ita & ego me geſſi. Vel etiam *&* ponitur pro *itaque*, ut alibi quoque contingit.

*Veni non ſecundum excellentiam ſermonis.* *Secundum* ponitur pro *cum*. *Excellentia ſermonis* eſt ſermo excellens, comtus, cultus, oratorius.

*Aut ſapientiæ*, ſcilicet mundanæ, quæ ſapientibus hujus ſeculi arrideat.

*Teſtimonium Dei*, id eſt, euangelium: quod Dei teſtimonium vocatur propterea, quod ipſe Deus illud aſſeveret ac pronunciet. Non tantum hic reſpicitur ad confirmationem euangelii, ſed maxime ad illius aſſeverationem: quemadmodum & ſupra dixit teſtimonium Chriſti cap. 1. 6.

℣. 2. *Non enim judicavi.* Cauſam iſtius ſui facti affert: quia non judicavi mihi quidquam aliud ſciendum eſſe inter vos, quam Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum; propterea nec ſermone aliquo oratorio & comto uſus ſum, nec humanam ſapientiam vobis annunciavi. Scitis enim Chriſti doctrinam nec hominibus ſapientem videri; nec verborum pulchritudine commendandam eſſe.

*Τὸ εἰδέναι τι.* Id eſt ſciendum eſſe: hanc enim vim habet infinitivus ejuſmodi. Non loquitur autem de ſcientia ipſa in animo latente; quæ ſi alterius cujuſpiam rei in apoſtolo fuit, tolli ex animo non poterat; ſi non fuit, non opus erat, ut apoſtolus judicaret ſe non ſcire. Sive ſcire aliquid, ſive neſcire aliquid a ſimplici animi decreto non pendet. Loquitur ergo apoſtolus de profeſſione ſententiæ.

*Niſi Jeſum Chriſtum.* Jeſus Chriſtus ſumitur quidem hic pro perſona, propter ſequens epithetum *crucifixum*; ſed tamen ratione doctrinæ, quam propoſuit.

*Et hunc crucifixum.* Id eſt, non tantum Chriſti doctrinam, ſed etiam Chriſti crucem, quam ſubiit, annuncio, non obliviſcor crucis Chriſti.

Verſ. 3. *Et ego in infirmitate.* Aliam ſubjungit cauſam, propter quam ejuſmodi prædicatione humili & minime pompoſa fuerit uſus. Prior erat, quod talis ſit natura ipſius doctrinæ quam annunciet: altera quam hic affert, eſt, quod talis etiam ipſius fuerit tum ſtatus & conditio, quæ ſeſquipedalia verba & exquiſitos orationis ornatus repudiarit.

*Et ego, inquit, in infirmitate, & in metu, & in tremore multo fui apud vos.* Non tantum humilis eſt mea doctrina, & apud ſapientes hujus mundi nullo in pretio; ſed & mea conditio apud vos, ſcitis, quam fuerit humilis & abjecta. Quare & ipſi doctrinæ ac conditioni meæ convenire debuit prædicatio.

*In infirmitate*, id eſt afflictione. Afflictiones enim infirmitates appellat *Apoſtolus*; utpote quæ infirmitatem arguant, & ex illa oriantur.

*Ac in metu & tremore multo.* Id eſt, in magnis periculis, quæ cum impendent tremorem ac metum incutiunt. Quanto autem pericula ſunt majora & certiora, tanto majoris metus & tremoris ſunt cauſa.

Verſ. 4. *Et ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ ſermonibus*, ſcilicet erat. Repetit Paulus, ſermonem ſuum non fuiſſe comtum & elaboratum, qui ſolo verborum ſono & pulchritudine hominum animos caperet ac demulceret; & oſtendit, quibus ille argumentis loco ſplendidæ & artificioſæ orationis fuerit uſus.

*In perſuaſibilibus ſermonibus*, id eſt, in prædicatione non ſum uſus oratione tali, quæ ad perſuadendum eſſet apta, quæ ipſa per ſe facile hominum mentes flecteret.

*Humanæ ſapientiæ*, id eſt, qualem humana ſapientia docet, vel etiam requirit.

*Sed in demonſtratione ſpiritus & virtutis.* Pro verbis & verborum phaleris uſus ſum demonſtrationibus & ſolidiſſimis argumentis, dum nimirum ſpiritus ille divinus ſeu potentia in me ſe exeruit. Exeruit autem qua in ipſo ſermone, qua in operibus, quæ ſermonem ſunt conſecuta. In ſermone quidem, quatenus raptus quoſdam animi in apoſtolo procul dubio videbant, & cæleſtia prorſus dicentem audiebant; ſæpe etiam talia, ita rem ſpiritu ſancto moderante, ut videretur arcana animi ac cogitationum cognoſcere, dum nimirum ſecretas mentis cogitationes ſuo ſermone prævertebat. In operibus vero, cum ſtupenda patrabat miracula. Potentiam conjungit cum ſpiritu per ἐξήγησιν: ideo ſequenti verſu ſolius potentiæ meminit.

Verſ. 5. *Ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum.* Novam affert cauſam. Ideo non ſum uſus oratione aliqua eleganti & ad perſuadendum accommodata, ne fides veſtra nitatur humana ſapientia. Nihil enim hoc fundamento incertius. Quod enim humana ſapientia conſtruxit, humana etiam ſapientia facile diſſolvit. Si vos ornata & elaborata oratio ad Chriſtum adduxiſſet, facile etiam vos alia ſimilis ab eo abduxerit.

*Sed in virtute Dei.* Sed ut virtutem Dei haberet pro fundamento, quo nihil firmius eſſe poteſt, & quod nulla hominum ſapientia unquam labefactavit.

Pars II. verſ. 6. *Sapientiam autem loquimur.* Incipit altera pars capitis; in qua oſtendit Paulus, non deeſſe tamen ſibi & prædicationi ſuæ ſapientiam, eamque veram ac ſolidam, licet humana abſit ſapientia.

*In perfectis.* Id eſt, inter perfectos. Τέλειοι opponuntur νηπίοις, de quibus capite ſequenti verſ. 1.

verſ. 1, ſic cap. XIV. 20. Hebr. 5. 13, 14. Oſtendit, ſe non inter omnes homines ſapientiam loqui, id eſt tali uti doctrina, in qua ſumma ſapientia appareat, & omnibus ſit admirationi: quod fit, cum non initia tantum Chriſtianæ religionis traduntur, ſed profunda explicantur myſteria, de divinis conſiliis ac decretis eorumque cauſis, cum oſtenditur, quo pacto omnia in ſalutis noſtræ negotio inter ſe admiranda ratione conſpirent & connexa ſint. Cum ſimpliciter tantum proponitur Chriſti doctrina & illius prima rudimenta, non apparet tanta ſapientia; quin imo magnam quandam ſimplicitatem præ ſe fert Chriſtiana religio: at vero ſi eam penitius inſpicias, admirabilis prorſus, & humana ſapientia omni major ac ſublimior apparet. *Inter perfectos* ergo dicit ſe ſapientiam loqui, id eſt, inter homines ſapientiæ capaces, quorum animi jam aliqua rerum cognitione ſunt exercirati. Ne quis vero putet, Paulum inter perfectos loqui ſapientiam hujus mundi, id eſt, philoſophica & alia ſapientiæ præcepta tradere, Chriſtianam vero religionem tantum inter homines rudes ac ſimplices docere, propterea ſubjungit:

*Sapientiam autem non ſeculi hujus.* Quibus verbis oſtendit, ſe de Chriſtianæ religionis ſapientia loqui, cum eam ſe inter perfectos tradere dicit: Unde etiam apparet, voces illas *ἐν τοῖς τελείοις* non ad res eſſe referendas (quod nec ipſa loquendi conſuetudo admodum patitur) ſed ad perſonas.

Cur enim ſubjiceret, *ſapientiam autem non hujus ſeculi.* Per adverſativam particulam *δὲ* tacitæ objectioni occurrens, ne quis putaret illum de mundana loqui ſapientia, ſi eam vocibus iſtis *ἐν τοῖς τελείοις* jam excluſiſſet? Excluſiſſet autem, ſi eæ de rebus acciperentur. *Id eſt*, ſi ſenſus eſſet, ſe ſapientiam loqui in rebus perfectis, quales ſunt res divinæ & ad ſalutem noſtram ſpectantes, conſiſtentem.

*Sapientia ſeculi hujus*, eſt ſapientia ab hominibus inventa & tradita, ſive ea ad contemplationem tantum, ſive ad praxin pertineat.

*Neque principum hujus ſeculi.* Id eſt, quam cæteri loqui poſſunt, qui alios regunt, ut ſunt reges, principes, magiſtratus, judices; qui cum magni politici ſint, ſuam etiam habent ſapientiam, qua vitæ ſuæ actiones moderantur.

*Qui deſtruuntur.* Addit hoc, ut principes iſtos tanto magis opponat Deo, qui immortalis eſt. Sunt illi quidem Dii; ſed tamen moriuntur ut homines. Unde etiam apparet, illorum ſapientiam minoris æſtimandam eſſe.

Verſ. 7. *Sed loquimur ſapientiam Dei.* Id eſt, ab ipſo Deo inventam ac traditam.

*In myſterio.* Id eſt, myſticam & reconditam; quemadmodum ſtatim ſubjungit, *τὴν ἀποκεκρυμμένην*, voces illas *in myſterio* explicans. Niſi dicas in iſtis verbis eſſe trajectionem apoſtolo ſatis familiarem, *ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην*, pro *τὴν ἀποκεκρυμμένην ἐν μυστηρίῳ*.

*Quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram.* Id eſt, talem ſapientiam loquimur, quam Deus nobis dare ſeu revelare prædeſtinavit ante ſecula, quæ res nobis ſummæ futura erat gloriæ. Poſt verbum *prædeſtinavit* ſubaudiendum eſt verbum aliquod, *dare*, vel *revelare*.

In illis verbis *in gloriam noſtram* tacite latet pronomen *nobis*. Eatenus enim ſummæ gloriæ hominibus eſt iſta Dei ſapientia, quatenus illis communicatur: vel etiam prædeſtinaſſe dicitur Deus ſapientiam, quatenus res ipſas, circa quarum cognitionem ac prædicationem ſapientia iſta verſatur, prædeſtinavit, ita ut ſapientia pro objecto ſapientiæ per metonymiam ſumatur. Objectum autem ſapientiæ iſtius ſunt ea, quæ in euangelio revelantur, de peccatorum remiſſione, de vita æterna, de via & ratione illius conſequendæ, de Chriſti gloria ac majeſtate, quæ omnia ad ſummam noſtram gloriam & in hac & in futura vita obtinendam referuntur.

Verſ. 8. *Quam nullus principum hujus ſeculi cognovit.* Id eſt, ita cognovit, ut eam toto pectore amplecteretur & approbaret. Nam alias multi inter primores fuerunt, qui in Chriſtum credebant; ſed nullus erat, qui fidem hanc profiteri vellet, quin magis gloriam hominum quam Dei dilexerant Joh. 12. 42, 43.

*Si enim cognoviſſent.* Cauſam apertiſſimam dicti ſui reddit. Hinc enim apparet, ſapientiam iſtam euangelicam non eſſe ſapientiam principum hujus mundi, cum eam non amplectantur. *Dominum gloriæ.* Id eſt, Dominum glorioſum. Glorioſus autem non ſolum poſt mortem evaſit, ſed etiam ante mortem fuit.

Verſ. 9. *Sed quemadmodum ſcriptum eſt*, ſubintelligе, loquimur, vel prædicamus.

*Quæ oculus non vidit* &c. talia, quæ nulli mortalium unquam in mentem venerunt, prædicamus.

*Ea quæ Deus præparavit diligentibus ſe.* In his autem tacite includi etiam debet ratio ac modus, quem Deus in conſilio ſuo definivit ad iſta perveniendi. Reſpicit ad Eſaiæ verba Paulus: *A ſeculo non audierunt*, inquit Eſaias, *neque perceperunt auribus* (ſcilicet homines) *oculus non vidit Deum præter te, qui ita faciat expectanti ipſum* Eſaiæ LXIV. 4. De eo loquitur, quo pacto olim Deus deſcenderit de cælo redimendi populi ſui cauſa. Quæ verba quia prophetiam continere dici poſſunt (nam & ab initio capitis dicit, *utinam dirumperes cælos ac deſcenderes, a facieb tuis montes diffluerent*) propterea ad futurum tempus referri poſſunt, ad illud nimirum, quo Deus per Chriſtum deſcendet, & expectantes ſe ſuprema illa felicitate remunerabitur. Dum autem talis Deus a ſeculo nec viſus nec auditus dicitur, qui ita faciat expectantibus ſe, ſimul etiam id quod expectanti ſe facit, tale eſſe dicitur: niſi quod Paulus id nunc revelatum eſſe vult, Eſaias autem non antequam reipſa eventurum ſit, cognoſcendum eſſe innuat; quod utrumque tamen eſt veriſſimum. Nam & per euangelium aliquo modo futuram illam piorum felicitatem novimus, quantum ſcilicet mortales capere poſſumus, & tamen eam qualis in ſe eſt vere non novimus, nec ante cognoſcemus, quam illius reipſa reddemur compotes.

Pars. III. Verſ. 10. *Nobis autem Deus* &c. Incipit tertia pars capitis, in qua oſtendit, quomodo res adeo occultæ, & ab humana cogitatione remotæ ſibi aliiſque ſui ſimilibus innotuerint. Hoc factum eſſe dicit per divinam revelationem: neque enim alia ratione Dei arcana homini fas eſt cognoſcere.

Addit autem, *per ſpiritum ſuum*, ut revelationis iſtius modum ac rationem doceat. Habet

enim Deus diverſos modos, quibus conſilia ac decreta ſua hominibus revelare poteſt: inter quos hic unus eſt, cum ſpiritum ſuum illis largitur, atque hoc modo uſus eſt in revelanda apoſtolis euangelii doctrina. Per ſpiritum autem Dei intelligitur divina efficacia ſeu virtus, quæ a Deo in homines manat, ſeu, quæ divinæ virtutis in Deo naturaliter reſidentis effectus eſt, & ad varia effecta producenda, prout Deo viſum eſt, determinata. Quicquid enim Deus volet, id ſpiritus iſte perficiet: ſi volet ut homo variis linguis loquatur, loquetur; ſi volet ut omnia cognoſcat, etiam divinæ mentis ſecreta, cognoſcet; ſi volet ut varios ſanet morbos, & ſtupenda patret opera, patrabit; denique nihil huic ſpiritui eſt impervium.

*Spiritus enim omnia ſcrutatur.* Oſtendit Paulus, ſpiritum eſſe aptum medium ad cognoſcendum & perveſtigandnm arcana; ac proinde merito ſe aſſeruiſſe, Deum ea ſibi revelaſſe per ſpiritum, quandoquidem ſpiritus omnia ſcrutetur, etiam profunda Dei. Spiritui tribuit ſcrutationem per metonymiam adjuncti pro ſubjecto: quia nimirum is qui ſpiritu præditus eſt, omnia ſcrutatur idque ſpiritus iſtius vi. Intelligit autem hominem per ſpiritum. Nam de eo probare debebat, eum Dei arcana cognoſcere. Idem indicat ſcrutandi verbum, quod non patitur, ut ſpiritus quatenus in Deo reſidet hic intelligatur. Quomodo enim dici poſſet, ſpiritum in Deo reſidentem ſcrutari profunda Dei? At de homine ſpiritu divino prædito id recte dicitur.

*Scrutari* autem pro cognoſcere ponitur. Verum ſcrutandi verbo utitur, quia cognitionem rerum profundarum & occultiſſime demerſarum ſignificare voluit. Res autem profundas non niſi ſcrutatione eruere ſolemus. Sic & de Deo ac Chriſto dicitur, eum renes ac corda ſcrutari. Quanquam tanto rectius dici poteſt, eum qui divino ſpiritu præditus eſt, occulta iſta ſcrutari, quod etiam cogirandi laborem adhibeat, & ſæpe ex uno in aliud deducatur.

*Omnia.* Id eſt, quæcunque hominem Deus ſcire vult.

*Etiam profunda Dei:* non tantum res alias abditas, ſed etiam Dei profunda, id eſt, altiſſime in Deo demerſa conſilia ac decreta, quibus nihil magis poteſt eſſe abditum & occultum. Dicit autem ſpiritum Dei iſta ſcrutari; non quod in omnibus hominibus id faciat, ſed quod modo Deus velit id faciendi vim habeat, & in multis hominibus id faciat.

Verſ. 11. *Quis enim novit hominum.* Probat, ſpiritum etiam profunda Dei ſcrutari; quia ſcilicet nemo alius ea ſciat, quam Dei ſpiritus: id quod argumento a comparatis, vel a ſimili demonſtrat. Quemadmodum enim nemo hominum ſecretas hominis cogitationes novit, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo: Sic neque Dei arcana quiſquam novit præter ipſius ſpiritum.

*Quis novit hominum?* Cum hominis mentionem facit, qui non cognoſcit alicujus hominis arcana præter ipſius ſpiritum; non Deum, ſed alios homines excludere voluit: ſeu ſpiritum hominis in cognoſcendis arcanis hominis non Deo, ſed hominibus tantum opponit. In altera comparationis parte, cum de Deo loquitur, non addit vocem hominum: quia omnes perſonæ extra Deum, ſive ſint angeli, ſive homines, excludi debent.

*Ea quæ ſunt hominis*, id eſt hominis arcana, quæ ille intus in animo ſuo tegit.

*Niſi ſpiritus hominis.* Spiritum hominis ab ipſo homine diſtinguit, non quod ſit diſtincta ab homine perſona, aut quod vel homo extra ſpiritum, vel ſpiritus extra hominem intelligat; ſed quod ſit hominis vis & facultas qua intelligit. Itaque & hic per metonymiam adjuncti de ſpiritu loquitur apoſtolus. Idem ad Dei ſpiritum tranſferendum eſt.

*Qui eſt in ipſo.* Hæc verba addidit Paulus, tum ut oſtendat, quem hominis ſpiritum intelligat, nempe non cujuſvis hominis, ſed illius ipſius hominis, de cujus arcanis loquitur, ſeu ſpiritum, non qui ſit in alio aliquo homine; ſed qui ſit in illo ipſo homine; tum ut cauſam indicet, cur ſpiritus hominis arcana hominis cognoſcat. Quæ verba, cum in altera ſimilitudinis iſtius parte de Deo loquitur, non adhibet;

Sed ait: *niſi ſpiritus Dei.* Nam ſpiritus Dei etiam in extra Deum poſitis, ac homini communicatis, divina providet arcana. Adde, quod Deus non illum ipſum ſpiritum, qui in ipſo naturaliter reſidet, quoque Deus ipſe cogitat ac intelligit omnia, hominibus communicet; ſed tantum ſpiritus iſtius effectum, & veluti radium hominibus imprimat, ita ut perinde ſit, ac ſi naturalem illum ſpiritum ſuum illis communicaſſet. Naturalis enim Dei ſpiritus nequaquam eſt partibilis: nam ſic Deo ſubinde aliquid decederet. Nec eſt quod quis dicat, Deum iterum ſufficere id quod deceſſerit: ſic enim in fluxu, & unius partis poſt aliam ſucceſſione natura ipſius poſita eſſet. Nam ſpiritus iſte quo Deus intelligit, de ipſius natura eſt. At hoc abſurdum omnino eſt.

*Quæ Dei ſunt.* Id eſt Dei arcana, & in ipſius conſilio abdita. *Nemo novit*, ſive hominum ſive angelorum.

*Niſi ſpiritus Dei*, ſive naturalis, ſive is qui ab hoc quaſi emanat & influit in homines.

Verſ. 12. *Nos vero non ſpiritum mundi accepimus.* Poſtquam ſpiritus Dei vim expoſuit, repetit quodammodo, ſe ſpiritum Dei accepiſſe, idque a contrario etiam illuſtrat, ſpiritui Dei opponens ſpiritum mundi, illum quidem ſe accepiſſe, hunc vero ſe non accepiſſe affirmans; ut eo ipſo cauſam indicet, cur in ipſo nulla mundana, ſed divina ſapientia appareat. Particula adverſativa δὲ indicat, Paulum ſe & ſibi ſimiles opponere aliis quibuſdam hominibus. Quanam vero in re oppoſitio iſta conſiſtat, ſtatim declarat, nempe, quod non ſpiritum mundi, ſed ſpiritum Dei acceperint.

*Mundus* homines mundanos, ſeu mundanæ felicitati deditos hoc loco ſignificat: quibus ſpiritum quendam tribuit propter oppoſitionem ſeu comparationem cum ejus ſpiritu per κατάχρησιν. Homines enim mundani proprie loquendo non habent aliquem ſpiritum, quem aliis communicare, ſeu quo alios imbuere poſſint. Per ſpiritum autem mundi intelligitur vis illa ſeu facultas, res ad hanc vitam terreſtremque felicitatem ſpectantes cognoſcendi, & de iis ornate differendi.

*Sed ſpiritum qui eſt ex Deo*, id eſt, qui ex Deo proficiſcitur ſeu derivatur in homines, ideoque Dei ſpiritus merito vocatur. Fontem & originem ſpiritus iſtius indicat, qui eſt Deus.

*Ut co-*

*Ut cognoſcamus ea, quæ a Deo donata ſunt nobis.* Uſum & effectum donati ſpiritus iſtius iterum commemorat, qui eſt cognoſcere Dei arcana, ea nimirum, quæ ad ſempiternam noſtram felicitatem ſpectant, de quibus ſupra dixit, quod ea oculus non viderit, auris non audiverit, quodque in cor hominis non aſcenderint, quæ præparaverit Deus diligentibus ipſum.

*Donata* autem *ſunt*, quia ſupra & præter omne meritum ex ſola Dei miſericordia nobis ſunt decreta.

*Nobis*, id eſt, credentibus in Chriſtum, ſeu, ut ℣. 9 dictum eſt, diligentibus Deum. Licet enim ea, quæ Deus in conſilio ſuo nobis donare decrevit, omne noſtrum meritum infinitis partibus ſuperent: aliquid tamen, quod æquiſſimum prorſus eſt, a nobis requiritur, ſi iſtius felicitatis reipſa fieri compotes velimus, nempe ut Deum & Chriſtum diligamus, ſeu in eum credamus, & ſic nos totos in poſterum Deo conſecremus.

Verſ. 13. *Quæ & loquimur.* Quemadmodum ipſam rerum divinarum notitiam ſpiritui ſancto acceptam tulit Paulus, ita nunc eidem orationem quoque, qua res iſtas divinas efferebat, & annunciabat, tribuit; & ſic cauſam oſtendit, cur humana eloquentia in prædicando euangelio non uteretur. Particula *&* comparationis hic nota eſt: quaſi dicat, Ea, quæ Deus nobis donare decrevit, nulla humana ſapientia adjuti, ſed ſolius divini ſpiritus afflatu non tantum cognovimus, ſed etiam annunciamus.

*Non in doctis humanæ ſapientiæ ſermonibus:* id eſt, non proloquimur ea per ſermones tales, quales humana ſapientia docet, nempe orationis elegantis, quæ hominum applauſum mereatur.

*Sed in doctis ſpiritus ſancti:* ſed per tales ſermones ſeu orationem, quam docet ſpiritus ſanctus. Non quod omnia illis verba dictarit; ſed quod ita linguam ipſorum rexerit, ut non permiſerit eos ornamenta verborum aut figurarum ſectari, ſeu verbis magis quam rebus indulgere; quodque obviam & gravem, ac tantis rebus convenientem eorum otationem eſſe voluerit. In hoc omnes conveniunt, quod oratio eorum ſit gravis, ſobria, conciſa, nuſpiam in verba diffuſa. Itaque hoc inprimis divinus ſpiritus curavit. Quanquam non eſt dubium, quin ſæpe etiam ipſa verba ac loquendi formulas illis ſuggeſſerit; præſertim quoties raptum quendam ſpiritus ſancti ſenſerunt: quod etiam olim prophetis ſub veteri fœdere uſuvenit, de quibus 2 Pet. 1. 21, quod non voluntate hominum allata ſit olim prophetia, ſed a ſpiritu ſancto acti locuti ſint ſancti Dei homines. Licet in prophetarum prædictionibus magis neceſſe fuerit adnumerari verba, præſertim ubi ſpiritus ſanctus duplicem ſenſum, literalem & myſticum, illis includi voluit.

*Spiritualia ſpiritualibus* &c. Oſtendit, talibus rebus talem orationem convenire. Res ſunt ſpirituales; id eſt tales, quæ a divino ſpiritu revelantur: quare & oratio, qua enunciantur, ſpiritualis eſſe debet, id eſt a ſpiritu divino quodammodo dictari.

*Conferentes*, συγκρίνοντες, Veluti adaptantes, ita orationem cum rebus componentes, ut ſibi plane reſpondeant.

Pars. IV. Verſ. 14. *Animalis autem homo.* Quarta pars capitis, in qua oſtendit, quî fiat, quod quibuſdam hominibus euangelica doctrina & prædicatio minime ſapiat. Ratio hujus rei eſt, quod contraria quadam qualitate, quam in ſpiritu, qui in euangelicæ, doctrinæ prædicatione cernitur, ſunt præditi. Ea vero eſt, quod ſint animales. Animalitas enim iſta, ut ſic dicam, ſpiritui adverſatur. Particula adverſativa *δὲ* oppoſitionis iſtius cauſa eſt addita.

*Animalis autem homo* is eſt, qui res ad hanc vitam animalem pertinentes tantum ſpectat, in illis ſolis felicitatem quærit ac collocat; quales ſunt voluptates, opes, honores, variuſque vitæ ſplendor: in his animum & cogitationes habet demerſas; qui anima regitur, id eſt inferiori illo intellectu, qui nihil ultra id quod eſt præſens, & nihil ultra mortem cogitat; qui non conſiderat, quantum malum vitia, licet cum præſenti commodo conjuncta, apportent; & quantam felicitatem virtutes, licet ab initio moleſtæ, afferant. Nam quo minus per animalem hominem eum intelligamus, qui tantum ſpiritu nondum eſt afflatus, & nullam aliam cognoſcendi facultatem habet, quam ſolam animam, ſeu naturale rationis lumen, hæc faciunt primo, quod 1.
animalitas iſta in vitio poni ſolet, & male audiat in ſacris literis; at illud per ſe vitioſum non eſt. Imo ſecundo ſequeretur, neminem poſſe euangelicam do- 2.
ctrinam cognoſcere & approbare, niſi ſpiritu ſancto afflatur: qui ſpiritus ſancti afflatus aut in ſola euangelii annunciatione perſiſtere dicendus eſt; aut in ejus cognitione & approbatione; aut denique in peculiari quadam ſolius Dei in homine operatione. Prius dici non poteſt. Nam hac ratione omnes, qui euangelium audiunt, non amplius animales ſed ſpirituales eſſent. Neque ſecundum. Nugatorium enim eſſet dicere, neminem poſſe euangelicam doctrinam agnoſcere & approbare, niſi eam prius agnoſcat & approbet. Neque tertium. Nam hac ratione nec credere eſſet virtus nec non credere vitium; ſed omnis culpa incredulitatis Deo eſſet impingenda. Ter- 3.
tio; quod indefinite dici non poteſt, homini animali ſtultitiam videri ea quæ ſunt ſpiritus: quandoquidem multi, qui euangelium audiunt, illud approbant & recipiunt, licet nullo ante ſpiritu prædíti eſſent. Quarto; 4.
quod neceſſe eſſet prius aliquem fieri ſpiritualem, ſeu divinum ſpiritum adipiſci, quam euangelicæ doctrinæ prædicationi aſſentiatur: quod in nullo Chriſti diſcipulo, ac ne in ipſis quidem apoſtolis factum eſt. Prius enim neceſſe eſt prædicationi euangelii aſſentiri, ſi quis ſpiritu divino afflari velit. Itaque ad animalem hominem conſtituendum non ſatis eſt, quod ſpiritu divino nondum fuit afflatus; ſed præterea requiritur, ut carnalibus paſſionibus & cogitationibus plane ſit deditus & affixus, ut omnia conſilia ad terrenam felicitatem dirigat. Unde & ad ſpiritualem hominem, qui animali opponitur, conſtituendum non ſatis eſt, ut euangelii doctrina in hominum mentes inanet, ſi cæteroqui nondum ejus ductum plane ſequantur. Quatenus enim vitam & actiones animales obeunt, adhuc animales ſunt: ad ſpirituales vero tantum pertinent, quatenus ſpiritus divini participes ſunt, & eam in ſe vim habent, ut ſpiritualem vitam ſectari poſſint. Itaque Chriſtiani quibus adhuc caro dominatur, etiamſi ſpiritum habeant, ſpirituales tamen

dici non debent, ſed carnales merito nominantur. Atque hæc cauſa eſt, cur ſequenti capite ſtatim ab initio Paulus Corinthios in Chriſtum credentes, & ſic ſpiritu divino afflatos, non animales, ſed carnales, quod vitiis adhuc laborarent, nominat, & ſpirituales eſſe negat.

*Non capit ea quæ ſunt ſpiritus* Dei. Non id vult Paulus, quaſi homo animalis, cum ea quæ ſunt ſpiritus Dei audit, illa percipere & intelligere non poſſit (nam quod ea non niſi nonnunquam multa cogitatione aſſequi nequeat quid mirum?) ſed quod ea non approbet, non recipiat, quod iis, ut ſic dicam, acquieſcere non poſſit.

*Ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Per iſta non tantum res ipſæ a ſpiritu ſancto dictatæ, ſed etiam verba & oratio qua res iſtæ, ipſo dirigente linguam, enunciantur, intelligi poſſunt. Et res, & oratio a ſpiritu ſancto dictata animali homini ſordet.

*Stultitia enim illi ſunt.* Cauſam affert, cur animalis homo ea, quæ ſpiritus Dei ſunt non approbet, quia ſcilicet illi ſtultitia videntur. Subſtantivum ponitur pro adjectivo neutro: quemadmodum cap. 1. 25 neutra pro ſubſtantivis uſurpari videmus. Stulta autem illi videntur, quod ad res, quia ſunt terrenæ felicitati, quam ille unice ſpectat, & ſpectandam putat, contraria; quod ad verba, quia proferuntur oratione ſimplici, non ex Rhetorum præceptis elaborata. Hæc autem cauſa indicat, animalem hominem intelligere quidem ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; ſed perverſe de illis judicare.

*Neque poteſt cognoſcere.* Plus adhuc affirmat, non tantum quod non cognoſcat ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſed etiam quod ea cognoſcere non poſſit, id eſt intelligere, in quantum animalis eſt ſcilicet, & approbare. Verbum enim cognoſcendi pro cognitione quæ aſſenſum ſeu approbationem includat, ut & alibi fit, ſumi debet. Patet id vel ex ipſa ratione, quam Paulus apponit:

*Quia ſpiritualiter dijudicantur.* Quæ verba aperte de judicio loquuntur, & oſtendunt, hominem animalem non poſſe recte de rebus iſtis judicare. Intelligere ergo poteſt, quia judicat; ſed approbare non poteſt; quia malo judicat. Spiritualiter autemtem illa dijudicari dicit: non quod ſpiritu Dei ſit opus, ut recte de rebus iſtis judicium ferat: (hac enim ratione prius opus eſſet Dei ſpiritu, quam ut quis euangelio aſſentiatur; quod falſum eſſe ſupra oſtendimus, & res ipſa docet) ſed quod animum a rebus terrenis abſtrahere, & ex ſpiritualibus, ut ſic dicam, principiis rem æſtimare ſit opus.

Verſ. 15. *Spiritualis autem.* Opponit animali homini ſpiritualem, quoad rectum de rebus judicium, & oſtendit, eum rectiſſime de omnibus judicare, ita ut nulla ratione animalis hominis judicium, aut ullum aliud illi opponi debeat. Spiritualis autem homo ille eſt, qui non ſolum ſpiritu Dei præditus eſt, ſed etiam ejus ductum ſequitur, & a ſpiritu iſto totus pendet.

*Dijudicat omnia*, id eſt, dijudicare recte poteſt. De recto enim, non de quovis judicio loquitur; nec tam de actu judicandi, quam de poteſtate ſeu facultate: quaſi d. quod homo ſpiritualis verum ac rectum judicat, illud tale eſt; quod approbat, recipiendum eſt: ille recte judicat de hominis felicitate vel infelicitate, de eo quid faciendum, quid fugiendum ſit, quid vere ſit ſapiens ac conveniens, quid minus.

*Omnia*, id eſt quæcunque ſub ipſius notitiam cadunt, & ad veram homines felicitatem vel infelicitatem referuntur.

*Ipſe vero a nemine dijudicatur.* Supremum veluti habet in ferenda de rebus ſententia tribunal, ejus judicium alterius alicujus cenſuræ ſubjectum non eſt, utpote rectum & verum.

Verſ. 16. *Quis enim novit mentem* Domini? His verbis ex Eſai. XL. 13 deſumtis, quæ etiam in Epiſtola ad Rom. XI. 34 citantur, probat apoſtolus, ſpiritualem hominem a nemine dijudicari: quia ſpiritualis homo novit mentem Domini; quare homo ſpiritualis a nemine dijudicatur. Mentem vero Domini nullius ſubjectam eſſe judicio ex eo patet, quia Dominus ſine hominum arbitrio ac conſilio cuncta decernit.

*Domini.* Id eſt, ſummi illius Dei. Sunt enim hæc verba veteris Scripturæ.

*Quis inſtructurus eſt eum? Nos vero mentem Chriſti habemus. Nos.* Id eſt, ſpirituales, & inprimis apoſtoli, mentem Chriſti, id eſt Chriſti cogitata ac ſenſa. *Chriſtum* repoſuit pro *Domino*, ut indicaret, ſe non de quavis mente Domini, id eſt, ſummi illius Dei loqui, ſed tantum de ea, quæ primo in Chriſtum, deinde a Chriſto in diſcipulos ejus per ſpiritum ſanctum dimanavit.

## CAP. III.

### *ARGUMENTUM.*

*Duæ ſunt capitis iſtius partes; in quarum priori cauſam oſtendit, cur Corinthios profundiora Chriſtianæ religionis myſteria non propoſuerit. In altera redit ad illa Corinthiorum diſſidia, dum unus hujus, alter alterius magiſtri diſcipulum ſeſe ferret. Ubi ſimul quædam interjicit, quæ ad monendos ac perſtringendos quoſdam Corinthiorum doctores ſpectant.*

Pars I. Verſ. 1. *ET ego, fratres, non potui loqui vobis tanquam ſpiritualibus.* Occaſione eorum, quæ proxime dixerat apoſtolus de hominibus tum animalibus, tum ſpiritualibus, cauſam oſtendit, cur inter Corinthios verſans, non potuerit illis profundiora religionis Chriſtianæ myſteria proponere. Hæc autem erat, quod non fuerint ſpirituales, ſed animales homines: adhuc enim erant carnales: quaſi dicat, Cum ergo animalis homo non capiat ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed ſpirituali homine ad eam rem ſit opus: ideo ego non potui vobis loqui tanquam ſpiritualibus: quandoquidem ſpirituales tum nondum eratis, ſed carnales, & infantes in Chriſto. Quare, quod vobis illa non propoſuerim, non per me ſtetit, non mea aliqua ignorantia fuit in cauſa; ſed quod vos ad eam rem apti non fueritis. Non ergo me eo nomine incuſare debetis, ſed voſmetipſos.

*Sapientiam loquimur inter perfectos*, ut ſupra verſ. 6 dixit; non vero inter infantes, quos qui ſublimem docet ſapientiam, ipſe minime ſapit.

*Sed tanquam carnalibus.* Subintellige, loquendum mihi apud vos fuit. Quomodo autem carnales ab animalibus hominibus differant, & rurſus cum illis conveniant, ſuperiori cap. verſ. 14 eſt explicatum.

*Tanquam infantibus in Chriſto.* Addit id, tum ut eos quodammodo excuſet: (non mirum enim eſt eos adhuc carnales eſſe, qui recens in Chriſto nati ſunt: nemo repente novum hominem induit:) tum ut hac quoque deſcriptione oſtendat, abſtinendum ſibi fuiſſe a profundis myſteriis.

*Infantes in Chriſto* hoc loco ſignificant eos, qui quoad Chriſtum ſeu Chriſtianam religionem recens nati ſunt, ſeu non ita pridem Chriſti doctrinam agnoverunt & receperunt. Alibi (a) *infantes* vocantur illi, qui non quidem quoad tempus, quo ſecundum ſpiritum fuerunt nati, ſed quoad captum & profectum infantibus reſpondent Epheſ. IV. 14. Hebr. V. 13.

Verſ. 2. *Lacte vos potavi.* Ita enim cum infantibus agi convenit. Lac autem iſtud, quod ſpiritualibus infantibus porrigendum eſt, ſunt prima religionis Chriſtianæ rudimenta, nempe doctrina de pœnitentia, de fide in Deum, reſurrectione mortuorum, & judicio ſempiterno Hebr. VI. 1, 2.

*Et non cibo*, nimirum ſolido; qui cibus ſolidus ſunt profundiora myſteria Chriſtianæ religionis. Verbum ἐπότισα, *potavi*, non congruit cibo, ſed tantum lacti: quocirca vel verbum cognatæ ſignificationis poſt vocem cibi ſubaudiendum eſt, nempe, alui, vel cibavi; vel verbum potavi alio atque alio ſenſu uſurpatur, & ratione quidem prioris membri proprie, poſterioris improprie, & tantum propter prius: qui loquendi modi etiam alibi occurrunt.

*Nondum enim poteratis.* Subintellige, cibum ſolidum ferre ac concoquere. Rationem reddit, cur lacte tantum, non vero ſolido cibo eos aluerit; quia nimirum ſolidi cibi capaces non eſſent. Qui enim carnalis eſt, nec intellectu ſatis valet, ut profundiora & ſublimiora myſteria aſſequi poſſit, nec, ſi maxime aſſequeretur, inutile tamen eſſet illi proponi, cum longe utilius ſit eum in primis religionis Chriſtianæ principiis adhuc exerceri, ac demum, poſtquam in his profecerit, ad altiora deduci; illi lac Chriſtianæ religionis, non cibus ſolidus proponi debet. Sapienter ergo fecit apoſtolus, quod Corinthios adhuc infantes in religionis Chriſtianæ tirociniis detinuerit, & longe ſapientius, quam iſti doctores, qui forte Corinthiis ſublimiora quædam tradebant (& ſic Paulo excellentiores quodammodo videbantur) cum tamen Corinthii iſtorum nondum capaces eſſent.

*Sed neque adhuc nunc poteſtis.* His verbis & Corinthios, & eorum doctores perſtringit; Corinthios quidem, quod intra tempus non exiguum tam parum in vita ſpirituali profeciſſent, ut lacte adhuc potandi & nutriendi eſſent: doctores vero, quod non habita ratione Corinthiorum profectus quibus Chriſtianæ religionis rudimenta adhuc inculcanda eſſent, altioribus forte myſteriis animos eorum imbuere conarentur.

Verſ. 3. *Adhuc enim carnales eſtis.* Rationem proximi dicti ſubjungit. Eandem dicit eſſe cauſam, ob quam ne nunc quidem ſolidi cibi ſint capaces, quæ fuit & antea; quod ſcilicet adhuc carnales eſſent, id eſt, carnis ſeu appetitus ductum ſequerentur. Id ipſum probat, cum ſubjicit:

*Ubi enim in vobis zelus.* ὅπου pro *cum*, vel *quando*. Subintelligi autem debet particula eſt. *Zelus* æmulationem ſeu contentionem notat, qua fiat, ut alter alteri honorem præripere cupiat.

*Et lites*, id eſt, verborum pugnæ, quæ ex æmulatione naſci ſolent.

*Et diſſidia*, id eſt factiones quædam, quæ ex Zelo & litibus tandem oriuntur, dum diverſi diverſis ſe applicant, totum autem in partes ſcinditur.

*Nonne carnales eſtis?* nonne talia argumento ſunt, vos eſſe carnales? nonne hæc omnia carnis ſunt opera?

*Et ſecundum hominem ambulatis?* Per *hominem* vulgarem hominem intelligit, mundanum: quaſi dicat, nonne aliorum hominum more vos geritis, qui de vano honore inter ſe certant ac litigant? Hominem videtur opponere Deo.

Verſ. 4. *Quando enim dicit quis, ego quidem ſum Pauli.* Quod in genere dixerat, eos zelo, litibus, diſſidiis laborare, in ſpecie exprimit, & ſic ad propoſitam de Corinthiorum diſſidiis ac factionibus materiam redit, a qua hactenus, illius tamen occaſione, ut alibi oſtendimus, digreſſus fuerat. Sui autem tantum ac Apollos mentionem facit, omiſſo Petro, ut in ſe ſolo ac Apollo oſtenderet, quam humiliter de ſe Chriſti miniſtri ſentire debeant. Unde apparet Apollo Paulo fuiſſe familiariſſimum, quem unà ſecum ita abjiciat, ut in ſequentibus videbimus: quod illi in Petro non ita facere licuit, ne videatur æmulationis potius ac invidiæ cauſa id feciſſe. Cæterum Pauli & Apollos exemplo idem de Petro ſentiendum erat: verum Paulus in ſe ſolum & Apollo hoc tranſtulit, ut ſequenti cap. verſ. 6 ipſe teſtatur.

*Nonne carnales eſtis?* Unde enim hæc ſtudia diverſos ſibi magiſtros vendicantium, niſi ex carne oriuntur, id eſt, ex gloriolæ cujuſdam cupiditate?

Pars II. Verſ. 5. *Quis igitur eſt Paulus? Quis vero Apollos?* Occaſione dicti ſuperioris tranſit ad ſecundam capitis iſtius partem, & ſic ad principalem illam quæſtionem de Corinthiorum diſſidiis revertitur. Particula *igitur* non eam hoc loco vim habet, quaſi iſtius dicti veritas ex ſuperioribus pendeat, & naſcatur; ſed oſtendit tantum, hæc ſuperiorum occaſione attexi: quaſi dicat, cum inter vos ſint ſchiſmata, ac unus quidem dicit, ego ſum Pauli, alter ego Apollos, quis ergo eſt Paulus, quiſve Apollo? Idem accidere ſolet in particula γάρ, *enim*, quæ non ſemper rationem reddit veritatis ſuperiorum; ſed interdum ſimpliciter tantum, cur id quod ſuperius dictum eſt, dictum fuerit. Continet autem hic verſiculus cauſam, propter quam Corinthii ab ejuſmodi diſſidiis, ac a miniſtris ſuis denominationis ambitu abſtinere debeant.

*Quam miniſtri.* Paulus & Apollo nihil aliud ſunt quam miniſtri, quorum opera Corinthii fuerant ad fidem perducti: Miniſtri, intellige, Dei vel Chriſti. Miniſtris enim Dominum proxime ſequentibus verbis opponit. Jam vero indignum eſt in miniſtris gloriari, & eos ſibi pro ducibus ac magiſtris deſpondere.

*Et unicuique quemadmodum Dominus dedit.* Trajectio eſt in his verbis. Sic particula ὡς etiam alibi ab apoſtolo uſurpatur, infra 7. 17, & Roman. XII. 3. Ita autem ſunt ordinanda verba: Miniſtri ſunt, per quos credidiſtis, idque prout unicuique Dominus dedit: quæ tamen poſteriora verba non ſunt referenda ad ver-

(a) *Infantes quo ſenſu alibi dicantur.*

bum *credidiſtis*, ſed ad nomen *miniſtri*: quaſi dicat, Miniſtri ſunt, iique tales, quales Dominus eſſe voluit, qui ſingulis ſingula dedit & officia, & dona ad peragendum munus neceſſaria. Addidit hoc apoſtolus, ut oſtenderet cauſam, unde tanta ſit inter Chriſti miniſtros diverſitas, & ratione munerum, & ratione donorum: nempe totum hoc a domini arbitrio ac voluntate proficiſci; ne vel illi, qui munere & donis ſupra alios excellunt, plus juſto æſtimentur; vel qui cæteris inferiores ſunt, idcirco contemnantur. Oſtendit apoſtolus, non tantum ſe miniſtros eſſe; ſed etiam, omnem ſuam miniſtrandi dexteritatem a domino proficiſci, nec dignum eſſe, ut Corinthii in ſe ſuique ſimilibus tanquam ducibus ac præcipuis religionis magiſtris glorientur.

Verſ.6. *Ego plantavi, Apollos rigavit.* Oſtendit, qualis tum ipſe, tum Apollos fuerit miniſter, ſeu quo munere tum hic, tum ille inter Corinthios functus fuerit: & ex hoc ipſo novum argumentum deſumit. Ego, inquit, plantavi Eccleſiam veſtram, id eſt, primus fui, qui vos ad fidem perduxi, & Chriſto inſerui; Apollos me ſecutus rigavit teneras iſtas plantas, id eſt, in fide vos confirmavit.

*Sed Deus incrementum dedit.* Quaſi dicat, nos operam & laborem præſtitimus, nihil aliud: ſed quod labor noſter infructuoſus non fuerit, quod plantæ iſtæ vireſcant, accreſcant, & fructificent, id eſt, quod vos & credideritis, & in fide permanſeritis, & fructus etiam fidei proferatis, id totum a Deo profectum eſt: is labori noſtro eam dedit vim & efficaciam. Abſque eo ſi fuiſſet, nihil noſtra plantatio & rigatio profuiſſet. Perinde ergo ſe habet ſpiritualis noſtra plantatio ac irrigatio, atque hæc corporalis & terrena. Agricola quidem plantis laborem impendit; ſed quod plantæ creſcant ac vegetentur, totum id a Deo proficiſcitur, qui eas naturæ vires indidit. Similiter & in ſpirituali noſtra plantatione accidit. Nos laborem impendimus; Deus fructum laboris præſtat. Quare in illo ſolo gloriandum eſt, & illi quicquid in rebus ad ſalutem pertinentibus profecimus, in ſolidum adſcribendum. Unde recte infert Paulus:

Verſ.7. *Quocirca neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus.* Quæ verba antequam attingamus notandum eſt, non fruſtra apoſtolum pro domino, cujus ſuperiori verſiculo mentionem fecit, Deum repoſuiſſe. Fecit id procul dubio ideo, ut tanto concinnior eſſet ad plantationem & rigationem terrenam alluſio. Itaque Deum nominavit, qui & in terrena, & in ſpirituali plantatione incrementum largitur, non dominum, id eſt, Chriſtum, qui in ſpirituali quidem plantatione is eſt, per quem Deus omnibus incrementum concedit; cæterum, ut herbæ aut arbores creſcant, Chriſti muneris nequaquam eſt. Præterea obſervandum eſt, hac quoque ratione ſpiritualem plantationem ſimilem eſſe terrenæ, quod quemadmodum a plantarum incremento excludendæ non ſunt naturales hominis ipſi a Deo conceſſæ vires, nec putemus Deum hominibus ſine ullo eorum ſtudio ac conatu ſpirituale hoc incrementum, quod in fide ac pietate conſiſtit, largiri. Prætermittendum nec illud eſt, alia ratione plantationem & irrigationem ſumi cum miniſtri inter ſe conferuntur, alia quando comparantur cum Deo. Illo modo ita ſumitur, ut non tantum laborem, ſed etiam laboris effectum includat. Neque enim ob ſolam euangelii prædicationem & doctrinam vel Paulus plantaſſe, vel Apollos rigaſſe dici poſſet, niſi eam conſecuta fuiſſet audientium fides. Hoc vero modo ſolum tantum Pauli & Apollos laborem & operam deſignat.

*Quocirca neque qui plantat eſt aliquid.* Elicit id ex proxime dictis: q.d. Quandoquidem non is qui plantat, neque is qui rigat incrementum dat plantis, ſed ſolus Deus; propterea nullus iſtorum eſt quidpiam magnum & eximium; ſed qui dat incrementum, Deus. *Particula* τι non ſimpliciter aliquid, ſed aliquid eximium & ſingulare denotat: quemadmodum & contraria in talibus locutionibus vox *nihil*, non ſimpliciter quod nihil eſt, ſed quod nihil eſt admodum præclarum & excellens. Si ergo neque qui plantat, neque qui rigat, eſt quidpiam admodum ſingulare & eximium, quivis videt, male vos facere, Corinthii, quod pro eorum nominibus etiam factionibus digladiemini.

Verſ.8. *Qui plantat autem, & qui rigat unum ſunt.* Novum eſt argumentum ex eadem plantationis & irrigationis metaphora petitum. Quia enim qui plantat, & qui rigat eſt unum, propterea non debet hic ab iſto, alter ab altero denominari & eorum cauſa factiones exercere. *Unum* autē dicuntur eſſe, quia & unum ſcopum & finem ſibi propoſitum habent, & utrique circa eaſdem plantas occupantur; & fine, & objecto conveniunt.

*Unuſquiſque vero propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem.* Hæc verba addidiſſe videtur Paulus, tum ut tacite moneret, quemvis ſumma cura & diligentia labore ſuo defungi debere; tum ut oſtenderet, non ita unum eſſe eos, qui vario miniſterio defungantur, quin habenda ſit eorum laboris ratio, & labori cujuſque conveniens præmium decernendum. Unde porro ſequitur, non Corinthiorum eſſe de miniſtrorum Chriſti laboribus judicium ferre, & hos quidem ex illis extollere, alios deprimere, & inter ſe contendere; cum quemvis operarium domini ipſa merces apud dominum maneat.

Verſ.9. *Dei enim ſumus cooperarii.* Cauſam proximè dicti ſubjicit. Ideo dico quemvis mercedem ſecundum proprium laborem recepturum, quia Dei ſumus cooperarii, συνεργοί. Quæ vox non ita accipienda eſt, ut homines Deo æquet; ſed in eo tantum cum Deo conjungat, ſeu illi adjungat, non tanquam æquales; ſed tanquam principali agenti miniſtros: quo pacto agricolæ, aut patri familias, ſervi & mercenarii ſunt συνεργοί.

*Dei arvum, Dei ædificium eſtis.* Opponit fideles, circa quos Dei miniſtri laborant, ipſis miniſtris; quod hi quidem ſint mercenarii & operarii Dei, illi vero ſint ipſius Dei proprium γεώργιον, proprium ædificium, & Deus ſit, qui principaliter circa eos laboret, eos colat ac ædificet. Unde nova naſcitur ratio, non debere eos a miniſtris & operariis Dei denominari, ſed ab ipſo, Deo. Γεώργιον arvum ſignificat, vel potius ſegetem. Hoc loco γεώργιον eſt id omne, in quo excolendo laborant agricolæ. Loquebatur autem paulo ante de plantis. Germani recte vim vocis exprimunt, **alhierwerck**. Utitur vero duplici metaphora: & in priore quidem ad ſuperiora reſpicit; in poſteriore viam ſibi ad ſequentia aperit.

Verſ.10. *Secundum gratiam Dei.* Occaſione ſpiritualis iſtius ædificii oſtendit, quomodo ipſe ſe in eo geſſerit, & quas partes obiverit; quod item aliorum ſit hac in parte officium. Ubi ſimul eos monet, videant, ut quiſq; recte ſe in eo gerat. Ad ſe quod attinet, oſtendit, ſe in hoc ædificio Corinthiorum ſpirituali fundamentum jeciſſe, id eſt, prima religionis Chriſtianæ principia illis tradidiſſe: quemadmodum fieri neceſſe eſt, cum primum homines ad Chriſtum adducuntur.

*Ait autem, ſecundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi*; Ut omnia, quæcunque fecit & præſtitit, non ſibi, ſed Deo vendicet. Per gratiam autem iſtam intelligit tum apoſtolicum munus, tum huic muneri convenientia dona.

*Tan-*

*Tanquam ſapiens architectus.* *Sapiens* id eſt, peritus. Apud Græcos enim σοφὸς etiam ad rerum mechanicarum opifices transfertur. Quibus verbis vel ſe ſapientem aut peritum architectum nominat: quod & merito fecit (ſumma enim ſapientia & peritia requiritur ad fundamentum in hoc ſpirituali ædificio ponendum, id eſt, ad homines Chriſto primum lucrifaciendos; nec ſuam in eo gloriam aut laudem quærere oportet, quandoquidem totum iſtud divinæ gratiæ imputavit:) vel ſe ſapienti tantum architecto comparat, quod ante omnia fundamentum poſuerit. Sapientis enim architecti eſſe, quod illis altiora Chriſtianæ diſciplinæ myſteria non propoſuerit; ſeu potius ſapientiæ & prudentiæ laudem ſeſe mereri, quod id non fecerit, & in principiis tradendis ac inculcandis operam omnem poſuerit.

*Alius autem ſuperædificat.* His jam aliorum, quod ad ſpirituale iſtud inter Corinthios ædificium perficiendum attinet, officium deſcribit.

*Superædificat*, id eſt, alias doctrinas ad fundamentales illas a me traditas adjicit. Videtur enim apoſtolus ædificium iſtud nunc non ratione ipſorum hominum, ac perſonarum, quæ ad Eccleſiam aggregantur, & communis religionis ac charitatis vinculo inter ſe junctę ſpirituale quoddam ædificium conſtituunt, conſiderare; ſed tantum ratione Chriſtianæ doctrinæ, quæ multis partibus conſtet, quarum aliæ ſint veluti fundamentales, aliæ fundamentalibus iſtis innitantur, & ad totius operis perfectionem abſolutionemque pertineant. Apparet id, ut alia nunc omittam, tum ex principali apoſtoli ſcopo, qui eſt, & ſe ratione muneris ſui in docendo, quod inter Corinthios obivit, purgare, & alios doctores, ut recte ſe in eo gerant, monere; tum ex verbis quæ ſtatim adjicit:

*Unuſquiſque vero videat, quomodo ſuperædificet.* Quibus verbis monet, ut quiſque diligenter conſideret, quid fundamento a Paulo poſito ſuperſtruat: quod certe de hominibus aut perſonis ipſis accipi non poteſt; cum hac in parte nullum ſit inter homines diſcrimen; quiſque, modo velit, aptus & idoneus eſt ut agglutinetur Eccleſiæ: ſed in doctrinis, quæ poſt fundamentalia traduntur, locum habet. Quaſi dicat, quiſque diligenter diſpiciat, qualem doctrinam in Eccleſia proponat, conſideret etiam atque etiam, num vera ſit; num non tantum vera, ſed etiam utilis ad ædificationem. Loquitur autem apoſtolus de doctrinis talibus, quæ fundamentum non evertant: nam tales ſuperædificari fundamento non poſſunt: ſed de talibus, quibus vel cum fundamento optime convenit, vel ſaltem quæ fundamentum non amoliuntur, ſed relinquunt.

Verſ. 11. *Fundamentum enim aliud* &c. Cauſam reddit, cur dixerit, alium ſuperædificare, ac quemvis diſpicere debere, quomodo ſuperædificet: quia fundamentum aliud nemo poteſt ponere quaſi dicat ideo de ſuperædificatione loquor, quia fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod jam a me eſt poſitum: intellige fundamentum in religione Chriſtiana. Quod vero ſit fundamentum iſtud, ſtatim declarat:

*Quod eſt Ieſus, ille Chriſtus.* Ex his verbis ſimiliter apparet, ædificium iſtud a Paulo non conſiderari ratione ipſarum perſonarum. Nam & Jeſus ille Chriſtus ratione perſonæ conſiderandus eſſet. At Jeſus ille Chriſtus non a Paulo, ſed a Deo, quoad perſonam, cui tanquam fundamento, aut, ut alibi eum ſcriptura appellat, angulari lapidi ſpirituale Chriſtianorum ædificium innitatur, poſitus eſt; a Paulo vero eatenus tantum, quatenus docuit Jeſum τὸν χριστὸν, id eſt, Jeſum eſſe Chriſtum. Hæc enim doctrina totius Chriſtianæ religionus eſt fundamentum. Unde apparet, omnes eos, qui hanc doctrinam habent & agnoſcunt, fundamentum Chriſtianæ religionis habere, ac proinde non niſi ſumma injuria ab Eccleſiæ ſocietate arceri poſſe. Jeſum autem eſſe Chriſtum nihil aliud eſt, quam eſſe cæleſtem ac divinum populi Dei regem, a Deo effectum ac conſtitutum.

Verſ. 12. *Si vero quis ſuperædificet ſuper fundamentum hoc* &c. Jam incipit cauſam afferre, cur quiſque diſpicere debeat, quomodo ſuperædificet; & ſimul indicat, varia huic fundamento ſuperſtrui poſſe. Videtur autem eſſe ἀναντιπόδοτον oratio in hoc verſiculo. Non enim recte cohærent hæc: *Si vero quis ſuperædificet aurum, argentum* &c. *uniuſcujuſque opus manifeſtum fiet.* Itaque ſubaudiendum aliquid videtur eſſe poſt hunc verſiculum, videlicet, *latere id non poteſt*, aut *manifeſtum id fiet.*

Quod ideo ab apoſtolo expreſſum non eſt, quia in ſequentibus verbis, *uniuſcujuſque opus manifeſtum fiet*, id includitur. Mederi huic rei nonnihil poſſemus, ſi particulam εἰ pro μὴ *num* vel *an* poſitam eſſe dicamus.

*Aurum, Argentum, lapides pretioſos*, id eſt, doctrinas tales, quæ cum hoc fundamento, quod & ipſum aureum eſt totum, eleganter congruant, & ejuſdem ſint veluti cum eo generis.

*Ligna, fœnum, ſtipulam*, id eſt, tales doctrinas, quæ cum hoc fundamento nihil habent commune, licet non evertant: quales ſunt multæ falſæ doctrinæ, vel ſaltem tales, quæ nihil ad promovendam Chriſtianam pietatem pertineant. Scopus enim omnium eſſe debet, ut alibi loquitur apoſtolus, Charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata 1 Tim. 1. 6. In Chriſto Jeſu enim nihil valet niſi fides per charitatem efficax. Proinde omnes doctrinæ, quæ ſcopum hunc non feriunt, vel falſiloquium ſunt, vel ſaltem vaniloquium. Simul autem, dum per ligna, fœnum, ſtipulam, doctrinas iſtas ſignificavit, oſtendit, eas minime durabiles eſſe, ſeu tales, quæ in æternum ſint permanſuræ. Uſus autem eſt apoſtolus his vocibus, ut ad ædificiorum conſtructionem alluderet, & ſic allegoriæ propoſitæ inſerviret.

Verſ. 13. *Uniuſcujuſque opus manifeſtum fiet.* His verbis cauſam aperit, cur quiſque operam dare debeat, ut doctrinas quam optimas, & fundamento illi convenientiſſimas proponat: quia ſcilicet uniuſcujuſque opus manifeſtum fiet. Id probat.

*Dies enim*, inquit, *manifeſtabit.* Multi diem hunc de tempore ſimpliciter ſumunt. Veritas enim, ut dici ſolet, eſt filia temporis. Veritas tempori non cedit; imo tempore magis clareſcit. Errores cedunt, & diuturnitate tandem, ceu igne quodam, conſumuntur. Sed videtur potius de die illo ultimo, quo, ut infra loquitur apoſtolus, cap. 4. 5. occulta tenebrarum illuminabuntur, & conſilia cordium manifeſtabuntur; accipiendus eſſe: tum quod longe commodius alluſio iſta ignis, qua in ſequentibus utitur apoſtolus, ad eam accommodari queat, tum quod videatur acceptionem mercedis pro bono & durabili opere, de qua in ſequentibus verbis agitur, & ſalutis etiam adeptionem, licet cum operis jactura conjunctam, ad diem iſtum referre.

At in ultimo demum die mercedi iſti vere locus erit, & ſaluti, quemadmodum infra de eodem die loquens ait, *& tunc laus erit unicuique a Deo.* Cur vero dies uniuſcujuſque opus manifeſtabit?

Quia, inquit, *in igne revelatur.* Eleganter ad propoſitam ædificiorum ſimilitudinem alludit. Aedificia enim num durabilia ſint, num ſint ex lapidibus aut durabili materia conſtructa, num vero ligna aut ſtipulam habeant admixtam, igni optime explorari poſſunt. Quia ergo dies iſta in igne (hoc eſt, cum igne, conſueto Hebraiſmo) revelatur, propterea dies iſta uniuſcujuſque opus quale ſit manifeſtum faciet. Alludit autem apoſtolus ad illum ignem, cum quo Chriſtus in illa die deſcendet, quemadmodum teſtatur apoſtolus, qui dicit eum in ignis flamma venturum 2 Theſſ. 1.8. Nam revera per hunc ignem non doctrinæ aliquæ, ſed homines conflagrabunt. Itaque per ignem, quo doctrinæ probantur, ipſius potius Chriſti judicium intelligitur, coram quo omnes errores, omnes doctrinæ, quæ ab ipſius ſanctiſſima religione abludunt, tanquam ligna & ſtipulæ coram igne, conſiſtere non poſſunt.

*Et uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Hæc verba dupliciter accipi poſſunt: vel, ut iis cauſam reddat, cur dies, quia cum igne revelatur, uniuſcujuſque opus manifeſtum faciat; quia ſcilicet ignis uniuſcujuſque opus, nempe in ædificio (nam de eo nunc loquitur apoſtolus) probabit: vel, ut concluſionem tantum ſuperiorum contineant. Si priorem ſenſum amplectamur, *&*, idem hoc loco valebit quod *nam*; ſi poſteriorem, idem valebit quod *itaque.* Huic poſteriori magis favet verbum futuri temporis *probabit*: cum, ſi prior ſenſus retinendus eſſet, dici potius debuerit in præſenti tempore *probat*, vel probare ſolet.

Verſ. 14. *Si cujus opus manet, quod ſuperſtruxit.* Nunc oſtendit apoſtolus quid ſecuturum ſit, poſtquam cujuſque opus probatum ac manifeſtatum fuerit. Niſi enim probationem ac manifeſtationem iſtam aliud aliquid ſequeretur, ipſa per ſe non magnam vim haberet ad permovendos Eccleſiæ doctores, ut ſummam curam ac diligentiam adhibeant, ne doctrinas vanas ac inutiles in Eccleſia proponant, ſed ſundamento Chriſtianæ religionis congruas, id eſt, utiles ac ſolidas. Primo oſtendit, quid eum maneat, qui ſolida ac probata docuerit: deinde quid maneat eum, qui futilia. Dicit ergo:

*Si cujus opus manet*, id eſt, ſi cujus doctrina, quam in Eccleſia vel primus propoſuit, vel etiam ab aliis propoſitam urſit, deprehenſa fuerit vera ac ſolida. Utitur autem vocibus *operis, & manendi & ſuperſtruendi*, ut in ſimilitudine propoſita perſeveret. Quod enim opus in igne permanet, & flammis minime cedit, illud ſolidum, & aureum, argenteum, lapideum eſſe deprehenditur: at quod exuritur, ſtipulam aut lignum fuiſſe apparet.

*Mercedem accipiet*, nempe propriam ac ſingularem: quemadmodum & ſupra dixerat verſ. 9.

*Unuſquiſque ſuam propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem.* Apparet id ex eo, quod ſtatim huic, qui mercedem accipiet, opponat eum, qui damno afficietur; quem tamen non idcirco ſalute mulctatum iri docet. At ſi is, qui egregia ac ſolida in Eccleſia docet, nullam aliam mercedem, præter communem omnibus ſalutem, adepturus eſt; quam præ hoc, qui futilia docuit, mercedem habiturus eſt? quod hic damnum ſubibit? Quocirca indicat his verbis Paulus, eos qui doctorum in Eccleſia munere funguntur, ſi munus ſuum rite obeant, & doctrinas utiles ac ſolidas proponant, præter communem omnibus ſalutem, peculiarem mercedem a Deo & Chriſto reportaturos eſſe. Non ſecus ac illi famuli, qui cæteris præſunt, & totam familiam regunt, & ſic plus laboris curarumque ſuſtinent, auctius præ cæteris ſtipendium accipiunt. Et æquitati divinæ id conſentaneum eſt. Quis enim tam difficile tam periculoſum doctoris munus ſuſtinere vellet, niſi majoribus quibuſdá præmiis ad id invitaretur? æquumque omnino eſt, ut, ſi gravior manet pœna eos, qui hoc munus gerentes Chriſtianæ pietati convenienter non vivunt, quemadmodum teſtatur Jacobus cap. III. 1, majus etiam præmium eos expectat, qui hoc munere rite funguntur. Hinc etiam apud Danielem Dan. XII. 3 legimus, eos qui ad juſtitiam erudierunt plurimos, futuros tanquam ſtellas in firmamento.

Verſ. 15. *Si cujus opus comburetur*, id eſt, vana ac futilis doctrina fuiſſe deprehendetur:

*Damno afficietur*, quatenus ſcilicet omnem illum laborem, quem in docendo exantlavit, nullum præmium ſequetur, ſed omnis iſte labor impenſus in vanum abibit. Verum ne quis putet, eum non tantum nullam pro labore mercedem habiturum, ſed etiam periturum eſſe, propterea addit:

*Ipſe vero ſervabitur: ſic autem, tanquam per ignem.* Non ita ſevere cum eo agetur, ut etiam propterea ſalute privandus ſit, & una cum doctrina ſua igne exuri debeat; dummodo omnis malitia abſit; quæ minime abeſſet, ſi de induſtria vanas & futiles doctrinas proponeret: aut monitus eas agnoſcere, & ab iis abſtinere nollet; ſed ſi quis bona quadam ac pia intentione, per errorem futilia quædam proponat, cæterum pie vivat, ut hominem Chriſtianum aliorumque doctorem decet, hoc illi fraudi non erit, quo minus una cum cæteris fidelibus ſalutem adipiſcatur, & ignis æterni ſupplicium effugiat.

*Sic autem tanquam per ignem.* Aliis verbis, & ad ſimilitudinem de incendio ædificii propoſitam accommodatis, exprimit damnum illud, quod talis doctor ſubibit: quaſi d. idem illi accidet, quod homini qui nudus ex incendio effugit, omni ejus ſupellectile ab igne hauſta. Redigetur in communem Chriſtianorum turbā, ut ſic dicam; nec inter Eccleſię doctores præmia capiet.

Verſ. 16. *Neſcitis, quod templum Dei eſtis?* Occaſione iſtius metaphoræ, ab ædificio ductæ, tranſit ad monendos & terrendos Eccleſiæ corruptores; quod longe pejus eſt, quam frivola quædam & futilia per errorem docere. Fundamentum autem hujus admonitionis & comminationis in his verbis ſternit; quod ſcilicet Eccleſia ſit Dei templum. Hic autem loquendi modus per interrogationem vim habet affirmationis: quaſi d. Scitis omnino, vos Dei templum eſſe &c. Quod antea dixerat ædificium Dei, nunc dicit templum: quia ædificia quæ Deo conſtruuntur, templa ſunt, in quibus Deus tanquam in ſua domo ac palatio habitat.

*Et ſpiritus Dei habitat in vobis.* Oſtendit, qua ratione illi Dei templum ſint, ſeu qua ratione Deus in illis habitet: quia ſcilicet Dei ſpiritus in illis habitet; ſpiritus nimirum ille, quem cælitus ad Chriſti fidem aggregati hauſerant, & per eum variis donis ſpiritualibus affecti fuerant: qua de re & ſupra cap. I. 7 egit, & infra cap. 12 prolixe agit. At ubi divinus ſpiritus habitat, qui eſt quædam veluti particula Dei, illic optimo jure Deus habitare dicendus eſt.

Verſ. 17. *Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet hunc Deus.*

*Deus.* Jam monitionem ac comminationem ſuam adverſus Eccleſiæ corruptores proponit. Corrumpitur autem Eccleſia ab iis, qui vel dogmata perniciosa, vel etiam peccata ac vitioſos mores in eam invehunt, & inprimis qui lites ac diſſidia ſerunt, per quæ divini templi compages luxatur, & ſic totum ædificium corruit; quemadmodum ex adverſo pace & mutua charitate conſervatur.

*Corrumpet hunc Deus.* Sane merito perdet hunc Deus.

*Templum enim Dei ſanctum eſt.* Rationem dicti ſui affert: quia Dei templum eſt ſanctum, id eſt. Deo prorſus ſacrum, invilolabile, quod minime profanari, nedum deſtrui ullo pacto debeat. Sic leges, ſic regum majeſtas dicitur ſacra, quia nulla ratione violanda ſit. *Quod eſtis vos.* Ὅτινες ἐστε ὑμεῖς. Relativum ſequitur numerum ſui conſequentis, ut & alibi.

Verſ. 18. *Nemo ſeipſum decipiat.* Monuit & terruit apoſtolus eos, qui Corinthiorum Eccleſiam corrumpebant, & factiones ac diſſidia inter eos ſerebant: nunc iſtius rei fontem aperit; qui erat, quod quidam ſapientiæ cujuſdam opinione tumerent. Hinc enim fiebat, ut quorundam Chriſti miniſtorum, & inprimis Pauli ſimplicitatem faſtidirent, ut ambitione & factionibus certarent.

Itaque monet Paulus: *Nemo ſeipſum decipiat*, id eſt, opinione ſapientiæ ſibi blandiatur & imponat.

*Si quis videtur ſapiens eſſe in vobis in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut fiat ſapiens.* His verbis oſtendit Paulus, neminem debere ob mundanam ſapientiam animo efferri. *Si quis videtur*, nempe ſibi. Sapientiæ mundanæ, ac proinde animi tumorem maxime perſtringit Paulus.

*In vobis*, id eſt, inter vos.

*In hoc ſeculo*, id eſt, in rebus ad hoc ſeculum ſpectantibus; quale eſt doctum & eruditum eſſe, Philoſophum eſſe, oratorem eſſe, & ſimilia. Hæc enim omnia hujus ſeculi bona ſunt, & ad hujus ſeculi bona comparanda ſpectant.

*Stultus fiat, ut fiat ſapiens*, id eſt, ea animo concipiat ac ſectetur, quæ mundana ſapientia ſtulta judicat: ne ſequatur mundanæ ſapientiæ ductum, nam huic univerſa religio Chriſtiana ſtulta videtur. Sordet illi Chriſtianæ religionis ſimplicitas, ſordet vivendi ratio in ea præſcripta, & inprimis omnium vitæ hujus bonorum, imo vitæ ipſius contemptus. Stultus ergo mundanæ ſapientiæ eſt, qui eruditionem, acumen, orationis pulchritudinem non requirit, qui honorem, qui opes & voluptates contemnit; qui ſeſe nemini præfert; omnibus cedit, nulli invidet. Qui ſic ſtultus eſt eſt, vere ſapit. Quocirca ob mundanam ſapientiam nemo ſeſe jactare debet: cum is demum vere ſit ſapiens, qui quantum ad mundi ſapientiam attinet, deſipit.

Verſ. 19. *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Cauſam reddit, cur dixerit, eum, qui ſeculi hujus ſapientia præditus eſt ſtultum fieri debere, ut ſapiens fiat: quia ſcilicet ſapientia hujus mundi, quæ eadem eſt cum ſapientia hujus ſeculi, ſtultitia ſit apud Deum. Unde ſequitur, neminem eſſe vere ſapientem propter iſtam ſapientiam, ſed potius ſtultum eſſe; ac proinde, ſi ſapiens eſſe velit, contrariam huic ſapientiæ ſtultitiam eſſe amplectendam. Eſt autem hujus mundi ſapientia ſtultitia apud Deum, ac proinde vere ac reipſa, quatenus ſapientum hujus mundi cogitationes ac conſilia omnia ad hujus vitæ bona tendunt, divinæ voluntati adverſantur.

*Scriptum eſt enim.* Probat ſcripturæ teſtimoniis, rem ita ſe habere: quorum primum eſt ex Jobi cap. 5. 13 deſumtum:

*Qui irretit ſapientes in aſtutia ipſorum.* Hinc enim apparet, ſapientiam hujus mundi aſtutiam verius eſſe, quam ſapientiam. Stultitiam autem eſſe ex eo manifeſtum eſt, quod hujus mundi ſapientes Deus capiat & irretiat. Quæ enim eſt iſta ſapientia, quæ non tantum non efficit, ut aliquis retia & capturam effugiat, ſed etiam ut capiatur & irretiatur efficit? Quomodo autem Deus ſapientes hujus mundi irretiat, cap. 1. 19 & ſequentibus explicatum eſt.

Verſ. 20. *Et rurſus.* Alterum ſcripturæ teſtimonium, ex Pſalm. XCIV. 11: *Dominus novit cogitationes ſapientium quod ſint vanæ.* In Hebræo eſt ſimpliciter, *hominum.* Sed res ipſa indicat, non vulgares homines, ſed inprimis eos, qui inter homines ſapientia excellunt, eſſe intelligendos. Itaque merito Græci interpretes ſapientum nomen pro voce hominum repoſuerunt. Jam vero ſi ſapientum cogitationes ſunt vanæ, quis non videt, eorum ſapientiam eſſe vanam, ac proinde ſtultam? Vanas autem eorum eſſe cogitationes vel ex eo apparet, quod euangelium Chriſti repudient, ut cap. 1 docuit apoſtolus. Alibi etiam dicit eos vanos eſſe factos in cogitationibus ſuis, & obtenebratum eſſe inſipiens cor eorum: dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt Rom. 1. 21, 22.

Verſ. 21. *Quare nemo glorietur in hominibus.* Redit ad principale inſtitutem, id eſt, ad avocandos Corinthios a diſſidiis illis ac conrentionibus, hancque ſuam admonitionem ex ſuperioribus infert. Poteſt enim non tantum ad proxime dicta, ſed etiam ad ſuperiora particula ὥστε referri. Ex proxime dictis quidem id ita ſequitur: Si ſapientia hujus mundi eſt ſtultitia apud Deum, nemo debet in hominibus gloriari. Ideo enim homines in hominibus gloriari ſolent, quod eos ſapientia hujus ſeculi præditos videant. In iis, quæ ſtulta mundus ducit, nemo gloriari ſolet.

*Gloriari* autem *in hominibus*, eſt gloriari de hominibus, quod ſcilicet ad eos pertineas, quod eos pro ducibus ac magiſtris habeas, quod eorum ſit laudi, id ſibi ducere, & ſic ſe eo nomine efferre.

*Omnia enim veſtra ſunt.* Nova ratione, quanquam ſuperius verſ. 5 indicata, gloriationem iſtam impugnat. Non debetis in hominibus, ſeu de magiſtris veſtris gloriari, tanquam ſi vos eorum ſitis; cum contrra potius omnia ſint veſtra, & illi ipſi, quibus magiſtris ad Chriſti religionem perveniſtis. Itaque illi potius de vobis, non vero vos de illis, gloriari deberent. *Omnia ſunt veſtra*, id eſt, in omnia vos jus quoddam habetis, omnium veluti domini quidam eſtis, ſic, ut vel veſtris uſibns ſerviant, præſertim ſi bona ſint, vel nocere vobis ſaltem non poſſint, ſi ſint mala.

Verſ. 22. *Sive Paulus, ſive Apollos, ſive Cephas.* Enumeratione rerum quarundam, ad quas reliquæ omnes referri poſſunt, id probat, omnia eſſe fidelium. Primo loco Chriſti miniſtros collocat; quia de iis nominatim agebatur; inter hos autem ſe primum. Solet enim Paulus, cum Chriſti miniſtros deprimit, ſe primo loco collocare, & ſui ſemper tanquam minimi inter ipſos meminiſſe. Obſervavimus id cap. 1. 12. 11. 5. Paulus, Apollos, Cephas ſunt veſtri, quia ut verſ. 6. dixit, miniſtri ſunt per quos credidiſtis, iique tales, qui omnem vim & habilitatem vobis quoad fidem miniſtrandi a Domino acceperint. Itaque & illi ipſi, &

eorum

eorum dona veſtra ſunt. (a) Ex eo autem, quod Cephas aut Petrus dicatur eſſe fidelium, cuivis conſtare poteſt, an is Chriſtianorum Dominus & Chriſti vicarius fuerit, tantumque in Eccleſia principatum ac prærogativam, quanta illi nunc a multis, & propter illum aliis quoque tribuitur, habuerit.

*Sive mundus*, id eſt, tum hujus mundi machina, tum homines omnes in eo degentes. Si vos non eſſetis in mundo, Deus perderet hunc mundum: vos hujus mundi jus vere habetis; cæteri homines illud injuria ſibi uſurpant: homines etiam veſtri ſunt: quia quoties opus eſt, Deus illis in veſtrum commodum utitur; etiam cum injuria vos afficiunt veſtri ſunt; his enim injuriis ſalutem veſtram promovent: ita Deus homines & omnia eorum conſilia gubernat, præſertim ibi, ubi fideles degunt, ut illa in eorum bonum cedant. *Sive vita.* Vos & hujus, & futuræ vitæ jus habetis; reliqui homines ad futuram quidem vitam nullum jus habent; hanc vero nullo jure poſſident, cum ea non ex Dei voluntate utantur. Sic de cibis, quibus hæc vita ſuſtentatur, alibi dicit apoſtolus: Tit. 1. 15: *Omnia ſunt pura puris, impuris autem omnia impura*; oſtendens, hominibus impuris fas non eſſe cibos uti, ſeu cibos utentium impuritate fieri impuros, & ſic ab iis non debere attingi.

*Sive mors.* Mors eſt noſtri juris, quatenus ita eſt in noſtra poteſtate, ut nobis nocere non poſſit: imo etiam ſæpe prodeſt, cum ſcilicet eam Chriſti & juſtitiæ cauſa ſubimus ſi enim cum Chriſto morimur, cum eo etiam vivemus 2 Tim. 2. 11.

*Sive præſentia, ſive futura.* Hoc intelligi poteſt tum de rebus, quæ vel nunc ſunt, vel aliquando exiſtent, tum de iis, quæ vel nunc in orbe geruntur, vel aliquando gerentur, ſive ſint bella, ſive pax, ſive hoc, ſive illo modo mundus regatur, ſive duret, ſive intereat.

*Omnia ſunt veſtra.* Epanalepſis eſt, quaſi dicat, omnia, inquam, ſunt veſtra.

Verſ. 23. *Vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Non ita omnia ſunt veſtra, quaſi vos nullius eſſetis; ſed vos Chriſti eſtis, Chriſtus eſt veſtrum caput, veſter dominus, Chriſtus in vos abſolutam habet poteſtatem, licet talem, quæ tota in veſtrum bonum ac felicitatem dirigatur.

*Chriſtus vero Dei.* Rurſus & Chriſtus aliud adhuc habet caput, nempe Deum, ex quo totus pendet, a quo omne imperium ac dignitatem habet, ac proinde etiam ad eum omnis Chriſti honor ac gloria dirigitur, & in eo tanquam ultimo ſcopo terminatur. Altius imperium hoc non aſcendit. Sic infra cap. XI. 3: *Volo vos ſcire, quod omnis viri caput ſit Chriſtus, caput autem mulieris vir; caput autem Chriſti Deus.* Hinc apparet, Chriſtum nequaquam eſſe ſummum illum Deum, quandoquidem alium adhuc ſupra ſe habet, cujus totus eſt, & a quo dependet, quique caput illius eſt: imo manifeſte a ſummo illo Deo, ſeu Deo πατρόχῳ ſic dicto diſtinguitur. Hinc autem tacite vult colligi apoſtolus, Corinthios & fideles omnes nonniſi in Chriſto, ac proinde & Deo gloriari debere; & ſic non hominum aliquorum, ſed Chriſti ac Dei diſcipulos ſe eſſe profiteri.

(a) *De primatu Petri.*

## CAP IV.

### *ARGUMENTUM.*

*Pergit in argumento propoſito Paulus, & Corinthios a factionibus illis avocat, opinionem nimiam eorum de ſe ac ſui ſimilibus euangelicæ doctrinæ præconibus, quantum poteſt, minuit: deinde ipſorum etiam Corinthiorum faſtum deprimit. Hinc enim diſſidia illa naſcebantur, partim quod nimis multum doctoribus ſuis tribuerent; partim quod ſui ipſorum opinione tumerent. Inde enim fiebat, quod illis ſeſe tanquam dominis & magiſtris ſuis addicerent; hinc vero, quod alii hunc, alii alium vel eligerent vel faſtidirent. Tandem ſub finem capitis illis adventum ſuum pollicetur, illisque, niſi reſipuerint, pœnam minatur.*

Verſ. 1. Pars. I. *Sic nos reputet homo.* Oſtendit Paulus, quid de ſe ſuique ſimilibus ſentire debeant homines. *Homo*, id eſt, aliquis, vel quivis, Hebræorum modo.

*Tanquam miniſtros Chriſti:* In Græco eſt ὑπηρέτας, quod proprie remigem, vel hominem remis addictum notat. Itaque Paulus hac miniſtrorum appellatione ſe minime extollit, ſed potius deprimit, famulum ac mancipium quoddam Chriſti ſe cum cæteris ſuis ſociis eſſe dicens. Nam, ut in ſecunda ad eoſdem Corinthios Epiſtola cap. 4. 5 ait: *Non enim nos ipſos prædicamus, ſed Chriſtum Jeſum Dominum, nos autem ipſos ſervos veſtros propter Jeſum.* Quibus verbis non tantum ipſius Chriſti, ſed etiam fidelium ejus ſervos ſe ſuoſque ſocios eſſe dicit, quatenus nimirum Chriſtus illorum opera in fidelium ſuorum commodum utebatur.

*Tanquam diſpenſatores myſteriorum Dei.* His verbis vocem illam miniſtrorum Chriſti, quæ generalior ſua natura eſt, & omnibus fidelibus applicari poteſt, reſtringit, oſtendens, qualis ipſe cum ſuis collegis miniſter Chriſti ſit, nempe qui diſpenſatoris in Dei & Chriſti domo munere fungatur. Myſteria Dei ſunt arcana illa Dei decreta ac conſilia ad hominum ſalutem ſpectantia, quæ in euangelica doctrina continentur. Hæc diſpenſabant, cum homines in divina veritate inſtruebant, pro uniuſcujuſque captu. Hæc eſt menſura, qua omnium Chriſti ſervorum dignitatem ac præſtantiam metiri debemus. Ultra hanc qui ſe extendit, & dominium aliquod in Dei domum & familiam ſibi arrogat, is fateatur neceſſe eſt, ſe in cenſu miniſtrorum Chriſti minime contineri.

Verſ. 2. *Quod vero reliquum, quæritur in diſpenſatoribus, ut fidelis quis reperiatur.* His verbis docet, nihil præterea in ſe ſuiſque ſociis ſpectandum eſſe, quam fidem, ſeu num fideliter in hoc munere ſe gerant: & hoc unum eſſe, quod ex ſua parte afferre poſſunt; cætera a domino eſſe. Et myſteria quæ diſpenſant domini ſunt propriæ opes & facultates; & omnis eorum in diſpenſando dexteritas a domino proficiſcitur. Itaque tacitam hic & in ſequentibus objectionem occupare videtur apoſtolus. Poſtquam enim ſe cum ſociis Chriſti miniſtros ac diſpenſatores appellans, oſten-

ſtendiſſet, minime convenire, ut tantum ſibi & aliis tribuerent Corinthii, ut iis ſe tanquam dominis quibuſdam addicerent; poterant illi dicere, Quid tum? etiamſi vos ſitis miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, tamen in diſpenſatoribus maxime ſpectatur fides, & hujus reſpectu merito magni facimus eum, quem fide cæteris præcellere videmus. Reſpondet Paulus, hujus rei judicium illis minime competere; dominum eſſe, qui ea de re ſit judicaturus.

*Quod vero reliquum*, nempe eorum, quæ in nobis ſpectari ac æſtimari poſſunt.

*Quæritur in diſpenſatoribus, ut fidelis aliquis inveniatur.* Fides in diſpenſatoribus requiritur, ne dominorum facultates concreditas alio, quam par eſt, & præter domini mentem ac voluntatem convertant. Fides autem eorum, qui myſteria Dei diſpenſant, requirit, ut diligentes & gnavi ſint in docendo, & in corpore ſpirituali hoc penſum diſtribuant, nec quicquam reticeant eorum, quæ ſcire alicui intereſt, neve fraude aliqua in iis quæ diſpenſant utantur, aut domini myſteria adulterent. Aliquis, id eſt, quivis, quicunque œconomi officio fungitur.

Verſ. 3. *Mihi vero in minimum eſt, ut a vobis dijudicer.* Hic jam docet, nequicquam illis, aut ullis aliis hominibus competere, ut de ejus fide ſententiam ferant, & eam ſuo calculo comprobent. *In minimum eſt*, pro re minima id duco. Maluit mitius loqui, quam ſimpliciter dicere, pro nihilo mihi eſt: licet ſenſus ſit idem.

*Dijudicer.* Generale dijudicandi nomen hoc loco pro tali dijudicatione ſumitur, quæ ſit in rem ejus qui dijudicatur, ſeu quam abſolutio, indemnitas & approbatio conſequatur. Nam facilius de eo homines pronunciare poſſunt, num aliquis in ſuo munere fidelis non ſit, quam num vere & ex omni parte fidelis ſit. Illud ſæpe ab hominibus cognoſci poteſt; hoc non poteſt.

*Aut ab humano die.* Addit hoc Paulus, ne videatur ſolos Corinthios eorumque judicium hac in parte ſpernere. Per diem autem judicium intelligit; quia judicio certa dies dicari ſolet. Videtur enim alludere ad diem illum domini, in quo judicium illud ultimum exercebitur, & humanum diem ſeu judicium ei diei ac judicio opponere.

*Sed neque meipſum dijudico.* Ulterius pergit apoſtolus & oſtendit, ne ſibi quidem, qui ſe exactius noverat, id competere, ut ſe ipſum poſſit abſolvere. Non hoc dicit apoſtolus, ac ſi ille in ſuas actiones non inquireret, & in ſua conſcientia ſe vel abſolveret, vel damnaret; ſed quod plane definitivam ac decretoriam ſententiam, cui omnino ſtandum ſit, de ſe non ferret, domino illius rei arbitrium relicturus.

Verſ. 4. *Nullius enim mihi ſum conſcius.* Rationem proxime dicti reddit, per prolepſim. Dicere enim aliquis potuiſſet, Quid ergo? num tibi alicujus rei es conſcius, ob quam fiat, ut teipſum abſolvere non audeas? Non ſum, reſpondet Paulus; & ſi meo judicio hac in parte ſtandum eſſet, abſolverem meipſum.

*Sed non in hoc ſum juſtificatus:* non propterea, quod ego meipſum abſolvam, vere juſtificatus & abſolutus ſum. Non mea ſententia hic ſtabitur: fieri enim poteſt, ut licet ego nihil videam, in quo delinquam, dominus tamen videat, ac propterea me jure damnare poſſit. Cum dicit Paulus

*Nullius mihi ſum conſcius*, nihil neceſſe eſt, ut hæc verba reſtringamus ad ea, quæ muneris ejus plane erant propria. Indicat enim Paulus, ſi ſuo judicio ſtandum eſſet, fuiſſe ſe abſolutum. At hoc ſimpliciter affirmare non potuiſſet, ſi alioquin delicti alicujus ſibi conſcius fuiſſet: præſertim cum in iſtis œconomis myſteriorum Dei ſimul etiam quam maxima vitæ ſanctitas requiratur. Porro cum negat ſe ideo juſtificatum eſſe, juſtificationem intelligit, quæ ex jure ſtricte ſumto ſeu merito proficiſcatur, nempe ex vera & exacta innocentia. Nam alioquin Johannes docet 1 Johan. III. 21, 22, eos quos cor ipſorum non damnat, fiduciam habere erga Deum, & omnia quæ rogant ab ipſo accipere; quibus in rebus etiam juſtificatio continetur. Sed Paulus loquitur de eo, quid jure & ex merito fiat: Johannes autem gratiam novi fœderis includit ac præſupponit. Hac enim præſuppoſita, qui puram habet conſcientiam, dummodo divinæ voluntatis notitia ſufficienter ſit inſtructus, quales vel inprimis fuerant apoſtoli; certus eſſe poteſt, ſe a Deo juſtificatum iri.

*Qui vero me dijudicat dominus eſt.* Hic jam oſtendit, cui vere competat ſententiam decretoriam, cui plane ſtandum ſit, de ſe ferre; nempe domino, Chriſto videlicet, hic enim eſt a Deo conſtitutus judex vivorum & mortuorum.

Verſ. 5. *Quocirca ne ante tempus quid judicate.* Ex ſuperioribus infert admonitionem, ne ſibi judicandi de ſervis Chriſti poteſtatem tanquam magiſtri quidam uſurpent.

*Ante tempus*, illud nimirum, quo dominus judicaturus eſt. Indicat, poſt id tempus, ſeu judicio illo præterito, demum libere poſſe de unoquoque, qualis fuerit, judicari.

*Quid* vel *quicquam*, nempe ejuſmodi, quod notitiæ veſtræ minime ſubjectum eſt. Nam alioquin de rebus apertis judicare poſſumus; præſertim in iis, quæ in Dei verbo expreſſe tradita ſunt: & ex eo qui de facto iſto pronunciat, non is judicat, ſed Deus.

*Donec venerit dominus.* Tempus illud definit, ante quod nemo judicandi poteſtatem ſibi uſurpare debeat. Hoc autem eſt tempus adventui domini Jeſu Chriſti deſtinatum.

*Qui & illuminabit occulta tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Cauſa in his verbis eſt, cur nemo ante domini adventum judicandi poteſtatem ſibi ſumere audeat: quia nimirum occulta tenebrarum ac conſilia cordium ante eum diem nemini patere poſſunt. Ex his autem potiſſimum de unoquoque ſententia ferenda eſt. Particula & poſt pronomen *qui* poſita indicat, ſubaudiendam eſſe propoſitionem aliam, nempe: qui non ſolum ea, quæ ſunt aperta, & hominum oculis conſpicua proſtucet, ſed etiam illuminabit profundis demerſa tenebris, & in apricum proferet.

*Occulta tenebrarum*, id eſt, in tenebris poſita, & propterea occulta. Eleganter autem tenebris illuminandi verbum opponit. Per occulta autem iſta & in tenebris demerſa intelliguntur omnia cum facta, tum conſilia, ad quæ hominum oculi pertingere non poſſunt.

*Et manifeſtabit conſilia cordium.* Conſilia cordium ſunt una ſpecies eorum, quæ occulta tenebrarum vocavit. Conſilia autem cordium ſunt animi decreta ac propoſita ea, quæ quiſpiam ſpectet, & ad quæ collimet; licet fieri non raro poſſit, ut ea in actum

non perducat, aut ipſe impleat. Tacite oſtendit apoſtolus, valde imprudenter agere Corinthios, quod quoſdam attollerent, & ſententia ſua abſolverent ac laudarent; cum tamen eorum occulta facta & conſilia cordis minime diſcernerent.

*Et tunc laus erit unicuique a Deo.* Eventum hujus judicii exprimit; & tunc demum, inquit, laudem unuſquiſque conſequetur. Laudem intelligit veram ac ſolidam. Laus autem hæc non in verbis, ſed in rebus & præmio conſiſtit. *Unicuique.* Id eſt, qualem unuſquiſque fuerit promeritus; quiſque pro meritis laudabitur.

*A Deo.* Deum opponit hominibus, qui ſæpe immeritos laudant. Deo autem hanc laudis diſtributionem adſcribit, quia Deus per Chriſtum judicabit omnes, & præmia unicuique diſtribuet.

Pars II. Verſ. 6. *Hæc autem fratres*, &c. Incipit altera pars capitis, in qua Corinthios tum monet, ut ſuo exemplo edocti, non nimium doctoribus tribuant; tum reprehendit, quod & ipſi vana ſui opinione tumerent, unde tanquam ex fonte hæc inter ipſos diſſidia manabant.

*Hæc*, nempe quæ de doctoribus & præconibus euangelii hactenus dixi; dum oſtendi, quo loco habendi ſint, & cui de eorum dignitate ac præſtantia judicandi poteſtas competat.

*Per figuram in meipſum & Apollo tranſtuli*: id eſt, in mea & Apollo perſona propoſui, me & Apollo induxi. Nam de ſe & Apollo maxime fuerat locutus: Petri tantum ſemel in hac materia meminit; ne videretur non tam modeſtia in æſtimandis Chriſti miniſtris duci, quam erga tantum apoſtolum laborare invidia. De Apollo alia res erat; quem Paulo ita conjunctum fuiſſe apparet, ut is non facile invidiæ alicujus erga Apollo ſuſpicione perſtringi poſſet. Utitur Paulus verbo μετασχηματίσαι, ut oſtendat, ſe modo ac figura quadam loquendi uſum eſſe, cum ſe & Apollo induxit: nempe quia non id tantum, quid de ſe & Apollo ſentire debeant, docere voluit; ſed quiddam amplius, quid videlicet de omnibus aliis doctoribus ſentiendum ſit. Itaque ſe quidem & Apollo nominat, ſed præter ſe & Apollo alios etiam intelligit: quod qui facit, certa quadam dicendi forma ac figura utitur. Prudenter autem & modeſte a Paulo factum eſt, quod aliorum doctorum nomina non produxerit, quibus procul dubio Corinthii plurimum tribuebant, ad quos etiam Paulus ſuperiori cap. verſ. 18, 21, digitum intendit, & infra hoc ipſo cap. verſ. 18, 19 eos deſignat, & quorum in poſteriore epiſtola crebram mentionem facit, ac ut ſuam contra ipſos autoritatem tueretur, multa de ſe dicere neceſſe habuit. Horum ergo nominibus pepercit Paulus, ac maluit ſui ipſius & Apollo depreſſione iſtorum quoque de ſe, & aliorum de illis opinionem minuere. Nam ſi de tantis viris, quantus erat Paulus & Apollo, humiliter ſentiendum erat; quanto magis de iis, qui ipſis minime pares eſſent? Adde, quod Paulus de verorum Chriſti miniſtrorum præſtantia ac dignitate loquens, multa illis tribuit, quæ forte doctoribus iſtis haud tribui conveniret.

*Propter vos*, id eſt, veſtra cauſa: quod ſtatim explicat, cum ſubjicit:

*Ut in nobis diſcatis non ſupra id quod ſcriptum eſt, ſapere.* Id eſt, ut in mea & Apollos perſona diſcatis, quantum doctoribus tribuere debeatis, ne ſcilicet quidquam ultra id, quod a me modo de meipſo & Apollo dictum vel ſcriptum eſt, de illis opinemini.

*Ut non unus pro uno inflemini contra alterum*: ut hac ratione diſſidiis iſtis, quæ ſunt inter vos, obvietur. *Ut non unus*, id eſt, ne quiſquam: *pro uno*, id eſt, pro aliquo ex doctoribus, *inflemini*, (a) pluralis numerus pro ſingulari. Sic 1 Tim. 5. 11. 1 Petr. 4. 10. *Inflari* autem hic eſt cum faſtu quodam ac ſuperbia pugnare pro magiſtri gloria. Nam qui pro magiſtrorum ſuorum gloria magna animi contentione depugnant, faſtu turgent; & pro ſua gloria ſimul certant, quod ſcilicet tanti magiſtri diſcipuli, tanti ducis ſectatores ſint. *Contra alterum*, nempe vel doctorem, vel diſcipulum. Vel etiam ne vos alii aliis contra alios aggregetis, & ſic factionibus, ac veluti ſub diverſis ſignis de magiſtrorum ac diſcipulorum præſtantia digladiemini.

Verſ. 7. *Quis enim te diſcernit?* Rationem ſubjungit, cur nemo aliis ſeſe præferre, alioſque præ ſe deſpicere debeat. Quis enim eſt, inquit, qui te ex aliorum cenſu eximit, quaſi ſis quicquam cæteris ſive doctoribus, ſive diſcipulis præſtantius? Subintellige, nemo is eſt, niſi forte tu ipſe, aut alius quiſpiam homo minime idoneus hujus rei arbiter.

*Quid vero habes quod non accepiſti?* Addit hoc, ne forte propter donorum præſtantiam animos ſibi quiſpiam ſumat, & cæteros ſibi hac in parte haud pares faſtidiat.

*Si vero & accepiſti, quid gloriaris ac ſi non acceperis?* quaſi dicat. Ille demum gloriari poſſet, qui alienæ liberalitati ac munificentiæ hæc dona non deberet. Conjunctio *&*, verbo *accepiſti* præfixa, eam vim habet ut veritatem prioris dicti ſubſumat: quaſi. d. ſi vero accepiſti, ut ſane accepiſti ea.

Verſ. 8. *Iam ſaturati eſtis.* Faſtum Corinthiorum gravius in his & ſequentibus tangit apoſtolus. Miratur autem in his verbis, per Ironiam quandam, quod Corinthii tam cito, & ſine ſe, ad neſcio quam dignitatem, regnum ac felicitatem pervenerint. Nam, qui alios deſpiciunt ac faſtidiunt, neceſſe eſt ut in ſumma quadam felicitate verſentur. Si enim miſer & afflictus eorum ſit ſtatus, ita ut omnibus ipſi ſint deſpectui, quis locus poteſt eſſe ſuperbiæ?

Porro omnibus iſtis verbis, *ſatiati*, *ditati*, *regnum adepti eſtis*, idem deſignat apoſtolus: q. d. tam cito (ea enim eſt vis particulæ γὰρ) eo felicitatis perveniſtis, ut vobis alios contemnere ac faſtidire vacet, & certare de gloria?

*Sine nobis regnum adepti eſtis.* Atqui oportebat nos quoque iſtius regni habere ſocios: mirum eſt ſane, vos potuiſſe ſine nobis regnum hoc capeſſere.

Ἐβασιλεύσατε, *regnaſtis* proprie: verum hoc loco non de re jam plane præterita, ſed quæ adhuc duret, accipi debet, ideoque eam vim habere, ut ſignificet, regnum adepti eſtis, vel regnare cœpiſtis, & etiamnum regnatis: quemadmodum credidiſſe quiſpiam dicitur qui etiamnum credit Rom. 13. 11.

*Atque utinam regnaretis!* Inſeruit hoc apoſtolus, ut oſtendat, ſe illis minime invidere, ut in ſtatu quam maxime felici verſentur, modo id vere fieret; imo illud unice cupere. Hoc enim ſi fieret, ſe quoque ab hoc ſtatu excluſum iri affirmat. Regnare enim Chriſtiani ſine apoſtolis non poſſunt.

Verſ. 9. *Arbitror enim, quod Deus.* Cauſam ſubjungit proximi dicti per occupationem quandam. Poterat enim aliquis dicere, Quid tu Paule optas ut regnes, nonne jam ſatis regnas & beatus es? Reſpondet Paulus, ſe

(a) *Pluralis pro ſingulari.*

minime

minime regnare, ſed in miſera prorſus ſorte verſari.

*Arbitor enim*, inquit, *quod Deus nos apoſtolos ultimos deſignavit, tanquam morti addictos:* quibus verbis miſeram ſuam ſortem exprimit. *Dicit*, *arbitror*, quia ex effectis id quod Deus decreviſſet, colligebat.

*Nos apoſtolos ultimos*: me, utſit nomen plurale pro ſingulari; vel etiam me & Barnabam: nam hic fuit Paulo veluti collega a ſpiritu ſancto additus Act. XIII. 2, 3, 4.

*Ultimos.* Vel hoc addit, ut ſeſe a cæteris apoſtolis diſtinguat, quippe qui ultimo loco, & poſt reliquos omnes ad munus apoſtolicum fuerit vocatus; & ut oſtendat, hanc adeo miſeram, quam deſcribit, ſortem non fuiſſe aliis apoſtolis communem: vel vocem *ultimorum* addit per mimeſin quandam, ac ſi dicat, Nos apoſtolos, qui ultimi per contemtum à quibuſdam vocari ſolemus.

*Deſignavit*, ἀπέδειξεν, id eſt, decreto ac voluntate ſua ei rei addixit, ut eſſemus damnatis hominibus ſimiles. Simili ratione Lucas uſus eſt verbo ἀπέδειξεν cap. 10. 1.

*Tanquam morti addictos.* Id eſt, ut eſſemus tanquam homines morti addicti, ſeu damnati ad ſupplicium. Quod cur dicat, ſtatim docet:

*Quia ſpectaculum facti ſumus mundo.* quaſi dicat, Idcirco affirmo, nos eſſe damnatis hominibus ſimiles, quia quemadmodum illi ſpectaculum ſolent eſſe hominibus, cum vel ad ſupplicium rapiuntur, vel in theatris beſtiis objiciuntur, ita & nos ſpectaculo ſumus, idque non uni alicui hominum parti, aut uni urbi; ſed toti mundo. Spectaculo autem mundo erant, quia ubique continuis, iiſque variis malis ac perſecutionibus vexarentur.

*Et angelis, & hominibus.* Oſtendit, quas perſonas mundi voce deſignet, nempe non homines tantum; ſed etiam angelos, ſive bonos qui in hoc mundo habitant, ſive malos. Omnibus iſtis ſpectaculo erat Paulus, omnium iſtorum oculis erant expoſitæ ejus calamitates, quas euangelii cauſa ſuſtinebat.

Verſ. 10. *Nos ſtulti propter Chriſtum; vos autem prudentes in Chriſto.* Subjicit hoc, partim ut miſeram ſuam conditionem explicet; partim quia per antitheſin ſe Corinthiis confert, eorumque conditionem ſuæ ſorti penitus contrariam eſſe docet, & ad id unde cœperat, nempe eos ſine ſe regnum adiiſſe, efficit, eoque revertitur: quaſi. d. Dixi, vos ſine nobis regnum adiiſſe: quia ſi quis noſtram ſortem cum veſtra componet, videbit nos in contrario plane ſtatu verſari.

*Nos ſtulti propter Chriſtum* &c. *Stultos* ſe dicit, tum quia hominum opinione ſtulti erant, ſeu pro ſtultis habebantur, quippe qui & doctrinam proponerent, & vitæ rationem ſectarentur, quæ ſtulta hominibus videbatur; tum quia revera, ſi carnalem & mundanam ſapientiam ſpectes, ſtulti erant apoſtoli. *Propter Chriſtum*, cujus doctrinam prædicamus, & ſecundum eam vitam noſtram omnem inſtituimus.

*Vos prudentes in Chriſto*; vos vero e contrario pro hominibus prudentibus ac ſapientibus habemini, & revera etiam, ſi quis carnalem ſapientiam attendat eſtis, idque *in Chriſto.* Id eſt, ipſius Chriſtianiſmi habita ratione. Tam ægre potuiſtis Chriſti religionem cum humana prudentia conciliare.

*Nos infirmi; vos autem validi. Infirmi*, id eſt, afflicti, vexati, omnium odiis expoſiti. *Validi*, id eſt, nullis obnoxii injuriis & afflictionibus propter Chriſtum, adeo ut nemo vos facile aggredi audeat.

*Vos glorioſi, nos ignominioſi.* Vos non tantum non vexamini injuriis, ſed etiam omnium ore celebramini, nos vero pro infamibus, & omni honore indignis habemur. *Ad hanc uſque horam.* Oſtendit malorum, quibus vexetur, perpetuam continuationem. Ἀστατοῦμεν. Id eſt, incertis vagamur ſedibus, nullum habemus locum ubi conſiſtamus; undique pellimur, undique exigimur.

Verſ. 12. *Si qui nos perſequantur*, διωκόμεθα. Intelligitur omnis vexatio, quæ non intra verba ſtat, ſed in rerum malarum illatione conſiſtit, ut ſunt verbera, plagæ, vincula, exilia, bonorum direptiones, cædes, & id genus alia.

*Suſtinemus*, ἀνεχόμεθα, id eſt, patienter, & ſine omni vindictæ cupiditate toleramus.

Verſ. 13. *Blaſphemia affecti precamur.* Blaſphemia affici multo quippiam gravius eſt, quam conviciis proſcindi; quod præcedenti commate commemoravit. Videntur autem per blaſphemiam hoc loco intelligendæ eſſe graves calumniæ, quæ ubique apoſtolis ad aggravandam eorum cauſam imponi ſolebant, ut quod eſſent peſtes, turbatores publicæ tranquillitatis, rebelles, ſeditioſi, homines impuri ac ſceleſti: quæ longe ſunt graviora, quam conviciis quibuſdam aut maledictis impeti.

*Precamur* παρακαλοῦμεν, id eſt deprecamur calumnias, & blanda excuſatione eas amolimur quantum poſſumus; non regerimus calumnias, non ringimur, non acribus & acerbis verbis adverſarios ulciſcimur.

*Tanquam purgamenta mundi facti ſumus.* Id eſt pro hominibus viliſſimis, abjectiſſimis, imo impuriſſimis habemur; ſumta ſimilitudine ab excrementis ſeu ſordibus undique everrendo collectis.

*Omnium ramentum uſque nunc.* Περίψημα, ἀπὸ τοῦ περιψᾶν, quod detergere ſignificat. Itaque περίψημα videtur peniculum deſignare, quo ſordes detergi ſoleant: ſic, ut duplici, eaque vicina metaphora uſus fuiſſe videatur, una ab ipſis ſordibus ducta, altera a peniculo, quo ſordes detergi ſolent: quorum utrumque quam ſit abjectum & contemptum quivis videt.

Verſ. 14. *Non pudefaciens vos hæc ſcribo.* Occupatio quædam eſt, quia enim ſe cum Corinthiis compoſuit, & quam in diverſo, imo plane contrario ſtatu ipſe & Corinthii verſentur, docuit; videri poterat Corinthios verbis exagitare voluiſſe. Id nunc amolitur a ſe Paulus, & ait, ſe hoc non ſcribere, ut eos pudefaciat. *Pudefaciendi* vox quidpiam gravius hoc loco ſignificare videtur. Nam procul dubio id Paulus quæſivit, ut eos aliqua ratione actionum ſuarum ſubpuderet, cum ſe tam diſſimiles apoſtolis viderent.

*Sed ut filios meos dilectos admoneo.* Sed, inquit, paterna quadam objurgatione utor erga vos, quos pro filiis meis dilectis habeo. More autem patrum eos increpat:

*Admoneo*, nempe ut ſpiritus & ambitionem deponatis, atque a factionibus ac diſſidiis, quæ inde nata ſunt, abſtineatis, & eam vitæ rationem in Chriſto amplectamini, quæ efficiat, ut non ſit diſſimilis noſtra & veſtra conditio.

Verſ. 15. *Etſi enim decem millia pædagogorum haberetis in Chriſto.* Occurrit objectioni. Poterat enim aliquis Corinthiorum cogitare: quid tu tibi id ſoli arrogas, quod ſis noſter pater? nonne alios etiam, & quidem non paucos præter te in Chriſtiana religione duces habemus, quos pro patribus quibuſdam ſpiritualibus agnoſcamus? Reſpondet Paulus: Pædagogos in Chriſto multos habere poteſtis; at non niſi unum patrem, nempe me. Itaque Corinthiorum duces

cum pædagogis confert ; se cum patre : quo ipso tum Corinthiorum ipsorum, tum magistrorum fastum deprimere voluisse videtur.

*In Christo Iesu.* Id est, ratione Christianæ religionis, seu, quatenus Christiani estis.

*In Christo Iesu enim per euangelium ego vos genui.* Causam affert, cur se patrem Corinthiorum vocaverit; nempe quia ipsos genuerat in Christo Jesu, id est ipsos primo ad Christianam religionem adduxerat.

*Per euangelium*, id est, euangelii prædicationem. Porro cum Paulus se Corinthiorum *patrem* hoc loco nominat, nihil Christi præcepto contrarium facit, quo discipulis suis prohibuit, ne patris nomine quenquam vocarent, aut se vocari paterentur Matth. 23. 8, 9, 10. Non enim id vetuit Christus, ne quisquam ullo pacto patris, quemadmodum & magistri appellationem usurpet ; sed ne hunc sibi velut ordinarium titulum imponat, vel ab aliis imponi ac tribui patiatur, quemadmodum hodie fieri videmus.

Vers. 16. *Precor igitur vos, imitatores mei estote.* Monitionem hanc attexit præcedentibus verbis, & eam ex illis infert. Si ego vester sum pater, & vos filii mei dilecti estis, igitur vos precor, ut mei imitatores sitis. Convenit enim ut filii patrem imitentur.

Vers. 17. *Propterea misi vobis Timotheum.* Ne diceret, quomodo imitari te possumus, cum te præsertim non conspiciamus, nec vitæ rationem ob oculos habeamus positam, & jam etiam pene obliti simus, qualem te apud nos gesseris? *Propterea*, id est, ut me imitari possitis, *misi vobis Timotheum.* Inserit autem commendationem Timothei, ut ei autoritatem conciliet, eumque velut fidei literis, quas vocant, eis sistat.

*Qui est filius meus dilectus, & fidelis in domino.* Verba *in domino* videntur ad nomen filii referenda esse. Suum autem filium in domino, id est, in Christo vocat eo pacto, quo paulo ante Corinthios, quia scilicet eum ratione Christianæ religionis genuerat.

Vocat eum *dilectum filium*, propter singularem amorem, quo eum prosequebatur : quo nomine etiam ipsius singulares virtutes & dotes tacite tangit. Non enim sine causa tam charus Paulo esse potuit. Vocat πιστὸν *fidelem*, cui nimirum in omnibus fides adhibenda esset.

*Qui vobis in memoriam revocabit vias meas in Christo.* His verbis exprimit, quo fine Timotheum illis miserit, nempe ut illis in mentem revocet Pauli vias in Christo. Per *vias* intelligit mores & actiones, & totam vitæ suæ rationem (hanc enim Corinthios imitari volebat) suam puta modestiam & animi humilitatem, mundanæ gloriæ contemptum, fidem, patientiam, charitatem.

*In Christo.* Ostendit se agere de vitæ suæ & actionum ratione, quatenus illæ ad Christum, seu Christianam religionem referantur. Sequentia etiam docere videntur viarum suarum in Christi nomine Paulum quoque includere doctrinam suam : nam & hæc ad vitæ ipsius rationem pertinet, & a Corinthiis, etsi non docendo, tamen agendo imitanda exprimendaque erat.

*Quemadmodum ubique in omni ecclesia doceo.* Ille vobis in memoriam revocabit actiones pariter & doctrinam meam, qualem ubivis loco rum, seu in quavis ecclesia propono. Nisi quis verbum διδάσκω non tam de ipsa doctione, quam de modo ac ratione, quam quis in docendo observet, accipi malit : q. d. Paulus, docebit vos Timotheus, quomodo ego me ubique in quavis ecclesia in docendo, geram id est, non solum quid doceam, sed etiam qualem me in moribus & vitæ meæ actionibus exhibeam.

Pars III. Vers. 18. *Cæterum perinde quasi ego non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam.* Occasione ejus quod dixerat, se Timotheum ad eos mittere, cum ipse non veniat, attexit hoc, quo & adventum suum Corinthiis pollicetur, ne ejus spem omnem abjiciant, misso præsertim Timotheo ; & eos perstringit ac terret, qui animos sibi ex Pauli absentia, quam perpetuam fore suspicabantur, sumserant.

*Inflati sunt quidam*, id est sui quadam opinione quidam tument, multum sibi arrogant, & inter vos eminere ac glorioſi esse volunt, alioſque præ se contemnunt, imo mihi ipsi insultant, facile autumantes absenti illudere.

Vers. 19. *Veniam vero celeriter ad vos.* Falluntur opinione sua, qui putant, me non venturum ad vos. Nam & veniam, & celeriter veniam. Loquitur de veniendi consilio ac proposito, quod tum in ipso erat ; quod tamen postea gravibus ex causis mutavit. Prudentium enim est ex causarum mutatione sua quoque mutare & temperare consilia. Verum quia in nostra potestate non est consiliorum nostrorum eventus, sed a Dei voluntate ac permissione pendet, idcirco addit :

*Si dominus*, nempe Jesus Christus, *voluerit*, id est, si is consilio meo annuerit, si id non impediverit.

*Et cognoscam non sermonem inflatorum istorum, sed virtutem.* Id est, videbo, experiar quales sint, non in sermone & eloquentia, quam illis largior, sed quales sint in virtute ac robore spiritus sancti, quanta sit in iis fides, quantus ardor, quanta rerum divinarum scientia, quæ signa edant vel miracula : videbo non quanti sint in dictis, sed quanti in factis.

Vers. 20. *Non enim in sermone regnum Dei.* Rationem proximi dicti subjungit, cur nimirum virtutis istorum hominum, non vero eloquentiæ experimenta capere velit :

*Quia regnum Dei*, id est, status ille beatus Christianorum hominum, ad summam Dei gloriam pertinens, seu effectus divini regiminis ac gubernationis in ecclesia.

Non consistit in *sermone*, id est, in eloquentia ac facundia, ut quis ornate & copiose unaquaque de re disserere possit :

Sed consistit *in virtute*, id est, efficacia spiritus sancti, id est, ut eximia & ingentia facta possis patrare.

Vers. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, aut in charitate spirituque mansuetudinis?* Postquam illis adventum suum prædixisset, nunc illis etiam severitate quadam minatur ; ita tamen, ut in eorum potestate & arbitrio situm esse ostendat, an severitate aliqua, an vero lenitate ac mansuetudine in eos utendum sit.

*Quid vultis?* Eligite, utrum velitis, an ut me vobis, cum venero, severum ac rigidum exhibeam, an vero potius suavem & benignum. Nam si in istis vitiis, quæ nunc in vobis reprehendo, perstiteritis, rigidum me deprehendetis, si vero vos correxeritis, mansuetum ac benignum.

In *virga*, id est cum virga, virgam mecum afferens, qua vos cædam, ut parentes liberos suos immorigeros solent. Videtur autem alludere ad id, quod vers. 14 & 15 dixerat, dum illos filios suos dilectos, se vero patrem illorum nominat. Per *virgam* autem intelligitur animus puniendi, ipsaque pœna. Hæc vero pœna non

tan-

non tantum in excommunicatione & acri reprehenſione ac objurgatione conſiſtit ; ſed etiam in mali alicujus corporalis inflictione : cujus ſpecimen ſequenti capite in illo inceſto videbimus. Sic & ſequenti Epiſt. cap. 10, verſ. 6 & 8 ſcribit, ſe in expedito habere ulciſci omnem inobedientiam, ſeque non pudefactum iri, ſi abundantius quidpiam glorietur de poteſtate ſua, quam ſibi dominus dediſſet ad ædificandam, non ad deſtruendam eccleſiam. Et cap. 13 ejuſdem epiſtolæ, talem poteſtatem ſuam commemorat, eaque ſe uſurum in Corinthios, niſi mature reſipiſcant, minatur, ex qua appareret, ipſum nequaquam eſſe reprobum, aut divina virtute deſtitutum, ſed potentem admodum ac robuſtum. Quæ quidem nulla alia fuiſſe videtur, quam quod potuerit non ſolum ſpiritualibus, ſed etiam corporariis pœnis eos afficere. Subaudienda autem eſt in verbis iſtis particula *ut*, ἵνα.

*In charitate.* Charitatem opponit virgæ, non quod virga ſeu punitio charitatem excludat, præſertim in apoſtolo; ſed quod punitio, quæ acerbitatem ac dolorem continet, non videatur eſſe germanus ac genuinus charitatis effectus. Ideo Paulus, quid charitatis nomine deſignet veluti explicans, ſubjungit :

*Spiritumque lenitatis & manſuetudinis.* Manſuetudo enim ſeveritati opponitur ac pœnæ. *Spiritus* autem *lenitatis* dupliciter intelligi poteſt : vel ut ſignificet cor ſeu animum lenem ac manſuetum ; vel ut ſignificet lenitatis ac manſuetudinis quoddam veluti effectum : quo pacto ſpiritus vertiginis, ſpiritus ſoporis, ſpiritus ſervitutis dicitur. Ille enim animi affectus & impulſus, qui in res aliquas fertur, ſpiritus rerum iſtarum appellatur.

## CAP V.

### *ARGUMENTUM.*

*Progreditur in hoc capite Paulus ad alterum reprehenſionis caput : & primo Corinthios reprehendit, quod inceſtum quendam hominem in Eccleſia tolerarint : deinde, quid cum eo fieri velit, oſtendit : tertio de excommunicatione in genere agit, & de reprehenſione quoddam dictum ſuum in alia quadam ad ipſos epiſtola extante declarat : tandemque caput hoc præcepto, ut inceſtus ille excommunicetur, concludit.*

Verſ. 1. Pars I. *Omnino auditur in vobis ſcortatio.* Virgam minatus fuit Corinthiis Paulus. Quocirca ne videretur non ſatis juſtas & graves iſtius ſeveritatis habere cauſas, ſubjicit id, quod non tantum Corinthiorum faſtum, quem hactenus reprehendit, deprimere queat ; ſed etiam, quam merito illis apoſtolus interminetur virgam, oſtendit.

*Omnino.* Duplicem vim hæc particula iſto loco videtur habere poſſe : vel eam, quaſi dicere velit apoſtolus : ne multis utar ambagibus, & quod res eſt exprimam ; vel ut ſignificet conſtantem & minime dubiam famam ac rumorem.

*In vobis.* Id eſt, eſſe in vobis, vel inter vos.

*Scortatio.* Scortationis nomen hic, ut & alibi nonnunquam, latius extenditur, & omnem illicitum concubitum deſignat, ſive ſit ſcortatio proprie dicta, ſive adulterium, ſive inceſtus, ut hoc loco.

*Et talis ſcortatio, quæ neque in gentibus nominatur.* Exaggerat hoc peccatum Paulus : ne quis putet, eum ſimplicem quandam ſcortationem intelligere. Talis, inquit, ſcortatio, qualis neque inter gentes, ſcortationi alioqui maxime deditas, auditur. Grave crimen eſt, ſi inter Chriſtianos ſcortatio eſſe audiatur ; quanto gravius, ſi talis ſcortatio, qualis ne quidem inter gentes profanas memoretur.

*Adeo ut uxorem quidam patris habeat.* Exprimit hanc adeo fœdam ſcortationem, quod ſcilicet quidam inter eos auſus fuerit uxorem patris ſui, id eſt, novercam ſuam, in uxorum ducere. Id enim vox *habendi*, qua Paulus utitur, deſignare videtur : & præterea credibile non eſt, Corinthios laturos fuiſſe, ut quiſpiam cum ſcorto viveret, præſertim cum noverca ; ſed quia hæc illicita conſuetudo matrimonii nomine palliata fuit, idcirco Corinthii poterant ad hoc facinus connivere, præſertim ſi qui eſſent, qui illi patrocinarentur, ejuſque fœditatem ac turpitudinem elevarent.

Verſ. 2. *Et vos inflati eſtis.* Satis videtur reprehendiſſe Corinthios, quod in eorum cœtu tam turpis ſcortationis exemplum extaret : (unius enim ſcelus toti eccleſiæ opprobrio eſt ;) verum ne hic ſuam innocentiam poſſent prætexere, eorum quoque culpam exagitat.

*Et vos inflati eſtis*, id eſt, dum talia fiunt, talia in eccleſia veſtra patrantur, vos tanquam re optime geſta, tanquam homines undiquaque perfecti ac beati, *inflati eſtis*, id eſt, magnos animos ac ſpiritus geritis, alios præ vobis deſpicitis, de honore ac gloria factionibus inter vos digladiamini ; nec videtis, quanto opprobrio univerſus cœtus veſter laboret. Simili ratione Chriſtus Laodicenſium angelo vaniſſimam ſui opinionem exprobravit Apoc. III. 17 : *Dicis te divitem eſſe, nullius rei indigum, & neſcis, quod tu ſis miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

*Et non potius luxiſtis.* Oſtendit, quid illis in hoc caſu faciendum fuerit : nempe non tantum illis non fuiſſe ſuperbiendum, ſed etiam lugendum ; quod plus etiam eſt quam ſuperbia non inflari. Nam afflicti, & in luctu poſiti ab omni faſtu ac ſuperbia abeſſe ſolent. Lugere autem debebant, id eſt, animo angi ac dolere, quod homo Chriſtianus, in tanta divinæ veritatis luce, tantum facinus committere fuerit auſus, cum tanto totius eccleſiæ dedecore, & divinæ gloriæ detrimento. Per luctum iſtum intelligi volunt nonnulli jejunium, quod etiam luctus nomine vocari ſoleat : lugentium enim eſt jejunare. In hanc vero ſententiam eos induxit, quod ſtatim agatur de inceſto iſto e medio eccleſiæ tollendo. Jam autem morem hunc ſynagogæ Judaicæ fuiſſe ajunt, ut ſi quis ob flagitia ſua puniendus eſſet, jejunium indiceretur. Verum nihil eſt neceſſe ut credamus eccleſiam morem hunc imitatam fuiſſe, aut apoſtolum de jejunio loqui.

*Ut tolleretur e medio veſtri.* Oſtendit, quem effectum luctus ac dolor ipſorum gignere debuerit, nempe hunc, ut hominem iſtum impurum e medio ſui tollerent. Nam poſt commiſſum facinus alia ratione eccleſiæ macula elui non poteſt, quam hominum facinoroſorum ex eccleſia excluſione. Notandum vero

eſt, quod Paulus non ſimpliciter dicat, ut tolleretur è medio, ne quis Paulum de hominis iſtius ſupplicio ac cæde agere putet; quemadmodum nonnulli crediderunt: ſed addit pronomen *veſtri* vel *veſtrum*. Quare his verbis non cædem iſtius inceſti, ſed excommunicationem intelligit: quemadmodum etiam ex fine capitis hujus apparet, in quo excommunicationem iſtius hominis eodem verbo deſignat.

*Qui opus hoc fecit*, hoc eſt, qui opus hoc tam fœdum, tam enorme patravit. Eam enim vim habet pronomen τοῦτο.

Pars II. Verſ. 3. *Ego quidem enim.* Altera pars capitis, in qua ſententiam ſuam de inceſto iſto promit, & quid cum eo fieri velit, declarat. Particula γὰρ, ſi hoc loco cauſalis eſt, eam vim habet, ut oſtendat, rationem quandam reddi, cur Paulus Corinthios reprehenderet, quod in iſtum hominem animadvertere neglexerint: quaſi dicat, nam me quidem quod attinet. *Etiam tanquam abſens corpore, præſens autem ſpiritu.* In priori membro deeſt particula *quidem*. Nam alias corporis abſentia nullum ad hoc judicium ac ſententiam momentum affert. Quare perinde eſt, ac ſi dixiſſet: tanquam abſens quidem corpore, præſens autem ſpiritu; ut oſtendat, abſentiam corporis nihil obeſſe in ferenda de iſto homine ſententia: quam ellipſin etiam in profanis ſcriptoribus occurrere notant.

*Spiritu* id eſt, animo ac cogitatione qua vobis adſum, & veſtram eccleſiam curo.

*Iam judicavi*, id eſt decrevi.

*Tanquam præſens*, non ſecus ac ſi corpore vobis adeſſem.

*Eum qui ita hoc fecit.* Emphatice peccatum hoc deſignat Paulus: nam & qualitatem & quantitatem ejus notat.

*Ita*, id eſt, tam fœde, tam turpiter egit: *hoc* id eſt, tantum flagitium perpetravit: quaſi dicat, qui tale tantumque peccatum fecit.

Verſ. 4. *In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hæc & ſequentia verba referuntur ad initium ſequentis verſiculi, nempe, *tradere hunc talem ſatanæ* &c. Traditio autem iſta ſatanæ in nomine domini noſtri Jeſu Chriſti fiebat, quatenus non privata ipſius Pauli auctoritate, ſed ipſius domini Jeſu, & poteſtate ab ipſo profecta fiebat. Hanc enim poteſtatem dominus Jeſus Paulo dederat.

*Congregatis vobis.* Oſtendit, quando hoc ſuum decretum de iſto homine ſatanæ tradendo executioni mandare volebat, nempe in communi eccleſiæ Corinthiorum conventu.

*Et meo ſpiritu* id eſt, me etiam vobiſcum, licet non corpore, at animo & cogitatione præſente.

*Cum potentia domini noſtri Ieſu Chriſti.* Id eſt, una vobiſcum etiam præſente potentia ac virtute domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem ejuſmodi decreta executioni mandari debent.

Verſ. 5. *Tradere hunc talem ſatanæ.* Decretum jam factum erat a Paulo, ſed executioni mandari debuit in Corinthiorum cœtu, qui decretum iſtud Pauli promulgare debebant.

*Hunc talem*, τὸν τοιοῦτον. Epanalepſis eſt. Jam enim eum ſatis deſignaverat, τὸν οὕτω τοῦτο κατειργασμένον. Sed iterum repetit, ac ſubinde inculcat, ut peccati gravitatem acerbitati pœnæ reſpondere innuat.

*Tradere* vero *aliquem ſatanæ* eſt eum ſatanæ poteſtati permittere. Porro quæ hic pœna ſignificetur, ambigitur a nonnullis. Putant enim ſimplicem excommunicationem deſignari. Verum amplius quiddam ſignificatur, ad quod ſcilicet ſingulari domini Jeſu potentia & apoſtolica autoritate ſit opus. Nec de iis, qui ſimpliciter tantum ab eccleſiæ conſortio arcentur, jure dici doteſt, eos ſatanæ poteſtati tradi: cum nullum idcirco, neque ſecundum carnem, neque ſecundum ſpiritum, jus in ipſos ſatanæ detur. Itaque non dubium videtur, quin variæ afflictiones corporis a ſatana inferendæ his verbis ſignificentur, non aliter, ac ſi ſatanæ, tanquam carnifici cuidam, vexandus quiſpiam caſtiganduſque tradatur. Sic aliquando Jobus poteſtati ſatanæ, non quidem quo puniretur, ſed quo fides ejus ac patientia exerceretur, traditus fuit. Sic & ipſe Paulus de ſe teſtatur 2 Cor. 12. 7 additum ſibi eſſe angelum ſatanæ, qui ſe colaphis inceſſeret, id eſt, vexaret; non quidem pœnæ nomine, ſed remedii, ne ſe efferret. Alibi etiam apud Paulum legimus 1 Tim. 1. 20. Hymenæum & Alexandrum traditos ab ipſo fuiſſe ſatanæ, ut erudirentur non blaſphemare, id eſt, ut a ſatana caſtigati & afflicti, apoſtoli doctrinam conviciis proſcindere & traducere dediſcerent.

Unde & hoc noſtro in loco legimus inceſtum iſtum hominem Satanæ tradi *in perditionem carnis.* Qua non appetitus carnalis, mors quædam metaphorica, ut quidam putant; ſed ipſius corporis vera ac propria mors & deſtructio, quamvis non ſubito, ſed per varias afflictiones ac dolores ſenſim illata, ſignificatur. Nam nec ſatanas per ſe rei tam bonæ idoneus eſt miniſter; & carnis perditioni non vita ex ſpiritus arbitrio exacta, ſed ſalus in die domini noſtri Jeſu Chriſti opponitur; & denique Græca vox ὄλεθρος durior eſſe videtur, quam ut hanc ſpiritualem carnis mortem deſignet, nec uſpiam ab apoſtolo hoc ſenſu uſurpatur. Cæterum his verbis, ut & ſequentibus, quibus traditionis ſatanæ finis indicatur, poteſtati ſatanæ limites quidem ponuntur; nempe, ut corpus tantum affligat, in animum nullum jus habeat; nec repentina morte hominem extinguat, ſed lentis ictibus conſumat, quo pœnitentiam agere, & vitam corrigere, ac proinde ſempiternam ſalutem in adventu domini noſtri Jeſu Chriſti conſequi poſſit. Non ſecus ac ſatanæ quoque illius, cui Jobus fuerat permiſſus, poteſtas circumſcripta fuit, licet non eodem modo: ibi quidem, ne vitæ Jobi noceret; hic vero ne cæleſti iſtius hominis ſaluti.

*Ut ſpiritus ſervetur.* Finem iſtius pœnæ exprimit Paulus, nempe hominis hujus ſalutem. Qua ratione oſtendit, ſe in hac tam acerbæ pœnæ irrogatione minime crudelem eſſe, conceſſaque ſibi a domino poteſtate non uti ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, ut ipſe alibi loquitur 2 Cor. 10. 8, & 13. 10. Longe enim præſtat affligi in carne etiam graviſſime, & cum vitæ præſentis jactura, ut ſalutem conſequaris; quam cum ſalutis ſempiternæ detrimento immunem ab afflictionibus vivere. Neque vero hoc Pauli decretum tale erat, ut vel revocari, vel mitigari non potuerit, accedente ſeria hominis iſtius pœnitentia ac deprecatione, aliorumque fidelium precibus & interceſſione.

*Spiritus*, id eſt, ea noſtri pars, qua ſapimus ac intelligimus, quæque cum corpore conjuncta hominem conſtituit. Unde etiam apparet, carnem hoc in loco ſpiritui oppoſitam, non pro carnali appetitu, ſed pro ipſo corpore uſurpari. Servatur autem ſpiritus noſter,

noſter, cum ab interitu ſempiterno vindicatur, & vitæ illius immortalis ſit compos. Manifeſte hic Paulus corpus hoc noſtrum terrenum a ſalute excludit, eamque ſoli ſpiritui vendicat. Cur enim carni quidem interitum, ſpiritui autem iſtius hominis ſalutem tribuit, ſi non minus carni ejus quam ſpiritui ſalus competit? Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi ſpiritus noſter ſolus, & corporis domicilio deſtitutus æterna felicitate gaudere poſſit; ſed quod caduci iſtius ac mortalis corporis loco, cæleſti ac glorioſo corpori conjungendus ſit.

*In die Domini Jeſu*, id eſt, illa ultima, quæ peculiariter dies Domini dicitur, quod in illa ſingulariſſima prorſus, omnibuſque hominibus conſpicua ratione ſuam potentiam, gloriam ac majeſtatem manifeſtaturus ſit: quam ob cauſam etiam ipſius Dei dies vocatur 2 Petri 3.11. Hic locus etiam docet, ſalutem ac felicitatem ſpiritus noſtri in illa die demum incipere.

Verſ. 6. *Non bona gloriatio veſtra.* Iterum eorum faſtum flagellat, ut humilius de ſe ſentire incipiant. *Non bona*, id eſt, turpis & indecora eſt veſtra illa gloriatio, qua vos alii ſupra alios effertis, & de gloriæ palma certatis. Hi ſunt veſtri ſpiritus; & interea tamen talia non ſolum fiunt inter vos, ſed etiam feruntur.

*Neſcitis, quod parum fermenti totam maſſam fermentet?* Cauſam affert per ſimilitudinem quandam, cur talia in eccleſia tolerari non debeant; & ſimul objectioni cuidam occurrit. Poterant enim dicere Corinthii. Quid nos tantopere reprehendis, quod unus ejuſmodi homo inter nos inventus fuerit, quodque nos eum feramus? Unus homo, ut dici ſolet, nullus homo; una hirundo non facit ver. *Neſcitis*, reſpondet Paulus, vos qui tantopere ſapientiam jactatis, quod quemadmodum parum fermenti totam maſſam fermentat, ſic etiam unus homo corruptis moribus totam eccleſiam facile inficiat? Magna eſt exempli vis, præſertim ſi accedat impunitas.

Verſ. 7. *Expurgate igitur vetus fermentum.* Occaſione iſtius ſimilitudinis a fermento ductæ, nova quadam allegoria, a Judæorum conſuetudine ejiciendi tempore paſchatis fermenti, deſumta hortatur Corinthios, ut vitia abdicent, & una cum vitiis homines vitioſos. Nec enim vitia ex eccleſia exulabunt, niſi illi, qui ab illis deſiſtere nolunt, una cum vitiis exulent. Aut a vitiis Chriſtiano deſiſtendum eſt; aut eccleſia cedendum.

*Vetus fermentum*, id eſt, mores veteres, priſtinam vitæ rationem, qualis olim fuit, antequam ad Dei Chriſtique notitiam eſſetis traducti. Jam in iſta repurgatione vitiorum includitur etiam, ut diximus, conſequenter eorum, qui in vitiis hærent, ex eccleſia ejectio.

*Ut ſitis nova maſſa.* Id eſt, novus quidam populus Dei & Chriſti, novi homines, novam & Chriſti legibus conformem vitæ rationem ſectantes, nullis nec vitiis nec vitioſis hominibus contaminati.

*Quemadmodum eſtis azymi.* Rationem adhortationis ſuæ affert, quia eſtis azymi. Nam particula ſimilitudinis καθὼς, *quemadmodum*, convenientiam quandam notat, ſed talem, qualis eſt inter cauſam & effectum. Dicit autem illos eſſe azymos, non quod actu & reipſa ſint: ad hoc enim eos nunc hortatur; ſed quod talis ſit eorum ſtatus & conditio, talia tempora, ut azymi, & ſine fermento eſſe debeant.

*Etenim paſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus.* Probat illos eſſe eo, quo diximus pacto, azymos; quia quemadmodum immolato Judæorum Paſchate, id eſt, agno illo paſchali, Judæi erant azymi, id eſt, omne fermentum ex ædibus ejicere debebant; ſic cum noſtrum quoque Chriſtianorum paſcha, nempe Chriſtus, ſit immolatus, etiam nos tenemur omne fermentum a nobis amovere. *Paſcha* corruptum eſt ex Hebræ *Peſach*, quod tranſitum ſignificat: quo nomine agnus ille primum in Ægypto mactatus, cujus ſanguine illiniti fuerunt poſtes ædium Iſraeliticarum, ut hoc ſigno conſpecto angelus ille Dei, qui ad occidenda totius Ægypti primogenita miſſus fuerat, Iſraelitarum ædes tranſiret, appellatus fuit. Ad cujus rei memoriam perpetuam ſtato anni tempore a Judæis agnus mactabatur; & certo ritu edebatur, & feriæ per ſeptemdecim dies agebantur; quo toto tempore ab omnibus fermentatis illis abſtinendum illis erat. Hoc erat Judæorum paſcha. At Chriſtianorum paſcha alius agnus eſt, nempe Chriſtus, agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi.

Ideo ad differentiam Judæorum paſchatis non ſolum addit apoſtolus pronomen *noſtrum*; ſed etiam ad paſcha noſtrum per appoſitionem addit, *Chriſtus*. Ita enim malumus ordinare Pauli verba, quam vocem, Chriſti, ſubjecti loco ponere, & paſcha noſtrum de Chriſto per appoſitionem legere, id poſtulante verborum Pauli ratione ac ſerie. Chriſtus autem propter ſimilitudinem paſcha, ſeu agnus ille paſchalis, qui etiam Chriſti typus fuit, appellatur. Nam quemadmodum morte & ſanguine illius agni liberati fuerunt Iſraelitæ, ne primogenita eorum occiderentur; ſic nos Chriſti morte & ſanguine ab interitu ſempiterno vindicati ſumus: & ſicut agno illo mactato Iſraelitæ ex hoſtium ſuorum poteſtate evaſerunt, ipſis Ægyptiis urgentibus, ut quamprimum exirent; ſic nos Chriſti morte interveniente ex hoſtium noſtrorum ſpiritualium, peccati nimirum & mortis, manu evaſimus, & in veram libertatem traducti ſumus.

*Pro nobis.* Id eſt, noſtra cauſa, nempe ſummo noſtro bono ac commodo; non ſecus ac agnus ille paſchalis Iſraelitarum cauſa mactatus fuerat.

*Immolatum eſt.* Græce ἐτύθη; quod mactationem quidem proprie ſignificat, ſed victimarum, ſeu ad rem ſacram faciendam ſpectantem; licet interdum per ſynecdochen ſpeciei ad quamvis mactationem ſignificandam uſurpetur. Quare hic quoque ſignificatur quidem mactatio, ſed victimæ, ſeu rei Deo offerendæ. Nam & agnus ille paſchalis interdum victima appellatur, quippe qui in honorem ipſius Dei & mactaretur, & ederetur, fuitque ille ſanguis, quo illiniti fuerunt poſtes ædium, hac ratione quodammodo Deo oblatus: & Chriſtus vere victima fuit, in eumque finem mactatus eſt, ut ſeſe morte interveniente Deo in cæleſtibus illis adytis offerret.

Verſ. 8. *Itaque feriemur.* Id eſt, in feſtivitate ac ſolennitate tempus tranſigamus, ita agamus, quemadmodum tempus hoc tam feſtum requirit, quod a Chriſti morte cœpit, & quodammodo conſecratum eſt: quod non brevi aliquo ſpatio, ut in agni paſchalis mactatione, circumſcriptum eſt; ſed ad mundi uſque finem durat.

*Non in fermento veteri.* In eadem alluſione permanens oſtendit, quo pacto tempus hoc tam feſtum tranſigere debeamus. Quid autem per *fermentum vetus* intelligat,

telligat, & nos ſupra expoſuimus, & Paulus ipſe in ſequentibus exponit, nempe cum addit:

*Neque in fermento malitiæ & perverſitatis.* Particula *neque* vim exponendi hoc loco habet. *Fermentum autem malitiæ*, per genitivum ſpeciei eſt fermentum quod eſt ipſa malitia. Utroque nomine idem ſignificare videtur apoſtolus, nempe malas ac vitioſas actiones & mores.

*Sed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Fermento malitiæ opponit azyma ſinceritatis & veritatis, id eſt, ipſam ſinceritatem & veritatem malitiæ & perverſitati.

*Sinceritatis* autem nomine intelligit omnes rectas & honeſtas actiones, quibus nihil admixtum eſt turpitudinis & inhoneſtatis.

Idem & *veritatis voce* declaratur. Quod enim rectum ac conveniens eſt, verum eſt, id eſt, non fucatum, nec adulteratum. Cæterum optimo jure Paulus hanc ſpiritualem feſtivitatem ex Chriſti morte deducit. Nam cum agni illius paſchalis mactatione, azymorum feſtivitas non alia ratione quam divina inſtitutione conjuncta erat: at cum Chriſti morte hæc Chriſtianorum feſtivitas non tantum divina inſtitutione ac voluntate conjuncta eſt: ſed etiam Chriſti mors eam efficiendi, ſeu nos ad eam traducendi maximam certiſſimamque vim habet.

Pars III. Verſ. 9. *Scripſi vobis in epiſtola.* Occaſione ſuperioris admonitionis, de inceſto illo homine ex eccleſia ejiciendo, agit in genere de excommunicatione, regulamque de ea certam eccleſiæ tradit, quam ſequi debeat. Primum autem verba quædam alterius cujuſdam epiſtolæ ſuæ ad Corinthios ea de re ſcripta declarat.

Hæc autem erant, quod ſcripſerat, *Non commiſceri ſcortatoribus.* Id eſt, eos non debere commiſceri cum ſcortatoribus. *Non commiſceri* autem ſeparationem ac ſegregationem ſignificat, nolle quidquam habere cum aliquo commune, ejus familiaritatem ac converſationem tanquam hominis lue aliqua infecti fugere. Probabile vero eſt apoſtolum de ſolis ſcortatoribus ſcripſiſſe. Nam hoc vitium adeo inter gentes familiare fuit, ut a quibuſdam inter adiaphora numeraretur, & non minus promiſcuo concubitu, quam alio licere uti crederetur: quemadmodum & ex eo, quod ſequenti cap. apoſtolus ſcribit, colligi poteſt; & ex eo, quod apoſtoli in illa Jeroſolymitana ſynodo ſcortationem cum quibuſdam ſua natura adiaphoris prohibere neceſſe habuerint. Itaque vel inprimis neceſſarium erat fideles moneri, ut a ſcortatoribus abſtinerent.

Verſ. 10. *Et non omnino ſcortatoribus mundi hujus.* Declarat nunc ſua illa verba, nempe ſe non ſimpliciter & omnino ſcortatores, id eſt quoſvis in genere ſcortatores intelligere. Quos vero non intelligat, verbis *mundi hujus* declarat: quæ altera eſt ſcortatorum limitatio. Per *ſcortatores* autem *mundi hujus* intelligit ſcortatores, qui Chriſto nomen non dederunt, nec ad eccleſiam, ſed ad mundum, qui eccleſiæ ſeu credentibus opponi ſolet, pertinent.

*Aut avaris* &c. Ampliare videtur verba ſua in illa alia epiſtola, & ad ſcortatores, alios etiam vitioſos homines adjicere; ut oſtendat, eandem hac in parte eſſe rationem cæterorum vitiorum, quæ ſit ſcortationis; ne ſcrupulo Corinthiis de ſcortationibus vitandis exemto, maneret alius de reliquis hominibus vitioſis. *Avari* ſunt, qui toti ſunt in opibus colligendis. Avarum autem deprehendere licet non ſolum ex injuſtitia, qua in opibus conquirendis utatur; ſed etiam ſi illiberalis ſit, & homines egenos ope deſtituat.

*Raptores*, qui aliena non fraude ac dolo, ut avari ſolent, nec clam, ut fures; ſed aperta vi rapiunt.

*Idololatræ.* Idolum proprie ſignificat imaginem ac ſimulacrum: quod nomen licet per ſe generale ſit, tamen uſus obtinuit, ut illis imaginibus, circa quas cultus aliquis & veneratio exercetur, proprium ſit factum. Hinc etiam ad falſos Deos ſignificandos, quippe qui in ſimulacris coli fuerunt ſoliti, quique nihil ſunt præter illa ipſa ſimulacra, in quibus colebantur, idolorum nomen traductum eſt. Quocirca idololatræ ſunt, qui vel falſos Deos colunt, licet ſine imaginibus colant, & ſic contra primum decalogi præceptum peccant; vel imaginem aliquam colunt, licet ipſum verum Deum in ea colant, & ſic ſecundum decalogi præceptum tranſgrediuntur. Honoris enim divini imaginem faciunt participem, quam Deus pro ſua minime agnoſcit, imo eam abominatur; quippe qui nulla imagine ab hominibus queat exprimi, quæ non longiſſime infra ipſius majeſtatem ſubſiſtat, imo quæ eam non conculcet ac proſternat.

*Alioquin debetis ſcilicet ex mundo exire.* Cauſam affert, cur ſcortatores, avaros, raptores, idololatras mundi hujus non intelligat; nempe quia fieri nequeat, ut ab iis nos ſegregemus, ſed, ſi ſegregari ab iis debeamus, neceſſe eſſet, nos non in mundo verſari, ſed alioqui extra mundum emigrare: quod cum fieri nequeat, ferendam eſſe monuit cum peccatoribus mundi hujus conjunctionem. Interim tamen ſatis oſtendit, quod & in poſteriore monet epiſtola, non voluntati, ſed neceſſitati hac in parte indulgendum eſſe; quæ niſi nos cogat, ab hominum hujuſmodi conſuetudine abſtinendum eſt.

Verſ. 11. *Nunc vero ſcripſi vobis.* Vocula *nunc* non videtur hoc loco eſſe particula temporis, ſed adverſandi: q. d. apoſtolus: Id quod vobis ſcripſi, ne commiſceamini cum ſcortatoribus, ita acceptum a vobis fuit, ac ſi ego etiam hujus mundi ſcortatores intelligerem; jam vero ego ſcortatores intellexi, qui fratrum & Chriſtianorum nomine cenſentur. Eodem pacto etiam alibi, vel in hac ipſa epiſtola voces נוּ accipiuntur, ut cap. VII. 14, & XV. 20.

*Non commiſceri ſi quis frater nominatur.* Jam oſtendit, ad quoſnam peccatores præceptum iſtud ſuum reſtringi velit, nempe ad eos, qui fratres nominantur, id eſt, quibus Chriſtianorum, qui fratres inter ſe appellari conſueverunt, nomen tribuatur, propter communem nimirum Chriſtianæ religionis profeſſionem. Cum his conjungi ac commiſceri nos vetat apoſtolus, id eſt, familiaritatem ac conſuetudinem cum iis habere; ſed eccleſiæ cenſura eos perſtringere, ac ſeſe ab iis ſegregare jubet: primum, quia facilius eorum conſuetudinem, utpote longe pauciorum, effugere poſſumus, quam hominum mundanorum, quorum ubique magna copia eſt: deinde quia facilius nobis ſcabiem ſuam affricare poſſunt: præterea quia tales, ſi in eccleſia ferantur, eam dedecore conſpergere, & divinæ veritatis ac gloriæ incrementis multum officere poſſunt: denique quia eccleſia ad eos, qui intra eam ſunt, judicandos & puniendos jus habet; quod illi in eos qui extra ſunt, utpote qui ſeſe legibus ac diſciplinæ Chriſtianæ non ſubjecerint, haud competit.

*Sit ſcortator.* Nam hæc lectio convenientior videtur, quam *aut ſcortator:* ita ut verbum *ſit* ſubaudiri, quod hoc loco duriuſculum eſſet, debeat. Facile autem accentus mutari poterat, & pro אוֹ ſit ſcribi אֹו aut; quia ſcilicet in ſequentibus ante alia vitiorum nomina

mina repetatur. *Scortator.* Scortationis nomen hoc loco latius extenditur, & omnes impuros homines denotat.

*Aut avarus, aut idololatra.* Particula distributiva *aut*, ostendit, ob singula ejusmodi vitia fugiendam esse cum iis, de quibus apostolus loquitur, consuetudinem.

*Aut conviciator.* Id est qui coniciari solet, hoc est, maledictis aliquem impetere.

*Aut ebriosus.* Id est, qui potui plus justo indulget; qua in re sunt multi gradus.

*Cum tali neque edere*, id est, vos debere. Particula *neque μηδὲ* ostendit, non id tantum nobis præcipi, ne cum tali cibum capiamus; sed ne hoc quidem nobis permitti, & si ne hoc quidem, multo minus reliqua consuetudo ac familiaritas, cujus hoc vel effectum vel adjunctum esse solet, una cibum capere. Notandum autem est primo, in tali segregatione ac separatione ecclesiæ judicium interponi debere. Nec enim cuivis privatim permissum est, ut quem vitio aliquo infectum putet, cum protinus hac ratione vitet ac fugiat: quemadmodum & ex incesti istius excommunicatione, cujus occasione hæc ab apostolo dicuntur, & ex Christi ipsius apud Matth. cap. 18. 17 verbis manifestum est. Deinde res ipsa monet, hoc fugiendæ cum excommunicatis societatis ac consuetudinis præceptum non nisi ad eos pertinere, quibus id facere integrum est, quique aliquo jure excommunicatis obligati non sunt. Sic filius a patris commercio, servus a domini, uxor a mariti, maritus ab uxoris familiaritate ac consuetudine sejungi non potest. Denique præceptum de cibo cum excommunicatis non capiendo, κατ' ἐπίκρισιν accipi debet, & necessitas aliquam exceptionem admittit.

Vers. 12. *Quid enim mihi, & eos qui extra sunt judicare?* Rationem aliam affert, cur de peccatoribus, qui extra ecclesiam sunt, non loquatur. *Quid enim mihi.* Id est, quid ad me pertinet, quid mihi cum ea re est negotii?

*Et eos.* Id est, non tantum eos, qui sunt intra ecclesiam, sed etiam qui extra ecclesiam sunt *judicare*, id est punire, aut censura aliqua plectere.

*Nonne eos, qui intus sunt, vos judicatis?* Alia ratione eos convincit, quasi dicat, nonne manifestum est, eos tantum, qui intra ecclesiam sunt, a vobis judicari? Nam ad eos, qui extra ecclesiam sunt, quod attinet, hos Deus judicat. Idcirco subjicit:

Vers. 13. *Eos vero, qui extra sunt, Deus judicat.* Ubi oppositio inter eos qui intus sunt, & inter eos qui extra, ostendit, Paulum per eos qui intus sunt, intelligere eos qui sunt in ecclesia; quemadmodum per eos qui sunt extra, homines extra ecclesiam versantes intelligit. Deus, id est solus Deus. Neque enim Deum fidelibus opponit, quasi a judicandis fidelibus ipse excludi debeat, non secus ac fideles a judicandis infidelibus excluduntur: sed quod illos quidem etiam fideles, non tantum Deus judicet; hos vero Deus tantum.

*Et tolletis malum hunc ex vobis ipsis.* Conclusio superiorum, seu ex iis illatio. *Et* positum est pro *itaque*, & futurum indicativi Hebræorum more pro imperandi modo: quasi dicat apostolus, cum ita se res habeat, quemadmodum dixi, vestrique sit officii, homines eos, qui Christiani nominantur, nec tamen dignam tam augusto nomine vitam agunt, penitus a societate vestra sejungere; ergo, ut eo, unde cœperam, revertar, hominem istum impurum longe a vobis prohibete.

## CAP. VI.

### ARGUMENTUM.

*In hoc capite reprehendit primum Corinthios apostolus, quod causas ac lites suas disceptarent coram judicibus infidelibus; & hac occasione eos ab injustitia aliisque peccatis dehortatur, si regni cælestis participes velint effici. In altera deinde capitis parte agit de cibis, & de scortatione, a qua eos gravissime dehortatur.*

Pars I. Vers. 1. *Audet aliquis vestrum?* Egerat de judiciis ecclesiasticis apostolus. Hac occasione veluti monitus, & sic unum ex alio veluti nectens, transit ad aliud vitium Corinthiorum; nempe quod in causis ac negotiis suis ad extraneorum & infidelium hominum judicia confugerent, quod eos mirum in modum dedecere docet apostolus. *Audet aliquis vestrum.* Verbum *audet*, mirantis est & graviter reprehendentis: quasi dicat, Tantumne vobis permittitis? eone audaciæ progressi estis? O rem vobis indignissimam!

*Negotium habens ad alterum.* Id est, controversiam quandam cum altero, nempe fratre, habens. De fratribus enim inter se disceptantibus agitur: quemadmodum & res ipsa monet, & ex vers. 6 manifestum est.

*Judicari sub injustis.* Id est, ad injustorum judicium confugere, & eo frater fratrem evocare, atque illic causam suam disceptare. *Per injustos* intelligit homines a Christiana religione alienos; quales tum temporis erant ordinarii & publici judices. Qui idcirco injusti appellantur, quod tales esse soleant omnes Christianæ religionis ac veritatis expertes, quæ sola ex injustis justos efficit. Injustitiæ autem nomine non eam tantum injustitiæ partem intelligit, cui magis proprie hoc nomen competit, nempe cum iniqua feruntur decreta: sed in genere varia vitia designantur. Opponuntur enim injusti sanctis. Verum injustorum potius nomine uti maluisse videtur apostolus, ut hac ipsa appellatione ostenderet, quam male quamque imprudenter facerent Corinthii, quod in causis ac controversiis suis mallent injustos habere judices, quam sanctos.

*Et non sub sanctis.* Non prohibet Paulus, cum quis se læsum & injuriis affectum putat, ad judicem confugere: sed ad extraneum judicem confugere vetat. Fratres fratribus controversias suas decidendas debent permittere. Vocat autem Christianos sanctos, quia hic eorum est status, hæc professio, ut sancti, & ab omni vitio alieni sint. Cæterum accidere interdum quædam possunt, quæ fideles etiam ad subsellia judicum extraneorum compellant: ut si in causa aliqua publicorum judicum autoritatem interponi sit necesse; vel etiam, si in ecclesia nulli sint (quod tamen vix potest accidere) qui saltem inter certos fratres, puta auctoritate ac prudentia aliis omnibus eminentiores, controversiam possint componere. Quanquam in tali causa præstat potius judices aliquos viros ex extraneis hominibus graves & rerum usu pollentes legere, quam ad ordinaria & publica judicia confugere. Minus enim hac ratione ludibriis & insultationibus aliorum exponitur

ſanctiſſima Chriſtianorum religio. Quocirca hoc apoſtoli monitum κατ' ἐπίκειαν quandam accipi debet, ut neceſſitati, quæ leges, ut dicitur, frangit, locus aliquis maneat. Sufficit, quod homo Chriſtianus ab omnibus litibus abhorrere debet, & inprimis iis quæ coram judicibus extraneis diſceptantur. Unde quotieſcunque licet, vel penitus ab iis abſtinere debet; vel ſaltem, ſi cum fratre ſit res, in eccleſia, non in foro cauſam ſuam diſceptare.

Verſ. 2. *Neſcitis, quod ſancti mundum judicabunt?* Hic ſummam Chriſtianorum hominum dignitatem exprimit, ex qua deinde argumentum nectit ut oſtendat, fratres fratrum judicio controverſias ſuas permittere debere, nec ad judices mundanos confugere. *Sancti.* Id eſt, Chriſtiani, *mundum judicabunt.* Mundum, inquit, id eſt, omnes hujus mundi homines: quam ergo turpe eſt eos a mundanis hominibus judicari velle! & ſi totius mundi judices erunt, cur, qui de rebus etiam minimis judicent, indigni cenſentur? Judicabunt autem mundum in illo glorioſo Domini noſtri Jeſu Chriſti adventu, quia Chriſto judici aderunt, & illi veluti aſſidebunt, ejus decretum ac ſententiam approbabunt, & Domini, regis ac capitis ſui ore quodammodo & autoritate ſententiam in hujus mundi homines dicent. Quo pacto etiam apoſtolis Chriſtus promiſit, eos tum ſeſſuros in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael Matth. 19. 28. Lucæ 22. 30. Quibus verbis etiamſi propria quædam ac peculiaris præ reliquis omnibus Chriſtianis dignitas & excellentia apoſtolis promittatur, nihilominus tamen ad reliquos omnes Chriſtianos, qui tum temporis etiam Chriſto aderunt, illique conjunctiſſimi erunt, licet in minori perfectione & gradu, extendi poteſt. Unde cap. 2 Apocal. ℣. 26 & ſequentibus, cuilibet qui vicerit, promittit Chriſtus poteſtatem ſuper gentes, & quod paſcet eas in virga ferrea, & tanquam vaſa figulina confringentur. Quibus verbis non tantum judicandi, ſed etiam decreta exequendi, ac perdendi poteſtas omnibus Chriſtianis promittitur. At non alia ratione id intelligi debet, quam quatenus fideles in Chriſto capite ac rege ſuo, latus illius ſtipantes, omnes gentes pedibus ſuis ſubjicient, & de illis ultionem quodammodo ſument. Etiamſi vero hæc judicandi ratio ſit impropria, nihilominus tamen ex ea argumentum ducere potuit Paulus. Summam enim maximamque Chriſtianorum hominum dignitatem, & aliquo modo etiam, licet improrie, in judicandi poteſtate ſitam continet. Jam vero ſi quis maximæ ſit dignitatis, ejuſque quodammodo judicialis, ut ſic dicam, nonne dignus eſt, qui etiam de rebus civilibus judicet, dummodo alioquin tantum habeat prudentiæ? Quam exceptionem paulo poſt amolitur apoſtolus.

*Et, ſi in vobis judicatur mundus, indigni eſtis judiciis minimis? Si in vobis*, id eſt, per vos, vel a vobis Chriſtianis. Unde apparet, eum proxime *ſanctorum* nomine Chriſtianos in genere intellexiſſe.

*Judicatur*, id eſt judicabitur. Præſens pro futuro: vel verbum actum deſignans, pro facultate & jure, ſeu poteſtate accipitur: q.d. ſi vero vos mundi judices eſtis. Si ergo, inquit Paulus, tantæ dignitatis eſtis, ut totum mundum aliquando judicaturi ſitis, indignine eſtis, ut de rebus minimis judicetis? Res minimas mundo opponit, judicia minima judicio maximo, nempe mundi. Judicia autem minima ſunt judicia, quæ de rebus minimis & viliſſimis, id eſt valde exiguis & parvis habentur, quæ ſequenti verſu apoſtolus appellat βιωτικὰ, id eſt, res ad hanc vitam ejuſque aliqua commoda ſpectantes. Jam vero ſi Chriſtiani digni ſunt, qui de talibus controverſiis judicent, cur fratres, iis ſpretis, ac neglectis, ad mundanorum judicum ſubſellia confugiunt?

Κριτήρια vel ſubſellia judicum notant, vel per metonymiam ipſa judicia Jac. 2. 6.

Verſ. 3. *Neſcitis, quod angelos judicabimus?* Aſſurgit Paulus in oſtendenda Chriſtianorum dignitate, nempe quod aliquando non tantum mundum, id eſt, homines, ſed etiam angelos, hominibus longe præſtantiores, judicaturi ſint. *Angelorum* autem nomine intelligendi ſunt angeli mali, quemadmodum & *mundi* nomine homines mali intelliguntur, cum quibus etiam angelos malos eo, quo dictum eſt, modo Chriſtiani in adventu Chriſti judicabunt & damnabunt. Genus autem pro ſpecie poſuit apoſtolus, nec articulum voci angelorum adjecit; quia ad naturam angelorum in genere reſpexit, non ad ſpecialem illorum conditionem: & ſolemus, cum rem exaggerare volumus, genus pro ſpecie ſumere. Sic verbi cauſa Matthæus dixit Matth. 27. 41, latrones Chriſto illuſiſſe, licet unus tantum illuſerit.

*Nedum ut de iis, quæ ad hujus vitæ uſum pertinent, non judicemus.* Id eſt mundum atque adeo angelos aliquando judicabimus; tantum abeſt, ut de rebus ad hujus vitæ uſum ſpectantibus judicare digni non ſimus.

℣. 4. *Itaque ſi judicia habeatis de iis, quæ ad vitæ uſum pertinent, qui viliſſimi ſunt in eccleſia hoc conſtituite.* Ex ſuperioribus majus adhuc quidpiam infert apoſtolus, nempe tantum abeſſe, ut Chriſtiani in genere indigni ſint, qui de rebus ad vitam hanc ſpectantibus judicent, ut etiam viliſſimi quique Chriſtianorum ad talia dijudicanda eligi potius debeant, quippe viliſſimis etiam Chriſtianorum vix digna.

Τοὺς ἐξουθενημένους, *pro nihilo reputatos in eccleſia*, id eſt, minimos in eccleſia, reſpectu donorum aliarumque qualitatum, quæ hominibus dignitatem conciliare ſolent, infimos. Non enim id vult apoſtolus, quaſi aliqui in eccleſia pro nihilo reputentur, ac proinde contemnantur: cum neminem, ne minimum quidem ac viliſſimum hominum, nedum Chriſtianorum & fratrum, contemnere debeamus; ſed cuicumque honorem convenientem tribuere, imo quemvis etiam nobis longe inferiorem ſupra nos æſtimare. Si quem contemnere vis, teipſum contemne.

*Hos conſtituite*, ſeu ſedere facite, (Judicum enim eſt ſedere, partium vero ſtare) his arbitrium de rebus iſtis judicandi permittite. Pronomen τούτους a Paulo poſitum eſt per epanalepſin, quaſi dicat, hos, hos, inquam, ut magis in re, quam illis proponit, immoretur, majoremque emphaſin habeat oratio. Ad pudorem enim illis incutiendum, ut ſequenti ℣. ſtatim ſubjicit, hoc loquitur. Non videntur autem hęc Pauli verba ita accipienda eſſe, quaſi ſic omnino fieri velit, ut ſcilicet viliſſimos quoſque in eccleſia judices iſtarum controverſiarum deligant. Hoc enim fieri vix poteſt: cum nemo judex deligi debeat, niſi qui tantum prudentiæ habet, ut munus hoc dextre obire queat. At qui talis eſt, viliſſimus in eccleſia eſſe vix poteſt. Sed apoſtolus actum ipſum poſuit pro eo, quod fieri, ſi modo res ferret, plane conveniret. Si enim omnes æque prudentes in dijudicandis iſtiuſmodi controverſiis eſſent, ita fieri deberet, aut ſaltem conveniret, ut minimi in eccleſia rerum tam vilium judices conſtituerentur.

Verſ. 5. *Ad pudorem vobis dico.* Oſtendit, quo fine illud apoſtolus dixerit, nempe, non tam propterea quod

quod ita fieri plane velit; ſed ut ipſis pudorem incutiat, qui tota eccleſia contempta ad judices extraneos confugiant; cum tamen tanta ſit fidelium dignitas, ut ad ejuſmodi cauſas decidendas viliſſimi quique fidelium deligi potius debeant. Quare pudeat vos veſtri, quod talia non reprehenderitis, & eccleſiam, inque ea vos ipſos tam indigne contempſeritis.

*Sic non & in vobis ſapiens neque unus?* Hac tantum evadere poterant Corinthii, ut dicerent, neminem eſſe in eccleſia dijudicandis iſtis controverſiis idoneum. Verum & hunc iis exitum obſtruit apoſtolus, ut eos undique conſtringat, quaſi dicat, Cum ad judices extraneos confugitis, aut eccleſiam indignam ducitis, quæ de cauſis veſtris judicet; aut neminem ei judicio aptum inter vos habetis. Eligite utrum vultis: alterutrum enim omnino vobis eligendum eſt; & videte, cujus vos magis pudere debeat, an contemptæ ſpretæque eccleſiæ; an quod tanta ſapientum inopia laboratis, qui tamen vobis ſapientiſſimi videmini, ut ne unus quidem inter vos ſit, qui controverſiam inter fratres dijudicare poſſit.

*Neque unus.* Auget rem Paulus, quaſi dicat, non quæro, an plures ſint inter vos ſapientes, ſed an ne unus quidem?

*Qui poterit dijudicare inter fratrem ſuum.* Oſtendit, quam ſapientiam intelligat; nempe prudentiam ac dexteritatem in componendis civilibus controverſiis. *Inter fratrem ſuum.* Id eſt, inter fratrem, & fratrem vel inter fratres. De fratrum enim controverſiis mutuis loquitur.

Verſ. 6. *Sed frater cum fratre judicio contendit.* Proximis verbis oſtendit Paulus, quid fieri deberet, cum inter fratres controverſiæ aliquæ oriuntur; nempe eos debere confugere privatim, & ſine ullo juris ſtrepitu, ad fratrem aliquem prudentem & rerum peritum, ejuſque ſive unius, ſive etiam plurium arbitrio rem permittere, ac judicio ſtare, & ſic pacate, amice, fraterne, ſine ullo publico ſcandalo, cauſam controverſiamque finire: nunc oſtendit, iſtud a Corinthiis non fieri, duplicemque in iis hac in parte defectum notat. Primum, quod frater cum fratre judicio contendat, id eſt, in foro coram judicibus publicis litiget. Non enim ſimpliciter agit de controverſiis inter fratres incidentibus, ſine quibus eccleſia eſſe vix poteſt; ſed agit de re oppoſita illi, cum fratris alicujus ſapientis judicio a fratribus controverſia privatim permittitur, eoque ſtatur. Hoc autem quid aliud eſt, quam in cauſis & controverſiis publice dicam alicui ſcribere, & in forum ad judices publicos provolare? Secundo id Paulus notat, quod ad judices Chriſtianæ religioni non addictos confugiant.

Addit enim: *idque ſub infidelibus.* Indecorum eſt, ſi Chriſtianus cum Chriſtiano in foro litiget, etiamſi Chriſtiani judices ſedeant: quanto vero turpius eſt, ſi coram judicibus religioni Chriſtianæ minime addictis Chriſtiani inter ſe contendant?

Verſ. 7. *Iam igitur omnino defectus in vobis eſt.* Ex ſuperioribus infert, defectum in iis eſſe, nempe Chriſtianæ pietatis ac modeſtiæ. Particula *omnino* rei veritatem declarat, ut nihil poſſint Corinthii prætexere.

*Quod judicia habetis inter vos.* Defectum iſtum exprimit, qui eſt, in foro coram publicis, iiſque infidelibus, judicibus contendere.

*Quare non potius injuriam patimini? quare non potius damnum accipitis?* Oſtendit, quantopere a litibus & judiciis publicis abhorrere debeant Chriſtiani, ut etiam potius tolerabilem aliquam injuriam & damnum perpeti debeant, quam jure publico experiri. Quemadmodum & Dominus Jeſus nos docuit, Matth. 5. 40, ut volenti nobiſcum de tunica noſtra judicio contendere, etiam pallium dimittamus. Hoc enim Chriſtianæ pietati ac lenitati plane convenit. *Beati mites*, inquit ipſe Dominus, *quoniam hæreditate terram poſſidebunt*, eodem capite verſ. 5. Simul vero etiam objectionem occupat Paulus: Poterant enim Corinthii dicere, quid ergo nobis faciendum eſt, cum injuria afficimur & jure noſtro privamur? num ferendo muſſitanda injuria eſt? Quidni? reſpondet Paulus, ferendamque potius eſſe Chriſtianis injuriam docet, quam ut litibus eorum, præſertim mutuis, forum perſtrepere debeat. Loquitur autem, ut diximus, de injuria aliqua tolerabili, vel etiam cui privato fratrum judicio mederi queat. Nam alioquin, ſi injuria ſit valde gravis, nec is qui læſit frater fratrum judicio ſe ſubjicere velit, res ipſa monet, licere apud judices jus ſuum læſo repetere.

Verſ. 8. *Sed vos injuria afficitis & fraudatis, idque fratres.* Oſtendit quantum ab iſta, quam dixit, Chriſtianæ lenitatis perfectione abſint Corinthii. Dixi, vos debere injuriam potius & damnum perferre, quam ut ad judicia & certamina publica provoletis: ſed vos tantum ab hac perfectione abeſtis, ut etiam ipſi alios injuria afficiatis, & fraudetis, idque fratres ipſos; quod multo gravius eſt. Nam quanto cuique plus charitatis & benevolentiæ debemus, tanto gravius peccamus, cum eum lædimus. Satis innuit Paulus, nos non erga ſolos fratres juſtitiam, innocentiam, lenitatem, patientiam, a litibus abſtinentiam exercere debere; ſed inprimis erga fratres. Objicit autem Corinthiis injuſtitiam Paulus: quia, fratribus inter ſe contendentibus, veriſimile eſt, & plerumque fit, alterum damnum dediſſe, alterum accepiſſe. Quare utroſque reprehendit, tum affectos, tum afficientes injuria. Illos quidem, quod non alia ratione, nempe fraterna amica, privato fratrum judicio jus ſuum repeterent; ſed ad publica judicum ſubſellia fratres protraherent, & illic, magno cum eccleſiæ dedecore, alter alterum accuſaret ac reum perageret; cum injuria potius Chriſtianis ferenda eſſet, quam tale remedium adhibendum: hos vero ob idipſum, quod alios, idque fratres, injuria afficerent, & ſic illis ad judicia publica provocandi cauſam darent.

Verſ. 9. *An neſcitis, quod injuſti regnum Dei non hæreditabunt?* Ut Corinthios, ab injuſtitia deterreat, oſtendit, quantum damnum eos maneat, ſi injuſti eſſe pergant, nempe regni Dei privatio. *An neſcitis?* inquit, quaſi dicat. An forte neſcitis, quantum damnum injuſtos maneat, quod ſcilicet regni Dei hæreditate privandi ſint? Nam ſi ſcitis, quid, quæſo, cauſæ eſt, quod in injuſtitia hæreatis? num ſcientes prudentes tanta felicitate vultis excidere, & exiguam aliquam juris portiunculam regno Dei omnibuſque illius divitiis præfertis?

*Ne erretis.* Si forte putatis, vos, licet injuſti ſitis, nihilominus regni Dei hæreditate potituros, quæſo, ne id vobis perſuadete. Error hic eſt, iſque graviſſimus. Quam ſolicite cavet apoſtolus, ne nobis, dum in vitio perſeveramus, ſpe ſempiternæ felicitatis blandiamur!

*Neque ſcortatores* &c. Extendit hoc ſuum dictum Paulus ad alia etiam peccata; ne forte injuſtitiam quidem,

dem, quæ in alieni juris invaſione ſita eſt, tam gravem eſſe putent, alia vero peccata non putent. *Scortatores* primo loco nominat, quia, ut apparet, hoc vitium inter illos familiare fuit, &, ut ſupra jam monuimus, cum ciborum uſu fere inter adiaphora numerabatur.

*Neque molles, neque qui concumbunt cum maſculis.* Hæc duo ſcelera ad ſe invicem referuntur. Illi ſunt qui alio nomine pathici vel cinædi appellantur, quos Paulus honeſtiori verbo molles appellavit, propterea quod in iis ſpectaretur, ut quam maxime teneri ac delicati eſſent.

Verſ. 11. *Et hæc quidem eratis.* Occurrit objectioni tacitæ Paulus. Poterat enim aliquis dicere: Quid tu, Paule, homines ejuſmodi e regno Dei proſcribis? Hoc ſane pacto multis noſtrum pereundum erit, utpote quorum alii hoc, alii alio vitio, ex iis quæ nunc recenſuiſti, dediti fuerimus. Reſpondet Paulus, verum quidem eſſe, eos, ſi non omnes, ſaltem quoſdam ex iis, vel uno, vel pluribus etiam iſtorum vitiorum laboraſſe; ſed tamen non eſſe illis metuendam damnationem & regni Dei privationem, quandoquidem abluti, ſanctificati, juſtificati eſſent.

*Sed abluti, ſed ſanctificati, ſed juſtificati eſtis*, id eſt, ſed a vitiis iſtis & peccatis repurgati eſtis. Duplici ratione a peccatis purgamur, tum quatenus ab ipſis peccatis, tum quatenus ab eorum reatu ac pœnis liberamur. Priorem purgationem duplici verbo deſignaſſe videtur, uno metaphorico abluendi; altero magis proprio, ſanctificandi: alteram verbo juſtificandi expreſſit. Ordinem autem, qui in rebus ipſis eſt, ſervavit etiam in verbis Paulus. Præcedit enim ablutio a peccatorum ſordibus, & hominis ſanctificatio ac Deo conſecratio; juſtificatio & a peccatorum reatu liberatio ſequitur, quantoque illa plenior eſt ac certior, tanto & hæc firmior eſt ac perfectior. Videtur autem Paulus non tam de eo, quod actu ipſo in Corinthiis iſtis fieret loqui, quam quod vi Chriſtianæ religionis, quam amplexi fuerant, fieri & plane poſſet, & omnino deberet, dummodo ipſimet ſibi non deeſſent.

*In nomine Domini Jeſu.* Oſtendit quibus mediis illi hanc repurgationem adepti fuerint, nempe per Domini Jeſu nomen, hoc eſt, per id, quod nomini Domini Jeſu adhæſerint, ejuſque ſanctiſſimam religionem ac doctrinam amplexi fuerint, cujus tanta vis eſſet, ut homines & a peccatis ipſis expurgare, & ab omni peccatorum reatu liberare poſſet: quandoquidem in ea pleniſſima ac certiſſima peccatorum remiſſio, cum æternæ ſalutis præmio conjuncta, illis, qui peccatis valedixerint, & vitam novam ac ſanctam in poſterum inſtituerint, promittitur. Hinc idem Paulus alibi ſcribit, Chriſtum eccleſiam purgaſſe lavacro aquæ in verbo, id eſt, lavacro aquæ, quod eſt verbum ſeu doctrina ipſius (per appoſitionem enim lavacrum iſtud aquæ explicat) ut eam exhibeat ſibi ipſi glorioſam &c. Epheſ. 5. 26, 27.

*Et in ſpiritu Dei noſtri.* Alterum medium, & cum Chriſti doctrina conjunctum, nempe ſpiritus ille ſanctus; quem *Dei noſtri*, id eſt patris, *ſpiritum* appellat; quia hunc a patre acceptum Chriſtus, vel ſi mavis, ipſe Deus per Chriſtum, in nos effudit copioſe, ut idem apoſtolus alibi de eadem re loquens ſcribit Tit. 3. 6. Spiritui autem Dei, tanquam medio hanc purgationem attribuit Paulus. Nam quod ad regenerationem noſtram & ab ipſis peccatis liberationem attinet, ſpiritus ſanctus cum Chriſti doctrina conjunctus maximam vim ad eam perficiendam habet. Ipſe enim eſt, quo doctrinam hanc melius intelligimus, quo illuminamur, & in penitiorem cognitionem divinæ veritatis perducimur, qui animos noſtros ſingulari ardore pietatis, incredibili lætitia, & certiſſima ſalutis ſpe complet. Quod vero attinet ad juſtificationem, eſt certiſſimum juſtificationis noſtræ coram Deo pignus. Nunquam enim tam præſtanti tamque eximio dono nos Deus locupletaſſet, niſi nobis peccata remittere, & ab omni peccati reatu nos abſolvere vellet. Hinc eſt quod vocetur arrhabo hæreditatis noſtræ, quod eo obſignati dicamur in diem redemtionis, Epheſ. 1. 14; propter hunc in nobis inhabitantem, dicit Paulus, Rom. 8. 11 Deum vivificaturum corpora noſtra mortalia: ex hoc nobis dato colligit Johannes 1 Joh. 4. 13 nos ita cum Deo junctos illique unitos eſſe, ut is in nobis ſit, & nos in ipſo: unde certiſſima ſalus ſequitur. Et ſi circumciſio Abrahamo data pignus quoddam ac ſigillum fuit juſtificationis; & ſpiritus ſanctificationis noſtræ ſignum erit, dummodo ipſimet nobis non deſimus, eique nos regendos ac gubernandos demus. Nam iſta conditio perpetuo ſubaudiri debet.

Pars II. Verſ. 12. *Omnia mihi licent.* Altera hujus capitis pars incipit, in qua libertatem Chriſtianam circumſcribit. Dixerat Paulus, ſcortatores e regno cælorum eſſe excludendos, &, ut eos inprimis hoc loco deſignaret, primo omnium in dicti ſui amplificatione nominavit. Adverſus iſtud inſurgere aliquis poterat, & Chriſtianam libertatem obtendere, & dicere: Quid? annon omnia, quæ ſcilicet in communi vitæ uſu verſantur, mihi licent? annon cibis quibuſvis promiſcue mihi uti conceſſum eſt? cur vero non eadem libertas maneat quovis corpore, dummodo ſine alterius injuria fiat, utendi? Hanc igitur libertatem certis limitibus includit Paulus: primumque oſtendit, non ſemper iſta libertate utendum eſſe, ut in ciborum uſu, qui per ſe liber eſt, apparet: deinde ſcortationem, ſeu cujuſvis corporis uſum minime inter res liberas vel indifferentes numerandam eſſe, ut qui eouſque libertatem Chriſtianam extendunt, ea mirum in modum abutanur.

*Omnia mihi licent.* Per mimeſin a Paulo iſtud dicitur. Sumit perſonam cujuſdam, qui e Chriſtianorum numero ſibi objiciat & dicat, omnia mihi licent. Huic reſpondet Paulus:

*Sed non omnia conducunt.* Primum, eſto omnia tibi licere (jam antea diximus, vocem *omnia* ad ea, quæ ad hujus vitæ uſum ſpectent, referenda eſſe, quemadmodum ſubjecta materia docet) at viciſſim cogitare debebas, non omnia tamen, quæ licent, fieri conducere ac convenire; ut ſi hoc fieri aliis diſpliceat, alios offendat, & in pietatis curſu remoretur, ſi peccandi & conſcientiam lædendi occaſionem præbeat.

*Omnia mihi licent.* Iterato libertatem ſuam crepantem inducit, ut illius licentiam iterata plaga conficiat.

*At non ego ſubjiciar ſub aliquid.* Quaſi dicat, at cum omnia mihi liceant, ſimque liber, vel ob idipſum omnibus non utar, ne libertatis meæ fiam mancipium, ac proinde in ipſa libertate ſerviam; quæ ſervitus eſt omnium graviſſima. Quare etiamſi neminem

minem libertatis meæ uſu offenderem, tamen vel mei ipſius cauſa libertate iſta modice uterer. Particula negativa *non* haud temere videtur eſſe præpoſita pronomini *ego*: quaſi dicat, abutatur qui volet libertate ſua, at non is ego ſum, qui me rei alicui in libero uſu poſitæ ſubjiciam. Ὑπό τινος. Neutro genere poſitum eſt, id eſt, ſub aliquam rem.

Verſ. 13. *Eſcæ ventri, & venter eſcis.* Ex ſequenti oppoſitione apparet, in his verbis ſubaudiendam eſſe particulam *quidem:* quaſi dicat eſcæ quidem ventri, & venter eſcis: ſed corpus non ſcortationi, ſed Domino, & Dominus corpori. Quanquam alia etiam eſt propior in verbis Pauli oppoſitio.

*Sed Deus & hunc, & has abolebit.* Docet autem his verbis apoſtolus, ciborum quidem quorumvis promiſcue uſum liberum ſuapte natura eſſe, quippe cum eſcæ quævis & ſine diſcrimine naturaliter ventri ſint deſtinatæ, & viciſſim venter ſit deſtinatus eſcis, ſeu eſcæ ſint propter ventrem, & venter propter eſcas: unde ſequitur omnibus qui ventrem habent, licere per ſe quibuſvis eſcis veſci, eaſque ventri ingerere. Verum ut hanc libertatem refrenet apoſtolus, ſubjicit per oppoſitionem quandam:

*Deus autem & hunc & has abolebit.* Quaſi dicat, etiamſi Chriſtianis liberum ſit per ſe quibuſvis eſcis veſci; parce tamen hac libertate uti debent, cogitantes & ventrem & eſcas a Deo abolendas eſſe. Minime enim convenit, ut Chriſtiani rebus perituris plus æquo ſint addicti, & in iis aliquam felicitatis partem collocent. Hinc eſt quod in epiſtola ad Romanos ſcriptum reliquit: Rom. 14. 17. *Regnum Dei non eſt cibus & potus*, id eſt, cibis & potu ſeſe ingurgitare, iiſque ſine diſcrimine uti; *ſed juſtitia, & pax & gaudium in ſpiritu ſancto, his* in rebus vera, & Chriſtianorum in hoc ſeculo propria felicitas conſiſtit. Porro ex his Pauli verbis cuivis colligere eſt, in futuro ſeculo nullum futurum locum tam ventri, quam cibis. Idem de aliis omnibus corporis noſtri membris exiſtimandum eſt, quæ hujus mortalis vitæ uſibus ſunt deſtinata.

*Corpus vero non ſcortationi; ſed Domino & Dominus corpori.* His verbis docet, longe aliam eſſe ſcortationis, quam ciborum promiſcui uſus rationem. Hunc quidem ſuapte natura liberum eſſe; illam vero omnium minime eſſe. Corpus enim non eſt ſcortationi deſtinatum; ſed Domino, id eſt, illi uni noſtro Domino Jeſu Chriſto, ut ſcilicet illi ſerviat, ejuſque uſibus ſe dedat.

*Et Dominus corpori.* Dominus viciſſim jus habet in corpus, ut illud regat, illo utatur tanquam peculio ac propria ſupellectile.

Verſ. 13. *Deus autem & Dominum reſuſcitavit, & vos reſuſcitabit.* Opponuntur hæc verba illis, quæ de ventre & cibis dicta ſunt, quod ſcilicet & hunc Deus abolebit. Ut ita in Pauli verbis geminata ſit comparatio, quanquam non in iiſdem plane terminis hærens, quippe apoſtoli argumento id non requirente. Prior collatio eſt in eo, quod quemadmodum eſcæ ventri, & venter eſcis ſit deſtinatus; ſic corpus non ſcortationi, ſed Domino ſit deſtinatum & Dominus corpori. Altera, quod Deus quidem & ventrem & eſcas ſit aboliturus; Dominum autem excitaverit, & nos ſit excitaturus. Ubi videmus, de induſtria Paulum terminos mutaſſe, cum de reſuſcitatione loquitur, & pro corpore noſtro *nos* repoſuiſſe: ne, ſi dixiſſet, corpora noſtra reſuſcitanda eſſe, ſui veluti oblitus videretur, & ventris reſuſcitationem, quem paulo ante abolendum eſſe dixerat, urgere. Quanquam etiamſi corpora noſtra reſuſcitanda eſſe dixiſſet, quemadmodum in epiſtola ad Romanos dixit Rom. 8. 2 corpora noſtra mortalia vivificanda eſſe, non tamen hinc concludi poſſet, nos eadem numero corpora in reſuſcitatione habituros eſſe. Sufficeret enim, quod corpora alia, quæ in iſtorum locum ſuccedant, habituri ſimus. Quæ enim ſibi ſic ſuccedunt unum quodammodo ſunt, aliaque in aliis veluti renaſcuntur. Et talis reſuſcitatio corporum noſtrorum merito abolitioni ventris aut eſcarum opponitur. Venter enim & eſcæ ita abolebuntur, ut non tantum non numero eadem, ſed ne ſpecie quidem aut genere eadem unquam reditura ſint, & altera alteris ſucceſſura, ita ut priora in ſuccedentibus rediiſſe videantur. Et talem abolitionem intelligit apoſtolus: nam alioquin argumentum illius non recte procederet. Verum quia ipſe apoſtolus pro *corporibus* noſtris *nos* ipſos poſuit, nihil eſt neceſſe, ut huc confugiamus, ſed apoſtolum ipſum ſequamur. Continent vero hæc verba argumentum, cur corpora noſtra Domino dedere, & conſecrare penitus debeamus; quia nimirum magnum iſtius rei præmium reportaturi ſumus, nempe tale, quod non ſecus ac Dominus ipſe nos quoque a Deo reſuſcitandi ſimus. Domini autem reſuſcitationem commemorat, ut, ſi illi penitus conjungamur, certi ſimus, nos quoque reſuſcitandos eſſe. Domini enim reſuſcitatio reſuſcitationis omnium, qui illi adhærent, certiſſimum eſt documentum. In reſuſcitatione autem includitur immortalis & beata vita. Reſuſcitabimur enim incorruptibiles, & in illas ſempiternæ beatitatis ſedes tranſferemur.

*Per potentiam ſuam.* Mediam iſtius reſuſcitationis cauſam exprimit, nempe potentiam Dei: quam idcirco commemorat, quia ad tantum opus perficiendum ingenti ſit opus potentia: quam Deo ineſſe Domini noſtri ab illo peracta reſuſcitatio declarat, ita ut nullus relictus ſit dubitationi locus.

Verſ. 15. *Neſcitis quod corpora veſtra membra Chriſti ſunt?* Alio quodam argumento a ſcortatione Corinthios avocat. Corpora autem noſtra ſecundaria quadam ratione Chriſti membra eſſe dicuntur. Nos ipſi primo Chriſti membra ſumus, ſeu ad ejus corpus myſticum pertinemus, illudque tanquam membra conſtituimus, ut infra cap. XII docetur. Verum quia nos ipſi ſine corporibus eſſe non poſſumus, nec quicquam in corpore hoc myſtico agere, ac officio noſtro defungi; idcirco etiam corpora noſtra ſecundaria veluti ratione corporis Chriſti membra eſſe dicuntur. Quo pacto etiam intelligendum eſt illud, quod verſ. 13 habuimus, nempe corpus noſtrum non ſcortationi, ſed Domino deſtinatum eſſe, Dominumque corpori. Nam primo & præcipue nos ipſi Domino deſtinati ſumus; ſed in nobis etiam corpus noſtrum, quod nos conſtituit. Ideo etiam apoſtolus ſequenti verſu de reſurrectione noſtra loquens, quia eam huic noſtro corpori aptare non potuit, merito nos ipſos pro corporibus noſtris ſubſtituit.

*Sublatis igitur membris Chriſti faciam ſcorti membra?* Ex prius dicto nunc argumentum exſtruit, oſtenditque, quam indignum ſit Chriſtianum ſcortari: quippe qui Chriſti, tam ſancti Domini, membrum, nempe corpus ſuum, faciat meretricis impuræ membrum. Quid hoc facto poteſt eſſe indignius? Membrum

autem ſcorti fieri dicitur corpus ſcortantis, quatenus fit veluti commembrum ſcorti. Scortum enim non eſt totum quidpiam, aut caput reſpectu ſcortatoris; ſed una cum ſcortatore unum conſtituit corpus, quemadmodum ſequentia docent. Hoc pacto nos etiam dicimur alii aliorum membra, id eſt unius corporis commembra. *Abſit*, ut quiſquam noſtrum rem adeo indignam agat.

Verſ. 16. *Neſcitis, quod adhærens ſcorto unum corpus eſt?* Id quod aſſeruerat, confirmat, nempe ſcortatorem corpus ſuum commembrum ſcorti efficere: quia nimirum qui ſcorto ſeſe applicat eique agglutinatur, unum cum eo corpus efficitur. Ubique autem fere verbum *neſcitis* ingeminat, ne ignorantiam ullam poſſint obtendere.

*Erunt enim, inquit, duo in carnem unam.* Scripturæ dicto probat ſcortatorem cum ſcorto unum corpus unamve carnem effici. Quæ verba licet ſint de marito & uxore prolata, nihilominus tamen, quia eadem naturaliter conjunctio in ſcortatione eſt, quæ inter conjuges eſſe ſolet, & ob quam maritus & uxor una caro fieri dicuntur; idcirco jure apoſtolus ex hoc ſcripturæ dicto, ſcortatorem cum ſcorto unum fieri corpus, concluſit.

Verſ. 17. *Qui vero adhæret Domino unus ſpiritus eſt.* Rem ab oppoſito magis illuſtrat & quaſi confirmat apoſtolus, quaſi dicat qui ſcorto adhæreſcit, unum cum illo corpus efficitur, non ſecus atque etiam qui Domino adhæreſcit, unus cum illo fit ſpiritus, Adhærere Domino eſt illi penitus per fidem applicari. Fides enim in Chriſtum efficit, ut animo & ſpiritu ita illi conjungamur, ut unus quodammodo ſpiritus cum illo efficiamur, idemque ſit noſtrum velle ac nolle.

Verſ. 18. *Fugite ſcortationem.* Præceptum de vitanda ſcortatione iterum inculcat, quia novis argumentis illud confirmaturus eſt.

*Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus eſt: qui vero ſcortatur in proprium corpus peccat.* Ut doceat, quantopere ſcortationem fugere debeamus, oſtendit, hoc peccatum quiddam peculiare habere præ omnibus aliis; nempe, quod alia peccata committendo in proprium corpus non peccemus, ſcortando vero peccemus. Cujus rei alia ratio eſſe non videtur, quam quod ſcortatio non ſolum ſit actio turpis & inhoneſta, ſed etiam obſcœna. Actiones, quæ tantum turpes ſunt, & honeſtati non congruunt, licet corpore peragantur, animum tantum non corpus polluunt: at ſi ad turpitudinem & inhoneſtatem accedat etiam obſcœnitas, jam non tantum animus turpitudine, ſed etiam corpus obſcœnitate fœdatur, illique macula qnædam inuritur. Hinc eſt, quod hoc vitii genus impuritatis nomen peculiariter ſibi vendicet. Hinc eſt, quod Paulus de impuris iſtis libidinibus loquens, dicit, Deum tradidiſſe homines in paſſiones ignominiæ; id eſt ignominioſas, & dedecoris plenas, tradidiſſe in impuritatem, ut corpora ſua inter ſemetipſos dedecore afficerent Rom. 1. 24, 26. Hinc alibi monet 1 Theſſ. 4. 4, ab eodem ſcortationis vitio nos avocans, ut quiſque noſtrum vas, id eſt corpus ſuum, poſſideat in ſanctificatione & honore; eo ipſo oſtendens, ſcortatione corpus dehoneſtari.

Verſ. 19. *An ignoratis, quod corpus veſtrum templum ejus, qui in vobis, ſpiritus ſancti eſt?* Novo argumento utitur apoſtolus, oſtendens, quam ſancta ſint Chriſtianorum corpora, ac proinde quam longe abeſſe debeant, ſicut ab omnibus aliis vitiis, ſic vel inprimis ab hoc, quod corpus Deo ſacrum ac dicatum tanta fœditate contaminet. Templum eſt domicilium & habitaculum numinis. Corpora autem noſtra dicuntur eſſe ſpiritus ſancti templum; quia corpora noſtra, quemadmodum ſpiritui noſtro domicilium præbent, ſic etiam ipſi ſpiritui ſancto, qui ſpiritui noſtro a Deo infunditur & conjungitur.

Ideo dicit apoſtolus, cauſam reddens, cur corpora noſtra ſint ſpiritus ſancti templum: *qui in vobis*, eſt ſcilicet, vel reſidet, *ſpiritus ſancti*. Porro oſtendere volens, nos ipſius Dei domicilium eſſe, quia ſpiritus ſancti domicilium ſimus, addit:

*Quem habetis a Deo.* Quaſi dicat, quem ſpiritum ſanctum accepiſtis ab ipſo Deo; ac proinde ipſius Dei templum eſtis. Urgent hunc locum multi, ut oſtendant, ſpiritum ſanctum eſſe Deum, quia ſcilicet dicatur habere templum; quod nemini competat niſi Deo, cum templum ſit, ut diximus, numinis habitaculum. At ſcire debebant, templum quidem eſſe habitaculum ipſius numinis præcipue ac primario, ſed etiam eſſe habitaculum virtutis ejus, idque tanto magis, ſi pro numine ipſo virtus tantum numinis illic reſideat. Quare ſi ſpiritus ſanctus eſt ipſius Dei virtus, per quam Deus in nobis, ac proinde in corporibus noſtris habitet, optimo jure corpora noſtra ſpiritus ſancti templum eſſe dicuntur, etiamſi ſpiritus ſanctus ipſe Deus non ſit. Quid? nonne apoſtolus aperte ſpiritum ſanctum ab ipſo Deo diſtinguit, cum addit: *quem habetis a Deo?* At ſi ſpiritus ſanctus eſt ipſe Deus; quo pacto a Deo diſtingui poſſet, aut Dei nomen perſonæ ſpiritus ſancti opponi, ſeu ſolum patrem vel filium deſignare tum, cum ſpiritus ſanctus, qui æque ac pater & filius Deus eſt, illi contradiſtinguitur? Propterea aut ſpiritus ſanctus hic pro perſona ipſius ſpiritus ſancti ſumitur, aut pro illius donis. Si pro perſona, cur dicit Paulus, quem habetis a Deo? Quid enim hoc aliud eſt, quam quem divino munere & dono adepti eſtis? Num vero ſpiritus ſancti perſona a Deo donatur ac diſtribuitur? Si vero pro donis accipitur, ipſimet concedere coguntur, templum iis etiam rebus, quæ Deus non ſunt, tribui poſſe. Denique cum Paulus ex eo demum, quod ſpiritum ſanctum, qui in nobis habitat, habeamus a Deo, concludi vult, nos eſſe templum Dei, quod & alibi fit, vide 1 Cor. 3. 16. Epheſ. 2. 21. ult. 1 Joh. 3. ult. & 4. 13, quid hoc circuitu eſſet opus, ſi ſpiritus ſanctus eſt ipſe Deus? Quid? cur maluit Paulus dicere, quem habetis a Deo; quam qui ipſe Deus eſt? Nonne hac ratione ſine ullis ambagibus nos ipſius Dei templum eſſe concluſiſſet? nonne ita potius loqui debuiſſet, non vero & ſpiritus ſancti divinitatem ſupprimere, & vim argumenti ſui retundere?

*Et non eſtis veſtri ipſorum.* Novum attexit argumentum, ſumtum ex eo, quod noſtri juris non ſimus, ac proinde nec animis nec corporibus aliter quam ad Dei nutum uti debeamus: quod minime omnium fit, cum illis ad ſcortationem & voluptates impuras abutimur.

Verſ. 20. *Nam emti eſtis pretio.* Confirmat nos noſtri juris non eſſe, quippe qui grandi pretio a Deo emti ſimus; nempe pretioſo filii ejus ſanguine, quem eo fine impendit, ut nos mancipia ſua efficeret. Hinc videmus, quid Deus ſpectarit filium ſuum in mortem tradendo: nempe, non ut nobis infenſus & iratus placaretur, non ut ſeveritati ſuæ ſatiſfieret; ſed ut nos ad ſervitia ſua adigeret, teſtatum nimirum faciendo immenſum ſuum erga genus humanum amorem, & ſalutis noſtræ

ſtræ deſiderium, indubitatamque fidem promiſſionum ſuarum ingentium nobis faciendo, quarum ſpe ſolida ac deſiderio illecti & inflammati Deo nos penitus conſecraremus. Differt autem emtio a redemtione, quod redemtio ſervitutem præcedentem notet, non habita ratione ſequentis; imo libertatem potius, quæ ſervitutem exceperit innuit: emtio autem ſervitutem ſequentem deſignat non labita ratione ſervitutis alicujus præcedentis.

Non ſatis habuit dicere, *emti eſtis*; ſed addit vocem *pretio*: quamvis emtio non niſi pretio fiat: nimirum propter majorem emphaſin, ut tanto magis ingentis illius pretii, quod Deus in nos ſibi acquirendos impendit, admoneremur.

*Glorificate ergo Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* Superiori argumento concluſionem annectit: quia ergo veſtri juris non eſtis, ſed Deus vos ſibi magna impenſa in ſervitutem vindicavit, agite igitur, date operam, ut & corpore veſtro, & animo veſtro ad Dei laudem ac gloriam utamini: quandoquidem & corpus veſtrum & ſpiritus veſter non amplius veſter eſt, ſed Dei. Utimur autem corpore ad Dei gloriam, cum omnes actiones noſtræ, quæ corpore peraguntur, ex divinæ voluntatis norma fiunt. Similiter ſpiritu noſtro ad gloriam Dei utimur, cum actiones, quæ ſpiritu perficiuntur, divinis itidem mandatis ſunt conformes.

## CAP. VII.

### *ARGUMENTUM.*

*In hoc capite agit apoſtolus de conjugio & cœlibatu, interrogatus his de rebus per literas a Corinthiis, ut ex ipſo capitis initio perſpicuum eſt. Agit autem mixtim, prout in hanc vel illam partem incidit oratio, & tum conjugum, tum eorum, qui cœlibem vitam agunt, officia deſcribit.*

Verſ. 1. *De quibus vero ſcripſiſtis mihi.* Oratio in his verbis Pauli eſt elliptica: ſubaudiendum enim eſt, de iis tale reſponſum accipite, aut tale quidpiam ſimile. Quare perinde eſt ac ſi dixiſſet: Quod vero attinet ad ea, de quibus ad me ſcripſiſtis &c. Ex ſequentibus autem apparet, quibus de rebus ſcripſerint; nempe, quæ apoſtoli ſententia eſſet de cœlibatu & de conjugio, an non cœlibatus præſtet conjugio? &, an omnibus conjugio uti conveniat? annon conjugium quandoque disjungere liceat? De his enim omnibus reſpondet apoſtolus.

*Bonum homini mulierem non attingere.* Primum reſpondet, quid de cœlibatu ſentiat. Ait eum per ſe homini bonum eſſe. Vox *bonum* hoc loco non tantum id, quod pulchrum, honeſtum, & eximium eſt, ſignificare videtur; ſed etiam quod utile eſt & conducibile, τὸ συμφέρον, quemadmodum vox *homini* dativo caſu addita indicat. Utilis eſt autem homini cœlibatus, ſi rem per ſe ſpectes, tum ad majorem, qua animi, qua corporis, puritatem; tum ad curarum & moleſtiarum plurimarum, quas conjugium ſecum affert, vacuitatem; tum quod liberior, & minus diſtractus ſit animus ad cogitandum ac tractanda ea, quibus Domino complacere poſſis.

*Mulierem non attingere.* Uſum conjugii caſto & pudico nomine deſignat, nempe conjugum congreſſum. Nam hic eſt, qui conjugium cœlibatu, quod ad honeſtatis decus utilitatemque per ſe attinet, inferius reddit. Porro quod de homine, id eſt viro, dicit, etiam ex altera parte de muliere intelligi debet.

Verſ. 2. *Propter ſcortationes vero unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque proprium virum habeat.* Cauſam affert Paulus, cur, etiamſi cœlibatus conjugio per ſe præſtet, conjugio tamen utendum ſit. Unde apparet, conjugium rem per ſe malam ac inhoneſtam minime eſſe. Nec enim ulla cauſa efficere poteſt, ut Chriſtianis eo, quod per ſe turpe ac vitioſum ſit, uti liceat. Cauſam autem hanc affert apoſtolus, ut ſcortationes evitentur. Hæc enim eſt vis hujus phraſeos hoc loco, *propter ſcortationes*. Nam quoties res mala, qualis eſt ſcortatio, cum voce *propter* finalem cauſam, quæ ſemper bona eſſe debet, deſignante conjungitur, ſemper ejus ablatio & amotio intelligi debet. Utitur autem plurali *ſcortationum* voce; quia conjugio ſublato non una, ſed infinitæ ſcortationes ſequerentur. Itaque ἔμφασις eſt major in plurali ſcortationum nomine. Conjugium ergo eſt divinitus ordinatum remedium, quo ſcortationum ac impuritatum infinitarum fœdiſſimis morbis occurratur. Hinc apparet, quotieſcunque ſcortationis periculum imminet, neminem a conjugio arcendum eſſe; non ſecus ac remedio prohibendus nemo eſt, cum periculum eſt a morbo. Remedia enim morbi tollere quid aliud eſt, quam morbis graſſandi licentiam dare? Quare excuſare nullo pacto ſcortationum morbum poſſunt, qui conjugium iis etiam, qui a ſcortatione continere ſeſe nequeunt, prohibendo, infinitis ſcortationibus, & fœdiſſimis libidinibus anſam dederunt. Licet vero etiam alii ſint honeſti & naturæ conſentanei fines, qualis verbi cauſa ſobolis propagatio: tamen eos non commemorat apoſtolus: quia cum ſobolem non propagare peccatum non ſit, nullam hic finis ineundi conjugii neceſſitatem illis imponit; nec periculum ullum eſt, ne propter nimiam continentiam humanum genus propagari deſinat; cum tanto libidinis æſtu flagrent homines, ut ne conjugiis quidem, illis a Deo conceſſis & ordinatis, infinitis ſcortationibus occurri poſſit. Quocirca etiamſi per ſe cœlibatus conjugio multum præſtet, præferendum tamen viciſſim cœlibatui conjugium eſt, propter nimirum ſcortationum evitationem, quæ cauſa omnibus conjugii incommodis multo major eſt.

*Unuſquiſque ſuam uxorem habeat. Unuſquiſque.* Nimirum nullius ſtatus, nullius conditionis hominem excipit apoſtolus, quicunque ſcortationis iſtius morbo obnoxius eſt, & qui ut infra loquitur apoſtolus, initur, id eſt, veluti quodam calore, acribus ſtimulis ad libinem excitatur. Melius enim eſt nubere, quam uri, quam in perpetuo peccandi periculo verſari. Licet enim nobis de peccato uſurpare id, quod quidam de ejus anſa dixit: Quem ſæpe peccatum tranſit, aliquando & invenit. Periculoſum eſt, ſi non ſatis viribus inſtructus ſis totus, hoſtem laceſſere, & pugnæ aleam ſubire. Nam quod non cuivis abſolute matrimonium præcipiat Paulus, finis ejus contrahendi indicat, ex quo univerſalis iſta particula determinanda eſt. Præterea hoc præceptum, etiam poſita ea, quam apoſtolus commemorat, cauſa, non ita accipiendum eſt, quaſi omnino neceſſarium ſit matrimonio copulari. Nam ſi quis iſto ſcortationis remedio non adhibito, ſola animi conſtantia, ac virtutis & pietatis invicto propoſito morbum hunc

fuget, & vim cupiditatis domet ac frangat, is tanto majori laude dignior eſt, quanto durius certamen ſuſtinuit : tantum abeſt, ut eo nomine reprehendi mereatur ; quemadmodum etiam ex altera parte non tantum aut coelibatus laudis & dignitatis, aut matrimonium indignitatis habet, ut ſublato gravi & præſentiſſimo ſcortandi periculo illud contrahere pietati Chriſtianæ adverſum ſit. Utriſque liberum eſt matrimonii vinculo copulari : quia tum iis qui magis, tum qui minus libidinis urgentur ſtimulis, Deus voluit conſultum.

Quare cum apoſtolus ſcribit : *Quiſque ſuam uxorem habeat, & quævis proprium virum habeat*, non id præcipit, quod omnino factu neceſſarium ſit, ita ut aliter fieri, poſito nimirum illo fine, non debeat ; ſed quod fieri expediat atque conducat. *Suam* id eſt, non communem, aut alienam quandam, ut in ſcortatione & adulterio fit ; ſed quæ ipſi ſoli matrimonii lege ſit copulata.

*Et quaque proprium virum habeat.* Hæc verba non minus excludere videntur plures unius uxoris viros, quam & illa plures unius viri mulieres. Cur enim non eundem ſenſum habeant, quæ eadem ratione prolata ſunt ? Et, ſi illic propria uxor communi opponitur, cur hic proprius vir communi viro opponi non debet ? Adde, quod Paulus de remedio agat, quo tam ex parte mulierum, quam ex parte virorum ſcortationibus occurratur. At ſi non æque mulier ſuum proprium virum habeat, quo quoties velit uti poſſit, quemadmodum vir propriam ſuam uxorem habet, quo pacto mulieribus earumque infirmitati erit conſultum ? Manifeſtum ergo videtur, ita ab apoſtolo viri & uxoris jus æquari, ut non minus una uxor unius mariti, quam unus maritus unius uxoris eſſe debeat.

Verſ. 3. *Uxori vir benevolentiam debitam reddat ; ſimiliter vero & uxor viro.* Monet conjuges, ne alter alterum conjugii uſu privet. Si enim hoc fieret, quid attineret in conjugio agere vitam ? imo hæc conjugii medicina verteretur in venenum, tantoque majori periculo peccandi conjuges involveret, quam ſcortatio. Notandum vero eſt, quam caſte & verecunde ubique uſum conjugii deſignet apoſtolus.

Verſ. 4. *Uxor proprii corporis poteſtatem non habet, ſed vir.* Cauſam monitionis præcedentis ſubnectit. Non debet uxor marito ſeſe ſubducere ; quia corpus uxoris eſt in viri poteſtate, ut eo, cum opus ſit, utatur. Viciſſim etiam vir uxori corporis ſui copiam debet facere ; quia corpus viri non minus eſt in poteſtate uxoris, quam hujus in poteſtate viri. Ex hac æquata uxoris cum marito poteſtate, ita ut non minus mariti corpus ſit in poteſtate uxoris, quam hujus in poteſtate mariti, unius mariti unam tantum uxorem eſſe debere conſequitur. Si enim plures eſſent, quo pacto ſingulæ plenum in mariti corpus jus haberent, ita ut eo, cum opus haberent, uti poſſent ?

Verſ. 5. *Ne fraudet alter alterum.* Perſequitur monitionem verſ. 3 propoſitam, eamque hic aliqua ratione limitat, cum ſubjicit : *niſi quod forte ex conſenſu ad tempus* ; oſtendens poſſe interdum conjuges alterum alteri ſui copiam non facere, accedente nimirum mutuo conſenſu. Nam pulchre ſive Hieronymus, ſive alius quiſpiam ad Cleantiam : Non poteſt unus rem duorum offerre Deo : ſic non poteſt unus conjugum ſine alterius voluntate ac conſenſu corpus ſuum conſervare caſtitati.

*Ad tempus.* Id eſt, ad certum aliquod tempus, non in perpetuum.

*Ut vacetis jejunio & precationi.* Finem addit, propter quem conveniat, ut conjuges mutuo conſenſu ad certum aliquod tempus caſtitatem & ab uſu matrimonii abſtinentiam ſibi indicant. Jejunium cum precibus conjungit : quia jejunium nunquam debet eſſe ſine precibus. Convenit autem, ut eo tempore, quo jejunio ac precibus quiſpiam vacat, & rem tam ſanctam tractat, vel etiam illi tractandæ ſe parat, ab uſu conjugii abſtineat. Ex hoc loco colligi poteſt, uſitatas tum fuiſſe inter Chriſtianos jejuniorum ac precum exercitationes : qui mos utinam nunc quoque in privatis Chriſtianorum ædibus revocetur !

*Et rurſum ſimul convenite.* Honeſtiſſime ubique loquitur apoſtolus.

*Ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.* Cauſam finalem ſubjicit, cur conjuges poſt alicujus temporis ab uſu conjugii abſtinentiam iterum convenire velit, nempe ut tentationem ſatanæ effugiant. Tentatio autem hic cum effectu ſumenda eſt ; non tantum pro ſollicitatione, ſed etiam pro adductione ad peccatum : id eſt, ne vos ſatanas ad peccatum & ſcortationes adducat. Cauſa autem, cur tam ſolicite caveri velit, ne a ſatana tententur, eſt eorum incontinentia, id eſt, quod non ſatis regere ſe poſſint, & a conjugii uſu abſtinere. Unde apparet Paulum iſtud non ſimpliciter præcipere, ſed habita ratione eorum infirmitatis & incontinentiæ : quod ipſemet etiam teſtatur cum ſubjicit :

Verſ. 6. *Hoc vero dico ſecundum conceſſionem, non ſecundum præceptum. Hoc*, id eſt quod modo dixi, ut conjuges ſimul verſentur, & ſe invicem utantur, non ita accipi volo, quaſi ſic omnino fieri debere præcipiam : liberum enim eſt conjugibus, nec liberum tantum, verum valde honeſtum ac utile, mutuam ſibi caſtitatem indicere : ſed pro conceſſione tantum quadam id haberi debet, qua veſtræ infirmitati & incontinentiæ conſultum volo.

Verſ. 7. *Volo enim omnes homines eſſe, ut & ipſe ſum.* Rationem ſubjungit, cur id, quod dixit, pro præcepto haberi nolit : quia nimirum contrarium potius, ſi fieri ulla ratione poſſet, deſideraret ; quod & ipſe faciebat. *Volo* deſiderantis eſt, non præcipientis : id eſt, velim, ſi modo fieri poſſet, *ut omnes homines eſſent, ut & ipſe ſum*, id eſt, ut omnes homines a conjugii uſu abſtinerent, quemadmodum & ego abſtineo. Voces *omnium hominum* indicare videntur, Paulum de ea re loqui, quæ in cujuſvis hominis arbitrio ſita eſſe poſſit ; ac proinde tam conjugatis, quam ſolutis matrimonio conveniat. Diſputatur, an Paulus cœlebs fuerit, an vero uxorem quidem habuerit, ſed ipſa conſentiente a matrimonii uſu abſtinuerit. Poſteriori ſententiæ magis favet hic verſiculus, de quo nunc agimus ; priori vero magis is qui proxime ſequitur, in quo ſe iis qui uxore carent, annumerare videtur. Qui poſteriorem ſententiam amplectuntur duobus potiſſimum nituntur locis. Unus eſt in hac ipſa epiſtola cap. IX. 5, cum Paulus ſcribit : *An non habemus poteſtatem ſororem uxorem circumducere, quemadmodum & reliqui apoſtoli, & fratres Do-*

*tres Domini, & Cephas?* Quibus verbis oſtendit, ſe ſua libertate in circumducenda uxore non uti. At ſi uxore carebat, poterat illi objici, eum non idcirco uxorem non circumducere, quod libertate ſua uti nollet; ſed quod cum uxorem non haberet, eam circumducere non poſſet. Nam ſi diceret, poſſe ſe uxorem ducere, ac ductam circumducere, reſponderi poterat, longe aliis eum cauſis a ducenda uxore prohiberi, quam ne ejus circumducendæ libertate uteretur, quæ ſi non obſtarent, illum ducturum uxorem, ac ductam, ut alii faciunt, circumducturum eſſe. Quicquid ſit, ſi uxore caruit Paulus, multum de pondere iſtius rei, quod libertate ſua in circumducenda uxore non uteretur, decedere videri poſſet. Alter locus eſt in epiſtola ad Philipp. cap. 4. 2,3, ubi ſic ſcribit apoſtolus: *Euodiam rogo, & Syntychen rogo, ut idem ſapiant in Domino. Et rogo etiam te conjux germana, adjuva ipſas, quæ in euangelio mecum certarunt.* Nam ſi Græcas voces, quibus utitur Paulus, σύζυγε γνήσιε, in genere fœminino ſumamus, dubium non eſt, quin uxorem Pauli ſignificet. Fœminino autem ſumendas eſſe, iſtius perſonæ, quam deſignat Paulus, cum fœminis conjunctio indicare videtur, præſertim cum eam non tanquam principale agens, in negotio, de quo loquitur, ſed tanquam fœminarum iſtarum adjutricem conſideret, quod non videtur facturus fuiſſe, ſi virum aliquem ſocium ſuum in propagando euangelio intellexiſſet. Adde, quod nuſpiam apoſtolus ſocios ſuos συζύγους vocet. Sed non multum in eo ſitum eſt, utra ſententia vera ſit. Id conſtat, Paulum in apoſtolico munere verſantem perpetuam caſtitatem ſervaſſe; quod propemodum majus quid eſt ſi uxoratus, quam ſi cœlebs fuit.

*Sed quiſque proprium donum habet ex Deo.* Oſtendit Paulus, id fieri non poſſe, vel etiam ut fiat neceſſarium non eſſe, quod de ſe dixit; quia nimirum non omnes idem donum a Deo habeant, ſed alii hoc, alii illud; ac proinde nec donum continentiæ, quod ad perfectam caſtitatem requiritur, omnibus inſit. Multi enim tanto cupiditatis ardore flagrant, ut ſeſe continere vix ac ne vix quidem poſſint, etiamſi maximam ſibi vim inferant. Unde apparet, quam inique faciant, qui iis etiam, qui dono continentiæ deſtituti ſunt, iſtam imperitant, quam ne iis quidem, qui continentiores ſunt, fas erat indicere. Voluntarium enim eſſe debet hoc caſtitatis ſacrificium. Porro ex iſtis apoſtoli verbis, cum ſe cupere dicit, ut omnes homines caſtitatem eo pacto ſectentur ut ipſe, apparet, eum non habuiſſe ejus rei rationem, quod humanum genus hoc pacto interiturum eſſet: vel quia ſolam caſtitatis rationem per ſe ſpectavit, non habita ratione ejus, quod inde per accidens ſequeretur, incommodi; vel quia, ut Bernardus, ni fallor, cuidam contra cœlibatum diſputanti reſpondit, non poſſit mundus pulchriori quam caſtitatis exitu terminari.

*Alius quidem ſic, alius autem ita,* id eſt alius habet hoc donum a Deo, alius vero habet aliud. Qui donum continentiæ non habet, aliud loco illius habet.

Verſ. 8. *Dico autem innuptis & viduis, bonum ipſis eſt, ſi maneant ut & ego.* In compendium quoddam redigit apoſtolus id quod hactenus dixit. Oſtendit, ſi res per ſe ſpectetur, longe melius eſſe matrimonii uſu, ac proinde ab ipſo matrimonio abſtinere; ſed ſi habeatur ratio incontinentiæ & uſtionis, melius eſſe matrimonium inire. Τοῖς ἀγάμοις nomine ſolos viros, qui vel cœlibes, vel vidui vivunt, intelligere videtur apoſtolus. Nam viduarum nomen apponit, ad virgines, ut arbitror, excludendas, de quibus verſ. 25 diſtincte loquitur.

*Bonum ipſis ſi maneant ut & ego.* Id eſt, ſi caſtitatem ipſorum ſtatui convenientem ſervent, ut etiam a me fit.

Verſ. 9. *Si vero ſe non continent, matrimonium contrahant.* Id eſt, ſed ſi incontinentia obſtat caſtitati, utantur matrimonii medicina. Non intelligit autem apoſtolus incontinentiam, quæ in actum aliquem impurum jam eruperit: matrimonio enim occurri illi vult, ne erumpat: ſed quæ erumpere perpetuo conetur, ita ut in magno peccati periculo quiſpiam verſetur. Itaque perinde eſt, ac ſi apoſtolus dixiſſet: ſin vero ſe continere non poſſunt, quin aut peccandum ſit, aut matrimonium ineundum, hoc poſterius faciant.

*Melius enim eſt nubere quam uri.* Cauſam dicti ſui affert apoſtolus; quia *melius*, id eſt tutius aut conſultius eſt ad matrimonii medicinam confugere, quam uſtione ſeſe peccandi periculo exponere. *Uri* eſt libidinis quadam veluti flamma vehementer ſtimulari. Quod licet per ſe peccatum non ſit, in peccatum tamen facile deſinit. Hanc uſtionem ſi quis ſpiritualibus mediis, ardentibus nimirum precibus, jejuniis, piis meditationibus aliiſque exercitationibus reſtinguat, ſi inſitum hunc libidinis affectum extra matrimonium mitiget, næ is tanto pulchriori virtute ac victoria potitus eſt, quanto ea majori labore ac ſudore illi conſtitit. Verum præſtat interdum minori quidem cum gloria, majori tamen cum ſecuritate litus legere, quam tenſis in altum velis, fracta navi, fluctibus obrui. Non enim videtur apoſtolus matrimonium cum uſtione ratione honeſtatis aut bonitatis moralis conferre: cum uſtio ipſa, ut diximus, per ſe nec bona nec mala ſit moraliter, & per virtutem conjugio multo potiorem vinci poſſit: ſed tantum ratione ſecuritatis, quod matrimonium contrahere multo ſit ad peccatum evitandum tutius; licet uſtionem conſtanti continentia ſuperare tanto ſit pulchrius ac glorioſius, quanto periculoſius ac incertius.

Verſ. 10. *Iis vero, quo matrimonio conjuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, ne ſeſe uxor a viro ſeparet.* Poſtquam ſuaſit iis, qui ſeſe continere nequeunt, ut matrimonium contrahant; nunc docet, quam indiſſolubile ſit matrimonii vinculum, quamque non liceat conjugibus a ſe invicem diſcedere, ut ſciant qui matrimonium ineunt, quali capiſtro ora præbeant.

Ait autem, *præcipio*, ut conſtet, hoc præceptum eſſe non conſilium.

*Non ego*, inquit, *ſed Dominus.* Magis adhuc oſtendit, ſe non ex privata ſua ſententia loqui, ſed Domini præceptum proponere. Quibus verbis indicat, ſe cum ſuperiora de contrahendo matrimonio ſcriberet, non præceptum ullum iis dediſſe, quo plane obligentur, ſed tantum conſilium.

*Ne ſeſe uxor a viro ſeparet.* Paſſivum χωρισθῆναι, pro activo actionem in ſeſe reciprocante ſumi debet. Agit enim Paulus de ſeparatione quæ ſponte neo motu fit, non quæ coacte; quippe quæ præcepto vetatur. Per ſeparationem autem intelligitur non matrimonio renunciatio, aut illius diſſolutio, quæ

nullo pacto uxori competit; ſed ſejunctio a mariti convictu ac conſuetudine, quam vulgo tori ſeparationem vocant. Apparet id ex ſequentibus, cum addit apoſtolus:

Verſ. 11. *Si vero & ſeparetur maneat innupta, aut viro reconcilietur.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, aliud eſſe ſeparari a viro, aliud matrimonii vinculum plane ſolvere: cum poſt ſeparationem vinculum matrimonii nihilominus manere velit apoſtolus. Oſtendit autem Paulus, fieri quandoque poſſe, ut uxor mariti convictum ac conſuetudinem deſerat; & præceptum iſtud a marito non diſcedendi non ita ſtricte accipiendum eſſe, ut neceſſitati nullus ſit relictus locus. Non debet quidem uxor temere, & ſine ulla juſta ac gravi cauſa virum deſerere: ſed ſi intolerabilis viri moroſitas, & cohabitatio cum eo maximis cum miſeriis ac doloribus conjuncta ſit, ſine ullo peccato uxor ſecedit a viro. Non enim viro ſe junxit, ut tanquam vile aliquod mancipium, aut plus quam mancipium tractetur; ſed potius, ut cum illo, tanquam corpus cum capite coaleſceret, & ſuæ felicitati ac commodis tanto melius proſpiceret. Sed quid? num ita diſcedere licet uxori a viro, ut liberum illi ſit alteri nubere? Negat hoc apoſtolus. Non enim deſiit eſſe prioris mariti uxor. Uſu tantum uxor ejus eſſe deſiit, non jure ac proprietate.

*Aut viro reconcilietur.* Quod ſi durum illi videtur ſine viro vivere, redeat cum viro in gratiam.

*Et ne vir uxorem dimittat.* Idem præceptum etiam ad viros pertinere docet, ne uxores relinquant, & res ſuas ſibi habere jubeant, niſi ſint ad hoc gravi aliqua cauſa & uxorum inſolentia coacti; multo vero minus matrimoni jura ac vinculum iis diſſolvere licet, unica tantum fornicationis cauſa excepta. Secedendi ab uxore plures dari poſſunt cauſæ; at illius repudiandæ tantum unica, quemadmodum apparet ex Chriſti verbis Matth. 5. & 19.

Verſ. 12. *Reliquis vero ego dico, non Dominus.* Quos *reliquorum* nomine intelligat apoſtolus, ſequentia docent, cum addit:

*Si quis frater uxorem habet infidelem &c. & uxor ſi quæ habet maritum infidelem* &c. Intelligit ergo eos, qui matrimonio conjuncti erant infideli vel uxori, vel viro: quæ matrimonia apoſtolus opponit matrimoniis utriuſque conjugis fidelis, dum & conjuges tales *reliquos* appellat, tanquam ſi eorum matrimonia in cenſu matrimoniorum numerari non debeant: & id quod alioquin in matrimoniis utriuſque conjugis fidelis præceptum eſt, in his præceptum non eſſe oſtendit, cum addit:

*Ego dico, & non Dominus.* Quo enim alio hæc verba ſpectant, quam ut oſtendat, ſequens dictum, nempe, ne ſeſe fidelis ab infideli, volente una cum fideli habitare, ſejungat, non eſſe ipſius Domini præceptum, ſed tantum ſuum conſilium? At hoc in matrimonio utriuſque conjugis fidelis omnino præceptum Domini eſſe in præcedentibus Paulus docuit. Cujus rei nulla alia videtur eſſe cauſa, quam quod matrimonium cum infideli ſit aliqua ratione impurum & illicitum; quia ſcilicet non plane eſt ex divina voluntate, utpote qui homines impuros, quales ſunt infideles, nulla re uti velit. Unde etiam apoſtolus alibi de uſu ciborum loquens ait; impuris & infidelibus nihil eſſe purum, puris autem omnia eſſe pura Tit. 1. 15; & alibi cibos ait a Deo conditos eſſe ad uſum cum gratiarum actione fidelibus & cognoſcentibus veritatem 1 Tim. 4. 3. Quod vero de cibis dicitur, illud etiam jure transferri debet ad aliarum rerum uſum, atque inprimis ad matrimonium. Atque hæc etiam eſt cauſa, cur olim ſub veteri fœdere iſtiuſmodi matrimonia plane fuerint irrita Eſdr. IX. & X: ita ut cogerentur illa diſſolvere, qui ea contraxerant. Qua in re differt novi fœderis lenitas a veteris rigore, quod iſta conjugia diſſolvendi nulla nobis ſit impoſita neceſſitas, imo etiam conſilium detur ab apoſtolo, ne conjugum fidelium alter ab infideli una habitare volenti ſeſe disjungat: quandoquidem tanta eſt Chriſtianorum ſanctitas, quemadmodum paulo poſt docet apoſtolus, ut conjugem infidelem fidelis alteruter ſanctificet. Porro cum ait apoſtolus, hoc a ſe dici, non a Domino præcipi, ne ſcilicet conjugum alter ab altero infideli invito ac nolente ſe ſejungat, hoc per ſe intelligi debet, non per accidens. Intervenire enim ejuſmodi circumſtantiæ poſſent, ut id facere nullo modo ſit licitum; peccaretque in eo graviſſime conjux fidelis contra charitatis, vel contra communis ædificationis, ac publici ſcandali vitandi legem.

*Si quis frater uxorem habet infidelem, & ipſa libens conſentiat habitare cum eo, ne deſerat ipſam.* Oſtendit quid facere conveniat maritum fidelem, quocum uxor infidelis habitare conſentit, ac proinde illi nova neceſſitas cum uxore vivendi imponitur, nempe eum non debere ſeſe ab uxore ſejungere.

*Ne deſerat ipſam.* Id eſt, ne eam ſecum habitare volentem ſui cohabitatione ac conſuetudine conjugali privet. Non loquitur hic Paulus de divortio, quo matrimonii vinculum ſolvitur. Nam alioquin licet per ſe fideli matrimonii vinculum, quod cum infideli contraxit, diſſolvere, etiamſi infidelis illud firmum ac ratum eſſe velit: quandoquidem Paulus hic conſilium tantum ſuum dat, non præceptum Domini proponit. At cum matrimonium cum infideli contractum, per fidelem conjugem ſanctificetur non videtur Dominus ullo modo permittere, ut ejus diſſolvendi a fideli fiat initium.

Verſ. 13. *Et uxor, quæ habet maritum infidelem* &c. Idem dicit & conſulit uxoribus, quod modo conſuluit viris.

Verſ. 14. *Sanctificatus enim eſt vir infidelis in uxore, & ſanctificata eſt uxor in viro.* Cauſam præcedentis conſilii ſubjungit per quandam occupationem. Poterat enim quis Paulo objicere: at quomodo mihi licebit cum homine profano & polluto verſari, & quidem in tam arcta matrimonii ſocietate? nonne ipſius profana vita labem aliquam mihi coram Deo aſperget? Reſpondet Paulus, fidelem conjugem per infidelem non pollui; ſed potius infidelem per fidelem ſanctificari.

*Sanctificatur maritus infidelis.* Sanctificatio iſta latius extendenda non eſt, quam ſubjecta materia requirit. Sanctificatur, quatenus illi matrimonio uti fas eſt.

*In uxore.* Id eſt, per uxorem, nempe fidelem. Quia enim uxori fideli licet marito uti, inde fit,

inde fit, ut etiam marito liceat uti uxore. Nec enim uxor marito uti potest, quin vicissim uxore maritus utatur.

*Alioquin ergo liberi vestri impuri sunt.* Confirmat id quod dixit de sanctificatione conjugis infidelis per fidelem a consequente absurdo: quia si conjugum unus per alterum, nempe fidelem non sanctificaretur, liberi, qui ex tali matrimonio procrearentur, essent impuri.

*Nunc autem sancti sunt.* Subsumit apostolus: atqui non sunt impuri, sed sancti. Particula *nunc* hoc loco non est temporis adverbium, sed est conjunctio, qua uti solemus in argumentorum assumtionibus. Impuri autem dicuntur liberi, quatenus ex illicito respectu Dei matrimonii usu sunt progeniti: unde fit, ut eos Deus ratione ortus ipsorum aliquo modo abominetur; *sancti* vero dicuntur, quia ex licito & a Deo concesso matrimonii usu sunt procreati, & eatenus ratione ortus sui Deo quodammodo sunt sacri & accepti.

Vers. 15. *Si vero infidelis separatur, separetur.* Nunc etiam ostendit, quid faciendum sit fideli conjugi, si infidelis cum eo degere nolit, sive sit maritus, sive uxor.

*Separetur*, inquit, id est, permittatur illi discedere, abeat sane, habeat sibi res suas, quando illi hæc in animo fixa sententia est. At molestum est & periculosum sine uxore, vel sine viro vivere.

*Non est servituti* (subjicit apostolus) *subjectus frater aut soror in talibus.* Cui servituti? ut cum conjuge discedere volente habitare cogatur? At, etiamsi velit, non potest. Quare nil erat necesse eum ex hac servitute eximere. Quid? quasi hæc non esset multo major servitus sine viro, vel sine uxore vivere. An quia non est adstrictus, ut abscedentem conjugem omni ratione conetur retinere, aut illi supplex fieri? At hæc exigua libertas est, & parum proficua, si nihilominus viduæ vitæ, imo tristioris quam viduæ maneat servitus. Quam ergo servitutem intelligit apostolus? Non aliam, opinor; quam vinculo matrimonii conjugi infideli fidelem deserenti obstrictum teneri, quæ summa foret & indigna servitus. Nam cum apostolus matrimonio utriusque conjugis fidelis opponat matrimonium, in quo alter conjugum sit infidelis; apparet, ut quemadmodum aliqua utriusque matrimonii debet esse paritas, sic etiam aliqua vicissim imparitas. Paritatem quandam modo esse docuit, ne conjux fidelis ab infideli altero se segreget, sed conjunctus, si per eum liceat, cum ipso maneat. Imparitas vero in eo est, quod in illo quidem etiam post separationem unius conjugis ab altero maneat matrimonialis copula intacta & illibata, ita ut nec viro alteram uxorem ducere, nec uxori alteri viro nubere fas sit: in hoc vero, si per infidelem fiat separatio, non amplius vinculo matrimonii fidelis teneatur. Sed obstare videntur Christi verba, qui nulla re quam uxoris adulterio solvi matrimonium docuit. Nec nodum expediunt, qui Christi verba eos tantum stringere docent, qui ipsi deserunt matrimonium, non vero qui deseruntur. Nam Christus de uxore deserta & repudiata extra adulterium dixit, eam moechari, si alteri nubat. Cur vero? non quod ipsa deseruerit virum adulterum, quem ne si quidem adulter sit, fas ei est abdicare; sed quod matrimonii copula nulla alia re frangi, quam uxoris adulterio, queat. Unde fit, ut & vir aliam ducens, quippe cui plures una habere uxores amplius non liceat, & uxor alteri nubens moechetur. Quare non minus cum vir ab uxore deseritur, quam cum uxor deseritur a viro, nefas est, extra adulterii ab uxore commissi causam, novas nuptias tentare. Quid ergo? num apostolus Christi dictum, quod tanta cum severitate protulit laxat? Nequaquam: sed Christus loquitur de matrimonio quod ipsius Dei respectu prorsus sit legitimum, ita ut ipse Deus illud conjunxisse censeatur, quatenus nimirum illud plane approbat, & pro rato ac grato habet, quippe quod illius voluntati congruat; quod fit, cum inter utrumque fidelem, quibus solis omnibus rebus a Deo conditis uti fas est, componitur. Paulus vero loquitur de matrimonio, quo fidelis cum infideli ceu impari quodam jugo conjunctus est: quod, si Deum spectes, non prorsus est legitimum, sed quodammodo indifferens. Nec enim Christi dictum tam late extendi debet, ut illa etiam matrimonia, quæ alioquin lex irrita esse censebat, stabilire voluisse censeatur, quasi eius vi non amplius liceat ne tum quidem uxores infideles abdicare, cum a maritis fidelibus discedunt. Et, si hoc esset, cur Paulus de matrimonio fidelis cum infideli agens, se, non vero dominum, id dicere affirmat, ne fidelis infidelem secum degere volentem deserat? Nonne ipse Paulus docuit intra quos fines Christi verba accipi debeant? Etiamsi vero fidelis conjux ab infideli desertus nullo ei matrimonii jure obstringatur, longe tamen convenientius, & Christianæ disciplinæ tam sanctæ magis consentaneum est, ut abstineat a nuptiis & viduam agat vitam, præsertim quamdiu infidelem, qui deseruit, idem facere videat, tantoque magis, si is religione quadam a novo matrimonio prohiberi se putet. Nec enim convenit, ut infidelis fideli sit aut continentior, aut religiosior.

*Frater aut soror.* Ostendit parem hac in in parte esse conditionem, tam uxoris, quam viri fidelis; ita ut non minus uxor deserta soluta sit à vinculo matrimonii, quam vir desertus.

*In talibus*, id est, rebus, quoties nimirum contingit, ut infidelis fidelem conjugem deserat.

*In pace vero vocavit nos Deus.* His verbis libertatem istam limitat Paulus, ne in licentiam abeat. Inculcat enim fidelibus eorum officium, nempe ut pacem ac concordiam sectentur: quæ si cum omnibus omni studio sectanda est, quanto magis cum iis, quibus tam arcto matrimonii nexu adstricti sumus? Quocirca non debet fidelis conjux ullam divortii ac separationis occasionem infideli præbere; sed eum omni officio, obsequio ac benevolentia sibi devincire. Quæ admonitio valde utilis & necessaria est, ne ii, qui libenter matrimonio solvi vellent, ut novum contraherent, hac sua libertate, cum Christianæ religionis maximo dedecore abutantur. Particula δὲ posita est, ut alibi sæpe, pro ἀλλὰ *sed*; quæ hoc loco idem valet quod *tamen*. quasi. dicat Paulus: etiamsi in talibus servituti non sit subjectus frater aut *soror*; tamen meminisse debetis, quod nos in pace vocaverit Deus.

*In pace*, id est, cum pace, ut scilicet pacem unice colamus cum omnibus, nullisque dissidiis ne minimam quidem causam præbeamus.

Vers. 16. *Quid enim scis mulier, si virum servabis?* Causam affert, cur fidelis conjux pacem omni studio cum infideli conjuge colere, nec ullam divortio vel separationi occasionem præbere debeat, ab insigni emolumento, quod hinc consequi possit, desumtam. Fieri enim facile potest, ut si conjux infidelis fideli adhæreat, ejus ope ac consuetudine tandem ad Christianam

religionem adducatur, & ſic ſalutem ſempiternam conſequantur.

*Servabis*, id eſt, cauſa ſalutis eris. Videtur autem hoc ſenſu negative potius hanc interrogationem debuiſſe proponere apoſtolus: qui ſcis mulier, an virum non ſervabis? Verum & hoc pacto eadem ſententia exprimi ſolet. Qui enim, an aliquid ſit futurum, non novit, is neque novit, an futurum non ſit. Sic apud Joëlem cap. 2. 14, poſtquam homines ad pœnitentiam cohortatus eſſet, legimus: *Quis ſcit, ſi convertatur* (nempe Deus) *& pœniteat eum, relinquat poſt ſe benedictionem*, id eſt, quis ſcit, an non convertatur etiam, ſi noſtram converſionem ac poenitentiam videat.

Verſ. 17. *Si non unicuique ſicut impertitus eſt Deus*: Generale tradit monitum Paulus, ut quiſque in eo ſtatu ac vitæ genere maneat, in quo eum divina per Chriſtum vocatio offendit: ne quis putet, Chriſtianam religionem omnium rerum perturbationem ſecum inducere, aut Chriſtianæ religionis obtentu vitæ genus, quod illi forte non arrideat, conetur mutare. Ex hoc autem generali monito conſequitur, ut conjux, qui Chriſtianam religionem ſuſcepit, conjugi infideli conſtanter adhæreat, nec ullam diſſolvendi conjugii anſam præbeat. Particulæ εἰ μὴ *ſi non*, *niſi*, adverſativæ ſunt, ideoque quandam ſuperiorum limitationem continent. Non continent autem limitationem proxime præcedentium, in quibus idem in ſpecie docetur, quod hic monet apoſtolus in genere. Quare opponuntur ſuperioribus, in quibus apoſtolus conjugi fideli deſerto ab infideli libertatem indulſit deſerendi viciſſim infidelis: quod fecit in priore particula verſiculi 15. Itaque interjecta ſtatim admonitione ad ſectandam pacem ac evitandas divortii ac ſeparationis cauſas, nunc magis adhuc conceſſionem ſuam limitat, &, quid illi obſtare poſſit, docet. Hoc autem eſt, quod quiſque ſpartam, quam nactus eſt, ornare, id eſt in ſuo ſtatu ac vitæ genere permanere, & in eo, quemadmodum decet, ſeſe gerere debeat.

*Unicuique ſicut impertitus eſt Deus, unumquemque ſicut vocavit dominus.* Trajectio eſt, pro, ſicut unicuique impertitus eſt Deus, ſicut unumquemque vocavit dominus, ſic ambulet. Quia de vitæ genere Paulus loquitur, propterea hæc impertitio Dei, id eſt a Deo unicuique facta, de cujuſque vitæ ſtatu ac conditione debet intelligi. Quam Deus impertiri dicitur, quia nihil ab hominibus geritur ſine ejus cura; ac providentię illius eſt hanc magnam orbis familiam regere, & cuique ſuam ſortem ac vitæ genus aſſignare.

*Sicut unumquemque vocavit dominus*, id eſt in quali vitæ ſtatu ac conditione unumquemque dominica vocatio offendit. Quia voci dominus in Græco eſt appoſitus articulus, apparet (qui Pauli in primis mos eſt) Jeſum Chriſtum unicum illum dominum deſignari, ac proinde vocationem ſacram, quę fit per euangelium, intelligendam eſſe. Idcirco autem & Deo cujuſque vitæ genus tanquam autori aſſignavit, & vocationis dominicę in eo factæ meminit, ut hoc ipſo oſtendat, iſta vitæ genera nec divinæ voluntati, nec Chriſtianæ religioni per ſe eſſe contraria, ideoque non temere, multo vero minus Chriſtianæ religionis prætextu eſſe deſerenda.

*Sic ambulet*, id eſt, ſic vivat, ita ſe gerat. Hebræis enim mos eſt per ambulationem vitæ actiones ac mores deſignare.

*Et ſic in eccleſiis omnibus diſpono.* Addit hoc Paulus, ne Corinthii putarent, Paulum ſeverius ſecum, quam cum cæteris eccleſiis agere, aut quidpiam ſibi ſupra cæteras eccleſias præcipi. Libentius namque ferimus, quæ nos communiter cum cæteris urgent, quam quæ nobis ſolis imponuntur.

Verſ. 18. *Circumciſus quis vocatus eſt.* Generalem regulam aliis exemplis illuſtrat, nempe circumciſorum & præputiatorum, ſervorum & liberorum. *Vocatus eſt*, id eſt per euangelii prædicationem, cui etiam aſſenſus eſt, ad regnum Dei capeſſendum invitatus.

*Ne attrahat* ſcilicet præputium. Τὸ ἐπισπᾶσθαι, quod in genere ſignificat attrahere, accipiendum hic eſt in ſpecie, & paſſiva ſignificatione; quemadmodum apparet ex verbo περιτέμνεσθαι, quod ei opponitur: q. d. ne præputietur, quod fiebat cute ferro adducta, ita ut glandem rurſus operiat. Vide Celſum Lib. VII. cap. 25. Huc facit quod ſcriptum eſt 1 Maccab. 1. 16, & apud Joſephum Lib. antiquit. XII. cap. 6.

*In præputio quis vocatus eſt, ne circumcidatur.* Idem docet de præputio quod de circumciſione dixerat, id eſt, non magis debere præputium verti in circumciſionem, quam circumciſionem in præputium.

Verſ. 19. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt.* Rationem ſuperioris dicti ſubnectit, quia ſcilicet & circumciſio & præputium nihil ſit; non ſimpliciter (eſt enim aliquid) ſed quod nullum plane momentum habeat in rebus, quibus Deo chariores reddamur, & ſalutis ſempiternæ participes efficiamur.

*Sed obſervatio præceptorum* Dei. Oſtendit, quid multum in ſalutis noſtræ negotio ac divino cultu poſſit & valeat. Illud autem eſt, ut Dei præcepta obſervemus, præcepta nimirum nobis per Chriſtum tradita, inter quæ nec circumciſio, nec præputium, nec aliæ res carnales & externæ locum habent; ſed fides per charitatem efficax utramque paginam facit Galat. v. 6. Hinc apertum eſt, obſervationem Dei præceptorum, qualem Chriſtus a nobis requirit, & impoſſibilem non eſſe, (nam alioquin impoſſibile etiam eſſet nos Deo gratos & ſalutis ſempiternæ participes effici: quandoquidem per obſervationem præceptorum Dei, quæ ſola apud eum valet, id fieri debet) & cauſam eſſe ſine qua non ſalutis noſtræ.

Verſ. 20. *Unuſquiſque in ea vocatione, qua vocatus eſt mancat.* Speciali præcepto iterum ſubjungit generale, illique poſtea aliud in ſpecie ſubjicit. Vocatio autem hic ita accipitur, ut vitæ genus, in quo aliquem offendit, connotet, ſic ut illi vitæ genus differentiam quandam indat. Sic alia eſt vocatio circumciſi, alia præputiati; alia ſervi, liberi alia; alia cœlibis, alia conjugis, alia domini, alia ſubjectorum ei. Vult ergo apoſtolus, ut unuſquiſque in ea vocatione maneat, qua vocatus eſt: id eſt, ſi vocatus eſt circumciſus, maneat circumciſus; ſi præputiatus; maneat in præputio, ſi ſervus, quantum quidem ad religionem attinet, maneat ſervus; ſi liber, maneat liber, & ſic in cæteris.

Verſ. 21. *Servus vocatus es.* Nunc ſervitutis exemplum ſubjicit, & oſtendit, quantum ad Deum & religionem Chriſtianam attinet, nihil referre, ſive quis ſervili ſit conditione, ſive libera.

*Ne ſit tibi curæ.* Noluit apoſtolus dicere, mane ſervus, cum ſervitus ſit quiddam ſua natura malum; quin potius in ſequentibus verbis veniam dat quærendę, quanquam legitima ratione, libertatis: ſed ait *ne ſit tibi curæ*, id eſt noli propterea animo angi, quaſi idcirco Deo minus gratus ſis futurus, aut nullum tibi impedimentum ſervitus ad ſalutem per ſe ſit allatura. Ideoque ſi honeſta

aliqua

aliqua & legitima ratione te ex ſervili conditione expedire non poſſis, noli hoc jugum detrectare.

*Sed ſi & poſſis liber fieri, potius utere.* Addit hoc Paulus, ne videatur omne ſervitutis & libertatis diſcrimen ſimpliciter tollere. Tollit illud ratione habita religionis per ſe; ſed non habita ratione commodi & incommodi. Ideoque oſtendit, non plane eandem eſſe ſervitutis rationem, quæ eſt circumciſionis & præputii. Nam circumciſus quidem licet poſſit præputiatus fieri, non debet; nec præputiatus, licet poſſit, debet circumcidi: quia ſcilicet circumciſio & præputium per ſe nullum nec in vita, nec in religione commodum habent aut incommodum: ſed ſervitus & libertas, licet quantum attinet ad religionem, nihil per ſe valcant; tamen in communi vita multum inter ſervitutem & libertatem intereſt.

*Si & poſſis.* Id eſt ſi non ſolum in ſervili conditione manere, ſed etiam ex ea evadere integrum tibi ſit, facultatemque habeas, intellige juſtam & honeſtam, non cum alieni juris ac dominii violatione; quemadmodum ſervi faciunt, qui vel vi, vel fuga, aut alia aliqua illegitima ratione ſervitutis jugum excutiunt: potius utere, id eſt, potius hac facultate & commoditate utere, ut liber fias.

Verſ. 22. *Qui enim in domino vocatus eſt ſervus, libertus domini eſt.* Cauſam affert, cur ſervilis conditionis neminem, quantum ad religionem attinet, tædere debeat: quia ſcilicet is, qui in ſervili conditione ad Chriſtianam religionem perductus eſt, eo ipſo maximam libertatem eſt adeptus, quæ ſervitutis carnalis incommodum abunde compenſat.

*In domino*, id eſt per dominum, domini cura & opera. Per dominum intelligit Chriſtum, etiamſi nullus voci domini appoſitus ſit articulus; quod ſæpe accidit in iſtis verbis ἐν κυρίῳ. Ipſa enim loquendi ratio, & ſubjecta materia docet, quis dominus ſit intelligendus; nempe non ſummus ille Deus, qui dominus ſimpliciter, & ſine articulo ex Græcæ Bibliorum interpretationis conſuetudine appellari ſolet; ſed ille cæleſtis noſter dominus a ſummo Deo conſtitutus, qui ideo articulo a ſummo Deo diſtingui apud Paulum & Lucam conſuevit.

*Servus vocatus libertus domini eſt.* Id eſt, enancipatus a domino eſt, libertate ab eo eſt donatus, dominus illum manumiſit. Libertatem ſpiritualem intelligit, carnali libertati infinitis partibus potiorem. Continet enim libertatem ex peccati ac mortis ſervitute, continet jus ad capeſſendam regni cæleſtis hæreditatem. Itaque hac tanta tam divina libertate contenti eſſe debent ſervi, ac proinde ſervitutis incommoda æquo animo ferre.

*Similiter & qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti.* Per contrarium ſuperiorem ſententiam illuſtrat, tantoque magis appoſite, quanto magis hac ratione ſervos liberis, & liberos ſervis exæquat. Oſtendit enim & ſervos in Chriſto liberos fieri, & liberos fieri ſervos, ita ut nec illi habeant cur querantur, nec hi quo ſuperbiant. *Similiter* idem hoc loco ſignificat quod vice verſa.

Verſ. 23. *Pretio emti eſtis, ne ſitis vel fiatis ſervi hominum.* In priori verſiculi hujus parte magis adhuc ſervitutis noſtræ rationem, qua Chriſto obſtricti ſumus, explicat. *Pretio*, inquit, *emti eſtis*: quaſi dicat, non conſtitit hæc ſervitus, qua nos Chriſtus ſibi addixit, ſine pretio; ſed ingens admodum pretium impendit Chriſtus, ut vos ſibi manciparet: qua de re vide ſup. cap. 6, ult. In altera utilem admodum ex ſuperioribus monitionem adducit, nempe, ne nos, qui Chriſti ſervi ſumus, & quidem tanto pretio comparati, hominibus mancipemus, hoc eſt, ita nos hominum voluntati addicamus, ut propterea Chriſtianæ pretatis officiis deſimus. Nemo enim, ut ipſe Chriſtus loquitur, duobus dominis poteſt ſervire. Chriſto ſerviendum eſt, huic nos penitus addicere debemus, & ex ejus voluntate omnia, quæ hominibus, ſive liberi ſive ſervi officia præſtamus, moderari.

Verſ. 24. *Unuſquiſque in quo vocatus eſt, fratres, maneat apud Deum.* Specialibus exemplis iterum generalem illam regulam ſubjicit, ut quiſque in eo ſtatu, in quo eum divina per Chriſtum vocatio in mundo degentem offendit, permaneat; nec eum ipſius religionis Chriſtianæ cauſa per ſe mutare conetur, quaſi in ea conditione, in qua antea vixit, Chriſtianus eſſe non poſſit. Non enim prohibet, ut antea monuimus, apoſtolus, quo minus quiſpiam alias ob cauſas, ſi honeſte liceat, deteriorem conditionem cum meliori commutet.

*Apud Deum manere* vel *eſſe* videntur hoc loco dici omnes Chriſtiani. Per fidem enim in Chriſtum Deo conjunguntur, eique tanquam famuli ac domeſtici addicuntur, ita ut cum eo eſſe ac perpetuo verſari merito dici poſſint. Quaſi dicat, quiſque in eodem illo ſtatu, in quo antea vixit, maneat, etiam poſtquam apud Deum eſſe cœpit, & in ejus familiam lectus eſt. Non id agit Deus, ut vivendi ſortem; ſed ut animum ac mores mutemus. Qualis vitæ tuæ ſors fuit, cum primum ad Deum accederes, in tali apud Deum manere potes: imo ſi eam honeſte mutare non poſſis, omnino debes.

Verſ. 25. *De virginibus autem præceptum domini non habeo.* Egit adhuc Paulus tum de juvenibus ac viduis matrimonii vinculo ſolutis; tum de iis, qui matrimonio copulati ſunt: nunc agit etiam nominatim de virginibus. Quanquam iis adjungit etiam eos qui uxore ſoluti ſunt, quippe quorum eadem eſt hac in parte quæ virginum ratio. Primum ergo negat, ſe præceptum domini de virginibus habere, id eſt, negat quidquam in utramvis partem a domino præceptum eſſe, ſive in virginum ſtatu manere debeant, ſive nubere. Itaque hac ratione oſtendit, utrumque, quantum ad præcepta domini attinet, liberum eſſe. *Sententiam autem do.* Poſtquam ſe nihil hac in parte præcipere poſſe dixit, quid tamen ipſe factu optimum eſſe judicet, exponit. Inepte ex hoc loco Pontificii traditiones ſuas ſtabilire conantur. (a) Nec enim nos negamus, quidquam ipſius Chriſti præceptis ab aliis addi poſſe; ſed negamus, ea vim præceptorum habere; quod vel ex hoc loco manifeſtum eſt. Nam nec Paulus hic quicquam ex ſua ſententia præcipit, ac ideo non præcipit quia domini præceptum ſe habere negat; eo ipſo oſtendens, non ſuum eſſe præcipere, licet tantus apoſtolus fuerit; ſed domini eſſe: niſi dominus præcipiat, neminem ex ejus ſervis præcipiendi jus vendicare ſibi debere.

Ne vero pondus ſententiæ ac conſilio apoſtolico deſit, addit: *tanquam miſericordiam conſecutus a domino fidelis eſſe.* Recte monet Beza per πιστὸν hoc loco eum intelligendum eſſe, cui merito fides ſit habenda. Sic dicitur πιστὸς λόγος, μάρτυς πιστὸς. Munus ſuum apoſto-

(a) *De traditionibus pontificiis.*

licum designat Paulus, quod ex singulari domini Jesu misericordia fuerat adeptus, quodque tale erat, ut summam dictis eorum qui illud sustinerent, fidem autoritatemque conciliaret.

Vers. 26. *Existimo igitur hoc bonum esse propter instantem necessitatem.* Explicat nunc sententiam suam, nempe, quod arbitretur bonum esse in cœlibatu manere, ejusque rei causam affert. *Bonum*, id est, utile, commodum.

*Propter instantem necessitatem.* Causam adjicit, cur in cœlibatu perstare bonum esse judicet. *Per necessitatem* videtur intelligere persecutionem, in qua omnia vi fiunt. Sic 2 Cor. 6. 4. Et profecto persecutionis tempore bonum est cœlibem esse.

*Quod bonum homini sic esse.* Nondum expresserat, quid bonum esse judicet, nunc exprimit. Ideoque hæc verba per quandam epanalepsin legenda sunt.

*Homini.* Generalem cuivis cœlibi tradit regulam, etiamsi de virginibus dicere fuerit exorsus.

*Sic esse*, id est, in cœlibatu manere, cœlibatum matrimonio non permutare.

Vers. 27. *Alligatus es uxori? ne quære solutionem.* Occupatio est, ne quisquam putet ita cœlibatum commendari, ut fas sit matrimonii vinculum dissolvere.

*Solutus es ab uxore? ne quære uxorem.* Hoc solum est, quod hic consulit apostolus, non vero quod etiam conjuges matrimonio solvi velit. Porro quod hic de viris dicit, idem etiam fœminis accommodari debet.

Vers. 28. *Si vero & ducas uxorem, non peccasti.* Iterum occupat apostolus. Ostendit enim, se non ita dissuadere solutis matrimonium, ut si secus fecerint, peccaturi sint.

*Non peccasti*, id est, non peccas, nullum est in eo peccatum, Hebræorum more. Itaque si id tantum spectas ne pecces, aut Christi legibus quidquam contrarium committas, non est cur matrimonium detrectes.

*Et si nubat virgo, non peccavit.* Idem expresse de virginibus asserit, ne quis putet, earum sortem hac in parte deteriorem esse quam virorum, aut viduarum.

*Afflictionem vero in carne habebunt tales.* Quasi dicat, Non ideo vobis matrimonium dissuadeo, quod sive viris, sive fœminis ac virginibus matrimonium inire peccatum sit; sed quod ii qui matrimonium ineunt, afflictionem in carne habituri sunt, id est, multas sibi ærumnas accumulabunt, quibus extra matrimonium vacui forent. Quod non tantum persecutionis, sed etiam pacis ac quietis tempore verissimum est. Quanto enim plures sunt, quibus animum & curam impendi necesse est, tanto magis crescunt curæ, tantoque uberior est dolorum seges. Maritus non tantum de se, sed etiam de uxore in posterum solicitus esse debet; similiter & uxor de marito. Jam ex matrimonio proveniens soboles quantis curis implicat parentes! alenda familia, educandi liberi, quibus nihil adversi potest accidere, quin per eorum latus vulnus accipiant ipsi parentes.

*Ego autem vobis parco.* Causam addit, cur propter istas ærumnas, quas matrimonium secum trahit, dissuadeat illis matrimonium: quia, inquit, ego vobis parco: nollem vos malis istis gravari; sed vellem, ut iis quam maxime effetis vacui.

Vers. 29. *Hoc autem dico, fratres, tempus contractum est. Reliquum est, ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint.* Diversa est hujus versiculi lectio, quam apud alios autores videre licet. Nos eam, quæ nobis visa est simplicissima, sequimur. Novo hic utitur argumento Paulus, quod ex abrupto quodammodo proponit: quemadmodum facere solemus, cum omissis, quæ attulimus, argumentis, utpote de quibus multum litigare nolimus, id in quo præcipuum robur collocamus, proponimus: quasi dicat, mittam id quod dixi, sed hoc inprimis urgeo:

*Tempus contractum* vel *collectum est*, id est exiguum est hujus vitæ tempus, & in momento desiturum.

*Reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint.* Istud est, quod ex ea ratione, quam urget, infert: quod non tantum id continet, ut cœlibatum matrimonio præferamus, sed quiddam amplius, nempe ut non solum a ducenda uxore abstineamus, sed etiam ut ii, qui uxores habent, similes fiant non habentibus. Hanc enim vim particula & hoc loco omnino habet. Porro ii qui uxorati sunt, similes fiunt iis qui uxore carent, cum & moderate admodum uxoribus utuntur; & ita animo sunt comparati, ut propediem ab uxore divelli parati sint. Num vero hoc non recte infertur ex eo, quod tam breve & exiguum sit hujus vitæ spatium? quantum ergo præstat cœlibem potius agere vitam, quam sese mox amittenda uxore implicare.

Vers. 30. *Et qui flent tanquam non flentes.* Extendit hoc suum monitum apostolus etiam ad alia, quæ nobis in hujus vitæ scena obveniunt; quæ tamen matrimonio inprimis conjuncta esse solent.

Primum ergo monet *ut flentes*, id est, ii qui tristantur, vel etiam causas tristitiæ habent, quod scilicet non prospero, sed adverso rerum successu utantur.

*Sint tanquam non flentes*, id est moderate fleant & doleant, fleant non flendo, cogitantes, mox non tantum doloris causas, sed etiam vitam ipsam abituram.

*Et gaudentes tanquam non gaudentes.* Alterum est, ut ii etiam qui gaudent, seu quibus ex voto res aliquo modo fluunt, modum gaudio sciant imponere, memores, se non diu rebus, ob quas lætantur, fruituros. Loquitur autem Paulus de fletu, & gaudio ex rebus ad hanc vitam spectantibus proveniente.

*Et ementes tanquam non possidentes.* Tertium est, ut ii qui emunt, id est, varia hujus vitæ subsidia sibi comparant,, sint tanquam non possidentes, id est, ita sese gerant, ac si nihil possiderent, animum ad suas opes ac facultates non adjiciant; quippe non ignari se volucres ac fugitivas divitias possidere. Utitur apostolus voce κατέχοντες, quod etiam malam ac vitiosam possessionem significare potest: qualis est, cum quis ita suis bonis est addictus, ut ab iis possideatur verius, quam ea possideat. Sic in sequenti membro τὰς καταχρωμένους dixit, eos, ut videbimus, designans, qui male rebus utuntur, seu abutuntur. Non ergo prohibet Paulus, quo minus habeamus & possideamus bona; sed ne ab iis possideamur, iisque quam par est addictiores simus.

Vers. 31. *Et qui utuntur mundo hoc tanquam non abutentes.* Quartum est, quod ad usum bonorum ac facultatum variasque hujus vitæ voluptates refertur: ut scilicet ii, qui utuntur hoc mundo, id est, hujus mundi ac vitæ bonis, moderate iis utantur, non abutantur. Particula ὡς hic alio, quam in superioribus monitis, sensu sumitur. Non enim vult apostolus, ne similes simus non abutentibus; sed ut reipsa non abutamur hujus vitæ bonis. Ideoque particula ὡς hic similitudinis

non

non est; sed modum ac rationem notat, qua hoc mundo uti debeamus, nempe sic, ut eo non abutamur. Eodem sensu accipienda est in præcedenti membro, si vocem καταχόμενοι non simpliciter de possessione, sed de possessione vitiosa accipiamus.

*Transit enim species mundi hujus.* Si in his verbis omnium superiorum membrorum causam reddi censeamus, *species* seu σχῆμα, id est, externa hujus mundi forma non tantum ad res lætas, sed etiam ad tristes & adversas referenda est: quasi diceret Paulus, ideo vos ad summam moderationem tum in rebus lætis, tum in tristibus exhortor, quia nihil est in vita stabile ac diuturnum. Mundus hic est tanquam Proteus, qui in varias formas ac species mutatur; læta & tristia perpetuis misceatur vicibus. Si vero, ut verisimilius est, propter verba *hujus mundi* in hac ratione repetita, ad solum hujus vitæ bonorum usum respexit Paulus, forma, seu species mundi hujus res tantum lætas significabit, quæ cito transituræ sunt, ideoque nihil solidi ac veri boni continent, sed specie tantum quadam, & veluti umbra animos nostros ludunt, Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa. Itaque hæc ipsa est causa, quam in illis verbis ὁ καιρὸς συνεσταλμένος, expressit. Brevis est hujus vitæ, ac proinde etiam omnium hujus mundi bonorum usura: ideoque qui sapit, quantum potest his illecebris abstineat. Παράγει pro παρέχεται, vel, ut Johannes loquitur, ὑπάγεται 1 Joh. 2. 17. *Transit*, id est, non fixa stabilisque manet, sed similis est transeunti, qui dum transit prope est, sed mox longissime a nobis recedit, & penitus ex oculis evanescit.

Vers. 32. *Volo autem vos sine solicitudine esse.* Novo argumento cœlibatum commendat. Particula δὲ non opponit hunc versiculum superioribus, sed tantum diversa connectit: quasi dicat, *Porro*, vel præterea velim vos sine solicitudine esse. *Volo* idem hoc loco est, quod cupio, desidero, vel potius positum est pro velim, cuperem, desiderarem; si nimirum id fieri posset; vide. versu 7.

*Sine solicitudine esse*, nempe de rebus hujus mundi, quemadmodum ex sequentibus apparet.

*Qui cœlebs est curat ea, quæ sunt domini.* Explicat, quo pacto vacuitas curarum de rebus hujus mundi cœlibatui conjuncta sit; matrimonio autem non sit. *Curat ea quæ sunt domini.* Actum posuit pro facultate, commoditate & oportunitate, id est in eo est statu, ut res ad dominum pertinentes commode curare iisque totus vacare possit; ac proinde id, si modo officio suo deesse nolit, facit. Solemus enim iis, qui & possunt & debent, quorumque hoc officium est, ut id faciant, ipsam actionem tribuere: quo pacto sæpe Paulus Christianis, quorum officium est pie & sancte vivere, ipsam pietatis exercitationem tribuit.

*Quomodo placeat domino.* Explicat, quid sit curare ea quæ sunt domini, nempe curare, & de eo solicitum esse, quomodo placeas domino. Placemus autem domino, cum ejus præcepta exequimur. Quocirca curare ea quæ sunt domini, est totum se pietati ac vitæ sanctitati dedere, dies noctesque, ut David loquitur, in lege domini meditari.

Vers. 33. *Qui vero uxorem duxit, curat ea quæ sunt hujus mundi.* Ostendit, quanta sit hac in parte diversitas inter eum qui matrimonio adstrictus est, & inter cœlibem; ac proinde rationem reddit consequentiæ, cur cum cœlibatu vacuitatem a curis conjunxerit, & ex ea argumentum ad cœlibatum commendandum duxerit. *Curat* id est hic est ejus status & conditio ut curare debeat ea, quæ sunt hujus mundi, id est, quæ ad hanc vitam spectant. Porro hæc secundum magis & minus, ut dici solet, debent intelligi. Nam & cœlibatus opus habet, ut aliquid curæ rebus ad hanc vitam spectantibus impendatur; & is, qui in matrimonio vivit, inprimis id curare debet, quod ad Dominum sempiternamque salutem pertinet. Sed hic longe plus temporis impendere cogitur rebus ad hanc vitam spectantibus, quam ille.

*Quomodo placeat uxori.* Id est, ut sic uxori placeat, dum scilicet & illi, & liberis, & toti familiæ recte prospicit.

Vers. 34. *Divisa est uxor & virgo.* Id quod de cœlibibus & maritis dixit, transfert etiam ad virgines & uxores apostolus, & primum ait, *divisam esse uxorem & virginem*, id est longe aliam esse conditionem uxorum, aliam virginum, non secus ac alia conditio est, ut ostendit, cœlibum & maritorum.

*Quæ innupta est curat ea quæ sunt domini.* Diversitatem istam inter uxorem & virginem, explicat.

*Curat ea quæ sunt domini*, id est tota iis rebus, quæ ad dominum spectant, modo velit, occupatur.

*Ut sit sancta, & corpore & spiritu.* Melius explicat, quid innupta curet ac perpetuo cogitet, id est, curandi facultatem oportunitatemque habeat, nempe, *ut sit sancta*, id est domino ejusque usibus penitus sacra.

*Et corpore & spiritu*, id est, & ratione corporis & ratione animi, & sic & corporis & animi illibatam servet puritatem. Dum vero Paulus virginibus sanctitatem & corporis & animi tribuit, easque hac ratione iis qui in matrimonio vivunt, opponit, eo ipso docet, perfectæ sanctitati ac puritati tum corporis tum animi matrimonio derogari.

*Quæ vero nupsit curat ea, quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat viro.* Alia uxoris est ratio, quæ multum temporis ac curarum impendere cogitur rebus ad hanc vitam spectantibus, familiæ, liberis, rei domesticæ, corpori denique, ut sic viro placeat.

Vers. 35. *Hoc vero ad vestram ipsorum utilitatem dico.* Commendavit hactenus, ut vidimus, cœlibatum Paulus: nunc, ne quispiam putet, necessitatem cuipiam in cœlibatu vivendi imponi, amolitur id Paulus, & scopum dictorum suorum aperit, eumque a contrario illustrat.

*Ad vestram ipsorum utilitatem* id est, hæc quæ de cœlibatu dixi, eo fine dixi, ut vobis hac ratione prodessem, non ut obessem.

*Non ut laqueum vobis injiciam*, id est, non ut vos illaqueemini, & irretiamini, id est, tanta cœlibatus commendatione in peccatum & exitium præcipitemini: quod fieret, si quispiam virium suarum non satis gnarus, inconsulto Zelo, cœlibem vitam agere vellet. Nemini hujus rei necessitatem ullam impono: quisque videat, quid hic præstare non tantum velit, sed etiam possit. Vide, quam solicite caverit apostolus, ne cuiquam necessitatem in cœlibatu vivendi imponeret. Unde facile videre est, an spiritu apostolico ducti fuerint illi, qui tot fine discrimine hominibus necessitatem hanc imposuerunt. Deus bone, quam multis exitii sempiterni laqueus hac ratione injectus fuit, & etiamnum injicitur!

*Sed ad decorum, & ut facile adhæreſcatis domino sine distractione.* Commodum & utilitatem, quam in commendando Corinthiis cœlibatu se spectare dixit, hic explicat.

explicat. πρὸς τὸ ἔυσχημον. Id eſt, ut decore vivatis. Decorum autem hic imperfectiori quodam gradu ſumitur, non quatenus inhoneſto ac turpi, ſed quatenus minus pulchro minuſque decoro opponitur, ſeu perfectionem quandam honeſtatis ſignificat. Nam & matrimonium inire honeſtum eſt; ſed cœlibem vitam agere majorem honeſtatis ac pulchritudinis perfectionem continet.

*Et ut facile adhæreſcatis Domino.* Hoc alterum eſt commodum, ut tanto facilius & melius adhæreamus domino, πρὸς τὸ ἐυπροσέδρευτον τῷ κυρίῳ. *Domino adhæreſcere* eſt ea curare, cogitare, in iis eſſe, quæ ad dominum ejuſque cultum pertinent. Quod longe facilius, melius ac commodius facere poſſunt, qui matrimonio ſoluti ſunt, quam qui eo ſunt implicati; quemadmodum paulo ante docuit apoſtolus. Huc pertinet etiam philoſophi illud μέγαν ἐμπόδιον τῷ φιλοσοφεῖν ἡ γυνή.

*Abſque diſtractione*, ἀπερισπάστως. Explicat illud ἐυπροσέδρευτον τῷ κυρίῳ. Eatenus enim facilius & melius domino adhæreſcimus, quatenus aliis curis, cogitationibus & negotiis, quorum matrimonium feraciſſimum eſt, non diſtrahimur, nec a rebus ad dominum pertinentibus avocamur.

Verſ. 36. *Si vero quis indecorum committere in virginem putat, ſi florem ætatis excedat, & ſic oportet fieri, quod vult faciat, non peccat, matrimonium ineant.* Scrupulum quendam parentibus circa virgines eximit Paulus, iterumq; docet, nolle ſe cuiquam cœlibatus neceſſitatem imponi. Poterat aliquis pater dicere: Tu Paule cœlibatum tontopere commendas, & ἔυσχημον quoddam ac decorum eſſe dicis: at mihi indecorum videtur filiam meam virginem conſeneſcere, pudori id & mihi & virgini duco. Reſpondet Paulus: ſi ſic putas, obſequere voluntati tuæ: nulla lege te adſtringo, ne virginem tuam nuptum eloces.

Sed addit Paulus, *& ſic oportet fieri*; ut alias etiam cauſas, quæ parentes ſæpe adigunt ut filias nuptum dent, includat.

*Quod vult faciat.* Obſequatur voluntati ſuæ, faciat quod optimum ea in re judicat.

*Non peccat.* Sciat ſe nullum in eo peccatum committere.

*Matrimonium incant.* Id eſt, virgo hæc, & is qui eam ambit.

Verſ. 37. *Qui vero ſtat firmus in corde, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens de propria voluntate* &c. Ex altera etiam parte docet Paulus, quid ſentiendum ſit de patre, qui decorum vel ſibi vel filiæ ſuæ putat, ſi virgo maneat & conſeneſcat, imo hæc ipſius animo fixa ſententia eſt, nec ulla, ut virginem nuptum elocet, neceſſitate adigatur.

*Qui vero* ſtat. (Ἕστηκεν, præteritum pro præſenti; quod ſæpe in hoc verbo occurrit) *firmus in corde*, id eſt, non hæſitat, non dubitat an id fieri deceat.

*Non habens neceſſitatem.* Addit hoc Paulus, & opponit ſuperioribus verbis, *& ſic oportet fieri*;

Imo etiam per contrarium illuſtrat, *poteſtatem autem habens de propria voluntate.* Ut oſtendat, ad virginem a nuptiis prohibendam non ſatis eſſe quod ſic omnino velit ac ſtatuat pater; ſed opus eſſe, ut omnis elocandæ virginis neceſſitas abſit, nec patrem ſemper habere poteſtatem de ſua voluntate: id eſt, non ſemper licere patri ut ſtatuat quid velit hac in parte de virgine; accedat oportet etiam ipſius virginis conſenſus, iſque non in ea ætate in qua nondum vires ſuas experta eſt, nec judicio matura quid conſentiat haud novit; ſed in ætate nuptiis jam conveniente: Conſenſus, inquam, non parentum autoritate & imperio, ac vi miniſque extortus, ſed ex propria virginis voluntate maturoque conſilio profectus. Quam enim iniquum eſt quempiam eo quaſi per vim prohibere, quod ei natura ipſa indulſit. Ipſe Deus nemini neceſſitatem eam imponit, ut cœlibem vitam agat; nedum ut homini fas ſit hominem huc per vim adigere. Voluntarium debet eſſe hoc caſtitatis ſacrificium, non vi extortum.

*Et ſic judicavit in corde ſuo cuſtodire ſuam virginem.* Per epanalepſin quandam hæc verba legi debent. Ideo autem hoc repetit Paulus, quod ſuperius non expreſſerit id cujus reſpectu perſtare aliquem ſtabilem in corde ſuo dixerat; hic demum exprimit. Similem loquendi modum habuimus ſupra verſ. 26, judicavit, κέκρικεν, id eſt, conſtituit, decrevit. *Cuſtodire* τηρεῖν id eſt conſervare.

*Bene facit.* Laudat hoc factum & conſilium Paulus, iis, quas vidimus, conditionibus circumſcriptum.

Verſ. 38. *Itaque & qui nuptum elocat, bene facit; qui vero non dat nuptum melius facit.* Superiorem quæſtionem decidit Paulus, ait utrumque recte facere, tam eum qui filiam ſuam nuptum dat; quam eum qui non dat: ſed hunc tamen facere rectius. *Bene facit.* Id eſt, ut ſuperius locutus eſt, non peccat, nihil inhoneſtum aut Chriſti legibus adverſum facit: imo ſi neceſſitas aliqua urgeat, rem plane juſtam ac debitam facit.

*Melius facit.* Non ſimpliciter, ſed certis conditionibus poſitis: ſi nulla neceſſitas urgeat, & continentiæ donum adſit. Alioquin enim eſt melius nubere quam uri.

Verſ. 39. *Uxor alligata eſt lege, quam diu vivit vir ipſius.* Extremo loco, & argumentum hoc de conjugio claudens, docet apoſtolus, quamdiu matrimoniali vinculo uxor adſtricta ſit viro, ita ut ei non liceat alteri viro conjungi.

*Alligata eſt lege*, id eſt, per legem divinam, tanquam vinculum indiſſolubile adſtricta eſt viro, ne eum deſerere, & alteri ſe adjungere poſſit.

*Quamdiu vivit vir ipſius.* Morte demum viri hoc vinculum rumpitur. Hinc apparet, uxori fas non eſſe, ut ulla de cauſa repudiet virum, ſeu conjugale vinculum faciat irritum, & niſi eam vir repudiet, quod tantum ob adulterium illi licet, ſola viri morte conjugali ſacramento ſolvi poſſe. Id enim ipſe Chriſtus, eum qui uxorum alia ex cauſa quam ob adulterium dimiſſam duxerit, moechari dicit, etiam poſtquam prior maritus aliam duxit, & ſic ipſe quoque moechus factus eſt. Unde apparet, ne quidem ob viri adulterium ſolvi uxorem fide & vinculo matrimonii.

*Si vero obdormierit vir ipſius, libera eſt cui velit nubere.* Hoc addit, ne quis putet, ne morte quidem mariti uxorem vinculo matrimonii ſolvi.

*Tantum in domino.* Limitat id quod dixerat, *libera eſt cui velit nubere*: quaſi dicat, quod dixi, liberum eſſe uxori poſt mortem viro cui velit nubere, nolo ſine ulla exceptione accipi: ita dictum meum limito, ut id in domino fiat, id eſt, ex dominicæ religionis præſcripto. Ex eo autem, quod apoſtolus his verbis, *tantum in domino*, limitet licentiam cuivis nubendi, apparet, non quodvis cum quovis contractum matrimonium in domino eſſe. Quis vero magis hic excludendus eſt quam infidelis, & Chriſtianæ religionis expers?

expers? cum quibus etiam ante cognitam Chriſti religionem contracta matrimonia, ut ſupra vidimus, non plane ſunt legitima, & ex divina voluntate contracta. Idem his verbis præcipue innuit Paulus, ut non alii quam Chriſtiano homini nubat: quanquam etiam, ut tam honeſtati, quam Chriſtianæ religioni conveniat, iſtud faciat.

Verſ. 40. *Beatior autem eſt, ſi ſic manet.* Oſtendit, quid uxori liceat poſt viri mortem, nempe poſſe eam ad ſecundas tranſire nuptias: nunc docet, quid ipſe factu potius judicet. *Beatior eſt*, non ſolum nempe ut eſt in viduitatis ſtatu. *Secundum meam ſententiam*, quantum mihi quidem videtur.

*Exiſtimo autem & ego ſpiritum Dei habere.* Occurrit tacitæ objectioni & ſuæ ſententiæ autoritatem conciliat. Poterat enim aliquis dicere: Non moramur ſententiam tuam Paule, nec quia ſic tibi videtur, idcirco ſic melius eſt: potius attendendum eſt quid dicant homines divino præditi ſpiritu. Sane ſic fiat, reſpondet Paulus: ſed ſi qui ſunt, qui ſibi videntur Dei ſpiritum habere, ſciant & mihi idem videri. Pungere voluit, ut apparet, adverſarios ſuos Paulus, qui ſpiritum Dei jactabant. Ideo enim non dicit, ſe ſpiritum Dei habere, quod res erat; ſed ſibi iſtud videri: ut innueret, adverſarios ſuos non tam reipſa, quam opinione ſua ſpiritu Dei præditos eſſe.

## CAP VIII.

### ARGUMENTUM.

*Novum orditur argumentum in hoc capite Paulus, de idolothytorum eſu. Sunt autem capitis iſtius tres partes. In prima aditum ſibi quendam ſternit ad ſequentem tractationem & paucis veluti præfatur, uſque ad verſ. 4. In ſecunda quid de idolis, ac proinde & idolothytis ſentiendum ſit, exponit uſque ad verſ. 7. Hinc demum incipit pars tertia, in qua de uſu libertatis & ſcientia circa idolothytorum eſum agitur.*

Pars I. Verſ. 1. *De idolothytis autem.* Id eſt, quod vero attinet ad idolothyta, ſeu res idolis mactatas & conſecratas; earumque eſum. Nam de hoc potiſſimum agit, ut ex verſus quarti initio, in quo eadem ſententia reſumitur, apparet. Particula δὲ novum argumentum & orationem ſuperioribus annectit.

*Scimus, quod omnes ſcientiam habemus*, id eſt, novimus, quod omnes, quid de iis eorumque eſu per ſe ſentiendum ſit, ſciamus. quaſi dicat: quod attinet ad idolothyta eorumque eſum, nihil eſt neceſſe ut vos doceam, quid hac de re ſentiendum ſit; an nimirum per ſe ſit licitus, an illicitus. Novimus enim nos omnes ejus rei ſat gnaros eſſe.

*Scientia inflat, charitas vero ædificat.* De induſtria videtur apoſtolus non ſtatim expreſſiſſe id, qua in re ſcientia circa idolothyta conſiſteret, quemadmodum verſ. 4 rem propoſitam reſumens facit; ſed ſimpliciter tantum ſcientiam illis his in rebus tribuiſſe: ut hac occaſione, quid ſcientia, ſi charitatem adjunctam non habeat, facile pariat, brevi quadam digreſſiuncula doceret, & ſic tacite moneret, ne ſola ſcientia inflentur: quaſi dicat, Habemus quidem ſcientiam; ſed non ſatis eſt ſcientiam habere, adjungenda eſt ſcientiæ charitas in proximum. Nam ſcientia inflare homines ſolet; non quidem ſuo ſed ipſorum hominum, qui quavis de cauſa facile ſuperbiunt, vitio: unde porro fit, ut ſcientia ſine ullo reſpectu alieni emolumenti aut damni utantur, ſed ſibi tantum indulgeant.

*Charitas autem ædificat.* At charitas, eaque ardens erga proximum facit, ut omnia ad aliorum ædificationem dirigamus. Charitas non diruit, ſed ædificat. Ædificationem ſcandalis opponit, quibus infirmi in ruinam, id eſt in peccata & interitum præcipitantur verſ. 13.

Verſ. 2. *Si vero quis videtur ſcire quid, nondum quicquam novit, quemadmodum oportet ſcire.* Oſtendit quam vani ſint, qui propter ſcientiam ſuam tument. Δοκεῖ εἰδέναι, in Pauli verbis non ſimpliciter opinionem alicujus ſcientiæ, ſed opinionem cum faſtu, ut fere fit, conjunctam deſignat. Id enim nunc reprehendit, quod aliquis propter ſcientiam inflatur.

*Nondum quidquam novit quemadmodum ſcire oportet.* Objicit iſti qui propter ſcientiam tumet, ſtultitiam & ſummam ignorantiam Paulus, eo ipſo quod propter ſcientiam ſuam tumeat: *Nondum enim quidquam novit quemadmodum ſcire*, id eſt ſcientiam habere, *oporteat.* Nam hoc omnium primum erat, ne propter eam ſpiritus ſumeret, ſed ut tanto magis animum demitteret, quanto plus ſcientiæ a Deo conſecutus eſſet.

Verſ. 3. *Si vero quis diligit Deum, hic cognitus eſt ab ipſo.* Fructum & utilitatem oſtendit charitatis. Sed pro charitate erga proximum repoſuit charitatem in Deum; ut oſtenderet charitatem in proximum charitate Dei contineri, ſeu, eo ipſo Deum diligi cum propter Deum diligitur proximus: quemadmodum & viceverſa charitate in Deum continetur charitas in proximum. *In hoc cognovimus, quod diligamus filios Dei*, inquit Johannes 1 Johan. 5. 2, *quando Deum diligimus, & præcepta ejus ſervamus. Hoc autem præceptum*, ut idem ait cap. 4. 21, *habemus ab ipſo, ut qui Deum diligit diligat & fratrem ſuum.* Satis hoc ipſo commendavit charitatem proximi Paulus:

Sed fructum ejus exprimens addit, *cognitus eſt ab ipſo.* Cognoſcendi verbo utitur, ut oſtendat eum qui proximum, ac proinde & ipſum Deum diligat, verum cognitionis & ſcientiæ fructum capere; qui in eo conſiſtit, ut aliquem Deus cognoſcat, id eſt approbet, amet, pro ſuo cognoſcat. Cognitio enim hic cum approbatione, quemadmodum & alibi ſæpe, ſumi debet.

Verſ. 4. *De eſu igitur idolothytorum novimus, quod nihil ſit idolum in mundo.* Altera pars capitis hic incipit, in qua redit ad inſtitutum Paulus, & id quod ab initio capitis dixerat, poſt brevem digreſſiunculam hic reſumit; quemadmodum particula *igitur* manifeſte indicat. Docet, quid de idolothytis eorumque eſu per ſe, ſentiendum ſit.

*Novimus*, inquit, *quod nihil idolum ſit in mundo. Per idolum* intelligi debent non ſolum imagines, ſed etiam dii ethnicorum, qui per imagines colebantur.

Hos *nihil eſſe in mundo* dicit, quod prorſus in rerum natura non eſſent, ſed tantum vana hominum opinione eſſe crederentur. Id ſolum docet Paulus, quid de idolis ſentiendum ſit: ſed hinc facile perſpicitur, quid etiam de idolothytis eorumque eſu ſentire debeamus.

Si enim idolum nihil eſt, ſi non tantum nullam divinitatem habet, ſed ne exiſtit quidem, ſane idolothyta non poſſunt haberi pro cibis immundis, aut quibus uti per ſe non liceat, ſed perinde haberi debent ac alii vulgares & in communi uſu poſiti cibi. Si idola exiſterent, & veram aliquam divinitatem, cui tamen nefas eſſet ullum cultum exhiberi, haberent, ſane cibi iis conſecrati aliqua ratione polluti & immundi effici viderentur: ſed nunc, cum nihil tale accidat, verendum non eſt, ne idolothytorum uſu per ſe polluamur.

*Et quod nullus Deus alius niſi unus.* Addit hoc per oppoſitionem quandam Paulus. Hinc enim conſequitur, idola, ſaltem quantum ad divinitatem aliquam attinet, nihil eſſe. Nam ſi unus tantum eſt Deus, neceſſe eſt, idola, quæ nec unus iſte Deus ſunt, nec ab eo ulla ratione dependent, imo ei penitus adverſantur, divinitatis nihil omnino habere; ſed potius vel ligna tantum & lapides, vel mera hominum figmenta eſſe. *Unum Deum* dicit apoſtolus, non quod plures dii, iique veri, non ſint: id enim in ſequentibus fatetur: ſed quod omnes ab iſto uno dependeant, eique divinitatem ſuam ferant acceptam. Quo ſenſu etiam dicitur a Chriſto Joh. xvii. 3 ſolus verus Deus, Matth. 19. 17 ſolus bonus; a Paulo Rom. 16, ult. 1 Tim. 1. 17 ſolus ſapiens, 1 Tim. 6. 15, 16 ſolus potens, ſolus habens immortalitatem, & ſimilia.

Verſ. 5. *Etenim etſi ſunt qui dicuntur dii, ſive in cælo, ſive in terra.* Amolitur objectionem contra Dei, quam aſſeruit, unitatem Paulus. Poterat enim aliquis dicere: Quid tu Paule unum tantum Deum eſſe aſſeris? Atque ut ut jam idola & fictitios gentium Deos excludamus, multi nihilominus ſunt, tum in cælo, ut Angeli; tum in terra, ut reges ac magiſtratus, quibus nomen deorum etiam in ipſis ſacris literis tribuitur. Huic objectioni ita reſpondet Paulus, ut minime neget hinc ſequi, plures etiam eſſe Deos, quin potius aperte id agnoſcat.

Addit enim: *Quemadmodum ſunt Dii multi, & Domini multi*: ſed negat iſtos deos & dominos multos *nobis* eſſe Deos & dominos, id eſt, nullam eorum, cum de eo qui cultu religioſo afficiendus eſt, & in quem omnis religio tendere ac dirigi debeat, loquimur, habendam eſſe rationem; ita ut hoc reſpectu perinde cenſeri debeant, ac ſi non eſſent.

*Sunt dii multi.* Non tantum deorum appellatio, ſed etiam ſignificatio, ſeu res ipſa, illis competit. Hinc Deus ipſe Deut. x. 17. Pſalm. 1. 1 deorum Deus, & altiſſimus eſſe dicitur: & ſcriptura, quæ ſolvi non poteſt, ut Chriſtus loquitur, reges ac magiſtratus alloquens, *vos dii eſtis*, inquit Joh. x. 34. 35, & *filii altiſſimi omnes. Et domini multi.* Dominorum appellationem addit, ut ſibi aditum ſternat, ad Chriſtum unius domini nomine in ſequentibus deſignandum. Eſt autem domini appellatio minus quam Dei auguſta, etſi hac generalior. *Dominus* enim ſua natura ſignificat quemvis, qui aliquod imperandi jus habet: at *Dei* voce ſublime quoddam, minimeque vulgare dominium, & excellens quoddam robur, quo juſſa & imperia exequi poſſis deſignatur. Hinc autem apparet, Dei nomen, non minus quam domini, appellativum eſſe, non proprium, eoque imperium ac poteſtatem denotari. Alioquin enim Paulus domini appellationem voci Dei, tanquam vicinam, & aliqua ratione ſynonymam non adjunxiſſet. Quanquam etiam vel ex eo id apertiſſimum eſt, quod non minus multos deos, quam multos dominos eſſe fateatur. Si enim multi ſunt dii, utique Dei nomen non uni alicui proprium, ſed multis commune eſt. Uni tamen fit proprium, non ſua natura; ſed cum excellentiſſima ratione uſurpatur.

Verſ. 6. *Sed nobis unus Deus.* Reſpondet ad objectionem ſuperiorem, & ait, iſtos multos Deos, & multos dominos *nobis* id eſt quatenus Chriſtiani ſumus, ſeu quatenus ut homines religione inibuti conſideramur, deos & dominos non eſſe: unum tantum nobis eſſe Deum, quem ſcilicet ſacro & religioſo cultu proſequi ac venerari debeamus; unum itidem dominum, cui ſimiliter divina tribuenda ſit adoratio.

*Dei* vox prægnantior hoc loco eſt: & eum deſignat, qui ſua natura & ex ſe Deus eſt, id eſt divinum robur & imperium in omnia habeat.

Quis vero ſit iſte Deus, per appoſitionem declarat, cum addit, *Pater*, qui quidem eſt pater, nempe domini noſtri Jeſu Chriſti & noſter.

*Ex quo omnia, & nos in ipſum.* Deſcribit patrem, ita ut hac deſcriptione cauſam tacite indicet, cur eum unum Chriſtianorum Deum eſſe dixerit. *Deus* eſt, quia ex illo, tanquam prima cauſa, ea quæ ad religionem noſtram ſpectant manarunt.

*Unus eſt*, ſeu nemo præter ipſum, quia omnia ab eo profecta ſunt. Si enim non unus eſſet, non omnia ex illo, ſed quædam ex hoc, quædam ex alio profecta fuiſſent.

*Omnium* autem voce ea deſignantur, quæ ad nos quatenus Chriſtiani ſumus, pertinent. Agit enim hic Paulus de nobis quatenus Chriſtiana religione imbuti ſumus. Unde nec in Græco ſimpliciter eſt vox πάντα, ſed cum articulo τὰ πάντα, quaſi certa quædam omnia deſignare velit apoſtolus.

*Et nos in illum.* His verbis patrem omnium noſtrum ultimum etiam finem conſtituit. Ait, *nos*, ſcilicet ſumus, *in illum* hoc eſt, ad eum tanquam ultimum finem ac ſcopum referimur. *Nos* dicit, id eſt, nos Chriſtianos, ſeu quatenus Chriſtiani ſumus, omnem noſtrum cultum, omnem religionem, quidquid quatenus Chriſtiani ſumus facimus, dirigi ad illum, hoc eſt in ejus gloriam tendere, & in eo tanquam ultimo ſcopo conquieſcere, idque meritiſſime. Qui enim prima eſt efficiens cauſa, is etiam eſt ultimus earum rerum, quas efficit, finis. Quia *vero nos*, id eſt nos Chriſtianos in Deum eſſe dicit Paulus, hinc apparet eum de iis rebus omnibus agere, quæ ad nos quatenus Chriſtiani ſumus pertinent. *Et unus dominus.* Addit hoc Paulus, ut appareat, non ita Chriſtianis unum eſſe Deum, quin ſimul etiam illis unus ſit dominus, quem ſimiliter religioſo cultu proſequantur. *Domini* vox, quæ ſua natura etiam, ut jam monuimus, minus eſt auguſta quam vox Dei, hoc loco minus ſignificat, quam paulo ante appellatio Dei. Nam plus eam non ſignificare certum eſt. Idem vero ſignificare qui poteſt, cum tam aperte Paulus unum Deum & unum dominum diſtinguat? Sgnificat ergo eum, qui divinum quidem robur & imperium in nos omnes habeat, verum non ſua natura, nec ex ſeipſo, ſed ex illo uno Deo, quod etiam ad ipſius nutum & arbitrium aliquando depoſiturus ſit.

Quis vero ſit unus iſte dominus Chriſtianorum declarat, *Ieſus Chriſtus*: quæ verba ſimiliter per appoſitionem

ſitionem dicta ſunt. Hic enim eſt, quem Deus a mortuis reſuſcitatum, dominum & Chriſtum fecit, judicemque omnium viventium ac mortuorum conſtituit, cui omnem & in cælo, & in terra poteſtatem contulit, quemque omnis lingua dominum ad Dei patris laudem & gloriam confiteri debet.

*Per quem omnia, & nos per ipſum.* Deſcribit Jeſum Chriſtum, & quidem ita, ut eum & dominum noſtrum, & unicum dominum eſſe appareat. *Dominus* enim noſter eſt, quia per eum ſunt omnia, quæ ad religionem noſtram, ſeu ad nos quatenus Chriſtiani ſumus pertinent. Unus autem dominus eſt, ſeu ille unus dominus noſter eſt, quia omnia iſta per eum ſunt.

*Per eum* vero omnia eſſe dicuntur, quod is ſit media efficiens cauſa omnium rerum ad nos, quatenus Chriſtiani ſumus, ſpectantium. Apparet autem vel ex hac ipſa deſcriptione, domini vocem Jeſu Chriſto tributam, minus quiddam continere, quam vocem Dei in ſuperiori membro de patre prolatam. Dei enim vox de patre prolata talem dominum ſignificat, ex quo tanquam prima cauſa ſunt omnia: domini vero vox de Chriſto uſurpata talem dominum denotat per quem tanquam mediam cauſam prima cauſa cuncta iſta efficiat.

*Et nos per illum.* His verbis Chriſtus conſtituitur intermedius noſtri, quatenus Chriſtiani ſumus, finis. Quemadmodum enim per eum a Deo cuncta beneficia in nos manarunt, & manant: ſic viciſſim nos noſtraque univerſa religio in eum tendit ac dirigitur tanquam ad finem ac ſcopum ſuum, ad ejus laudem ac gloriam cuncta feruntur, verum in eo non conquieſcunt, ſed per eum ulterius tendunt, nempe ad ipſum Deum. Ex his ergo Pauli verbis apertiſſimum eſt, neminem eſſe illum unum Chriſtianorum Deum, quam patrem; & Jeſum Chriſtum, licet unus ille Deus, ex quo omnia in nos manarunt, & in quem nos viciſſim tanquam ultimum ſcopum feramur, non ſit; nihilominus unum eſſe Chriſtianorum dominum, intermediam omnis noſtræ ſalutis ac felicitatis cauſam, intermediumqoe noſtræ religionis finem ac ſcopum. Quod ſi vero Chriſtus unicus noſter eſt dominus, nec quiſpiam ullus præter ipſum poſt Deum, quivis profecto videt, quemadmodum Chriſtum una cum Deo divinis honoribus coli debere, ſic nobis fas non eſſe quenquam poſt Deum, præter Jeſum Chriſtum, religioſo cultu venerari.

Pars III. Verſ. 7. *Sed non in omnibus eſt hæc ſcientia.* Tertia pars capitis incipit, in qua de uſu ſcientiæ circa idolothytorum eſum agit, monetque, ne ſcientia iſta ad infirmorum ſcandalum abutantur. Particula *ſed* oſtendit, hæc ſuperioribus quodammodo opponi: quaſi dicat, Etiamſi nos, quid de idolis, ac proinde & de idolothytis ſentiendum ſit, ſciamus; nempe nihil per ſe & ſua natura referre, ſive idolothytis, ſive communi cibo veſcaris: tamen non omnes iſta ſcientia ſunt præditi; unde porro fiat, ut, ſi huic ſcientiæ obſequamur, eos qui illa carent, facile in peccatum præcipitemus. Dixerat verſ. 1 Apoſtolus, omnes hanc ſcientiam habere; hic rurſus negat, non aliam, arbitror, ob cauſam, quam quod illic non de omnibus in eccleſia loquatur, ſed tantum de præcipuis, quales ſunt eccleſiæ doctores & miniſtri, cæterique rerum divinarum ſcientia ſupra alios præditi, quos ſolos veriſimile eſt ad Paulum ſcripſiſſe, ejuſque his de rebus conſilium ac ſententiam exquiſiviſſe; hic autem omnes in genere Chriſtianos intelligat. Articulus ἡ voci γνώσεως in Græco præfixus, anaphorius eſt, & ſcientiam deſignat non omnem, ſed eam, de qua ſuperius fuerat locutus, nempe verſ. 4.

*Quidam vero conſcientia idoli huc uſque tanquam idolothytum edunt.* A contrario declarat id quod dixit, nempe, non in omnibus eſſe ſcientiam. Itaque non eſt neceſſe, ut particulam δὲ poſitam putemus pro γὰρ; ſed potius δὲ poſitum eſt pro ἀλλὰ, quod longe crebrius eſt.

*Quidam*, nempe ex Chriſtianis, homines nondum plene divinarum rerum ſcientia imbuti, & ſic in fide, ſeu de factis ſuis perſuaſione, infirmi ac fluctuantes.

*Conſcientia idoli*, ſcilicet edant idolothyta, id eſt, cum conſcientia idolis obnoxia, qua putant idolis divinitatis aliquid ineſſe, ſed quam colere ſit neſas, ideoque iis oblata ac conſecrata fieri impura, & ſic ſcelere quodam ſe alligare eum qui attingere audeat.

*Huc uſque*, id eſt, ad hoc uſque tempus. Emphaſis eſt quædam in his verbis, qua exaggerat iſtorum hominum ruditatem, quod tanto tempore, ſeu in tanta veritatis luce, hanc de idolis opinionem & conſcientiæ pavorem non depoſuerint.

*Tanquam idolothytum.* Id eſt, non tanquam ſimplicem vulgaremque cibum, qui nihil propter iſtam immolationem a cæteris cibis differat; ſed tanquam cibum, qui aliquam qualitatem ex immolatione idolis facta traxerit, & impurus evaſerit.

*Et conſcientia ipſorum infirma exiſtens polluitur.* Oſtendit, quid mali derivetur in eos, qui ſic idolothyta comedunt, ut hinc poſtea deducat, quantopere cavendum ſit, ne ii qui ſcientiam habent, idolothytorum eſu infirmis tanti mali ſint cauſa. Malum autem iſtud eſt, quod conſcientia illorum tali idolothytorum eſu polluatur, id eſt, peccato inficiatur. Peccata enim ſunt quæ conſcientiam polluunt. Unde pura dicitur conſcientia, quæ peccato vacua eſt.

*Infirma exiſtens.* Inſerit cauſam cur iſtorum hominum conſcientia idolothytorum eſu polluatur. Id fit non propter ipſos cibos, eorumque eſum per ſe; ſed quod conſcientia ſint infirma, id eſt, nondum plane certâ, nullum in eo peccatum eſſe per ſe, ſi quis idolothytis veſcatur, ſed quod inter utrumque adhuc vacillet ac titubet. Nam qui tali conſcientia aliquid faciunt, licet ex altera parte, ſi id non faciant, nullum peccati periculum videant, ii profecto graviter peccant. Unde apoſtolus Rom. 14. 23, *Qui dubitat, inquit, ſi edat, condemnatus eſt: quia non ex fide. Omne vero quod ex fide non eſt, peccatum eſt.*

Verſ. 8. *Cibus autem non commendat nos Deo.* Poſtquam docuit, quid mali conſequatur ex eo, ſi quis titubante conſcientia veſcatur idolothytis, nunc dehortatnr nos apoſtolus, ne ſcientiæ noſtræ intempeſtivo uſu, & idolothytorum eſu occaſionem tanti mali infirmioribus præbeamus; & primo oſtendit, nullum verum & ſpirituale commodum ex eo proficiſci, quod aliquis cibis utatur, ita ut facilis ejus rei jactura ſit: ne forte quiſpiam privati emolumenti ſpe illectus aliorum damni minorem rationem habeat.

*Cibus*, id eſt, cibi eſus, aut cibus quatenus comeditur, non efficit nos Deo gratiores. Nam quod voluptatem aliquam carni afferat, hoc tanti, apud Chriſtianos præſertim, eſſe non debet, ut illius cauſa aliorum ſalutem negligant, præſertim cum facile aliis cibis voluptas iſta evanida ſatiari queat.

*Neque enim, ſi edamus, abundamus; neque, ſi non edamus, deficimus.* Declarat id quod dixerat, cibum nos non commendare Deo; quia, quantum ad illius favorem obtinendum attinet, perinde eſt ſive edamus, ſive non edamus; nulla nec per cibi alicujus uſum fit nobis divinæ gratiæ acceſſio, nec per illius abſtinentiam imminutio. Abundantia enim iſta & defectus divinæ gratiæ reſpectu intelligenda eſt.

Verſ. 9. *Videte vero, ne quo modo poteſtas hæc veſtra offendiculum fiat infirmis.* Poſtquam docuit, ex idolothytorum eſu nullum verum & ſpirituale commodum ſequi; nunc docet, quid mali ex eo ad proximum derivari queat, ideoque monet, ut caute & circumſpecte libertate iſta utamur.

*Videte*, id eſt, caute agite, in omnes partes circumſpicite.

*Poteſtas hæc veſtra.* Id eſt, licentia iſta idolothytis veſcendi.

*Offendiculum fiat*, id eſt, cauſa offendiculi, per metonymiam. *Per offendiculum* intelligitur peccatum, in quod qui incidunt in curſu pietatis veluti impingunt.

*Infirmis*, id eſt, iis, qui adhuc in ſententia, an idolothytis veſci liceat, nutant.

Verſ. 10. *Si enim quis videat te habentem ſcientiam in idolorum templo ſedentem, nonne conſcientia ipſius infirmi exiſtentis ædificabitur ad edendum idolothyta?* Docet, quo pacto ex poteſtatis iſtius uſu offendiculum infirmis præberi queat: quia ſcilicet facile fieri poteſt, ut infirmus, ejus exemplo, qui ſcientiam habeat, inductus, trepidante conſcientia idolothyta edat, ideoque graviter peccet, & ſic in pietatis tramite impingat.

*In idolorum templo ſedentem*, id eſt, diſcumbentem ad epulas, quæ poſt peracta ſacrificia in templis agitari ſolebant.

*Ædificabitur ad edendum idolothyta*; id eſt, inducetur & confirmabitur, ut ſibi permittat idolothytorum eſum.

*Infirmus exiſtens.* Hoc inſerit, ut oſtendat, ſe non de cujuſvis conſcientia loqui: non enim cuivis peccatum eſt per ſe idolothytis veſci: ſed de conſcientia hominis, qui dum adhuc infirmus manet, inducitur nihilominus, & alieno exemplo impellitur, ut idolothytis veſcatur. Fit enim ſæpe, ut aliorum exemplum potius, quos ſcientia præcellere videmus, ſi præſertim commodum aliquod carnale ſuadeat quam conſcientiæ hæſitantis adhuc dictamen ſequi malimus, eumque veluti aliena auctoritate dubiam adhuc & incertam opprimamus.

Verſ. 11. *Et peribit infirmus frater ſuper tua iſta ſcientia, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Oſtendit, quantum damni ex eo ſequatur, ſi quis alieno exemplo inductus, infirma & hæſitante conſcientia idolothytis veſcatur. Hinc enim interitum iſtius hominis ſequi docet, idque merito. Qui enim contra conſcientiam facit, licet in rebus ſua natura licitis, is ſciens prudens Deum offendit, cui conſcientiam habet obſtrictam.

*Super tua iſta ſcientia.* Id eſt, iſtius tuæ ſcientiæ cauſa & occaſione. Ut vero rem tanto magis exaggeret, & quantopere id indignum ſit huic homini ſcientia iſta exitium afferre, doceat, primum omnium *fratrem*, eumque *infirmum* nominat; qui, quia frater eſt, ſummo amore, quia infirmus, etiam commiſeratione dignus eſt; tantum abeſt, ut ita ſcientiæ iſti tuæ & cupiditati obſequi debeas, ut eum in ſempiternum exitium præcipites. Deinde ait, Chriſtum propter ipſum eſſe mortuum, ut oſtendat, quam charus Chriſto fuerit infirmus iſte frater, & quam longe abſit a Chriſti exemplo is, qui ſcientia ſua infirmo fratri exitii cauſam præbet propter quem Chriſtus eſt mortuus, id eſt illum fratrem ſcientia ſua perdit, quem Chriſtus adeo dilexit, ut ejus ſervandi cauſa mortem ſubierit. Vide quantum inter te & Chriſtum interſit. Quem Chriſtus ſervare voluit eum tu is perditum: cujus ſervandi cauſa Chriſtus etiam mortem diram ac truculentam adiit, eum tu (o rem fœdam & deteſtandam!) leviſſimo ſcientiæ iſtius tuæ uſu ſalute privas, & ſempiterno exitio involvis. Ex hoc loco apertiſſimum eſt, Chriſtum etiam eorum ſervandorum cauſa mortuum eſſe, qui tamen reipſa, propria ſua culpa, pereunt.

¥ſ. 12. *Sic autem peccantes in fratres, & verberantes ipſorum conſcientiam infirmam, in Chriſtum peccatis.* Docuit apoſtolus, quantum damnum ex intempeſtivo ſcientiæ ac libertatis iſtius uſu redundet in fratrem infirmum; nunc ulterius rem deducens, ex eo quod modo de Chriſto dixit, proprium etiam eorum, qui ſcientia iſta & libertate cum aliorum ſcandalo utuntur, incommodum oſtendit: nempe, quod peccantes hac ratione in fratres, in ipſum Chriſtum peccent, quippe qui fratrum iſtorum cauſa, ut eos ſervaret, mortem oppetierit.

*Sic*, id eſt, ea ratione, qua dictum eſt, *peccantes in fratres*, dum nimirum illius & peccati, & tanti mali cauſa exiſtitis:

*Et verberantes ipſorum conſcientiam infirmam.* Explicat, qua ratione in fratres peccent; nempe, quod eorum conſcientiam infirmam verberibus afficiant, id eſt, plagas ei ac vulnera inferant. Vulnus enim & plaga conſcientiæ peccatum eſt ab ea commiſſum. Vulnus autem hoc & plagam ei infligit, quiſquis, ut peccato ſe polluat, efficit.

*In Chriſtum peccatis*, id eſt, ipſum Chriſtum injuria afficitis, qui adeo impenſe fratres iſtos infirmos dilexit. Quantum vero mali ex eo conſequatur, ſeu quo ſe crimine adverſus ipſum Chriſtum obſtringat, quivis facile videt.

Verſ. 13. *Quapropter ſi cibus ſcandalizet fratrem meum, non edam carnes in ſeculum*, ne fratrem meum ſcandalizem. Ex ſuperioribus hanc concluſionem infert, ſuoque exemplo oſtendit, quantopere ſibi in ciborum uſu, cum ſcandalo fratrum conjuncto, temperare debeant.

*Si cibus*, id eſt, cibi alicujus uſus, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto.

*Scandalizat*, id eſt, offenſionis in curſu pietatis ſeu peccati cauſam præbet.

*Non edam carnes in ſeculum*: quaſi dicat, non tantum ab aliis cibis, ſed etiam a carnibus quibuſvis abſtinebo, idque non tantum ad certum aliquod tempus, ſed *in ſeculum*, id eſt, perpetuo, & toto vitæ meæ tempore.

*Carnes*

*Carnes* autem in ſpecie nominavit apoſtolus, tum quia cibus eſt optimus & ſuaviſſimus, ut hinc facile colligi poſſit, quid in aliis cibis vilioribus facturus eſſet; tum quia carnium inprimis uſu infirmiores offendi poterant. Nam & his idolothytorum nomen proprie competit; & ſub lege olim omnis ciborum impuritas intra carnes ſteterat.

## CAP IX.

### *ARGUMENTUM.*

*Pergit Paulus ſuo exemplo docere, quantopere nobis in libertatis noſtræ Chriſtianæ uſu moderari debeamus. Ideoque in hoc capite primum de ſua libertate, tum in genere, tum in ſpecie agit: deinde oſtendit, quantopere ab ejus uſu abſtinuerit: denique ſuo exemplo, ut Corinthii idem faciant, hortatur.*

Pars I. Verſ. 1. NOnne *ſum apoſtolus? nonne ſum liber? nonne Ieſum Chriſtum dominum vidi? nonne opus meum vos eſtis in domino? Nonne ſum apoſtolus?* Fundamentum & cauſam libertatis ſuæ exprimit. Nam ſi omnes Chriſtiani ſunt liberi, quanto magis apoſtoli, omnium Chriſtianorum primi ac præcipui. Ideo addit.

*Nonne ſum liber?* Nonne ſum apoſtolus, ac proinde liber? Liber nimirum ab omnibus rebus natura ſua indifferentibus & mediis, inprimis autem ejus rei reſpectu, quam poſtea commemorat, quod ſumtibus eccleſiæ vivendi jus habuerit.

*Nonne Ieſum Chriſtum dominum noſtrum vidi?* Occurrit tacitæ objectioni, ne quis putaret, eum, quia Chriſto in terris vivente in numerum apoſtolorum cooptatus non eſſet, Chriſtum non vidiſſe, ac proinde inter apoſtolos referendum minime eſſe. Intelligit autem viſionem illam omnibus notam & in eccleſiis pervulgatam, quæ deſcribitur Actor. IX. 22, & 26. quaſi dicat, Nonne id omnibus veſtrum conſtat, me dominum Jeſum Chriſtum vidiſſe, ac proinde de eo tanquam oculatum teſtem teſtari poſſe, quod apoſtolici muneris eſt proprium? Imo nonne hac in parte cæteris omnibus apoſtolis præſto, quod illi quidem dominum Jeſum interris viventem, & a mortuis reſuſcitatum, nec dum in cælos evectum ac glorioſum effectum viderint; ego autem eum jam gloria ac majeſtate divina circumfulgentem, dominumque ac regem omnium conſtitutum viderim?

*Nonne opus meum vos eſtis in domino?* Ab effectis etiam probat, ſe apoſtolum eſſe, nempe ex eo quod Corinthios ad Chriſti religionem capeſſendam adduxerit; quod ſine divinis miraculis, ac proinde muneris apoſtolici in Paulo approbatione fieri non potuit.

*In domino.* His verbis docet, cujus rei reſpectu Corinthios opus ſuum appellet, nempe reſpectu domini, ſeu, quatenus ad dominum Jeſum pertineant, & ejut ſanctiſſima religione imbuti ſint.

Verſ. 2. *Si aliis non ſum apoſtolus, ſed vobis ſum.* Adhuc in eo moratur, ut ſe apoſtolum eſſe plane Corinthiis oſtendat. Poterat enim aliquis dicere: At non haberis a multis pro apoſtolo, multi tibi apoſtolo controverſiam movent. Quid tum, reſpondet Paulus; at vos ſaltem de eo dubitare non poteſtis, quod mihi nunc ſufficit.

*Si aliis non ſum apoſtolus.* Id eſt, ſi aliis me apoſtolum eſſe non oſtendi, multiſque indiciis comprobavi, ideoque ab iis pro apoſtolo non habeor; at certe vobis, me eſſe apoſtolum, oſtendi, ideoque a vobis pro apoſtolo agnoſci debeo. Si qui ſunt, qui de apoſtolatu meo dubitant; vos de apoſtolatu meo nullo pacto dubitare poteſtis.

*Sigillum enim mei apoſtolatus vos eſtis in domino.* Cauſam ſubjicit, cur Corinthii de ipſius apoſtolatu dubitare nequeant: quia ſcilicet ipſi Corinthii, quatenus opera & prædicatione Pauli Chriſtiani effecti ſunt, omnibus documento ſint, Paulum eſſe apoſtolum. *Sigillum*, id eſt, documentum, confirmatio, non ſecus ac ſigillum confirmat & fidem facit, literas ab eo profectas eſſe cujus nomen præferunt, & ſigillo obſignatæ ſunt. Si ergo vos Corinthii aliis fidem facitis, me apoſtolum eſſe, multo magis vos ipſos ea de re certos eſſe oportet.

*In domino.* His verbis iterum oſtendit, cujus reſpectu, ſeu quatenus conſiderati Corinthii ſigillum ſint apoſtolatus Pauli, nempe quatenus Chriſtiani ſint effecti.

Verſ. 3. *Mea apologia iis, qui me dijudicant, hæc eſt.* Id eſt, hac re, quod ſcilicet vos per meam prædicationem Chriſtiani effecti eſtis, ſoleo me defendere contra eos, *qui me dijudicant*, id eſt, de meo apoſtolatu quæſtionem habent, an ſcilicet apoſtolus ſim. Vos a me ad Chriſtum adductos iſtis hominibus de fide mea dubitantibus, tanquam literas fidei oppono. Si enim me falſo apoſtolum jactarem, quo pacto vos ad Chriſtum adduxiſſem? num iſtud ſine Chriſti opera, ſine ſpiritus ſancti operatione perfici potuiſſet? An vero Chriſtus mihi adfuiſſet, ſuique ſpiritus vim & efficaciam largitus fuiſſet, ſi me apoſtolum ipſius fuiſſem mentitus?

Verſ. 4. *Nonne habemus poteſtatem edendi & bibendi?* Nunc in ſpecie libertatis ſuæ partem commemorat, quæ cum apoſtolico munere conjuncta erat. Quod ſcilicet poteſtatem & jus a Deo & Chriſto ſibi conceſſum habuerit victum ab eccleſia ſibi ſumendi.

*Edendi & bibendi*, nempe eccleſiæ ſumtu.

Verſ. 5. *Nonne habemus poteſtatem ſororem uxorem circumducendi, quemadmodum & reliqui apoſtoli, & fratres domini, & Cephas?* Magis adhuc exaggerat hanc ſuam libertatem, quod ſcilicet non tantum pro ſe victum ab eccleſia potuerit exigere; ſed etiam uxorem comitem ſibi adjungere, quæ una ſecum eccleſiæ ſumtu aleretur.

Per vocem Græcam γυναῖκα *uxorem*, non mulierem in genere deſignari, id primum indicat, quod eam jam nominavent *ſororem*. Quid enim attinet eam mulierem vocare, cum ſoror utique mulier ſit? At ſoror non ſtatim uxor eſt. *Sororis* enim vox hoc loco idem ſignificat ac אחות, id eſt fidelis, ſeu Chriſtiana mulier. Deinde quod inhoneſtum & indecorum fuiſſet, ſi apoſtoli mulierem aliquam matrimonii vinculo illis non conjunctam circumduxiſſent. Res enim hæc variis ſuſpicionibus & criminationibus occaſionem præbuiſſet. Nec eſt quod quiſpiam dicat, etiam ipſum Chriſtum ſecutas fuiſſe quaſdam mulieres Matth. 27. 55. Lucæ 8. 2. Nam primum aliud eſt, mulierem aliquam comitatum alicujus ſponte ſequi; aliud eam circumducere, qua voce jus & imperium in eam deſignatur. Deinde Chriſtus ſemper magnam turbam habuit comitem, & ſi alii defuiſſent, parvus ne erat duodecim diſcipulorum comitatus, quibus perpetuo ſtipatus

erat ? In tanta autem hominum cum Chriſto verſantium multitudine honeſte verſari poterant aliquot fœminæ. At apoſtolos, tam paucos, in totum orbem diſperſos, non raro procul dubio contigit etiam ſolos, aut paucis comitibus iter facere. Tertio, mulieres iſtæ Chriſtum ſponte ſectabantur, non ſimplicis alicujus miniſterii cauſa, quod obire poterant etiam viri ; ſed ut eum ſuis facultatibus alerent, & ei ſumtus in itinere ſuppeditarent. At hic tales fœminæ intelligi non poſſunt. Nam ſi tales fœminas comites habuiſſent apoſtoli, profecto poteſtate ſua in eccleſia non fuiſſent uſi, id eſt, eccleſiam minime gravaſſent. Et dum Paulus negat, ſe tali fœmina comitatum fuiſſe, minime ſe ab hac ſuſpicione, quod eccleſiam non gravarit, vindicat ; quin potius adhuc cogitandum relinquit, an non ob id ipſum eccleſiæ ſumtibus uti neceſſe habuerit. Quare ex hoc loco perſpicuum eſt, quod etiam veteres teſtantur, apoſtolos in conjugio vixiſſe, imo uxores ſecum circumduxiſſe, ut iis hac ratione melius proſpicere ac conſulere poſſent, viciſſimque eorum opera ac miniſterio in peregrinationibus ſuis uterentur. At Paulus, qui ne in ſe quidem ſolum ſumtum ab eccleſia fieri volebat, conſulto ab hac re abſtinuit. Unde veriſimiliter colligitur, Paulum uxore quidem non caruiſſe, ſed tantum ab ejus uſu ac conſuetudine abſtinuiſſe, aliaque ratione ei, quam ut eam circumduceret, proſpexiſſe.

*Quemadmodum & reliqui apoſtoli.* Aliorum apoſtolorum exemplum commemorat, ut hinc idem ſibi licere, qui non minus quam illi apoſtolus eſſet, oſtendat.

*Et fratres domini*, id eſt Jacobus, quem in epiſtola ad Galatas fratrem domini appellat ; & Johannes, frater Jacobi germanus. Nominatim autem hos & Petrum exprimit, quia iſti erant apoſtolorum præcipui, &, ut ipſe Paulus in eadem ad Galatas epiſtola loquitur, *columnæ* (nimirum eccleſiæ) *eſſe videbantur*. Unde apparet, ſi tantis viris indignum non erat uxorem circumducere, & publico eccleſiæ ſumtu eam ſuſtentare, ne *P*aulo quidem id minus licitum fuiſſe.

Verſ. 6. *An ſolus ego & Barnalas non habemus poteſtatem non operandi?* Occurrit exceptioni cuidam, quam tanquam nimis abſurdam ſola interrogatione repellit, quaſi dicat : An forte dicet aliquis, ſolum me & Barnabam hoc non laborandi privilegio deſtitutum eſſe, & ſic minime parem eſſe noſtram & cæterorum apoſtolorum conditionem ? At non arbitramur, id quenquam dicturum. Cur enim in nos, quam in cæteros noſtros collegas ac ſocios Chriſtus eſſet durior & iniquior ?

*Non operandi*, id eſt, a manuum labore, quo victum comparemus, abſtinendi : qua de re vide Act. xx.24. 2 Theſ.III.8,9. An nos ſoli, inquit, ad manuum laborem damnati ſumus, ut ex eo victum quæramus, nec licet nobis pro tanto miniſterio, quod eccleſiæ impendimus, cibum ab ea exigere ?

Verſ. 7. *Quis militat propriis ſtipendiis unquam* ? Argumentis a ſimili ductis hanc poteſtatem ſibi vendicat *P*aulus. *Quis militat* ? id eſt, ita, ut id facere teneatur. Nam quandoque fit, ut quiſpiam propriis ſtipendiis militet. Quanquam *P*aulus ita loqui potuit, quod communiter aliter non fiat. Quemadmodum ergo illi qui militant, jure optimo ſtipendium ab iis, quibus militant, accipiunt, ſic ego, dum eccleſiæ milito, jure optimo ſtipendium ab eccleſia poſſum exigere.

*Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit* ? Altera ſimilitudo, ſumta ab eo, qui veneam plantat. *P*er plantationem autem non ipſa tantum plantatio, cum vites inſeruntur terræ, aut ulmis adſtringuntur ; ſed etiam conſequens vineæ iſtius cura intelligenda videtur. Nam ſæpe fit, ut mercenarii vineam plantent, nec tamen jus habeant de fructu ejus edendi : at nemo eſt, qui vineæ curam ac cuſtodiam habeat, præſertim ſi ipſius etiam opera plantata fuerit, quin de fructu illius poſſit edere quantum velit. Maluit autem *P*aulus verbis uti quę ipſum factum exprimunt, non jus tantum faciendi, ut argumentum tanto fortius ſtringat. Si enim & is qui militat, & is qui vineam plantat curatque, tantum jus habeat, ille quidem ſtipendium accipiendi, hic vero de fructu vineæ edendi ; ſed etiam nemo ſit, qui jure iſto non libenter utatur : quis negare audebit, nobis etiam, qui eccleſiæ militamus, ſtipendia ab ea accipere, & qui eam plantavimus ac perpetuo curamus, de ejus fructu edere, id eſt ab ea victum accipere fas eſſe ? imo quis id a nobis non fieri tanquam inſolitum non mirabitur ?

*Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit.* Tertia ſimilitudo, a paſtoribus ſumta, qui ſimiliter, ſive ſuum, ſive alienum paſcant gregem, non ſolum jus habent de lacte gregis edendi, ſed etiam nullus eſt, qui non utatur jure. Similiter ergo & apoſtoli, eccleſiæ Chriſti paſtores, iique præcipui, jus habent victum ab eccleſia petendi, neque mirandum eſt ſi ab eo alantur ; ſed mirandum eſt, ſi a victu ab eccleſia ſumendo abſtineant.

Verſ. 8. *Num ſecundum hominem hoc dico* ? Occurrit objectioni. Poterat enim quis dicere, iſta humana eſſe, & ex humanæ tantum rationis ſenſu dici, eique congruere : at ſi res divino æſtimetur judicio in rebus præſertim divinis aliter ſentiendum eſſe. Hoc ergo negat *P*aulus, & oſtendit, non tantum humano judicio, ſed etiam divino id congruere. Addit enim :

Verſ. 9. *Nonne etiam lex hæc dicit* ? Quod enim lex dicit, ipſe Deus dicit.

*In Moſis enim lege ſcriptum eſt : Non obligabis os bovi trituranti.* Ut probet id, quod aſſerit, dici a lege, citat verba legis ex Deuter.xv. 4, quibus jubet Deus, ne bovi trituranti os obligetur, id eſt, ut illi facultas relinquatur ex manipulis, quos triturat, quantum velit inter triturandum edendi.

Ne vero quis objiciat, hoc præceptum ad boves, non ad apoſtolos pertinere, ſubjicit : *Num boves ſunt curæ Deo ?* Non negat apoſtolus, Deum etiam curare boves, aut præceptum hoc ad boves pertinere ; ſed negat, Deum primo ac præcipue boves curare, quos hominum cauſa condidit, & hominum quoque cauſa curat. Hinc porro colligit, Deum in hoc præcepto, quod de bobus dedit, ulterius reſpexiſſe, & id quod de bobus præcepit, multo magis in hominibus locum habere voluiſſe. Quanto vero homines ſunt præſtantiores, & Deo chariores ac conjunctiores, tanto magis Deo illos curæ eſſe cenſendum eſt ; ideoque tanto magis hoc præceptum ad illos referendum. At apoſtolis, viris tam divinis, & in ipſius Dei negotio penitus occupatis, quid Deo gratius & conjunctius eſſe potuit ? ac proinde ad quos magis, quam ad iſtos legis iſtud præceptum extendi debet ?

Verſ. 10. *An propter nos omnino dicit* ? Quia negavit, hoc præceptum primo ac præcipue boum cauſa datum eſſe, idque tanquam abſurdum poſuit, propter-

propterea ulterius progreditur, & quærit:

*An propter nos omnino dicit?* Nos, id eſt, nos apoſtolos. Non quidem quod nominatim Deus ad apoſtolos reſpexerit; ſed quod inter homines, ad quos Deus præcipue reſpexit, apoſtoli primum mereantur locum. *Omnino* aſſerendi particula eſt, & idem valet hoc loco quod certe, vel profecto.

*Propter nos enim ſcriptum eſt.* Cauſam affert, cur aſſeruerit, id propter apoſtolos dictum eſſe; quia ſcilicet ita ſe res vere habet. Nam ſi id propter homines ſcriptum eſt, quanto magis propter hominum primos ac præcipuos? Verba autem iſta ad præcedentia, ut patet, referimus; non ad ſequentia. In ſequentibus enim non citatur ullus Scripturæ locus, præſertim talis, qui oſtendat, legis illa verba de bobus ad homines eſſe referenda: ſed cauſa tantum affertur, cur ea de apoſtolis ſcripta eſſe cenſeri debeat. Itaque particulam ὅτι in ſequentibus non accipimus διδικῶς, ſed διαλογικῶς.

*Nam ſub ſpe debet is, qui arat, arare.* Cauſam affert apoſtolus, cur illa legis verba ad homines referenda ſint; quia *qui arat, ſub ſpe debet arare*, id eſt non debet ſpe fructus ex ſua aratione percipiendi prohiberi, debet illi jus eſſe, ut fructum, ex labore ſuo & agricultura ſperet, ac proinde etiam ut eum percipiat. Ex uno autem laboris genere, nempe aratione, vult eandem cæterorum omnium rationem eſſe colligi.

*Et qui triturat, ſpei ſuæ particeps eſſe, ſub ſpe.* Verba *ſub ſpe*, tranſpoſita ſunt, & collocari debent poſt participium ὁ ἀλοῶν, *qui triturat*, id eſt, *qui triturat ſub ſpe, debet ſpei ſuæ particeps fieri.* Superiore exemplo arantis docuit apoſtolus, jus & fas eſſe laboranti, ut fructum ex ſuo labore ſperet: hoc vero triturantis exemplo docet, laborantem, qui ſpe commodi inductus laboret, jus habere, ut commodum quod ſperat, percipiat; & ſic non tantum jure commodum ſperare, ſed eo etiam potiri, ita ut eo ſine injuria prohiberi nequeat. Spei nomen per antanaclaſin alia atque alia ratione in his poſterioribus verbis accipitur. Cum dicitur triturans triturare ſub ſpe, ſpei nomen accipitur, proprie cum vero dicitur debere ſpei ſuæ particeps fieri, ſpes ſperatum commodum affert vel hoc deſignat.

Verſ. 11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum ſi nos veſtra carnalia metemus?* Alia ſimilitudine idem docet Paulus, ſumta ab iis, qui agros conſerunt & metunt. Tanto autem validius concludit, quanto meſſis rerum carnalium, cujus ſibi jus vendicat Paulus, longe vilior & inferior eſt ſatione ac meſſe rerum ſpiritualium, quæ Pauli labore & opera Corinthiis obtigerat.

*Spiritualia*, id eſt ſpiritualia bona, qualia ſunt Dei & Chriſti cognitio, & quæ eam conſequuntur commoda.

*Seminavimus*, nimirum Dei verbum prædicando, Dei enim verbum inſtar ſeminis eſt, prædicatio ſationis, homines inſtar agri: quemadmodum ipſe Chriſtus docuit.

*Vobis*, in veſtrum uſum, ut hinc uberrimam meſſem ſpiritualium bonorum conſequeremini.

*Magnum, ſi nos veſtra carnalia metimus?* quaſi dicat, quantulum hoc eſt, ſi nos pro tanta ſatione, &, quæ eam conſequitur, meſſe viciſſim ex veſtra carnali ſatione & meſſe aliquid delibemus? poſſuntne conferri carnalia bona cum ſpiritualibus? Quod ſi ergo vos noſtro labore & opera bonis ſpiritualibus ditati eſtis, cur nobis nefas ſit ex veſtro viciſſim labore ac ſatione carnali partem aliquam decerpere? Simili argumento utitur etiam Paulus in epiſtola ad Romanos cap. 15. 27.

Verſ. 12. *Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, non potius nos?* Aliud argumentum ab exemplo aliorum, & a minori ad majus: quaſi dicat, Si alii, qui id minus merentur, poteſtatem in vos habent, ut ſcilicet a vobis victum pro ſuo miniſterio ſpirituali petant, nonne multo magis nobis apoſtolis, qui hac in parte cæteris omnibus miniſtris præſtamus, hæc poteſtas tribuenda eſt?

*Poteſtatis veſtræ.* Sic appellat facultatem & jus victum ab eccleſia accipiendi. Nam ὑμῶν paſſive accipiendum eſt, ut Matth. 10. 1, & Marc. 6. 7 dicitur ἐξουσία τῶν πνευμάτων, *poteſtas ſpirituum*, id eſt, in ſpiritus.

*Participes ſunt*, μετέχουσιν, id eſt poteſtatem in vos habent, vel etiam reipſa ea utuntur.

*Sed non uſi ſumus poteſtate hac.* Nondum omnia argumenta apoſtolus abſolvit, quibus ſibi jus eccleſiæ ſumtu vivendi aſſerit; & tamen hic inſerit, ſe jure hoc non fuiſſe uſum, ne lectoris animum diutius teneret ſuſpenſum, indecenſque ſibi hanc poteſtatem eſſe videretur, & ſe ea fuiſſe uſum, fateri.

*Poteſtate hac*, nempe de qua modo locutus eſt. Quare cum hic non alia poteſtas intelligatur, quam ab eccleſia ſumtum accipiendi; ſequitur etiam illis verbis τῆς ἐξουσίας ὑμῶν, non aliam quam hanc deſignari.

*Sed omnia toleramus*, id eſt, non tantum hoc, quod ab eccleſiis victum non accipiamus; ſed alia etiam omnia incommoda, quibus alioquin jure ſoluti ſumus.

*Ne interruptionem aliquam demus euangelio.* Cauſam exprimit, cur & hoc & alia toleret incommoda: ne, ſi ſecus faceret, curſum euangelii interrumperet: quod facile ſequi potuiſſet, ſi ſumtibus eccleſiæ euangelium prædicaſſet. Hinc enim malevoli occaſionem arripuiſſent apoſtolum calumniandi, ac ſi proprii commodi cauſa apoſtolum ſe eſſe mentitus eſſet, utque tanto magis rem faceret, gentibus euangelium annunciaret, iiſque legalium ceremoniarum gratiam faceret, & per ſolam in Chriſtum fidem, demtis legis operibus, ſalutem polliceretur. Tam ſpecioſa autem calumnia quam multorum animi ab euangelio Chriſti potuiſſent averti, & ſic ejus curſus interrumpi! Interrumpitur enim euangelii curſus, cum ne longe lateque dimanet, omniumque animos occupet, impeditur. Majorem ergo rationem habuit Paulus euangelii, quam ſui, ſponteque hoc jure ſuo ſe abdicavit, quo ſine divinæ gloriæ multorumque hominum ſalutis jactura uti non potuit.

Verſ. 13. *Neſcitis, quod qui ſacra operantur, ex ſacrario edant; qui altari aſſident cum altari participent?* Novo argumento utitur apoſtolus ab exemplo eorum, qui ſacris in templo Dei vacabant, quales erant Levitæ & ſacerdotes. Hi enim, quia ſacris intenti eſſe debebant, idcirco Deus conſtituit, ut ex iſto miniſterio victum caperent. Porro duo ſunt membra verborum apoſtoli. Unum generalius eſt, & includit etiam Levitas; alterum ſpecialius, quod ad ſolos ſacerdotes refertur. Sacris operabantur non tantum ſacerdotes, ſed etiam Levitæ ſacerdotibus tanquam miniſtri additi. Nam & in mactandis lavandiſque victimis, & in vaſis ſacris, quanquam involutis, portandis, aliiſque templi miniſteriis obeundis operam ſuam præſtabant. Vas ſacrum ullum contingere, aut victimam offerre, & ſanguinem ſpargere, aut adipem adolere fas illis non erat.

*Ex ſacrario edunt.* Id eſt, ex decimis, ex ſacrifi-

ciis, ex primitiis, quæ Deus ſacrario ſeu templo ſuo aſſignaverat.

*Qui altari aſſident.* Alterum membrum, quo ſoli ſacerdotes ſignificantur. Utitur autem aſſidendi verbo, quo perpetua altaris ſeu divini cultus cura deſignatur, ob quam fiat, ut victui quærendo intenti eſſe nequeant.

*Cum altari participant.* Id eſt, partem cum altari accipiunt. Ex victimis enim pars cedebat altari, nempe ſanguis, qui ſpargebatur, & adeps, qui in altari adolebatur; pars ſacerdoti, & in ſacrificiis quidem pro peccato, ſeu expiatoriis, tota victimæ caro (exceptis illis, quorum corpora comburebantur extra caſtra) in pacificis autem certa tantum pars, reliquum cedebat victimam danti, qui deinde Levitas, alioſque quos volebat, pauperes inprimis, invitabat.

Verſ. 14. *Sic & Dominus conſtituit iis, qui euangelium annunciant, ex euangelio vivere.* Ultimo loco ipſius domini Jeſu ſtatuto ſe tuetur quaſi dicat: Non tantum Deus olim in lege præceperat, ut qui templo ſerviunt, & res ſacras curant, inde victum acciperent; ſed etiam ipſe dominus Jeſus idem conſtituit, ut qui euangelium annunciant, ex euangelio, id eſt, ex euangelii prædicatione victum habeant: qua de re vide Matth. 10. 10. 1 Tim. 5. 18. Dignus enim eſt operarius alimento & mercede ſua; & qui victum denegat ſalutem annuncianti, ſalute indignus eſt.

Pars II. Verſ. 15. *Ego vero nullo uſus ſum iſtorum.* Hactenus aſſeruit ſuam in accipiendo ab eccleſia victu poteſtatem: nunc oſtendit, ſe hac poteſtate non fuiſſe uſum, ne cujuſquam ſaluti hac ratione obeſſet. *Nullo iſtorum*, quæ ſcilicet ad hanc poteſtatem pertinent, & in ea includuntur: quaſi dicat, nec victum accepi, nec amictum, nec ſtipendium ullum aut mercedem, nec pro me, nec pro uxore, nec pro miniſtris, aut comitibus meis, quibus, ut ipſe alibi loquitur, miniſtrarunt, id eſt res neceſſarias quæſiverunt manus iſtæ, videlicet meæ.

*Non ſcripſi autem hæc, ut ſic fiat in me.* Amolitur ſuſpicionem, quæ ex dictis alicui ſuboriri poterat, ac ſi apoſtolus eo fine tantopere jus ſuum & poteſtatem exaggeraverit, ut Corinthii hac ratione tacite & oblique monenti apoſtolo res neceſſarias ſuppeditarent. Negat ergo apoſtolus ſe hoc fine iſta ſcribere.

*Bonum enim mihi potius mori, quam ut gloriationem quis inanem reddat.* Oſtendit, adeo ſe longe ab hac re abeſſe, ut mori malit, quam gloriatione ſua excidere, quam videlicet ex eo habeat, quod plane gratis euangelium annunciet.

*Quam ut gloriationem meam quis inanem reddat*, id eſt, quam ut quiſpiam mihi pro euangelii annunciatione victum ſuppeditet, & ſic gloriationem meam irritam faciat.

Verſ. 16. *Si enim euangelizem, non eſt mihi gloriatio.* Rationem ſuperioris dicti reddit apoſtolus per occupationem. Diceret enim aliquis, nonne ſatis gloriationis ex eo habes, quod euangelium annuncies? Reſpondet Paulus, non habere ſe, quod eo nomine glorietur; glorietur, inquam, tanquam de re, quam ultro & ſua ſponte præſtet.

*Neceſſitas enim incumbit mihi.* Cauſam addit, cur ex eo, quod euangelium annunciet, gloriari non poſſit; quia ſcilicet ſumma neceſſitate adactus id faciebat, nempe juſſu & imperio domini Jeſu impulſus.

*Væ autem mihi eſt, ſi non euangelizem.* A contrario eam rem illuſtrat Paulus, ſi euangelium annunciem nullam gloriationem habeo; ſed væ mihi niſi illud annunciem. Particula δὲ poſita eſt pro καὶ. Itaque hinc apparet, quo ſenſu Paulus gloriationis vocem accipiat, nimirum, ut denotet eam rem, quam non præcepto & juſſu divino adactus fecit, idemque niſi fecerit, pœnam ac ſupplicium mereatur; ſed quam ſua ſponte ſuſcipit, & ſic peculiare præmium, ſine ullo pœnæ periculo expectat.

Verſ. 17. *Si enim volens hoc facio, mercedem habeo: ſi vero invitus, diſpenſatio mihi concredita eſt.* Rationem ſubjungit, cur negaverit, ſe ex eo ſolo quod euangelium annunciet, gloriari poſſe; ſed pœnam ac ſupplicium, niſi id faciat, expectandum ſibi eſſe dixerit: quia ſcilicet tum demum, ſi volens, & ſumma cum alacritate euangelium annunciet, mercedem habiturus ſit; addendam ergo ſibi eſſe ſpontaneam animi inductionem & alacritatem ad euangelii prædicationem, ſi mercedem habere & gloriari velit.

*Volens*, id eſt, non ob ſolum Chriſti præceptum, ſed ſpontaneo etiam animi conſilio in eam rem propendens: cujus rei illuſtre documentum eſt, quod nullam laboris & prædicationis mercedem ab hominibus exigam, ſed eam repudiem.

*Mercedem habeo*, id eſt, peculiarem & eximiam, præter eam, quam alioquin Deus eis qui præceptum ejus ſibi de prædicando euangelio datum exequuntur, deſignabit. Nihil enim ſine ſpe præmii Deus optimus præcepit: etſi aliquibus quid ſupra cæteros decernere ſolet.

*Si vero invitus*, id eſt, ſolo Chriſti imperio adductus. Nec enim aut volentem hic opponit ei, qui plane invitus, ſed qui gravate aliquid facit; aut invitum ei, qui ſponte & deliberate, ſed qui alacriter & προθύμως rem aggreditur.

*Diſpenſatio mihi concredita eſt*, id eſt, nihil aliud quam diſpenſatorem ago, & munus mihi demandatum exequor, juſſis heri ac Domini mei obſequor, nihil aliud, quam juſſus ſum obeo, ideoque ni faciam pœnam & ſupplicium horreo; ſi faciam, nullum peculiare præmium expecto.

Verſ. 18. *Quæ igitur mihi eſt merces?* Melius & ſpecialius declarat cauſam ſingularis illius, ad quam anhelabat, mercedis. Nam *merces* per metonymiam pro mercedis cauſa ſumitur. Quaſi dicat, quid igitur eſt, quod mihi in hoc munere meo obeundo ſingularem mercedem afferre poteſt, & efficere, ut jure gloriari poſſim? reſpondet:

*Ut euangelizans gratuitum conſtituam euangelium Chriſti*, id eſt, ut gratis euangelium annunciem, nec ejus rei nomine ſumtum a quoquam accipiam. Ἀδάπανον, nullis conſtans ſumtibus aut impenſis. Θήσω, conſtituam, id eſt, veluti exhibeam.

*Ut non abutar poteſtate mea in euangelio.* Alium finem iſtius facti ſui exprimit, priori tamen ſubordinatum.

Per *poteſtatem ſuam in euangelio*, id eſt, in prædicatione euangelii, poteſtatem & jus intelligit victum ab eccleſia accipiendi: *abuſum* autem iſtius poteſtatis vocat, ſi id fiat cum inpedimento euangelii. Ex ſcopo autem & toto orationis apoſtolicæ

contextu

contextu apparet, hunc abuſum licitum apoſtolo fuiſſe, non minus quam cæteris apoſtolis. Nam ſi alia hac in parte conditio Pauli fuit quam illorum injuria ſe Paulus illis comparat, nec utriuſque facti circumſtantias conſiderat. Quid vero gloriari poſſet, & quam peculiarem ex eo mercedem ſperare, quod non peccaret, aut quod non perficeret id, quod facere fas non eſſet? Itaque apparet, Paulum *abutendi* verbo hic aliquantulum fuiſſe abuſum.

Verſ. 19. *Liber enim exiſtens ex omnibus, omnibus meipſum ſervum feci, ut plures lucrifaciam.* Cauſam facti iſtius ſui ab eo, quod generalius eſt, petitam occupatione quadam ſubjungit. Quaſi dicat. Ideo a libertate & jure meo, quod in euangelii prædicatione habeo, ultro abſtineo, quia etſi liber ſum non minus quam cæteri, tamen omnibus ſervire eorumque mancipium eſſe volui.

*Liber exiſtens ex omnibus.* Ἐκ πάντων. Dubium eſt, an vox πάντων ad perſonas, an ad res referenda ſit. Ut ad res referatur, ſuadet particula ἐκ, quæ melius in res, quam in homines quadrat: ut ad homines, ſequens antitheſis poſcit.

*Omnibus meipſum ſervum feci.* Non dubium enim eſt; vocem *omnibus*, quemadmodum & ſequentia docent, ad homines referri. Si de rebus loquitur, ſenſus eſt; liber ſum, ne ullam rerum earum faciam, ad quam faciendam alii legibus Chriſti non adſtringuntur: ſi de hominibus; id dicit, ſe nullius mancipium eſſe, ſe ingenuum non minus quam alios eſſe. Omnibus meipſum ſervum feci, quatenus nimirum illorum voluntati & utilitati me conformo, illis me attempero, quemadmodum ſervi heris ſuis ſolent facere. Si quid ullum hominem poſſit offendere etiam prorſus injuſte, illud vito; ſi quid eſt, in quo ei gratificari poſſim, promtus facio; quicquid aliorum hominum cauſa, modo id mihi per conſcientiam liceat, facere poſſum, id nulla habita libertatis meæ ratione, ejuſque plane oblitus, ago. Servitus autem iſta duplex eſt, & gradibus diſtincta. Unus ejus gradus eſt, cum quis aliorum cauſa ea facit, quæ in religione Chriſtiana per ſe ſunt libera, ſed ſpectatis facti circumſtantiis ſæpe evadunt non libera, nempe ſi cum infirmorum ſcandalo ſint conjuncta. Atque huic ſervituti nos omnes Chriſti lex, quæ charitatis lex eſt, adſtrinxit Galat.5. 13. Alter gradus atque ſublimior eſt, cum quis aliorum cauſa legem ſibi indicit, ut ea quoque faciat, ad quæ facienda Chriſti lege penitus non erat adſtrictus. Ad hunc ſervitutis gradum pertinent ea, quæ de gratuita euangelii prædicatione diſſeruit apoſtolus. Sed apoſtolus ab hac ſervitute paulatim deſcendit ad illam, ut Corinthios exemplo ſuo ad idem faciendum hortetur, certa ſalutis jactura, ni fecerint, iis propoſita.

*Ut plures lucrifaciam.* Id eſt, ut tanto plures ad fidem euangelii perducam, & ſic Chriſto lucrer. Τοὺς πλείονας. Articulus redundat.

Verſ. 20. *Et factus ſum Judæis ut Judæus.* Generale dictum, quo ſe omnium ſervituti ſubjeciſſe teſtatus eſt, ſpecialibus exemplis illuſtrat, & ſic adhuc magis docet, quantopere ille jus ſuum perſecutus non fuerit in rebus mediis.

*Factus ſum Judæis ut Iudæus.* Id eſt, Judaicos ritus, a quibus liberum me fecit Chriſtiana religio, una cum Judæis obſervare ſoleo.

*Ut Iudæos lucrifaciam.* Finem facti ſui exprimit, ut hac ratione facilius Judæos ad Chriſtum pertraherem.

*Iis qui ſub lege, tanquam ſub lege.* Superius membrum declarare videtur: Judæi enim erant ſub lege; quanquam etiam proſelyti ſub lege erant: ſed quia viſus eſt apoſtolus ſe quodammodo Judæum eſſe negaſſe; ideo id declarat; nempe ſe non loqui de Judæis reſpectu gentis, ſed reſpectu legis, ſenſumque eſſe, ſe eis, qui adhuc lege Moſis ſe adſtrictos eſſe crederent, ita morem gerere, ac ſi & ipſe non minus lege iſta adſtrictus eſſet.

Verſ. 21. *Qui ſunt ſine lege tanquam ſine lege.* Hoc eſt, gentibus, quibus lex Moſis lata non fuit, ideoque legem iſtam non curant.

*Tanquam ſine lege.* Non ſecus ac ſi ipſe quoque unus ex illorum numero eſſem, non obſervans accurate legis ceremonias, aut ciborum dierumque delectum: ita me inter gentes & Judæos partior, ut quantum per utroſque liceat, utriſque gratificer.

*Non exiſtens exlex Deo, ſed ſublex Deo.* Inſerit hoc apoſtolus, ne quis in deteriorem partem accipiat id quod dixerat, ſe nimirum factum eſſe tanquam anomum. Poterat enim aliquis credere, apoſtolum, dum gentibus obſequi ſtudet, revera Dei leges ac præcepta negligere. Ideo oſtendit Paulus, ſe in hoc ſuo legis neglectu revera non negligere Dei legem, quin ei prorſus obſequi.

*Non exiſtens ἄνομος Deo.* Quaſi dicat. Dum legem Moſaicam in quibuſdam gentium cauſa negligo, non ſum tamen anomus reſpectu Dei, nullum præceptum Dei tranſgredior.

*Sed ſublex Chriſto*; ſed legem Chriſti obſervo, ac proinde ipſi Deo obtempero. Moſaicam quidem non uſquequaque colo; ſed hæc non amplius pro divina lege cenſeri debet, quatenus cum Chriſti lege non conſentit. Itaque etiamſi non obſervaverit legis externos ritus; tamen contra Dei & Chriſti legem non deliquit: imo quatenus id ſalutis aliorum cauſa fecit, eatenus ipſam legem Chriſti executus eſt.

*Ut lucrifaciam anomos.* Id eſt, ut gentes ad Chriſti fidem tanto facilius alliciam.

Verſ. 22. *Factus ſum infirmis tanquam infirmus.* Per *infirmos* tertium hominum genus intelligit, nempe Chriſtianos, ſed adhuc in fide, id eſt, in perſuaſione certarum rerum infirmos, quales erant, qui de rebus in Chriſtiana religione indifferentibus adhuc dubitabant.

Iſtis ergo, tanquam ſi & ipſe infirmus eſſet factus erat, id eſt ab earum rerum uſu, quem ipſi illicitum crederent, aut ſaltem an licitus eſſet dubitarent, abſtinebat, non ſecus ac ſi & ipſe eſſet talis.

*Ut infirmos lucrifaciam.* *Lucrifaciendi* verbum hic non adductionem ad Chriſti fidem ſignificat: jam enim, ut jam primum diximus, infirmi iſti in Chriſtum credebant: ſed immediate ad ſalutem iſtorum infirmorum referendum eſt, quaſi dicat, ut infirmos ſervem, quemadmodum ſtatim ipſe loquetur, ne iis ſcandalum præbeam, & ſic exitii cauſa ſim. Sic eodem lucrandi verbo uſus eſt Chriſtus Matth. 18. 15.

*Omnibus factus ſum omnia.* Generalibus verbis ſententiam concludit; id eſt, & Judæis & gentibus, & ſub lege & ſine lege viventibus, & Chriſtianis & non Chriſtianis, & firmis & infirmis, & quibuſcunque tandem hominibus in omnibus, quantum poſſum & fas eſt, morem gero.

*Ut omnino aliquos ſervem.* Id eſt, ut iſte ſalutis effectus, quem in omnibus quæro, ſaltem in aliquibus præcipue ac veluti neceſſario conſequatur, ut quodammo-

do aliter fieri non poſſit, quin aliquibus ſaltem ſempiternæ ſalutis cauſa fiam. Ex hoc apoſtoli exemplo diſcendum nobis eſt, quanta cura, quanto ſtudio, quanto conatu aliorum ſalutem promovere debeamus, nec quidquam nobis reliqui facere, quod ad eam rem pertineat, ut non tam dubio eventu, quam certo animi conſilio aliis noſtra opera ſalutem attuliſſe videamur.

Verſ. 23. *Hoc vero facio propter euangelium, ut una particeps ejus fiam.* Duplicem hæc verba poſſunt habere ſenſum. Vel enim poſteriora verba, *ut particeps euangelii fiam*, explicatio tantum ſunt priorum; quaſi dicat Paulus: Hoc facio propter lætum illud ſalutis nuncium, quod aliis annunciavi; ut ſcilicet una cum aliis ejus particeps efficiar: vel verba *propter euangelium* unum, eumque propiorem, ſequentia vero alterum, eumque remotiorem finem declarant; quaſi dicat: Hoc facio promovendi euangelii cauſa, ut ad quamplurimos propagetur, & ſine ullo ſufflamine currat, & ſic porro fiat, ut non ſolum alii mea opera, ſed & ego ipſe una cum illis ſalute ſempiterna potiar. *Una participem fieri euangelii*, id eſt, læti nuncii, hoc loco eſt ipſo bono, cujus adeo lætus nobis contigit nuncius, reipſa potiri.

Pars III. Verſ. 24. *Neſcitis, quod qui in ſtadio currunt* &c. Tertia pars capitis incipit, in qua Corinthios monet, ut ſuum exemplum imitati, ſimiliter ſumma ope & ſtudio contendant ad illud immortalis vitæ brabeum in euangelio propoſitum, & in rebus alioquin per ſe licitis ita ſe gerant, ne cuiquam offendiculo ſint. Dixit apoſtolus, ſe libertatis ſuæ oblitum omnium ſervum ſe feciſſe, eo fine, ut euangelii particeps fieret, id eſt ſupremam illam felicitatem adipiſceretur. Quo pacto tacite docuit, ſalutem alia ratione obtineri non poſſe. Quare id amplius confirmat, monetque Corinthios, ut ita ſe gerant in Chriſtiana religione, ne ſummo illo bono in ea propoſito excidant, ſed ut eo potiantur; ac proinde ſumma in rebus per ſe liberis continentia utantur. Argumentatur autem apoſtolus ſumta ab iis, qui in ſtadio curſu certant, ſimilitudine. Quemadmodum illic, etiamſi currant omnes, non omnes tamen præmium accipiunt, ſed unus tantum, qui ſcilicet curſu cæteros anteverterit, ac proinde ſic cucurrerit, quemadmodum currere debet is qui brabeo potiri cupit: ſic in hoc pietatis Chriſtianæ curriculo (quam apodoſin nobis ſupplendam reliquit apoſtolus) etiamſi omnes currant, id eſt, multa ad religionem Chriſtianam ſpectantia faciant, non omnes tamen illud immortalitatis brabeum in hoc pietatis curriculo propoſitum adipiſcentur; ſed illi demum, qui ita currunt, quemadmodum currere opus eſt eos qui illud aſſequi volunt. Ii omnes illi uni reſpondent. Alia enim eſt hac in parte ratio ſpiritualis curſus iſtius a carnali. Nam in carnali unus tantum eſt, qui accipit brabeum; in ſpirituali omnes eſſe poſſunt: quia in ſpirituali non id ſpectatur, ut aliquis omnes curſu, id eſt vitæ ſanctitate & pietatis perfectione ſuperet; ſed ut Chriſti præceptis quiſque quantum ſtudio conſequi poteſt, ſe conformet; qua in re multi poſſunt eſſe gradus. Hoc argumento propoſito, perſeverans in ſimilitudine monet Corinthios, ut ita currant, quemadmodum oportet currere eos, qui brabeum Chriſtianis propoſitum obtinere deſiderant.

*Ita currite, ut comprehendatis. Ita currite*, ita in Chriſtiana religione verſemini, ne in vanum curratis, & nihil profuturo conatu fatigemini; quod fiet, ſi ſegnes, ſi frigidi in Chriſtiana pietate fueritis; ſi in libertatis Chriſtianæ uſu alienæ ſalutis & ædificationis rationem non habueritis, ſed vobis tantum indulſeritis: ſed ita currite, ita Chriſti mandatis obſequimini, ut præmium illud vitæ ſempiternæ reportetis; quod fiet, ſi ſumma diligentia & ſtudio in omnibus Chriſti præceptis exequendis verſabimini.

Verſ. 25. *Omnis vero qui certat* &c. Alia ſimilitudine, ab illis qui certant deſumta, docet, quanta continentia homines Chriſtiani uti debeant. *Omnis*, inquit, *qui certat, in omnibus ſe continet.* Per eos qui certant, intelligit omnes eos, qui gymnaſticam exercent, qui vel curſu, vel lucta, vel armis certare ſoliti erant: quibus certaminibus plena erat Græcia. Inter hæc autem erant Iſthmia, quæ Corinthi celebrabantur; exquiſitiſſima vero erat gymnaſtarum diæta & victus ratio, ad corporis, tum robur, tum agilitatem comparata. Nam & a certis cibis abſtinere cogebantur, & certo pondere ac menſura cibo ac potu uti, nec ultra præſcriptum tempus vel ſomnum vel vigiliam extendere, continebantur a luxuria & omni ſuperflua voluptate: adde perpetuas exercitationes, quibus corpus ad certamina parabatur. Hos ergo imitari debent Chriſtiani omnes, qui ſpiritualem gymnaſticam exercent, & ab omnibus, non tantum per ſe illicitis, ſed etiam a licitis, ſi cum aliorum offendiculo conjuncta ſint, ſeſe continere.

*Illi quidem igitur ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptibilem.* Oſtendit, Chriſtianos longe meliori jure continentia in omnibus uti debere, quam athletas. Nam athletæ quidem tanta continentia ſe fatigant, ut coronam corruptibilem ex foliis olivaſtri aut apio, vel alia aliqua re ſimili contextum accipiant, & gloriam coronæ iſti ſimilem, nempe fluxam & evanidam, conſequantur. At nos Chriſtiani incorruptibilem coronam, id eſt coronam illam vitæ & juſtitiæ in ſpirituali noſtro certamine nobis propoſitam habemus: quanto magis igitur quam athletæ, laboribus & omnis generis continentia frangi recuſare non debemus?

Verſ. 26. *Ego igitur ita curro, tanquam non incerto* &c. Monuit Corinthos, ut ea, qua par eſt, ratione in hoc Chriſtiano pietatis certamine verſentur, ſi propoſitum ſibi felicitatis brabeum, & coronam illam incorruptibilem velint conſequi: nunc ad ſe rediens, ſe quoque idem facere teſtatur, ſuumque eis exemplum iterum proponit.

*Ego igitur*, quaſi dicat cum nemo ſalutis ſempiternæ brabeum poſſit conſequi, niſi ita currat, & ita pugnet, quemadmodum par eſt, propterea *ego ita curro, tanquam non incerto, ita pugilem ago, tanquam non aerem cædens.* Qualitatem & curſus, & pugnæ ſuæ ſpiritualis exprimit, & ſic exemplo ſuo nos docet qua ratione nos quoque currere & pugnare in eodem certamine debeamus.

Quod attinet ad curſus qualitatem, ait, ſe currere *tanquam non incerto*, ſubintellige, *ſed certo*; quemadmodum & ex ipſa loquendi ratione, & ex ſequenti verſiculo, in quo alteri membro de pugna contrarium expreſſe opponitur. Duplicem autem ſenſum habere poſſunt hæc apoſtoli verba. Vel enim eam

curſus

curſus rationem removet, cum quis currit quidem, ſed incertus & animi dubius, an brabeum conſecuturus ſit, ita ut magis incaſſum, quam certo brabeum conſequendi conſilio propoſito currat: unde porro fit, ut ſegnior etiam ſit in curſu, nec omnes, ut par eſt, vires intendat; quod facere ſolent, qui omnino, non caſu ac temere, brabeum conſequi volunt. Et profecto Chriſtianus tali animo currere debet, cum, ſi modo velit, de brabeo certus eſſe poſſit. Vel id vult apoſtolus ſe currere non tanquam is. qui nullum certum ſcopum petat, ideoque de ſcopo attingendo non ſit ſolicitus; id agit, ut currat, non ut ſcopum attingat: ſed tanquam is, qui ad ſcopum collimet, & propterea ex ſcopo omnem curſus ſui rationem moderetur. Atque hoc ſenſu alibi etiam de ſe dixit, eadem in ſtadio currendi ſimilitudine utens, κατὰ σκοπὸν διώκω, *ſecundum ſcopum perſequor*, id eſt, ſcopus curſum meum dirigit, *recta feror ad brabeum illius ſuperne vocationis Dei in Chriſto Ieſu* Philip. 3. 14. Huic poſteriori ſenſui magis convenit ſequens ſimilitudo de pugile, in qua rationem pugnæ ſuæ deſcribit ex eo quod non aerem diverberaverit, ſed omnes ictus in antagoniſtam ſuum direxerit. Quocirca etiam in curſus ſui ratione deſcribenda eo reſpiceee videtur; quod nimirum ſcopum petierit, & ex eo curſum ſuum ſuerit moderatus.

*Ita pugilem ago, tanquam non aerem cædens.* Nunc etiam pugnæ ſuæ rationem deſcribit. πυκτεύω, in pugilatu certo, non tanquam is, qui aerem tantum cedit, id eſt, qui arma aut brachia tantum per aera jactat, nec de antagoniſta vincendo quicquam eſt ſolicitus.

Verſ. 27. *Sed contundo corpus meum* &c. Oſtendit, quo pacto non pugnet: nunc etiam docet, quo pacto pugnet, nempe ita, ut non aerem diverberet, ſed adverſarium ſuum feriat & contundat. Corpus autem ſuum adverſarium ſibi conſtituit, quia cum hoc nobis inprimis pugnandum eſt, & hoc vere ſi vincamus, illico omnes noſtros ſpirituales hoſtes debellavimus, qui ſine noſtra carne prorſus ſunt imbelles. Contunditur autem corpus noſtrum, cum a rebus ipſi alioquin gratis cohibetur, & ad res inſuaves peragendas adigitur.

*Et in ſervitutem redigo.* Alia metaphora eandem rem explicat, etiam ab athletis deſumta, qui ita adverſarium urgent & premunt, ut ſeſe iis ſubmittere plane cogatur.

*Ne quo modo, cum aliis prædicarim, ipſe reprobus fiam.* Cauſam iſtius facti ſui exprimit, iis quæ prius dixerat, convenientem. Ideo tanto conatu certo, ne reprobus fiam, hoc eſt a Deo, ne me Deus reprobet, & rejiciat, ne ſalute excidam.

Addit autem; *cum aliis prædicaverim*, quaſi dicat, quæ res tanto mihi durior eſſet, quod aliis ſalutis nuncium attulerim. Quam ergo miſerum eſſet, ſi ego, qui aliis ad ſalutem profui, ipſe ſalute exciderem!

## CAP. X.

### *ARGUMENTUM.*

*Pergit Paulus, & exemplo Iſraelitarum propoſito monet Corinthios, ut ſi ſempiterna ſalute potiri, & damnationem effugere velint, non confiſi ullis, quæ jam a Deo adepti ſint, in Chriſtiana religione beneficiis, quemadmodum ab aliis peccatis, ſic nominatim ab idololatria, ac proinde ab idolothytorum eſu cum ea aliqua ratione conjuncto abſtineant. Deinde regulam tradit, quo pacto tum in ſpecie in idolothytorum eſu, tum in genere in omnibus vitæ actionibus ſeſe gerere debeant: & ſic tractationem iſtam de idolothytorum eſu concludit.*

Pars I. Verſ. 1. NOlo autem vos ignorare, *fratres*, &c. Dixerat apoſtolus, debere nos ita in hoc pietatis Chriſtianæ curriculo verſari, ut propoſitum ſalutis æternæ brabeum adipiſcamur, & ſimul indicavit, non poſſe nos eo potiri, niſi ab omnibus in Chriſtiana religione vetitis abſtineamus, & ſic etiam ab idolothytorum eſu, quatenus cum aliquo peccato conjunctus eſt. Nunc rem ulterius declarare volens, proponit Iſraelitarum olim ex Ægypti ſervitute liberatorum exemplum, oſtendens, quantis olim a Deo beneficiis affecti fuerint, quæ figura quædam ac typus fuerint iſtorum quæ Chriſtianis nunc contigerunt, & nihilominus tamen eos ſuppliciis affectos a Deo fuiſſe propterea, quod varia peccata commiſerint. Quare ex hoc exemplo diſcere vult Chriſtianos, ne ſibi vana ſalutis ſpe blandiantur; ſed ut ſimilia peccata omni ratione vitent, & nominatim idololatriam, ac proinde etiam idolothytorum eſum cum ea conjunctum; hoc ni fecerint, ſimilem eos perditionis exitum ſortituros eſſe.

*Nolo autem vos ignorare.* (a) Non ſimplicem eorum, quæ de Iſraelitis dicturus eſt, ignorantiæ amotionem intelligit apoſtolus: jam enim hanc hiſtoriam cognitam habebant, quam etiam tanquam iis notam citat: ſed vult ut hiſtoriam iſtam, & ea quæ Iſraelitis evenerunt, diligenter perpendant, & hinc ſalutaria vitæ præcepta ſibi depromant. Felix enim eſt, ut dici ſolet, quem faciunt aliena pericula cautum: & qui ex variis quæ novit exemplis, nullo ſalutari præcepto ſeipſum inſtruit, perinde facit, ac ſi eorum penitus eſſet ignarus.

*Quod patres noſtri omnes ſub nube fuerint.* Primum commemorat, quibus beneficiis a Deo affecti, quidve jam adepti fuerint.

*Patres noſtri*, id eſt noſtri, qui Judæi ſumus.

*Omnes*, ne unico quidem excepto. Addit hoc, ut appareat, non eos demum, qui rerum iſtarum expertes fuerint; ſed & iſtos ipſos, qui earum participes fuerint, periiſſe, ne quiſquam ſibi propter talia ſpiritus ſumat, & peccato alicui impune ſe indulgere poſſe ſibi perſuadeat.

*Sub nube erant*, ὑπὸ τὴν νεφέλην. Articulum addit, ad nubem iſtam, de qua loquitur, & in hiſtoria Moſis Exod. XIII. 21, 22. Num. IX. 18 celebratam, ab aliis nubibus diſcernendam. Nubem illam intelligit, quæ columna nubis toties appellatur, in qua Deus aut Dei angelus Iſraelitas interdiu præcedebat, quæ noctu in columnam ignis vertebatur, quæ etiam inter Iſraelitarum & Ægyptiorum eos perſequentium caſtra mediam ſeſe interpoſuit, & noctu in horum quidem caſtris denſiſſimas tenebras, in illorum autem lucem produxit, acceſſumque aliorum ad alios impedivit. Eadem autem nubes ſæpe tabernaculum implevisſe & operuiſſe legitur. Dicuntur autem ſub nube fuiſſe, quia nubes iſta in ſuperiori loco, in quo ab om-

(a) *Eadem phraſis infr.* XII. 1. 2 *Cor.* 1. 8. 1 *Theſſ.* 4. 13.

nibus

nibus conſpici poſſet, nempe in aere, elevata fuerit, ipſi vero in inferiore, nempe in terra, verſarentur. Quanquam Pſalm. cv. 39 de hac nube legitur, quod eam Deus expanderit in operimentum, id eſt, quod ea ceu tentorio quodam texerit Iſraelitas.

*Et omnes per mare tranſierunt.* Alterum Dei beneficium, illudque plane ſingulare commemorat, quod omnibus ſimiliter Iſraelitarum patribus contigerat, de quo in hiſtoria Moſis legere eſt.

Verſ. 2. *Et omnes in Moſen baptizati erant in nube & in mari.* Conſequens illorum beneficiorum divinorum hic exprimit, nempe quod Iſraelitæ tanta beneficia a Deo per Moſen adepti, ei ſe plane initiarunt, eum pro duce divinitus ſibi dato tantis experimentis edocti penitus cognoverint. Unde etiam in hiſtoria ſacra legitur Exod. xiv. 22, quod populus per ſinum illum maris tanta Dei potentia traductus, oppreſſo etiam fluctibus Pharaone cum univerſo ejus exercitu, crediderit in Jehova, & in Moſe ſervo ejus, id eſt, tum demum omni dubitatione ſublata, & Jehovæ & Moſi fidem habere cœperit. Admodum autem appoſite hoc Iſraelitarum factum commemorat Paulus, ut oſtendat, nihil Chriſtianis hominibus profuturum eſſe, ſi ſimiliter in Chriſtum baptizati ſint, eum pro rege ac duce ſuo agnoſcant, ejus diſciplinæ ſeſe dicaverint, niſi a peccatis diligenter ſibi caveant, & huic diſciplinæ conformem vitam agant.

Dicit autem, patres iſtos in Moſen baptizatos fuiſſe *in nube, & in mari*, non quod aut nube, quod fieri nequiit, aut mari, quod ſicco pede tranſiverunt, tincti fuerint; ſed quod nubes, quæ Iſraelitas texit, & mare, quod illis tranſeuntibus valli in morem conglobatum ſtetit, in Ægyptios autem iiſdem veſtigiis Iſraelitas inſequentes ſeſe effudit, eos obruit, cauſa Iſraelitis fuerit, ut ſeſe Moſi penitus addicerent, eique initiarentur. Utitur autem Paulus *baptiſmi* nomine tum propter comparationem cum baptiſmo, quo Chriſtiani Chriſto initiantur, tum quod cum & nubis & maris aquæ materia ad hanc loquendi rationem invitarit.

Verſ. 3. *Et omnes eundem cibum ſpiritualem comederunt.* Nunc commemorat alia beneficia Dei, quæ baptiſmum Iſraelitarum in Moſen ſecuta ſunt, quæque figuræ quædam ac typi fuerunt eorum beneficiorum, quæ Chriſtianis ſimiliter, poſtquam Chriſto per baptiſmum nomen dederunt, olim contigerant. Unum eorum eſt, quod *omnes eundem cibum ſpiritualem comederint.* Id eſt, quod comederint Manna in deſerto Exod. xvi. 16. Pſal. cv. 45. Quod ſpiritualem cibum non ideo vocat, quod vel ſpiritualis cibus fuerit, vel ſaltem cum eo conjunctus; cum nec ullum iſtius rei extent in ſacra hiſtoria indicium; nec hoc pacto figuræ aut typi eorum bonorum, quæ Chriſtiani adepti ſunt, ſed eadem bona Iſraelitis olim contigiſſent: ſed quod myſticam & ſpiritualem ſignificationem habuerit, nempe quod ſignificaverit, & figura quædam fuerit alterius cibi Chriſtianis olim per Chriſtum dandi, hoc eſt, ſpiritus ſancti, quo non corpora, ſed ſpiritus ac mentes noſtræ reficiuntur. Nam etiamſi Chriſtus Johan. vi. 32 ſecum Manna conferat, & ſe panem qui de cælo deſcendit, appellet, tum ratione doctrinæ ſuæ, tum ratione mortis inprimis, qua doctrinam confirmavit; hoc tamen in loco, in quo comediſſe cibum, & bibiſſe potum, & nihilominus periiſſe homines dicuntur, alius cibus & potus potius intelligendus eſt, quam de quo Chriſtus dicto loco loquitur. Qui enim cibum illum comedit, & potum illum bibit, id eſt in Chriſtum ex animo credit, habet vitam æternam, nec mori perireve poteſt, ut Chriſtus ibidem docet. At ſpiritu ſancto præditus quiſpiam eſſe, nec tamen officium facere, proindeque perire poteſt. Non diſſimili prorſus ratione urbs illa magna dicitur ſpiritualiter vocari Sodoma & Ægyptus Apoc. xi. 7. Quid enim hoc aliud eſt, quam Sodomam & Ægyptum ſpiritualem, id eſt, myſticam eſſe, & allegoricam habere ſignificationem? At quo ſpiritualem & allegoricam ſignificationem habet, cur etiam non ſpirituale & allegoricum eſſe dicatur? Quo pacto Paulus duos Abrahami filios, alterum ex ſerva, alterum ex libera, eorumque generationis modos allegorica eſſe dixit, id eſt, allegoricam & aliam etiam, quam ſonant, habere ſignificationem, Galat. 4. 24.

Dicit autem & *omnes & eundem cibum comediſſe*, ne quiſquam cauſari poſſet, quaſi illi, qui ex Iſraelitis poſtea perierint, cibum iſtum non ederint, aut quaſi non eundem, ſed alium aliquem, nempe vulgarem ederint. Hinc vero colligi vult apoſtolus, etiamſi omnes Chriſtiani in Chriſtum baptizati ſpiritum ſanctum acceperint, niſi tamen peccata ſedulo vitaverint, & tam ſancta diſciplina, quam profitentur, tantiſque beneficiis dignam vitam egerint, omnino illis non minus quam Iſraelitis pereundum eſſe.

Verſ. 4. *Et omnes eundem potum ſpiritualem biberunt.* Alterum beneficium eſt, quod omnes biberint aquam illam, quæ ex petra juſſu Dei a Moſe percuſſa fluxit Exod. xvii. 6. Num. xx. 10. xxi. 16. Deut. viii. 15, Eſai. xlviii. 20. Quam ſpiritualem potum vocat eodem modo, quo ante Manna vocavit cibum ſpiritualem: quia ſcilicet hic potus alium potum ſpiritualiter & myſtice ſignificabat, nempe copioſas illas ſpiritus ſancti aquas, quibus Chriſtiani non tantum largiter perfuſi, ſed etiam, ut infra cap. xii loquitur apoſtolus, potati fuerunt. Unde non male Pontificii quidam doctores cibum & potum ſpiritualem idem hic valere putant, quod cibum & potum typicum.

*Biberunt enim ex ſpirituali ſequente petra: petra vero illa erat Chriſtus.* Rationem affert Paulus, cur dixerit, Iſraelitas in deſerto ſpiritualem potum bibiſſe, dum aquam illam ex petra profluentem biberunt, hoc eſt, quia aquam biberunt, quæ ex ſpirituali ſeu typica petra fluxit. Nam ſi petra typus quidam ac figura fuit alterius cujuſdam petræ, utique & aqua ex ea fluens typus ac figura fuit alterius cujuſdam aquæ. Dicit autem, hanc petram Iſraelitas fuiſſe ſecutam, per metonymiam cauſæ, quia nimirum aquæ ex ea fluentes eos per deſertum ſecutæ ſunt. Nam & Hebræi ipſi ſic tradunt, & res præterea loquitur. In illo enim arido deſerto neceſſe fuit, ut aut hæc aqua Iſraelitas ſecuta fuerit; aut ſubinde novo miraculo alia eis fuerit ſuppeditata, quod ſi factum fuiſſet, utique etiam fuiſſet ſcriptum. Porro docet, cujus rei typus ac figura petra illa fuerit, ac proinde quid ſibi velit, quod eam ſpiritualem petram vocarit.

*Petra vero illa, inquit, erat Chriſtus*; id eſt, erat figura & typus Chriſti. Tropus eſt in prædicato. *Chriſtus* enim ſumitur pro Chriſti figura & imagine: quo loquendi genere nihil eſt uſitatius. Jure autem petram illam in deſerto Chriſti typum fuiſſe dicit apoſtolus. Quemadmodum enim ex petra illa rivi aquarum copioſi profluxerunt, quibus refecti fuerunt Iſraelitæ:

ſic ex

ſic ex Chriſto, tanquam ex uberrimo fonte cæleſtis illius aquæ, id eſt, ſpiritus ſancti, limpidiſſima flumina in nos derivata ſunt, ac perpetuo defluunt, quibus omnis animorum noſtrorum ſitis reſtinguitur, menteſque noſtræ mirum in modum reficiuntur ac recreantur.

Verſ. 5. *Sed non in pluribus ipſorum complacuit Deo.* Hactenus docuit, quantis Iſraelitæ olim affecti fuerint a Deo beneficiis: nunc etiam docet, quid eis factum fuerit, qualemque plerique eorum ſortiti fuerint exitum, nempe miſerum & calamitoſum.

Particula *non* tranſpoſita eſt, & conjungi debet cum verbo *complacuit*.

Dicit autem *in pluribus*, vel in pleriſque non complacuiſſe Deo, ut oſtendat, etiamſi omnes divinorum, quæ commemoravit, beneficiorum participes fuerint, nihilominus tamen non omnes Deo placuiſſe, imo pleroſque diſplicuiſſe. Duobus tantum exceptis, Joſua & Calebo, diſplicuerunt omnes, & in deſerto ceciderunt, ne Moſe quidem & Aarone excepto. Nam & hi contra Deum deliquerunt, & idcirco in deſerto mori ſunt coacti. (*a*) Quale vero ipſorum peccatum fuerit, obſcurum eſt, & a multis dubitatur. Quidam enim putant, eos Deo, aquas ex petra fluxuras promittenti non ſatis credidiſſe, hujuſque rei argumentum eſſe dicunt, quod Moſes bis petram feriiſſe legatur; quidam vero ſuperbia quadam & immodeſtia contra Deum peccaſſe ajunt. Verum neutrum veriſimile videtur. Nam qui fieri poteſt, ut Moſes toties divinam potentiam, & hac ipſa in re, & in aliis longe majoribus expertus, Deo promittenti non prorſus crederet? nonne peccatum hoc graviſſimum, in Moſe præſertim, fuiſſet? Conſtat autem, hoc Moſis peccatum imprudentia quadam, errore & imbecillitate, non malitia & protervia fuiſſe commiſſum: quod in aliis forte Deus ſiviſſet impunitum; ſed in Moſe & Aarone, tantis ſuis ſervis, ferendum non putavit. Quo pacto etiam Moſes de Iſraelitis queri potuiſſet, quod propter ipſos iratus ſibi Jova fuiſſet, negaſſetque ſe in terram promiſſam venturum? Deut. 1. 37. Quæ enim culpa Iſraelitarum in eo fuiſſet, quod Moſes Deo, aquas ex petra percuſſa fluxuras promittenti, non ſatis credidiſſet? Et quia Moſes, non Aaron, petram percuſſit, quo pacto, ſi in hac iterata percuſſione peccatum iſtud, aut ſaltem ejus indicium poſitum fuiſſet, Aaron cum Moſe in peccato conjungi poſſet, quove is indicio diffidentiam ſuam prodidiſſet? Imo vero Moſes petram percuſſurus Iſraelitis diffidentiam erga Deum exprobrat, & ita eos alloquitur tanquam is, qui certo rei felicem exitum ſibi deſpondeat. Provocat enim eos ad ſpectandum, an eis aquam ex petra eliciturus eſſet: quod facere non ſolent niſi illi, qui ſibi rem ex voto ſucceſſuram haud dubia cogitatione deſpondent. Nam quod bis petram percuſſerit, non minus fidem ejus innuere poteſt, quam diffidentiam. Quid ſi enim ideo percuſſerit, ira quadam & indignatione motus, ut tanto copioſiorem aquarum fontem aperiret, & querulos Iſraelitas tandem aquarum rivis expleret, & ſic tanto illuſtrius divinæ potentiæ, ad illorum incredulitatem ipſis exprobrandam, documentum proderet? Unde etiam magna aquæ copia poſt iteratam hanc percuſſionem ex petra ſeſe effudiſſe legitur. Nec ſuperbia aut immodeſtia aliqua peccaſſe in hoc negotio videntur: cum nec ulla appareat; nec Deus eam illis objiciat. Et, ſi in percutienda petra aliquid immodeſtius vel egit vel dixit Moſes, quid hoc ad Aaronem pertinet? Nam quod quidam in eo hanc immodeſtiam & ſuperbiam notant, quod Moſes dixerit, *an eliciemus vobis aquam*? quaſi ſibi, non Deo hanc rem tribuens, hoc nihil eſt. Quis enim non videt, eum hoc ſibi non tanquam principali agenti arrogaſſe, ſed tanquam inſtrumento, divinæ potentiæ miniſtranti, tribuere? Veriſimile igitur eſt, in eo Moſen & Aaronem a Deo argui, eoque nomine punitos eſſe, quod, cum populus ob aquæ inopiam tumultuaretur, & in Deum mirum in modum injurius eſſet, illi ſeſe populo non oppoſuerint, nec eorum diffidentiam & pervicaciam in Deum ſevera objurgatione coarguerint, revocantes illis in memoriam tot tantaque beneficia, eiſque fidem de divina ope, dummodo in Deum refractarii non ſint, haud dubiam facientes; qua & ſe Deo confidere teſtarentur, & divinum honorem aſſererent: ſed & ipſi jam aliquo modo de divino auxilio, ſeu de voluntate, non de potentia juvandi, deſperantes, in magnas animi anguſtias ſe conjici paſſi fuerint, & a conſpectu cœtus, animum deſpondentes, ſeceſſerint. Unde etiam coram Deo proſtrati fundunt preces, mirum in modum, ut apparet, de eventu anxii. Atque huic rei ipſa Dei verba, quibus hoc eorum peccatum exprimitur, recte conveniunt. Poſtquam enim ex petra aquam elicuiſſet Moſes, tum Deus eos ſic alloquitur: *quoniam vos mihi non credidiſtis, ut me in oculis Iſraelitarum ſanctificaretis, ideo cœtum iſtum in terram ei a me datam non introducetis* Num. xx. 12. Sanctificaſſent enim Deum in Iſraelitarum oculis, ſi eorum querimoniis ac vocibus ſeſe maſeule oppoſuiſſent, ſi eis divinum auxilium certo polliciti fuiſſent, eorumque incredulitatem ac contumaciam coarguiſſent. Verum quia id non fecerunt, ſed querimoniis populi ceſſerunt; idcirco illis aliqua in Deum diffidentia, & ex ea profecta in divino honore vindicando negligentia merito objicitur. Non ſtatim autem eo nomine ipſos reprehendit pœnamque ejus minatur Deus; ſed in illud tempus ſuam viciſſim de iis querimoniam reſervavit, poſtquam ſe iis purgaſſet, ſuamque potentiam & benignitatem non verbis, ſed opere teſtatam feciſſet. Tum demum maxime oportunum erat tempus, ut eorum incredulitatem puſillanimitatemque taxaret, cum ſeſe in oculos eorum divinæ bonitatis ac potentiæ documentum ingeſſiſſet. Sic agere debebant, quemadmodum poſtea Joſua & Calebus egerunt, qui populum de promiſſione terræ deſperantem ac quiritantem mirum in modum animarunt, certamque eis de incolis terræ victoriam ſunt polliciti; irent modo & Deo fidem haberent. Quod eorum factum ita Deum effecit ipſis propitium, ut iſti duo ſoli ex tot Iſraelitarum millibus in terram illam Chananæam introducti fuerint. Iſte ipſe Moſes melius ſe geſſit antea cum primum populus ob aquæ inopiam tumultuaretur Exod. xvii. 2, licet nullum adhuc ejus rei experimentum haberet, an Deus in petris aquarum fontes aperire, & in arido deſerto gelidæ ac viventis aquæ copiam procurare poſſet. Nam populum eo nomine objurgavit, quod ſecum contenderet, & Jovam tentaret, id eſt, ejus auxilio diffideret. Cur hic quoque idem non fecit? cur non meminit ſe aliquando ex petra Domini juſſu aquam elicuiſſe? cur hoc tantum Dei beneficium non commemorat? cur populi incredulitatem ac contumaciam

(*a*) *Moſis & Aaronis peccatum quale fuerit.*

non exagitat? cur divinum, quantum in ſe eſt, non vindicat honorem; ſed populi deſperatione ac diffidentia pene & ipſe ad diffidentiam una cum Aarone adducitur? Non reſtitit quidem etiam aliquando populo Moſes, cum ob carnis inopiam fremeret, Num. xi, nec ejus querimonias coarguit; quin etiam ſe ſolum iniquo & intolerabili populi iſtius gubernandi onere premi coram Deo dequeſtus eſt: verum cum carnes populus non ad neceſſitatem, ſed ad cupiditatem ac voluptatem requireret, non mirum eſt, quod Moſes Deum populi cupiditati & faſtidio obſecuturum, carneſque eis daturum eſſe certo ſibi deſpondere non potuerit. Alia res eſt, cum aquam, qua ſitim reſtingueret, deſideravit. Hæc enim cum ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſit, certus eſſe debebat Moſes, Deum effecturum, ne populus ſiti contabeſceret, ac proinde ei divinum auxilium, ſi officium faceret, haud dubie polliceri.

Sed nos ad Pauli verba revertamur. Dum ait, Deum *in pleriſque eorum ſibi non complacuiſſe*, μιμήσει quadam utitur. Non enim ei tantum non placuerunt, ſed etiam vehementer diſplicuerunt; nec tantum eos gratos non habuit, ſed eis etiam graviter infenſus iraque in eos incenſus fuit: quemadmodum & ex hiſtoria ſacra, & ex Pauli ratione ſubjecta manifeſtum eſt.

*Proſtrati enim ſunt in deſerto.* Ex effectu colligit cauſam. Quia enim fere omnes, duobus tantum exceptis, in deſerto proſtrati ſunt, ex eo jure colligitur, eos Deo minime placuiſſe. Quomodo enim eos in deſerto interire paſſus fuiſſet? Quomodo illos in terram promiſſam non introduxiſſet? Proſtratos autem dicit, non quidem quod omnes cladibus divinis conſumti fuerint, ſed quod omnes partim cladibus diverſis a Deo confecti fuerint; partim naturæ quidem curſu diem ſuum obierunt, ſed tam diu in deſerto errare coacti fuerunt, donec obirent.

Verſ. 6. *Hæc vero typi noſtri fuerunt.* Nunc Iſraelitarum exemplum Chriſtiano populo applicat, monetque ut a ſimilibus peccatis, quibus olim Iſraelitæ Deum graviter offenderant, ideoque perierint, ſibi caveant. *Hæc* nempe tum ea beneficia, quibus Iſraelitæ a Deo fuerunt affecti; tum eorum clades & interitus, quem ſuis peccatis ſibi accerſiverant.

*Typi noſtri fuerunt*, id eſt, typum quendam & figuram continuerunt, eorum quæ nobis divina benignitate contigerunt, quæque, ſi peccaverimus, eventura ſunt.

*Ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupiverunt.* Oſtendit, quem fructum facere in nobis debeat iſtius exempli in Iſraelitico populo nobis ob oculos poſiti conſideratio; nempe, ut a peccatis, quibus illi divinam iram fuerunt commeriti, abſtineamus. Quorum primum recenſet, *ne concupiſcentes ſimus malorum, ſicut & illi concupiverunt.* Quod licet late patere videtur, & genus quoddam omnium ſequentium peccatorum; veriſimile tamen eſt, apoſtolum ſpeciatim ad cupiditatem Iſraelitarum reſpicere, qua concupiverunt piſces, quibus in Ægypto veſcebantur, cucumeres, pepones, porrum, cepas, allium. De qua cupiditate ſcriptum eſt Num. xi. 4, 5. Pſalm. cvi. 14; ideoque etiam locus ille, in quo & cupiditatem iſtam ſuam prodiderunt, & propter illam magna clade affecti fuerunt, buſta cupiditatis vocatus fuit, ubi homines cupidi ſepulti fuerunt Num. xi. 34. Mala autem iſta fuerunt, non quod per ſe mala fuerint, ſeu quod illa nulla ratione concupiſcere licuerit, ſed quod eorum cupiditas talis eſſet, ut animo Ægyptum reſpectarint, pœnitueritque eos, quod Deo obſecuti Ægyptum deſeruerint, & potenti ejus brachio inde vindicandi fuerint. Hæc maximum peccatum, & ſumma in Deum impietas erat. Hoc ergo exemplo monitos vult Chriſtianos apoſtolus, ne & illi, quemadmodum omnia alia jucunda, ſi cum peccato conjuncta ſint, ſic nominatim carnes idolis immolatas, & convivia idololatrica concupiſcant; cupiditatique ſuæ obſequantur, neve pœnitudine aliqua ducantur, quod Chriſti diſciplinam ſecuti talia convivia frequentandi, aut etiam alia peccata committendi licentiam amiſerint.

Verſ. 7. *Neque idololatræ ſitis quemadmodum quidam ipſorum.* Alterum, quod recenſet, peccatum eſt idololatria, quæ in eo conſiſtit, cum quis imagines ullas, aut etiam falſos Deos imaginibus ſignificatos colit. Ait, quoſdam ipſorum, nempe Iſraelitarum, idololatras fuiſſe, reſpiciens ad hiſtoriam illam vituli; quemadmodum ex ſequentibus, quæ citat, verbis manifeſtum eſt, ubi totus populus idololatriam exercuiſſe videtur, & ſolos Levitas ab hoc peccato abſtinuiſſe. Eos enim reverſus ex monte Moſes armat & incitat in populum, ut gladiis accincti paſſim ſtragem facerent, & obvios quoſque propter hoc peccatum trucidarent.

*Quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Citat hiſtoriæ ſacræ teſtimonium de populi Iſraelitici idololatria, quod extat Exod. xxxii. 6. Citat autem eam partem, quæ minime ad rem pertinere, nec quicquam cum idololatria commune habere videtur. Verum iſtud prudenti admodum conſilio, maximeque ad rem pertinenti, a Paulo factum eſt. Non enim tam opus erat monere Corinthios, ne vel imagines aliquas in honorem Dei ſibi conflarent, & conflatas colerent ac venerarentur; quam ne conviviis idololatricis, quæ poſt peracta ſacrificia inſtitui in honorem idolorum in eorum ſacellis ſolebant, intereſſent, atque hac ratione idololatriæ participes fierent. Atque hinc eſt, quod Paulus non commemorato populi peccato, in quo proprie idololatriam exercuit, convivium, quod poſt peracta ſacrificia in idoli honorem cum cantu ac tripudiis celebravit, commemoret. Hic enim mos non tantum inter gentes, ſed etiam in populo Iſraelitico, & quidem ab ipſo Deo inſtitutus fuit, ut poſt peracta ſacrificia in honorem numinis inſtituta ad ſacras epulas ſeſe invitarent, & illic genio indulgerent. Hinc apud Moſen Deut. xii. 17, 18. xvi. 10, 11 præcipit Deus voluntarium offerenti ſacrificium, ut invitet Levitam, viduam & pauperem, & lætetur coram Deo ſuo. Hinc etiam Petrus de infando idolorum cultu loquens, cui Judæi antehac, ut gentibus obſequerentur, fuiſſent addicti, intemperantiæ profuſionem, id eſt, convivia illa idololatrica in omnem intemperantiam luſumque profuſa, quæ Chriſtiani facti amplius non frequentarent, eoque nomine blaſphemiis ſeu verborum injuriis inceſſerentur, commemorat 1 Petr. 4. 3, 4. Dum ergo Paulus Corinthios hortatur, ut ab idolatria abſtineant, id nominatim agit, ut eos ab ejuſmodi conviviis ac comeſſationibus idololatricis avocet.

*Ad ludendum*, id eſt, ad cantandum, ſaltandum ac tripudiandum. Iſtis enim conviviis hæc omnia, & quecunque ad carnis hilaritatem facerent, conjuncta erant.

Verſ. 8.

Verſ. 18. *Neque ſcortemur, quemadmodum quidam ipſorum ſcortati ſunt.* Tertium peccatum commemorat, ſcortationem; quæ, ut cap. VI vidimus, a gentibus, imo & a quibuſdam Chriſtianis vix peccatum eſſe cenſebatur. Corinthi autem inprimis, ubi, ut quidam ſcribunt, mille virgines quotannis in honorem Veneris ſcortationi exponebantur, hoc vitium regnarat, & ideo nominatim ejus meminit Paulus, apparetque multos Corinthios ex Chriſtianis huic peccato deditos fuiſſe. Unde in poſt. epiſtola cap. XII. verſ. ult. ſcribit apoſtolus, Timere ſe, ne lugeat multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione & impudicitia quam fecerunt. Dum vero ait, quoſdam Iſraelitarum ſcortatos fuiſſe, reſpicit ad hiſtoriam Num. XXV deſcriptam.

*Et ceciderunt in unâ die viginti tria millia.* Pœnam & cladem ſcortationem illam Iſraelitarum ſecutam commemorat. Hiſtoria ſacra viginti quatuor millium ſtragem exprimit, Paulus viginti trium. Fieri poteſt, hanc diverſitatem ex eo profectam eſſe, quod Moſes viginti quatuor millia numeret, quia parum a viginti quatuor millibus numerus cæſorum abfuerit; Paulus autem, quia non plane expletus fuerit hic numerus, maluerit id quod minus, ſed certius erat dicere.

Verſ. 9. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt.* Quartum peccati genus commemorat. Reſpicit autem ad hiſtoriam Num. XXI deſcriptam, quemadmodum ex pœna ſubjecta immiſſorum in populum ſerpentum apparet. Ex qua colligi poteſt, quid tentationis nomine ſignificet apoſtolus. Legitur enim illic populus itineris pertæſus contra Deum & contra Moſen locutus fuiſſe: *Ad quid aſcendere feciſtis nos ex Ægypto, ut moreremur in deſerto? quia non eſt panis, neque aqua, & anima noſtra abhorret in pane leviſſimo* verſ. 5. Unde apparet, eos Deum & Moſen a Paulo aliquando tentaſſe dici, quatenus ſeſe tantopere ingratos erga Deum & Moſen ſervum ejus exhibendo, beneficiaque quæ a Deo, ductore Moſe, conſecuti erant maxima, peſſima interpretatione corrumpendo, & mirum in modum extenuando, Deum irritarunt, & ad iram provocarunt. Tentare enim merito is dicitur, cujus patientia variis injuriis ſolicitatur. Hoc ſenſu infra apoſtolus verſ. 22 in eadem materia loquens ait: *An provocamus, ſeu irritamus Dominum? numquid fortiores illo ſumus?* Tentatur ergo Chriſtus a nobis, cum beneficia, quæ per ipſum diviniſſima a Deo conſecuti ſumus, contemnimus, nec ea quemadmodum par eſt æſtimanus; cum aliquid, quod cum ipſius injuria ac contumelia conjunctum eſt facimus; quale erat profanis illis ac idololatricis conviviis intereſſe, & menſæ Dominicæ accumbere, aut etiam alioqui præcepta ejus vilipendere ac negligere. Chriſtum autem nominare maluit quam Deum, quia hic & Deo & Moſi ſimul reſpondet. Deo quidem, quatenus & noſter cæleſtis Dominus, qui divinam in nos poteſtatem & imperium habeat; Moſi vero, quatenus a Deo populi divini dux conſtitutus eſt, per quem omnia divina beneficia in nos derivantur. Unde nemo Chriſtum tentare & irritare poteſt, quin ſimul ipſum Deum tentet atque irritet.

Cum vero dicit Paulus, *quemadmodum & quidam illorum tentaverunt*, nihil eſt neceſſe, ut vocem *Chriſti* prius nominatam hic ſubaudiamus: ſed tentatio iſta referri debet ad eum, quem Iſraelitæ tentarunt, qui idcirco expreſſus non fuit, quod hiſtoria omnibus nota eſſet. Sic autor epiſtolæ ad Hebræos cap. 3. 16: *Quidam*, inquit, *audientes exacerbarunt*, non expreſſo eo, quem exacerbarint, utpote omnibus noto. Nec enim idcirco minus hoc Iſraelitarum exemplum nobis proponi potuit, ſi Iſraelitæ alium tentarunt, quam is eſt, quem ne nos Chriſtiani tentemus hic monemur. Sufficit, ſi uterque ſimilis in eo ſit, ut tentari poſſit, etiamſi idem non ſit; idque tanto magis, ſi is, quem Chriſtiani tentare non debere monentur, talis ſit, ut eo tentato ſimul tentetur is, quem Iſraelitæ præcipue tentarunt, nempe Deus; qualem Chriſtum eſſe jam diximus. Neque vero periculum erat, ne Chriſtiani ex hac loquendi ratione Chriſtum ab Iſraelitis olim tentatum fuiſſe colligerent, aut id apoſtolum velle dicere opinarentur; niſi illis jam ante conſtitiſſet, Chriſtum non ſolum jam tum extitiſſe, & ſic aliam quandam perſonam, quam humanam fuiſſe, ſed etiam ab Iſraelitis tentatum, ac Dei nomine, quem Iſraelitæ tentaſſe leguntur, ſignificatum fuiſſe. At unde hoc Chriſtianis conſtare potuit? quis apoſtolorum eos iſtud docuit? Quocirca niſi alia afferantur clariſſima Scripturæ dicta, quibus id de Chriſto doceatur, hic certe locus id minime evicerit. Deinde etiamſi concedamus, Chriſti nomen ἀπὸ κοινοῦ repetendum eſſe in hac poſteriori parte, nempe Iſraelitas etiam Chriſtum tentaſſe dici: hinc tamen minime ſequeretur, eos eundem, quem nos Chriſtum tentaſſe. Nonne ſufficit, ſi et ipſi Chriſtum tentarunt, ſed illi quidem ad ſe ſpectantem, nos vero noſtrum, ſeu ad nos pertinentem? Num enim Iſraelitæ non tentarunt, id eſt, irritarunt Moſen? num contra eum locuti non ſunt? an vero Moſes Chriſtus, id eſt, unctus Dei non fuit? an eum Deus ducem ac principem populi ſui non conſtituerat? an Chriſti Domini noſtri typum non geſſit? *Egreſſus es*, inquit Habacucus de Deo, *in ſalutem populi tui, egreſſus es cum Chriſto tuo* cap. III. 13. Quis alius hic per Chriſtum melius intelligi poteſt, quam Moſes, cum quo vere Deus egreſſus erat, ut ſalutem populo ſuo in Ægypto oppreſſo afferret? Nam etiam myſticus horum verborum ſenſus nemini melius convenit, quam Moſis antitypo, nempe Chriſto Domino noſtro, per quem Deus nobis ex poteſtate ſatanæ ereptis veram ſalutem attulit. Et profecto, ſi illi, qui Chriſtum typicum tentarunt, tam graves pœnas dederunt, quanto graviori ſcelere ſeſe obſtringunt, ac pœna digni ſunt, qui Chriſtum verum, id eſt, cæleſtem populi divini regem ac dominum tentare audent? Similem habuimus verſ. 6 loquendi rationem, cum Paulus monet, *ne concupiſcamus mala, quemadmodum & illi concupiverunt.* Hic vox mala in poſteriori membro ἀπὸ κοινοῦ repeti debet, vel non debet. Si debeat, quæro, num eadem plane mala & nos concupiſcere non debemus, quæ illi concupiverunt? Nihil minus. Nam illi quidem Ægyptum, Ægyptioſque piſces ac pepones concupiviſſe leguntur, nos vero alterius generis mala non debemus concupiſcere. Quocirca mala iſta utrique populo, tum Chriſtiano, tum Iſraelitico convenienter debent accipi. Similiter ergo etiamſi in his Pauli verbis Chriſti vox ἀπὸ κοινοῦ repetenda eſſet, nihilominus Chriſti nomen alium, cum Chriſtianus populus monetur ne Chriſtum

tentet; alium, cum Iſraeliticus populus Chriſtum tentaſſe dicitur, ſignificare deberet; in priori quidem parte Chriſtum Chriſtianis, in poſteriore Chriſtum Iſraelitis convenientem. Jam ſi vox malorum in poſteriori membro verſ. 6 ſubaudiri non debet, ſed ex hiſtoria omnibus nota ſupplendum relinquitur id quod Iſraelitæ concupiverunt; cur in his verſ. 9 verbis vocem *Chriſti* in poſteriori parte ex priori membro reſumimus? cur non ſimiliter ex hiſtoria omnibus nota eum, quem Iſraelitæ tentaſſe leguntur, ſubintelligendum eſſe ducimus?

*Et a ſerpentibus perierunt.* Pœnam tentationem iſtam ſecutam, Num. xxi deſcriptam, exprimit.

Verſ. 10. *Neque murmurate, quemadmodum & quidam ipſorum murmurarunt* &c. Pœna iſtius Iſraelitarum facti ab apoſtolo expreſſa, ſimiliter nos ducit ad hiſtoriam illam, qua Core, Dathan & Abiramus cum ſociis, poſtridie vero etiam univerſa Iſraelitarum multitudo contra Moſen & Aaronem conſpiraſſe memoratur Num. xvi deſcriptam. Ob conſpirationem enim iſtam legimus multos Iſraelitarum repentina clade fuiſſe confectos; qualem deſignat apoſtolus, cum eos *periiſſe ab exterminatore dicit.* Quoſdam enim terræ hiatus ſubito deglutiit; quoſdam ignis repente abſumſit; ex promiſcua autem Iſraelitarum turba momento fere decies & quater milleni, & ſeptingenti confecti ſunt. Hinc facile colligere eſt, murmurationis nomine apoſtolum intelligere omnes injuſtas adverſus Dei Chriſtique miniſtros querelas, eorum dictis ac monitis divinæ voluntati conſentaneis refragationes, & cum iis rixas ac contentiones. Huc reſpiciens idem Paulus monet Philippenſes, ut nunc multo magis ſe abſente obedientes ſint, nimirum ducibus ſuis, ut omnia faciant ſine murmurationibus & contentionibus Phil. 2. 12, 14. Porro ſi hic Paulus, de murmuratione iſta agens, expreſſiſſet, adverſus quos Chriſtiani murmurare non debeant, nempe adverſus Chriſtianæ religionis præcones ac duces; poſtea vero ſimpliciter, ut fecit, ſubjunxiſſet, quemadmodum & quidam ipſorum, id eſt, Iſraelitarum murmurarunt. Si, inquam, ita locutus fuiſſet (num vero ſic loqui non potuit?) an tam inepti eſſemus, ut Chriſtianæ religionis magiſtros ex priori membro in hoc poſteriori ſubaudiendos crederemus; nonne murmurationem Iſraelitarum ad eos referremus, contra quos Iſraelitas murmuraſſe ex hiſtoria notum eſt? Cur ergo in ſuperiori quoque verſiculo, in quo de tentatione agitur, ita ſenſati non ſumus?

*Perierunt ab exterminatore*, ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ. Angelum illum intelligit, qui inter Iſraelitas verſabatur, ac nomen Dei ſuſtinebat, quem Iſraelitæ metuere juſſi erant, quique ſubita clade, quoties opus erat, rebelles ac impios homines conficiebat. Sic Exod. xii. 23 angelus ille, qui ad cædenda una nocte omnia in Ægypto pimogenita miſſus erat, ὀλοθρευτὴς id eſt exterminator nominatur.

Verſ. 11. *Hæc vero omnia typi acciderunt illis.* Iterum oſtendit, hoc Iſraelitarum exemplum non ad ſolos Iſraelitas pertinere, ſed ad alios etiam ſpectare, ut illi Iſraelitarum periculo ac malo ſaperent.

*Typi acciderunt illis*, id eſt acciderunt Iſraelitis, ut typi ac figuræ aliis eſſent.

*Scripta autem ſunt propter noſtram admonitionem.* Nunc oſtendit, ad quos typi iſti pertineant, ſeu in quibus tvporum iſtorum antitypi locum habeant, nempe in Chriſtiano populo. *Scripta*, inquit, *ſunt propter admonitionem noſtram*, id eſt, noſtra cauſa qui Chriſtiani ſumus, literarum monumentis ſunt prodita, ut hinc ſalutaria vitæ exempla ac monita caperemus. Quorſum vero iſta omnia facta fuiſſent, ſi majorem hominum partem dura illa & inexorabilis prædeſtinatio ad interitum etiam ab omni æternitate damnaſſet? *In quos fines ſeculorum devenerunt.* His verbis cauſam ſubjungit, cur dixerit, illa propter noſtram admonitionem eſſe ſcripta, ſeu ea ad nos, tanquam typos ad antitypos, pertinere; quia ſcilicet in nos Chriſtianos *fines ſeculorum devenerunt*, id eſt, nos Chriſtiani ſumus ultimus Dei populus, in ultimis mundi temporibus a Deo olim formandus, nunc vero formatus. Chriſtus enim in fine ſeculorum, ſeu ultimo mundi tempore, poſt quod nullum aliud, quod ad religionis ac cultus divini perfectionem mutationemve attinet, ſucceſſurum eſſet, venire debuit. Jam vero ſi nos Chriſtiani ultimus ac perfectiſſimus Dei populus ſumus, quis non videt, ea omnia, quæ typos rerum futurarum, & ad populum divinum ſpectantium continebant, ad nos, tanquam ad ſcopum ſuum ac antitypum referenda eſſe?

Verſ. 12. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Superioribus generalem attexit monitionem, eamque ex iis educit, quaſi dicat: Cum ita ſe res habeat, ut ii etiam, qui maximis Dei muneribus affecti fuerunt, divinis ſuppliciis confici poſſint, quemadmodum in Iſraelitico populo accidiſſe vidimus, idemque etiam in Chriſtiano populo locum habere poſſit; idcirco nemo debet illis, quæ a Deo conſecutus eſt, beneficiis nimium confidere, & exiſtimare, ſe, etiamſi aliqua ſibi permittat Dei præceptis non conſentanea, nihilominus ſalute excidere, & a Deo perdi non poſſe; ſed, qui *ſe ſtare*, id eſt, in Domini gratia ac favore, ſeu in ſalutis ſtatu verſari, credit ac opinatur, *videat* diligenterque circumſpiciat, *ne cadat*, id eſt, ne ſalute excidat & intereat; ac proinde nemo ita de ſua ſalute certus ſit, ne, niſi diligenter omnia peccata vitaverit, credat ſe perire ac ſalute privari non poſſe. Qui ita de ſua ſalute certus eſt, ut exiſtimet, ſe, quicquid tandem agat, nullo pacto perire poſſe, illi etiam atque etiam diſpiciendum eſt, ne ſua opinione fruſtretur, & pro ſalute perditionem aliquando inveniat. Qui vero ideo ſalutis certus eſt, quia peccata ſedulo vitet, & Chriſti præceptis conformem agat vitam, illi etiam opera danda eſt, ne pietatis tramite neglecto, deflectat in vitia, & ſic ex ſalutis ſtatu devolutus ruat in interitum. Sive igitur aliquis jam ſtet, ſive non ſtet, diligenter cavendum eſt, ne cadat. Nam & is, qui nunc ſtat, ſtare deſinere, ac proinde & cadere poteſt, & qui non ſtat, in eo eſt ut cadat, jam ruinam minatur, inclinatus eſt ad caſum, & niſi erectus ac ſtabilis fuerit, haud dubie corruet. Hic iterum monemus, an ullum locum habitura fuiſſet Pauli hæc admonitio, ſi omnes immutabili fato ac neceſſitate aut ſtarent, aut caderent? Porro *ſtandi* & *cadendi* verba hunc, quem diximus, ſenſum habere, alia ejuſdem apoſtoli dicta docent: inter quæ vide de priori verbo Rom. xi. 20. 2 Cor. i. ult. de poſteriori Rom. xi. 11; de utroque ſimul Rom. 14. 4.

Verſ. 13. *Tentatio vos non cepit niſi humana.* Occurrit

currit objectioni Paulus, poterant enim Corinthii, videntes, quorsum collimet apostolus, nempe, ut idolatrica convivia omnino vitent, objicere Paulo: At vides, Paule, nos jam satis Ethnicis hominibus exosos esse, multaque adversa ab iis pati: quod si etiam idolea eorum ingredi, & conviviis istis interesse noluerimus, magis eorum iram & odium in nos accendemus, maximisque malis ac persecutionibus nos exponemus. Huic objectioni respondet Paulus: & primum quidem extenuat ista, quæ hactenus patiebantur, mala. *Tentatio*, inquit, *vos non cepit nisi humana.* Mala, quæ Christianæ religionis causa patiebantur, *tentationem* vocat; quia iis nostra in Christiana religione constantia ac fides exploratur. *Humanam* autem vocat, quia vulgaris & consueta fuerit, ideoque tolerabilis.

Deinde, ne graviorum malorum metu trepident, addit: *Fidelis autem est Deus, qui non permittet vos tentari super id quod potestis.* Potuissent enim dicere: Hactenus quidem non adeo gravia & satis tolerabilia passi sumus: sed si adversarios nostros magis adhuc irritaverimus, ita eorum in nos odium exardescet, ut longe graviores calamitates nobis sint ferendæ. Respondet Paulus, non debere illos metuere, ne quidquam iis supra vires, & quod tolerabile non sit, accidat. Deum, qui fidelis sit, hominum odia & persecutiones moderari. Dum Deum fidelem vocat, causam inserit, propter quam fiat, ut Deus vexari nos & affligi nimium & supra vires nostras non sinat. Fidelis enim vocatur Deus, quia non solum dictis & conventis stet, sed etiamsi nulla apertæ promissionis obligatio intercesserit, id faciat, quod eum facere consentaneum est, ita ut nulla ex parte officio suo desit, nec quemquam in eo, quod merito nec injuria sibi a Deo spondeat, destituat. Promisit autem Deus, nobis in tentationibus suam opem & auxilium, quo freti cuncta possimus sustinere. Ex quo sequitur, enm nihil, quod vires nostras excedat & intolerabile sit, nobis imponi passurum esse. Sed etiamsi nobis istud aperte & expresse non promisisset, quia tamen nos ad sempiternam felicitatem bona fide vocavit, hæc ipsa res id ab eo exigit, ne nobis unquam desit, neque nos ob imbecillitatem nostram perire & salute excidere patiatur. Si enim, cum juvare nos posset laborantes, & oneri aliquid, ne intolerabile esset, demere, istud facere nollet, sed permitteret, ut nimio onere oppressi in peccatum, ac proinde in interitum incideremus, quo pacto nos bona fide & serio ad salutis adeptionem vocasset? Hæc ergo fidelitas Dei facit, ne nobis unquam desit, ne permittat, ut nobis quicquam pro viribus gravius inferatur.

*Super id quod potestis.* Non hic intelligit apostolus summam virium nostrarum contentionem: nam quid alioquin tam grave est, quod homo summa suarum virium contentione usus perferre non possit? sed istud *posse*, in vulgariori quadam significatione accipit, ut significet id, quod non adeo difficile factu sit, & infra hunc summum conatum subsistat. Hoc sensu sæpe id quod valde arduum, & factu admodum difficile est, impossibile factu esse, aut vires superare dicimus. Id ergo nobis ob divinam fidem promittit apostolus, Deum non passurum, ut quidquam nobis imponatur, quod nimis arduum & difficile sit ferre; sed ita omnia mala & tentationes moderaturum, ut eas non difficulter, nec maxima virium contentione usi perferamus.

*Sed faciet cum tentatione etiam exitum.* Ex contrario rem illustrat: quasi dicat non tantum tentationem vobis inferri patietur, sed etiam cum tentatione exitum conjunget, tentatio vestra semper conjunctum habebit exitum. Per exitum autem istum vel finem & cessationem brevem afflictionum intelligit, præsertim si ipsæ afflictiones sint magnæ, vel simpliciter, per metaphoram, allevamentum aliquod, quo fiat, ne unquam ita in angustum cogantur, ut animum plane despondeant, & afflictionibus succumbant. Huc pertinet illud 2 Cor. 4. 8, 9: *In omnibus premimur, at non coarctamur; persecutionem patimur, sed in ea non deserimur.*

*Ut possitis vos sustinere.* Finem istius rei designat, cur Deus una cum tentatione exitum sit facturus, ut nimirum possimus sustinere tentationem. Si enim aut nimis diu duraret tentatio, præsertim gravis, aut nullum nobis ex ea Deus ostenderet exitum, tandem ei succumbere cogeremur.

Vers. 14. *Quapropter, dilecti mei, fugite ab idololatria.* Generali conclusioni, qua hortatus fuerat Corinthios, ut etiam atque etiam viderent ne caderent, id est, gratia divina & salute excciderent, (quod fieret, si peccatis aliquibus dediti essent) & doctrinæ de tentationum moderatione, specialem conclusionem, ad institutum de vitando idolothytorum esu rediens, subjungit apostolus, qua Corinthios, quos blando *dilectorum* sibi nomine compellat, tanquam pater filios monet, ut iis, quæ hactenus dixit, perpensis & consideratis, idololatriam fugiant. Idololatriæ autem nomine, quemadmodum ipse apostoli scopus & contextus indicat, non id solum intelligit, imo non id præcipue, ne illi imagines, aut etiam Deos imaginibus significatos colant: a quo crimine verisimile est eos abfuisse: sed ne quidquam, quod idololatriam sappret facerent; quale erat in idoleis ad convivia, quæ in honorem falsorum illorum Deorum fiebant, accumbere, & illic res illis immolatas solenni quodam ritu comedere: quod idololatricum minimeque indifferens sua natura esse in sequentibus docet apostolus.

Vers. 15. *Ut prudentibus loquor, judicate vos quod dico.* Argumentum, quo idolorum epulas grave peccatum, nempe communionem dæmonum continere, ac proinde Christianis haudquaquam convenire evincit, expositurus, præfatur his verbis. Vult, ut ipsi judiceut, annon ita se res habeat, quemadmodum dicturus est. Ita dictorum suorum firmitati confidit apostolus, ut eam vel ipsorum judicio permittat. Causam autem istius rei prius attulit, quod scilicet loquatur ut prudentibus, id est, tanquam hominibus, qui in ejusmodi rebus id quod verum est, videre & recte judicare possint. Prudentia enim hic non sumitur pro peritia rebus suis consulendi; sed pro dexteritate quadam verum a falso in rebus ad religionem spectantibus discernendi.

Vers. 16. *Calix benedictionis, quem benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est?* A simili argumentatur apostolus. Ex eo enim, quod Christiani poculum Domini bibendo, & panem frangendo, eumque porro comedendo, communionem sanguinis & corporis Domini habeant, similiterque etiam Israelitæ, qui victimas edendo communionem habeant altaris, colligit,

omnes etiam, qui victimas idolis, ac proinde dæmoniis immolatas in idoleo edunt, communionem dæmoniorum habere. Iſtud porro longiſſime a Chriſtianis abeſſe debere docet, vel ob idipſum, quod poculum Domini bibant, menſæque Dominicæ participes fiant. Extenditur hoc argumentum uſque ad ℣.23. Primum igitur ſimilia, ſeu προτασιν apoſtolus exponit. Incipit autem a ritu euchariſtico, quippe Chriſtianorum proprio: & in hoc ritu non incipit a pane, ſed a calice; vel quod ad potationes, quæ in idololatricis illis epulis inprimis in honorem idolorum fuerant inſtitutæ; ad eorumque cultum apertiſſime tendebant, reſpexerit; vel quia de pane plura dicere parabat, ideoque poſteriore loco de eo loquitur.

*Calix benedictionis.* Cur calicem, quo in ſacro illo ritu a Chriſto inſtituto utebantur, calicem benedictionis vocet, ipſe ſtatim explicat, cum addit:

*Quem benedicimus.* Benedictio autem iſta refertur primum ad Deum & Chriſtum, & in gratiarum actione, unde etiam hic ritus antiquitus euchariſtiæ nomen obtinuit, conſiſtit; ſed ſimul etiam tranſit ad calicem, quatenus divini nominis benedictione & gratiarum actione ſanctificatur calix iſte, & ſic Domino quodammodo libatur. Eadem ratione apud Lucam Chriſtus quinque panes & duos piſces, quibus quinque millia hominum pavit, benedixiſſe legitur Luc. 9. 16. cum apud Matthæum & Marcum Matth. 14. 19. Marc. 6. 41, qui eandem hiſtoriam referunt, ſimpliciter ſumtis panibus & piſcibus, ſurſum oculis in cælum ſublatis, benedixiſſe, nempe Deo, qui in cælo habitat; à Johanne vero gratias egiſſe Joh. 6. 11 dicatur. In ſimili vero hiſtoria, qua ſeptem panibus & paucis piſciculis quatuor hominum millia paviſſe narratur a Matthæo & Marco, ſcribit Matthæus Matth. 15. 36 Chriſtum ſumtis ſeptem panibus & piſciculis iſtis, gratiis actis fregiſſe eos; Marcus vero diſtincte Marc. 8. 6,7, de panibus quidem, quod iis ſumtis Chriſtus gratias egerit, de piſcibus autem, quod benedixerit, certiſſimo argumento, Chriſtum non aliter, quam gratias agendo benedixiſſe. Quæ benedictio ſeu gratiarum actio licet ad Deum primo referatur, tranſit tamen ut diximus, etiam ad cibos, quatenus gratiarum actione ſanctificantur. Hinc Paulus 1 Tim. 4. 3,4,5 de cibis ait, *Deum eos condidiſſe ad participandum cum gratiarum actione fidelibus, & qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim*, inquit, *per verbum Dei*, quo ſcilicet nobis rebus a ſe creatis fruendi facultatem conceſſit, *& precationem.* Sic etiam communi loquendi uſu menſam vel menſæ benedicere dicitur, quatenus cibi in menſa appoſiti gratiarum actione ſanctificantur, atque hac ratione benedictionis ad Deum directæ ſunt participes. Hoc ergo modo calicem illum, vel calici, quo in ritu iſto utimur. benedicimus, quatenus Deum & Chriſtum benedicendo, eique gratias agendo calicem iſtum ſanctificamus, & ab omni alio calice ſegregamus, ac, ut eo nobis ad rem tam ſacram uti liceat, efficimus. Sane & ipſe Chriſtus, cum panis iſtius & calicis uſum inſtitueret, benedixiſſe prius & gratias egiſſe promiſcue dicitur, (quod & ipſum argumento eſt, benedictionem etiam gratiarum actione contineri) cum panem frangeret, poculumque porrigeret. Verum nos benedictione iſta ſeu gratiarum actione, quæ in Pauli verbis deſignatur, non tantum eam gratiarum actionem, quæ etiam in vulgari ciborum & potus uſu adhibetur, intelligi arbitramur, qua ſcilicet gratiæ aguntur pro poculo iſto; ſed maxime eam, qua gratiæ aguntur pro Chriſti ſuſo pro nobis ſanguine. Hac enim gratiarum actione inprimis poculum iſtud, quo ad Chriſti ſanguinis fuſionem repreſentandam utimur, ſanctificatur & conſecratur.

Porro per *poculum* vel *calicem* apoſtolus per metonymiam intelligit ejus uſum, id eſt, ex eo potum. Non enim ipſe calix, ut omnes agnoſcunt, ſed ejus uſus, nempe dum ex eo bibimus, Chriſti ſanguinis communio eſt. Calicem vero iſtum, ſeu ejus uſum, communionem Chriſti ſanguinis eſſe dicit, quod ſit communionis iſtius repræſentatio & adumbratio, ſeu ſignum quoddam & teſſera. Nomina enim earum rerum, quæ adumbrantur & ſignificantur, ipſis ſignis & adumbrationibus frequenter tribuuntur. Communio vero ſanguinis Chriſti commune jus ac ſocietatem in Chriſti ſanguine notat, quæ in eo conſiſtit, quod una cum aliis fidelibus ad Chriſti ſanguinem pertineas, quatenus ad remiſſionem peccatorum, ſeu bona Chriſti ſanguine parta pertinet. Differt enim communio a participatione, κοινωνία a μετοχῇ, quod in illa totum ad ſingulos pertineat, in hac vero certam partem ex toto ſinguli accipiant. Unde nec Paulus voce μετοχῆς in hac oratione uſus eſt, cum de tota re ad aliquem pertinente, ſeu jure ac ſocietate rei totius agit; nec voce κοινωνίας, cum agit de re, cujus quiſque certam partem capiat. Quanquam etiam ſæpe communio & participatio confunduntur; cum in omni communione participatio quædam ſit. Qui enim commune jus ac ſocietatem rei alicujus, licet totius, habent, participes tamen ejus ſunt, quatenus non niſi ratione diverſarum partium, ſaltem uno eodemque tempore, ea uti ac frui poſſint. Hinc vero manifeſtum eſt, communionem Chriſti ſanguinis vel corporis non conſiſtere in propria ſanguinis ac corporis Chriſti ſumtione. Nam nec totum a ſingulis ſumi poteſt; cum hac ratione implicaretur contradictio, corpus enim Chriſti unum ſimul eſſet & plura: nec etiam diverſas partes corporis ac ſanguinis Chriſti ſinguli poſſunt ſumere; nam ſic non totum corpus & ſanguis ad quemvis fidelium, ſed certa tantum ejus pars ad eum pertineret, ac proinde proprie loquendo non κοινωνία, ſed μετοχὴ Chriſti ſanguinis & corporis eſſet dicenda. Communio ergo Chriſti corporis & ſanguinis impropria intelligi debet, quæ in communi ſanguinis & corporis Chriſti effectu ad omnes fideles pertinente conſiſtat.

*Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt?* In Græco eſt, τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν. Antecedens ſequitur caſum ſui Relativi: ut in illis verbis Matth. 21. 42: λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν, pro, λίθος ὃν ἀπεδοκίμασαν; itemque in illis, δώρον ὃ ἐὰν ἐξ ὑμῶν ἀφεληθῇς Matth. 15. 5. pro, δώρον ᾧ ἐὰν ἐξ ὑμῶν ὠφεληθῇς. Panem, quo in ſacro ritu a Chriſto inſtituto utimur deſcribens, addit, *quem frangimus.* Unde apparet, panis fractionem ad hunc ritum omnino requiri: quod & res ipſa docet. Fractio enim panis repræſentat fractionem, id eſt, violentam Chriſti corporis vexationem & afflictionem: eadem, utpote per quam ex uno pane partes decerpuntur, nos unius corporis partes ac membra eſſe adumbrat.

Porro *panis quem frangimus* per metonymiam pro ipſa panis fractione, & quæ eam ſequitur, comeſtione ſimiliter ſumitur, eodemque modo, quo potus ex calice Chriſti ſanguinis communio, etiam panis fractio &

parti-

participatio Chriſti corporis communio eſſe dicitur, id eſt, communionis iſtius repræſentatio & ſignum. Porro corpus Chriſti, quemadmodum ex ſequenti verſu manifeſtum eſt, non tantum de Chriſti corpore proprio, ſed etiam de corpore Chriſti myſtico debet accipi, quod eſt eccleſia. Utrumque enim fractione & participatione panis adumbramus, & declaramus, tum quod veri & proprii Chriſti corporis jus ac ſocietatem, quatenus illud pro nobis fractum fuit, habeamus, quandoquidem de pane, qui ad illud repræſentandum frangitur, participamus; tum quod myſtici Chriſti corporis, quod ſimiliter hic panis refert membra ac partes ſimus. Hinc vero patet, uſum panis & calicis non ideo Chriſti corporis & ſanguinis communionem dici, quod per iſtum uſum demum communio iſta fiat; ſed quod per eum communio ac ſocietas iſta, quæ jam eſt, & eſſe debet, ſignificetur ac declaretur: quemadmodum panis uſu non demum eccleſiæ membra ſimus, ſed nos jam eſſe teſtamur ac declaramus.

Verſ. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus.* Rationem ſubjungit, cur panis fractione & uſu teſtemur, nos myſtici Chriſti corporis ſocietatem & communionem habere, id eſt, illius membra eſſe: quia quemadmodum unus eſt panis, ſic nos, qui multi ſumus, unum corpus conſtituimus. Particulæ enim ſimilitudinis in Pauli verbis debent ſubaudiri; quæ ſæpe ex Hebræorum idiotiſmo omitti ſolent. Conſequentiæ rationem ſubjicit:

*Omnes enim ex uno pane participamus*, quaſi dicat: Iſtud omnino, quod omnes ex uno pane partem aliquam capimus, per ſimilitudinem indicat, nos unius corporis eſſe partes, non ſecus ac iſtæ panis particulæ unius panis partes ſunt. Merito autem apoſtolus hunc ritus iſtius ſacri uſum priori illi adiunxit, cum tanta inter Chriſtianos unitas ac conjunctio ex eo fluat, quod omnes proprii Chriſti corporis communionem, jus ac ſocietatem habeant, id eſt, eorum bonorum, quæ Chriſtus ſui corporis paſſione acquiſivit, participes ſint.

Verſ. 18. *Videtis Iſraelem ſecundum carnem* &c. Alio exemplo & ſimili docet Paulus, eos qui res idolis, ac proinde dæmonibus, immolatas in idoleo edunt, dæmoniorum communionem habere, ab Iſraelitarum ſecundum carnem inſtitutione & conſuetudine deſumto, quaſi dicat: Ne longius abeam, Iſraelitas ante oculos habetis; vel etiam, Iſraelitarum factum expendite. Nam βλέπετε, quo Paulus utitur, per præſens & indicativi, & imperativi verti poteſt.

*Iſraelem*, id eſt, Iſraelis, qui Jacobus fuit, poſteros, qui ſoli demum in divinum populum cooptati fuerunt.

Addit, *ſecundum carnem*, ut eos ab Iſraele, id eſt, Dei populo ſecundum ſpiritum diſtingueret. Noluit Iſraelis nomen, extante jam Chriſtiano populo, Judæis ſimpliciter tribuere; quippe quorum omnis vera dignitas præ Chriſtiano populo jam evanuerat.

*Nonne qui edunt victimas communionem habent altaris?* Altaris nomine per metonymiam intelligit apoſtolus cultum ac religionem illam Iſraelitarum, quæ coram altari & in altari oblationibus ac ſacrificiis peragebatur. Senſus ergo eſt, Iſraelitas victimarum poſt peracta ſacrificia eſu, ac feſtis, quæ in templo celebrentur, conviviis teſtari ac declarare, ſe ſocietatem & conſortium habere religionis & cultus ipſius, qui per ſacrificia iſta peragebatur. Proponit autem Paulus hoc exemplum per interrogationem, eo ipſo evidentiam rei oſtendere volens.

Verſ. 19. *Quid ergo dico?* Objectioni occurrit Paulus, quæ ex ſuperius dictis naſci poterat. Inferre enim aliquis poterat: Ergone tu Paule credis, & idolothytum aliquid eſſe? quandoquidem & idola cum Chriſti corpore & ſanguine, cumque altari, ac proinde cum ipſo Deo, qui in altari colebatur; & idolothyta cum pane & vino euchariſtico, cum victimis Deo oblatis confers, hincque colligere vis, nos non ſecus idolothyta comedendo communionem habere idolorum, quam panem & vinum ad menſam domini ſumendo corporis & ſanguinis domini communionem habemus, aut Iſraëlitæ victimas edendo communionem habebant altaris. Nonne huc collimare videris, ut & idolum & idolothytum aliquid eſſe dicas, tum contra ipſius rei veritatem, tum etiam contra teipſum, qui ſupra faſſus es, idolum, ac proinde & idolothytum nihil eſſe? cap. 8. 4.

Negat Paulus ſe hoc dicere, id eſt, iſtud in verbis ſuis ullo modo includi, nimirum, *quod idolum ſit aliquid.* Id eſt, quod non Deus ille, qui per imaginem celebratur, reipſa in rerum natura exiſtat, tum imago illa ſit quicquam aliud præter vanam imaginem, ac proinde *quod idolothytum ſit aliquid.* Iſtud enim ex priori conſequeretur, id eſt, quod reipſa a communi cibo, quatenus eſt idolis immolatum differat; quemadmodum & panis ac vinum in euchariſtia domino conſecratum, & victimæ in religione Moſaica Deo conſecratæ a vulgaribus cibis omnino differunt, & qualitatem quandam habent, propter quam ſacræ res efficiuntur. Unde nec victimis alio in loco, quam in ſacro, veſci fas erat; nec quiſquam ad earum eſum admittebatur extraneus aut pollutus; nec ultra diem tertium quidquam ex iis ſervare licebat; ſed, ſi quid reſiduum eſſet, igne comburi debebat.

Verſ. 20. *Sed quod quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.* Docuit, quid non dicat, quove in ſuperioribus verbis non ſpectet: nunc docet, quo ſpectet, & quid ſibi velit.

*Sed*, ſubaudi, hoc dico, hoc verbis meis includo, huic rei argumentum meum innititur, nempe, quod *quæ immolant gentes, dæmoniis immolant*: Itaque res iſtæ dæmoniis, qui revera ſunt, minimeque a nobis coli debent, conſecrantur. Unde porro fit, ut qui iis in conviviis illis idolatricis utitur, dæmoniorum communionem aliquam habeat. Utitur verbo θύειν Paulus, quod licet mactationem per ſe ſignificet, uſus tamen obtinuit, ut per ſynecdochen tum de ſacra mactatione, tum etiam de oblatione ac immolatione, quæ ſacram mactationem conſequebatur, accipiatur. Jure autem Paulus docet, gentes, quæ immolarent, dæmoniis, id eſt impuris illis ſpiritibus, Dei veri & humani generis hoſtibus, immolare: quia licet hoc gentium non eſſet intentio, qui ſuos illos, quos colebant, Deos revera exiſtere, & Deos eſſe credebant; tamen dæmonia in fictorum deorum locum ſeſe ingerebant; tum ut gentes in idololatria falſorumque deorum cultu confirmarent, unde varia arte per imagines illas miracula edebant; tum ut in ipſa religioſus ille cultus, qui ſoli Deo ab hominibus debebatur, redundaret. Itaque etiamſi idolum ipſum nihil fuerit, tamen is, qui ſeſe in fictitii Dei locum ſubſtituebat, aliquid erat: ac proinde etſi idolothyta, quatenus idolothyta erant, nihil fuerint, nec ullam impuram qualitatem eatenus traxe-

rint; tamen quatenus, ut ſic dicam δαιμονίοθυτα erant, catenus impura, & Chriſtianis cum honore aliquo dæmoniorum non contingenda erant.

*Et non Deo.* Addit hoc Paulus, ne quis crederet, gentes Deum per ſua illa ſacrificia & immolationes nihilominus coluiſſe, etiamſi ſpecialis illorum intentio in factos fictoſque Deos directa eſſet, quandoquidem generalis eorum intentio ſimpliciter in eum, qui divinitatem aliquam veram haberet, dirigebatur; licet in conſtituendo vero Deo erraverint, ſeu, quinam verus Deus eſſet, ignoraverint.

*Non Deo*, inquit Paulus, immolarunt gentes. Deus enim & fictos Deos, & imagines averſatur, ac proinde & omnes talium cultores. Diabolus eſt, qui hanc occaſionem arripuit, & hominum cæcitate iſta ac malitia, ad ſe pro Deo colendum, libenter abuſus eſt.

*Nolo autem vos participes dæmoniorum fieri.* Non ſubjecit Paulus concluſionem ex ſuperiori ejus argumento fluentem, nempe eos, qui idolothyta comedunt, utpote dæmoniis immolata, dæmoniorum habere communionem; ſed eam cuivis ex ſuperioribus inferendam reliquit: tantum monet, iſtud a Chriſtianis longiſſime abeſſe debere, neve id fiat, præcipit. Participes autem dæmoniorum fieri dicuntur Chriſtiani, quatenus ſolenni illo idolothytorum eſu, & feſtis illis conviviis in idolorum templis teſtabantur ac declarabant, ſe ſocietatem cum gentibus in dæmoniorum cultu habere.

Verſ. 21. *Non poteſtis poculum domini bibere, & poculum dæmoniorum.* Rationem ſubjungit, cur eos nolit communionem dæmoniorum habere, quia ſcilicet communionem cum domino, qui dæmoniorum hoſtis eſt, habent, & habere ſe teſtantur.

*Non poteſtis*, id eſt nullo pacto licet, non convenit ulla ratione. Quod enim prorſus fieri non debet, ſæpe fieri non poſſe dicimus. Non poteſt enim niſi cum ipſius honeſtatis violatione fieri:

*Poculum domini bibere*, nempe illud poculum, quod in ſacro ritu ab ipſo Chriſto inſtituto bibimus. Quod domini poculum eſſe dicitur, non ſolum quod a domino fuerit inſtitutum; ſed etiam quod in ejus honorem, ac pro ſummo ejus in nos collato beneficio gratiarum actionem bibatur, eique plane conſecretur.

*Poculum dæmoniorum*, id eſt, pocula illa, quæ in feſtis idolorum conviviis bibebantur coram fictitiis illis diis ac proinde dæmonibus.

*Non poteſtis menſæ domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Per *menſam domini* intelligit menſam, cui in ſacro illo ritu celebrando accumbimus, vel, ut hic moris eſt, aſſidemus: quam eadem ratione menſam domini vocat, qua poculum domini dixit.

*Menſa dæmoniorum* ſignificat menſam, cui in idoleis homines accumbebant, utpote dæmoniis eorumque cultui dicatam. Participem autem fieri menſæ eſt ei accumbere vel aſſidere, & ex ea cibum capere. Jure autem Paulus utrumque iſtorum fieri non poſſe, id eſt, nullo pacto debere, docet: quia dum poculum domini bibimus, ejuſque menſæ aſſidemus, teſtamur, nos cum domino communionem habere; dum vero poculum dæmoniorum bibimus, eorumque menſæ accumbimus, teſtamur, nos communionem habere cum dæmoniis, domini hoſtibus, quod nullo prorſus pacto fieri convenit.

Verſ. 22. *An provocamus ad æmulationem dominum?* Exaggerat hoc factum Paulus, & oſtendit, quam vim habeat: nempe, quod hac ratione dominus ad æmulationem provocetur, id eſt, ad iram, & indignationem ex ea natam, quod ejus rivalem inducamus eique blandiamur. At dominus, non minus quam Deus, rivalem ferre non poteſt. Non vult, ut ejus populus quenquam alium præter ſe colat & revereatur; aut ullo indicio colere ac venerari ſe teſtetur. Utitur autem apoſtolus tropo, quem Rhetores communicationem vocant, iis ſeſe, quos reprehendit, annumerans.

*Num validiores illo ſumus?* Ita loquitur, ut oſtendat, miſeros eſſe, qui dominum irritent, & ad tantam indignationem provocent. Ita enim agunt, ac ſi domino non ſolum reſiſtere, ſed etiam prævalere poſſent.

Verſ. 23. *Omnia mihi licent.* Novo argumento, cum objectionis ſolutione conjuncto, docet abſtinendum eſſe ab idolothytorum eſu; agit autem jam de idolothytorum eſu latius ſumto, quatenus non ſolum in idoleis feſtiſque illis conviviis, ſed etiam in privatis, ſive noſtris, ſive aliorum ædibus locum habet. Objectio eſt per mimeſin ab apoſtolo prolata.

*Omnia mihi licent*, id eſt, omnia quæ in communi vitæ uſu verſantur, ac proinde omne ciborum genus mihi licitum eſt.

Reſpondet apoſtolus: *ſed non omnia conferunt*, nempe proximo, ejuſque ſaluti proſunt.

*Omnia mihi licent.* Repetit eandem objectionem ejuſque ſolutionem, ædificandi verbo in locum prioris ſubſtituto.

*Non omnia ædificant*, id eſt, non omnia ad ſalutem alterius adjumentum afferunt; quod fit, cum aliquis vel ad Chriſti religionem ac fidem adducitur, vel in ea confirmatur, vel, ut inoffenſo gradu in pietatis tramite pergat, efficitur. Ædificationi opponitur diſſolutio & deſtructio, quæ fit per ſcandala ſeu facta ejuſmodi, quorum occaſione quiſpiam in ſalutis ſuæ negotio impingit. Non ſolum autem iſtud vult dicere apoſtolus, non omnia, quæ alioquin ſua natura ſunt licita, proximo ad ſalutem prodeſſe, eamque promovere, ſed etiam multa ejuſmodi eſſe poſſe, quæ illi vehementer obſtent, eamque impediant. Itaque μείωσις quædam eſt in verbis apoſtoli.

Verſ. 24. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſque quod alterius*, ſcilicet eſt. Hactenus docuit apoſtolus, non omnia, quæ per ſe licita ſint, alterius ſaluti conferre: nunc monet & præcipit, ut quiſque in rerum per ſe licitarum uſu non ſuum commodum quærat, quod non niſi carnale & exiguum eſſe poteſt: ſed ut ad proximi commodum, quod cum ſalute ejus conjunctum eſt, reſpiciat. Itaque hic argumenti apoſtolici, contra rerum per ſe licitarum promiſcuum uſum, major, vel potius ejus ſententia continetur.

*Nemo quod ſuum eſt quærat*, id eſt, nemo ſuum commodum conſectetur, non ſimpliciter; ſed ſi cum alterius detrimento ſit conjunctum. Ita ad ſuum commodum oculum dirigat, præſertim carnale, ut ſimul ad commodum, & quidem ſpirituale proximi ſui reſpiciat, & ex eo demum ſua commoda factave moderetur. Ita enim exigit lex charitatis, quæ ſola in Chriſtiana religione utramque paginam facit.

Pars II. Verſ. 25. *Omne quod in macello venditur, edite.*

Nunc

Nunc tradit regulam apoſtolus, quo pacto in idolothytorum eſu ſeſe gerere debeant: per quam & libertati Chriſtianæ locum relinquit, & rurſus eam exaliorum emolumento temperat. *Omne quod in macello venditur, edite*, id eſt, ſive ſit idolis immolatum ſive minus. Alia enim res eſt edere idolis immolata in idoleo; alia ea edere domi in macello emta. Eſus enim idolothytorum in idoleo pars adhuc quædam reliqua erat ſacrificii & idolorum cultus, manifeſtuſque adhuc ad idola reſpectus idolothytis adhærebat, adeo ut is qui in idoleo idolothytis veſcebatur, neſcire non potuerit, ea idolothyta eſſe: qui reſpectus, poſtquam in macellum ſunt relata, plane ceſſat, nec ullum inter idolothyta & quoſvis alios cibos diſcrimen apparet. Ideo concedit apoſtolus, *ut omne*, id eſt, quodvis (particula enim univerſalis non collective, ſed diſtributive hic accipi debet, quemadmodum & verſ. 27) quod in macello venditur edamus; ne quis putet, impuram illam qualitatem ſeu reſpectum non minus in macello, quam in idoleo & conviviis idololatricis idolothytis adhærere.

*Nihil inquirentes vel diſcriminantes propter conſcientiam.* Μηδὲν ἀνακρίνοντες. Verbum ἀνακρίνειν & inquirendi & diſcriminandi ſignificationem habet; quarum utraque huic loco convenire poteſt. Nam nec inquirere opus eſt, quales ſint eſcæ carnes, quæ in macello venduntur, ſintne idolis immolatæ nec ne; nec ſi ſcias eſſe, quicquam neceſſe eſt, ut inter has carnes & alias ullum diſcrimen conſtituas.

*Propter conſcientiam*, id eſt, conſcientiæ cauſa, ne ſi carnes idolis immolatas ederis, conſcientiam offendas. Quam vero conſcientiam, ſeu, an cujuſvis propriam, an alienam intelligat, verſ. 29 docet. Alienam enim ſe intelligere docet. Nam Corinthiis ſua libertas hac in parte nota jam erat: ſciebant, idolothytis non minus quam aliis quibuſvis cibis uti ſua natura fas eſſe; neque ſolum iſtud ſciebant, ſed etiam hac ſua ſcientia & libertate abutebantur. Docet ergo Paulus, eum qui ſuæ libertatis ſibi probe ſit conſcius, non teneri alienæ conſcientiæ cauſa, ne eam offendat, libertatis ſuæ jacturam facere, & ſolicite inquirere, ſintne carnes iſtæ idolis immolatæ, vel etiam inter carnes idolis immolatas & non immolatas diſcrimen facere, & quidem illas non edere, has tantum edere. Nam ſi quis infirmus eſt, qui hac re offenditur, monere alterum debet, hoc eſſe idolis immolatum. Nam qui non monitus carnes idolis immolatas in macello emtas nihil ab aliis differentes carnibus edit, alienæ infirmitatis culpam præſtare non tenetur.

Verſ. 26. *Domini enim eſt terra, & plenitudo ejus.* Verba ex Pſalm. XXIV initio deſumta; quibus rationem affert, cur cibis quibuſvis promiſcue uti fas ſit: quia & terra ipſa, & omnia, quæ terra producit, id eſt infinita rerum, quibus terra abundat, copia domini eſt, id eſt dominus, utpote omnium conditor in hæc jus habet, illique omnia quodammodo ſacra ſunt. Quidni igitur illis, qui Deo ſerviunt, his promiſcue uti fas ſit, quandoquidem Deus illis his omnibus utendi jus dedit? Nam hoc in argumento apoſtoli poni debet. Si vero terra, & plenitudo terræ domini eſt, utique etiam carnes, quæ in macello in uſum hominum venduntur, domini ſunt, quæcunque tandem fuerint, ſive idolis immolatæ, ſive minus. Poſtquam enim ex idoleo reportantur, & cum aliis carnibus ad communem hominum uſum commiſcentur, dæmoniorum carnes eſſe deſinunt, & domini carnes fiunt.

Verſ. 27. *Si vero quis infidelium vos vocat, & vultis ire, omne quod apponitur vobis edite, nihil inquirentes propter conſcientiam.* Docuit, quo pacto in idolothytorum eſu libertate noſtra uti debeamus, cum ipſi carnes in macello emimus, eaſque domi noſtræ edimus: nunc etiam docet, quatenus ab aliquo infidelium ad convivium invitati libertate noſtra in idolothytorum eſu uti, & quatenus ea non uti debeamus. Uti ea debemus, quam diu nobis nemo indicat, hoc eſſe idolis immolatum, nec inquirere tenemur, an hoc vel illud ſit idolothytum. Satis innuit Paulus, licere nobis cum infidelibus cibum capere: quemadmodum & ſupra cap. 5 docuit, præceptum illud ſuum de vitanda malorum conſuetudine, non ad eos, qui ſunt extra eccleſiam, id eſt infideles, ſed ad eos, qui fratres nominantur, eſſe referendum: a quorum, ſi mali ſint, conſuetudine ita abſtinendum eſt, ut ne cibum quidem cum eis capere debeamus. Præſtat tamen raro in convictu infidelium verſari, ne vel temperantia & modeſtia Chriſtiana eos magis exaſperemus, vel in eorum gratiam aliquid de virtutibus ac ſanctitate remittamus. *Cætera deſiderantur.*

# *Præfatio priori editioni cap. 15*

# I. ad CORINTHIOS

## PRÆFIXA.

COmmentarium Crellii in 15 cap. prioris epiſtolæ ad Corinthios, *Chriſtiane Lector*, juris tui nunc facimus. Id enim noſtrarum eſſe partium ducimus, poſtquam Crellius præmatura morte interceptus eſt, ut poſthumis ejus ſcriptis te ſolemur. Nec mirum tibi videri debet, quod non in tota epiſtola a capite uſque ad calcem oſtenderit ingenii ſui lumen; ſed hanc partem a reliquo veluti corpore decerpſerit. Nihil hic invidiæ datum, a qua tantum aberat ſemper Crellius, quantum ipſa abeſt a vera & nullo fuco corrupta virtutis indole; nihil ignaviæ, in quam ut tanquam profeſſa lite pugnaverit, præclari illius labores etiam apud eos, qui longius ſunt poſiti, loquuntur. Sed quicquid hoc eſt, partim curis, quæ in illum variæ recumbebant; partim amicis imputandum, qui ſacrarum literarum ſenſibus eruendis operantur; quorum piis deſideriis, & iteratis anxie precibus, in hac potiſſimum parte, quæ reſurrectionem corporum noſtrorum tangit, ſatis voluit facere. Idque eo fecit lubentius, quod ſciret, in ea omnis ſpei noſtræ, quam in cælum jam miſimus, cardinem verti; & nihilo ſecius magna cum dolentis animi ægritudine videret, quantopere hic extra veri viam prolabantur homines, nec poſſint ad germanam verborum Pauli mentem pertingere. Viſum autem illi eſt, omnia altius repetere, & in totum caput juſtum expedire Commentarium, ut ſic plenius conſtaret opus, contextus verborum & tota rerum ſeries magis ſub conſpectu ponerentur, nihilque eſſet ultra, quod ſenſum aliqua obſcuritate involveret. Cœptus eſt liber paucis ante obitum diebus ad limam revocari, & a mendis, quæ inter extemporalem dictandi feſtinationem forte irrepſerant, ultima manu repurgari; ſed cum jam maxime fervebat opus, nec parum in emendando autor progreſſus erat, inopinato cum vita deſtituit. Cujus in ipſo quoque limine te monitum voluimus, ne, ubi diverſam poſtea faciem deprehenderis, ulla animum tuum ſiniſtra cogitatio ſubeat. Quod ſupereſt, *Lector*, Deum calidis veneramur votis, ut tibi benignam favoris ſui auram ſemper adſpiret, animumque immittat perpetuo veræ pietatis ardore flagrantem, quo & hi & omnes alii labores noſtri in ſempiternam ſalutem tuam expetant.

## CAP. XV.

### ARGUMENTUM.

*In hoc capite* (a) *apoſtolus de reſurrectione mortuorum, & nominatim quidem eorum, qui in Jeſum Chriſtum credunt, diſputat, ejuſque veritatem inprimis demonſtrat, Cum enim, ut ex verſiculo 13 conſtat, quidam inter Corinthios eſſent, qui eam in dubium vocare, vel potius negare auderent; ea apoſtolo omnino confirmanda fuit; cum ea ſublata univerſa Chriſtiana religio ac pietas eſſet caſura, ut ex iis quæ apoſtolus hoc capite ſcribit, conſtare poterit, & per ſe unicuique facile patet. Sunt autem tres hujus capitis partes. In prima veritatem reſurrectionis noſtræ directe demonſtrat: in ſecunda, ut objectioni occurrat, quæ contra eam moveri poſſet, de ratione corporum, in quibus pii ſint reſurrecturi, eorumque ab his præſentibus differentia diſſerit: In tertia, ut idipſum rurſus confirmet, pauca ſubnectit de mutatione eorum, qui ex fidelibus vivi reperientur in adventu Chriſti. Pars igitur prima præcipua eſt, reliquæ vero duæ illi ſubſerviunt. Potiſſimum enim id agit, ut veritatem reſurrectionis noſtræ probet: qua occaſione, ut jam indicavimus, de differentia corporum ante & poſt reſurrectionem; ac porro etiam de mutatione eorum, qui in adventu Chriſti vivent, fidelium diſſerit.*

(a) *Argumentum ac partitio capitis.*

### De I. parte.

PRima pars hujus capitis extenditur uſque ad finem verſus 34, in qua aliquot argumentis id quod diximus, adſtruit apoſtolus; ſed eo potiſſimum, quod ex reſurrectione Jeſu Chriſti ducitur: quod quidem fuſe perſequitur, uſque ad finem verſ. 23.

Ita

Ita autem in eo conſtituendo ac explicando progreditur, ut primo ejus fundamentum jaciat, idque certis rationibus ac teſtimoniis communiat: deinde ſuper eo argumentum ſuum extruat, ſeu reſurrectionis noſtræ veritatem inde demonſtret.

*Membrum I.* Quod ad prius attinet; attentionem Corinthiorum excitat, dum id, quod mox de reſurrectione Chriſti, ejuſque antecedentibus, & ad ejus veritatem oſtendendam facientibus, dicturus eſt, generatim proponit ac commendat, & cauſas quaſdam indicat, ob quas earum rerum fidem in dubium vocare Corinthii minime debeant: deinde id ipſum, quod argumentationis præcipuæ fundamentum eſſe diximus, nimirum Chriſti reſurrectionem, una cum ejus antecedentibus, morte & ſepultura, exprimit: tertio denique eam teſtimoniis virorum fide digniſſimorum confirmat.

Verſ. 1. Primum continetur duobus primis hujus cap. verſiculis.

Nam dum ait, *Notum vobis facio fratres euangelium, quod prædicavi vobis*; id quod paulo poſt expreſſurus eſt, quodque pro fundamento eſt collocaturus argumentationis ſuæ, una cum rebus, quæ eam anteceſſerunt, generalibus verbis proponit, & ipſo ſtatim nomine commendat, dum vocat *euangelium*, ſeu bonum felicemque nuncium, quem Corinthiis attulerit ac prædicaverit; partem nempe euangelii præcipuam, & cæterarum veluti fundamentum, *euangelii* nomine per ſynecdochen intelligens.

Cum autem dicit, ſe illis *notum facere* hoc euangelium; non id vult, ſe illis nunc demum rem hanc patefacere, quaſi hucuſque iis penitus ignotam; id enim his ipſis verbis apertiſſime adverſatur: ſed ſignificat, ſe rem illam iis declarare velle, ita quidem, ut intelligant, eam ita ſe habere, quemadmodum antea ex ipſomet audiviſſent. Neque enim hoc agit ut intelligant quid ſit, Chriſtum vel mortuum eſſe, vel reſurrexiſſe: (nam id probe intelligebant) ſed ut perſpiciant, Chriſtum, poſtquam mortuus ac ſepultus fuiſſet, vere reſurrexiſſe, quemadmodum jam ante audiverant.

Cum ait, *quod etiam recepiſtis, in quo etiam ſtatis, per quod etiam ſervabimini, quo ſermone* (ſeu *qua ratione*) *prædicaverim vobis, ſi tenetis, extra niſi fruſtra credidiſtis*, rem illam, quam proponit, quamque mox clare eſt expreſſurus, Corinthiis magis adhuc commendat, & cauſas quaſdam exponit, ob quas ea minime fit ab illis repudianda, aut in dubium vocanda.

Primo enim ait: *quod etiam recepiſtis*, id eſt, cui rei etiam aſſenſum præbuiſtis, quaſi dicat, non ego tantum iſta vobis annunciavi; ſed vos etiam fidem ſermoni iſti meo adhibuiſtis: quod certe non temere, ac ſine ratione a vobis factum eſt, ſed procul dubio magnas graveſque ob cauſas; alioquin haudquaquam nudæ aſſertioni meæ aſſenſuris. Neque enim homines cordati in re tanti momenti, qualis eſt ea, quæ ad religionem cultumque divinum ſpectat, aſſentiuntur iis, qui aliquid nude affirmant, præſertim ejuſmodi, quod alias prorſus impoſſibile eſſe videatur. Qualis certe eſſe videtur Chriſti reſurrectio; adeo ut, niſi firmiter comprobetur, fides ei adhiberi a prudenti nec poſſit nec debeat. Tacite ergo indicat, ac cogitandum Corinthiis relinquit apoſtolus, quod doctrinam, quam ab ipſo acceperant, abjicere haudquaquam debeant: quandoquidem eæ cauſæ, quæ illos ad eam recipiendam, & fidem ei habendam impulerant, movere etiam debeant, ut eam firmiter retineant; præſertim cum nulla ſit ſuſpicio, eos in argumentis, quibus ad eam recipiendam adacti fuerant, falſos fuiſſe; alioquin totam doctrinam ſimul debuiſſent abjicere, & univerſam ejus autoritatem, quod tamen minime faciebant, repudiare.

Addit porro: *in quo etiam ſtetiſtis*, vel, ſi enallagen in ſacris literis non inuſitatam verbo huic Græco ſubeſſe velis, *ſtatis*. Adjicit aliquid apoſtolus rationi præcedenti, & tanto magis Corinthios urget, ut in ea ſententia, de qua hic agitur, perſiſtere velint, nec pedem referre cogitent: quia non tantum ſententiam eam receperint, eique ſemel aſſenſi fuerint; ſed eam etiam ad id uſque tempus conſtanter retinuerint, atque in ea perſtiterint. Unde facile apparet, fidem eam firmis fuiſſe nixam radicibus, & ſolidis argumentis ſuperſtructam: quandoquidem hucuſque convelli ac labefactari non potuerit. Hinc porro conſequitur, eos abſque ſumma inconſtantiæ nota ab ea ſententia diſcedere non poſſe, neque adeo diſcedere debere: id quod illis cogitandum relinquit apoſtolus. Quocirca vel altera hæc eſt ratio, qua apoſtolus utitur ad Corinthios in eadem ſententia retinendos; vel prioris iſtius quoddam veluti ſuperpondium.

Verſ. 2. Novam autem rationem ejuſdem rei adjicit, a fructu ejus, de qua agitur, rei petitam, dum inquit: *per quod etiam ſervabimini.* quaſi dicat, cum ſententia iſta, de qua agimus, non tantum adeo manifeſtæ ſit veritatis, ut a vobis & recepta, & conſtanter hucuſque retenta fuerit; ſed etiam tantum vobis allatura ſit fructum, ut ejus vi ſitis ſalutem æternam conſecuturi, ſi nempe eam firmiter retinueritis, & ſecuti fueritis: certe haudquaquam ea vobis eſt abjicienda, ſed conſtantiſſime retinenda.

(a) Ideo autem aſſerit, eos per hanc doctrinam, de qua agit, ſervatum iri; non quod ea per ſeipſam, nulla alia re accedente, ad æternam ſalutem obtinendam ſufficiat: ſed quod, ſi illi firmiter inſiſtas, eique penitus adhæreſcas, cauſſa ſit fiduciæ illius, quæ per Chriſtum in Deo collocanda eſt, ac porro etiam fons pietatis ac ſanctimoniæ a Chriſto præceptæ, quam ſalus certo conſequitur. Eodem pacto idem apoſtolus cap. 10 epiſtolæ ad Rom: Rom. 10. 9, 10 ait: *Si confitearis ore tuo, dominum* [eſſe] *Jeſum, & credideris in corde tuo, quod Deus ipſum reſuſcitaverit ex mortuis, ſervaberis. Corde enim creditur ad juſtitiam; ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Ubi ſatis aperte illi fidei, qua creditur, Jeſum eſſe reſuſcitatum ex mortuis, (qua de re in hoc noſtro ad Corinthios loco potiſſimum agitur) & confeſſioni dominii atque imperii Jeſu Chriſti, quod reſuſcitationis illius nomine aliquo modo comprehenditur, ſalus adſcribitur: licet ex innumeris ſacræ ſcripturæ locis liquido appareat, omnis generis pietatem ad eam rem eſſe neceſſariam; & eo ipſo loco apoſtolus paulo poſt, tum fidei in Chriſtum, id eſt, fiduciæ in ipſo collocatæ, tum invocationi nominis ipſius, ſalutem adſcribat, verſ. 11, & 13. Atqui hæc effecta tantum ſunt ejus fidei, qua creditur, Jeſum eſſe reſuſcitatum ex mortuis, eaque ratione dominum & Chriſtum a Deo conſtitutum: non vero illius ipſius fidei partes.

(b) Fides vero illa, qua creditur, Jeſum eſſe reſu-

(a) *Fidei, quam creditur Jeſum Chriſtum eſſe reſuſcitatum ex mortuis, quo modo ſalus adſcribatur.*

(b) *Fides iſta quomodo fiduciam illam, qua ſervamur, pariat.*

ſcitatum

ſcitatum ex mortuis, duplici ratione parit eam in Deo & Chriſto fiduciam ac pietatem cui ſacrę literæ ſalutem proxime adſcribunt.

Prima ratio, quæ huic noſtro loco paulo videtur eſſe accommodatior, hæc eſt, quod reſurrectione Chriſti comprobata, ſtatim univerſæ religionis ipſius veritas comprobatur; quemadmodum quivis haud difficulter cernere poteſt. Niſi enim doctrina Chriſti revera fuiſſet a Deo profecta, prout ab ipſo Chriſto conſtanter fuit aſſertum; quo pacto, cum eſſet tanquam ſeductor a populo Judaico occiſus, a Deo ex mortuis fuiſſet reſuſcitatus? Num forte Deus, qui eſt ipſa veritas, homines mendaces, qui ſacroſancto ipſius nomine ad alios ſeducendos abuſi fuerint, e morte in vitam revocat? an non potius, ut David teſtatur Pſal.5.7, perdit omnes, qui loquuntur mendacium? Quare cum Chriſtus a Deo fuerit e mortuis excitatus, ejus doctrinam divinitus fuiſſe profectam, adeoque veriſſimam eſſe neceſſe eſt. Jam vero cum religio Chriſtiana tum promiſſa nobis ejuſmodi proponat, quibus majora ne fingi quidem poſſunt, tum præcepta, ſine quorum obſervatione promiſſa illa obtinere nequeamus: hinc fit, ut religionem illam amplecti firma fide nequeamus, quin ſimul promiſſis illis plenam adjungamus fidem, eorumque deſiderio excitati, præceptis Chriſti parere pro viribus nitamur. Quare cum firma reſurrectioni Chriſti adhibita fides, fidem atque aſſenſum univerſæ ejus religioni præbere cogat; hæc rurſus ſpem ac deſiderium ejuſdem promiſſorum, ac porro obedientiam mandatorum pariat, cui æternæ felicitatis præmium a Deo eſt propoſitum: recte dicuntur homines per doctrinam de reſurrectione Jeſu Chriſti, ſi eam firmiter teneant, ſervandi.

Altera ejus rei ratio, loco illi ad Romanos cap. 11.9 aliquanto accommodatior, hæc eſt, quod, ſi in reſuſcitatione Jeſu Chriſti univerſam ipſius exaltationem, & ſic dominium etiam ac imperium, quod in cælis obtinet, comprehendas, inde ſtatim conſequatur, ut tanto domino, ejuſque promiſſis, penitus confidas, mandatis autem pareas, & ſic in æternum ab ipſo conſerveris.

Verum ne quis apoſtoli verba ita acciperet, ac ſi ad ſalutem conſequendam ſatis eſſet, doctrinam illam, de qua ſermo eſt, recepiſſe, & eo uſque conſtanter retinuiſſe, etiamſi ejus vim non ſatis perciperet, atque animo teneret: ideo apoſtolus conditionem quandam adjicit, & dictum ſuum aliquo modo limitat, dum ſubjicit: *quo ſermone*, vel, *qua ratione euangelizaverim* ſeu *prædicaverim vobis, ſi tenetis, extra niſi fruſtra credidiſtis*: quaſi dicat, ſi modo adhuc bene tenetis, ac in poſterum etiam tenebitis, quidnam ego tunc temporis vobis annunciaverim, quidve dixerim. Quod quidem vos facere, ac porro quoque facturos arbitror: alioqui enim fruſtra fidem prædicationi meæ adhibuiſſetis.

Animadvertendum autem eſt, in his verbis eſſe trajectionem quandam. Verba enim, *ſi tenetis*, loco ſuo mota ſunt, cæteris, ſi ordinem legitimum ſerves, præfigenda hoc pacto: *ſi tenetis, quo ſermone prædicaverim vobis.* (a) Hujuſmodi trajectiones apoſtolo non ſunt inuſitatæ, habebimuſque ejuſdem figuræ exemplum, infra hoc eodem cap. verſ.19, habemus etiam ſupra cap.9.10. Ideo autem voces, *ſi tenetis*, cæteris videtur poſtpoſuiſſe, ut verba iſta, *extra niſi fruſtra credidiſtis*, tanto commodius illis poſſet annectere; ita nimirum, ut nec longius ab illis diſtarent, nec ambiguitatem ullam parerent, nec tamen reliquis interſererentur, & ea quæ inter ſe cohærent, a ſe invicem divellerent. Nam alioquin vel ita debuiſſet ea connectere: *per quod (euangelium) etiam ſervabimini, ſi modo tenetis, quo ſermone prædicaverim vobis; alioquin fruſtra credidiſſetis:* vel hoc pacto: *per quod etiam ſervabimini, ſi modo tenetis, (ut quidem facitis, niſi fruſtra credidiſtis) quo ſermone prædicaverim vobis.* Priori modo longius a ſe mutuo diſtarent ea, quæ conjungenda ſunt, nempe illa, *ſi tenetis, extra niſi fruſtra credidiſtis*; & præterea ambiguum foret, utrum iſtud, *extra niſi fruſtra credidiſtis*, cum verbo *ſervabimini*, an vero cum verbo *tenetis* conjungendum ſit. Poſteriori modo hyperbaton fit, & cætera a ſe invicem divelluntur, quæ conjungenda ſunt.

Deinde verba illa, *quo ſermone*, ſeu *qua ratione prædicaverim vobis*, non ſumenda ſunt de ipſis vocibus quibus Paulus in euangelio Corinthiis prædicando fuerit uſus; ſed de verborum ſententia, quatenus quidem illa ad fidem ac pietatem Chriſtianam hominibus inſerendam eſt neceſſaria. Conditionem enim hic exprimit, ad id neceſſariam, ut Corinthii per ipſius doctrinam ſerventur. Atqui & verborum, & aliarum doctrinæ circumſtantiarum, modo rei ſummam verborumque mentem tenerent, obliviſci ſine ſalutis jactura poterant. Probabile autem nobis fit, vocabulum λόγου *ſermonem* potius, quam *rationem* ſignificare; cum illa ſignificatio ſacris literis ſit longe uſitatior, quam iſta; licet jam dixerimus, nihil aliud ſibi velle apoſtolum, quam ſi dixiſſet, ſi tenetis, quid ego dixerim, cum vobis euangelium prædicarem.

Denique verba iſta adjicit apoſtolus, *extra niſi fruſtra credidiſtis*, ut Corinthios moneat, ne doctrinæ hujus ſuæ obliviſci unquam velint; &, ſi forte obliti fuerint, pudorem illis incutiat, eoſque magnæ arguat imprudentiæ atque oſcitantiæ, qui rem tanti momenti memoria paſſi ſint excidere; cum inde conſequatur, fruſtra plane atque incaſſum eos credidiſſe. Perinde enim fuiſſet, ac ſi nunquam credidiſſent. Neque enim nobis eſt veriſimile, verba hęc proprie conjungenda eſſe cum illis, *per quod etiam ſervabimini*, ut nonnulli volunt; maxime quia apoſtolus non videretur trajecturus fuiſſe verba illa, *ſi tenetis*, eaque contra uſitatam ordinis rationem, cum illis, de quibus nunc agimus, conjuncturus, niſi etiam ſententia conjuncta eſſe voluiſſet.

II. Adhuc attentionem Corinthiorum ſibi conciliavit apoſtolus, & ea quæ porro dicturus eſt, non modo generalibus verbis propoſuit, ſed etiam commendavit. Sequitur nunc ſpecialis eorundem expoſitio, atque, ut ita dicam, collocatio fundamenti, ſuper quo argumentum præcipuum, quo reſurrectionis noſtræ veritatem comprobat, extruet apoſtolus.

Tria autem hoc loco enumerat, quæ Corinthiis antea tradiderit: Mortem, ſepulturam, ac reſurrectionem Chriſti: quarum rerum ultima per ſe huc pertinet; priores duæ propter ultimam.

Verſ.3. Ita ergo inquit: *Tradidi vobis inprimis, quod etiam accepi*: quæ verba ad omnia illa tria, quæ porro enumerantur, pertinent. *Tradidiſſe* ſe ait illa Corinthiis; quia illis viva voce, ſine ſcripto, ea explicuerat, & veluti apud eos depoſuerat; quemadmodum etiam alia, ut videre eſt cap.11, verſ.2 & 23. Traditiones ergo hæ erant apoſtoli, reſpectu Corinthiorum; ſed

(a) *Trajectiones apoſtolo uſitatæ ſunt.*

ſed quæ, poſtquam ad eoſdem perſcriptæ eſſent, etiam eorum ipſorum ratione traditiones eſſe deſierunt. Id quod propter illos eſt obſervandum, qui ex eo, quod Apoſtoli quædam fidelibus *tradidiſſe* dicuntur, traditiones eiuſmodi defendere conantur, quæ in univerſo, quem habemus, ſacrarum literarum codice ſcriptæ non ſint, ſintque nihilominus ad ſalutem ſcitu prorſus neceſſariæ. At quæ tradiderunt fidelibus certis Apoſtoli, ea vel ad eoſdem poſtea potuerunt ſcribere, ut hic & cap.xi factum videmus, vel ad alios; ita ut ad noſtras etiam manus, literarum monumentis conſignata pervenirent. Omnia certe, quæ ad ſalutem cognitu omnino ſunt neceſſaria, in ſacris literis ſufficienter eſſe deſcripta, (*a*) alibi eſt a noſtris demonſtratum.

Quod ait, *inprimis* ſe iſta tradidiſſe, id potiſſimum de prioritate, ut loquuntur, dignitatis accipiendum eſt. Quanquam etiam de tempore ac ordine accipi poteſt. Nam & inter præcipua hæc fuerunt, ac diligentiſſime ab Apoſtolo inculcata, tanquam religionis Chriſtianæ fundamenta, (de primo & ultimo, hoc eſt, de morte & reſurrectione Chriſti, potiſſimum loquimur, quibus medium, nempe ſepulturæ Chriſti, aliquid tantum lucis adfert, & quodammodo ſubſervit) & eandem ob cauſam inter ea, quæ primo loco fuerunt ab Apoſtolo Corinthiis propoſita, explicata.

Cum vero addit: *quod etiam accepi*, fidem illis ipſis rebus conciliare ſtudet, tanquam iis, quas haudquaquam ipſe confinxerit, ſed quas aliunde acceperit; nempe ab ipſo Ieſu Chriſto, a quo univerſam ſuam doctrinam hauſerat atque didicerat: quo pacto etiam ſupra, loco paulo antea citato, cap.xi ait, ſe accepiſſe a Domino, quod illis tradiderit. Vide ad Gal.i.12, ubi aperte aſſerit, ſe non ab homine accepiſſe euangelium, aut didiciſſe; ſed per revelationem Ieſu Chriſti. Quanquam poſtea acceſſerunt alia quoque earum rerum, de quibus hic agitur, teſtimonia, quibus paulo poſt utetur Apoſtolus, in reſurrectione Chriſti confirmanda. Sed jam res ipſas ab Apoſtolo expreſſas, & olim Corinthiis traditas videamus.

Prima eſt, *quod Chriſtus mortuus fuerit pro peccatis, ſecundum ſcripturas.* (*b*) Mortis nomine Apoſtolus non mortem qualemcunque, ſed violentam, & ultro a Chriſto ex Dei voluntate ſuſceptam, intelligit; præſertim cum addat, *pro peccatis noſtris*, id eſt, peccatorum noſtrorum expiandorum ſeu tollendorum cauſa. Particulam enim ὑπὲρ idem hoc loco denotare quod ἕνεκα, & cauſam finalem deſignare, animadverterunt jam ante nos (*c*) alii.

*Secundum ſcripturas* autem id factum eſſe nihil aliud eſt, quam Chriſtum mortuum eſſe prout ſcriptura Veteris Fœderis teſtatur. Et clariſſima quidem ea de re teſtimonia extant apud Eſaiam cap.53, & Danielem cap.9.26. Quibus etiam locis, maxime vero priori, ſatis indicatur, mortem illam eum in finem a Chriſto ſuſceptum iri, ut peccata hominum deleat, eorumque reatum ac pœnas auferat. Ne de ſacrificiis illis nunc quicquam dicam, quæ expiationem peccatorum Chriſti ſanguine perficiendam adumbrarunt, ſuntque in ſacris literis luculenter deſcripta.

(*d*) Duas autem, ut videtur, ob cauſſas mentionem mortis Chriſti facit, & eam inter prima a ſe prædicatam fuiſſe affirmat. quarum cauſſarum utraque ad veritatem reſurrectionis tuendam atque aſſerendam ſpectat. Prior eſt, quod reſurrectio ſine morte antegreſſa exiſtere non potuit: inter Iudæos autem olim dubitatum fuit, utrium Chriſtus mori debuerit nec ne, vel potius creditum vulgo fuit, Chriſtum mori non debuiſſe, idque ex ſacris literis conſtare, ut patet ex Ioh.12.34. Unde & Paulo inter alia vel imprimis demonſtrandum fuit, mori debuiſſe Chriſtum, ut intelligitur ex Act.17.3.xxvi.23. Quare ne quem forte hic ſcrupulus urgeret, neve propter id ipſum de reſurrectione quispiam dubitaret, quia de morte antegreſſa non ſatis eſſet certus; utile fuit, Apoſtolum monere, huic ſe dubitationi jam ante ſatisfeciſſe, eamque ſuſtuliſſe. Poſterior cauſſa eſt, quod qui Ieſum mortuum fuiſſe credit, ſi eum Chriſtum eſſe agnoſcat, (agnoſcebant autem Corinthii omnes) non poſſit non etiam credere, eum in vitam fuiſſe revocatum. Adde, quod cauſſa mortis Chriſti, ab Apoſtolo indicata, &, ut apparet, a Corinthiis agnita, reſurrectionem ipſius omnino requiſivit, adeo ut Apoſtolus dum mortem Chriſti, ejusque cauſſam, ſeu finem commemorat, fundamentum quoddam collocet, cui veritatem reſurrectionis Chriſti poſtmodum ſuperſtruat. Finis enim mortis Chriſti cruentæ atque ignominioſæ a ſacris literis Veteris Fœderis conſtituitur peccatorum noſtrorum expiatio, quam Apoſtolum illis verbis exprimere diximus, cum ait, *Chriſtum pro peccatis noſtris eſſe mortuum.* Hunc finem ſi tollas, nullam poteris oſtendere cauſam ſufficientem, ob quam Chriſtus tam truculentam tamque infamem mortem ſuſtinere debuerit, ut religionem a Moſaica diverſam confirmaret ac ſtabiliret. Iam vero quemadmodum infra vſ.17 apparebit, ſi Chriſtus a mortuis non fuiſſet reſuſcitatus, hunc finem haudquaquam fuiſſet aſſecutus; ac proinde fruſtra mortem tam diram tamque ignominioſam ſuſcepiſſet: quod cum abſurdum ſit, etiam eorum, cum quibus hic diſputatur, ſententia; conſequens eſt, Chriſtum omnino ex mortuis reſuſcitatum eſſe.

(*e*) Altera earum rerum, quas hoc loco repetit apoſtolus, eſt ſepultura Chriſti: quæ quia per ſe minoris eſt momenti; ideo uno eam verbo commemorat, cum inquit; *& ſepultus ſit*, vel *fuerit.* Quanquam verba illa, *ſecundum ſcripturas*, quæ poſt mentionem reſuſcitationis ſubjiciuntur, etiam ad ſepulturam trahere poteris. Nam hujus quoque mentio fit dicto ſuperius cap.53 Eſaiæ vſ.9. & fuit olim adumbrata in Jona, quem balæna deglutierat, quemadmodum ipſe Chriſtus nos docet apud Matt.12.39,40. Quanquam non ſola ſepultura, ſed ſimul etiam mors eam antegreſſa iſti abſorptioni Ionæ reſpondet.

(*f*) Ideo autem apoſtolus ſepulturæ Chriſti mentionem facit, ut de veritate mortis Chriſti, ac porro etiam reſurrectionis, dubitationem omnem eximat, & ea haud

(*a*) *vide Iohan. Volkel. de vera Relig. lib. 5. c. 7.*

(*b*) 1. *De morte Chriſti.*

(*c*) *vide Wolfg. Muſculi Iohannem Piſcat.*

(*d*) *Cur hic mortis Chriſti mentio fiat.*

(*e*) *De ſepultura Chriſti.*

(*f*) *Cur apoſtolus ſepulturæ mentionem faciat.*

quaquam imaginaria fuiſſe doceat. Nam cum Chriſtus ſepultus fuerit, idque, ut hiſtoria oſtendit, magiſtratus permiſſu, eumque in finem de cruce fuerit demptus, aliaque ei poſtmodum adhibita quæ humanis corporibus ſerviunt; ſatis conſtat, Chriſtum vere fuiſſe mortuum; ac porro, cum is vivum ſe poſtea diſcipulis exhibuerit, atque in cælos profectus fuerit, reſurrectionem quoque ipſius non imaginariam, ſed veram fuiſſe. Quanquam & alias non admodum conveniebat, rem eam prorſus reticere, quæ inter mortem & reſuſcitationem Chriſti intervenerat.

* Tertia earum rerum, quam hic per ſe ac præcipue ſpectavit Apoſtolus, eſt, quod idem Chriſtus *reſuſcitatus fuerit tertia die, ſecundum ſcripturas.* Verba ſatis ſunt clara; præſertim ſi ea cum hiſtoria Euangelica conferas: (*a*) Vixenim videtur opus eſſe illud explicare, quo pacto *tertio die* Chriſtus dicatur reſuſcitatus; cum non integrum biduum videatur in ſepulchro jacuiſſe, aut a morte fuiſſe detentus. Jam enim vulgo notum eſt, Hebræos diei civilis initium, qui 24 horarum ſpatio abſolvitur, a noctis initio ducere. Quare cum Chriſtus feria ſexta, ſeu die Veneris, ut loqui ſolemus, fuerit mortuus, & ſepulchro impoſitus, (ante ſabbati enim initium id fieri oportuit a Judæis) deinde ſequentem diem, nempe ſabbati totum, in ſepulchro jacuerit; die vero ſolis, quam Dominicam appellamus, mane reſurrexerit; unuſquiſque jam intelligit eum tertia demum die reſurrexiſſe. Quanquam idem, noſtra quoque conſuetudine admiſſa, defendi poteſt; ſi nimirum initium diei civilis a media nocte ducas. (*b*) Cur vero nec ante illud tempus, nec poſt, Deus eum reſuſcitare voluerit, cauſſa a noſtris alibi eſt explicata: nempe ut & de morte ipſius ex ipſo temporis tractu certius conſtaret; & tamen corpus ipſius ſalvum ac illæſum maneret, nec ex diuturniore in ſepulchro mora corruptionem, ut ſacræ literæ loquuntur, videret; quam videre ſeu experiri partim ob ſacræ ſcripturæ Veteris Fœderis vaticinia, partim alias ob cauſſas non debuit. Nam ut de morte tanto certius conſtaret, non conveniebat eum ante tertium diem reſuſcitari; ne vero corrumperetur, non poſt tertium. Nam, ut de Lazaro legimus, Joh. xi. 39, is, quia jam quartum diem in ſepulchro jacuerat, fœtebat.

Fuit autem in ſacris literis Veteris Fœderis non tantum ipſa Jeſu Chriſti reſurrectio prædicta; quemadmodum ex iis conſtat, quod Petrus ea de re diſputat Act. 2, verba Pſal. 16, verſ. 24 & deinceps, in eam ſententiam citans, & Paulus ejuſdem libri cap. 13, verſ. 32 & deinceps, verba Pſal. 2. 7 allegans: quibus merito adjunguntur ea, quæ apud Eſaiam Eſa. liii. 10 & deinceps de Chriſti gloria, quæ paſſionem & mortem ejus eſſet ſubſecutura, leguntur; verum etiam tempus, quo Chriſtus reſuſcitari debuit, aliquo modo fuit ſignificatum in hiſtoria Jonæ, de qua ſuperius egimus; quemadmodum ipſe Chriſtus nos docuit, Matth. 12. 40 ut ex Matthæo apparet.

III. Sequitur nunc, ut videamus, quomodo Apoſtolus fundamentum hoc, cui aſſertionem atque argumentationem ſuam poſtmodum ſuperſtruet, jam collocatum firmet, ac teſtimoniis muniat, & ſimul ab effectis quibuſdam, ſeu conſequentibus, hoc eſt, Chriſti poſt reſurrectionem apparitionibus comprobet. Hoc vero facit verſ. 5, & ſequentibus uſque ad finem 11.

Ac primum quidem ſingula teſtimonia atque effecta reſurrectionis Chriſti recenſet: poſtea illa omnia in ſummam quandam colligit verſ. 11.

Verſ. 5. Nam primum ita inquit: *& quod viſus ſit Cephæ.* (*c*) Pendent hæc adhuc a verbis illis initio vſ. 3 poſitis: *tradidi enim vobis* &c. Hoc ergo primum eſt effectum ſeu conſequens reſurrectionis Domini Jeſu, quod apparuerit Cephæ ſeu Petro, qui id poſtmodum teſtatus eſt. Unde id pro teſtimonio ipſius haberi jure poteſt: quod idem & de ſequentibus ſtatuendum eſt.

Ideo autem Cephæ ſeu Petri, cui Dominus apparuerit, primo facit mentionem; quia ei inter viros primo apparuit Chriſtus, quemadmodum colligi poteſt, ex iis quæ leguntur Luc. 24, 34, ubi diſcipuli Hieroſolymis congregati narrant duobus illis Emaunte redeuntibus, reſurrexiſſe Dominum vere, & apparuiſſe Simoni. Credibile enim eſt illud ante contigiſſe, quam illis ipſis duobus diſcipulis Emauntem euntibus ſeſe aggregaſſet. Quod ſi tamen hoc anteceſſiſſe velis; ſtatuendum eſt, Apoſtolum, qui omiſit illam apparitionem duobus diſcipulis Emauntem euntibus factam, utpote minus illuſtribus, nec in frontiſpicio teſtium collocandis, apparitionem Petro factam primo loco ponere voluiſſe, quia & cæteras, quas recenſet, anteceſſerit, & ei contigerit, qui cæterorum Chriſti diſcipulorum omnium, præſertim ſi Paulum excipias, primus ac præcipuus merito habendus eſſet, &, ut facile licet intelligere, apud multos ex Corinthiis haberetur, vid 1.Cor.15. 12, conf. cap. 3. 6.

(*d*) Fœminas, quibus Chriſtus primo apparuerit, omiſit Apoſtolus; propterea quod earum teſtimonium contemni facile poſſet; utpote cum ſexus ille & facile credere, & facile quidvis aſſerere ſoleat. Certe ipſi quoque diſcipuli, cum a mulieribus, quibus Chriſtus apparuerat, id primum audiiſſent, adeo illis non crediderunt, ut ea, quæ ab illis narrabantur, tanquam deliramenta quædam acciperent, quemadmodum legimus apud Lucam cap. dicto, verſ. 11.

(*e*) Sed, ut ad Petrum redeamus, ideo Chriſtus cenſendus eſt Petro primo apparere voluiſſe, tum ut eum, qui poſt lapſum ſuum, Chriſtumque ter abnegatum, ſolatio inprimis indigebat, inter cæteros diſcipulos primum nominatim ſolaretur, & ſic teſtaretur, eum gratia ſua non excidiſſe; tum quia cæteroquin ordinem inter Apoſtolos ducebat.

2. Secundum effectum, atque adeo teſtimonium reſurrectionis Chriſti exponitur ibi: *poſtea illis duodecim*, ſcilicet apparuit Chriſtus. Ubi quædam lectionis varietas occurrit; quæ tamen, quod ad ſenſum attinet, parum habet momenti. Alii enim *undecim* legunt, propterea quod Judas Iſcariot numero iſto excidiſſet; alii vero *decem* legendum eſſe ſuſpicantur; propterea quod, cum Apoſtolis ſuis, quos hoc loco intelligendos eſſe nemo dubitat, primum appareret Chriſtus, Thomas abfuerit, ut apud Johan. cap. 20 videre eſt.

Sed nulla eſt cauſſa, quominus legendum putemus *duodecim*, etiamſi nec Judas Iſcariot amplius ſuperfuerit, nec Thomas adfuerit, cum cæteris Apoſtolis Chriſtus ſeſe primum oſtenderet. Uſitatum enim eſt, ut, cum collegio aut ſocietati alicui nomen aliquot inditum eſt, quod membrorum iſtius collegii numerum exprimat, etiamſi poſtea fiat, ut unus atque alter, aut etiam, ſi major ſit numerus, complures abſint, reliqui nihilominus eodem nomine eodemque numero deſignen-

* *III. De reſurrectione ex mortuis.*

(*a*) *Quo pacto Chriſtus tertia die dicatur reſuſcitatus.* (*b*) *Cur Chriſtus tertia die nec tardius fuerit reſuſcitatus.*

(*c*) *Teſtimonia reſurrectionis Chriſti.* (*d*) *Fœminas, quibus Chriſtus reſuſcitatus apparuit, cur Paulus omiſerit.* (*e*) *Cur Petro primo Chriſtus apparere voluerit.*

gnentur: ut, ſi decem viros dicas eſſe in aliqua civitate, aut loco, etiamſi unus atq; alter numero illi tunc deſit; aut centum viros, etiamſi decem, verbi gratia, aut plures etiam, numero illi deſint. Eſt autem credibile, hoc loco non tantum comprehendi Chriſti apparitionem Apoſtolis tum factam cum Thomas abeſſet, quæ tum apud Iohannem, tum apud Lucam dictis locis exponitur; verum etiam poſteriorem, cui Thomas adfuit, quæ apud ſolum Iohannem deſcribitur; hujus enim nullam poſtea amplius facit mentionem, cum tamen quia notabilis admodum fuit ob Thomæ incredulitatem convictam atque expugnatam, prætermittenda non fuiſſe videatur. Unde etiam non eſt credibile legi hic debere *decem*. Nam ſi *decem* legeretur, excluderetur poſterior apparitio Chriſti Apoſtolis facta, cui Thomas interfuit.

Verſ. 6. Tertium effectum aut teſtimonium reſurrectionis Chriſti exponitur verſ. 6. *Poſtea viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul: ex quibus plures manent*, ſeu vivunt, *hucusque; quidam vero etiam obdormierunt*. Hac de re nihil aperte, præſertim quod attinet ad numerum eorum, quibus Chriſtus apparuit, ſcriptum legitur. Nullum autem mihi eſt dubium, quin id, ut & alios ſenſiſſe video, factum fuerit in Galilæa, eo in monte, quem Dominus Ieſus diſcipulis ſuis deſignarat, in quo ſeſe ipſis præſentem eſſet exhibiturus, qua de re vide Matth. 28, 7, 10, 16. Etenim cum & Angelus, qui mulieribus ad ſepulchrum apparuit, & ipſe Chriſtus diſcipulos in Galilæam ire juſſerit, quia ibi ipſum eſſent viſuri, licet interea Hieroſolymis iis ſeſe poſtmodum exhibuerit; apparet, Chriſtum in Galilæa, eoque in monte, quem ei rei deſtinarat, ſeſe & diutius, & pluribus diſcipulis videndum præbere voluiſſe: nec dubium eſt, quin propter hoc ipſum, in Galilæa potius quam Hieroſolymis, locum conſtituerit, & quidem montem aliquem, ab hominum procul dubio frequentia remotum, ut & diutius ibi inter ſuos commorari, & cum iis colloqui poſſet, nec tamen interea ab incredulis, qui tanto beneficio indigni plane erant, cerneretur.

Quid, quod ipſi Apoſtoli, cum jam certus eſſet deſtinatus locus, ubi Chriſtum eſſent viſuri, facere vix ac ne vix quidem potuerunt, quin alios quoque Chriſti diſcipulos, quos quidem poſſent, tanti gaudii participes facerent, & tum Hieroſolymis ſecum deducerent eos, qui Chriſti diſciplinæ eſſent addicti; tum eos, qui in Galilæa erant, aut quos aliunde convocare commode poterant, ad tam jucundum ſpectaculum invitarent, præſertim cum ea res ad illos vehementer in fide confirmandos, &, ſi forte animum jam ob mortem Chriſti deſpondiſſent, ad eosdem erigendos pertineret: quin etiam, ad doctrinam euangelicam eorundem teſtimonio tanto magis apud alios confirmandam ac promovendam; ſiquidem Chriſti reſurrectione ſtabilita, ſtabilitur & ipſa, quemadmodum contra, ea convulſa, collaberetur.

Quem vero putamus fuiſſe inter eos, qui Chriſti doctrinam amplexi fuerant, eumque viventem adamaverant, qui, ad tam jucundum ſpectaculum invitatus, protinus non accurreret? Itaque quod nonnulli de numero tanto hominum, quibus Chriſtus ſimul apparuerit, dubitant, ſine cauſa dubitare videntur. Mirandum potius foret, pauciores adfuiſſe: niſi quis dicat, vel non adeo multos fuiſſe, qui Chriſti doctrinam fuiſſent amplexi; vel tam brevi tempore tantum hominum numerum concurrere vix potuiſſe. Quorum neutrum credendum eſt. Nam magnus fuit eorum, qui Chriſtum ſequebantur numerus, propter tam ſtupenda quæ edebat miracula, nec fruſtra Phariſæi dixerunt: *ecce mundus eum ſequitur* Ioh: 12. 19. In Galilæa autem, apparet complures hinc inde fuiſſe, qui ipſius doctrinam amplecterentur.

Itaque nec alterum illud credibile cenſeri debet; nempe non potuiſſe tot homines tam brevi temporis ſpatio convocari: præſertim cum appareat, complures adhuc dies, atque adeo integram minimum ſeptimanam Apoſtolos Hieroſolymis ſubſtitiſſe, antequam in Galilæam irent; quemadmodum ex capite 20 Ioannis apertum eſt. Interea autem ad multos admodum fama hæc pervenire potuit, ita ut haud difficulter tot, quot hic commemorantur, confluere ad præſtitutum locum poſſent.

Neque iis quæ diximus obſtat, quod apud Matth. cap: 28. verſ. 16 legitur, Undecim illos Apoſtolos abiiſſe in Galilæam, ad montem, quem illis conſtituerat Ieſus. Neque enim ſequitur, quia de his nominatim legitur, eos Hieroſolymis in Galilæam profectos, vel neminem ex aliis eos comitatum, vel eos neminem aliunde advocaſſe, atque ex ipſa Galilæa ad eundem locum plures non confluxiſſe. Imo, ut jam vidimus, aliter fieri non poterat; præſertim cum jam cæteris etiam conſtaret, ſi non aliunde, ſaltem ex mulieribus, quibus & Angelus, & ipſe Chriſtus ea de re aperte dixerat, quam ob cauſam illi in Galilæam irent. An enim neminem ex fidelibus illis, qui Hieroſolymis una cum Apoſtolis verſabantur, deſiderium videndi Chriſti tantum cepit, ut tantillum moleſtiæ eam ob cauſam ſuſcipere, ac Apoſtolos comitari vellet? aut num arbitramur, diſcipulos omnino prohibuiſſe, ne quis ad eundem locum iret, & Chriſtum redivivum videret? Haudquaquam. Quare non ideo de Apoſtolis nominatim iſtud ſcribit Matthæus, quaſi idem alii quoque non fecerint; ſed quia his nominatim a Chriſto eſſet præceptum, ut eo irent; ideo de iis etiam nominatim ſcribendum erat, eos mandato Chriſti Domini paruiſſe, & in locum præfixum abiiſſe. De cæteris, quibus id præceptum non erat, reticere id Matthæus poterat: quod tamen quisque conjicere haud difficulter poteſt.

Ex dictis facile apparet, cur putemus, Apoſtolum ad hanc Chriſti apparitionem hic reſpicere. Nam cum ea admodum fuerit illuſtris, nequaquam eſt conſentaneum, eam a nullo plane Euangeliſtarum penitus attingi. Jam vero ſi Euangeliſtarum ſcripta percurramus, nullum videmus nec locum, nec tempus, nec occaſionem huic rei aptiorem. Ut taceamus ordinem narrationis Apoſtolicæ, qui cum hiſtoria illa egregie conſentit.

Quod vero addit Apoſtolus, ex quingentis iſtis fratribus *plures ad illum uſque diem ſuperſtites fuiſſe, quoſdam vero etiam obdormiviſſe*; id propterea ab eo factum eſt, ut rei iſti, quam narraverat, fidem conciliaret. Significat enim, iſtud totum multis adhuc teſtibus confirmari poſſe; quandoquidem major iſtorum pars adhuc ſuperſit, ex quibus rei illius veritas reſciri queat. Ne quis vero dicat, haudquaquam tot extare, quot ille commemoraverat, & ſic fidem Apoſtoli in dubium vocet; ideo adjicit, quoſdam ex illorum numero obdormiviſſe: id quod per ſe cuivis credibile videri debet; quandoquidem complures jam anni effluxerant ab eo tempore, quo Chriſtus

redivivus discipulis suis conspiciendum se præbuit. Quis autem dubitet, intra complures annos, ex tanto numero, nempe è quingentis non paucos fuisse mortuos? Utrumque ergo hoc, quod apostolus addit, nempe, quod & plures istorum adhuc sint superstites, &, quod quidam jam obdormierint, ad fidem dicto ipsius conciliandam, aut dubitationem de eo quandam amoliendam pertinet.

De verbo *obdormiscendi* dicetur nonnihil infra versu 20.

4. Vers. 7. Quartum consequens ac testimonium resurrectionis Christi est: *Postea visus est Jacobo.* Hac de re alibi nihil in sacris literis legimus: nisi quis id huc trahere velit, quod legitur Joh. 21, ubi narratur, Christum apparuisse discipulis, qui in lacu Tiberiadis piscabantur; inter quos fuerunt filii Zebedæi, ut legimus vers. 2, 7. Eorum autem alterum Johannem, alterum Jacobum fuisse, aliunde satis notum est. Sed præterquam quod paulo post docebimus, Jacobum potius minorem, Alphæi filium, quam majorem, filium Zebedæi, hic intelligendum; non admodum credibile est, ad illam historiam Joh. 21, descriptam hic respici: partim quidem, quia etiam alii Christi discipuli tum adfuerunt, nempe, & Johannes, uti jam diximus, Jacobi frater, & Petrus, qui reliquis piscatum eundi auctor fuerat, & Thomas, & Nathanaël, & alii duo ex discipulis Christi, qui nimirum apostoli non essent, nec ita inter reliquos excellerent, ut Nathanaël; partim vero, quia Johannes primum agnovit Christum, de quo etiam ibi peculiariter quædam a Christo fuerunt dicta, quemadmodum & de Petro, ut ex eodem loco constat. De Jacobo autem nihil ibi insignite dictum factumve legimus; ita ut nulla appareat caussa cur Paulus solius Jacobi mentionem facere voluerit, si ad illam historiam respexisset.

Verum enimvero non major ille Jacobus, Zebedæi filius, Johannis frater hic videtur intelligendus, sed minor, Alphæi filius, frater seu consobrinus domini. Etenim si majorem intellexisset, fieri vix potuisset, quin distinctionis caussa adderet aliquid, verbi gratia, *Johannis frater*, ut eum discerneret a Jacobo, qui tum temporis, cum hæc Paulus scriberet, adhuc superstes erat, & inter fideles adeo celebris, ut cum Jacobi nomen audirent, modo animadverterent de apostolo sermonem esse, hunc protinus intelligerent, ut vel ex Actis & epist. ad Galat. cap. 2 apparet. Hunc autem simplici Jacobi nomine, nulla re alia addita, designare ob caussam jam dictam poterat, quod nimirum adhuc viveret, & Jacobi simplici nomine passim inter Christianos designaretur, ita ut Jacobo commemorato audientium animi in illum protinus ferrentur. Huic quando apparuerit, nullum in euangelica historia extat indicium. Apparet, Christum, quemadmodum Petro sigillatim sese exhibuit, ita & Jacobo, quem insignem ecclesiæ suæ columnam esse voluit, sese peculiariter ostendisse, vide Gal. 2. 9. Forte & cognationi aliquid datum fuit, quamquam non soli, sed cum probitate ac virtute non vulgari conjunctæ.

5. Quintum effectum ac testimonium resurrectionis Christi exponitur ibi: *postea Apostolis omnibus.* Ubi per apostolos, ex consuetudine sacrarum literarum, intelligimus undecim illos apostolos, qui tum supererant. Nam quo minus hic 70 illos Christi discipulos cum quibusdam intelligam, quorum mentio fit Luc. 10, vers. 1, duo me movent. Primum est, quod illos nunquam videam apostolos dici, sed potius ab iis distingui. Cum vero undecim illi, aut duodecim, qui ante aut post illud tempus munere legationis Christo jubente functi sunt, itemque Paulus, passim hoc nomine appellentur; nec alii uspiam ea simpliciter voce indigitentur, nisi forte cum apostolis aliis eodem verborum complexu conjunguntur; ut cum Paulus & Barnabas apostoli nuncupantur Act. 14. 14; quid causæ est, cur hoc loco a perpetua scripturæ consuetudine ac loquendi usu discedamus?

Alterum est, quod non videtur Paulus eam Christi apparitionem ullo pacto prætermisisse, aut prætermittere debuisse, quæ apostolis illis præcipuis (ut distinctionis causa eos nunc ita appellem) tum contigit, cum in cælum jam adscensurus esset, eosque ex urbe Hierosolymitana educeret Bethaniam usque, &, postquam iis benedixisset, ab iis in cælum ferretur, ut legimus Luc. 24. 50, 51. Cum enim hæc res admodum fuerit insignis ac notabilis, utpote cum qua ascensio Christi in cælum esset conjuncta; non potuit vel ignorari ab apostolo, vel in hac apparitionum Christi enumeratione, ubi aliarum singularium manifestationum ipsius fit mentio, reticeri.

Ex quo etiam facile apparet, Jacobum illum, de quo proxime facta fuit mentio, ex horum apostolorum numero fuisse; non vero, ut nonnulli censent, ex numero apostolorum inferioris ordinis. Ideo enim dixisse videtur apostolus, tunc Christum visum esse apostolis *omnibus*, ut *omnes uni* opponeret; quasi dicat, visus est uni ex apostolis, nempe Jacobo, postea vero omnibus. Hinc porro etiam intelligitur, cur eos non, ut antea, nomine *duodecim* vel *undecim*, sed potius *apostolorum*, & quidem *omnium*, descripserit: quod fortasse aliis occasionem dedit, ut crederent, non de iisdem hic sermonem esse, de quibus antea, sed de aliis.

6. Restat sextum atque ultimum resurrectionis Christi consequens ac testimonium, quod quidem est apparitio ipsi Paulo facta, ac porro ejus hac de re testimonium: quod non simpliciter proponit; sed a personæ suæ partim indignitate, partim dignitate illustrat.

Vers. 8. Ita enim inquit: *postremo autem omnium tanquam abortivo visus est etiam mihi.* (a) Quæritur hoc loco, quando id factum fuerit? responsio sat videtur esse expedita, cum in actis aliquoties expressis verbis legamus, Christum tunc visum fuisse a Paulo, cum Damascum iret, discipulorum Christi vinciendorum causa. Vide cap. 9. 17, & 27. & cap. 22. 14.

Etiamsi vero non desint, qui tum id factum fuisse putent, cum Paulus in tertium cælum, seu ipsum Dei paradisum raptus fuit; non videtur tamen verisimile, eo Paulum respicere, partim, quia Paulus, cum id narrat, non asserit, se Christum vidisse, sed tantum audiisse verba ineffabilia 2 Cor. 12. 4: non omissurus illud procul dubio, si ipsum Christum tunc vidisset: contra autem, ut jam ostendimus, expresse legimus, Christum a Paulo in via Damascena visum fuisse. Deinde quia consentaneum est, Paulum hoc loco haudquaquam omittere voluisse illam Christi apparitionem sibi factam, qua ipsemet primum ad Christi resurrectionem certissima fide, vel potius scientia, apprehendendam fuit adductus, & qua nixus, potuit testimonium reddere validum resurrectioni isti; id quod muneris apostolici inprimis erat, quemadmodum ex Actor. 1. 22, & cap. 4. 33 videre est. Atqui hæc apparitio non tum demum Paulo contigit, vel contingere debuit, cum in

(a) *Quando Christus a Paulo visus fuerit.*

cælum

cælum fuit raptus; ſed antequam munere Apoſtolico fungeretur, & ſic teſtis reſurrectionis Chriſti conſtitueretur. Teſtis enim rei nondum viſæ nequaquam eſſe poterat. Raptus vero ille in tertium cælum, aliquot annis demum poſt initium Apoſtolatus ipſius illi contigit: quemadmodum ex ratione temporis conſtat, quod Paulus indicavit 2 Cor. 12. ℣. 2, ſi hanc locum partim cum iis, quæ in Actis leguntur, partim cum iis, quæ cap. 1. & 2 ad Galatas habentur, contuleris. Quicquid ſit, iſtud certum eſſe videtur, Paulum hic primam illam viſionem, quæ ipſi in Damaſcena via contigit, quaque Chriſtum reſurrexiſſe certiſſime comperit, non præteriiſſe; ſive cenſeas eum plures alias Chriſti apparitiones ſibi factas iiſdem verbis includere voluiſſe; ſive minus.

(*a*) Neque vero eſt quod dicas, Paulum ad hiſtoriam viſi in itinere Damaſceno Chriſti hic reſpicere ideo non potuiſſe, quod hoc loco ſermo ſit de ipſa perſona Chriſti viſa; Paulus vero in via non ipſam Chriſti perſonam, utpote in ſupremo cælo exiſtentem, ſed Angelum tantum aliquem, qui Chriſti perſonam ſuſtineret, & cum ipſo loqueretur; vel aliquam Chriſti ſpeciem, a Chriſto ipſo Paulo objectam viderit. (*b*) Nam primum id ipſum, quod in objectione hac dicitur, nempe quod Paulus angelum quendam, qui Chriſti perſonam ſuſtineret, viderit, ad id quod hic quæritur confirmandum ac probandum plane ſufficit. Non enim minus certus poterat eſſe Paulus, Chriſtum revera ex mortuis reſurrexiſſe, ex eo quod angelum, qui Chriſti perſonam ſuſtineret, cælitus inſigni cum ſplendore ac magnificentia apparentem vidiſſet; quam ſi ipſammet Chriſti perſonam oculis ſpectaſſet: imo majus aliquid Paulo hac in parte, quam cæteris apoſtolis, contigit. Nam Chriſtum non amplius mortalem, ſed immortalem ac glorioſum, atque in cælis regnantem vidiſſe cenſendus eſt. Neque enim angelus ullius perſonam gerit, & tum ſpecie quadam externa, tum ſermonis ratione repræſentat, niſi illius, cujus legatus eſſe poſſit, & cujus ipſe ſit ſervus. Unde ſub vetere fœdere nullius, niſi Dei perſonam geſſerunt ac repræſentarunt Angeli: ſub Novo autem fœdere Chriſti, qui eos immediate mittit. Neque enim jam amplius Dei ipſius, ſed Chriſti perſonam ſuſtinere leguntur. Quare omnino ad id, quod hoc loco Paulo comprobandum erat, ſufficiebat commemorare apparitionem angeli cæleſtis, perſonam Chriſti ſuſtinentis.

Deinde reſpondemus, nihil in eo abſurditatis vel impoſſibilitatis eſſe, ſi ſtatuas, ipſum Chriſtum, licet longiſſime a Paulo diſtantem, inque ſupremo cælo manentem, ipſi ſe videndum exhibuiſſe, apertis quodammodo, ut de Stephano legimus, cælis, & tam illuſtri ſui ſpecie oculis Paulinis objecta, ut eam clariſſime cerneret: vel, ſi ita mavis, viſu Paulino aliqua ratione in cælum elevato. Cur enim minus credamus Paulum potuiſſe videre Chriſtum a dextris Dei exiſtentem, quam Stephanum? Sed de his ſatis.

Sequitur, ut videamus, quo pacto apoſtolus hanc apparitionem Chriſti, quæ ſibi contigerit, illuſtret atque amplificet partim a ſua indignitate, partim a dignitate. Indignitatem primum verbis figuratis exprimit; poſtea vero clarius explicat.

2. Primo enim dicit hoc ipſo ℣. 8, ſibi viſum eſſe Chriſtum, *tanquam abortivo*. Credibile eſt, hanc loquendi formulam apud Hebræos uſitatam fuiſſe, cum de re vili, quæ plane abiici ſoleat atque abſcondi, loquerentur. Simili enim ratione aliquando locutus eſt Aaron, cum vidiſſet Mariam, ſuam & Moſis ſororem, lepra a Deo punitam, quemadmodum legimus Num. XII. ℣. 11, & 12: ita enim ibi alloquitur Moſen; *Obſecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtulte commiſimus: ne fiat hæc quaſi mortua, & ut abortivum, quod projicitur de utero matris ſuæ.* Hoc ergo dicere vult apoſtolus; ſibi tantam contigiſſe Domini Jeſu benignitatem, ut, licet ſimilis eſſet fœtui abortivo, penitus rejiciendo, cujus nulla videretur habenda fuiſſe ratio; nihilominus tamen Chriſtus ſe ipſi conſpiciendum præberet. Quanquam etiam ita poſſes exponere, quaſi dicat apoſtolus: quemadmodum abortivus fœtus plane ineptus eſt, ut perfectus homo evadat, ac vitam producat; ita ſe propter ſummam indignitatem plane ineptum fuiſſe ad id, ut fieret apoſtolus, nec ſpem de illo quenquam concipere potuiſſe, fore, ut tam ſanctum tamque eximium munus ipſi aliquando committatur. Sed prior explicandi ratio verbis apoſtoli magis videtur eſſe conſentanea.

2. Verſ. 9. Nam, ut ad explicationem ab ipſo apoſtolo adjectam ſtatim accedamus; prima verba, quæ ad rem declarandam adhibentur, indignitatem tantum ac vilitatem quandam *Pauli* exprimunt: ita enim inquit: *Ego enim ſum minimus apoſtolorum, qui non ſum dignus, ut vocer apoſtolus, propterea quod perſecutus fuerim eccleſiam Dei.*

*Minimum* ſe *apoſtolorum* vocat, non habita ratione donorum, & earum qualitatum, quæ ad muneris illius rationem pertinebant; ſed habita tantum ratione ſuæ indignitatis, & ejus quidem non præſentis, ſed apoſtolatum antegreſſæ, ſeu, ut clarius loquar, quæ ex antegreſſis ejus actionibus pendebat. Iſta enim vilitas ſeu indignitas, pro conſequente quodam peccatorum ipſius antegreſſorum haberi poteſt; ita ut in eo conſiſtere cenſeatur, quod propter facta ſua vilipendendus, ac in poſtremis merito habendus eſſet. Vocem ἐλάχιστος pro voce ἄξιος in ſacris literis uſurpari notum eſt. Matth. 3. 11. VIII. 8.

Cum vero ait, *ut vocer apoſtolus*, poteſt quidem verbum *vocari* pro *eſſe* Hebræorum more accipi, quaſi dicat; indignus ſum, qui ſim apoſtolus: nihilominus tamen poteſt etiam propriam ſignificationem retinere; ita ut res tanto magis exaggeretur: quaſi dicat, etiam nomine hoc indignus ſum: quemadmodum interdum de aliquo dicere ſolemus, eum indignum eſſe hominis nomine. Quæ vero ſit iſta eccleſiæ Dei perſecutio, ex qua tanta ipſius indignitas pendebat, notum eſt ex Actis Act. 8, & 9, 22, & 26. capp.

Verſ. 10. Indignitati ſuæ ſubjicit dignitatem. Etenim ne commemoratio tantæ indignitatis aliquid de auctoritate muneris ipſius apoſtolici detraheret, quam ſartam tectam eſſe, multum ſalutis Corinthiorum intererat; ideo eam, commemorata dignitate ſua, ad quam a Deo fuerit evectus, ſtabilit. Commemorat autem adeo modeſte, ut eam totam divinæ benignitati, non ſuo merito imputet. Ait enim *Gratia autem Dei ſum id quod ſum*, nimirum tantus apoſtolus, & quidem omnium gentium extrarearum doctor: quaſi dicat, etiamſi indignus ſim ob antegreſſa facta, qui vocer apoſtolus: gratia tamen ac benignitas divina, nulla indignitatis illius habita ratione, talem me effecit, qualem videtis. Non obſtitit tanta mea indignitas, quominus ad tam ſanctum auguſtumque munus vocarer, ac vires tanto muneri pares mihi darentur. ut nemo

(*a*) *Objectio.* (*b*) *Reſponſio.*

Propter anteactam vitam auctoritatem meam ſpernere debeat.

*Et gratia ipſius in me*, ſcilicet collata, ſeu quæ mihi contigit, *non inanis facta eſt*, hoc eſt, fructu non caruit; *ſed abundantius*, ſeu *plus omnibus illis* (ſc. apoſtolis) *laboravi*, hoc eſt plures, quam illi omnes ad ſalutarem Chriſti cognitionem perduxi. Neque enim hoc videtur intelligendum de ipſis tantummodo laboribus & conatu Pauli in hominibus ad Chriſtum pertrahendis; ſed de laborum effectu ac fructu.

Probabile id facit, quod ſequitur: *verum non ego, ſed gratia, quæ mecum*, ſcilicet *eſt*, vel *fuit*, hoc eſt, opem mihi tulit; quaſi dicat, non ego meis viribus iſta perfeci; ſed viribus ex Dei benignitate conceſſis: quæ quidem benignitas mihi ſemper fuit exhibita, & adhuc exhibetur. Neque vero credibile eſt, Paulum tantum ſibi voluiſſe aſſumere, ut diligentiam ſuam in munere apoſtolico fungendo, & labores a ſe exantlatos auderet præferre reliquorum apoſtolorum omnium diligentiæ ac laboribus. Nam id arrogantius dictum cenſeri potuiſſet: nec ita erat manifeſtum, quemadmodum illud, quod de laborum fructu diximus. Hic enim omnium oculis erat expoſitus. Quanquam alioqui dubium eſſe vix poteſt, quin Paulus laborum ac moleſtiarum, quas in munere ſuo obeundo ſuſcepit, multitudine ac magnitudine quemvis ex Chriſti apoſtolis ſuperarit. Quod facile conceſſerit is, qui tum ea, quæ in actis de ipſo leguntur, tum ea, quæ ipſemet de ſe in poſteriori ad Corinth. Epiſtola c.6, & inprimis 11 ſcribit, conſiderarit. Sed veriſimile eſt, hoc loco apoſtolum vocem *omnium* συλλητικῶς ſeu collective, ut loquuntur, non διαιρετικῶς ſeu diſtributive, uſurpare, hoc eſt, de omnibus apoſtolis ſimul junctis loqui, non de ſingulis ſeorſim conſideratis. Etenim apoſtoli cæteri circa unam gentem Judaicam ſatis contumacem fere tantum ad id uſque tempus fuerunt occupati; Paulus circa gentes potiſſimum exteras, quæ ad euangelium recipiendum Judæis fuerunt proniores.

Verſ. 11. Enumeratis ſigillatim effectis ac teſtimoniis reſurrectionis Chriſti; tandem ea in unam veluti ſummam colligit, dum ita inquit: *Sive ergo ego, ſive illi, ita prædicamus, & ita credidiſtis.*

Particula *ſive*, prope eandem vim habet hoc loco, quam particula *&*, ſeu *tum*; quaſi dicat, tum ego, tum illi; quemadmodum etiam ſupra cap. 13. 8. Quanquam conjicere licet, ideo apoſtolum & hoc & ſuperiori loco ea uti maluiſſe, quam vocula *&*, aut alia ſimili, quæ copulativa tantum eſſet, non diſcretiva: quia hoc quidem loco proxime de diverſitate dignitatis inter ſe & reliquos apoſtolos locutus fuerat, & partim ſeſe illis longe poſtpoſuerat, partim etiam præpoſuerat. Quare verborum illorum, de quibus agimus, ea videtur vis, quaſi dictum eſſet: omnes ergo, qualeſcunque cæteroqui ſimus, quæcunque inter nos ſit dignitatis differentia, in eo tamen convenimus, quod Chriſtum reſurrexiſſe prædicamus. In loco autem ſuperiori 1 Cor. 13. 8, ſimiliter indicare videtur, dona illa, de quibus loquitur, utut dignitate inter ſe differant, nihilominus tamen omnia abolitum iri.

Cur vero hic apoſtolus denuo aſſerat, Corinthios ita credidiſſe, facile intelligi poteſt ex iis, quæ verſ. 1 dicta ſunt, cum de iis ageremus verbis: *quod etiam recepiſtis.*

Et hæc quidem de fundamento argumentationis apoſtolicæ. (a) Sequitur, ut videamus, quomodo ſuper hoc fundamento, ita jacto ac firmato, argumentationem ſuam extruat apoſtolus, & reſurrectionis noſtræ veritatem confirmet. Hoc vero facit verſ. 12 & ſeqq. uſque ad finem 23. Quanquam illi ſuæ argumentationi quædam interſerit, quæ ad ipſum ejus fundamentum, quod hactenus firmaverat, ſtabiliendum faciunt: quod tum apparebit, cum verba ordine conſiderabimus.

(b) Animadvertendum autem eſt, primum, apoſtolum, quemadmodum alii ante nos obſervarunt, hoc loco non niſi de fidelium reſurrectione revera agere; nulla habita ratione impiorum, qui reſurrecturi ſint: propterea quod illud inſtituto ipſius vere ſerviat, atque ad id abunde ſufficiat. Ita autem ſe rem habere, tum inprimis apparebit, cum probabit apoſtolus, reſurrectionem omnino fore: quemadmodum etiam ex illis, quæ de corporibus, in quibus reſurrecturi ſimus, ab eo differentur verſ. 20, & ſeqq.

Deinde & illud animadvertendum eſt, ita apoſtolum reſurrectioni Chriſti noſtram reſurrectionem ſuperſtruere, verſ. 42, & ſeqq. ut licet de actu ipſo reſurrectionis ſemper loqui videatur, primo tamen loco magis ad ejus poſſibilitatem reſpiciat; poſtea demum actum ipſum apertius probet. Etſi enim in toto hoc ſermone Paulus reſurrectionem certo futuram demonſtret; tamen argumentum, prout ab eo primum proponitur, poſſibilitatem rei magis demonſtrat, propterea quod, ut ex ſecunda hujus capitis parte apparebit, apud Corinthios de poſſibilitate rei potiſſimum dubitabatur. Itaque ea demonſtrata, nihil propemodum reſtabat ſcrupuli, quo minus reſurrectionem fidelium omnino futuram crederent. Unde conſequitur, id argumentum, quod poſſibilitatem reſurrectionis probat, etiam ad actum illius probandum merito referri potuiſſe. Nos ergo videamus; primum quomodo apoſtolus ex reſurrectione Chriſti probet, reſurrectionem mortuorum poſſibilem eſſe. Deinde quomodo ex eadem demonſtret, fideles omnino reſurrecturos.

Verſ. 12. Argumentum prius bis exponit atque confirmat: primum verſ. 12, & ſeqq. deinde verſ. 16, & ſeqq. uſque ad finem 20. Et primum quidem affirmative id proponit, deinde negative: ſeu, cum utrobique hypothetico utatur ſyllogiſmo, primum progreditur ab affirmatione antecedentis ad affirmationem conſequentis; ſecundo autem loco a negatione ſeu remotione conſequentis ad remotionem antecedentis. Ita enim primo ait: *Si vero Chriſtus prædicatur, quod ex mortuis reſuſcitatus eſt, quomodo dicunt quidam inter vos, quod reſurrectio mortuorum non eſt?* Quibus verbis propoſitio argumentationis continetur. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet: Si Chriſtus reſurrexit, reſurrectio mortuorum omnino datur. Cui propoſitioni ſtatim ejus probatio annectitur a contrario, iſtis verbis verſ. 13: *Si vero reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus* &c. Ubi particula ℵ poſita eſt pro ℌ. Sententia aſſumtionis continetur verſ. 14, ubi probatio quoque ejus additur, & ex ſuperioribus quodammodo repetitur: *Si vero Chriſtus non reſurrexit, vana eſt prædicatio noſtra*, &c. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet: atqui Chriſtus eſt reſuſcitatus. Nam alioqui va-

(a) *Membrum II.* (b) *Apoſtolus in hoc capite tantum de reſurrectione piorum loquitur.*

na esset prædicatio nostra, vana fides vestra: hoc vero absurdum: ergo & illud.

Structura argumentationis apostolicæ visa, ipsa nunc verba propius inspiciamus. Dicit ergo: *Si Christus prædicatur*, seu, si de Christo prædicatur, *quod ex mortuis sit resuscitatus*, *quomodo dicunt quidam* &c. Utitur particula *si*, non quia res apud ipsum sit dubia; sed more omnium, qui hypothetice argumentantur.

Cum autem dicit, de Christo prædicari, quod ex mortuis sit resuscitatus, perinde est, si scopum orationis spectes, ac si dixisset: Si, quemadmodum a nobis prædicatur, Christus ex mortuis resuscitatus est; ita ut in verbo *prædicatur* aliquo modo repetatur id argumentum, quo huc usque apostolus resurrectionem Christi asseruit, nempe tum suum, tum aliorum, & quidem apostolorum inprimis, testimonium.

Cum ait: *quomodo dicunt quidam inter vos*? hac interrogatione indicat, adeo manifeste ex resurrectione Christi resurrectionem mortuorum probari, ut nemo ausurus sit, vel saltem nemo audere debeat id negare; & admodum temerarios eos esse judicandos, qui id inter Corinthios inficiari ausi sint. Quod cur asserat apostolus mox videbimus.

Quomodo accipiendum sit, quod apostolus hoc loco asserit, *resurrectionem mortuorum esse*, quatenus ejus contrarium refellit, paulo ante explicatum est.

Cum porro dicit; *si vero resurrectio mortuorum non est*, ℵ pro ℌ positum esse supra monuimus: cujus rei exemplum habes inter alia Phil. 1. 23. His verbis quia propositio argumentationis apostolicæ seu consequentia, ut vocant, continetur; videamus nunc, quæ illius sit ratio, & cur apostolus adeo constanter asserat, si Christus resurrexit, resurrectionem mortuorum omnino esse.

(a) Ratio vero facile patet, si illud consideraveris, quod supra monuimus, hic id revera ab apostolo agi, ut probet, resurrectionem mortuorum dari, seu, eam possibilem esse. Jam vero quis non videt, si Christus ex mortuis resurrexit, eam possibilem esse? Posito enim certo singulari, speciem aut genus poni omnino necesse est. Et quia par est cæterorum ratio, quod ad possibilitatem rei attinet; si Christus resurrexit, cæteri etiam homines resurgere possunt. Eadem enim Christi, quæ nostra, natura fuit. Et hoc apostolus in sua argumentatione tacite pro concesso sumsit, tanquam omnibus manifestum.

(b) Itaque illi vim argumentationis apostolicæ non parum labefactant ac convellunt, qui Christo, præter humanam, divinam tribuunt naturam, cujus vi is resurrexerit, sive seipsum ex mortuis resuscitaverit, & ob quam impossibile fuerit eum a morte teneri: cujus naturæ sive essentiæ ne vestigium quidem in nobis apparet. Unde quanta inter nos & Christum, quod ad resurrectionem attinet, diversitas, quantaque imparitas foret, quivis animadvertit. Quare, sententia illa posita, consequentia argumentationis apostolicæ non injuria negari olim potuisset, hodieque posset.

(c) Deinde etiam illi vim argumentationis apostolicæ convellunt, qui in iisdem numero corporibus nos aliquando resurrecturos statuunt, alioquin ne resurrecturos quidem. Quodsi admittatur, quanta inter nos & Christum foret imparitas, ratione habita possibilitatis? præsertim si consideres, quid quosdam ex Corinthiis potissimum impulerit, ut ea de re dubitarent. Apparebit autem infra initio secundæ partis hujus capitis, vers. 35, ideo eos resurrectionem in dubium vocasse, quod putarent, corpora nulla futura, in quibus resurgerent; cum hæc, quibus nunc circumdati sumus, interire, ac in nihilum redigi manifeste videamus. Atqui Christi corpus, in quo resurrexit, incorruptum remanserat. Quomodo ergo ex eo, quod Christus ex mortuis resurrexit, spiritu ipsius in pristinum suum habitaculum adhuc incorruptum remigrante, sequitur, nostrum etiam spiritum reversurum in eadem illa, quæ nunc habeamus, corpora, cum ea interire, & in mille formas mutari videamus? aut quo pacto ex resurrectione Christi patet, corpora hæc eadem numero, postquam eorum forma ac substantia propria interierit, denuo extitura? Certe tantum abest, ut hæc consequentia ita sit manifesta, quemadmodum apostolus suam esse indicat, ut nihil possit dici magis dubium. Nam si dicas, materiam nihilominus corporum nostrorum manere perpetuo superstitem, materiam, inquam, primam; id ad identitatem illam, quam vulgo statuunt, corporum humanorum nequaquam sufficit; cum eadem illa materia nunc hanc, nunc illam formam substantialem sustinere queat. Sic fieri potest, ut materia certi alicujus hominis, fiat materia corporum aliorum, sive inanimatorum sive animatorum, nempe plantarum, aut animalium, aut denique ipsorum hominum: quæ tamen corpora eadem numero, habita ratione formæ, nemo dixerit. At vero si statuas, alia olim corpora, & quidem, ut infra videbimus, spiritualia ac cælestia, spiritibus his nostris, quibus vivimus, adjungenda esse, & eo pacto nos resurrecturos; nihil est, cur de veritate consequentiæ quam apostolus nectit, quicquam dubitemus. Neque enim minus facile est Deo, spiritum nostrum circumdare spirituali ac cœlesti corpore, quam eum mortuo seu inanimato corpori humano denuo inserere: imo illud credibilius videri potest, quod ad rei ipsius possibilitatem attinet: cum spiritus hic noster, quo vivimus, ipse quoque cælestis sit originis, ac proinde cum cælesti ac spirituali corpore facilius quam cum terreo ac crasso conjungi posse videatur.

Neque vero illud scrupulum hic cuiquam movere debet, ut de propositione argumenti apostolici dubitet, quod Christus tertia, postquam interemptus fuit, die e mortuis fuerit excitatus; cæteri vero fideles, atque inprimis ii, qui multis ante seculis e vivis excesserunt, in morte diutissime detineantur. Neque enim, si rem rectius perpendas, ulla causa est, cur magis Christus resuscitari a Deo potuerit, quam hi, qui multis ante seculis, imo etiam annorum chiliadibus, e vivis excesserint; eo præsertim jam constituto, quod ad resurrectionem nostram hoc eodem, quo nunc induti sumus, corpore opus non sit. Vel enim ideo hic scrupulus aliquem urere posset, quod tanto temporum intervallo, ac seculorum tractu, multa intervenire possint, quæ spiritibus nostris noxam aut interitum afferant; vel ideo, quod corpora nostra non tantum interitum subeant, sed etiam in mille interea formas mutentur. Sed prius vim nullam habet, si consideres, quemadmodum Christus spiritum suum Deo com-

(a) *Quomodo ex resurrectione Christi inferri possit resurrectio mortuorum.* (b) *Et 1 eorum, qui Christum vi naturæ suæ divinæ resurrexisse dicum.* (c) *Et 2 eorum, qui putant, ea ipsa, quæ nunc habemus, resurrecturæ esse corpora.*

mendavit, inque illius manus fideliſſimas depoſuit; ita nos quoque in Chriſti, & per eum in ipſius Dei manus eoſdem deponere, & cuſtodiendos ei committere. Non vero minus poteſt Deus ac Chriſtus, per multa ſecula multaque annorum millia, ſpiritus, quos cuſtodiendos ſuſcepit, aſſervare, & ab omni noxa ſalvos immuneſque præſtare, quam, non dicam, per triduum, ſed per unam horam aut temporis punctum. Quare nulla ſpiritibus noſtris in Dei manu poſitis noxa metuenda eſt; nec ulla ex diverſitate temporis inter nos & Chriſtum oritur imparitas, quæ in reſurrectionis ratione ullum habeat momentum. Poſterius, nempe quod corpus noſtrum interitum variaſque mutationes ſubeat, nullum habere pondus, jam oſtenſum eſt; ſiquidem aliis nos corporibus induemur. Quare invictum manet robur conſecutionis ſeu propoſitionis agumenti apoſtolici, & validiſſime reſurrectio mortuorum reſurrectioni Chriſti ſuperſtruitur. Quomodo autem poſita corporum diverſitate nos nihilominus iidem futuri ſimus, de eo dicetur infra, cum de natura & conditione corporum agetur, quæ in reſurrectione adipiſcemur.

Verſ. 14. Sed jam videamus etiam illa verba, quibus ſententiam minoris, ejuſque probationem ab abſurdis petitam complectitur apoſtolus. (*a*) Ait ergo: *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt prædicatio noſtra:* Hoc primum eſt abſurdum, nempe, quod falſa eſſet futura prædicatio ac doctrina univerſa apoſtolorum. Id vero propterea jure affirmatur, quia univerſa ipſorum doctrina totaque religio Chriſtiana ab illis prædicata, nititur reſurrectione Chriſti, tanquam fundamento; quo ſublato, nemo vel olim dubitabat, vel hodie dubitat, quin ea falſa ſit, quandoquidem ipſe Chriſtus, ſe tertia die reſurrecturum affirmavit, ſeque Chriſtum illum Dei, qui populo divino gubernando, & perpetuis ſeculis regendo, ſupremaque felicitate donando, deſtinatus ſit, eſſe aſſeruit: cujus rei fides ac confeſſio, pro capite, ac ſumma quadam fidei & profeſſionis Chriſtianæ, ſemper fuit habita. Unde tum demum per baptiſmum homines olim Chriſto ſolebant initiari, cum id ſe agnoviſſe teſtarentur, vide Act. 8. 37. Hoc vero ſine reſurrectione Chriſti quî conſiſtere poſſet? Taceo alia, quæ in religione Chriſtiana continentur, ea præſertim, quæ ad fidem in ipſo Chriſto collocandam, ad ipſius adorationem, ad nominis ipſius invocationem ſpectant, quæ reſurrectione Chriſti ſublata, nullum plane haberent locum.

2. Hinc ſequitur alterum abſurdum, quod apoſtolus ſtatim ſubjungit: *vana vero etiam fides veſtra.* Si enim doctrina apoſtolorum vana eſſet; vana etiam eſſet fides eorum, qui illam ſuiſſent amplexi, hoc eſt, & falſa foret, & porro etiam infructuoſa. At neutrum horum poterant admittere Corinthii, ſed utrumque in abſurdiſſimis rebus ponere cogebantur: cum tot tam validis tamque evidentibus argumentis prædicationem apoſtolicam confirmatam vidiſſent, & in ſeipſis adhuc apertiſſima veritatis iſtius documenta & ſentirent, & cernerent; nempe admirabilia illa ſpiritus ſancti dona, quibus locupletati erant: quemadmodum ex compluribus hujus epiſtolæ locis apparet, maxime autem ex cap. 1, & 12, & 14.

3. Tertium abſurdum, quod tamen cum primo magnam habet affinitatem, ſubjungitur verſ. 15, cum ait: *reperimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtati ſumus* (hoc eſt, fuiſſemus) *adverſus Deum* (vel, ut alii volunt, *de Deo*) *quod reſuſcitarit Chriſtum, quem non reſuſcitavit, ſiquidem mortui non reſuſcitantur.* Vicinum, ut dixi, hoc abſurdum eſt primo; ab eo tamen nonnihil differt, & aliquid ei addit ponderis. Differt eo, quod ibi non tam ad promulgationem ipſius reſurrectionis Chriſti reſpiciatur, quam ad prædicationem religionis Chriſti, reſurrectioni ipſius ſuperſtructam: hoc vero loco de promulgatione ac teſtificatione ipſius reſurrectionis Chriſti, ab apoſtolis facta, & quidem ſola ſermo eſt.

Deinde eo quoque differt hoc abſurdum a priori, eique aliquid adjicit; quod ibi ſimpliciter tantum error ac falſitas doctrinæ apoſtolicæ ex hypotheſi falſa concluditur; hic vero crimen, & quidem graviſſimum, quod commiſſuri fuiſſent apoſtoli, ſi Chriſtus non reſurrexiſſet, ex ea deducitur. Ait enim ſe cæteroſque apoſtolos fore teſtes falſos, & quidem ejuſmodi, qui adverſus ipſum Deum auſi fuerint falſum teſtari. Atrox per ſe crimen eſt, falſum teſtimonium dicere, etiamſi in hominem tantum dicatur: quantum ergo quamque atrox cenſendum, ſi dicatur in Deum ipſum?

Significat autem hoc loco apoſtolus, non poſſe hoc errori imputari, quod Chriſtum reſurrexiſſe aſſeruerint, ſi id falſum eſſet; quandoquidem illi teſtimonium proprie ſic dictum ea de re ediderint, ſeque oculorum ipſorum fide, rem ita ſe habere, comperiſſe ac deprehendiſſe conſtanter affirmaverint. Quare ſi aliter ſe res habuiſſet, omnino neceſſe fuiſſet, eos id totum confinxiſſe, & impudenter mentitos fuiſſe; quia adverſus id, quod verum eſſe ſcirent, loqui fuiſſent auſi.

Sed dicet aliquis, excuſabile hoc factum futurum; quandoquidem illi nihil hoc teſtimonio, etiamſi tandem falſum fuiſſet, Deo detraxiſſent; ſed potius tale quippiam, quod Deo gloriam conciliare poſſet, aſſeruiſſent. Sed longe aliter ſe res habet, ſi animum diligenter advertas; nec fruſtra apoſtolus aſſerit; ſe atque alios *contra Deum* teſtaturos fuiſſe, ſi res aliter ſe habuiſſet, quam ipſi affirmarent. Primum enim, ſi Deus Chriſtum a mortuis non reſuſcitaſſet, omnino ſequeretur, ipſum a Deo, quemadmodum aſſeruerat, miſſum revera non fuiſſe; quandoquidem doctrinæ ſuæ confirmandæ cauſa dixerat, ſe tertio die reſuſcitandum eſſe, indeque planum futurum, undenam ipſius tanta, quam uſurparet, autoritas ac poteſtas profecta eſſet Joh. 2. 18, 19. conf. Matth. 12. 39, & d. Ac præterea tum alias ſæpius, tum paulo ante mortem, ſeſe Chriſtum, ſeu illum ſingularem Dei filium eſſe, conſtanter affirmaverat, Matth. 26. 63, & d. & eam ipſam ob cauſam ad ſupplicium capitis damnatus fuerat. Patet ergo, ſi Chriſtus non reſurrexiſſet, divinamque illam poteſtatem, qua nunc potitur, adeptus non fuiſſet, omnia illa falſa futura fuiſſe, ipſumque pro ſeductore quemadmodum habitus fuerat, merito fuiſſe habendum, & religionem ab eo traditam pro falſa atque erronea reputandam. Quomodo vero contra Deum non teſtatur is, qui contra apertiſſimam ſibique notiſſimam veritatem, palam aſſerere, & conſtantiſſime aſſeverare audeat, Deum ſeductorem ejuſmodi ex mortuis exſuſcitaſſe, & porro Chriſtum ac Dominum feciſſe, & hoc pacto manifeſte docuiſſe, illius religionem omnibus hominibus amplectendam, & eum ipſum honore, qui cæleſti regi conveniat, colendum, ad ejus opem omnibus confugiendum eſſe, talem denique effeciſſe, a quo omnes ſempiternam ſalutem expectare debeant? Hoc enim non tantum adverſus divinam voluntatem fieret; ſed etiam ad divinam gloriam minuendam plurimum faceret, & grave crimen ipſi Deo impingeret, quaſi nimirum ſedu-

(*a*) *Abſurda ex negata reſurrectione mortuorum profluentia.*

ſeductorem excitaſſet, & ad tantam dignitatem extuliſſet, ac ſui eum regni participem reddidiſſet. Adde, quod Chriſti religio omnino allatura erat finem ac interitum Judaicæ, quæ a Deo fuerat inſtituta. Quare qui Chriſtianam religionem teſtimonio ſuo ſtabilire nitebatur, ſimul etiam, ſi modo ejus vim penitus intelligeret, Judaicam aliquo modo abrogabat; vel ſaltem id faciebat, unde ejus abrogatio tandem eſſet conſecutura. Hoc vero non potuiſſet non eſſe Deo ejuſque voluntati adverſum, ſi Chriſti reſurrectio, & porro etiam religio, falſa fuiſſet. Quare utut in ſpeciem illi, qui reſurrectionem Chriſti affirmabant, Dei honorem aſſerere, atque adeo augere velle viderentur; revera tamen & Dei honorem minuere, & ejus voluntati penitus repugnare cenſendi eſſent, niſi Chriſtus revera fuiſſet a mortuis revocatus.

Verſ. 16. Vidimus hactenus, quomodo apoſtolus affirmative potiſſimum ex reſurrectione Chriſti, reſurrectionem mortuorum collegerit: videamus nunc, quomodo negative idem præſtet, &, ut ante diximus, a remotione conſequentis progrediatur ad remotionem antecedentis. Quam ad rem ſibi jam aditum paraverat ſub finem verſ. 15, ubi dixerat; *quem* ſcilicet Chriſtum, *non reſuſcitavit* ſcilicet Deus, *ſiquidem mortui non reſuſcitantur*. Hoc enim confirmaturus, ſeu mavis declaraturus, ſubjicit: *Si enim mortui non reſuſcitantur, neque Chriſtus reſuſcitatus eſt.* Et hæc quidem eſt Propoſitio argumenti.

Verſ. 17. Aſſumtionis ſententia, una cum probationibus a multiplici abſurditate ductis continetur verſ. 17 & ſeqq. duobus, ubi inquit: *Si vero Chriſtus non eſt reſuſcitatus, vana eſt fides veſtra, adhuc eſtis in peccatis veſtris. Ergo & illi* &c. quaſi dicat; Atqui Chriſtus reſuſcitatus eſt. Nam ſi reſuſcitatus non eſſet, vana foret fides veſtra, &c. At hoc abſurdum: Ergo & illud.

De veritate propoſitionis ſeu conſequentiæ jam ſatis antea dictum eſt, vide verſ. 12. De ſententia etiam Minoris nihil opus eſt amplius dicere. Sed de ejus probationibus ſeu abſurdis, quæ ſublata Chriſti reſuſcitatione conſequerentur, aliquid adhuc dicendum reſtat. Ea vero numero ſunt quatuor, quæ ſeſe ordine conſequuntur. (*a*) Quanquam de eorum primo, quod illis verbis continetur, *vana eſt fides veſtra*, itidem jam ante dictum eſt verſ. 14; ubi eadem probatio fuerat ad aſſumtionem argumenti confirmandam adhibita.

2. Secundem abſurdum eſt in illis verbis: *adhuc eſtis in peccatis veſtris*, hoc eſt, adhuc peccatorum veſtrorum reatu tenemini, ſeu peccata veſtra nondum vobis ſunt remiſſa, adhuc ad pœnam eorum ferendam eſtis obligati.

Hoc vero abſurdum duplici potiſſimum ratione ex hypotheſi, quam apoſtolus oppugnat, conſequitur: primum ita, ut ex priori abſurdo id cenſeatur pendere. Nam 1 ſi vana eſſet fides Corinthiorum, omnino illi adhuc in ſuis peccatis eſſent. Nam ſi peccata illis fuiſſent remiſſa, id non aliam ob cauſam factum fuiſſet, quam quia in Chriſtum credidiſſent, & doctrinæ apoſtolicæ fidem adjunxiſſent. Qua enim alia ratione Corinthii tantum Dei beneficium ſe conſecutos eſſe, perſuadere ſibi poterant? Nil certe aliud, præter religionem Chriſtianam, ipſorumque fidem, excogitari poteſt, quod illis tantum bonum attulerit. At vero ſi vana fuiſſet illorum fides, ſi falſa Chriſtiana religio, quam eſſent amplexi; quomodo illis ad remiſſionem peccatorum obtinendam prodeſſe potuiſſet? num fides vana quicquam poteſt ad rem tantam habere virium? certe vel hanc ipſam ob cauſſam vana non amplius eſſet, ſi rem tantam præſtare cuiquam poſſet.

2. Deinde immediate ex hypotheſi falſa, quæ ab apoſtolo oppugnatur, abſurditas hæc elici poteſt: præſertim ſi ſtatuas, remiſſionem peccatorum non niſi mortis Chriſti interventu obtineri potuiſſe, ſeu ex Dei decreto debuiſſe; id quod Paulus ſupra indicavit, dum dixit, Chriſtum pro peccatis noſtris eſſe mortuum. Jam vero & mors Chriſti nequaquam eam vim habitura fuiſſet, ſi Chriſti reſurrectio eam non fuiſſet ſubſecuta. (*b*) Duplici enim potiſſimum ratione mors Chriſti eam vim habere deprehenditur: qua utraque ſublata, vis ejus hac in parte omnis tollitur. Primum, quod Novum Fœdus, quo remiſſio peccatorum nobis promittitur, confirmarit ac ſanxerit, & ſic jus quoddam ad eam obtinendam nobis pepererit. Deinde quod Chriſto, ex divino decreto, eam pepererit poteſtatem, ut nobis reipſa peccata remittere, eorumque pœnas auferre a nobis poſſet. Quibus rebus etiam efficitur, ut nos ad conditiones, ſub quibus remiſſio peccatorum nobis in Fœdere Novo propoſita eſt, amplectendas ac præſtandas morte Chriſti adducamur. Jam vero ſi reſurrectio Chriſti mortem non fuiſſet conſecuta, neutrum iſtorum dictorum, quæ priori loco commemoravimus, quæque hic revera ſpectanda ſunt, ex morte ipſius fuiſſet profectum. Et de poſteriore quidem res per ſe eſt manifeſta. De priori dictum eſt ſat fuſe a nobis in diſputatione de Satisfactione Chriſti capite 1. Etſi enim ipſa quoque mors Chriſti, ſejuncta a reſurrectione & gloria eam conſecuta, vim quandam habuit ad doctrinam Chriſti confirmandam: ea tamen vis, ſi reſurrectio conſecuta non fuiſſet, evanuiſſet, & multitudine ac magnitudine earum rerum, quæ veritati religionis Chriſtianæ potuiſſent opponi, obruta penitus ac oppreſſa fuiſſet: ſiquidem, ut jam ſupra monuimus, Chriſtus aſſeruit, ſe tertia die reſurrecturum, ſeque Chriſtum, illum Dei filium, eſſe. Quare doctrina Chriſti tunc ſeipſam confeciſſet, & conſtantia ipſius, quam in morte, doctrinæ ſuæ aſſerendæ cauſa oſtendit, in extremæ pertinaciæ & inſaniæ cujuſdam argumentum fuiſſet tracta.

Prior ratio, qua abſurditas iſta ex hypotheſi falſa elicitur, ſimplicior eſt: ſed poſterior tamen non videtur a mente apoſtoli abhorrere, præſertim cum ab ipſo fere initio hoc præſtruxerit, Chriſtum pro peccatis noſtris eſſe mortuum; & nihil prohibet, quo minus ad utramque reſpexerit. Quod ſi tamen ad earum tantum unam reſpexiſſe eum contendas, ſatius eſt id, quod ſimplicius eſt, ſequi.

Semper autem id memoria tenendum eſt, quod ab initio ſtatim patuit, adverſus illos diſputare apoſtolum, qui religioni Chriſtianæ adhuc addicti eſſent, & ex ea fructum haud vulgarem, inprimis quidem peccatorum remiſſionem conſecuturos ſe eſſe ſperarent. Alias argumenta hæc invalida fuiſſent. Qui enim religionem veram eſſe non credit, ea quæ tanquam abſurda ponit apoſtolus, pro abſurdis non habet. Sed ii, cum quibus apoſtolo res erat, iis argumentis, quæ oculis adhuc ipſis ſubjecta erant convicti, veritatem Chriſtianæ religionis negare non poterant.

3. Verſ. 18. Tertium abſurdum continetur illis verbis: *Ergo & illi, qui obdormierunt in Chriſto, perierunt:*

(*a*) *Abſurda ex negata reſurrectione Chriſti profluentia.*

(*b*) *Quomodo Chriſtus pro peccatis noſtris ſit mortuus.*

hoc eſt, illi, qui cum fide in Chriſtum mortui ſunt, ſeu mortui ſunt Chriſtiani, æternum perierunt, de illis penitus eſt actum.

Hoc abſurdum ejuſmodi eſt, ut, ſive ex ipſa ſtatim hypotheſi falſa, quæ oppugnatur, ſive ex alterutro abſurdorum præcedentium id velis elicere, nihil erraveris. Nam ſi hypotheſin ipſam ſpectes; ſi Chriſtus non reſurrexit, quid de illis, qui eum ſequuntur, cenſendum erit? Si caput periit, quomodo ſalva eſſe poſſunt membra? Si vero primum abſurdum ex hypotheſi illa deductum conſideres; ſi vana eſt religioni Chriſti adhibita fides, quid eſt, quod illos, qui fidem eam ſunt amplexi, ab interitu ſempiterno vindicet? Unde enim illis liberationis a pernicie ſempiterna ſpes eſt, niſi ex fide in Chriſtum? Fides autem vana quomodo illos exitio eripere poteſt? Si vero ſecundum abſurdum ſpectes, patet, ſi Chriſtiani adhuc ſunt in peccatis ſuis, eos, ſi ita moriantur, omnino perituros. Peccati enim pœna mors ſeu interitus æternus eſt. Credibilius autem eſt, apoſtolum ex abſurdis iſtis, & quidem ex propiori, tertium hoc elicuiſſe, quam immediate ex ipſa falſa hypotheſi; ita, ut a prioribus abſurdis ad poſteriora progrediatur, eaque novis abſurdis exaggeret.

4. Verſ. 19. Reſtat quartum abſurdum; in quo proponendo tacitæ cuidam objectioni occurrit apoſtolus. Eſt autem ab eo his verbis expreſſum: *Si in iſta vita ſumus ſperantes in Chriſtum tantum, miſeriores omnibus hominibus ſumus.*

De tranſpoſitione vocis *ſolum*, jam ſupra monuimus verſ. 2. Ita enim ordinanda ſunt verba: *ſi in hac tantum vita ſperantes ſumus in Chriſtum*, &c. Neque enim hoc vult dicere apoſtolus, in hac vita non in ſolo Chriſto, ſed etiam in alio quopiam ſpem ponendam eſſe; ſed ſpem noſtram hujus vitæ terminis non claudi; ſeu, non ita nos in Chriſto ſpem noſtram ponere, ut ea tantum ab ipſo expectemus bona, quæ in hac mortali vita nobis contingant. Id enim ſi fieret, omnium hominum nos fore miſerrimos.

Hoc ergo, ut ad rem ipſam jam veniamus, quartum eſt abſurdum, quod ex negata Chriſti reſurrectione conſequitur, quod nos Chriſtiani eſſemus cæteris omnibus hominibus infeliciores ac miſeriores. Quod quomodo conſequatur, mox videbimus, ubi explicuerimus id quod ante monuimus, quomodo apoſtolus hic tacitæ occurrat objectioni. Potuiſſet nimirum aliquis ex iis, quibuſcum diſputat apoſtolus, adverſus id, quod proxime dictum eſt, excipere, nihil in eo abſurdi eſſe, ſi Chriſtiani homines, qui mortui ſint, jam periiſſe dicantur, ac de illis porro actum eſſe ſtatuatur: ſatis enim illos commodorum ac fructuum, præſertim ſpiritualium, ex Chriſtiana religione in hac vita retuliſſe, ita ut neminem pœnitere debeat ſuæ, quam Chriſto adjunxerit, fidei, etiamſi nulla poſt mortem reſtet felicitas. Oſtendit ergo apoſtolus, abſurdiſſime id aſſeri, &, ſi ex Chriſtiana religione non niſi ea ſperanda eſſent bona, quæ in hac vita illis contingunt, eos cæteris omnibus hominibus fore miſeriores: ac proinde nullam fore cauſſam juſtam, cur quiſpiam religionem eam amplecti debeat; ſed ſatius fore eam non amplecti.

Id vero eam ob cauſam affirmat apoſtolus, quia Chriſtiani homines, præterquam quod variarum voluptatum ac commodorum terrenorum uſus eis interdicitur, gravibus, iiſque longe maximis calamitatibus & afflictionibus, & denique morti triculentiſſimæ atque ignominioſiſſimæ, propter hanc ipſam religionem ſunt expoſiti, eaſque perpetuo metuere coguntur, atque adeò ſæpe re ipſa ea mala ſubeunt, a quibus cæteri homines vel immunes ſunt, vel ſaltem immunes eſſe poſſunt; cum ea, quæ naturali quadam ratione cæteris incumbunt, etiam Chriſtianis ſoleant eſſe communia; nec multum eos a cæteris hac in parte differre Deus voluerit. Quod ſi ergo nihil illis poſt mortem eſſet expectandum boni, quo eorum in hac vita calamitates, adde etiam aſperrimus ille labor, quem in colenda pietate ſuſcipiunt, compenſaretur, nonne deterior illorum, quam cæterorum hominum foret conditio?

(*a*) Dicet quiſpiam, dona illa ſpiritus ſancti, quæ olim dabantur fidelibus, ſatis compenſaſſe omnes illos labores, omnes illas moleſtias, quas Chriſtiana pietas ſecum afferat; imo etiam multis partibus ſuperaſſe. Quare non protinus conſequi, ſi reſurrectio mortuorum futura non ſit, Chriſtianos homines fore cæteris omnibus miſeriores.

(*b*) Reſpondemus primum: ſi hæc ratio vim haberet aliquam, eam non in omnibus, omnium præſertim ætatum, Chriſtianis vim habituram; ſed tantum in illis, quibus dona illa ſpiritus ſancti, eaque inſignia, contigerunt. Ea vero tantum viguerunt in primæva eccleſia, ob cauſas, quæ alibi a noſtris explicantur, & ne in primæva quidem eccleſia omnibus prorſus fidelibus contigerunt. Quare ad Chriſtianos generatim nihil iſta ratio pertinet.

Sed deinde, etiamſi donum illud ſpiritus ſancti ſit fueritque olim præſtantiſſimum; tamen cum non adimat acerbiſſimum illum calamitatum ac cruciatuum ſenſum, quos Chriſtiani homines ipſius religionis cauſſa tolerare coguntur, non poteſt compenſare miſeriam illam, cui Chriſtiani præter cæteros mortales, & olim fuerunt, & hodie ſunt ſubjecti. Quare nec efficere poteſt, quominus illi cæteris mortalibus miſeriores cenſeantur. Tanto autem minus id poteſt præſtare, reſurrectionis vitæque ſempiternæ ſpe ſublata, quod eatenus potiſſimum ſpiritus ſanctus ſenſum dolorum ac cruciatuum, quos homines Chriſtiani perferre coguntur, minuit, quatenus arrha quædam eſt & pignus felicitatis futuræ, ejuſque certam ſpem animis noſtris inſerit. Hac ergo ſpe ſublata, quantum illi putamus fore virium, ad tormentorum exquiſitiſſimorum ſenſum mitigandum, & terrorem mortis tollendum? Quin imo tanto graviorem neceſſe eſt, morte jam ante oculos verſante, dolorem in eorum animis naſci, qui pluribus ac majoribus divini ſpiritus muneribus fuerint aucti, quod ea una cum vita, ſine ulla compenſationis ſpe relinquere cogantur. Atque in hac objectione ad eum, quo fecimus modum, ſolvenda ipſe nobis apoſtolus aliqua ratione præivit Rom. 8. 22, & d. Docet enim ibi, Chriſtianos homines quos creaturæ, nempe novæ, nomine intelligit, nequaquam in præſenti hoc ſuo ſtatu acquieſcere ob ſervitutem corruptionis, hoc eſt, & afflictionum variarum, & mortis ipſius, cui ſint ſubjecti: ſed omnes ſub tanto malorum onere gemere, & ad aliam felicitatem ſuſpirare. Et, ne quis forte putet, vulgares tantum Chriſtianos, qui eximiis ſpiritus ſancti muneribus aucti non ſint, ita gemere ac ſuſpirare; cæteros autem, qui primas ac veluti potiores illius ſpiritus partes acceperint, quales erant apoſtoli & prophetæ, illorum malorum ſenſu non tangi, & in hac ſua conditione acquieſcere, ſeque ſatis jam beatos cenſere: illos ipſos quoque apoſtolos divini ſpiritus munere præ cæteris auctos, hac in

(*a*) *Objectio.* (*b*) *Reſponſio.*

parte

parte cæteris Chriſtianis ſimiles eſſe docet. Cum enim ita dixiſſet verſ. 22: *ſcimus enim, quod omnis creatura* (nempe nova) *ſimul ſuſpirat, & ſimul parturit*, ſeu inſtar parturientium dolet, *ad hoc uſque tempus*; ſubjicit: *Non ſolum autem, ſed etiam ipſi, qui primitias ſpiritus habemus, & nos ipſi*, i. e. nos, inquam, ipſi, *in nobis ipſis ſuſpiramus, filiorum adoptionem expectantes, redemtionem corporis noſtri. Spe enim ſervati ſumus*, hoc eſt, nondum reipſa beati ſumus, ſed ſpe tantum bono illo noſtro perfruimur. Quare nequaquam in hoc noſtro ſtatu, quo nunc fruimur, acquieſcere poſſemus, niſi alius reſtaret felicior. Loquitur autem illic de ſuo & Chriſtianorum cæterorum ſtatu, quatenus ab aliorum hominum conditione diverſus eſt, quemadmodum tum occaſio ejus ſermonis, ejuſque initium oſtendit, tum illius finis, ſeu id quo poſtea ſermonem ſuum deducit. Videatur verſ. 17 & 18, & conferatur cum verſ. 26, & ſeqq. Eodem pertinet & locus huic admodum ſimilis apud eundem apoſtolum 2 Cor. 5. 2. & ſeqq. ubi ita loquitur: *In hoc* (ſcilicet domicilio) *ſuſpiramus, domicilio noſtro, quod ex cælo eſt ſuperindui cupientes.* Et paulo poſt: *nam exiſtentes in tabernaculo iſto ſuſpiramus gravati: quandoquidem nolumus exui*, (id eſt, mori depoſitis hujus corporis exuviis) *ſed ſuperindui, ut abſorbeatur iſtud mortale a vita*: de quibus verbis aliquid fortaſſis dicemus infra in ſecundo hujus cap. membro. Adde, quod Paulus tum infra hoc capite, tum ad Philipp. cap. 1 oſtendit, ſibi ipſi utilius eſſe mori cito, quam diutius vivere: quod non potuiſſet ab eo dici, ſi ſpiritus ſancti donum, quo ille copioſiſſime perfuſus atque imbutus erat, ſua præſtantia, & voluptatis divinioris ſenſu ſuperaſſet, vel ſaltem compenſaſſet vim malorum, quæ idem in mortali hoc corpore ſuſtinebat. Et illud quidem Paulus aſſerit, poſita ea ſpiritus ſancti vi, quæ omnium præcipua eſt, nempe quod ſit arrhabo futuræ illius hæreditatis, quemadmodum in loco dicto 2 Cor. 5. 5 paulo poſt oſtendit. Quid ergo ſtatuendum eſſet, hac vi penitus ſublata? Neque enim eſt, quod dicas, ideo Paulum putaſſe ſatius eſſe citius mori, quia tanto celerius cæleſtibus eſſet perfruiturus gaudiis. Id enim, ut videbimus, cum iis pugnat, quæ hoc ipſo cap. docet infra verſ. 30, & ſeqq.

Antequam hinc abeamus, illud adhuc notari volumus, Paulum non tantum conſecutionem argumenti ſui, ex reſurrectione Chriſti ducti, probare; verum etiam illud ipſum argumentationis ſuæ fundamentum, hoc eſt, Chriſti reſurrectionem, confirmare, idque iis argumentis, quæ ad ipſam quæſtionem principalem decidendam haud difficulter accommodari queunt. Nam quod ſupra dixit, *ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt prædicatio noſtra; vana fides veſtra*, &, quod poſtea verſ. 17, & duobus ſeqq. adjicit, *adhuc eſtis in peccatis veſtris: ergo & ii, qui obdormierunt in Chriſto, perierunt*; & quæ ſequuntur: Hæc inquam, omnia ad ipſam reſurrectionem mortuorum referri queunt; ut quivis per ſe animadvertit. Sententiam certe eorum, quæ verſ. 19 dicuntur, expreſſit apoſtolus infra verſ. 32.

Vidimus huc uſque quo pacto apoſtolus ex Chriſti reſurrectione illud potiſſimum demonſtrarit, reſurrectionem dari, ut in ſcholis loquuntur, ſeu eam eſſe poſſibilem: videamus nunc, quomodo ex eadem probet, eam omnino futuram.

Verſ. 20. Vis argumenti inprimis eſt expreſſa ℣. 20, & poſtea illuſtratur, atque aliqua ratione confirmatur verſibus tribus ſeqq. Ita enim inquit verſ. 20: *Nunc autem Chriſtus reſuſcitatus eſt ex mortuis, primitiæ eorum, qui obdormierunt, factus eſt.*

Ubi antequam argumenti vim, & verborum iſtorum cum ſuperioribus nexum conſideremus, illud breviter notandum eſt, ſi lectio Codd. Græcorum vulgatorum, quam nos expreſſimus, omnino ſit retinenda, in verbis his ἀναστασις eſſe. Decrit enim particula &, ante vocem *primitiæ*, ut ſenſus ſit: *nunc autem Chriſtus reſurrexit ex mortuis, &* (ſeu eaque ratione) *primitiæ eorum, qui obdormierunt, factus eſt.* Sed vulgata editio Latina verbum ἐγήγερται, factus eſt, non legit: quæ lectio ſi retineatur, ἀναστασις eſt nullum, ſenſu eodem manente. Quod ſi pro ἐγήγερται legeretur ἐγηγερμένος, omnia optime quadrarent. Sed quia ſenſus ſemper eodem recidit, minus ea de re laborandum eſt. Quare ad rem ipſam potius accedamus: & primum de verborum iſtorum cum præcedentibus nexu, tum deinde de vi argumenti dicamus.

Ad nexum quod attinet, is hujuſmodi eſt: Dixerat apoſtolus proxime, nos, ſi hujus vitæ tantum ratione in Chriſto ſpem collocemus, omnium hominum miſerrimos fore. Nunc ſubjicit, hoc abſurdum nobis nunc metuendum non eſſe; quandoquidem aliter ſe res habeat, quam in ea hypotheſi, ex qua abſurdum illud ſequitur, fuerat dictum. Chriſtum enim reſurrexiſſe, eaque ratione mortuis ad vitam iter patefeciſſe. Voces enim illæ, *nunc vero*, non temporis ſignificationem habent, ſed idem ſignificant quod *atqui*, quo pacto ſumuntur etiam alibi, ut ſupra cap. 7. ℣. 14, quaſi dicat apoſtolus: atqui non ita ſe res habet; quandoquidem Chriſtus ex mortuis reſuſcitatus eſt, & hac ratione primitiæ eorum, qui obdormierunt, eſt factus.

Vis argumenti, ſeu nexus inter Chriſti reſurrectionem & noſtram, (ut ad poſterius, quod propoſuimus, accedamus) continetur voce *primitiarum*, quæ ſimilitudine quadam rem illuſtrat. Quam antequam explicemus, illud prius conſiderandum eſt, quod vox iſta manifeſte præfert, nempe, Chriſtum primum fuiſſe, qui ex mortuis reſurrexit: qua de cauſa alibi primogenitus ex mortuis appellatur, partim ab eodem apoſtolo, ad Coloſſ. 1. 18; partim a Johanne Apoc. cap. 1. 5. Cum vero manifeſtum ſit, & prophetas olim, & ipſum Chriſtum quoſdam ex mortuis reſuſcitaſſe; ut de illis taceam, quorum corpora Matthæus ſcribit reſuſcitata eſſe tum, cum motus terræ fieret, ſimul ac Chriſtus in cruce exſpiraſſet Matth. 27. 52, apparet, hic non de reſurrectione quavis, atque adeo etiam de ea, quam mors denuo ſequatur, ſermonem eſſe; ſed de ea, quæ quidem ſit quaſi introitus ad vitam immortalem, ſive hanc ſtatim ſecum afferat, quemadmodum fidelibus aliquando continget, ut infra audiemus, verſ. 52; ſive illam non multo poſt, ut Chriſto contigit, allatura ſit.

Sed jam metaphoram ac ſimilitudinem, quæ huic voci ſubeſt, quæque nobis vim argumenti illuſtrat, conſideremus. Neque enim vis argumenti in ipſa hac ſimilitudine conſiſtit; ſed in convenienti quadam inter nos & Chriſtum analogia ſeu proportione. Itaque etiamſi ſimilitudinem hanc removeas, nihilominus vis argumenti conſiſtet immota. Notum autem eſt, Primitiarum nomine intelligi ſolere inter alia primas fruges, ſeu primum manipulum ex frugibus demeſſum, ac poſtmodum Deo oblatum. Quarum quidem primi-

tiarum

tiarum hæc vis erat, ut cum Deo jam oblatæ ac penitus conſecratæ eſſent, etiam reliquas omnes fruges, ex quibus demeſſæ fuerant, veluti conſecrarent, ac puras & ad humanum uſum, ut ita dicam, licitas redderent. Antequam enim primitiæ offerrentur, Iſraelitis haud licebat frugibus veſci, adeo ut ad illud uſque tempus, comeſtionis habita ratione veluti impuræ cenſerentur Levit. 23. 10, & ſeqq.

Similiter jam cogitandum eſt de Chriſto, & iis, qui ſunt Chriſti; de quibus hic apoſtolum agere jam ſupra monuimus, & tum res ipſa, tum ea quæ paulo inferius dicentur ab apoſtolo, docent. Antequam enim munus hic, ut ita dicam, manipulus, nempe Chriſtus, ex toto fidelium, qui obdormierunt, aut in poſterum obdormiiſſent, cumulo ac meſſe ſumtus, per reſurrectionem penitus Deo oblatus ac conſecratus eſſet, cæteri omnes mortui, quodammodo impuri cenſebantur[1], atque a Deo alieni; vel ſaltem cenſeri potuiſſent, niſi Chriſtus reſurrexiſſet. At poſtquam Chriſtus per reſurrectionem Deo oblatus eſt, & nunc ipſi, ut apoſtolus alibi loquitur Rom. 6. 10, vivit, omnes reliquos, qui ad ipſum pertinent, & ejuſdem quodammodo ſunt cum eo generis, quemadmodum meſſis reliqua cum primitiarum manipulo, conſecravit, & ad meſſem veluti comparavit. Conſecrati autem nequaquam eſſent, nec ulla eorum meſſis reſtaret, ſi ex mortuis reſurrecturi non eſſent.

(a) Sed dices; unde conſtat eodem modo ſeſe habere Chriſtum ad fideles ſuos mortuos, quo ſeſe habent primitiæ ad reliquam meſſem; ſeu, ut clarius dicamus, quomodo ex eo, quod Chriſtus reſurrexit, conſequitur, ejus fideles quoque ex mortuis reſurrecturos? Reſpondemus, 1 inde id conſtare, quod Chriſtus, religionis noſtræ ac pietatis in ea præſcriptæ dux, omnes homines ſeſe ſequi, & eandem vitæ ac pietatis rationem ingredi voluit, promittens fore, ut ad eandem felicitatis metam perveniant, ad quam ipſe pervenerit, vide Joh. 12. 26. Quare cum is ad reſurrectionem atque immortalem vitam ea via, quam cæteros quoque ingredi juſſit, penetraverit; conſequitur, eos quoque omnes, qui veſtigia ipſius fuerint ſequuti, eodem perventuros. 2. Et ſane id ipſum divinæ benignitatis atque æquitatis ratio quodammodo poſtulabat, ita ut, etiamſi tam aperta Chriſti hac de re promiſſio non extaret, tamen id ex re ipſa non obſcure colligi poſſet. Etenim cum Chriſtus adeoque ipſe Deus voluerit, ut inter nos & ipſum ratione officii ac laborum eſſet ſimilitudo ac proportio, eaque non exigua, ſed valde inſignis: conveniens erat divinæ æquitati, ut etiam ſimilitudo eſſet ac proportio inter nos & illum ratione præmii. At quæ proportio foret, quæ ſimilitudo, ſi cum Chriſtus reſurrexiſſet, eaque ratione felicitatem ſempiternam, quod bonum infinitum eſt, adeptus eſſet, nos in æternum periremus, a morte penitus abſumti; & patientiæ noſtræ, quæ in morte acerbiſſima ſuſtinenda cernitur, nullum referremus fructum, ob quam tamen Chriſtus vel inprimis ad ſupremam felicitatem ac gloriam pervenit. Certe niſi hac æquitate in præmiis diſtribuendis uti voluiſſet Deus, tam duram nobis legem figere vix ac ne vix quidem decuiſſet; nec id impetrare atque obtinere, quod volebat, potuiſſet: quemadmodum ex iis, quæ infra dicentur verſ. 30, & ſeqq. conſtabit. At nunc, reſurrectione etiam fidelium ad vitam ſempiternam poſita, egregiam videmus inter nos & Chriſtum, ut in pietate, atque adeo labore, ita etiam in pietatis ac laboris præmio proportionem atque analogiam. (a) Chriſtus enim, quia nobis in via ſalutis præiit, & primus, ut ita dicam, hanc glaciem fregit, tamque aſperum ac ſalebroſum ſalutis iter nobis muniit & veſtigiis ſuis notavit, ut eo facilius eam conſequi poſſemus; prior etiam ad ſempiternam felicitatem pervenit: ut quemadmodum pietatis exemplum nobis præbuerat, ita etiam ſpecimen felicitatis omnibus ſe ſequentibus in ſeipſo exhiberet, & ſic metam viæ tam duræ omnibus ſeculis oſtenderet. Hanc ergo ob cauſſam per tot ſecula ante nos omnes felicitate iſta perfruitur. Deinde quia non tantum tempore nos omnes anteceſſit, ſed etiam pietatis ac ſanctitatis gradu nos longe ſuperavit; ideo etiam gloriæ ac honoris dignitate longe nobis eſt præpoſitus. Similitudo tamen utrobique in re ipſa manet. Genus pietatis ac virtutis idem eſt: genus etiam felicitatis, ſeu mavis, ea felicitatis pars, quæ ſanctitati eſt propoſita, eadem eſt, nempe ſempiterna vita cum perenni gaudio conjuncta; quæ per reſurrectionem, aut per ejus vicariam corporum tranſmutationem eſt obtinenda. Quare cum Deus Chriſtum ducem noſtrum, a mortuis ad vitam æternam reſuſcitavit, omnibus ipſius veſtigia ſequentibus jus quoddam ad eandem reſurrectionem dedit, & ſeipſum quodammodo obligavit ad eam illis præſtandam; proportione, ut diximus, inter ipſos & ipſorum ducem, atque adeo æquitate quadam ita ſuadente ac poſtulante; ſed multo nunc magis, poſtquam tot tamque expreſſæ promiſſiones ea de re interceſſerunt, ut facile appareat, Chriſtum primum illum fuiſſe manipulum, qui per reſurrectionem Deo penitus conſecratus, totam reliquam fidelium meſſem conſecravit.

Ex iis autem, quæ diximus, cernere quivis poteſt, de fidelium tantum reſurrectione hic agi; non vero de infidelium, aut impiorum. Nam etſi ex Chriſti reſurrectione, ut ſupra alicubi indicavimus, pateat, non minus impios quam pios poſſe reſurgere: inde tamen non poteſt probari, eos omnino reſurrecturos, ſed id aliunde probare neceſſe eſt: quandoquidem vidimus, conjunctionem arctiſſimam & certam quandam, hoc eſt, analogicam æqualitatem ratione laboris & præmii intercedere debere inter Chriſtum & eos, quorum reſurrectio ex illius reſurrectione probari queat. Talis autem nulla eſt inter Chriſtum & infideles atque impios.

Unde porro apparet, apoſtolum eorum, *qui obdormierunt*, nomine fideles tantum ac pios intelligere, quemadmodum & alibi 1 Theſſ. 4. Nam etſi ſacræ literæ veteris fœderis per quandam ἐυφημίαν etiam de impiis regibus, verbi gratia, de Jeroboamo, Achabo, & aliis dicere ſoleant 3 Reg. XIV. 20. XVI. 6, 28. XXII. 40 eos dormiviſſe vel obdormiviſſe cum patribus ſuis: apud ſacros tamen ſcriptores novi fœderis præſertim ex ſuo ſenſu loquentes, non reperitur id de impiis dictum, ſed de Chriſti fidelibus; de quibus generatim omnibus præſumitur, eos, niſi omnino aliter conſtet, convenienter ſuæ religioni & vixiſſe, ac mortuos eſſe; ac proinde ad vitam ſempiternam reſurrecturos: cujuſmodi homines, cum moriuntur, obdormiſcere videntur.

Non ſolent autem apoſtoli de mortuis, licet fidelibus, dicere, quod dormiant; ſed quod obdormive-

(a) *Quomodo ex eo, quod Chriſtus reſurrexit, conſequatur, ejus fideles etiam reſurrecturos eſſe.*

(a) *Cur Chriſtus primus reſurrexit.*

rint,

rint, vel, quod obdormiſcant, tunc nimirum, cum moriuntur; de quo poſteriori vide ſupra cap. 11. verſ. 30, ubi dicit apoſtolus: *& obdormiſcunt multi*, id eſt, etiamnum moriuntur; de re enim loquitur, quam intellexerit etiamnum inter eos durare. Chriſtus quidem de filia illa Archiſynagogi, & de Lazaro dixit, eos dormire, cum recens eſſent mortui Matth: 9. 24: Ioh: XI. 11, 12 mox ab ipſo excitandi. Cujus rei hæc forte cauſſa eſt, quod illi qui moriuntur, obdormiſcentes, & qui recens ſunt mortui, quorum corpora adhuc extant incorrupta, nec dum lineamenta priora perdiderunt, dormientes majori ſimilitudine referunt, quam ii qui jam dudum ſunt mortui, & quorum corpora, quæ oculis rem ut ſolet metienti, ipſi quodammodo homines videntur, jam ſunt corrupta. Alias nil prohibet, quominus & illi qui jam dudum e vivis exceſſerunt, a Chriſto aliquando excitandi, dormire dicantur. Nam & hic ſimilitudo eſt, licet aliquanto minor, aut ſenſui minus obvia.

Poſtquam argumentum apoſtolicum excuſſimus, conſiderandum porro eſt, quo pacto id illuſtretur, & aliqua ratione confirmetur.

Illuſtratur autem duplici ratione: primum ſimilitudine, quanquam in re contraria: deinde discrimine temporis, quod inter Chriſti & cæterorum fidelium reſurrectionem intercedit, indicato: qua in re occupationem quandam objectionis, quæ contra veritatem reſurrectionis noſtræ moveri poſſet, contineri videbimus.

Quod ad priorem illuſtrandi modum attinet, ſimilitudo illa primo proponitur; deinde aliquo modo repetitur ac clarius explicatur.

Verſ. 21. Proponitur ibi: *Quandoquidem enim per hominem mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum.* Quis *hominis* nomine in utroque comparationis membro ſit intelligendus, diſerte Apoſtolus in ſequentibus explicuit: nempe: illum quidem Adamum, hunc vero Chriſtum eſſe. Quanquam non diſſimulandum eſt illud, cum in Græco neutribi voci ἀνθρώπε ſit præpoſitus articulus, nondum certum aliquod individuum ac plane determinatum intelligi; ſed indefinitum, ſeu, ut in ſcholis loquuntur, vagum, hoc eſt, quendam hominem: quaſi d. apoſtolus: quandoquidem per hominem quendam mors in cæteros omnes pervaſit; conveniens fuit, ut ſimiliter reſurrectio ex mortuis per hominem quendam, ſeu aliquem ex hominibus, in cæteros, qui quidem dignos ſe tanto beneficio præſtiterint, tranſiret. In ſequentibus ergo demum, cum Adamus & Chriſtus expreſſe commemorantur, loco vagi ſeu indefiniti illius individui, certum plane ac fixum ſubſtituit, eaque ratione dictum ſuum confirmat apoſtolus.

Hoc ita viſo, inquirendum porro eſt, quid per *mortem* hoc loco intelligatur; (de Reſurrectione enim ex mortuis id inquirere nihil eſt neceſſe) deinde quo pacto partim per hominem, nempe Adamum, mors extiterit, & in cæteros pervaſerit; partim etiam per hominem, nempe Chriſtum, reſurrectio ſit extitura, & in cæteros homines tranſitura.

Ad priorem quæſtionem quod attinet: videtur mors hoc loco indefinite ſumi, pro hominis ſeu vitæ humanæ deſtructione, nulla habita ratione durationis; ita ut nondum intelligatur, utrium ea ſit temporanea tantum, an vero æterna. Mors enim intelligi videtur, ex qua etiam reditus in vitam detur. Quanquam interim nolimus negare, æternam mortem nominatim hic intelligi poſſe, ut ita eadem hic ſit inter Adamum & Chriſtum comparatio, quæ ab apoſtolo inſtituitur cap. 5 ad Romanos. Neque enim illud videtur obſtare, quod ſtatim ſubjicitur, *in Adamo omnes mori*; cum certum ſit, non omnes mori morte æterna: quandoquidem idem aſſeritur dicto loco ad Rom. 5. verſ. 12 & 18. Id enim non ita intelligendum eſt, quaſi omnes actu & re ipſa in æternum moriantur; ſed quod morti iſti æternæ obnoxii ſint atque ſubjecti: quanquam divina benignitate fiat, ut omnes in Chriſtum credentes eximantur, quemadmodum & omnes illi, quicunque ab initio mundi Deo verè ſunt conſiſi. Quod poſterius de fidelibus, qui Chriſtum anteceſſerunt, ideo addimus, ne quis nobis objiciat, aliam hujus, aliam illius loci ad Rom. eſſe rationem: quod illic loquatur Paulus de damno ab Adamo in omnes homines manante, tanquam de re præterita, & Chriſti tempora antegreſſa; hic vero præſenti utatur tempore, ſignificans id de quo hic agit, adhuc durare: jam vero vel ex hoc ipſo loco conſtare, Chriſtianos homines immunitatem a morte æterna eſſe conſecutos. Nullam enim discrimen illud vim habere videtur: quandoquidem videmus, etiam reſpectu temporis Chriſtum antegreſſi exceptionem admittendam eſſe; vel potius verba generalia non de facto, ſed de jure eſſe accipienda: ſiquidem illi etiam, qui ante Chriſtum Deo fuerunt conſiſi, æternæ mortis ſervitute ſunt exemti; & nihilominus tamen Paulus ad Romanos 5. ita loquitur, ac ſi omnes inde usque ab Adamo homines mortem ſempiternam ſubiiſſent.

Sed jam ponamus id quod veriſimilius eſt, nempe mortem hic indefinite accipi, ita ut æternitatem nondum in ſe includat: iterum quæri poteſt, (id quod aliqua ratione ad illud pertinet, quod ſecundo loco propoſuimus, nempe quo pacto per hominem aliquando mors extiterit) an hic ſermo inſtituatur de morte qua naturalis eſt, ſeu quatenus ex naturalibus tantum cauſis pendet, nulla decreti divini, de ea homini infligenda, habita ratione; an quatenus ex Dei decreto, poſt Adami delictum, quodammodo facta eſt neceſſaria, ſeu quatenus ei Adamus ſua culpa ex Dei decreto factus eſt obnoxius, eique jure fuit addictus; cum eam alioqui, ſi in innocentia perſtitiſſet, poſſet divina benignitate effugere, licet ei naturaliter immineret? Nos arbitramur, nihil prohibere, quo minus vel hoc, vel illo modo mors hic conſideretur, atque adeo per Adamum extitiſſe cenſeatur, ſive naturalem ipſius conditionem, ſive peccatum, quo ſe & poſteritatem neceſſitati cuidam mortis ſubjecit, ſpectemus. Nam ſive hoc, ſive illo modo Adamum conſideres, recte ſe habebit comparatio inter ipſum & Chriſtum inſtituta. Sanctitas enim Chriſti, quam fideles ipſius imitantur, & tanquam ſpirituales ipſius filii ex ipſo trahunt, quæque ipſi primum, deinde etiam ipſius fidelibus, reſurrectionem ad vitam ſempiternam peperit, ea, inquam, ſanctitas, & naturæ Adami, quam poſteri ipſius omnes ex eo trahunt, & quæ ipſi primum, tum deinde poſteris ipſius mortis cauſa extitit, ex adverſo ſatis apte reſpondet, & ipſius peccato ſeu inobedientiæ.

Poſterius ſatis patet: cum obedientia inobedientiæ recte opponatur, tum per ſe, tum habita ratione effectorum, quæ hoc loco ſpectantur, nempe vitæ & mortis.

Prius, inde patet, quod ſanctitas Chriſti, tum ipſius,

quatenus ſalutis noſtræ dux eſt, tum ſpiritualium ipſius liberorum, veluti natura eſt. Et quemadmodum natura Adami & poſterorum impetu ſuo ad mortem tetendit: ita ſpiritualis illa, & Chriſti & fidelium ipſius natura ad vitam immortalem.

Interim tamen, etiamſi mors duplici ratione hic conſiderari queat, ac porro etiam Adamus, quatenus ille mortis cauſa tum ſibi, tum poſteris extitit; non eſt tamen neceſſe, ut in ipſius poſteris, ad quos ab eo mors dimanavit, quicquam aliud ſpectetur, quam quod naturaliter ab Adamo fuerunt progeniti: ne quis putet, ipſos etiam Adami poſteros, quatenus morti ex decreto divino ſubjecti ſunt, conſiderandos eſſe ut peccatores, & inobedientiæ paternæ aliquo modo imitatores; quo pacto ii ſunt ſpectandi, cum de illis aſſeritur, eos ob parentis ſui transgreſſionem æternæ morti ſeu damnationi eſſe obnoxios.

Nam, ut breviter rationem oſtendamus[a], qua mors ab Adamo in poſteros ejus dimanarit, ita ſtatuendum videtur, mortem *temporariam ac naturalem* tum Adamo ipſi, tum ipſius poſteritati per ſe impendiſſe, aut impendere, nulla habita ratione delicti, ſive illius, ſive horum; ſed ut ipſa mortis naturalis appellatio indicat, propter ipſam naturæ vim, ſeu congenitam mortalitatem, quæ tamen divina benignitate cohiberi potuiſſet, ne in actum unquam exiret: mortem vero ex Dei decreto aliqua ratione *neceſſariam*, licet temporalem, non ob ſolam naturam, ſed ob Adami etiam delictum, & ipſi, & poſteris incubuiſſe, nulla habita ratione delictorum ab ipſis poſteris admiſſorum: mortem denique *æternam*, non tam ob naturam & parentis & poſterorum, quam ob delictum utrorumque; quanquam potiſſimum ob delictum Adami, eo præſertim tempore, cum lex aliqua expreſſa ipſis poſteris nondum eſſet lata, nec pœna transgredientibus propoſita. Nam poſt latam legem unusquisque non minus ſuo delicto mortis pœnæ obſtringi cœpit, quam olim Adamus ſuo. Quanquam & antea, ſi quis naturæ legem nimis graviter violaſſet, aut humanitatis etiam limites ſcelere ſuo quodammodo exceſſiſſet, poterat non minus ob peccatum ſuum pœnæ obſtringi ac ſubjici, quam ſi expreſſam aliquam Dei legem violaſſet.

(*a*) Ut autem id, quod de morte æterna diximus, rectius intelligatur, (nam de temporali, ea præſertim, quæ prorſus ſit naturalis, nil opus eſt amplius dicere) duplici ratione ſtatui poteſt, eam ex Adami peccato in ipſius poſteros dimanaſſe. (*b*) Prior eſt, ut intelligamus, Deum, cum in Adamum ſententiam mortis tuliſſet, voluiſſe idem decretum poſtmodum etiam in ipſius poſteris valere, qui aliquid deliquiſſent, utut expreſſum aliquod mandatum, ut Adamus fecerat, transgreſſi non fuiſſent, ac porro minor hac in parte ipſorum, quam parentis culpa eſſet, adeo ut illis vel parci facilius, vel mitior aliqua pœna infligi poſſe videretur. Solet enim Deus cum poſteris ſæpe agere ſeverius ob peccata parentum, quam fuiſſet acturus, ſi hi fuiſſent innocentes. Nam etſi Deus liberos innocentes ob parentum delicta nunquam revera punit, nocentesque nunquam punit gravius, quam ipſi ſuo delicto fuerant meriti, ut a nobis alibi eſt oſtenſum: tamen quam pœnam, ob innocentiam parentum, liberis nocentibus vel remiſſurus penitus fuiſſet, vel mitigaturus, ob parentum culpam rigidius exſequi conſuevit. Itaque cum poſſet Deus Adami poſteris ipſorum delicta, nulla præſertim lege, quam violarent, extante, vel prorſus condonare, vel alia mitiori, quam mortis pœna plectere; ob parentis culpam eadem eos pœna afficiendos ſtatuit, quam parens ſuo delicto fuiſſet commeritus. Neque enim hæc pœna ipſorum etiam liberorum delictum gravitate ſua ſuperabat, aut per ſe iniqua cenſeri poterat; quemadmodum paulo poſt intelligetur, ubi alteram rationem expoſuerimus, qua ſtatui poteſt, mortem æternam ex Adami delicto in poſteros ejus tranſiiſſe.

(*c*) Ea vero eſt, ut intelligamus, Deum, cum mortis pœnam Adamo, ſi mandatum ſuum transgrederetur, primum comminaretur, & deinde poſt transgreſſionem ipſius in eum decerneret; una cum ipſo poſteros quoque ejus tacite comprehendiſſe, quaſi dixiſſet, tu una cum poſteritate tua morte morieris. Neque enim in eo quicquam erat iniqui; quandoquidem mors alias naturæ Adami, & porro etiam poſterorum ipſius, plane erat conſentanea, ita ut ad executionem iſtius decreti nihil aliud requireretur, quam ut tum Adamus, tum poſteri ipſius conditioni ſuæ naturali relinquerentur; inde enim & mors neceſſario erat conſecutura, & porro etiam, niſi itidem Deus naturæ curſum ſiſtere, & illius impetum inhibere vellet, æternum duratura. Quare nec injuria ulla hac in parte facta fuit Adami poſteris, (quæ enim injuria eſt, naturæ ſuæ relinqui, & beneficio, quod non mererris, non affici?) nec pœna illis ipſis revera inflicta, aut peccatum Adami, cujus nulla ratione participes fuerant, ipſis fuit imputatum: ſed ipſe Adamus, tum in ſe, tum in poſteritate ſua univerſa, quam eadem ſecum calamitate involvit, punitus cenſeri debet. Verumtamen ita hanc Adami pœnam, quatenus ea in calamitate quadam, nempe morte, etiam poſterorum, conſiſtit, temperavit Deus, ut neminem ex illis voluerit re ipſa pœnam iſtam incurrere, & morti jus ac poteſtatem, ut ita dicam, in eum permittere, qui nulla ratione parentis ſui delictum fuiſſet imitatus.

Itaque ſi quis totam vitam innocenter plane transegiſſet, ille a morte æterna, cui ob parentis delictum obnoxius fuerat, divina quadam æquitate fuiſſet liberatus. Ipſa enim æquitatis divinæ, quanquam cum benignitate permixtæ, ratio ferebat, & quodammodo poſtulabat, ut eum eximeret hac calamitate, qui parenti, quod ad factum ipſius, quo ſe ipſum & poſteros tanto malo implicavit, prorſus extitiſſet diſſimilis, atque adeo requirebat, ut Deus in ipſo illo decreto, de morte æterna Adamo & poſteris ejus ob ipſius delictum infligenda, tacite hanc conditionem intelligeret atq; apponeret, Niſi quis exacta vitæ innocentia dignum ſe præbuerit, qui hac generis ſui calamitate liberetur. Sed quis talis unquam præter Chriſtum extitit? Unde Paulus loco dicto ad Rom. 5 dicit, *mortem in omnes transiiſſe, quatenus omnes peccaverunt*: quandoquidem ad id, ut aliquis eidem pœnæ, cui parens ſubjectus fuerat, ipſe quoque ſubjiceretur, non requirebatur, ut expreſſum Dei mandatum transgrederetur, ut parens fecerat; ſed ſatis erat, illum quacunque ratione adverſus judicii ac conſcientiæ ſuæ dictamen, ſeu contra id quod ipſe rectum & honeſtum eſſe cerneret, feciſſe. Interim tamen vera ac præcipua ejus rei cauſa erat ipſum Adami delictum; unde Apoſtolus dicit, *per unum*, id eſt, unius hominis delicto, mortem vel damnationem in omnes tranſiiſ-

(*a*) *Duplici ratione mors æterna ex Adami delicto in ipſius poſteros manare potuit.* (*b*) *Prior.* (*c*) *Poſterior.*

ſe,

ſe, ita ut ſingulorum poſterorum delicta videantur tantum fuiſſe cauſſa ſine quibus non, ut loquuntur, id eſt, ſine quibus eam pœnam nolucrit Deus irrogari poſteris, quæ illis ob delictum parentis jam immineret, & infligi ſine injuria poſſet.

Ex his jam facile intelligitur, quid ſit, quod Apoſtolus dicit, *per hominem mortem eſſe, & per hominem reſurrectionem mortuorum*; nimirum id nihil ſignificare aliud, quam hominem quendam, nempe Adamum, qui morti primum fuerit ſubjectus, aliis etiam, nempe, qui naturam ab eo trahunt, h. e. ſecundum carnem ex ipſo oriuntur, mortis cauſam primum attuliſſe; & ſimiliter hominem quendam, nimirum Chriſtum, qui ex mortuis reſurrexit, aliis quoque reſurrectionis cauſſam extitiſſe, iis nimirum, qui ſimiliter ex ipſo originem ducunt, & ſpirituali ratione ex eo eaſcuntur.

Quare cum hic de Chriſto dicitur, *per eum reſurrectionem mortuorum eſſe*, non intelligitur, ipſummet ſua virtute ac potentia alios ex morte reſuſcitaturum; licet id cæteroqui veriſſimum ſit, & ex aliis ſacrarum literarum locis clariſſime pateat. Nam alias ſimiliter intelligendum eſſet, Adamum ſua virtute omnes ſuos poſteros occidiſſe, eosque proprie loquendo interemiſſe: alioqui nulla hujus comparationis vel vis vel concinnitas foret; cum ex eo, quod per Adamum ea, qua diximus, ratione mors in cæteros homines manat, haudquaquam colligi poſſit, conſentaneum eſſe, ut Chriſtus etiam ſua virtute nos ex mortuis reſuſcitet. Ut taceam, id tantum hic probari, quod ſuperius aſſeruerat apoſtolus, nempe ideo, quod Chriſtus ex mortuis primum fuerit reſuſcitatus, conſequi, cæteros etiam, qui obdormierunt, nempe fideles, ex mortuis reſuſcitatum iri, ubi nulla habetur ejus rei ratio, quod Chriſtus ipſemet eos ſit reſuſcitaturus.

Verſ. 12. His ita examinatis, non multa deſiderantur ad intelligenda ſequentia Pauli verba, quibus priorum ſententiam aliquo modo illuſtrat, cum inquit: *Quemadmodum enim in Adamo omnes moriuntur, ita etiam in Chriſto omnes vivificabuntur.* Ubi duo clarius exprimuntur, quæ in præcedentibus quidem, ſi ſententiam ſpectes, continentur, ſed non ita clare fuerunt explicata. Nam cum apoſtolus antea *hominis* tantum in utroque comparationis membro feciſſet mentionem; nunc Adamum & Chriſtum nominatim commemorat; & ſic diſtinctius, quis uterque ille homo fuerit, docet. Deinde illud etiam declarat, quid ſit, ſeu quam late pateat id quod dixerat, *per hominem eſſe mortem*, & *per hominem eſſe reſurrectionem mortuorum*; cum ait, *in Adamo* quidem *omnes mori*, *in Chriſto* vero *omnes vivificatum iri.* Quod poſterius ut rectius intelligatur (de priori enim nihil attinet amplius dicere) animadvertendum eſt primum, particulam *in* idem hoc loco valere quod *per*, ut cauſam quandam efficientem ſignificet; quandoquidem pro eo, quod ſupra dictum fuerat, *per hominem mors*, nunc dicitur, *in Adamo omnes mori*: & rurſus, quod ibi dictum fuerat, *per hominem eſſe reſurrectionem ex mortuis*, hic dicitur, *in Chriſto omnes vivificatum iri.*

Deinde conſiderandum eſt, quomodo partim *omnes* in Adamo ſeu per Adamum mori dicantur; partim vero *omnes* in Chriſto, ſeu per Chriſtum vivificandi perhibeantur. Quanquam prius illud non adeo obſcurum eſt, præſertim ſi de morte naturali id intelligas: quandoquidem omnes generatim homines mori videmus. Verumtamen quia diximus, etiam de morte neceſſaria, itemque de æterna verba hæc accipi poſſe: ideo memoria repetendum eſt id quod in præcedentis verſiculi explicatione diximus; cum omnes in Adamo mori dicuntur, id non de ipſo actu, ſed potentia, ſeu jure quodam accipiendum eſſe, & intelligendum, per Adamum fieri factumque eſſe, ut omnes homines morti neceſſariæ ac æternæ obnoxii redderentur; etiamſi poſtea divina benignitate fiat, ut multi, nempe omnes pii, ab ea liberentur. Hoc ſi ſtatuas, haud difficulter etiam intelligi poterit poſterius comparationis membrum, cum dicitur, *omnes in Chriſto vivificatum iri.* Verum enimvero cum id omnino limitationem aliquam requirere videatur, præſertim ſi de ipſo reſurrectionis actu velis id accipere; aliquid etiam in priori membro ſubaudiendum eſſe videtur, quod etſi vocem *omnes* anguſtioribus terminis non coerceat, nihilominus tamen aliquanto propius eorum omnium naturam attingat, qui in Adamo moriuntur, & ſic locum faciat limitationi in altero comparationis membro. Nam ſi natura ac conditio eorum omnium, qui per Chriſtum vivificandi ſunt, exprimatur, vox *omnes* ad certum hominum genus reſtringetur, nec tam late patebit, quam illud genus, de quo in priori comparationis membro ſermo eſt.

Id autem fiet, ſi dicamus, omnes eos, qui ex Adamo naſcuntur ſecundum carnem, qui quidem ſunt omnes omnino homines, per ipſum mori, ſive id de actu, ſive de poteſtate aut jure intelligas. Hinc enim ſimiliter intelligetur, in poſteriori membro hanc contineri ſententiam, omnes qui ex Chriſto ſecundum ſpiritum naſcuntur, per ipſum, vivificatum, ſeu ex mortuis ad ſempiternam vitam revocatum iri: id quod non tantum de potentia, ſed etiam de ipſo actu intelligendum eſt; præſertim cum, ut Paulus ad Rom. 5. verſ 15 & 17 indicavit, major omnino ſit neceſſitas, ut ii, qui ex Chriſto ſpiritualiter naſcuntur, ad eandem felicitatem perveniant, ad quam ipſe primus pervenit; quam ut omnes, qui ex Adamo nati ſunt, eandem conditionem atque miſeriam, in quam ob peccatum incidit, reipſa ſubeant: ſiquidem longe major ſit atque amplior vis gratiæ divinæ, quæ in illo cernitur, quam peccati Adami, ac ſeveritatis divinæ, quæ in hoc ſpectatur. Itaque ſive in prioribus verbis de actu mortis, ſive de poteſtate aut jure ſermonem eſſe exiſtimes, in poſterioribus tamen de ipſo actu verba jure accipi poterunt, ea, quam diximus, limitatione adhibita.

Eſt quidem alia adhuc ratio, vocem *omnes* in utroque comparationis membro circumſcribendi, & in poſteriori membro limitandi; nempe ut ex prædicato petatur ea circumſcriptio, hoc modo: in Adamo omnes moriuntur quotquot nimirum moriuntur; &, in Chriſto omnes vivificabuntur, quotquot nimirum vivificabuntur. Quæ circumſcriptionis ac limitationis ratio non videtur ab Hebrææ linguæ conſuetudine abhorrere, in qua nonnunquam ſubjectum, ut in ſcholis apellant, ex prædicato aliquo modo eruendum eſt: ut cum, verbi gratia, dicitur non ſemel, & *vocabit nomen* hujus vel illius, hoc aut illo modo, nulla facta mentione ejus qui id facturus ſit; ſolent viri docti ita ſupplere ſubjectum, *is nimirum, qui vocaturus eſt*; quod alias per paſſivum reddi ſolet, *vocabitur nomen* hujus aut illius, hoc vel illo modo, perſona ejus,

qui id ſit facturus, non expreſſa. Sed prior modus vocem *omnes*, ſeu ſubjectum ejus, de qua agimus, enunciationis circumſcribendi, commodior videtur, & ad rem accommodatior; cum per eum exprimatur ratio conſecutionis, ſeu nexus inter reſuſcitationem Chriſti & cæterorum, & ea ratione indicatur id quod ad apoſtoli inſtitutum vel inprimis pertinet, nempe omnes eos, qui in Chriſtum crediderint, ejusque veſtigia ſecuti, in ipſo obdormierint, a mortuis eſſe reſuſcitandos. quorum neutrum facit poſterior ille modus ſubjectum hujus enunciationis circumſcribendi.

Verſ. 23. Et hactenus quidem de priori ratione, qua apoſtolus argumentum ſuum, quo fideles omnino reſurrecturos eſſe confirmarat, illuſtrat. Sequitur jam alter illuſtrandi modus, hoc eſt, diſcrimen temporis, quod inter Chriſti & fidelium ipſius reſurrectionem intercedit; qua in re ſimul prolepſin quandam contineri ſupra diximus. Ait ergo apoſtolus: *Quilibet autem in proprio ordine: primitiæ Chriſtus; poſtea ii qui ſunt Chriſti, in adventu ejus.* In qua oratione deſideratur verbum *reſurgendi*, aut aliquod ejuſdem ſignificationis: quod quidem diverſo & numero & tempore diverſis ſubjectis accommodandum eſt. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet: Quisque autem ordine ac tempore ſibi conveniente reſurgere debuit, aut porro debet. Chriſtus quidem, qui cæterorum reſpectu, primitiarum rationem habere debebat, jam reſurrexit: ii autem, qui ſunt Chriſti, quique ad eum, tanquam reliqua meſſis ad primitias, ſpectant, poſtea demum, cum plenæ meſſis tempus adveniet, nempe in adventu ejus reſurgent. Diximus autem, videri in his verbis objectionem occupari adverſus veritatem reſurrectionis noſtræ ſeu mavis adverſus argumentum, quo eujs veritatem hucuſque adſtruxerat. Poterat enim aliquis dicere; Si nos ad exemplum Chriſti reſurgere debemus; qui fit, quod ex fidelibus adhuc nemo reſurrexerit? cur non, quemadmodum Chriſtus intra breviſſimum tempus reſurrexit, ita & fideles cæteri poſt mortem mox reſurgunt, eumque proxime conſequuntur? Reſpondet Paulus, ut id fiat non eſſe neceſſe, imo ne convenire quidem; & aliam hac in parte Chriſti, aliam noſtræ reſurrectionis rationem eſſe. Cum enim certus quidam ſit inter Chriſtum & reliquos fideles ordo, convenire, ut quisque ſuo ordine ac tempore reſuſcitetur.

Quod ut tanto fiat veriſimilius, eadem, qua ſupra utitur metaphora, a primitiis frugum ducta; qua tacite nobis indicatur ratio, cur Chriſtus primum reſuſcitari debuerit; cæteri vero omnes uno eodemque tempore, nempe tum, cum Chriſtus adveniet. Etenim quemadmodum ex univerſis frugibus primum ſolæ decerpi ſolebant primitiæ, quæ ex Dei mandato decerpendæ erant, & ipſi offerendæ; reliquæ vero fruges univerſæ ad tempus meſſis reſervabantur, ut ſimul quodammodo demeterentur, & in horreum colligerentur: (nam quod fieri poſſet, ut aliquid iſtarum in uſus etiam vulgares ante meſſem decerperetur, ejus hic nulla habenda eſt ratio) ſic ex univerſo fidelium cumulo, ac uberrima, ut ita dicam, ſegete, primum ſolum Chriſtum tanquam primitias ſeligi, ac per reſurrectionem Deo penitus conſecrari fuit neceſſe; cæteri vero omnes ad idem meſſis tempus aſſervantur; quod quidem meſſis tempus erit in adventu Chriſti, ſeu, ut Chriſtus ipſe loquitur, Matth. 13. 39, & deinceps in conſummatione ſeculi.

Iam vero ut ipſius rei rationem perveſtigemus; intelligendum eſt, Chriſtum ideo primum, & quidem non multo poſt mortem ſuam, ad immortalem vitam reſuſcitari debuiſſe; quia is omnibus in ipſum credituris, ut ſanctiratis, ita etiam felicitatis ipſam conſecuturæ, exemplum in ſeſe exhibere debuit: ut ita omnes cernentes, tum certam eſſe beatitatis viam, ab ipſo oſtenſam, quandoquidem ipſemet eam ingreſſus, ad ſupremæ felicitatis & gloriæ metam pervenerit; tum illam felicitatem plane cæleſtem ac divinam eſſe; viam a Chriſto ſibi oſtenſam alacriter & ipſi ingrederentur, & in ea usque ad extremum ſpiritum conſtanter perſiſterent.

Et hæc quidem ratio ad hunc noſtrum locum maxime pertinet: quæ tamen etiam latius extendi poteſt. Etenim non tantum reſurrectionis ac immortalitatis promiſſio, in Chriſti doctrina nobis propoſita, reſurrectione ipſius illuſtratur ac confirmatur; verum etiam doctrina ejus univerſa eadem reſurrectione mirifice ſtabilitur: quemadmodum contra, niſi reſurrectio Chriſti mortem ipſius fuiſſet conſecuta, univerſa ipſius religio concidiſſet; quemadmodum ſuperius verſ. 14, & 17 dicentem apoſtolum audivimus.

Adde, quod Chriſtus non tantum ſpecimen felicitatis noſtræ in ſeipſo exhibere omnibus hominibus debuit: verum etiam univerſam ſalutis noſtræ rationem, perpetuo gubernare, & eam ad exitum perducere; idque ſpei ac fidei noſtræ tanto magis confirmandæ cauſa. Quare ipſum in Novi Fœderis initio reſuſcitari, & ſuprema poteſtate donari oportuit, ut omnia ipſe hominibus ſuppeditaret, quæcunque iis ad ſalutem eſſent neceſſaria. Ad ea vero vel inprimis pertinebant, quæ ad apoſtolos divinis muneribus inſtruendos, atque ad eccleſiam extruendam primo requirebantur.

Satis jam apparet, cur Chriſtum neceſſe fuerit ante omnes, & brevi poſt mortem ſuam tempore reſuſcitari. At cæterorum longe alia eſt ratio. (*a*) Nam etſi adhuc magis poſſemus confirmari in ſpe reſurrectionis, ſi ſubinde alii atque alii ex mortuis reſuſcitarentur, & ejus rei argumenta aperta, ut reſurrectionis Chriſti, extarent; tamen, id ut fiat, non convenit, quandoquidem Chriſti exemplum ſufficere nobis poteſt; & ſi ſubinde plura eaque manifeſta exempla accederent, id non eſſet ſuadere fidem, ſed vel invitis etiam extorquere, vel potius ejus vim tollere. Quis enim diffidentiæ amplius foret locus? Ubi autem diffidentiæ ac dubitationi nullus eſt locus, vis fidei perit; & vix fides amplius dici meretur. Aliud enim eſt plane ſcire ac videri, aliud credere.

Præterea hoc pacto plurimum ad humanam felicitatem intereſſet, prius naſci ac denaſci, & tempore alios antevertere: ſiquidem ii fidelium, qui prius eſſent vita functi, prius etiam reſurgerent, ac felicitate ſibi deſtinata potirentur. Itaque ii, qui multis ante mundi finem ſeculis vixiſſent fideles, tot ſeculorum felicitatem ante eos, qui ſub mundi finem extituri eſſent, ob ſolum temporis anteceſſum præciperent. Deus autem tantum inter eos, ob ſolam temporis prærogativam, in pietatis præmio diſcrimen extare non vult. Quare omnes meſſis tempus, hoc eſt, adventum Chriſti vult expectare, ut ſimul omnes ſua felicitate potiantur; ut ita, qui pietate æquales fuiſſent, præmio etiam ac felicitate pares eſſent, id enim divinæ ſapientiæ eſt convenientius.

[*a*] *Cur non omnes fideles ſtatim poſt mortem reſuſcitentur?*

Neque

Neque vero eſt, quod quis putet, hanc moram iis, qui prius e vita exceſſerint, moleſtam fore. A quibus enim abeſt ſenſus, ab iis & moleſtia. Unde etiam intelligitur, tempus illud, quod a morte ad reſurrectionem uſque fluit, reſpectu mortuorum pro nihilo æſtimandum eſſe; ita ut propemodum perinde ſit, ac ſi pii a morte ſtatim felicitate ſua potirentur. Omni enim medii temporis ſenſu exemto, ultimum vitæ hujus punctum, cum primo ſecuturæ vitæ momento, ſi ſenſum illorum ſpectes, connectitur. Unde porro ſequitur, perinde illis fore, ac ſi eodem tempore vixiſſent, ſeu vitam omnes uſque ad Chriſti adventum produxiſſent; id quod non obſcure etiam ſacræ literæ non uno loco indicant. Ita in maxima etiam temporis inæqualitate, æqualitas quædam inducitur, nec cujuſquam in adeunda ſuprema felicitate deterior evadit conditio. Indicaſſe id aliqua ex parte videtur D. Auctor epiſt. ad Hebr. in fine cap. XI, de iis loquens, qui ante Chriſtum Deo confiſi fuerunt, nec tamen id, quod nobis promiſſum eſt bonum, nimirum immortalitatem, fuerunt conſecuti, *quia* inquit, *Deus, de nobis*, nempe Chriſtianis, *melius quidpiam prævidit, ne ſine nobis perficerentur*, hoc eſt, immortales, ac vere beati evaderent. *Melius quippiam*, inquit, *de nobis prævidit*, non tam, ut videtur, quod illos hac in parte ſuperaturi ſimus; (niſi forte hoc ipſo nos illis exiſtimes antecellere, quod illi nos expectare, quamquam ſine ſua moleſtia, cogantur) quam quod melior nunc noſtra ſit conditio, quam futura fuiſſet, ſi abſque nobis illi evaſiſſent immortales, ſimpliciter quidem, ſi nobis excluſis tanto bono fuiſſent potiti, idque nobis quodammodo præripuiſſent: aliquo vero modo, ſi in tanta felicitate adeunda perfruendaque tanto nos tempore antevertiſſent. Quantum enim illis felicitatis accelliſſet, tantum deterior noſtra fuiſſet conditio.

Non attigimus autem hic illam ejus, qua de agimus, rei rationem, quod dilata in idem tempus piorum omnium reſuſcitatione, Chriſti, atque adeo ipſius quoque Dei gloriæ aliquo modo conſulitur. Tanto enim res erit illuſtrior, tantoque evidentius divina ſe in Chriſto exſeret potentia, quanto plures ſimul ab eo ad immortalitatem omnibus videntibus reſuſcitabuntur, atque ad cæleſtia gaudia perducentur. Aliter eveniret, ſi alii poſt alios reſuſcitarentur, & ad cæleſtem beatitatem perducerentur. Nam ſi id occulte fieret, cæteris hominibus minime animadvertentibus, admirationem in illis excitare vix poſſet: ſi cernentibus, tandem ipſa conſuetudine res propemodum vileſceret, ut taceam fidei materiem in tot fidei documentis, ut ſuperius jam diximus, quodammodo perire.

His ita explicatis, vix quicquam reſtat, quod ad illa verba apoſtoli explicanda pertineat: *poſtea illi, qui ſunt Chriſti, in adventu ipſius.* Nam primum ſatis liquet, quinam ſint ii, qui Chriſti hoc loco eſſe, ſeu ad Chriſtum, ut populus ad ſuum regem ac dominum, pertinere dicuntur. Sunt enim Chriſti omnes illi, qui Chriſti ſpiritum habent, quique adeo carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis. Nam, ut idem Paulus loquitur Rom. 8. 10, *ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus:* unde poſtea infert: *ſi autem Chriſtus*, hoc eſt, ſpiritus Chriſti, *in vobis* ſcilicet habitat, *corpus quidem mortuum* [eſt] *propter peccatum*, hoc eſt, mortuum eſt peccato, ita ut peccatum ei amplius imperare, & eo pro arbitrio uti nequeat: *ſpiritus autem vita* [eſt] *propter juſtitiam*, hoc eſt, vivit, ut juſtitiam colat, eique ſe penitus accommodet. Quod ad Galatas cap. 5. 24 idem apoſtolus ita extulit: *Qui ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis.* Quanquam vero loca ea, quæ citavimus, de vi atque efficacia potius ſpiritus Chriſti in hominibus habitantis, quam de ipſo effectu loqui videantur: hoc in loco tamen, cum de reſurrectione agitur, quæ iis qui Chriſti ſunt, cum ipſo Chriſto ſit communis, ac porro ſupremam felicitatem illis afferat; pro conceſſo ſumitur, illos ita vixiſſe, prout ipſorum ſtatus & conditio, ſeu mavis religio, ac ſpiritus Chriſti in illis habitans exigebat, eoſque, ut alibi loquitur apoſtolus, Epheſ. 4. 1. Phil. 1. 27. Coloſſ. 1. 10. 1 Theſſ. 2. 12, digne ambulaſſe Domino, digne euangelio, digne Deo, qui ipſos vocaverat ad ſuum regnum & gloriam.

Idem intelligit apoſtolus 1 Theſſ. 4. 14, cum dicit: *Deum eos, qui obdormierunt per Jeſum*, (hoc eſt ſecundum præſcriptum Jeſu Chriſti, ſeu cum religione Jeſu Chriſti, eam uſque ad ipſam mortem firmiter retinentes, & ei convenienter viventes) *acturum* ſeu *aucturum*, hoc eſt, e morte reducturum, vel collecturum, *una cum ipſo.*

Ex his autem intelligi poteſt, Chriſtianis hominibus proprie deſtinatam eſſe illam glorioſam reſurrectionem, & ad eos peculiari quodam jure pertinere; ad eos autem, qui ante Chriſtum vixerunt, non eodem jure: cum iis felicitas iſta non fuerit aperte promiſſa. Perinde ergo accidet, atque in convivio, ad quod certi hoſpites fuerint invitati, quibus tamen plures poſtea, hoſpitis liberalitate, accedant convivæ. Convivium quidem eorum cauſſa, qui invitati fuerant, vel ſolum, vel præcipue videtur paratum, ſed eo non minus perfrui poſſunt etiam non invitati, quos paterfamilias adhibere fuerit dignatus.

Deinde quod ait Paulus, *in adventu Chriſti* demum reſurrecturos eſſe homines Chriſtianos, cauſam jam magna ex parte vidimus. Nam ſi omnes ſimul reſurgere debent, quicunque in Chriſtum vere crediderunt, aut porro crediturі ſunt, uti oſtendimus; ante Chriſti adventum reſurgere non debent. Ad illud enim usque tempus fides durabit, aut durare ex Dei Chriſtique conſilio debet. Cur autem non ulterius ſit ea res differenda, res ſatis eſt clara: quandoquidem Chriſtus non niſi in eum finem apparere debet, ut unicuique pro meritis reddat præmia; & ſic pios quidem immortalitate donet, impios vero æterno illo igne cruciet. Adde, quod neceſſe eſt tum fidei vim ceſſare, cum Chriſtus ſeſe manifeſte, atque adeo glorioſe conſpiciendum præbebit, ut nemo de ejus divinitate, nemo de religionis ipſius veritate dubitare ulla ratione queat; & ſic nullum amplius probitatis aut virtutis ſpecimen edere poſſit is, qui ipſi fidem adhibeat, & religionem ipſius ſanctiſſimam eſſe ſibi perſuadeat. Quare cum nullus amplius genuinæ fidei indoli relinquatur locus, & porro nec obedientiæ, quam quis tum demum Chriſto velit præſtare; nil reſtat aliud, quam ut præmium fidei ac obedientiæ piis reddatur, quod quidem per reſurrectionem continget; cæteri vero omnes contumaciæ & inobedientiæ ſuæ dent pœnas.

Voluit autem Deus, ut Chriſtus hunc ipſum in finem aliquando de cælo deſcenderet, ut non piis tantum, ſed & impiis appareret, Ieſum eſſe Chriſtum, filium

illum hominis, quem eo uſque contempſiſſent, & cui ſe ſubmittere noluiſſent, eum eſſe, qui digna cujuſque factis præmia & decernat, & tribuat, & per quem Deus rem, qua nulla alia major ne cogitari quidem poteſt, exequatur. Quod ut impiis dolorem augebit, & æquitatem ſupplicii, quod laturi ſunt, oſtendet; (quando-quidem cernent, quam impie Chriſto fuerint adverſati) ita contra piis lætitiam aliquomodo augebit: ipſi autem Chriſto ac porro etiam Deo, ſummum conciliabit honorem ac gloriam.

Abſolvimus hucuſque primum argumentum, quo apoſtolus reſurrectionis noſtræ ueritatem adſtruit; quod quidem inter omnia eſt potiſſimum: cui tamen, ut vidimus, quædam ſunt inſerta, ad fundamentum ejus, hoc eſt, ad reſurrectionem Chriſti confirmandam, quæ ipſa per ſe ad reſurrectionem fidelium adſtruendam ſatis habent virium.

Sequitur nunc apud apoſtolum quædam veluti digreſſio, cujus initium eſt verſ. 24, & extenditur uſque ad verſ. 28. Ita enim apoſtolus a re propoſita divertit, ut nihilominus ab ea non penitus diſcedat. qua de cauſa non ſimpliciter digreſſionem, ſed quandam veluti digreſſionem eſſe diximus. Etenim facta mentione reſurrectionis hominum Chriſtianorum, quæ in adventu Chriſti futura ſit, ſubjicit ſtatim, quid adventum illum Chriſti, & Chriſtianorum reſurrectionem ſit ſubſecuturum. Quod dum facit, partim illuſtrat ſuperiora a conſequentibus; partim etiam objectioni cuidam tacitæ, vel ſaltem quæſtioni, quæ hic non injuria moveri poterat, occurrit ac reſpondet; partim denique novum argumentum, quo & reſurrectio noſtra: & illus tempus, quanquam illa inprimis, demonſtratur. Interim tamen verba, quæ ſequuntur verſ. 29, cum antecedentibus collata, indicant; ea quæ præceſſerunt, veluti in parentheſi eſſe legenda, & præter cæterorum argumentorum filum atque ordinem quodammodo eſſe poſita. Satis enim apparet, verba verſiculi 29, rectius cohærere cum verſ. 23, quam cum iis quæ proxime præceſſerant. Ita namque recte junxeris hæc verba: *poſtea illi, qui ſunt Chriſti, in adventu ejus*, ſcil. reſurgent. *alioqui quid ii facient, qui pro mortuis baptizantur*? At cum iis, quæ proxime dicta fuerant, nempe quod *Filius, omnibus ſibi ſubjectis, ipſemet ſit ſubjiciendus ei, qui illi ſubjecit omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus*, non cohærent, quod ad ſenſum attinet, illa: *alioqui quid facient illi, qui pro mortuis baptizantur*? Quanquam cum paulo ante, ubi de abolitione mortis fit mentio, argumentum reſurrectionis noſtræ contineatur, quemadmodum jam innuimus, & poſtea explicabimus; ideo etiam cum iis aliquo modo cohærere poſſunt. Sed jam ad rem ipſam accedamus.

Tria videtur apoſtolus afferre, reſurrectionem noſtram, atque adeo etiam adventum Chriſti conſecutura: quorum unum tamen potiſſimum videtur ſpectaſſe; in quo & incipit, & quodammodo finit orationem. Id vero eſt finis regni Chriſti; qui idem eſt cum traditione regni, ac ſubjectione ſui ipſius Deo ac patri. Reliquorum duorum alterum hujus eſt antecedens, ac requiſitum quoddam neceſſarium, nempe ſubjectio plena rerum omnium Chriſto; in qua continetur abolitio omnium ipſius hoſtium, atque adeo etiam mortis: alterum vero eſt traditionis illius regni finis ac conſequens, nempe, ut Deus ſit omnia in omnibus, ſeu, ut poſtea intelligemus, Deus ipſe omnia per ſe adminiſtret atque gubernet. Sed hoc poſterius, quod inter iſta tria poſtremum eſt, apoſtolus breviter tantum attigit; reliqua duo fuſius eſt perſecutus: quia ad inſtitutum ejus magis pertinent, & argumentum ſuppeditant, ad reſurrectionem noſtram confirmandam. Quanquam magis huc pertinet id, quod ſecundo loco poſitum eſt, nempe ſubjectio hoſtium Chriſti ſub ipſius pedes, eorumque abolitio. Sed jam ſingula videamus.

Verſ. 24. Primum eorum, quæ diximus, exponitur ibi: *Poſtea finis, cum tradiderit regnum Deo & patri*: quod infra repeti paulo ante indicavimus.

Antequam autem ipſa verba penitius inſpiciamus, videndum eſt, quomodo ea cum ſuperioribus nectantur. Etſi enim ea digreſſionem quandam continere diximus; nihilominus tamen nexum eſſe aliquem inter ea & ſuperiora, ſupra aſſeruimus.

Duplici ergo ratione connecti poſſunt: Prior, quæ ab interpretibus nonnullis traditur, eſt, ut ſit occupatio cujuſdam quæſtionis, quæ hic moveri poſſet. Cum enim apoſtolus dixiſſet, eos, qui ſunt Chriſti, in adventu ipſius reſurrecturos eſſe; quærere quiſpiam poterat: quid ergo poſtea futurum eſt? num idem erit rerum ſtatus, qui nunc eſt? Reſpondet apoſtolus, poſt illud tempus finem fore regni Chriſti, quod nunc adminiſtrat; finem etiam fore omnium hoſtium Chriſti. Quanquam ii, quibus hæc connectendi ratio placet, vocem *finis* de fine hujus ſeculi & ſtatus in hoc mundo præſentis accipere malunt, cenſentes, apoſtolum ideo hæc dicere, ne quis arbitretur, Chriſtianos poſt ſuam reſurrectionem in hoc mundo iterum victuros, ac hoſtibus ſuis, a quibus nunc premuntur, denuo futuros obnoxios.

Poſterior connectendi ratio, quæ nobis magis probatur, hæc eſt, ut apoſtolus cenſeatur dicti præcedentis rationem quandam afferre, & tacitæ cuidam objectioni occurrere. Poterat enim aliquis dicere; Cur in adventu Chriſti reſuſcitandos affirmas eos, qui ſunt Chriſti? cur non ante, vel poſt? Reſpondet apoſtolus, ideo in adventu Chriſti id fieri debere, quia poſtea ſtatim ſit ſubſecuturus finis regni ipſius. Jam vero non poteſt regnum Chriſti finiri, niſi prius omnes ipſius hoſtes, atque adeo etiam mors penitus ipſi fuerit ſubjecta aut deleta: quod non alia ratione fit, quam quatenus in fidelibus ipſius per reſurrectionem extinguetur. Eatenus enim tantum, Chriſti hoſtis eſt, & porro eatenus tantum ei eſt ſubjicienda, atque extinguenda. Conſtat ergo, poſt Chriſti adventum demum, hoc eſt, poſtquam is e cælo, ad nos, atque inde in cælum denuo redierit, id fieri non debere. Cur vero id antea non fiat, ejus rei cauſa indicatur ab apoſtolo, dum ait, *ultimum hoſtem aboleri mortem*. Nam ſi ante adventum Chriſti fideles reſuſcitarentur, & ſic mors, quatenbs Chriſti hoſtis eſt, deleretur, non ultima deleretur. Plurimi enim alii hoſtes Chriſti in adventu demum ipſius penitus illi ſubjicientur ac delebuntur. Hæc connectendi ratio quam ſit dictis apoſtoli conſentanea, res ipſa indicat: ita ut vix dubitari queat, hanc priori eſſe præferendam.

Jam ergo ad verborum ipſorum ſenſum veniamus, qui aliqua ex parte jam eſt indicatus. Nomen enim *Finis* nobis videtur de fine regni Chriſti potius, quam de fine alterius alicujus rei intelligendum; vel ſaltem de fine rei illius, in qua Chriſti regnum, tanquam pars quædam, contineatur.

Triplici

Triplici enim potiſſimum ratione vox *Finis* ac accipi hic poſſe videtur. Primum de fine mundi, ſeu ſeculi ac ſtatus rerum præſentis, nulla religionis habita ratione. Deinde de fine regni Chriſti. Tertio de fine rerum omnium ſaluti noſtræ aliqua ratione ſubſervientium, ſeu præſentis illius rerum ſtatus, quæ ad religionem aliquo modo referuntur. Refertur autem & præſens Chriſti regnum, quod fidei ac ſpei fulciendæ, ſalutique noſtræ ad exitum perducendæ a Deo deſtinatum eſt.

Prima ſignificatio non admodum ad rem pertinere videtur: niſi forte priorem potius, quam poſteriorem, hæc verba cum ſuperioribus connectendi rationem ſequi malis.

Poſteriores duæ inter ſe valde conſentiunt, & utramvis ſequaris, nihil aberraveris; cum utrobique Chriſti regni finis indicetur, qui ad rem maxime pertinet. Illud tamen obſtare videtur, quo minus de regno Chriſti nominatim vox *finis* accipi queat: primo quod mentio regni Chriſti non præceſſerit; vox autem *finis* abſolute ſit poſita, ac proinde ex materia ſubjecta demum colligenda. Deinde quod videantur obſtare ſequentia: *cum tradiderit regnum Deo & Patri.* Etenim ſi in præcedentibus ſubaudias tacite regnum Chriſti, videretur quædam eſſe in verbis apoſtoli redundantia. Ita enim loqui cenſeretur: *poſtea finis regni Chriſti, cum tradiderit*, aut *tradet regnum Deo & Patri.* Atqui traditio illa regni cum ejuſdem fine reipſa idem eſt.

Sed prior ratio, quæ etiam primæ ſententiæ objici poteſt, & quidem multo magis, quam ſecundæ, haud difficulter ſolvitur. Primum enim, etiamſi vocem *finis* abſolute poſitam dicamus, materia tamen ſubjecta ad regnum Chriſti non obſcure nos ducit; partim quidem, quia mentio jam facta fuit reſurrectionis eorum qui Chriſti ſunt, & ipſius Chriſti adventus: quæ res adeo ad regnum Chriſti pertinent, ut *regni* ipſius nomine deſignentur aut comprehendantur 2 Tim. 4. 1; partim vero, quia in proxime ſequentibus traditio regni illius expreſſe commemoratur, & quouſque Chriſtus regnare debeat, ſeu quando ſit futurus regni illius finis, docetur; ut ipſe apoſtolus oſtendere videatur, de regni Chriſti fine ſe hic loqui. Deinde reſponderi poteſt, vocem finis hic abſolute poſitam non eſſe, nec tacite ſubaudiendam vocem *regni*; ſed aperte adjici talem finis illius deſcriptionem, quæ idem ſignificet, ac ſi expreſſe fuiſſet dictum, tunc fore finem regni Chriſti. Id autem fiet, ſi ita verba apoſtoli ſumas, ac ſi dixiſſet: poſtea ſequetur ille finis, quo traditurus eſt, vel tradere debet Chriſtus regnum Deo & Patri, poſtquam nimirum aboleverit omnem principatum. Sic adverbium ὅταν pronominis relativi vim quodammodo habebit.

Hoc ſi admittatur, ſatisfiet etiam poſteriori objectioni, omniſque tolletur redundantia aut nugatio, quam ſenſus ille videbatur inducere, ſiquidem poſt vocem *finis* nomen *regni Chriſti* non erit ſubaudiendum. Sed eadem objectio hoc quoque modo tolli poteſt, ut dicamus, etiamſi idem ſint finis regni Chriſti, & traditio regni Deo facta; ratione tamen duo illa differre, & ignorari a quopiam potuiſſe, utrum hoc cum illo neceſſario ſit conjunctum; ita ut merito verba illa fuerint adjecta, *cum tradiderit regnum Deo & Patri*, etiamſi in prioribus ſubaudiatur vox *regni Chriſti* poſt nomen *finis*. Poteſt enim aliquis deſinere regnare, etiamſi regnum alteri non tradat; & natura rei inſpecta, poſſet Chriſtus, ſi Deus ita vellet, alii cuipiam regnum, ut loquuntur, reſignare, præter ipſum. Quare non redundant ſequentia verba, ſed utiliter ſunt ab apoſtolo adjecta: non tantum ut plenius intelligeretur, de cujus rei fine eſſet ſermo; verum etiam ut pateret, non ita ceſſaturum Chriſti regnum, ut fideles jam porro ſub nullo regno atque imperio ſint; ſed ut ſub imperio ſint ipſius Dei, ut ita Deus ſit omnia in omnibus, quemadmodum infra loquitur. Et hæc poſterior reſponſio fortaſſe tutior eſt. Nam prior propter particulam ὅταν, quæ paulo poſt iterum occurrit, aliquanto durior eſſe videtur.

Satis de voce *finis* dictum eſt: ſequitur, ut illa quoque breviter explicemus, quæ ſubjiciuntur, nempe: *cum tradiderit*, vel *tradet regnum Deo & Patri.*

Vox *regni* hoc loco pro vero imperio ac gubernandi poteſtate, eaque ſuo modo ſumma, quam ἀνακεφαλαίωσιν Græci vocant, accipienda eſt; non vero per metaphoram quandam, aut ſynecdochen ſpeciei, pro felicitate, aut ſtatu glorioſo. Nam Chriſtus felicitatem ſuam, ac ſtatum glorioſum generalius ita dictum, Deo non tradet; ac proinde hoc ſignificatu in æternum regnaturus eſt. Unde apoſtolus affirmat 2 Tim. 2. 12. nos una cum Chriſto regnaturos, nempe poſt reſurrectionem; & Chriſtus ipſe affirmat, eos qui vicerint, una ſecum ſeſſuros in throno ſuo Apoc. 3. 21. Quibus alia ſimilia leguntur alibi. Vide inter cætera Rom. 8. 17.

Verbum autem *tradendi* hoc loco id ſignificat, quod vulgo dicere ſolent, reſignare: quo pacto, verbi gratia, dux bellicus poteſtatem a rege acceptam, & illius nomine ac vice adminiſtratam, tradit Regi, eique reſignat, cum eam ita deponit, ut ea jam tota atque in ſolidum ad Regem redeat, quæ antea ipſi fuerat communicata a Rege. Alia nempe ratione Rex Duci poteſtatem illam tradere; aliter Dux Regi, dicitur. Rex enim Duci poteſtatem tradere dicitur, quia eam illi per ſe non habenti impertit ac concedit; quod niſi faceret, dux eam ſibi ſumere, & uſurpare jure non poſſet: Dux vero eam dicitur tradere Regi, non quod Rex eam per ſe non habeat, aut habuerit, etiam eo tempore, cum eam dux ille adhuc uſurparet a Rege ſibi conceſſam; (poterat enim Rex etiam per ſe imperatorium munus obire, aut alium quempiam ducem, alii cuidam bello gerendo præficere) ſed quod, cum poteſtas ea antea non penes ſolum eſſet Regem, adeoque non a ſolo Rege exerceretur, ſed etiam Duci illi eſſet communicata; poſtea ad ſolum Regem redeat, & jam in ipſo penitus reſideat, & ab eo ſolo, ſi neminem in poſterum alium participem illius reddere placeat, adminiſtretur.

Hoc ergo modo Chriſtus regnum *Deo & patri*, hoc eſt, Deo illi, qui pater eſt, (vocula enim &, ut alibi ſæpe, non res aut perſonas diverſas, ſed diverſas ejuſdem perſonæ deſcriptiones connectit; ſeu explicandi potius, quam copulandi vim habet) tradet: ut nimirum ſummam illam poteſtatem ac imperium in omnia, ſibi a patre conceſſum, deponat, & patri jam penitus adminiſtrandum relinquat; quod antea ipſe una cum patre, ex ipſius dono ac conceſſu, adminiſtravit: ut eo totum redeat, unde promanaverat.

Quare vehementer falluntur ii, qui eo modo putant Chriſtum regnum traditurum Deo patri ſuo, quo Deus Chriſto omnia tradidiſſe dicitur, Matth. xi. 27: cum ſacræ literæ plurimis in locis apertiſſime doceant, Deum Chriſto omnia ex mera benevolentia, & ſuo er-

ga eum amore, dediſſe aut donaſſe; & tanquam ſuperiorem cum inferiore; tanquam eum, qui omni rerum copia per ſe inſtructus eſſet, cum eo, qui iis per ſe careret, egiſſe; & Chriſtum precibus & obedientia ſua, maxime ea, quam in morte ſubeunda Deo præſtitit, iſta a Patre ſuo impetraſſe. At hoc pacto Chriſtus nullo modo Patri ſuo regnum tradere poteſt.

Similiter agunt illi, qui eodem modo volunt Deum a Chriſto, & Chriſtum a Deo glorificatum: quos ſi ſequi deberemus, ſtatuendum etiam eſſet, nos eo modo Deum glorificaturos, quo Deus nos glorificat, aut glorificaturus eſt, cum utrumque in ſacris literis dicatur. Quod quam abſurdum, atque adeo blaſphemum ſit, nihil attinet dicere. Modus nempe & ſignificatio ſpecialis vocabulorum ſæpe ex natura rerum ſubjectarum intelligenda eſt.

His ita explicatis, poſſemus ulterius pergere, niſi objectiones quædam nobis eſſent diluendæ, quæ ſententiæ huic planiſſimæ objici ſolent ab iis, qui præjudicatis opinionibus ducuntur. Objicitur ergo

Primum illud, quod angelus Luc. 1. 33. ait, Chriſtum regnaturum in æternum, & regni ejus finem non fore.

Deinde, indignam hanc videri, & admodum abſurdam, ut loquuntur, degradationem, ſeu dignitatis tantæ privationem.

Cum quo conjunctum illud eſt, quod videatur ſecuturum, Chriſtum tunc Deum non amplius futurum; quandoquidem propter tantum imperium ac poteſtatem, quam nunc habet, Deus dicatur.

Ad primum jam alibi a noſtris reſponſum eſt; nempe æternitatem illam regni Chriſti, atque adeo excluſionem finis, ſeu termini, ad materiam ſubjectam eſſe referendam, atque ad naturam regni illius, ſeu mavis parentium ac ſubjectorum, ad quos regnum Chriſti refertur. Dicitur enim ibi, Chriſto datum iri thronum Davidis Patris ipſius, eumque regnaturum ſuper domum ſeu familiam Jacobi in æternum, & regni ejus non fore finem. Intelligendum eſt ergo, tam diu Chriſtum regnaturum, quam diu progenies Jacobi revera extabit, ſive illo nomine gentem illam nominatim intelligas, quæ a Jacobo ſecundum carnem ortum ducit; ſive ſpiritualem Iſraelis progeniem, hoc eſt, Chriſti populum atque eccleſiam in his terris degentem, & Iſraelis fidem ac pietatem æmulantem. Opponitur nempe hic Chriſti regnum tacite regnis mundanis, atque adeo etiam imperiis ipſorum populi Iſraelitici regum; qui ſinguli, durante adhuc populo, regnare ceſſarunt, vel morte vel vi prohibiti, & ad alios ſuam poteſtatem tranſmiſerunt. Quod in Chriſto locum habet nullum. Simile plane eſt illud, quod de ſacerdotio Chriſti legimus, quod & in æternum duraturum, & ἀπαράβατον eſſe, hoc eſt tale, quod in alium ttansire nequeat, ſecus quam Leviticum ſacerdotium, divinus Autor ad Hebræos teſtatur; ac inprimis cap. 7, cum alioqui dubitari nequeat, peccato prorſus abolito, & Chriſtianis omnibus jam plene ac perfecte expiatis, nullum ei amplius locum fore.

Idem ergo de regno Chriſti, quod a ſacerdotio ratione tantum differre alibi docuimus, ſtatuendum eſt. Eſt enim illud deſtinatum ſaluti noſtræ ad exitum perducendæ, Joh. 17. 2, 3. Act. 5. 31. Eph. 1. 22, 23. cap. 4. 10; & ſpei ac fiduciæ noſtræ fulciendæ; quemadmodum inter alia Petrus indicavit 1 Epiſt. cap. 1. verſu 21. Quare ſalute noſtra ad exitum perducta, cum jam fides ac ſpes ceſſabunt; quod fiet poſt reſurrectionem, nobis in cælum perductis, nihil amplius opus erit iſto medio, quod hunc tantum finem, &, quæ inde reſultat, Dei gloriam ſibi habebat propoſitam.

Ad ſecundum reſpondemus, nullam hanc eſſe degradationem, aut de divinitate dejectionem, rebus omnibus feliciter ſummaque cum laude ad exitum perductis, poteſtatem atque imperium, quod earum perficiendarum cauſa tantum acceperis, reddere ei, a quo acceperis. Certe dux, qui poteſtatem belli certi gerendi a Rege accepit, non cenſetur de dignitate dejici, aut ullo vel minimo dedecore affici, cum, bello eo feliciter confecto, imperium regi ſuo reddit. Præterquam enim quod non cenſetur is de dignitate dejici, qui tempore eo, quod poteſtati illius præfinitum erat, finito atque exacto, eam volens deponit; gloria etiam rerum geſtarum, & finis, ob quem poteſtas illa ei data fuerat, obtentus, in locum imperii ac poteſtatis, quæ medii tantum rationem habebat, ſuccedit, & imperium apud eos, qui rem recte æſtimant, abunde compenſat.

Ex quo etiam intelligere licet, beatitatem Chriſti, cujus pars aliqua in divino hoc imperio, quo nunc potitur, conſiſtit, eo depoſito, nequaquam imminutum iri: ſiquidem, ut diximus, finis illius imperii, nempe ſalus eorum omnium, qui in ipſum crediderint, cujus cauſa mortem etiam duriſſimam aliquando ſuſtinuit, & cui perficiendæ nunc perpetuo invigilat; ac porro etiam gloria, quæ ex re tanta ad ipſum manat, perpetuo duratnra, abunde compenſabit imperium illud & honorem, qui imperii illius cauſa ipſi nunc exhibetur. Eſt enim finis optabilior mediis; eoque obtento, media, niſi forte alium adhuc uſum habeant, ne appetimus quidem. Quodſi quis contra exiſtimet, eum neceſſe eſt ſtatuere, Chriſtum, qui eccleſiæ ſponſus eſt, præferre præparatoria, ut ita dicam, nuptiarum, nuptiis ipſis; & malle ſponſam ſuam unice dilectam cernere perpetuo afflictam, & ſub gravi malorum pondere gementem, & exquiſitis cruciatibus ſubjectam, dummodo ipſe imperio potiatur; quam depoſito imperio, eam glorioſam beatamque in cæleſti, ut ita dicam, thalamo ſecum habere, cum eaque nunquam finiendis gaudiis perfrui. Quod quam abſurdum ſit de Chriſto cogitare, quivis per ſe cernere poteſt.

Ad tertium reſpondemus, haudquaquam ſecuturum, ut Chriſtus tum temporis Deus eſſe deſinat. Etſi enim Chriſtus ob imperium, quo nunc potitur, Deus eſt: non tamen hæc ejuſmodi Deitatis ratio eſt, qua remota is Deus amplius dici nequeat. Videmus ſane Chriſtum etiam antequam hoc imperio potiretur, Deum jure appellari potuiſſe, atque adeo appellatum fuiſſe; quemadmodum apparet ex initio euangelii Johannis cap. 10. verſ. 34, & ſequentibus. Neque vero credendum eſt, Chriſtum poſt imperium hoc, quo nunc potitur, depoſitum, minus habiturum dignitatis ac juris ad Dei titulum uſurpandum quam olim habuit, cum in terra mortalis degeret. Imo eum longe majorem ac ſublimiorem fore omnino conſentaneum eſt.

Quod antequam plenius explicemus, id tantum argumentum proferre libet, quod cuivis ſufficere debet,

debet, ut credat, Chriſtum poſt redditum Deo regnum, Deum nihilominus fore; quod Angeli generatim omnes dii in ſacris literis appellentur: quemadmodum manifeſte oſtendunt verba Pſal. 8. 6, & 97. 7, ubi in Hebræo eſt nomen Deorum, pro quo Autor epiſtolæ ad Hebræos Hebr. 1. 6, & 2. ℣. 7, una cum Græcis veteris fœderis interpretibus apertiſſime reponit angelos.

Jam vero quis negare audeat, Chriſto, poſt regnum illud ſuum depoſitum, nomen illud dignitatis competiturum, quod angelis generatim omnibus competat? cum potius ſtatuendum ſit, Chriſtum omnibus omnino angelis, atque adeo omnibus cæleſtis illius hierarchiæ membris in æternum præſtantiorem ac ſuperiorem fore. Nam non modo, ut id fiat, nihil prohibet, ſed etiam ita hoc, & amori Dei erga Chriſtum paterno, & ſapientiæ ipſius conſentanerum eſt, ut ejus contrarium plane abſurdum cenſeri debeat.

Nihil prohibere ex eo patet, quod nihil vetet quo minus is, qui aliis cum ſumma poteſtate non amplius præeſt, nihilominus tamen dignitate ac autoritate multum iis antecedat. Imo nulla unquam videtur eſſe tanta paritas, quin vel unus, vel plures reliquis omnibus, qui cæteroquin poteſtate pares cenſendi ſunt, anteeant.

Id autem divino erga Chriſtum amori ejuſdemque ſapientiæ plane eſſe conſentaneum, inde patet; quod videamus inter angelos, icet ſub Chriſti ac Dei imperio conſtitutos eſſe multos dignitatis, imo etiam poteſtatis atque imperii cujuſdam gradus. Unde videmus alios appellari principatus ſeu principes, alios poteſtates, alios virtutes; & aliis tribui thronos, qui imperiorum ſunt proprii; aliis dominia, ut liquet ex Eph. 1. 21, & 3. 10. Coloſſ. 1. 16, & 2. 10, qua de re nonnihil paulo poſt dicendum erit, habita angelorum malorum ratione, a Chriſto abolendorum, in quibus ſimilia reperiuntur poteſtatis diſcrimina. Et ſane ordo in tanta multitudine, tantiſque exercitibus, tale diſcrimen omnino videtur exigere. Neque enim in hierarchia eſt ἀταξία ſeu confuſio; ſed ordo potius exactiſſimus. Unde facile colligere licet, ſimile quidpiam etiam inter fideles, cum ad immortalitatem pervenient, fore: id quod etiam nonnulla ſacrarum literarum loca innuunt Matth. 19. 28. xx. 23, 26, & deinceps. Luc. 19. 16, & ſeqq. Quid enim mirum, ſi ii, qui ἰσάγγελοι erunt, & cum iis in cæleſtibus ſedibus penitus conjungentur, ad angelorum modum in certos ordines redigantur, & ſimiles habeant principes, duces, atque anteſigna nos.

Porro autem, quemnam conſentaneum eſt inter omnes hierarchiæ illius principes ordinem ac familiam ducturum, & cæteris omnibus autoritate anteceſſurum, ac ſimul iſtius partis hierarchiæ, quæ ex Chriſtianis, ſeu fidelibus hominibus conſtabit, principatum obtenturum, præter Chriſtum, unigenitum ac chariſſimum Dei filium, Deo nunc imperio parem omniumque & angelorum & hominum regem, caput, ac Dominum? Neque enim convenit, neque adeo fieri ſolet, ut ii qui maxima imperia geſſerunt, neque gratia ſuorum principum ulla ex parte exciderunt, ab illis mox in infimorum cenſum redigantur, etiamſi tandem imperia depoſuerint; imo quam diu gratia apud imperantes florent, principem inter alios locum obtinere ſolent. Jam vero affectus Dei Patris erga Chriſtum haudquaquam imminuetur, poſtpuam is tantum imperium depoſuerit; cum hujus rei cauſa ne fingi quidem poſſit. Quare credendum eſt, Chriſtum, utut omnibus abſolute, quemadmodum hoc fit tempore, non imperet: ſemper tamen primum poſt Deum fore; & utut forte toti hierarchiæ cæleſti non ita præſit, quemadmodum nunc aliquis angelorum princeps ſuæ legioni ſive uni, ſive pluribus; nihilominus autoritate reliquis omnibus principibus fore præſtantiorem ac dignitate ſuperiorem. Illius autem partis hierarchiæ, quæ ex hominibus conſtabit, per ipſum Chriſtum ad tantam felicitatem ac gloriam perductis, conſentaneum eſt eum fore principem eo modo, quo Archangeli ſuarum legionum. Nam ipſe eorum ſecundum Deum ſpiritualis pater eſt: Pater autem inter filios, naturæ quodam jure principatum obtinet, etiamſi tandem filii emancipentur, & ſui quodammodo juris evadant. Is qui nos omnes redemit, ac ſanguine ſuo ſibi acquiſivit, quique nos nunc ad immortalitatem præparat ac conſervat, eam nobis aliquando re ipſa daturus, beneficio hoc æternum duraturo æternum etiam ſibi tenebit adſtrictos atque obligatos, ac juris illius dominici, quod nunc in nos habet, reliquias, hoc eſt autoritatem ac principatum inter omnes perpetuo tenebit. Ecquis enim ultro ac libentiſſime coram eo ſe non demitteret, & primas ei ſponte ſua non concederet, a quo beneficio vere immortali ſe affectum eſſe, non jam amplius credat, ſed ſentiat, ac æternum gaudeat? ut ne videatur quidem aliter fieri poſſe: cum reverentia, quam beneficii hujus magnitudo exigit, quaque omnes Chriſtum proſequuntur, principatum hunc omnino poſtulare videatur.

Vidimus hucuſque quomodo apoſtolus primum iſtorum trium, quæ ſupra enumeravimus, propoſuerit: ſequitur, ut videamus, quomodo id ipſum confirmet. Id autem facit in ſequentibus uſque ad verſum 28, in quibus continetur ſecundum ex tribus iſtis, quæ Paulum hic docere ſuperius diximus. Agitur enim hic inprimis de ſubjectione omnium hoſtium ſub Chriſti pedes, & ex ea demonſtratur, Chriſtum tunc regnum hoc ſuum depoſiturum, ſeu Deo Patri ſuo redditurum, ſeque illi ſubjecturum. Ita ergo argumentari videtur apoſtolus: Cum Chriſtus omnes ſuos hoſtes ſibi ſubjecerit, non eſt amplius regnaturus; ſeu, quod perinde eſt, regnum Patri ſuo eſt traditurus. Atqui tunc, cum fideles ſuos ex mortuis reſuſcitabit, omnes ſuos hoſtes pedibus ſuis ſubjiciet. Quare tunc temporis regnare deſinet, ſeu regnum Deo tradet, eique ſeſe ſubjiciet.

Majoris propoſitionis ſententia continetur primum verſ. 25, qui fundamentum quoddam eſt ratiocinationis hujus apoſtolicæ, ubi ait: *Oportet enim eum regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſuos ſub pedes ſuos.* Deinde verſ. 28, ubi ait: *cum vero ei ſubjecta fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubjicietur ei, qui ſubjecit ipſi omnia.* Sententiam autem majoris dicimus etiam hic contineri: quia ſubjectio omnium, etiam ſubjectionem hoſtium includit.

Minoris autem propoſitionis ſententia, licet non omnino plene, continetur verbis illis verſ. 24: *poſtquam aboleverit omnem principatum, & omnem poteſtatem, & virtutem*; ejuſque probatio ſubjicitur verſ. demum 26, *ultimus hoſtis aboletur mors.*

Utramque autem propoſitionem aliqua ratione confirmat, & prolepſi quadam amplificat verſ. 27, *omnia enim ſubjecit ſub pedes ejus*, &c.

Poſtquam vidimus ordinem partium in argumenta-

tione apoſtolica ; nunc ſingula verba, eo, quo in textu jacent, ordine, videamus.

Primo ergo loco occurrunt illa, quæ diximus, minoris propoſitionis ſive aſſumtionis ſententiam aliqua ex parte continere; nempe, *poſtquam aboleverit omnem principatum, & omnem poteſtatem, & virtutem.* Ideo autem diximus ex parte tantum ſententiam minoris his verbis contineri, quia principatus, poteſtates, ac virtutes illæ, non ſunt Chriſti hoſtes omnes, ſed certum tantum hoſtium Chriſti genus: ſiquidem paulo poſt mors quoque inter hoſtes Chriſti numeratur, quæ ex illorum principatuum, poteſtatum, ac virtutum numero non eſt. Interim tamen cum illi inter hoſtes Chriſti proprie dictos primum teneant locum, ſintque omnium cæterorum potentiſſimi; recte intelligitur, omnes Chriſti hoſtes ipſi tunc ſubjectum iri, cum hoc hoſtium genus ei penitus ſubjicietur. Quod ſi tamen forte quiſpiam hac de re dubitaverit; illi probatio, quam verſ. 26 contineri diximus, ſatisfaciet.

Sed ut verba paulo propius intueamur, primo videndum, quidnam per *principatus*, *poteſtates*, ac *virtutes* illas intelligendum ſit: deinde quo pacto ſint abolendi.

Quod ad prius attinet; animadvertendum primum, voces abſtractas pro concretis eſſe poſitas, hoc eſt, *principatus* pro principibus, *poteſtates* ac *virtutes* pro iis, qui poteſtate ac virtute ſunt præditi ac inſtructi: id quod alibi in iiſdem vocabulis non ſemel accidit. Vide loca ſuperius commemorata Epheſ. 1. 21, & cap. 3. 10, & 6. 12. Coloſſ. 1. 16, & 2. 10, 15. 1. Pet. 3. 22, quibus adde, Rom. 13. 1. Tit. 3. 1.

Deinde animadvertendum eſt, etiamſi hoc loco commemoretur *omnis principatus omniſque poteſtas & virtus* ſeu *potentia:* ea tamen verba omnino reſtringenda eſſe ad principatus, poteſtates, ac virtutes ſeu potentias Chriſto adverſas. Demonſtrat hoc manifeſte quod ſubjicitur: *oportet enim regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ejus* vel *ſuos.* Neceſſe ergo eſt, illos principes, itemque poteſtate aut potentia præditos, de quibus hic ſermo eſt, in numero hoſtium Chriſti contineri; & in adventu Chriſti eatenus ſub pedes ejus poſitum iri, quatenus abolebuntur. Quanquam etiam hæc ipſa, de quibus agimus, verba, id ſatis indicant. Nam Chriſtus in adventu ſuo haudquaquam abolebit principes, & poteſtate ac virtute præditos in exercitu angelico. Quod enim hic aliqui de muneris ipſorum abolitione differunt; id & a loco alienum eſt; (neque enim poteſtates, principatus, ac virtutes angelorum bonorum Chriſti hoſtes ſunt: cum ne malorum quidem poteſtates ac virtutes in hoſtium illorum numero cenſendæ ſint, ſed perſonæ illis rebus præditæ) & nullo modo credibile eſt, imo plane abſurdum, Dominum Jeſum in adventu ſuo, cum ipſemet in voce Archangeli, ut Paulus alibi loquitur 2 Theſſ. 4. 16, de cælo deſcendet, principatum bonorum angelorum aboliturum; cujus rei ratio ne fingi quidem poteſt

Jam vero duplicis generis ſunt principes iſti, itemque poteſtate ac virtute præditi, qui Chriſti ſunt inimici: alii enim ſunt ex numero malorum ſpirituum; alii ex numero hominum; multi nimirum reges, aliique magiſtratus, qui Chriſtianos premunt ac perſequuntur. Et hi quidem omnes intelligi poſſunt: ſed conſentaneum tamen eſt, ſi non ſoli principatus, poteſtates, ac potentiæ diabolicæ hic deſignentur, has ſaltem potiſſimum intelligendas eſſe; eam maxime ob cauſam, quod voces hæ omnium creberrime apud Paulum de angelis, ſive bonis, ſive malis, uſurpentur; præſertim cum vel omnes, vel ſaltem duæ earum conjunguntur: quemadmodum ex locis ſuperius citatis apparere poteſt, ubi ſemel tantum, nempe ad Tit. cap. 3, vox principatuum & poteſtatum junctim de magiſtratibus uſurpatur; ac præterea vocem δυνάμεων de magiſtratibus aut alio hominum genere uſurpari, animadvertere hactenus non licuit. At de angelis uſurpari, apparet ex duobus locis ſuperius commemoratis, ad Epheſ. 1, & 1 Petr. 3.

His ita viſis, conſiderandum tertio loco eſt, quomodo iſta hoſtium genera a ſe invicem diſtinguantur; quid per *principatum*, quid per *poteſtatem*, quid denique per *virtutem* intelligatur. Nam cum toties diſtincte iſta commemorentur in ſacris literis, ut ex locis jam aliquoties commemoratis apparet; atque inprimis ex illo Coloſſ. 1. 16, ubi manifeſte diſtinguuntur ἀρχαὶ & ἐξουσίαι; ad Epheſios autem cap. 1. & 1 Petr. 3 δυνάμεις partim a principatibus ac poteſtatibus ſimul, partim a poteſtatibus ſaltem diſpeſcuntur; dubium relinquitur nullum, quin reipſa etiam omnia iſta tria diſcreta ſint.

Cum vero ubique, ubi *principatus* & *poteſtates* ſimul commemorantur, principatus præponi ſoleant, & ipſa etiam *principatus* vox aliquid in ſuo genere ſummum ſignificet; ſtatuendum eſt, principes ſummum inter eos, qui hic commemorantur, locum obtinere: illis proximas eſſe poteſtates: his denique ſuccedere virtutes. Etiamſi enim vox *poteſtatum* per ſe ita late pateat, ut principatus etiam in ſe comprehendat: (omnis enim principatus eſt poteſtas, atque adeo omnis princeps eſt etiam poteſtate præditus; licet non contra) iis tamen locis, ubi principatus a poteſtatibus diſtinguuntur, nomen *poteſtatis* ſtrictius accipi neceſſe eſt.

Cum ergo utrumque vocabulum, hoc eſt, & *principatus* & *poteſtatis*, ſit nomen imperii cujuſdam ac regiminis, ſeu juris, quod ſuperior habeat in inferiores: principes quidem illi ſunt cenſendi, qui ſummum in certo aliquo, ſive hominum, ſive aliarum perſonarum genere, imperium ac poteſtatem habent, ita ut in ea a nulla alia ſui generis perſona pendeant, eive ſubſint.

Tales ſunt omnes reges in terris, aliique principes ſtrictius ita appellati. Tales inter bonos angelos ſunt archangeli dicti, ſeu principes angelorum, quos ſeptem eſſe numero & vulgaris fert ſententia, & ex nonnullis ſcripturæ locis intelligi poſſe videtur. Tales etiam (ut ad locum noſtrum propius accedamus) ſunt nonnulli inter malos angelos, cum Paulus cap. 6. verſ. 12 ad Epheſ. de illis loquens, expreſſe dicat, *nobis eſſe pugnam adverſus principes.* Etſi enim in ſacris literis unus nonnunquam ſoleat dici princeps dæmoniorum Matth. 9. 34. xii, 24. Joh. 16. 11. xiv. 30, qui etiam princeps aut Deus hujus mundi appellatur 2 Cor. 4. 4; & cæteri ipſius dicantur angeli Matth. 25. 41. Apoc. 12. 7: nihilominus tamen credibile eſt, cum Paulus dicto ad Epheſ. loco expreſſe commemoret ἀρχὰς, & poſtea ſubjiciat ἐξουσίας, plures eſſe in illo exercitu malorum ſpirituum, qui ſummum quodammodo in ſuo genere habeant imperium; ita tamen, ut unus ex illis dignitate & autoritate emineat, & iis quodammodo præeat. Neque enim iſta autoritatis eminentia obſtat, quo minus etiam cæteri, principes appellari, atque adeo in ſuo genere ſummi cenſeri queant: cum ſæpe fiat,

ut inter

ut inter plures principes imperii ac poteſtatis ratione pares, unus aliquis tamen reliquis antecellat, & autoritate ac dignitate quadam anteeat, interque illos ordinem ducat. quod exemplo imperatoris, aliorumque Chriſtianorum regum ac principum fit perſpicuum. Idem ſæpe fit inter eos, qui fœderis aut ſocietatis vinculo inter ſe ſunt colligati; ubi unus aliquis fœderis princeps conſtitui ſolet, cujus majeſtatem cæteri aliqua ratione colere ac tueri, & autoritatem ſequi debent.

Jam quod ad vocem ἐξουσίας ſeu poteſtatis attinet, etiamſi ſua natura tam late pateat, ut etiam ἀρχὴν, hoc eſt principatum, ambitu ſuo comprehendat; quemadmodum ſupra monuimus: hoc tamen loco, ubi a principatu, tanquam diverſa dignitatis ſpecies, diſtinguitur, ſtrictius eam ſumi, & indigniorem ejus generis, quod alias hac voce proprie ſignificatur, ſpeciem deſignare neceſſe eſt. Nam etſi voces generales ſæpe κατ' ἐξοχὴν, pro ea ſpecie capi ſolent, quæ omnium eſt princeps: animadvertendum tamen eſt, cum vox generalis ſpeciei illi, quæ omnium potiſſima eſt, opponitur, atque ab ea diſtinguitur, illam pro indigniori ſpecie poni. Sic non ſemel in ſacris literis videas diſtingui ſacerdotes a Levitis, & hos ab illis Luc. 10. 31, 32. Joh. 1. 19: cum tamen & ſacerdotes Levitæ, ſeu e tribu Levi oriundi eſſent. Verum quia peculiaris erat ſacerdotum præ aliis tribulibus ſeu Levitis dignitas, qua cæteri carebant; ideo ſacerdotes peculiare nomen a reliquis ſortiuntur, cæteri generale Levitarum nomen retinent, & ſibi quodammodo proprium reddunt. Sic in ſacris literis Novi Fœderis doctores diſtingui ſolent a prophetis & apoſtolis; cum tamen & hi doctores eſſent, & quidem excellentiſſimi, quemadmodum etiam nonnunquam vocantur.

Per *poteſtates* igitur hoc loco intelligimus ex ſpiritibus malis eos, qui ita aliis præſunt, eoſque gubernant, ut ipſi tamen ſuperioribus ſubſint, veluti præfecti ſuorum principum. Sic in exercitu magno, qualis etiam eſt malorum ſpirituum, præter imperatorem, alioſve duces, qui integris legionibus præſunt, reperiuntur etiam alii militum tribuni, ac centuriones: quibus poteſtas quidem eſt in alios, & eos gubernandi jus atque autoritas; ſed quæ a ſuperioris poteſtate atque auctoritate dependeat. Id enim ordinis ratio poſtulat, ut tanto commodius ea, quæ ab imperatore præcipiuntur, effectui dari, & diverſæ legiones, diverſæque turmæ aut manipuli, ad diverſa munia exequenda adhiberi queant.

Reſtat vox δυνάμεως, quæ potentiam, ſeu vim & facultatem aliquid præſtandi proprie ſignificat. Quam ſignificationem hoc quoque loco dubio procul retinet; ita tamen, ut per metonymiam intelligantur ii qui potentia ſeu vi, ac viribus illis ſunt præditi. Sumitur quidem interdum ea vox etiam pro ἐξουσίᾳ ſeu poteſtate Apoc. 7. 12: ſed id & rarius fit, & huic loco non quadrat; ubi ab ἐξουσίᾳ vox δυνάμεως diſtinguitur. Quare ii malorum ſpirituum hoc loco intelligi videntur, qui viribus ac robore cæteris præſtant, & ad ea quæ jubentur præſtanda atque efficienda ſunt aptiſſimi. Quo pacto etiam Petrus, de bonis angelis loquens, peculiariter nominat poteſtates & potentias: ubi nomine poteſtatum etiam ἀρχὰς ſeu principatus complectitur.

Non eſt autem hic reticendum, vocabulum δυνάμεως apud Græcos Veteris Teſtamenti interpretes ſæpiſſime poni pro Hebraico *chail*, & exercitum ſignificare; Vide inter innumera loca hæc pauca Exod. 14. 28, & 15. 4. Num. 31. 14. Deut. xi. 4. 1 Sam. 14, 48: interdum fortitudinem; quo pacto ſæpe legas, filios aut viros δυνάμεως, hoc eſt, virtutis ſeu fortitudinis. Vide Judic. 18. 2, & 20. 46, & 22. 10. 1 Sam. 18. 17, & 31. 12. Quare poſſis etiam δύναμιν pro exercitu malorum ſpirituum uſurpare; vel pro illis, qui inter eos ſunt pugnaciſſimi: quaſi dicat apoſtolus, una cum ſupremis ducibus ac præfectis, ipſos etiam exercitus malorum ſpirituum univerſos eſſe abolendos.

Poſtquam vidimus, quid per principatum, poteſtatem ac virtutem intelligatur; expendendum nunc etiam eſt id quod ſecundo loco ſupra propoſuimus, nempe quo pacto illi Chriſti hoſtes ſint abolendi. Modum ejus rei ſatis indicavit Chriſtus Matth. 25. 41, ubi aſſerit, ſe aliquando dicturum impiis: *abscedite a me maledicti in ignem æternum, paratum diabolo & angelis ejus*; & inferius eodem loco verſ. 46, eventum rei exprimens, addit, *eos abituros in pœnam* ſeu *cruciatum æternum*: quod etiam de diabolo & angelis ejus, qui ad eandem pœnam ſunt damnati, ſtatuendum eſt. Igni ergo æterno illi Chriſti hoſtes, de quibus hic ſermo eſt, qui quidem ſunt diabolus & angeli ipſius, vel ſaltem quorum nomine iſti quoque continentur, cruciabuntur, & ita delebuntur deſtruenturque. Hoc illorum ſupplicium, quanquam verbis generalioribus, explicatum habes apud Petrum epiſt. cap. 2. verſ. 4, & apud Jud. verſ. 6.

Verſ. 25. Sed jam tempus eſt, ut ad ſequentia pergamus, in quibus major propoſitio argumenti apoſtolici ſuperius explicati, ejuſve ſententia primum continetur. Ea vero ſunt: *Oportet enim eum regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos*, vel *ejus*.

Probatur hoc loco, ut ſuperius jam indicavimus, Chriſtum tunc redditurum regnum Deo & Patri, ſeu quod perinde eſt, finem tum regni ipſius affuturum, cum aboleverit iſtos, de quibus hucuſque diſſeruimus, hoſtes ſuos. Probatio eſt deſumta ex prophetia Davidis, quæ Pſalmo 110 extat. Quanquam non tam verba illius adnumerat apoſtolus, quam ſententiam refert. Etenim loco ejus, quod eſt in Pſalmo, *Sede a dextris meis*, nimirum Dei, ipſe ponit verbum *regnare*. Deinde cum in Pſalmo indefinite fiat mentio *hoſtium* Chriſti, Paulus præfigit vocem *omnium*, omiſſa interim particula *tuos*, quæ adjicitur voci *hoſtium* in Pſalmo; ſed ad ſententiam, nec ibi quidquam adjecit, nec hic quicquam detraxit, ut paulo poſt explicabitur. Illa etiam mutatio ad ſenſum nihil habet momenti, quod in Pſalmo dicitur, *ſcabellum pedum tuorum*; hic, *ſub pedes ſuos* vel *ipſius*.

Jam quod ad verbum *regnandi* attinet, diximus jam ſupra, quid regni nomine hoc loco intelligatur. Idem autem eſſe *regnare & ſedere ad dextram Dei*, explicatum eſt inprimis in commentariis ad Hebr. cap. 1. verſ. 3, & 13, quem locum lector inſpicere, ſi libeat, poterit.

Cum vero additur, *donec ponat*; apparet, vocem *donec* vim ſuam conſuetam ac genuinam retinere, ita ut denotet, rem eam, de qua ſermo eſt, habituram finem, poſtquam extiterit illud, ad quod uſque duratura perhibetur: quod quidem hoc loco eſt poſitio omnium inimicorum ſub pedes Chriſti. Res autem, qua de agitur, eſt regnum Chriſti. Significatur ergo verbis his, regnum quidem Chriſti tamdiu durare debere,

quouſque

quousque omnes ipsius hostes pedibus ejus subjecti nondum fuerint; sed postquam subjecti fuerint, desiturum. Nam alioqui nihil hic diceret apostolus: quandoquidem, ut ex verbis manifestum est, probare vult, Christum regnum Deo & Patri redditurum, postquam omnem principatum & potestatem ac virtutem sibi inimicam aboleverit. At quomodo hoc ex illo Psalmi dicto probaretur, si particula *donec*, ut vulgo censent, tantum significaret, regnum Christi duraturum, usque ad subjectionem hostium ipsius, non vero etiam, id postea cessaturum? Cur autem Deus eousque tantum præsens Christi imperium durare voluerit, causa superius est explicata, cum de traditione regni differeremus.

Porro quod attinet ad *inimicos*, quorum hic fit mentio; jam superius alicubi indicatum est, non tantum personas, sed etiam res, quæ Christo adversantur, quale est peccatum & mors, eo nomine comprehendi: siquidem statim mors hostibus illis accensetur.

Quod vero Paulus addidit vocem *omnes*; id factum est ideo, quod indefinitæ locutiones universalibus, saltem plerumque, æquipolleant. Quare cum in Psalmo indefinite *inimicorum* seu *hostium* Christi fiat mentio, omnes ejus hostes significari intelligimus. Quanquam alia quoque ratione id fulciet in sequentibus apostolus; nimirum quia idem propheta testatur Psal. 2. 7 Deum *omnia pedibus Christi subjecisse*. Si omnia, ergo & omnes hostes; ac porro dictum Psalmi 110, de hostibus universis recte intelligitur: præsertim cum facile appareat, omnium hac in parte eandem rationem conditionemque esse.

Denique cum ait de *positione sub pedes Christi*, de perfectissima eorum debellatione loquitur: qua fiat, ut jam ne hiscere quidem adversus Christum audeant: quod certe fiet, cum penitus delebuntur. Metaphora ducta est ab iis, ad quorum pedes prosternuntur devicti hostes, ita quidem, ut eos calcare, si velint, possint, aut etiam scabelli vice, equos aut currus conscensuri illis utantur. Hujusmodi subjectionis exemplum habes apud Josuam cap. 10, ubi Josua præfectis militum præcepit, ut pedibus suis calcarent cervices quinque regum a se devictorum, in signum ac monumentum subjectionis hostium ipsorum.

Laxius aliquanto accipitur *subjectio* illa *omnium rerum sub pedes Christi*, de qua vaticinatur David Psal. 8, & ex eo repetit apostolus noster & hoc loco ver. seq. & ad Eph. 1. vers. 22; & Autor epistolæ ad Hebr. 2. 8. Illa enim subjectio ad res, præter Deum omnes, nulla excepta, refertur. Quare per se atque absolute sumta, nullam ejus, qui Christo sic subjicitur, contumeliam ac pœnam continet: siquidem etiam ad homines Deo chariſſimos, & ipsos denique angelos extenditur. Sed tantummodo significat summam atque absolutam imperantis potestatem in res personasque subjectas, & humillimam harum, quam illi debeant, observantiam atque obsequium. Interim tamen cum accommodatur ad Christi hostes atque inimicos, hostilem illam, ut ita dicam, subjectionem, quæ cum inimicorum devictorum contumelia, pernicie atque interitu conjuncta est, designat, aut complectitur. Nam pro natura ac conditione rei subjectæ, aliquo modo varia est.

Est autem hoc loco animadvertendum id, quod jam antea indicavimus, duobus modis legi verba hujus loci ultima posse. Alii enim legunt, sub *pedes suos*, & sic verbum *posuerit* ad ipsum Christum referunt; alii vero sub *pedes ejus*, & sic ad Deum verbum *ponendi* referunt, quæ diversitas tantum pendet ex diversitate aspirationis pronominis αὐτῦ, quod spiritu aspero notatum significat *sui ipsius*, seu *suos* voci *pedes* hoc loco conjunctum; spiritu autem leni notatum denotat *ejus*. Utraque lectio facile admitti potest: quandoquidem utraque cum veritate consentit. Nam & Deus est, qui hostes Christi pedibus subjicit; & Christus, qui sibi. Ille, quia Christo tum potestatem hanc tum vires, eos sibi subjiciendi largitus est; hic, quia potestate hac & virtute a Patre accepta, eos sibi reipsa subjiciet. Unde in Psalmo quidem ipse Deus ita loquens introducitur: *sede a dextris meis, donec ponam*, vel *posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: quod & Christus, & Petrus ex eodem repetit Matth. 22. 44. Act. 2. 34, 35. Quo respiciens Divinus Autor ad Hebræos dicit, Christum expectare, *donec ponantur*, intellige a Deo, *inimici sui scabellum pedum suorum* Hebr. 10. 18. Apostolus vero noster ad Phil. 3 versu ultimo de ista hostium subjectione loquens, quæ, ut mox intelligemus, tum perficietur ac consummabitur, cum is corpora nostra humilia glorioso suo corpori reddet conformia, & sic ultimum hostem, nimirum mortem, in nobis penitus extinguet, ostendit Christum ipsum omnia, ac porro etiam hostes, sibi subjecturum. Ait enim, eum ita, ut dictum est, transformaturum corpora nostra, *secundum efficaciam, qua potest ille etiam subjicere sibi ipsi omnia*. Simili quadam ratione Deus olim Davidis pedibus subjecit ipsius hostes, ut legimus 3. Reg. 5. vers. 3, quatenus Davidi eos subjiciendi vires ac potentiam dedit, & ei in hac re auxilio suo præsto fuit. Neque enim Davidi quiescenti, & nihil, quod ad eam rem pertineret, agenti, victos hostes subjecit Deus; sed strenue pugnanti, quemadmodum sacra historia satis testatur.

Dubium autem est, utram lectionem præferre debeas alteri: sed tamen multo probabilius est, Christo ipsi hanc hostes sub pedes ponendi seu subjiciendi actionem hoc loco tribui, quam Deo, partim quidem, quia in sententia dicti hujus e Psalmo petiti, nulla fit ab apostolo mentio Dei, qui Christum ad dextram suam sedere, seu regnare jubeat, ut in Psalmo ipso fieri videmus; sed tantum ipsius Christi, qui regnare usque ad subjectionem hostium omnium debeat: partim vero, quia in præcedentibus, quorum confirmandorum gratia hoc è Psalmo testimonium citatur, non Deo, sed Christo abolitio omnis principatus, potestatis, ac virtutis, nempe hostilis, fuerat tributa; quæ cum in positione hostium sub Christi pedes contineatur, omnino consentaneum est, hanc quoque Christo potius, quam Deo, hic tribui. Neque vero refert, quod verba Psalmi aliter sonent. Vidimus enim jam antea, Paulum hic non annumerare verba, sed sententiam appendere, atque exprimere: Quid ergo mirum, si in verbo quoque *ponendi* sensum magis, quam verba, sit secutus, scopo orationis id quodammodo postulante. Sed de his satis.

Vers. 26. Veniendum nunc est ad verba sequentia: *Ultimus inimicus aboletur mors*: in quibus sententiam assumtionis argumenti superius explicati contineri diximus; de quo nunc nihil addimus, contenti verborum vim hoc loco explicuisse.

Per mortem hic intelligitur mors, seu vitæ privatio absolute, nulla habita ejus rei ratione, quod

sit vel

ſit vel temporalis vel æterna. Æterna foret, niſi deſtrueretur ſeu aboleretur; itaque ipſa abolitione temporalis fit. *Aboletur* præſens, conſueta ſacris Scriptoribus enallage pro futuro *abolebitur* poni, res ipſa unumquemque admonet. Eatenus autem mors abolebitur, quatenus Chriſti hoſtis revera eſt. Chriſti vero hoſtis eſt, quatenus fideles ipſius ſervos hominesque pios premit, iisque nocet. Nam quatenus a Chriſto impiis infligitur, eatenus non hoſtis fungitur munere, ſed miniſtri.

Cum autem dicitur, *ultimus hoſtis aboletur*, particula *ultimus* adverbii vim habet potius, quam nominis adjectivi, cujus formam habet. Perinde ac ſi dictum fuiſſet: mors inter hoſtes poſtremo abolebitur. Neque enim hoc loco Paulo id tantum dicendum erat, mortem quæ ſit ultimus Chriſti hoſtis, aboleri ſeu abolitum iri; ſed eam ultimo demum loco abolitum iri; atque adeo, ea deſtructa, nullum ex Chriſti hoſtibus reſtiturum amplius, qui non fuerit deſtructus, ac pedibus ipſius ſubjectus. Unde conſequitur, nihil reſtiturum aliud, quam ut regnum Deo & Patri tradat. Sic non ſemel nomina ordinem aut tempus ſignificantia adverbiorum vim habent. Sic de Andrea dicitur Ioh. 1. 41, quod *primus* invenerit fratrem ſuum Simonem i. e. *primum*. Vide etiam cap. 5. 4. & 8. 7. & 2 Cor. 4. 8. & 1 Tim. 2. 13. & 1. Ioh. 1. 19. Atque in ipſa voce ἐχάτη exemplum habes apud Marcum cap. 12. 22: *noviſſima* ſeu poſtrema *omnium defuncta eſt & mulier*, pro quo Matthæus & Lucas habent *noviſſime* ſeu *poſtremo omnium* &c. Matth. 22. 27. Luc. 20. 32.

Interim tamen haud putamus negandum, nomen iſtud adjectivum aliquo modo etiam vim ſuam retinere, ita ut dicere voluerit Paulus, mortem, quæ ultimus ſit Chriſtianorum hoſtis, hoc eſt ultimo illos invadat, eoſque ſibi ad tempus ſubjuget, ultimo etiam delendum eſſe; ut ita prius illud poſterioris quædam ſit ratio, & utrumque eodem nomine indicetur. Neque enim novum eſt in ſacris literis unam vocem duas ſignificationes, quarum altera ex altera ſit apta, habere: quemadmodum (a) alibi docuimus.

Verum hoc loco non exigua nobis oboritur difficultas, quo pacto dici queat, mortem poſtremo loco eſſe abolendam; quandoquidem ſatis ex ſacris literis conſtare videtur, prius reſuſcitandos eſſe homines pios, & reliquos, qui ſuperſtites ex fidelibus reperti fuerint, immutandos, & immortalitate induendos, antequam impii, qui ſane hoſtes Chriſti ſunt, igne æterno crucientur, & diabolus cum angelis ſuis aboleatur. Diximus autem abolitionem mortis in reſurrectione fidelium revera conſtitutam videri. Ea ergo reliquorum hoſtium Chriſti abolitionem antecedet.

Reſpondendum cenſemus, non ideo dici mortem ultimo delendam, quod ipſius abolitio, ſi tam exiguum temporis diſcrimen attendas, quod rebus ultimo illo die perficiendis intercedet, ultimo loco ſit finienda; ſed quod ultimo demum incipienda, ſimul ac finienda, exigui illius, quod ſequetur, temporis ratione nulla habita.

Quod ut rectius intelligatur, animadvertendum eſt, primum, alios hoſtes Chriſti, jam ante ultimum illum diem incipere deleri. Nam diabolus quidem cum ſuis angelis aboleri jam cœpit ab eo tempore, ex quo Chriſtus a mortuis reſuſcitatus in Dei ſolio conſedit: non quidem ſubſtantiæ habita ratione; ſed virium ac potentiæ. Quo pertinet illud divini autoris, cum ait cap. 2. 14, *Chriſtum participaſſe carnem & ſanguinem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habet imperium* vel *robur, hoc eſt, diabolum*; & quæ ſequuntur. Neque enim de re ibi agit ultimo demum die extitura; ſed de ea, quæ Chriſti mortem mox ſuerit conſecuta. Eſt autem hoc illud, quod Dominus Ieſus apud Iohannem cap. 12 paulo ante mortem dixit: *Nunc judicium eſt mundi hujus, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras: & ego, cum exaltatus fuero de terra, omnes traham ad me ipſum.* Quaſi dicat, inſtat nunc tempus, cum mundus ab injuſtiſſima diaboli ſervitute in libertatem vindicabitur, &, ut ipſius tyrannidem excutiat, facultas ei dabitur ampliſſima. Inſtat nunc illud tempus cum ipſius potentia imminuetur, ipſeque ex mundo, tanquam arce ſua, quam vi hactenus tenuerat, ejicietur. Ego enim cum crucis mortem perpeſſus fuero, omnes homines ad me pertraham, ſeu ex ſervitute ſatanæ exeundi, & mihi ſeſe adjungendi, cauſſam & occaſionem omnibus præbebo maximam atque ampliſſimam. De eodem principis mundi judicio loquitur Chriſtus apud eundem Ioh. cap. 16. 11. Vide etiam apoſtolum noſtrum ad Eph. 4. 8, quem locum conſer cum cap. 2. epiſt. ad Coloſſ. verſ. 15.

Quod de diabolo diximus, idem etiam cenſendum eſt de hominibus impiis Chriſto adverſantibus; quos ſubinde delet Chriſtus, & pedibus ſuis ſubjicit. Non finietur tamen res penitus, niſi in adventu ipſius, tum nimirum, cum mors, ultimus fidelium hoſtis, in ipſis delebitur, & ſic nulla erit amplius cauſa hoſtes cæteros ferendi; qui ideo tamdiu tolerantur, ut Chriſtianorum cum iis pugnantium ac dimicantium fides ac pietas exerceatur, & in hac lucta clariſſime effulgeat. Hac cauſa ſublata, nihil reſtabit amplius, quam ut igni iſto inextinguibili ipſimet penitus extinguantur. Tolletur autem hæc cauſſa, piis reſuſcitatis, & immortalitate donatis. Tunc enim & fides ceſſabit, & pietatis lucta, cum perfectum victoriæ præmium fideles referent. Deinde animadvertendum eſt ſimul atque pii fuerint partim reſuſcitati, partim immutati, atque cum illis in aerem, ut occurrant Domino, rapti, mundum hunc Domini potentia accenſum conflagraturum, & exigni impios cruciatum iri, ut ex Petro ſatis liquet. Cruciabuntur autem eodem cum dæmonibus igne. Quare exiguum admodum inter abolitionem mortis, quæ reſurrectione fidelium continetur, & plenam cæterorum hoſtium deſtructionem intercedet: cum eorum abolitio longo ante tempore cœperit. Hæc verborum Apoſtoli ſententia ſcopo ipſius abunde ſufficit, qui eſt oſtendere, morte deleta mox ſecuturum regni Chriſti finem; quandoquidem omnibus hoſtibus ſubjugatis, regnum ipſius ceſſare debet: deleta autem morte, quod poſtremo fiet tempore, omnes hoſtes vel jam ante deletos, vel eodem ſaltem tempore penitus deleri oportet. Simul & illud intelligitur, unde primum eſt in hunc ſermonem dilapſus Apoſtolus, reſurrectionem piorum Chriſti adventum antecedere non debere. Quandoquidem in ea continetur abolitio mortis: hæc autem ante adventum Chriſti fieri non debet: quia eam proxime conſequi debet finis regni Chriſti. Finis autem regni Chriſti adventum ipſius non debet antecedere, ſed conſequi; cum judicium, cujus cauſſa venturus eſt, ſit regni ſeu gubernationis ipſius pars præcipua

(a) *Diſput. de ſatisfactione Chriſti cap.* 1 p. 75, 76. 95. 96.

& maxime illuſtris. Vnde & regnum appellari ſupra vidimus.

Verſ. 27. Tranſeundum nunc eſt ad ſequentia verba, in quibus eſt probatio quædam, tum Majoris propoſitionis argumenti Apoſtolici, quatenus in ea affirmatur, omnes inimicos Chriſti pedibus ipſius eſſe ſubjiciendos; tum Minoris, cujus ſententiam diximus comprehendi verſ. 26. Poterat enim aliquis dicere, cum in Pſalmo 110 indefinite afferatur, hoſtes Chriſti eſſe ipſi ſubjiciendos, non eſſe neceſſe, ut id de omnibus prorſus ipſius hoſtibus intelligatur; vel ſaltem non ita late hoc eſſe extendendum, ut etiam mors eorum nomine comprehendatur, quæ Chriſto ſint ſubjicienda; ac porro finiri poſſe Chriſti regnum, ac Deo ab ipſo tradi, etiamſi mors non deleatur, nec fideles ex ipſius faucibus eripiantur. Quare ne argumentum, quo hoc loco reſurrectionem fidelium adſtruere voluit Paulus. labefactaretur; ideo docet, omnes prorſus hoſtes Chriſto eſſe ſubjiciendos: quandoquidem omnia, quæcunque ſint præter Deum, ei ſubjicienda eſſe alibi idem Pſaltes teſtetur.

Citat ergo primum Apoſtolus Davidis teſtimonium: quanquam, ut antea quoque verſ. 25 fecerat, ſuppreſſo auctoris nomine, utpote omnibus vulgo noti: deinde tacitæ cuidam objectioni occurrens, teſtimonio illi aliquam lucem affert.

Prius facit ibi: *Omnia enim ſubjecit*, ſcilicet Deus, *ſub pedes ipſius*. Non expreſſit nomen ejus, qui ſubjecturus ſit, quia & ex Pſalmo, & ex re ipſa notum id erat omnibus.

Vis autem argumenti eſt in voce *omnia*, quam tam late extendendam eſſe in ſequentibus docet Paulus, ut nemo, niſi Deus ipſe, qui Chriſto ſubjecit omnia, ſit excipiendus. In ipſo quidem Pſalmo, ſi literalem, quem vocant, ſenſum ſpectes, vox iſta ad res tantum terrenas extenditur; quarum genera præcipua, animantes nimirum omnes, ſtatim declarandæ rei gratia ſubjiciuntur: *Oves*, inquit, *boves, univerſa illa, & beſtias etiam agri, volucres etiam cæli & piſces maris, quicquid tranſit ſemitas maris*. Sermo enim eſt, iſto ſenſu, de homine terreno: itaque ad res etiam terrenas reſtringenda ſunt illa omnia, quæ ei ſubjecta dicuntur. At ſenſu myſtico ſermo eſt de homine cæleſti; cujus pedibus cum omnia ſubjecta dicuntur, non tantum terreſtria, ſed cæleſtia etiam ſubjecta eſſe, intelligendum eſt; atque ita tanto laxior & amplior eſt vocis illius univerſalis ſignificatio, quanto amplior eſt cæli, quam terræ, ambitus. Omnia nempe ſimpliciter ſunt intelligenda, eo ſolo excepto, cujus natura omnem ſubjectionem reſuit, & cujus majeſtas tanta eſt, ut nemini ullo pacto ſubjici debeat: qui quidem eſt Deus, qui omnia Chriſto ſubjecit.

Porro autem in eorum numero, quæ ſubjici cuipiam poſſunt, eſt etiam mors. Docuit enim Deus in ipſo Chriſto, ſubjici eam poſſe; & cum ea fidelibus Chriſti noceat, hoſtis tum ipſorum, tum Chriſti cenſenda eſt. Quare non modo poteſt, ſed etiam debet ei ſubjici; ſiquidem omnia ei ſunt ſubjicienda, atque inprimis ipſius hoſtes ei ſunt ſubjugandi.

Quod autem David, & cum eo Apoſtolus dicit, Deum *ſubjeciſſe* Chriſti pedibus omnia; cum tamen & antecedentia & conſequentia hujus loci verba oſtendant, nondum omnia pedibus ejus eſſe ſubjecta, ſed olim demum ſubjicienda: intelligendum eſt, Davidem quidem, ſolito Prophetarum more, de re certo futura, tanquam de præterita loqui; præſertim cum literalis ſenſus præteritum poſtularet: (jam enim Deus ab ipſo mundi initio homini res omnes terrenas ſubjecit) Apoſtolus autem Davidis verba & loquendi formam retinuit, quanquam aliam habuit cauſam, cur ita loqueretur. Res enim ipſa jam aliquo modo facta eſt, quatenus Deus Chriſto tum jus ac poteſtatem, tum vires ac potentiam omnia ſibi ſubjugandi, ac pedibus ſuis ſubjiciendi re ipſa largitus eſt. Verba ergo quatenus præteriti ſignificationem habent, intra vim & efficaciam conſiſtunt, & effectum, qui paulatim conſequitur, nondum includunt. Nam cæteroquin etiam effectum certo conſequuturum quodammodo comprehendunt, ut ex nexu horum verborum cum antecedentibus patet. Vult enim, ut diximus, oſtendere, non quoſdam tantum, ſed *omnes* Chriſti hoſtes, uti aſſeruerat, ac porro etiam mortem Chriſto re ipſa ſubjectum iri; & ſequentia etiam, quæ ex his apta ſunt, de ſubjectione, quæ actu ipſo fiat, loquuntur.

De illa loquendi forma, *ſubjecit ſub pedes ejus*, diximus jam ante verſ. 25.

Porro objectioni tacitæ occurrens Apoſtolus, & vocem *omnia* aliqua ratione explicans, ita loquitur: *Cum vero dixerit*, ſeu *dicat*, *quod omnia ſubjecta ſunt; manifeſtum. quod extra eum, qui ſubjecit illi omnia.* Audiens enim quispiam, præſertim adverſarius, qui verba apoſtoli cavillandi aut calumniandi anſam captaret, citari ab ipſo verba Pſalmi, *omnia ſubjecit ſub pedes ejus*, nempe Chriſti, omiſſis ſequentibus quæ dictum univerſale reſtringant, dicere potuiſſet quid audio? num etiam Deus Chriſto ſubjicietur? Reſpondet Paulus, non debere id cuipiam in mentem venire. Nimis enim manifeſtum eſſe, excipiendum eſſe illum ipſum, qui omnia Chriſto ſubjeciſſe dicatur, non modo quia conſuetudo loquendi fert, ut, cum aliquis dicitur feciſſe quippiam, quod ad res omnes ſpectet, is ipſe, qui id feciſſe aut per quem id factum fuiſſe dicitur, *omnium* iſtorum numero eximatur; ſed multo etiam magis, quia res ipſa unumquemque monet, Deum ambitu iſtorum omnium quæ Chriſto ſubjicienda ſint, nec debere, nec poſſe comprehendi. Sic cum Deus dicitur creaſſe omnia aliaque ſimilia, certo ipſum excipi, nec *omnium* nomine comprehendi, adeo eſt manifeſtum, ut ne monere quidem ſit opus. Sed ſi a Deo diſcedas, nihil eſt uſpiam, quod hic comprehendi non debeat. Omnia Chriſto ſubjecta eſſe cenſendum eſt, quæ modo natura ſua ſubjici cuiquam poſſunt. Poſſunt autem præter Deum univerſa. Quo loco non eſt reticendum, quod videantur verba hæc etiam paulo aliter cum ſuperioribus connecti, & ad ſcopum apoſtoli accommodari poſſe, quam hucuſque a nobis factum. Poterat enim apoſtolus pro conceſſo ſumere, neminem eſſe qui non intelligeret, Deum hic eſſe excipiendum; & illud tantum urgere, omnia præter Deum eſſe his verbis comprehendenda, ſeu nihil non uno Deo excepto, eſſe Chriſto ſubjectum: ut ita idem revera dicat Apoſtolus, quod D. Autor epiſt. ad Hebr. cap. 2. 8, qui cum eadem Davidis verba altius repetita citaſſet, ſubjicit: *In eo enim quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit* (ſeu *omiſit*) *non ſubjectum ei*, hoc eſt nihil excepit, quod homini non ſubjiceret. Ubi cum ſimpliciter loquatur nulla adhibita limitatione, nec ulla mentione facta Dei, qui ſit excipiendus; apparet, eum arbitratum eſſe, neminem id per ſe non intellecturum. Itaque tantum vim vocis univerſalis *omnia* urget

atque

atque explicat, quod & hic facere poterat Apoſtolus, eum in finem, ut oſtenderet, recte ſe adduxiſſe hunc Pſalmi locum ad demonſtrandum, non aliquos, ſed *omnes* Chriſti hoſtes, Chriſti pedibus ſubjiciendos eſſe; idque non tantum ad perſonas, ſed etiam ad res Chriſto adverſas atque inimicas, in quarum numero vel præcipue mors eſt, extendendum eſſe. Quandoquidem *omnia* illa, univerſa præter Deum comprehendant, ſive res ſint, ſive perſonæ. Res autem ac perſonas Chriſto inimicas ita ei ſubjici neceſſe eſt, ut ab eo deleantur ac perdantur. Illud tantum huic ſententiæ obſtare videtur, quod Apoſtolus vel expreſſe non repetierit vocem *omnia*, vel verba alia idem ſignificantia non poſuerit ante illa *extra eum qui ſubjecit illi omnia*, hoc modo: *cum vero dicat, quod omnia ſubjecta ſunt; manifeſtum eſt, quod omnia præter eum, qui ſubjecit illi:* ſeu eo prope modo, quo Auctor Epiſt. ad Hebræos: *quod nihil omiſerit*, vel *omiſſum* aut *exceptum ſit præter eum, qui ſubjecit illi omnia.* Etſi enim ex ſuperioribus vox *omnia*, imo & verbum *ſubjecit*, vel eius paſſivum *ſubjecta ſunt*, repeti poſſit; nec poſſit tantum, ſed & debeat, priori licet interpretatione, ſeu mavis connectendi ratione retenta; & ingratior fuerit repetitio ejuſdem vocis quæ in fine quoque verſiculi denuo ponitur, futura: tamen quia vis ſententiæ in ea præcipue contineretur, expreſſe videter fuiſſe repetenda, aut id quod idem valeret aperte dicendum. Illud enim non admodum eſt veriſimile, quod quis hic fortaſſe dicere poſſet, ita diſtinguenda Apoſtoli verba, *quod præter eum, qui illi ſubjecit, omnia:* quaſi nimirum vox ultima *omnia* connecteretur non cum proximo verbo *ſubjecit*, ſed cum præcedentibus; quaſi dicat, manifeſtum eſt, quod omnia ei ſubjecta ſint, præter eum qui illi ſubjecit. Sed de his lectoris judicium eſto.

ỽ. 28. His ita dictis Apoſtolus breviter repetit id, quod de rebus omnibus Chriſto ſubjiciendis hucuſque dixerat, & ad id quod primo loco propoſuerat rediens, aliis, quam antea, verbis docet, eum traditurum regnum Deo & Patri; ſeu mavis, id, quod traditionis illius conſequens quoddam eſt, exprimit, nempe, quod Chriſtus Deo ſubjiciendus ſit; cujus etiam rei finem attexit. Id autem totum fit verſ. 28, ubi primum ait: *cum vero ei*, id eſt, Chriſto, *ſubjecta fuerint omnia*, hoc eſt, cum illi omnia re ſeu actu ipſo fuerint penitus ſubjecta. Ex quo ſatis apparet, cum antea dictum fuit, Deum Chriſto ſubjeciſſe omnia, id, quatenus in præteritum reſpicit, non de actu, ſed de potentia ſeu vi atque efficacia, ei in hunc finem conceſſa, intelligendum eſſe.

Deinde ſubjungit Apoſtolus, *tunc* (nempe cum ſubjecta fuerint Chriſto omnia) *etiam ipſe Filius ſubjicietur ei, qui ſubjecit ipſi omnia.* Male, noſtro judicio, hæc verba accipiunt illi, qui hunc eorum eſſe putant ſenſum, etiam tunc Chriſtum ſubjectum fore Deo: quaſi dixiſſet Apoſtolus: non tantum nunc Chriſtus ſubjectus eſt Patri, cum ſibi nondum omnia re ipſa habet ſubjecta, ſed etiam tunc, cum omnia ipſi penitus ſubjicientur: qui ſenſus plane eſt a verbis ac mente Apoſtoli alienus, imo ei contrarius [*Hactenus Autor ipſe commentarium hunc recognovit: cætera quæ ſequuntur ab illo recognita non ſunt.*]

Nam primum non ait Apoſtolus, etiam tunc ipſum Filium ſubjectum fore ei, qui ſubjecerit ei omnia, ſed tunc etiam ipſum filium ei ſubjectum fore. Particula enim καὶ ſeu etiam non cohæret cum præcedenti vocula τότε, id eſt tunc, ſed cum ſequenti αὐτὸς. Nam alias particula καὶ in Græco textu præponi debuiſſet voculæ τότε, non poſtponi. Non enim Græcis τότε καὶ ſignificat *etiam tunc*, ut iſti volunt. Deinde particula αὐτὸς emphaſin illam ſuam, quam habet, propemodum amitteret. Hoc enim vult dicere Apoſtolus: non tantum omnia ſubjicienda eſſe Dei Filio, ſed ipſum etiam Dei Filium Patri, qui ei omnia ſubjecerit. Præterea non videretur apoſtolus dicturus fuiſſe ὑποταγήσεται, id eſt ſubjicietur; ſed potius ὑποτεταγμένος ἔσται, ſubjectus erit. Illud enim ſubjectionem, quæ tum demum fieri incipiat, ſignificat; hoc vero durationem ſubjectionis jam antea exiſtentis. Adde quod apoſtolus procul dubio ſignificare voluerit, id quod antea dixerat, Chriſtum redditurum regnum Deo & Patri, vel ſaltem ejus conſequens quoddam exprimere. At id non foret, quod etiam tunc ſubjectus Deo manſurus eſſet Chriſtus, cum hoc ex illorum ſententia perpetuo anteceſſerit, imo credibilius ponatur, antea Chriſtum ſubjectum fuiſſe, quam tunc, cum illi ſubjicientur omnia, ſubjectum fore. At ſi hoc dicere velis apoſtolum, Chriſtum, qui nunc ad dextram Dei ſedens una cum ipſo regnet, poſtea non amplius imperaturum, ſed regno tradito ei, unde acceperat, ipſummet ipſius imperio fore ſubjectum, videbis hanc ſubjectionem traditionis illius quoddam conſequens eſſe, quod ipſum novam quandam rationem nobis ſuppeditat. Etenim cum ſubjectio hoc loco maximam denotet ad parendum alteri obligationem, non cadit in eum, qui alteri imperio ac poteſtate par ſit; præſertim iis ipſis in rebus, quarum reſpectu imperio potitur, utut tandem ab altero imperium acceperit. At vero Chriſtus una cum Deo nunc imperat, eique poteſtate, præſertim in rebus ad eccleſiam ullo modo ſpectantibus, par eſt, licet id imperium ab ipſo Deo acceperit. Denique non bene cohærerent verba ſequentia, *ut ſit Deus omnia in omnibus*: quod poſtea melius apparebit, ubi veram eorum ſententiam explicuerimus.

Nunc illa ipſa, de quorum ſententia diſputamus. verba, aliquanto fuſius explicemus. Intelligendum. igitur eſt, ſubjectionem talem hic intelligi, qualis eſt ſubditi erga ſuum magiſtratum, utut ille ipſe ſubditus in alios iterum aliquam poteſtatem habeat, ſed in cujus uſu ac exercitio penitus a ſuperioris voluntate dependeat: ita ut vel ſine ſuperioris juſſu peculiari nihil queat agere; vel, ſi quid agat, illud ſemper a ſuperiori irritum fieri queat, ita ut nihil iſtorum ſit ratum, niſi ſuperior approbaverit ac ratum habuerit. Hæc vera & proprie dicta eſt ſubjectio. Hæc in Chriſtum, reſpectu Dei, nunc non cadit, nec cadet, quamdiu ad dextram Dei ſedebit. Etſi enim vox Græca ὑποτάσσειν proprie ſignificet ſubordinationem; ſcholaſtici autem ſubordinationem latiſſime extendentes quamvis dependentiam unius ab altero hoc nomine deſignent: non tamen eo modo vox Græca ſolet accipi, præſertim in communi loquendi conſuetudine; ad quam ſe Scriptores ſacri applicant: ſed ea eſt vocis illius vis, quam nos paulo ante explicuimus; quod facile intelliget is qui ſacrarum literarum loca, ubi ea extant, percurrerit. Itaque quod Deus ille ſummus, qui Chriſto omnia ſubjecit, aliquam ſemper præ ipſo etiam ſecum imperante prærogativam habeat, quodque Chriſtus ita imperet, ut Dei nomine faciat, quicquid fa-

cit, ejusque voluntatem de salute nostra, quæ generaliter est ipsi jam olim præscripta, exequatur, id ad ὑποταγὴν seu subjectionem illam Christi, de qua hic sermo est, non sufficit; cum nec in singulis rebus, modo adversus leges regni generaliter nihil fiat, Dei nutum ac voluntatem expectare cogatur Christus; nec quicquam eorum, quæ ipse statuerit, irritum aliqua ratione fieri jam olim Deus voluerit. Sed alia erit ratio ejus autoritatis aut potestatis, quam Christus olim, tradito regno, habebit, vel in universam hierarchiam cælestem, vel saltem in fideles suos jam beatos, de qua superius dictum est satis. Quare cum hic dicit Apostolus, tunc, cum nimirum Christo subjecta fuerint omnia, Christum subjectum iri Patri, non est arbitrandum, eum de re loqui, quæ uno eodemque momento fieri debeat; sed quarum altera continuo sit secutura alteram: subjectio nimirum Christi, respectu Patris, subjectionem rerum omnium respectu Christi. Cætera verba sunt jam satis a nobis explicata.

Illud nunc restat, quod tertio loco ab Apostolo diximus proponi, finis nempe subjectionis illius Christi: qui quidem explicatur illis verbis: *ut sit Deus omnia in omnibus.* Deus hic aliquo modo opponitur Christo, quasi dicatur, ut cum nunc Christus sit omnia in omnibus, hoc est, res omnes ad ecclesiam ullo modo pertinentes ipse per se disponat, postea Deus ipse id faciat. Metonymica est hæc locutio, cum dicitur *esse omnia.* Perinde enim est, acsi dictum esset: Deus erit causa omnium, & causa quidem immediata, quæ ipsamet disponat ac gubernet singula, idque *in omnibus* sive personis, sive rebus olim extituris. Nunc Pater, ut Christus loquitur, neminem judicat, (quod potest ad imperium & gubernationem ecclesiæ universam extendi,) sed omne judicium dedit Filio. Filius ergo per se omnia in omnibus disponit, & pro sua voluntate omnia gubernat. Quanquam inter ipsum & Deum summa est hac in parte conspiratio, præsertim cum ipsius Dei spiritu ac sapientia repletus sit Christus: ut ita Deus in Christo & cum Christo regnare merito dicatur: sed postea alia erit regni hujus ratio, & Deus ipsi etiam Christo, aut etiam iis, quorum dux & princeps erit Christus, per se ipsum mandata dabit.

Absoluta hac tam illustri digressione, redit Apostolus ad seriem rationum, quibus resurrectio nostra confirmetur. Quanquam in ipsa etiam digressione ejus rei argumentum quoddam contineri vidimus. Tertium igitur ejus rei argumentum explicatur illis verbis ℣. 20: *Alioqui quid facient ii qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? quid & baptizantur pro mortuis?* In varias se formas hic vertunt interpretes, quibus distorta magis, quam simplex placet verborum sententia. Sed nos simplicem quam contortam malumus, præsertim cum illa simul sit ad rem, de qua agitur, accommodatissima. Ea vero est, quod videantur tum temporis extitisse quidam magnæ apud Corinthios autoritatis & nominis viri, qui in more habuerint positum, ut si quis ex fidelibus absque baptismo decessisset, eoque ritu Christo solenniter initiatus non fuisset, ipsimet ejus loco ac nomine baptismum susciperent, ac Christi nomen profiterentur; ne forte obesset pie alioqui defuncto baptismo caruisse. Quare pro mortuo baptizari est vel mortuorum loco ac vice, vel in mortuorum bonum ac commodum baptizari. Hoc autem sine omni ratione, imo contra omnem rationem fecissent, si credidissent, de mortuis plane actum esse, eosque in vitam aliquando non redituros. Quomodo enim sibi persuadere potuissent, id mortuis profuturum, si ipsi baptismo eorum nomine tigantur? Non est autem credibile, nec Corinthiis esse potuit, illos viros contra omnem plane rationem tale quicquam facturos.

Argumentum hoc est non tam πρὸς πρᾶγμα, quam πρὸς ἄνθρωπον, ut vocat Aristoteles. Apud eos enim hoc argumentum valet, qui eorum hominum judicio & autoritati, quorum factum in probationem resurrectionis adduxit, aliquid tribuunt. Hujusmodi argumentorum genere non raro utitur is, quem modo citavimus. Philosophus; cum etiam ex falsis aliorum sententiis veram elicit ac probat; propterea quod haudquaquam sit credibile, viros magnos, ut ut erraverint; tota tamen janua aberrasse, aut sine ratione quippiam asseruisse, etiamsi ratio non esset sufficiens. Quare solet ille rationem eam, quæ viros magnos in sententiam falsam impulerit, eruere. Illæ enim per se sumtæ veræ sunt. Videat, qui velit, inter alia disputationem ipsius de summo bono libro Eth. Nicomach. cap. 8, ubi suam de felicitate sententiam aliorum Philosophorum eadem de re sententiis, li. et erroneis, confirmat. Similiter hic agit Apostolus, qui ex facto, licet alioqui, ut mox videbimus, ipsius judicio supervacaneo, elicit argumentum resurrectionis nostræ, ex effectu ad causam progrediens, seu rationem ejus facti eliciens, eamque talem, quam nisi fuissent secuti viri isti, pro insanis fuissent habendi, si ita, quemadmodum fecerunt, egissent. Ratio vero illa est, ut jam monuimus, veritas resurrectionis nostræ. Hoc enim itidem, ut superius factum esse vidimus, pro concesso sumitur ab Apostolo, mortuos, quam diu mortui nimirum sunt, nec voluptate ulla perfrui, nec dolore argi, atque adeo ipsorum conditionem ac statum vel ex deteriori in meliorem, vel ex tristiori in jucundiorum, vel contra ex jucundiori in tristiorem mutari eo ipso tempore non posse. Alioquin hoc argumentum nullius foret valoris. Eo autem posito, valorem eum, quem diximus, habet.

Ex dictis patet solutio argumenti cujusdam, quod huic interpretationi inter alia objicitur. Id vero est, quod hoc argumentum alioqui niteretur errore seu erroneo aliorum facto, ac porro firmum esse non posset, cum tam debili sit superstructum fundamento. Ostendimus enim quomodo etiam ex falsis elici verum, & quidem admodum probabiliter, queat; præsertim apud certos homines, qui auctoritati aliorum multum tribuunt. Sed falsa sententia aut factum erroneum non est argumentationis fundamentum qua falsum est; sed qua effectus quidam est veritatis, non quidem ejusmodi, quem veritas necessario producat, sed qui veritatem necessario ponat, seu qui existere non possit, nisi is, qui errat, de veritate ejus rei, quam nos defendimus, persuasus esset.

Sed objicitur præterea huic sententiæ, quod Apostolus videretur reprehensurus fuisse hoc factum, tanquam erroneum; quod tamen minime fecerit. Respondeo, Apostolum, ut claris admodum verbis reprehenderet, necesse non habuisse; tantum satis est, errorem innuisse. Illud ideo, quia, cum propositum ipsi esset, ex hoc facto argumentum petere resurrectionis, non erat necesse, imo non valde quidem conveniens, ut facti hujus absurditatem exagitaret, apud eos præsertim, apud quos in pretio, ut apparet, e-

rant

rant facti hujus autores, & apud quos autoritatem ſuam non penitus amittere utile erat; præſertim cum non multum ex eo errore damni ad quenquam redire poſſet, plus autem utilitatis, ſi quis una cum illis reſurrectionem fidelium firmiter crederet; etiamſi cæteroqui eundem cum illis errorem erraret, quemadmodum paulo poſt apparebit. Quod ſi factum hoc exagitaſſet Paulus, & abſurditatis arguiſſet, viſus fuiſſet judicio iſtorum hominum plus detraxiſſe, quam res ipſa hic ferebat. Interim tamen non neglexit Apoſtolus innuere, id ſibi factum per ſe non probari; ſeu, utut non admodum improbet, non laudare tamen nec imitari. Nam bis id factum exprimens, ſe manifeſte ab illo hominum genere, quibus id tribuit, ſejungit, & illis ſe quodammodo opponit. Ita enim, ut vidimus, loquitur: *quid facient illi, qui baptizantur pro mortuis?* & iterum, *quid & baptizantur pro mortuis?* quibus ſubjungit: *quid & nos periclitamur omnem horam?* ubi aperte Apoſtolus ſeſe ab illis diſtinguit. At ſi Apoſtolus rem illam approbaſſet, & laudabilem ullo pacto cenſuiſſet, certe vel inter primos ipſe fuiſſet, qui ea in re aliis præiret.

Atque hinc etiam argumentum quoddam patet veritatis ſententiæ noſtræ, falſitatis autem ſententiæ eorum, quibus baptizari pro mortuis eſt vel baptizari inſtar mortui, ſeu, ut te mortuum quodammodo profitearis; vel, quæ pontificiorum multorum eſt ſententia, pœnitentiam, neſcio quam, ſuſcipere, ut mortuis proſis, & eos ex purgatorii pœnis liberes. Nam prius illud omnino fuiſſet Apoſtolo commune cum aliis; poſterius etiam ex ipſorum ſententia eſſe debuiſſet. Sed de his interpretationibus nonnihil dicemus poſtea.

Nunc tertiæ adhuc objectioni, quæ interpretationi noſtræ opponitur, occurrendum eſt. Ea vero eſt, quod hiſtoriæ nihil de hac conſuetudine, baptiſmum defunctorum vice ſuſcipiendi, narrent. Sed in eo parum eſt roboris, cum nihil neceſſe ſit, omnia ſcripta eſſe; vel, quæ ſcripta aliquando fuerunt, ad manus noſtras perveniſſe omnia. Multa ſane olim circa Apoſtolorum tempora contigiſſe, intelligere aut conjicere ex iis, quæ in ſacris literis legimus, facile poſſumus: de quibus tamen nulla teſtatur hiſtoria. Quanquam id ipſum pro hiſtoria quadam habere poſſumus, quod nonnulli ſacrarum literarum interpretes annotarunt, præter Ambroſium & Chryſoſtomum, duos vetuſtiſſimos eccleſiæ ſcriptores, Irenæum nimirum & Tertullianum, eo, quo nos volumus, modo locum hunc accipere: illum quidem hæreſ. 8, hunc vero lib. de Reſurrectione c. 24. Cum enim hi ſcriptores inter cæteros, quorum ſcripta hodie extant, Apoſtolicis temporibus fuerint proximi; non eſt veriſimile, eos ita hunc locum accepturos fuiſſe, niſi aliqua ratione cognoviſſent, fuiſſe Apoſtolorum tempore, qui ita factitarint. (a) Et Marcioniſtas quidem id in more poſitum habuiſſe, ut pro mortuis baptizarentur, iidem ſacrarum literarum interpretes annotant. Credibile autem eſt, illos ab aliis id accepiſſe.

Neque vero mirari quisquam debet, in hunc errorem potuiſſe incidere viros etiam magnos. Facere enim aliquid, quod mortuis prodeſſet, iisque aliquid ad reſurrectionem & ſalutem afferret adjumenti, jam multo ante Chriſtum uſitatum fuiſſe, facile colligitur ex eo, quod in fine cap 12. lib. 2 Maccabæorum legitur; ubi videmus, Iuda Macchabæo autore, miſſam fuiſſe ab exercitu Judaico certam pecuniæ ſummam, ut pro peccatis mortuorum Hieroſolymis ſacrificium offerretur. Ubi addit libri autor, *illum bene & religioſe de reſurrectione cogitaſſe. Niſi enim*, inquit, *eos, quæ ceciderant, reſurrecturos ſperaretur, ſuperfluum & vanum videretur orare pro mortuis*; & denique addit: *ſancta ergo & ſalubris cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* Et hunc ritum videmus hodieque a Judæis ſervari. Quod ergo in oblationibus & precibus fieri potuit, & pro re ſancta & laudabili fuit habitum, cur non etiam potuit in baptiſmo? præſertim cum facile potuerit ea invaleſcere opinio, obſuturum mortuis alioqui fidelibus ſine baptiſmo deceſſiſſe; profuturum autem, ſi, quod ipſi facere aliqua re prohibiti non potuiſſent, alii poſtea eorum nomine facerent. Videmus hodie in eadem hac cerimonia vehementer immutata infantium nomine reſpondere ſuſceptores, & fidem Chriſtianam profiteri, ac baptiſmum velle ſe ſuſcipere, teſtari, idque perinde accipi, ac ſi infantes dixiſſent; qui tamen nec fidem illam habent, nec profiteri quidquam poſſunt. Quid mirum ergo, ſi quis mortui nomine baptiſmatis ritu ſuſcepto, fidem eam, quam mortuus revera habuit, & cæteroqui profeſſus fuit, profiteri non dubitavit? Quo accedit, quod valde antiquus ſit mos, Catechumenos, quos vocant, ſeu eos, qui in religione Chriſtiana primum inſtituebantur, certo demum anni tempore baptizandi. Ut taceam eos, quos clinicos appellant veteres, quaſi dicas, lectularios, qui ſoliti ſunt baptiſmum ad extremum vitæ ſpatium differre, & paulo ante mortem, animam propemodum efflaturi, ſuſcipere; veriti, ne poſt iſtam ablutionem denuo peccato aliquo contaminarentur. Quo fere modo Conſtantinus etiam magnus baptizatus fuit. Quam facile autem fieri potuit, ut quempiam mors inopinato opprimeret, ut ita ipſemet baptiſmum rite ſuſcipere non poſſet. At ſi conſtitit, eum id unice deſideraſſe, & facere voluiſſe, quid prohibet, creditum fuiſſe, poſſe alium loco mortui ſubſtitui, qui ritum iſtum ejus nomine ſuſcipiat? Apparet autem errorem hunc valde fuiſſe antiquum. Cum ergo nihil interpretationi huic objici poſſit, quod ipſam evertat, ipſa verborum ſimplicitas ſuadet, ut in ea acquieſcamus, præſertim cum ad id quod Paulus voluit probandum admodum ſit idonea.

Aliæ, quæ afferuntur interpretationes, vel verbis accommodari non poſſunt; aut nimis ſunt coactæ; vel ad inſtitutum apoſtoli ineptæ. De quibus hæc breviter. Illa, quæ Bellarmino & aliis quibuſdam pontificiis magis placet, nempe baptizari hic eſſe, afflictiones, lacrymas & preces, ut mortuos ex purgatorio liberes, ſuſcipere; primum ideo rejicienda eſt, quod vocem baptiſmi nuſquam in ſacris literis ita poſitam invenies. Nuſpiam, inquam, vox baptiſmi ſignificat afflictionem corporis, quam tu ipſemet ſponte adhibeas; vel moleſtiam quandam; multo minus autem preces, oblationes, aut ſimilia: ſed in locis, quæ ab illis adducuntur Marc. 10. 31. Luc. 12. 50; quibus addunt Pſal. 32 verſ. 6, ubi eſt diluvium aquarum, ſignificat tantos malorum & calamitatum fluctus, quibus penitus obruaris ac mergaris, & quæ aliunde inferuntur, idque tanta vi ut effugere naturalibus viribus non poſſis. Deinde hoc nihil ad apoſtoli ſcopum, quod de purgatorio iſti dicunt; imo hoc pacto argumentum apoſtoli everteretur. Quid enim liberatio ex purgatorio, quæ ante reſurrectionem contingat, ad ipſam reſurrectionem demon-

(a) *Marcion Ioannis tempore extitit.*

ſtrandam facit? Nam ſive ſequeretur reſurrectio, ſive minus, poſſet aliquis ex ipſorum ſententia baptizari pro mortuis, idque ſumma cum ratione, ut nimirum eos ex purgatorio liberaret. Et hoc ipſum argumento eſt magno, animas ante reſurrectionem per ſe ipſas non vivere, nec ullis ſive doloribus ſive gaudiis affici poſſe: alioqui concideret penitus argumentum apoſtoli. Quod idem accommodari poteſt ad locum Macchabæorum, quem toties pro purgatorio illi jactant.

Sunt adhuc inter complures alias duæ, quæ viris ſacrarum literarum peritiſſimis placuerunt, hoc de loco ſententiæ: quarum altera eſt, baptizari pro mortuis eſſe, eum in finem aqua tingi, ut profitearis, te quodammodo eſſe mortuum; ſeu, ut idem apoſtolus alibi de baptiſmo differens loquitur, una cum Chriſto mortuum ſepultumque, intellige figurate ac ſpiritualiter. Sed hoc primo nihil habet roboris ad veram illam reſurrectionem oſtendendam. Deinde verbis id nullo modo accommodari poteſt. Particula enim ὑπὲρ hujusmodi ſenſum nullo modo admittit. Præterea non debuiſſet apoſtolus voci νεκρῶν præficere articulum; quod tamen bis facit. Hic autem ſignificat vocem νεκρῶν ſubjective poni; non vero affectionem tantum ſubjecti denotari, quod poſterius ſententia iſta poſtulat. Quam rationem memini in notis Ioſephi Scaligeri ſuper hunc locum legere. Denique non debuiſſet Paulus ſe quodammodo ſejungere ab iis, qui id faciant: nam & ipſe eo modo eumve in finem erat baptizatus.

Altera ex duabus iſtis interpretationibus eſt, ut ὑπὲρ τῶν νεκρῶν fit ſuper mortuis, hoc eſt, ſuper ſepulchris mortuorum. Sed primo nullum vel minimum affertur ejus rei indicium, hanc conſuetudinem apud veteres viguiſſe. Imo id haud eſt verisimile, ſi ritum veteris eccleſiæ ſpectes: cum eo tempore illi ſolerent toti aqua immergi. Non eſt autem valde credibile, ſolitos eſſe iſtos, de quibus loquitur Apoſtolus, vaſa ibi conſtituere capacia, in quibus ſe mergerent. Deinde nec inde ſequeretur, omnino creditam ab illis fuiſſe reſurrectionem mortuorum. An non enim vel ideo id facere potuiſſent, ut profiterentur, ſe ſimiles fieri velle mortuis? id quod baptiſmi ritu profitentur Chriſtiani, ut ex cap. 6 ad Rom. notum eſt: vel etiam ideo, ut teſtarentur, ſe eandem religionem ac fidem amplecti, quam ſecuti eſſent illi, ſuper quorum ſepulchris baptizarentur? Procul dubio enim ſuper fidelium ſepulchris ideo baptiſmum ſuſcepiſſent. Quomodo ergo Apoſtolus tam audacter, idque bis, quærere potuiſſet; *quid facient illi, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt*? Denique nullum arbitror te reperturum in univerſo Novo Fœdere locum, ubi ὑπὲρ τινος ſignificet *ſuper aliquem* ſeu *aliquo*, nempe *loco*: at uſitatiſſimum eſt, ut ſcilicet cauſa vel gratia alicujus rei, & utilitatem deſignet, quæ ad aliquem ſit reditura. Hoc ergo illi longe eſt præferendum. Sed de his ſatis.

Sequitur ultima Apoſtoli ratio, ab ipſius potiſſimum apoſtoli exemplo, ſeu mavis, autoritate petita: quæ apoſtoli autoritas apud Corinthios pleroſque ſaltem, magna erat, &, etiamſi a quibuſdam labefactaretur, ita tamen convelli non poterat, ut inſanus ac furioſus eſſe videretur. Quod tamen de illo jure dici potuiſſet, ſi reſurrectio mortuorum non eſſet; quemadmodum poſtea videbimus. Rationis ſumma hæc eſt: quod nulla futura eſſet, ſcilicet gravis, cauſa, cur tot pericula, tot calamitates ſubiret; quas tamen ſuſtinebat prope perpetuo graviſſimas, ſi nulla reſurrectionis ſpes eſſet; ſeu mavis, ſi non haberet ipſe certiſſima futuræ reſurrectionis documenta: nec credibile fuiſſet, Deum ac Chriſtum velle, ut tot mala tamque acerba perferret, ſi nulla poſt hanc vitam ipſi reſtaret merces. Rationem autem hanc proponere videtur primo generalius; deinde aliquanto ſpecialius; & denique eam a contrario illuſtrare ac confirmare.

Vers 30. Primum facit vers 30 & 31, ubi inquit: *Quid & nos periclitamur omnem horam*? ſubintellige id quod verſu præcedenti dictum fuerat, *ſi omnino mortui non reſurgunt*. Et hæc conſequentia eſt ſeu propoſitio argumenti apoſtolici, in qua vox *nos*, per uſitatam ſynecdochen, Paulum ſolum videtur deſignare. Nam, ut ex ſequentibus apparet, de ſe hic proprie loquitur: niſi velis eum hic Soſthenem, quem initio hujus epiſtolæ ſecum conjunxerat, ſubintelligere, licet de ſe præcipue loqueretur. Sed prius eſt veriſimilius. Cum autem dicit, *omnem horam* uſitata videtur eſſe etiam in communi loquendi conſuetudine hyperbole; qualis etiam in ſequentibus, in quibus aſſumtio argumenti continetur: & quodam Apoſtoli juramento confirmatur, cum ait verſ. 31: *quotidie morior, per noſtram gloriationem, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Cum ait, *ſe mori*, idque *quotidie*, hoc ſignificat, ſe ſubinde tales incurrere afflictiones, quæ mortem illi afferrent, niſi divinitus ex illis liberaretur; ſeu in mortis periculum ſe creberrime incidere. Quo pacto in ſecunda ad eosdem epiſtola ſcribit cap 1 *ſe ereptum eſſe ex tanta morte, & ſperare, ſe Deum etiam in poſterum erepturum* verſ. 10; hoc eſt, ut paulo ante ſcripſerat, verſ. 8 & 9, *ex tanta afflictione, qua ſupra modum, ac ſupra vires fuerit gravatus, ita ut etiam deſperaret de vita, & in ſeipſo decretum mortis haberet.* Et inferius ejuſdem epiſtolæ cap. 4 de ejusmodi afflictionibus loquens ait: *mortificationem Domini Ieſu in corpore circumferentes, ut & vita Ieſu in corpore noſtro manifeſtetur. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Ieſum, ut & vita Ieſu*, hoc eſt quæ a Ieſu proficiſcitur, *manifeſtetur in mortali carne noſtra. Quare mors quidem in nobis operatur, vita autem in vobis.* Cum vero ait, *per noſtram gloriationem*, in Græco eſt νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν. Particula autem νὴ eſt aliquid affirmantis, & quadam juramenti forma confirmantis, ut νὴ τὸν Θεόν. Iurat ergo Apoſtolus per gloriationem ſuam, quam habeat in Chriſto Ieſu. Nam cum dicit, *noſtram*, iſta utitur ſynecdoche, de qua antea diximus, vers 30. ut *noſtram* dicat pro *meam*, id quod indicat ſequens orationis particula, ubi inquit: *quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Nam alias dicere potius debuiſſet, quam habemus in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ex qua etiam patet, non debere legi ὑμετέραν veſtram. neque enim congrueret illud, *quam habeo in Chriſto Ieſu*: ſuam enim habebat gloriationem; non ipſorum.

Ambigitur hoc loco quid per *gloriationem* illam intelligat Apoſtolus. Illud facile eſt cogitare, gloriationem hic ſumi pro re, de qua ipſe glorietur, quæque glorationis ſit cauſa. Quo pacto vocem hanc ſumit in 2. ad Corinth. cap. 1. 12: *Gloriatio*, inquit, *noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate & ſinceritate Dei; non in ſapientia carnali*

*ſed*

*ſed in gratia Dei verſati ſumus in mundo ; abundantius autem* vel *potiſſimum autem apud vos.*

Non probatur nobis eorum ſententia, qui cenſent intelligi hic illas afflictiones, quas Chriſti cauſa patiebatur, de quibus in ſecunda ad eoſdem epiſtola vehementer gloriatur; & quidem ita, ut dicat, *ſe de ſe ipſo non gloriaturum niſi in infirmitatibus*, hoc eſt, afflictionibus ſuis, cap. 13. verſ. 5: quod infra aliquo modo repetit verſ. 9, & in ſequentibus explicat. Sed id non admodum ad hunc locum quadrat. Quid enim illud eſſet; *ego quotidie morior*, hoc eſt, pericula & afflictiones graviſſimas, quæ mortem mihi præſentem intentant, ſuſtineo, teſtor illas ipſas afflictiones, de quibus glorior ? idem enim per ſe ipſum probaret apoſtolus. Adde quod non fruſtra addit Paulus, *quam habeo in Chriſto Domino noſtro.* Ideo enim id facere videtur, ut gloriationem, quam de ſe ipſo habeat, qualis eſt illa, cum gloriatur de ſuis afflictionibus, ut ex loco paulo ante adducto 2. ad Corinthios conſtat, excludat, eamque intelligat ſolam, quæ ex divino beneficio, per Jeſum Chriſtum in ſe collato, tota pendeat, eique in ſolidum ſit adſcribenda.

Omnium eſt vero ſimillimum, hic intelligi ipſam religionem Chriſtianam, ſeu ea, quæ ſecum affert, bona; de qua loquitur ad Philippenſes 3. verſ. 3: *Nos*, inquit, *ſumus circumciſio*, hoc eſt, populus Dei circumciſus, *qui ſpiritu Deo ſervimus, & gloriamur in Chriſto Jeſu*, hoc eſt, in religione per Chriſtum nobis tradita, & iis, quæ illa nobis attulit, bonis; & non in carne confidentes. Quid autem illud ſit explicat in ſequentibus, ubi cur in carne, licet alioquin poſſet, confidere nolit, ſed in Chriſto malit gloriari, atque adeo etiam debeat, ſat fuſe oſtendit. Huc pertinet illud, quod idem apoſtolus dicit ad Gal. cap. 6. verſ. 14: *mihi*, inquit, *ne accidat gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Cum Chriſti crucem nominat, omnia illa per ſynecdochen quandam comprehendit, quæ noſtræ ſalutis cauſa Chriſtus non modo paſſus eſt, ſed & fecit, & conſecutus eſt, ipſamque adeo religionem, morte ipſius tam acerba tamque infami confirmatam. In hac comprehenditur *gloriatio illa ſpei*, quam Divinus Autor epiſtolæ ad Hebræos vult a nobis uſque ad finem retineri firmam. Quod ſi quis in loco noſtro velit adjungere gloria ioni de religione Chriſtiana gloriationem de munere tam præſtanti, quod ſingulari Dei ac Chriſti beneficentia obtinuerat, & pro quo nominatim etiam Chriſto, ad Timotheum ſcribens, agit gratias, cum illo non contendemus. Nam etiam ea de re ſe merito gloriari poſſe, vel hanc gloriationem ſe habere in Chriſto Jeſu in iis quæ ad Deum pertinent, videmus ex epiſtola ad Romanos cap. 15, ubi cum dixiſſet, *hanc ſibi gratiam datam eſſe a Deo, ut ſit miniſter Jeſu Chriſti ad* vel *apud Gentes, qui ſacerdotis inſtar tractet euangelium Dei, ut fiat oblatio gentium bene accepta, ſanctificata in ſpiritu ſancto*, ſubjicit verſ. 17, *habeo ergo gloriationem in Chriſto Jeſu*, in iis ſcilicet, quæ ad Deum pertinent. Hoc ergo vult dicere : id, quod aſſero de meis afflictionibus, tam certum eſt, quam certum eſt id de quo maxin e glorior, nempe, me Chriſtianum eſſe, vel etiam Chriſti legatum. Per hanc enim meam gloriationem ego vobis affirmo, rem ita ſe habere.

Verba illa apoſtoli, *quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro*, jam diximus ita accipienda eſſe, ac ſi dictum fuiſſet, quam habeo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, nempe a Deo. Niſi malis particulam (a) ἐν hoc loco ſumere pro περὶ, quaſi dictum eſſet, quam gloriationem habeo de Jeſu Chriſto Domino noſtro. Sic enim locutus eſt loco ſupra citato ad Philip. 3, & alibi ſæpe ita loquitur idem apoſtolus. Sic gloriari in Deo, in lege, in cruce Chriſti, in carne, in certis hominibus, idem dixit alibi Rom. 2. 17, & 23 Gal. 6. 13, 14. 2 Theſſ. 1. 4. Sed prior explicatio videtur eſſe planior, & magis cohærent illa, *in Chriſto Jeſu*, cum verbo *habeo*, qnam cum gloriatione.

Hactenus vidimus, quomodo paulo generalius hanc rationem explicuerit apoſtolus : ſequitur, ut videamus, quomodo ſpecialius eandem explicet. Id autem fit priore parte verſ. 32. Quanquam non ſatis inter interpretes conſtat, quouſque verba illa ſint extendenda, quibus ea ratio continetur, propter verba intermedia, quæ & antecedentibus & ſequentibus jungi poſſunt & ſolent. Ita enim legimus ℣. 32: *Si ſecundum hominem cum beſtiis pugnavi Epheſi, quæ mihi utilitas, ſi mortui non reſurgunt; edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Codices plerique, quos quidem hactenus videre contigit, verba illa, *ſi mortui non reſurgunt*, antecededentibus annectunt, & poſt illa ſignum interrogationis ponunt; quaſi duplex ſit in eadem enunciatione hypotheſis. Ita enim legunt : *ſi ſecundum hominem cum beſtiis pugnavi Epheſi, quæ mihi utilitas, ſi mortui non reſurgunt* ? Piſcator vero ita cenſet legendum, ut poſt verba, *quæ mihi utilitas*, ſignum interrogationis ponatur, & ſic finiatur ſententia : verba autem illa, *ſi mortui non reſurgunt*, annectit ſequentibus, quæ alias ex abrupto ponerentur. Itaque hoc modo legit : *ſi mortui non reſurgunt, edamus & bibamus : cras enim moriemur.* Quæ quidem lectio nobis haudquaquam diſplicet : primo, quod durum ſit, duas ejuſmodi hypotheſes in una propoſitione poni; præſertim cum ſententia jam ſit plena, altera illa hypotheſi ſublata, ita ut hæc ſuperflua cenſeri debeat. Nam cum *P*aulus dicit, *ſi ſecundum hominem pugnavi cum beſtiis, quæ mihi utilitas?* ſenſus plenus eſt, nec requiritur ad ejus veritatem explendam, ut addatur, *ſi mortui non reſurgunt.* Sive enim ponas reſurgere, ſive minus, nullam certe utilitatem veram, de qua loquitur, retuliſſet apoſtolus, ſi ſecundum hominem, hoc eſt, humano more, cum beſtiis pugnaſſet. *P*oteſt quidem id aliqua ratione excuſari, ut dicemus poſtea, non tamen ita poni, ne deſideres aliquid planius. *P*lanior autem eſt altera illa, quam poſuimus, ſententia. Deinde ſequens oratio hoc modo erit plenior, quæ nunc abrupta eſt & imperfecta. Quid ergo dubitemus verba illa media ſequentibus adjungere ? cum ſine iis præcedentia plenum habeant ſenſum : ſequentia non habeant; ita quidem, ut ibi redundent, hic vero deſiderentur. Quod ſi tamen omnino velis ea præcedentibus eſſe annectenda, perinde erit, ac ſi dixiſſet : Si ego humano more pugnavi cum beſtiis Epheſi, quis inde ad me redibit fructus ? humano autem more omnino pugnaſſem, ſi mortui non excitantur.

Sed hoc loco non exigua interpretibus objicitur difficultas, diſputantibus, quæ ſit iſta θηριομαχία Epheſina, quam *P*aulus ſibi tribuat ? Alii proprie verba iſta accipiunt; alii improprie. Qui proprie, ſtatuunt *P*aulum aliquando fuiſſe objectum beſtiis, eaque occaſione cum illis certaſſe : quo in certamine periculum vitæ præſentiſſimum adierit, victor tamen divina virtute evaſerit. Qui improprie, illi fere vel ad tempus ſeditionis a Demetrio adverſus *P*aulum excitatæ, de qua legi-

(a) ἐν pro περὶ.

mus Actor. 19, hæc referunt ; vel ad certamina cum Judæis pervicacibus, cum quibus per longum tempus ibidem disputasse legitur, eodem cap. 19 vers. 8,9.

Illis, qui proprie verba ista accipiunt, duo potissimum objiciuntur : primo, quod Lucas in Actis id scribere penitus omiserit : deinde, quod ea demum videatur esse θηριομαχία, cum quis armatus cum bestiis congreditur ; quemadmodum olim congredi solebant bestiarii, sic dicti. At Paulus proculdubio, ut quidem illi ipsi sentiunt, objectus fuisset bestiis a magistratu & aliis hominibus improbis, non virtutis aut roboris ostendendi, sed supplicii causa. Hujusmodi autem homines nudi atque inermes objici solebant. Sed ad primum responderi solet ab iis, qui proprietatem verborum defendunt ; multa etiam alia, eaque maximi momenti, præteriisse Lucam ; quale etiam est illud inprimis, quod Paulus, his iisdem Corinthiis scribens 2 epist. cap. XI. vers. 25, commemorat : *ter naufragium feci : diem ac noctem in profundo egi :* ut taceam illa : *a Judæis quinquies quadraginta plagas, si unam demas, accepi.* Ad secundum, etiamsi Paulus inermis objectus fuerit bestiis, eum tamen, divina virtute corroboratum, cum iis pugnare ac vincere eas potuisse. Videmus sane olim divina virtute tum Simsonem, tum Davidem, licet vel prorsus, vel propemodum inermes, superasse leones & ursos. Quare nihil prohibere videtur, quo minus verba hæc apostoli proprie capiantur. Quod si adhuc objicias, ne Paulum quidem ipsum in 2. ad Corinth. eosdem epistola, ubi commemorat suas, quas perpessus erat, afflictiones & persecutiones, hanc θηριομαχίαν commemorasse cap. XI. vers. 26 : Responderi poterit, eam comprehendi posse iis verbis, quibus affirmat, se fuisse in periculis, in urbe ; vel etiam in præcedentibus ubi commemorat pericula, partim a suis gentilibus, partim ab ethnicis profecta.

Quod ad duas posteriores interpretationes attinet, quæ figurate verba capiunt ; Priorem refutant non pauci, ostendentes, seditionem a Demetrio, non ante epistolam hanc, sed post eam demum a Paulo scriptam, excitatam fuisse ; qua de re videatur Beza. Posterior ideo est minus verisimilis, quod hoc loco, ubi de resurrectione agit, ostenditque, nullam esse causam, cur tot sese periculis objiciat, si mortui non sint resurrecturi, non ejusmodi pugna, quæ intra verba consistat ; sed quæ vitam ipsam appetierit, intelligenda sit, præsertim cum in præcedentibus pericula vitæ, quæ verbo moriendi complectitur, commemorarit ; quibus exemplum aliquod speciale, si modo ad certam aliquam historiam nominatim respicitur, subjici consentaneum est. Deinde illud, *secundum hominem*, id est, hominum more, quam hic vim haberet ? longe sane elegantius additum apparebit, si ad vocem θηριομαχίαν seu pugnam cum bestiis hic respici dicatur : ut taceam, nimis obscure rem hanc Paulum Corinthiis significaturum fuisse, si ad pugnas aut contentiones cum Judæis respexisset.

Sed supereſt adhuc alia quædam interpretatio, quæ figurate verba sumit, & cum illa, quæ proprie capit, eadem de palma certat. Ea vero est ejusmodi, ut non solum verbum θηριομαχεῖν, sed tota illa locutio, *pugnare cum bestiis Ephesi*, tropum censeatur continere : quasi sensus sit ; Si ego tot tantaque pericula suscipiendo similis fui iis hominibus, qui roboris ac pugnacitatis ostentandæ, ac porro gloriolæ alicujus aucupandæ gratia, cum bestiis pugnant Ephesi, quæ inde ad me vera redundaret felicitas ? At vero similis illis fuissem, si resurrectio mortuorum nulla esset. Vel hoc modo : Si ego aliorum hominum more pugnassem cum bestiis, id quod Ephesi contingere sæpe solet, num putatis me veram inde aliquam utilitatem reportaturum ? at certe perinde agerem atque egissem, si resurrectio foret nulla.

Sed in hac tamen explicatione, priori modo explicata, duo suboriuntur scrupuli. Primum, cur tempus mutarit apostolus ? Nam in præcedentibus verbis vers. 30, & 31 de periculis suis loquens, bis præsenti utitur tempore. Quare videretur potius dicturus fuisse : si ego secundum hominem cum bestiis pugno Ephesi ; non vero pugnavi. Deinde non apparet causa, cur nominatim commemoraverit Ephesum, & non potius absolute dixerit : si secundum hominem pugnavi cum bestiis, quæ mihi utilitas ? siquidem nullam videtur phrasi addere emphasin ; præsertim cum nihil constet, Ephesi potius, quam alibi, vel etiam non alibi θηριομαχίαν fuisse usitatam. Itaque hæc ratio utraque, maxime posterior, videtur opponi posse interpretationi isti altero etiam modo explicato : in qua illud quoque duriusculum est, quod præteritum *pugnavi*, pro *pugnassem*, sit accipiendum.

Posset quidem ad ista nonnihil reponi, sed tamen tale, ut videatur satius esse, proprietatem verborum sequi, præsertim cum alias quoque a verborum proprietate non sit sine gravi causa recedendum. Adde, quod, si proprie verba accipiantur, accommodatissime ad rem locutum fuisse apostolum appareat, & aptissimum instituto suo attulisse argumentum. Subjecisset enim apostolus generali periculorum suorum commemorationi exemplum speciale, idque apertissimum, ac simul inter cætera recentissimum, utpote quod in ea sibi urbe contigisset, in qua tum, cum ista scriberet, versabatur. Id autem clarissime ostenderet, eum non nisi certa resurrectionis spe fretum tantum periculum adiisse. Eo ergo magis inclinamus, ut existimemus proprie hæc verba apostoli accipienda esse.

His ita dictis, videndum porro est, quomodo idem argumentum a contrario illustret apostolus : id quod facit in illis verbis : *Si mortui non resurgunt, edamus & bibamus ; cras enim moriemur :* vel, ut alii volunt ; qui prima illa, *si mortui non resurgunt*, annectunt præcedentibus, in istis tantum : *edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Quæ posterior lectio si admittatur, magis ex abrupto locutus censebitur apostolus. Sensus tamen idem erit. Id enim sibi voluit : si mortuorum nulla est resurrectio, tantum abesse, ut tot tantisque calamitatibus nos frangere, tot periculis vitam nostram objicere debeamus, ut potius cum impiis illis, de quibus est apud Esaiam prophetam, ita statuendum esse videatur, edendum esse ac bibendum, ac genio indulgendum, dum vita superest, quæ non diu est duratura. Nam vel cras adventuram mortis horam ; post mortem autem nullam restare voluptatem. Verba ista extant apud Esaiam cap. 22. vers. 13. In illis verbum *morimur*, quod Græca habet interpretatio, positum esse pro *moriemur*, quod est in Hebræo, omnes vident.

Non videtur autem intelligendum, Paulum omni ex parte, seu ea plane sententia, qua impii ea proferre solent, approbasse, resurrectione mortuorum ne-

rum negata. Nam verba hæc, ſimilia Sardanapali dicto, ab iſtiuſmodi hominibus de nimiis gulæ voluptatibus intelligi ſolent, quas ratio ipſa, etiamſi tandem mortuorum reſurrectio nulla eſſet, reſpuit. Verumtamen ſunt quædam voluptates corporis, quæ nunc quidem Chriſtianis hominibus nimiæ ſunt, a quibus natura noſtra difficulter abſtrahitur; cum ad eas admodum ſit prona, quaſque ratio ipſa per ſe non adeo damnat. His indulgere ſane conſentaneum foret, ſi reſurrectio mortuorum ſperanda non eſſet. Deus ſane ipſis Iſraelitis etiam, quibus hujus tantum vitæ bona aperte promiſit, multas corporis voluptates, quæ nobis nunc ſunt illicitæ, indulſit, modo cæteroquin eſſent innoxiæ. Non approbavit quidem omnes, nulla tamen pœna eas coërcuit. Illud certum eſt, quo Paulus inprimis reſpexit; ſi reſurrectio mortuorum nulla eſſet, tantam injuriam corpori noſtro haudquaquam facere neceſſe eſſet; nec, ut faciamus, rationem ſuadere, ut non tantum genium noſtrum fraudemus innoxiis nec adeo inhoneſtis voluptatibus, ſed etiam tot vitam noſtram periculis, & tam diris corpus noſtrum tormentis ac cruciatibus ſubjiciamus, quibus ſe ipſum Paulus perpetuo, & Chriſtiani cæteri ſæpius objicere ſolent.

Verſ. 33, 34. His ita dictis, brevem apoſtolus ſubjicit admonitionem & objurgationem Corinthiorum, qua primam hanc capitis hujus partem concludit. Facit id verſ. 33 & 34. Admonitio exprimitur his verbis: *Ne erretis: corrumpunt bonos mores colloquia prava: vigilate juſte, & non peccate.* Deinde hujus admonitionis cauſam cum perenni quadam objurgatione conjunctam ita exprimit: *Ignorantiam enim Dei quidam habent: ad pudorem vobis dico.*

Ait ergo primum, *ne erretis*, propterea quod adeo licenter apud ipſos reſurrectio fidelium in dubium vocaretur, nec eſſent, qui ita tam pernicioſo errori ſeſe opponerent, quemadmodum oportebat, arbitrantes, non adeo multum ad Chriſtianiſmum referre, ut de reſurrectione quiſque certo ſit perſuaſus. Quin etiam apparet, voces hujuſmodi Epicuræas, *edamus & bibamus, cras enim moriemur*, inter ipſos impune fuiſſe auditas; cum non ſine cauſa ſubjungat apoſtolus; *colloquia mala bonos mores corrumpere.* De hujuſmodi enim colloquiis, occaſione diſputationis de reſurrectione mortuorum ortis, eum hic loqui, ſeu ad ea nominatim reſpicere, ipſe verborum contextus & occaſio, ex qua in ea verba delapſus eſt, ſatis unumquemque monet. Indicat ergo apoſtolus, eos, dum ita parvi pendunt, quid de reſurrectione diſputetur, aut hujus ipſius diſputationis occaſione de moribus dicatur inter eos, qui Chriſtianam religionem profitentur, magno in errore verſari; nec eam rem levem, ſed graviſſimam eſſe; nec poſſe hac in re niſi graviter & valde pernicioſe errari: ſiquidem ex hujuſmodi diſputationibus & colloquiis, morum conſecutura ſit depravatio ac corruptio. Moribus autem corruptis quid amplius ſupereſt boni; aut quid Chriſtianiſmus eſt, niſi nomen? Senarium illum Græcum, φθείρουσιν ἤθη &c. Menandri eſſe, jam pridem viri docti notarunt.

Verſ. 34. Cum porro ait: *evigilate juſte*, indicat, eos, veluti veterno quodam oppreſſos, in tanto ſalutis ſuæ periculo ſecuros ſtertere. Quare monet, ut ſeſe recolligant, &, ut in tanto diſcrimine par eſt, ſalutis ſuæ atque aliorum majorem curam gerant, & majori cum attentione, quid quiſque hac in parte dicat aut ſentiat, animadvertant; nec patiantur, ut ii, qui reſurrectionem in dubium vocabant, atheiſmum & Epicureiſmum quendam paulatim in ipſorum cœtum introducant. Vocem *juſte* perinde hic accipiendam exiſtimamus, ac ſi dictum eſſet; ut par eſt, prout convenit, prout æquum eſt in re tanti momenti fieri: Vult enim apoſtolus, ut ſtudium, cura ac diligentia, quam Corinthios hac in parte vult adhibere, magnitudini rei reſpondeant. Quanquam non deſunt, qui ita vocem eam accipiant, quaſi dictum ſit, ut juſtitiæ vacetis; & ſic opponatur illi, quod ſequitur; *& non peccate.* Cum iis quidem contendere non placet; durius tamen & inſolentius id nobis videtur.

Cum vero addit: *ne peccetis*, finem exprimit, ob quem juſte evigilare, & ea, qua par eſt, cura in ſuam & totius eccleſiæ curam incumbere debeant, tam pernicioſo de reſurrectione errori, indeque natis pravis colloquiis obviam euntes, eumque in eccleſia minime ferentes, ne peccent. Quod quidem dupliciter accipi poteſt: aut, ut peccare deſinant, quemadmodum hactenus fecerant eo ipſo, quod vel reſurrectionem in dubium vocarint; vel ab aliis in dubium vocari æquo animo tulerint: aut ut ſibi caveant, ne hujuſmodi diſputationibus ac colloquiis ad peccandum adducantur; id quod facillimo negotio fieri poſſe jam vidimus.

Sed neſcio, an prior ratio ſit loco accommodatior, ob rationem, quæ ſubjungitur: *ignorantiam enim Dei quidam habent:* quaſi dicat, mirum eſt vos ita ſecuros ſtertere, nec animadvertere, atheiſmum quendam inter vos latere; in illis nimirum, qui reſurrectionem in dubium vocant: id quod vobis admodum pudendum eſt, atque ut erubeſcatis & tantam impietatem non amplius feratis, id nunc ſcribo. Videtur igitur Paulus indicare, Corinthios eo ipſo peccare, quod hujuſmodi homines inter ſe ferrent, ac proinde ut peccare amplius hac in parte deſinant monere. *Ignorantiam autem Dei* pro ea hoc loco accipiendam putamus, non quæ in ſimplici mentis errore conſiſtat; ſed quæ ex voluntatis vitio potiſſimum trahat ortum, & impietatem ac contemptum divinæ majeſtatis ſpiret: qualis eſt vel eorum, qui nullum plane numen agnoſcunt; in quo numero tamen non admodum eſt credibile eos fuiſſe, de quibus loquitur apoſtolus; vel res humanas non admodum curare exiſtimant; vel denique id quod cum priori admodum eſt conjunctum, pietatem non adeo curandam putant, nulla poſt hanc vitam vel præmia expectanda, vel pœnas cenſentes. Atque in horum numero credibile eſt eos fuiſſe, de quibus apoſtolus loquitur, quales hodie quoque non pauci inter eos, qui Chriſti nomen præferunt, reperiuntur.

### *De parte II.*

ACcedendum nunc nobis eſt ad alteram hujus Capitis partem, in qua apoſtolus objectionem, quæ contra ſententiam hactenus confirmatam moveri poterat, & a Corinthiis quibuſdam procul dubio movebatur, diluit, & ea occaſione de ratione corporum, quæ a reſurrectione ſimus habituri, differit, & eorum ab his præſentibus differentiam explicat. Ea vero initium ducit a verſ. 35, & porrigitur ad finem uſque 50. In ea primum objectionem ſeu mavis quæſtionem proponit: deinde ad eam reſpondet.

Verſ. 35. Proponit his verbis: *Sed dicet aliquis,*

*quis, quomodo reſuſcitantur mortui? quali autem corpore veniunt?* Verba quidem ipſa, quibus objectio iſta comprehenditur, ita ſunt comparata, ut pro ſim plici quæſtione haberi poſſent: ſed verba tum præcedentia, quibus ad ea fit aditus; tum vero multo magis ſubſequentia, quibus ad ea reſpondetur verſ. 36, ſatis indicant, objectionem hic proponi. Quanquam ita reſpondet Paulus, ut & objectioni & quæſtioni ſatisfiat, & non minus objicientem adverſarium refellat, quam erudiri cupientem de modo, ſeu corporibus eorum, qui reſurgent, inſtruat. Satis autem apparet, verba *reſuſcitantur & veniunt* pro futuris eſſe poſita.

Ad rem ipſam quod attinet, licet verba prima, *quomodo mortui reſurgunt?* videantur concluſionem tantum objectionis continere, problematis tamen ſeu quæſtionis modo propoſitam, cujus propoſitio ſubjiciatur in verbis ſequentibus; conſiderantibus tamen reſponſionem apoſtolicam, videtur in ipſa concluſione latere ratio ſeu objectio quædam: quandoquidem quæſtionis illius antecedens ſeu ſubjectum, ut in ſcholis vocant, rationem ſeu medium, ut appellant, terminum, ſuppeditat: cum natura ſua videatur pugnare cum ejuſdem quæſtionis prædicato. Adverſarii ſane ea putarunt ἀσύστατα ſeu talia, quæ conciliari inter ſe nequeant. Quare ſenſus eſt: quo pacto mortui reſurgent aut revivi-ſcent: cum hoc ipſum mortuum eſſe vitæ reditum omnem videatur intercludere?

Sed quia poterat id a quopiam negari, & quidem, ut poſtea docebitur, jure, ideo ratione quadam ejus argumenti conſequentia fulcitur, verbis ſequentibus: *quali autem corpore venient?* ubi ו pro כ, *autem* pro *enim* poſitum eſſe conſentaneum eſt: quod etiam ſupra notavimus verſ. 13. Et vis rationis in eo conſiſtit: Si mortui reſurgere poſſent, corpus aliquod haberent, in quo redirent in vitam: At nullum habebunt corpus: quare in vitam redire non poterunt. Aſſumtionis ſententia verbis jam recitatis comprehenditur. Perinde enim interrogatio illa accipienda eſt, quaſi dixiſſet: nullum habebunt corpus, in quo venturi ſunt, ſeu venire poſſunt mortui. Nulla autem ejus probatio exprimitur; ſed tanquam omnibus manifeſta reticetur: ad quam tamen Paulus in ſequentibus reſpondere non neglexit. Ea vero eſt hujuſmodi. Si corpora aliqua habituri eſſent mortui, ea haberent, quibus nunc ſunt induti. At ea non ſunt habituri, nec habere poterunt: quandoquidem ea alias plane formas induunt, ac porro eadem numero redire non poſſunt. Quare nulla habebunt. Et ita quidem verba apoſtoli ſunt accipienda, quatenus objectionem continent. Sed ſi ita capiantur, ac ſi ab eo eſſent propoſita, qui diſcere tantum de reſurrectione mortuorum, & qualitate corporum reſurgentium ejuſmodi ex apoſtolo cuperet, ſimpliciter ſunt ſumenda.

Utrique autem, hoc eſt, & objectioni & quæſtioni illi ſatisfecit apoſtolus, ut prius ad objectionem reſpondeat; deinde reſponſionem ſuam illuſtrans & comprobans, quæſtionem etiam explicet ac diſſolvat. Reſponſio ad objectionem continetur verſibus 3 ſequentibus, nimirum 36,37,38. Et primum quidem ad eam rationem reſpondet, quæ in ipſo problemate ſeu quæſtione principali non obſcure latebat, quamque nos ex ea eruimus; nempe, quod mortui propter id ipſum, quod mortui ſint, reſurgere ac in vitam redire nequeant: tum deinde reſpondet ad ejus probationem, quæ poſterioribus verbis comprehendebatur.

Verſ. 36. Prius facit verſ. 36, ubi ait: *Stulte*, ſeu *inſipiens, tu quod ſemmas non vivificatur, niſi mortuum fuerit.* Stultum ſeu amentem vocat eum, qui hac ratiuncula audeat convellere reſurrectionis fidem: non vindictæ cupiditate, aut conviciandi libidine; ſed ut acriori hoc ſtimulo veluti armata reſponſio altius in animum deſcendat, itaque feriat, ut ex voluntario ignorantiæ ſomno excitetur, & quam levi de cauſa rem tantam, tam validis argumentis comprobatam, in qua felicitatis noſtræ conſiſtit ſumma, labefactare auſus fuerit. Jure autem hoc in ſe dictum agnoſcere debebat adverſarius: quandoquidem apoſtolus oſtendit, eum, ſi animum paululum intendiſſet, infirmitatem ratiunculæ ſuæ ex re unicuique obvia deprehendere potuiſſe, ac porro in re aperta cæcutiiſſe: cum manifeſtum ejus rei, de qua agitur, exemplum præbeant ſemina in terram conjecta, & inde naſcentes herbæ, plantæ ac frutices: quam rem nemo ignorat. Quare nihil hic apoſtolus contra legem Chriſti peccavit, quæ vetat fratri dicere *racha aut ſtulte:* cum nec nocendi animo, ſed docendi a corrigendi id dixerit apoſtolus, & quidem tanquam magiſter diſcipulo, tanquam apoſtolus ei, ad quem a ſummo rege miſſus erat; nec ulla eum hac in parte affecerit injuria.

Quod ad rem ipſam attinet, reſponſionis apoſtolicæ vis hæc eſt, tantum abeſſe, ut id quod mortuum eſt, vitam recipere, & penitus animari nequeat; niſi mors ſeu corruptio quædam anteceſſerit: id quod in ſeminibus apparet. Nam id quod ſeminatur, non poteſt vitam recipere, ac in plantam excreſcere, niſi prius moriatur, ſeu corpus ipſius putreſcat ac corrumpatur. Quare nihil obſtat hominibus mors, quo minus in vitam redeant.

Neque vero arbitrandum eſt, ſimilitudinem hanc apoſtoli illuſtrandi tantum, non vero etiam probandi vim habere. Eſt enim in re, ſi recte attendas, paritas quædam. Etenim in ſeminibus quoque ſpiritus quidam, quem vegetabilem nonnulli appellant, later. Is deinde in plantam, quæ ex ſemine naſcitur, transfertur ac derivatur, & porro plantam animat. Non poteſt autem in plantam transferri, niſi ſeminis corpus putreſcat ac corrumpatur. Etenim in ſpiſſiori ſeminis corpore ita concluditur, ut exſpirare non poſſit, niſi laxato illo corpore, quod fit per putredinem ejuſdem, & meatibus quibuſdam apertis; per quos deinde calor naturalis in ſemine latens, cæleſti præſertim influentia adiutus, materiam & ſuccum ex terra attrahit, & ſpiritus intus latens corpus novum molitur, & aptius pulchriuſque ſibi domicilium parat, radicibus ſtatim actis, per quas alimentum ſubinde novum hauriat. Quo facto corpus ſeminis craſſius, quod cauli aliquantiſper aut radicibus quarundam plantarum adhæret, tandem penitus corrumpitur, ſpiritu animaque ſua deſtitutum; quemadmodum unuſquiſque cernere in agris hortiſque poteſt. Jam vero etiamſi morte hominis non ſtatim aliud accedat corpus, quod ſpiritum, qui in corpore jam exanimato ante fuerat, ſtatim excipiat, atque in ſe derivet: interea tamen exemplum iſtud, quod explicuimus, ſatis docet, ſpiritum in corporibus latentem non eſſe rem ejuſmodi, quæ corpore corrupto in nihilum prorſus abeat; ſed rem ſeu ſubſtantiam ejuſmodi, quæ de corpore in corpus tranſferri queat, & aliud iterum domicilium incolere.

Quod

Quod vero in ſeminibus præſtat affluens e terra ſuccus craſſior, qui caulis ac radicum initium conſtituens, ſtatim excipit ac in ſe includit ſpiritum, qui antea in ſeminis corpore latuerat: id an non divina poſſit præſtare potentia, ut interea, dum novum corpus ſuccedat, quod in reſurrectione demum fiet, ſpiritum hominis aſſervet, eumque cuſtodiat integrum, donec alio corpore induatur? Contineri ſpiritum vitalem, ne diffugiat aut diſpereat, exemplum a nobis explicatum docet. Et hæc eſt cauſa, cur Chriſtus, jamjam expiraturus, ſpiritum ſuum commendarit Deo, & veluti in ipſius manus depoſuerit; ſuum ſimiliter commiſit Stephanus Chriſto: & Petrus monet, ut illi, qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, (quo nomine eos potiſſimum intelligit, qui occiduntur) Deo, tanquam fideli creatori, committant animas ſuas. Deus nimirum ac Chriſtus eſt, qui ſpiritus fidelium ſuorum cuſtodit, ac, ne pereant, efficit. Quod ſi, ut inde quoque ducamus exemplum, Chymici ſpiritus ex rebus variis elicitos in vaſis certis concluſos retinent, ne diffugiant, cur Deus ac Chriſtus noſtros ſpiritus, quanquam ſubtilioris ac divinioris naturæ, aſſervare, ne diſpereant, vi ſua omnipotente nequeat? Non eſt illi difficile vel invenire, vel inire hujus rei rationem.

Eſt autem antequam hinc abeamus, animadvertendum, Paulum de eo, quod ſeminatur, & quod revireſcit poſtea, loqui tanquam de re una; licet ſtatim ſubjungat id quod etiam res ipſa docet, aliud eſſe id corpus, quod naſcitur, aliud id quod ſeminatur. Unde patet, nihilominus nos eoſdem aliquando fore, cum reſurgemus ex mortuis, etiamſi alia habituri ſimus corpora. Spiritus, qui idem eſt & in ſemine & in planta, facit, ut apoſtolus id, quod ſeminatur, quodque vivificatur pro re una habeat, ſeu ut de eo, tanquam de re una loquatur: cur non ergo ſimiliter, vel potius multo magis homo ante & poſt reſurrectionem idem cenſeatur? cum non modo idem utrobique ſit ſpiritus; verum etiam operationes, quæ quidem homini magis ſunt propriæ in eove digniores, eædem, & corpus ad eas exercendas utrobique idoneum, quanquam magis poſterius. Operatio autem, cujus cauſa eſt unumquodque, ejus etiam naturam determinat ac definit. Cenſendum eſt enim unumquodque ex facultate operandi id cujus cauſa eſt inſtitutum. At hac in re longe major eſt differentia inter ſemen & plantam, quam inter hominem mortalem & immortalem, ſeu mavis, inter hujus & illius corpus. Non eadem enim operandi vis eſt quæ ſemini & plantæ. Varia habet corporis organa ſeu partes, certis functionibus deſtinatas, quibus plane caret ſemen. Atqui cum intelligere ſit hominis maxime proprium; cui rei ſubſerviunt facultates quædam, quæ ad cognitionem ſpectant, inferiores, ſenſus nimirum interni externique earumque facultatum functiones, his, quantum felicitas noſtra patietur, ſatis inſtructi erunt ii, qui incorruptibilibus erunt circumdati corporibus, & corpora etiam iſtis functionibus aptiora erunt, quam ea quæ nunc ſunt. Sed ea de re aliquid adhuc dicetur poſtea, cum de diverſitate corporum poſt & ante reſurrectionem acturi ſumus.

Verſ. 37. Sequitur nunc, ut videamus, quomodo apoſtolus reſpondeat ad prioris illius objectionis confirmationem, poſterioribus verſus 35 verbis expreſſam. Id autem diximus eum facere verſ. 37 & 38, ubi in ea, quam præcedenti verſu fuerat orſus, ſimilitudine, a ſemine & plantis inde naſcentibus ducta, perſeverans docet, non eſſe neceſſe ut idem ſit corpus reſurgentium, quod morientium ante fuerat: cum ſimiliter videamus, non idem corpus & ſeminari prius, & poſtea naſci, & in plantam reſurgere; ſed aliud ſeri, aliud poſtea divina virtute, quæ naturæ rerum infuſa eſt, enaſci. Ait enim apoſtolus verſ. 37: *Et quod ſeminas, non corpus, quod naſciturum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, verbi gratia, tritici, aut alicujus cæterorum.*

Verſ. 38. *Deus autem illi dat corpus, quemadmodum voluit*, (id eſt vult, per enallagen temporis Hebræis familiarem) *& cuilibet ſeminum proprium corpus.* Quæ poſtrema verba aditum ſtruunt ad ſequentia, ad quæ etiam referri poſſunt, ut poſtea dicetur.

Senſus autem verborum admodum eſt manifeſtus, nimirum non ſeminari, ſeu in terram ſpargi illud ipſum corpus, quod poſtea enaſcitur ex terra; nudum enim granum ſeri: ſed poſtea enaſci non nudum granum aut ſemen, ſed herbam, plantam, ſtirpemve aliquam; cujus ſane longe diverſum eſt corpus. Sic verbi gratia ſeminatur nudum granum tritici, unde poſtea enaſcitur culmus, radicibus in terram defixis, & ſpica auctus, quod corpus egregie veſtitum eſt, ut recte nudo grano opponatur. Ait autem *Deum illi dare corpus*, nimirum ſemini, non quod Deus nunc immediate ſingulis ſeminibus novum corpus circumdet; ſed quod per naturam id faciat ſemel a ſe conſtitutam, quam etiam perpetuo conſervat ac ſuſtentat. Libentius autem ita locutus eſt, ut verba hæc rei, quæ in apodoſi eſt explicanda, tanto melius accommodari queant. Corpora enim illa, quibus aliquando circumdabimur, ſigillatim revera dabit Deus, quanquam per Chriſtum. Ait autem, *illi*, nimirum ſemini, ut poſtea ſubjicit; aut, ut antea dixerat, *nudo grano, Deum dare corpus*: cum tamen jam nudum granum aut ſemen eſſe deſierit, & nil niſi ſpiritus ipſius ſuperſit. Unde iterum intelligitur, Paulum ſemen ac plantam ex eo natam ita conjungere, ac quodammodo confundere, ac ſi unum prorſus eſſent individuum; quanquam diverſo tempore diverſo quoque corpore circumdatum. Cum denique addit Paulus, *unicuique ſeminum proprium corpus* ſcilicet dat Deus, aditum jam ſibi ſtruit ad ſequentia, in quibus reſponſionem ſuam, quam hucuſque vidimus, illuſtraturus oſtendit, non unius generis extare corpora, ſed varii; ut proinde non ſit neceſſe, id corpus, quod aliquando in reſurrectione habituri ſumus, ejuſdem generis eſſe cum eo, quo nunc ſumus induti, nedum ut ſit idem prorſus numero. Varia autem pro varietate ipſorum ſeminum eſſe corpora, quæ ex illis naſcuntur, hic aſſerit Paulus, cum ait, *Deum dare unicuique ſeminum proprium corpus*, hoc eſt, non omnibus idem ejuſdemve generis corpus; ſed ſingulis corpus ipſis conveniens & naturæ cognatione devinctum, hoc eſt tale quale id erat, ex quo ſemen ipſum fuerat enatum. Jam autem intelleximus, ſemini eatenus dici corpus a Deo dari, quatenus ex ſemine veluti enaſcitur aliud corpus, in ejuſque locum ita ſuccedit, ut ſpiritum, qui antea in eo latuerat, in ſe derivet. Ex his autem tacite colligi vult apoſtolus, Deum ſimiliter, ubi corpus hoc noſtrum ſeminatum interierit, aliud nobis corpus daturum, naturæ excellentiæque noſtræ conſentaneum; non minus quam ſeminum cuilibet, ubi fuerit emortuum, corpus aptum ac conveniens largiri ſoleat.

Viſa jam, ad objectionem ſuperius propoſitam, apoſtoli

ſtoli reſponſione, veniendum jam porro eſt ad ejus reſponſionis illuſtrationem & comparationem. Hæc vero tribus abſolvitur partibus. In prima exemplis quibuſdam productis oſtendit, magnam eſſe inter corpora, tum ſubſtantiæ, tum qualitatum ratione diverſitatem. Deinde hanc exemplorum ſimilitudinem ad rem præſentem accommodans, oſtendit, quantum ſit inter ea, quibus nunc induti ſumus, & quibus in reſurrectione induemur, diſcrimen. Tertio demum id diſcrimen ratione comprobat.

Primum membrum continetur verſ. 39, & duobus ſequentibus: ubi primum, uti jam indicavimus, duplici potiſſimum oſtendit exemplo, differentiam eſſe haud exiguam inter corpora ratione ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ: deinde demum ratione qualitatum, atque inprimis ratione præſtantiæ ac dignitatis & huic contrariæ vilitatis.

Inter duo autem illa exempla prius quidem oſtendit ejuſdem generis corpora in varias ſpecies, ut in ſcholis vocant, variaſque formas ſecta eſſe, ſeu, ut loquuntur, differentiis ſpecificis inter ſe diſtingui. Poſterius autem oſtendit, univerſum corporum genus in alia quædam genera latiſſime patentia & a ſe longe admodum diſtantia diſpeſci.

Verſ. 39. Prius continetur verſ. 39. cui adjungere potes etiam illud quod ſubfinem præcedentis verſ. 38 vidimus, de diverſis plantarum ex diverſis ſeminibus enaſcentium generibus ſeu mavis ſpeciebus. Ejuſdem enim id rationis eſt cum eo, quod verſ. dicto, nimirum 39, continetur, ubi ita ait apoſtolus: *non omnis caro eadem caro*, hoc eſt, non ejuſdem eſt generis, ſeu mavis ſpeciei, non ejuſdem eſt prorſus eſſentiæ, ſi formam ejus ac differentiam ſpecificam intuearis; etiamſi in genere, quod eſt caro, inter ſe conveniunt. Quod amplius declaraturus, *ſed alia quidem*, inquit, *caro eſt hominum, alia vero jumentorum*, ſeu *pecorum, alia vero piſcium, alia vero volucrum*. Res declaratione vix eget, cum ſua luce clareat. Differunt enim carnes illæ elementorum ac qualitatum primarum temperamento; ita quidem, ut hæc quidem caro non niſi hominis naturæ, quæ ex facultate operandi dignoſcitur, apta ſit; alia vero non niſi naturæ hujus aut illius pecoris; alia rurſus naturæ piſcium, alia denique naturæ volucrum. Et hæ quidem carnis differentiæ ſunt illi eſſentiales, ac, ut loquuntur, ſpecificæ; ſiquidem eſſentiam rei ex fine, quem ei natura præfixit, ſeu ex habitudine ad finem æſtimari ſupra diximus.

Hic obiter tantum notari poteſt, non eos recte dici a carnium eſu abſtinere, qui piſcibus interim veſcuntur; ſiquidem & piſcium eſt caro.

Verſ. 40. Poſterius exemplum, quod laxiorem inter corpora differentiam, quanquam eſſentialem, oſtendit, iſtis continetur verbis: *& corpora cæleſtia*, ſcilicet ſunt, *& corpora terreſtria*: quaſi dicat, non tantum in uno carnium genere cernuntur variæ ſpecies ac differentiæ, verum etiam inter univerſa corpora adhuc longe latius patet diſcrimen: quandoquidem alia corpora ſunt cæleſtia, alia vero terreſtria. Illa ex cæleſti quadam materia conſtant, ut ſol, luna, ſtellæ, quæ ſequenti verſu enumerabuntur; alia terreſtri. Et illorum quidem ſublimior, & aliqua ex parte divinior eſt natura; horum vero inferior ac vilior. Per *cæleſtia* hoc loco, ut jam indicavimus, ea intelligit, quæ oculis cernimus, in ſublimi corpora, quæ Deus in creatione a Moſe deſcripta produxit; non vero ejuſmodi corpora cæleſtia, qualia nos poſt reſurrectionem habituri ſumus: de quibus infra erit dicendi locus verſ. 42 & ſequentibus. Hęc enim adhuc ſublimioris ac divinioris naturæ erunt, eorumque natura non huic, quod oculis nunc cernimus, cælo, ſed illi, quod ſupra hos cælos eſt, in quo Deus ac Chriſtus habitat, ſimilis erit. Hæc autem exempla parum apte ab apoſtolo afferuntur, ſi hæc quibus nunc veſtimur corpora, cum futuris eadem prorſus forent eſſentia, eademque numero, qualitatibus tantum diſtincta.

Ad oſtendendam qualitatum ipſarum differentiam, quæ in corporibus diverſis reperiuntur, itidem duplex affert exemplum. Prius pendet ex poſteriori, quod nunc vidimus, prioris generis exemplo, nimirum corporum cæleſtium & terreſtrium: in quo oſtenditur, quantum ſit diſcrimen ratione qualitatum, quæ vel ad præſtantiam, vel ad vilitatem rei oſtendendam ſpectent, inter diverſa corporum genera latiſſime patentia, cæleſtia nimirum illa & terreſtria. Ita enim ait: *ſed alia quidem eſt cæleſtium gloria, alia vero terreſtrium*. Gloriam pro ſplendore poſuit; ut & alibi faciunt ſacræ literæ, inter alia 2 Cor. 3. 7. Luc. 2. 9. Sed nil eſt opus aliunde petere exempla, cum ſtatim in ſequentibus aperte in eum ſenſum hac voce utatur apoſtolus. Iſtud tantum obſervandum eſt, vocem gloriæ, cum in altera oppoſitionis parte ſubauditur, non eodem plane modo ſumi; ſed ſimpliciter pro præſtantia aut decore, quo res ſit ornata, & quodammodo fulgeat: quaſi dicat, alia eſt præſtantia aliuſque decor cæleſtium corporum, alius terreſtrium; longe ſcilicet major eſt illorum, quam horum; magis illa, quam hæc fulgent.

Verſ. 41. Ab hoc exemplo tranſit ad alterum, quod eſt ſpecialius, quod complectitur his verbis: *alia gloria* (ſeu ſplendor) *ſolis, & alia gloria lunæ, & alia gloria ſtellarum. Stella enim a ſtella differt in gloria*; (Latinius dixeris ſimpliciter, *gloria*) oſtendere volens, non tantum diverſi, ſed etiam ejuſdem generis corpora inter ſe qualitatibus, ſeu mavis, præſtantia atque ornatu multum differre, ita ut alia ſint viliora, alia vero eminentiora ac pulchriora; ſiquidem in aſtris ſatis eſt conſpicua hæc differentia. Cum ait, *& alia gloria ſtellarum*, ita verba poſſunt accipi, ut non tantum ſignificent, differre ſtellas ſplendore a ſole & luna; ſed etiam inter ſeſe. Id enim videntur poſtulare ſequentia, ubi rationem dicti redditurus, ait: *Stella enim a ſtella differt in gloria* ſeu ſplendore. Niſi velis hoc loco ſtellæ ſeu aſtri nomen latius, quam in præcedentibus ſumi, & non tantum ſtellas ita ſtricte ſumtas, ſed etiam ſolem & lunam ambitu ſuo complecti; quæ alias, tanquam grandia luminaria, a ſtellis, tanquam minoribus, diſtingui ſolent: licet cæteroquin eodem genere contineantur. Et hactenus prima illuſtrationis pars.

Sequitur altera, in qua quædam continetur apodoſis comparationis inter exempla ſimilia inſtitutæ; in qua ſimul continetur reſponſio ad quæſtionem verſ. 35 propoſitam, & cum ipſa objectione, ad quam reſponſum eſt hucuſque confuſam. Explicatur enim quomodo reſuſcitandi mortui ſint, ſeu quali in corpore ſint in vitam redituri. Apodoſis illa, quam diximus, comparationis inſtitutæ primum generalibus verbis proponitur; deinde diſtinctius explicatur, enumeratis aliquot inter hæc noſtra & futura in reſurrectione corpora differentiis.

Verſ. 42. Generatim exponitur ibi: *ſic & reſurrectio mortuorum*. Quæ verba non ſunt ita accipienda, ut multi

et multi arbitrantur, quaſi Apoſtolus dicere velit; quomodo ſtella differat gloria & ſplendore a ſtella, ita etiam eos, qui reſurgent, eorumve corpora gloriæ ac dignitatis ratione diſtincta fore, ita ut alii ab aliis præſtantiæ gradu ſuperentur. Aliud enim & ſcopus apoſtoli, quæſtioque ſuperius propoſita poſtulat, poſtulant & ſequentia, quibus hujus apodoſeos continetur explicatio. Quæſtio non de eo erat, quomodo inter ſe diſtitura ſint aliquando corpora reſurgentium; ſed ſimpliciter, qualia illi ſint habituri corpora, iis, quæ ante reſurrectionem habent, per mortem abolitis, & in nihilum quodammodo redactis. Quare de differentia hic agendum erat inter corpora, quæ ante reſurrectionem habemus, & illa, quæ poſt habituri ſumus; non vero de diſcrimine horum inter ſe. Quod ad ſequentium explicationem attinet, non recenſet Apoſtolus ulla diſcrimina, quæ locum ſint habitura inter ipſa reſurgentium corpora; ſed ea tantum, quæ inter præſentia, & poſt reſurrectionem demum extitura intercedant. Quare ita verba, de quibus agimus, ſunt accipienda, ac ſi dictum eſſet: ita etiam illi, qui ex mortuis reſurgent, eorumve corpora different ab iis, quæ ante reſurrectionem habuerunt, tum qualitatum, tum ipſius etiam naturæ præſtantia. Unde recte ſequitur: *Seminabitur in corruptione, reſurget in incorruptione*; & quæ ſequuntur. Eſt nempe in verbis illis metonymia adjuncti pro ſubjecto. Reſurrectio enim mortuorum ſumitur pro iis, qui ex mortuis reſurgunt: quo pacto circumciſio non ſemel pro circumciſis Rom. 2. 25. III. 30. IV. 9, 12. Eph. 2. 11. Phil. 3. 3, 5; & contra præputium pro præputiatis dicitur, & electio pro electis Rom XI. 7. Quanquam etiam ita poſſes tropum hunc explicare, ac ſi dictum fuiſſet: ita etiam ſe habebit res in reſurrectione mortuorum; habito nimirum reſpectu ad corpora quæ vel ante, vel poſt eam homines habeant, aut habituri ſint. Similis loquendi ratio occurrit inter alias Ioh. 3. 8.

Sed jam explicationem videamus hujus apodoſeos. In ea apoſtolus quadruplicem oſtendit inter hæc & futura noſtra corpora differentiam. Tres priores a qualitatibus extra eſſentiam corporum per ſe poſitis petuntur; quanquam ex diverſitate eſſentiæ revera oriuntur: quarta autem ſeu poſtrema ipſam eſſentiam per ſe attingit. Quia enim apoſtolus in exemplis antea productis primum differentias corpotum eſſentiales, deinde accidentales ſeu extra eſſentiam rei poſitas recenſuerat, ideo ad rem inſtitutam hæc applicans, id quod ultimo loco dictum fuerat, primum rei ſuæ applicat; & porro de qualitatum extra eſſentiam corporis poſitarum diſcrimine agit.

Prima differentia iſtis continetur verbis: *ſeminatur in corruptione, ſuſcitatur in incorruptione*, vel potius *in incorruptibilitate*. Quia ſubjectum hujus enunciationis non exprimitur, id nimirum quod ſeritur vel ſuſcitatur, id aliunde eſt requirendum. Subintelligi autem poteſt vel homo, vel, ſi ita placet, corpus. Res enim eodem recidit: cum homo nihilominus hic conſiderandus ſit ratione corporis, cui tam diverſæ, vel potius tam contrariæ qualitates ineſſe debent.

Nam quod nonnulli contendunt, omnino debere hic ſubintelligi nomen corporis, non vero hominis, partim quidem ideo, quod non homo, ſed corpus tantum, vel potius cadaver hominis ſeminetur, quandoquidem ſeminari ſit ſepeliri atque humari, humari autem tantum ſoleant corpora animabus caſſa, non vero homines vivi; partim vero quod ipſe apoſtolus paulo inferius verſ. 44 dicat, *ſeminari corpus animale, ſuſcitari corpus ſpirituale*: quo ipſo indicatur, corporis nomen hic eſſe ſubaudiendum: hoc, inquam, totum nihil habet virium.

Nam quod ad priorem rationem attinet, non recte ab iis pro conceſſo ſumitur, ſeminari hoc loco eſſe ſepeliri ſeu humari: id quod vel ex ipſis apoſtoli verbis ac qualitatibus, quæ ei tribuuntur rei, quæ ſeratur, apparet. Nam quod in tertia differentia dicitur; *ſeritur in*, hoc eſt, *cum infirmitate*, & in quarta; *ſeritur corpus animale*, id corpori anima caſſo, ſeu cadaveri revera non competit. Neque enim id infirmum dicitur, quod omnibus prorſus viribus deſtitutum eſt; ſed quod exiguas tantum habeat; nec id animale, quod anima prorſus caret; ſed quod anima vegetativa vivit: quod etiam ex probatione ſubjecta apparet, ubi apoſtolus oſtenſurus, extare corpus tum animale, tum ſpirituale, ait: *ita & ſcriptum eſt: factus eſt primus homo in animam viventem*. En habes probationem corporis animalis, non anima certe caſſi, ſed viventis. Eſt quidem in verbo ſerendi alluſio ad ſemina, quæ in terram jaciuntur, ſiquidem ex prima, qua uſus eſt apoſtolus, ſimilitudine verſ. 36 & ſequentibus, verbum iſtud huc tranſtulit: ſed ſatio iſta rei debet eſſe vivæ, quæ poſt ſationem demum moriatur ac corrumpatur, ac ſpiritum, quem etiam poſt ſationem in ſe retinuerat, poſtmodum corupta in aliud corpus tranſmittat. Neque enim ſemen emortuum & ſpiritu caſſum ſeritur, alias nihil producturum, ſed ſpiritu ſuo adhuc præditum. Unde dixit apoſtolus; *tu quod ſeminas non reviviſcit, niſi mortuum fuerit*, intellige, poſt ſationem. Quare ſatio ad nos noſtrave corpora, ſi ita placet, relata, tum peragitur, cum nos in hunc mundi agrum veluti inſerimur, in quo tandem etiam corrumpimur, tum demum alia recepturi corpora, cum reſuſcitabimur ex mortuis; inſerimur autem in hunc mundi agrum cum naſcimur. Tempus quod inter hanc ſationem & putrefactionem intercedit, reſpondet illi tempori, quod intercedit inter ſationem ſeminis & ejus putrefactionem, quo novo corpori ſit locus.

Quod ad poſteriorem attinet, vox corporis verſ. 44 non ita eſt poſita, ut appareat, eam eſſe ſubjectum; ſed potius ut prædicati partem: non modo enim verbo poſtponitur, ſed & articulo, qui ſubjecti ſolet eſſe index, caret: & ita potius verba ſunt accipienda; *homo ſeminatur corpus animale*, hoc eſt, ita ut ſit corpus animale, ſeu corpore animali præditus; idem autem homo reſurget corpus ſpirituale. Corporis enim vox nonnunquam, ut de cæteris animalibus, ſic de homine tanquam genus prædicatur: unde dicimus, animal eſſe corpus ſenſitivum. Hic autem iſti locutioni maxime erat locus, ubi de homine ratione corporis agitur. Ex eo ipſo tamen apparet, poſſe, ſi cui ita videatur, in his omnibus enunciationibus ſubaudiri vocem corporis; ſed ita, ut ſubintelligatur corpus vivum atque anima præditum: ut ita perinde ſit, ac ſi hominem ipſum dixiſſes.

Hujuſmodi corpus ſeminatur atque in hunc mundi agrum inſeritur, *in corruptione*, hoc eſt, corruptibile. Corruptio enim & hic & infra verſ. 50 ponitur pro corruptibilitate: ut ita non actum ſed potentiam ſeu facultatem denotet, a qua corpus denominatur φθαρτὸν, hoc eſt corruptibile; non vero ἐφθαρμένον, hoc eſt,

corruptum. Et hoc modo τῇ ἀφθαρσίᾳ, quæ impotentiam corruptionis admittendæ significat, opponitur. Usus est autem apostolus nomine actus pro nomine facultatis: quia hoc, quod sciamus, carent Græci. Et hæc ipsa quoque affectio ejus, quod seminatur, indicio esse potest, hic non de cadavere; sed de corpore seu homine vivo sermonem esse. Cadaver enim potius corruptum, quam corruptibile dicendum est. Cum porro addit Apostolus: *resurgit in incorruptibilitate*, præsens pro futuro ponit, seu mavis, indefinite usurpat, ut quodvis tempus in se complectatur: quemadmodum fit sæpe. Vide supra vers. 12, & 15. *In* autem posuit pro *cum*; quemadmodum & in præcedentibus accipitur & in sequentibus; ut in corruptione sit cum corruptibilitate, seu corruptibile; in incorruptione, cum incorruptibilitate, seu incorruptibile; in ignominia sit cum ignominia, seu ignominiosum: Incorruptibile autem quod corrumpi sua natura non possit; non vero id, quod, quamcumque tandem ob caussam, actu non corrumpitur.

Hæc ergo prima est hominum ac corporum ante & post resurrectionem differentia: quod illa sint corruptibilia; hæc incorruptibilia. Corruptibile autem & incorruptibile, ut Aristoteles docet in Metaphysicis genere differunt. Etsi autem hæc ipsa affectio per se sumta extra essentiam rei sit: in ipsa tamen essentia rei plane fixa est ac radicata. Quod enim corrumpitur, secundum substantiam corrumpitur; & porro quod potest corrumpi, secundum substantiam potest. Si enim accidentia tantum corrumpi possent, non vero etiam substantia, aut in substantia aliquid, quo pereunte non idem subjectum maneat: accidentia tantum perire ac mutari possent; subjectum vero seu substantia ipsa maneret integra, & mutatio, quæ illi accideret, non corruptio esset, sed alteratio. Quare in ipsa rei essentia fontem corruptibilitatis hærere necesse est, & rem in ea contineri talem, quæ ipsa per se, quanta quanta est, perire possit. Iam vero cum secundum Aristotelem non ultimi actus seu formæ primo ac per se pereant, sed veluti consequenter; si modo perire queant, ut formæ omnes materiales: necesse est, ut alia substantiæ pars, nempe materialis, primo et per se perire queat; qua sublata consequenter etiam formæ, quæ sine ista materiæ ratione consistere nequeant, tollantur. Contrariam incorruptibilium esse naturam necesse est, ita ut nec forma illorum, nec materia, quæ essentiam eorum ingrediatur, quicquam in se contineat, quod perire possit. At cum differentia substantiarum est etiam ratione materiæ, genere eas differre est necesse; cum ut formæ speciem, ita materiæ genus substantiarum determinent. Constat ergo, præsentia nostra corpora a futuris ipso genere, ac porro essentia distare: siquidem, ut hic videmus, illa corruptibilia sunt, hæc incorruptibilia.

Quanquam autem ad ultimam usque corporum horum & illorum differentiam ab apostolo constitutam quæ in essentia ipsorum per se cernitur, differre possemus explicationem difficultatis, quæ in hac materia versantibus potissimum objicitur, quomodo nimirum idem sit futurus homo, qui seritur ac tandem moritur, quique postea resurget, si diversæ substantiæ corpus ab eo quo nunc est indutus, sit habiturus; aut quomodo hæc sententia cum his ipsis apostoli verbis, quæ nunc explicamus, consentiat: tamen hoc ipso loco eam expedire placet; ut sera el amota in sequentibus nobis sæpius non occurrat, nec suspensos de veritate sententiæ jam explicatæ teneat.

Placet autem a verbis apostoli incipere, quæ illam ipsam, quam defendimus, sententiam cum nobis suppeditent, cum eadem pugnare nequeunt, nisi secum ipsa pugnare velis. Iis cum ipsis veluti conciliatis non multum nobis restabit ad identitatem ipsius hominis ante & post resurrectionem extantis, ostendendam. Duplici autem modo videntur hæc & sequentia similiter apostoli verba cum sententia a nobis adstructa pugnare. Primo quod ipsi concesserimus, posse in verbis istis subjecti loco statui vocem corporis, quasi dictum esset: seminatur corpus corruptibile, suscitatur incorruptibile. quod si concedatur omnino videtur colligendum, idem fore corpus, quod seminatur, cum eo quod suscitatur. Quod si idem, quomodo non modo specie, sed & genere diversum; præsertim cum hic postulari videatur, ut idem sit numero? Numero autem idem esse non potest, quod genere & specie differat. Idem enim numero sub eadem specie ac genere continetur. Deinde ipsa vox *suscitandi* indicare videtur, id quod antea vel ceciderat, vel obdormierat, erigi aut excitari debere: non autem ceciderat nec obdormierat spiritus, sed corpus id quod antea habueramus; hoc ergo ipsum excitari ac restitui olim debere.

Ad prius respondemus: ne illud nunc disputemus, utrum rectius subaudiatur in enunciatione apostolica homo an vero corpus; sed concesso, corpus subaudiendum esse, nihil esse necesse, ut in apostoli verbis idem subaudiatur corpus suscitatum iri, quod hic seminetur; cum contrarium rectius subaudiatur: quandoquidem, ut ex superius dictis constare potest, id potius propositum fuit apostolo, ut ostenderet, aliud olim corpus nobis in resurrectione datum iri, quam id sit, quo nunc cingimur, & quod per mortem variasque inde mutationes penitus destruitur, & in mille formas ante resurrectionem vertitur. Et quis hoc loco non cernit, apostolum ad id alludere, quod de semine ac plantis inde nascentibus supra dixerat? Inde enim seminandi verbum huc traduxit. Atqui apostolus superius expresse dixerat, *quod seminas, non corpus quod futurum* (est) *sed nudum granum, Deus autem illi dat corpus, prout voluit.* Quare ita potius hic loqui censendus est apostolus: quemadmodum in semente contingit, ut nudum grani corpus seratur, sed inde exsuscitetur longe clarius ac elegantius, nempe corpus plantæ aut herbæ: ita etiam in hoc negotio fieri; inseri in hunc mundum corpora hominum corruptibilia, in resurrectione autem excitanda esse alia longe præstantiora, nimirum incorruptibilia, quæ spiritu, qui in illis fuerit, excepto, tanquam longe divinior planta inde resurgant. Hæc scopo ac consilio apostoli accommodatissima esse, nemo non videt. Sed deinde concedamus id, ad quod nullo jure adigimur, apostolum aliqua ratione innuisse, idem hoc cum illo corpus fore; certe non alia ratione id concedendum erit, quam qua superius vidimus apostolum semen, & id quod ex semine nascitur, inter se propemodum confundere, itaque agere, ac si corpus plantæ semini circumdaretur; cum ex semine nil nisi spiritus restet; cujus ratione habita semen ipsum quodammodo in planta restare censetur. Similis est hæc identitas corporum identitati, quam vocant, numericæ; non

tamen

tamen prorſus eadem, ſed eaſdem fere phraſes, eaſdem loquendi formulas admittit. Quare nihil mirum eſſet, ad hanc unitatem hujus vel illius corporis apoſtolum reſpexiſſe. Sed, ut vidimus, nihil eſt neceſſe, ut huc deſcendamus; cum prior reſponſio unicuique ſatisfacere merito debeat.

Ad poſterius reſpondemus, vocabulum ἐγέρσεως ſeu ſuſcitandi, haudquaquam requirere, ut id ipſum quod antea ceciderat, aut obdormierat, reſtituatur: cum iſta etiam in ſacris literis ſuſcitari vel excitari dicantur, quæ antea non modo non ceciderant, vel obdormierant; ſed ne extiterant quidem prorſus. Sic dicitur alicui ſuſcitari ſemen, hoc eſt proles Matth. 22. 24. Act. 2. 30, in quibus locis eſt verbum ἀνιστᾶναι, quod adhuc videtur eſſe ſignificantius voce ἐγείρειν: de qua vide Luc. 1. 69. Act. 13. 30. Deinde, quemadmodum ſupra vidimus, apoſtolum dicere, id quod ſeminatur vivificari, cum in plantam novam excreſcit, licet aliud hic poſtea ſuccedat corpus: ita etiam poterat dicere, id corpus, quod mortuum eſt, reſuſcitari; quia nimirum ſpiritus, qui in eo antea latuerat, in novum corpus migret; & ſic veluti aliud corpus ex alio ſubnaſcatur.

Sed quid habebunt illi, qui has adverſus ſententiam noſtram ratiunculas urgent, ſi dicatur id quod veriſſimum eſt, hominis nomen in his & ſequentibus apoſtoli verbis ſubaudiendum eſſe, & ad eum iſta omnia eſſe referenda? Homo autem licet diverſi generis corpora habeat, nihilominus tamen unus idemque eſſe poterit: habita nimirum ejus partis ratione, quæ in ipſo princeps eſt, quamque Philoſophi nonunquam ſolam hominis nomine dignantur: quæ ubi corpori aptis inſtrumentis prædito jungitur, licet diverſi alioqui generis id ſit, ſtatim actiones homini convenientes edit. Ex actionibus autem jam non ſemel diximus, rei uniuscujuſque naturam æſtimari.

Hoc ut tanto rectius intelligatur, & priori difficultatis, quam explicandam ſuſcepimus, parti penitus ſatisfiat, intelligendum eſt; hominem quidem non ſolum eſſe ſpiritum, qui corpori junctus penitus illud vivificet, & ſentiendi intelligendique facultatem apta nactus inſtrumenta de ſe veluti emittat, a c toti, quod conſtituit, tribuat; ſed hominem eſſe totum illud, quod ex ſpiritu tam præſtanti, & corpore quod illius naturæ ac facultatibus exercendis ſit aptum, conſtat: ita tamen, ut ſpiritus primas in eo teneat; &, licet diverſa corpora nanciſcatur, modo ea ſint ſibi ad eas, quas diximus, facultates exercendas apta, eundem conſtituant hominem, præſertim ſi eorum, quæ in altero corpore ejus veluti ductu geſta ſunt, memoria ei adhuc ſit impreſſa, ut id, quod poſtea ex ipſo conſtituitur, totum meminiſſe poſſit, ſe eum eſſe, qui hoc vel illud antea geſſerit feceritque; cæteræ, quæ in materia ſunt, differentiæ, utut alioqui magnæ ſint, non plus habeant virium, quam ſi divina virtute ex mare fieret fœmina, aut contra. Hæ differentiæ ad materiam pertinent, & ad eſſentiam hominis, qua vere homo eſt, nihil pertinent; ut proinde diverſitas aut identitas, quam vocant, numerica, inde non pendeat. Quemadmodum ergo ad circuli aut trianguli eſſentiam nihil pertinet, quod æneus ſit, vel ferreus, vel ligneus: ita nec ad hominis, qua homo eſt, eſſentiam pertinet, quod hujuſmodi corpus, quod ſua natura corruptibile eſt, habeat; ſed tantum ad eſſentiam hominis terreni aut animalis, qua talis eſt.

Ad eſſentiam hominis ſimpliciter conſiderati id tantum pertinet, quod ſit ſubſtantia quædam corporea, ſenſibus & intellectu prædita. Ejus differentiæ, ad materiam pertinentes, non ad formam, ſunt, quod alius terrenus, alius, ut infra videbimus, cæleſtis; alius animalis, alius ſpiritualis: quo pacto etiam dixers, alium eſſe marem, alium fœminam. Idem ergo homo erit, & ante & poſt reſurrectionem. Nam & ſpiritus erit idem, & corpus aptum, ut inſerviat omnium facultatum, ad ſenſum, appetitum, ſpontaneam loci mutationem, ad intellectum denique & voluntatem pertinentibus functionibus; & poſterius aptius priori: memoria denique rerum in priori corpore geſtarum tanta, quanta nunc eſſe ſolet; vel quantam in morte habuimus, & eſſe poterit, ac porro etiam erit. Etſi enim in morte ceſſat omnis memoriæ, imo omnium facultatum animæ actus; unde & ſacræ literæ dicunt, neminem memorem fore Dei in morte, & terram oblivionis vocant eum locum, in quem deſcendunt mortui: hærebunt tamen in ſpiritu noſtro impreſſæ notæ, ac veluti ſigna; quæ, ſi eidem intellectui corpus habile iterum aptetur, a rerum alienarum ſeſe ingerentium ſpecie, veluti lumine illato, colluſtrabuntur, redibitque priſtina rerum memoria. Fit enim, ut Philoſophi docent; memoria noſtra per ſpecies atque imagines quaſdam animo conceptas & impreſſas, quæ interdum, ſi diu non repetuntur, plane exoleſcunt ac delentur, quemadmodum imagines depictæ vetuſtate delentur: ſed cum aliquanto firmius impreſſæ ſunt, etiamſi non ſemper actu animis obverſentur, deliteſcant tamen in ima memoria, ſintque inſtar eolorum in tenebris latentium, qui tum potentia tantum eſſe dicuntur; at ſi lumen intuleris, eoſque colluſtraveris, actu ſunt, ſeu mavis, apparent. Sic in morte tenebris quibuſdam involvuntur rerum in animo noſtro, ſeu potius ſpiritu noſtro latentium imagines, quæ non ante illuſtrantur lucis radiis, & actu apparent, quam corpus aliquod ſpiritui circumdetur, ut ad reliquas animæ facultates, ita & ad memoriam exercendam aptum.

Hujuſmodi identitas ſufficit nobis ad præmium; ſufficere etiam impiis poteſt ad pœnam. Omne enim præmium, omnisque pœna vim eatenus revera habet, quatenus ſentitur, vel ſentiri aliqua ſaltem ratione poteſt. Spiritu autem fit, ut ſentiamus, non corpore qua corpus eſt; & ſimiliter etiam præmia & pœnas meremur. (liceat enim & ad præmium nobis hanc vocem accommodare) vi ſpiritus ac facultatum ex eo manantium. Corpus inſtrumentum tantum eſt, quod ipſum per ſe non punitur; ſed interdum in eo punitur ipſe homo, ad ſpiritum redundante pœnæ acerbitate ac dolore, quem malefactis meruerat. Similis præmiorum eſt ratio. Uno verbo: omnia hæc toti convenniunt compoſito, maxime ratione ſpiritus, a quo & male & bene facta primo oriuntur, etiamſi per corpus exerceantur & in actum deducantur. Similiter ad eum præmiæ & pœna ultimo redundant, eumque potiſſimum afficiunt, licet interdum in corpore primo cernantur.

Hoc ergo pacto reſurrectionis veritatem optime defendimus. Nam ad eam & caſus quidam, qui præceſſerit, (ut metaphoræ vim ſequamur) requiritur, & unitas ac identitas cadentis & reſurgentis. Competit ea revera toti homini, nec uſpiam, quod ſciam, vox ἀναστάσεως ad unam tantum hominis partem refertur. Caſus autem præcedit ratione corporis: qui ſpiritum quidem non perimit; ſed functiones tamen illi, quibus corpori junctus vacabat, interea adimit;

unitatem autem seu identitatem toti largitur unus idemque in utroque corpore spiritus, memoriam eorum, quæ in priori gesserat, retinens. Sed jam tempus est, ut ad reliquas corporum horum & illorum differentias accedamus.

Secunda ergo differentia istis continetur verbis: *Seminatur in*, vel *cum dedecore*; *suscitatur in* seu *cum gloria*. Cætera jam ante sunt explicata: illud tantum considerandum restat, qua in re ista ἀτιμία seu dedecus, qua item in re gloria ei contraria consistat. Discere autem id facile possumus ex eadem hac epistola, cap. 12. 23, quæ de corporis nostri membris partibusve loquens quædam vocat ἀπρωπότερα τῦ σώματ☉ scilicet μέλη, hoc est, reliquis magis indecora, turpia ac deformia, quibus proinde, ut statim addit, honorem ampliorem circumponimus, hoc est, ea majori studio tegimus. Honoris enim nomen hoc loco significat adscititium corpus seu ornatum, quo deformitatem membrorum tegimus atque occultamus, & sic decorem, quem ex se non habent, illis exterius conciliamus. Id quod statim apostolus ipse explicat, dum addit: & deformia nostra, membra scilicet, seu indecora decorem ampliorem habent, hoc est, diligentius vestiuntur ac conteguntur. Hæc est ergo naturalis ἄτιμία, deformitas ac turpitudo quædam partium, quas ipsa natura occultavit, usui etiam etiam indecoro destinatarum. Potest quidem adjici & reliqua deformitas, quam vel morbi, vel senectus, vel alii casus, aut ipsa etiam natura quibusdam inducit: verumtamen illud, quod omnibus est commune, quodque perpetuo inest, magis videtur intelligendum. Gloria autem huic deformitati opposita est pulcerrima ac splendidissima corporum futurorum species, a qua omnis aberit deformitas, omnis turpitudo; nihil erit quod tegi atque occultari, quod adscititio cultu ornari debeat. Vox quidem δόξης videtur nominatim denotare splendorem ac fulgorem; cujus significationis paulo ante habuimus exempla: verumtamen quia dedecori, turpitudini ac deformitati opponitur, omnem pulchritudinis speciem, ac formæ externæ summam quandam perfectionem complectitur.

Et de splendore quidem corporum nostrorum nihil est dubitandum, cum videamus Christum, licet adhuc mortalis esset, cum in monte sacro transformaretur, ita splendidum fuisse redditum, ut facies ipsius fulgeret tanquam sol, & vestes ipsius candidæ tanquam lux. Tum autem imaginem quandam in se exhibuit Christus futuræ suæ mutationis seu transfigurationis, quæ quæ tum demum ei contigit, cum in cælum est translatus, & regno suo potitus. Viderunt enim discipuli, qui cum ipso fuerunt, filium hominis venientem in regno suo, ut loquitur Christus paulo ante historiæ hujus descriptionem versu ultimo cap 16 Matth. hoc est, ejus rei imaginem, & in ea rem quodammodo ipsam, ut in speculo, viderunt. Iam vero nostra corpora Christus redditurus est conformia glorioso suo corpori, ut est ad Phil. 3, versu ultimo. Quare si Christus adhuc mortalis adeo redditus fuit splendidus; quid & de ipso, & de nobis immortalibus; & corpore corruptionem nullam admittente præditis existimandum est? Verumtamen quia corpora nostra, ut paulo post audiemus, spiritualia erunt, ac proinde subtilissima, longe subtiliorem eum fulgorem necesse est esse, quam fuit ille, qui in corpore Christi, quod adhuc animale erat, & crassum terrenumque apparuit; ac porro talem, ad quem mortalium oculorum acies non pertingat. Huc etiam non immerito referre possis, quod est apud Matthæum cap. 13, ubi Christus ait *justos in consummatione seculi, cum impii in caminum ignis injicientur, effulsuros instar solis in regno Patris sui*. Licet enim id de dignitatis ac honoris summi splendore possit accipi, non male tamen ad corporum splendorem accomodatur.

Ex eo autem facile intelligitur, Christum, cum a mortuis fuit resuscitatus, nondum glorioso fuisse corpore indutum. Nam quomodo vel ipsummet videre discipuli, vel tantum fulgorem ferre potuissent? Moses, quia a colloquio cum angelo cœperat fulgere ipsius facies, licet corruptibilis, velum cogebatur cum Israëlitis collocuturus obtendere, quia fulgorem istum eorum oculi ferre non possent: cum tamen plus quam credibile sit, nondum instar solis fulsisse ipsius faciem. Quomodo ergo discipuli Christum, ipsomet etiam jubente, intueri ac contemplari, cum eo familiariter conversari ac colloqui potuissent, si jam glorioſissimo illo ac fulgidissimo corpore fuisset indutus; cujus splendoris jubar tantum quoddam, ac veluti radius Paulum aliquando excæcavit? Quomodo etiam Evangelistæ id prorsus reticuissent, qui transfigurationem in monte diligentissime descripserunt? Quod si speciem tam augustam dicas fuisse a Christo tum occultatam, id fieri non potuisset, nisi oculis discipulorum retentis. Cur ergo Christus ex intuitu etiam ac visu de se judicari volebat, & eos tanquam testes resurrectionis ipsius futuros de ea certos reddere; cum non ea species Christi appareret, quæ esset, sed longe alia? annon hac ratione testimonium ipsorum in dubium vocabitur? Non id enim fuisset, quod viderint, sed id illos dicere, quod apparuerit, dici poterit. Adde, quod vulnera aut vulnerum vestigia, quæ certe in glorioso pulcherrimoque corpore nulla sunt, in Christo adhuc extiterint. Sed præterea nec ventre caruit Christus, in quem cibos ingessit, nec quicquam proculdubio defuit eorum, quæ videmus τὰ ἄπρ☉ τῦ σώματ☉ τῆ ἀχρήστα ab apostolo vocari. Hæc vero a glorioso corpore abesse debere, ex hoc loco discimus, & ex altero, qui in eadem hac epistola extat cap. 6. 13, ubi ait Apostolus: *Escæ ventri*, scilicet destinatæ sunt, *& venter escis: Deus autem & hunc & illas abolebit*, intellige in resurrectione mortuorum. Venter autem omnia illa quodammodo complectitur, quæ deformem habent aspectum, omniaque ita conjuncta sunt, ut illo sublato nullus plane horum possit esse usus.

Unde facile jam apparet, quam graviter illi errent, qui eadem plane corpora, habita ratione substantiæ, olim nobis redditum iri censent. Certe si ita esset, pudere etiam nos olim nostri deberet non minus atque primos nostros parentes, cum oculis ipsorum apertis nudos se esse viderunt, quod antea non deprehenderant cognitione boni & mali, in quo etiam continetur decorum & indecorum, seu turpe ac deforme. destituti. Ut alia nunc taceam, quæ paulo inferius commodiori loco dicentur.

Sequitur tertia corporum, de quibus agimus, differentia, his verbis expressa: *Seminatur in* seu *cum infirmitate*, *suscitatur in* seu *cum potentia*. Infirmitas hæc hominis, seu mavis corporis humani in eo cernitur, quod & laboribus facile frangitur, & senectute ipsa labefactatur, & moribus levibus etiam vires atterunt: nonnunquam a primo statim ortu peculiaris

acce-

accedit infirmitas, aut ab alio caſu. Fit hoc ob corporis mortalis naturam: nam & de ipſis partibus corporis ſolidioribus, & de ſpiritibus quibus utriſque vires noſtræ corporiſque robur nititur, ſubinde aliquid decedit, maxime per labores, ſenectutem, morbos nec ſemper eis tantum accedit, quantum decedit; & ſpiritus quidem, quibus maxime nervi intenduntur, & membra reguntur; imo omnes animæ vires exeruntur, haud difficulter diffugiunt, ac ſubtilitate ſua exſpirant: unde corporis defatigatio: quin & ipſa membrorum ſoliditas aliquantum labore laxatur. At id, quod ſurget corpus, ſeu mavis, ipſe homo, corpore erit præditus valido, robuſto, quod fatigationem non ſentiat, cujus vires nulla ætas labefactet, nec morbus, qui ibi nullus erit, attenuet. Vires, quas ſpiritus in illo corpore exerere poterit, corporis habilitas ſequetur, nec quidquam ſpiritui obſtabit, quo minus per illud efficere poſſit, quod per naturam alias, inſtrumentum nactus, poſſit. Non vegetabitur ſpiritibus aliquibus, quales nunc corpus noſtrum regunt atque agitant, caducis, qui diffugere atque exſpirare facile queant; ita ut eorum refectione atque reparatione ſit opus: ſed ita intra ſe continebunt corpora illa incorruptibilia vim ſpiritus vitalis, ut nihil ejus plane depereat, & a labore robur ſemper ſit recens.

Ex quo ipſo facile intelligitur, non carneum id eſſe debere corpus, non hac ipſa cute cinctum, quod a reſurrectione piis dabitur. Ejus enim natura eſt ejusmodi, ut ſpiritibus vitalibus exitum præbeat: qui, niſi ſubinde reparentur, tandem deficiunt, & corpus vel fatigatum dejiciunt, vel penitus tandem exanimatum relinquunt, ut recte antea aſſeruimus, has corporum differentias, etſi extra eſſentiam ſint poſitæ, ejus tamen diverſitatem arguere, & ex ea pendere.

Verſ. 44. Reſtat ultima ex illis quatuor differentiis quæ ipſam corporis ſubſtantiam per ſe attingit. Ea eſt deſcripta illis verbis: *Seminatur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale.* Diximus jam ſupra quædam ad horum verborum intelligentiam pertinentia, quæ hic memoria repetantur. Nunc illud tantum reſtat explicandum, quid apoſtolus vocet corpus *animale*, quid item *ſpirituale*.

Quid per *animale* corpus intelligat, ex eo poteſt deprehendi, quod paulo poſt apoſtolus ſubjicit, oſtenſurus, & corpus animale & ſpirituale extare. Ad illius autem, hoc eſt, animalis corporis probationem affert ea Geneſeos cap. 2. 7 verba: *factus eſt primus homo in animam viventem.* Ubi, ut omnes, ni fallor, animadverterunt, anima vivens nil eſt aliud, quam animal vivens, ac ſpiritum vitalem trahens. Inde dictum eſt corpus animale, a ψυχῇ quæ animal hic denotat, ψυχικὸν ſeu animale; ut animale corpus ſit ejuſdem generis cum iis quæ habent cætera animalia, quod nimirum animâ, quam vegetativam & ſenſitivam vocant, animetur & regatur, quodque adeo ad ſui ſuſtentationem nutritione indigeat, ad conſervationem autem ſui generis ſimiliumque individuorum propagationem, generandi facultate ſit præditum, (nutriendi enim ac generandi facultas hujus animæ propria eſt, qua utraque penitus ſublata animam ipſam tolli eſt neceſſe) & porro iis etiam organis ac partibus ſit inſtructum, quibus ad exercendas facultates dictas ſit opus; ſimul etiam iis, quæ ſenſuum, tum externorum, tum internorum facultatibus & appetitui cum iis conjuncto, itemque facultati locomotivæ ſubſervire apta ſint.

Ideo autem animæ vegetativæ & illarum partium, quæ ab ea ſuſtentantur, quæ etiam ei ſubſerviunt, facimus mentionem, quia oppoſitio inter corpus animale & ſpirituale non in eo revera conſiſtit, quod corpus animale animæ ſenſitivæ & facultatibus cum ea conjunctis, nempe appetendi & loco ſe movendi, ſervire ſit aptum. Nam & ſpirituale corpus aptum erit & accommodatum animæ iſtius facultatibus, earumque propriis functionibus, licet non ea ſit futura partium iis inſervientium vel forma, vel diſpoſitio, vel cæteræ facultates, quæ in hoc animali corpore extant, ut poſtea explicabitur; cum hæc organorum ratio non ſimpliciter ſit neceſſaria ad iſtarum facultatum functiones, ſed tantum in hoc terreno ac corruptibili corpore; quod ſine anima vegetativa vivere nequeat. Sed differentia inter corpus animale & ſpirituale potius conſiſtit in eo, quod animale corpus apparatum habeat inſtrumentorum animæ vegetativæ inſervientium, quin etiam nullum eorum organorum, quæ animæ ſenſitivæ ejuſque facultatibus operam ſuam commodant, imo ne illorum quidem ullum quæ intellectus operationibus ancillantur, tale ſit, quod anima vegetativa non indigeat, et ab ea non ſuſtentetur, et quod, ut rem ipſam penitus tangamus, non ſit plane craſſum ac terrenum. Spirituale enim, ut poſtea intelligetur, corpori craſſo ac terreo maxime opponitur: craſſum autem & terrenum eſſe neceſſe eſt, quicquid anima vegetativa vegetatur ac nutritur, aut ſi quid eſt ſubtilius ac magis ſpirituale, id ex craſſiori naſcitur, & eo penitus corrupto ſponte ſua diffugit ac diſparet. Quare ut corpus noſtrum animale non amplius ſit, omnes illas partes, quæ animæ vegetativæ ac ſenſitivæ in corpore noſtro ſubſerviunt, aboleri neceſſe eſt: id quod de iis, quæ ad nutritionem ac generationem pertinent, etiam per ſe unicuique patere debebat.

Sed nondum eſt ſatis ad id, ut corpus ſpirituale efficiatur. Nam nec res inanimatæ animalia habent corpora, omnibus deſtitutæ organis, quæ animæ vegetativæ aut ſenſitivæ inſerviant; nec tamen cum ſpirituali corpore conjunctionem aliquam protinus habent: ſed neceſſe eſt omnem craſſam terreamque molem tolli, ut corpus ſpirituale evadat. Sine ea nullum eſt corpus animale, cum ea nullum ſpirituale. Nam ut jam ad oppoſitæ differentiæ explicationem accedamus, Cum ſpirituale dicimus corpus, ſubtile quippiam, & veluti in omnes partes flexile, agile & tenuiſſimos quoſque meatus penetrans intelligimus. Talia ergo corpora nobis in reſurrectione dabuntur. Hoc cum videantur agnoſcere etiam alii nonnulli, mirum tamen eſt, eos nihilominus vehementer contendere, eandem fore corporis noſtri ſubſtantiam, carne nos ac cute tectum, iisdemque oſſibus ſuffultum iri: cum & Chriſtus Luc. 24, 39, apertiſſime dixerit, *Spiritum carnem & oſſa non habere*; & ratio ac communis omnium ſenſus clariſſime id oſtendat. Etenim quomodo poteſt os ſubtile fieri, & quemvis meatum penetrare aptum? quomodo ad omnem motum, ſive ſurſum, ſive deorſum, ſive quocunque velis habile atque agile, quemadmodum eſt corpus ſpirituale, quamdiu quidem oſſis naturam retinet? Os, niſi durum ſit, & cedenti reſiſtat, ſuamque firmitatem corpori obſtanti renitentem retineat, os eſſe deſinit; cujus naturæ eſt fulcire partes molliores, ne concidant, & motui corpus ſibi incumbens aptum reddere. At ſi os ſubtile admo-

dum evadat, ſi in omnes partes flexile, & tenuiſſimos meatus poſſit pertranſire, duritiem ac firmitatem omnem perdidit. Quis unquam hominum id quod vento, aut ſi aliquid craſſius oculiſque ipſis conſpicuum mavis, ſpiritui Chymicorum ſimile eſt, os vocaverit? At conſimilis ſubſtantiæ neceſſe eſt corpora ſpiritualia, quæ adepturi ſumus, eſſe? Quid multis opus eſt? ſi demſeris & carni, & oſſibus, & reliquis hujus corporis partibus terrenam ſubſtantiam, quam omnino craſſam, denſam & gravem eſſe neceſſe eſt, ipſam illarum ſubſtantiam ſuſtuleris, ex illis enim componuntur; niſi autem ſuſtuleris, ſpirituale nunquam effeceris.

Quanquam vero de ſpiritibus multa aſſerere non poſſumus, de quibus magis ſcire licet quid non ſint, quam quid ſint; cum ſenſus noſtros vel penitus vel magna ex parte effugiant: ex earum tamen rerum natura, quæ ſpiritus appellantur, quæ ſenſus noſtros non penitus fugiunt, aut quarum operationes quædam ſeu effecta deprehendi a nobis queunt, aliquid de corporibus iſtis ſpiritualibus conjicere ſaltem licet; & dummodo nihil vel contra ſacræ ſcripturæ autoritatem, vel contra rationem affirmetur, nihil etiam aſſeveranter pronuncietur, nihil peccat ille, qui vel in hanc, vel in illam partem quid ſentiat, oſtendit, & ſaltem veriſimilia in medium profert.

Quare, ut nonnihil de corporibus illis ſpiritualibus, quibus in reſurrectione induemur, diſſeramus, iſtud primum extra dubium ponimus, corpora noſtra cæleſtia fore, ſeu ex cæleſti quadam materia conſtituta, ut infra verſ. 47 & ſequentibus docebitur. Ejus autem materiæ natura cum longiſſime diſtet a natura materiæ terrenæ; ex hujus affectionibus de illius qualitatibus, & ex contrario de contrario judicium facere non inepte poſſumus. Quare ut materia terrena craſſa; ita cæleſtis ſubtilis, &, ſi ita loqui liceret, tenuis: ut illa intractabilis: ita hæc flexilis: ut illa ad motum inhabilis; ita hæc habiliſſima ſtatuenda eſt. Verumtamen quia, ut jam antea diximus, & reſurrectionis natura poſtulat, ea jungi debet ſpiritui noſtro, quo vivimus, ſentimus ac intelligimus, qui illud etiam corpus animabit, cum ſubtilioris ac divinioris cujuſdam naturæ, quam ſit illa materia, ex qua illi corpus fingetur, eſſe apparet. Quare ita propemodum differt a ſpiritu illo noſtro, quemadmodum nunc ſpiritus vitales atque animales dicti ab eodem differunt. Subtilitate quidem illi proxime ad eum accedunt, ſed nihilominus tamen ea qualitate ab illo ſuperantur. Habilitas ergo, ut diximus, corpori illi ſpirituali inerit ſumma, ad id, ut moveatur, impellente eo, quem in ſe includit, vitali ſpiritu; & quidem ita, ut nulli motus generi per ſe ac natura ſua ſit addictum, ſed eum recipiat impetum, quem ſpiritus ac voluntas ipſi impreſſerit.

In corporibus naturalibus diverſos eſſe videmus impetus ſeu inclinationes ad diverſos motus. Et inanimata quidem uno ſimplicique motu feruntur; cæleſtia in orbem; elementa per rectam lineam, ſive ſurſum, ſive deorſum: licet violento motu alioqui rapi poſſint. Elementorum autem prædominantium impetum atque motum ſequuntur etiam corpora ex iis compoſita, & ipſorum etiam animalium, quatenus ex elementis conſtant, & mere, ut ita dicam, ſunt corpora, nihil ſpiritus, nihil animæ habentia; ſed qua animalia ſunt, & ſpiritum quendam in ſe continent vegetum vividumque, appetitu ciente, variè ſeſe movent ipſa. Quod enim in corporibus inanimatis eſt appetitus, quem naturalem vocant, ſeu naturalis ad certum locum inclinatio: id in animalibus præſtat appetitus ſenſitivus, & in rationalibus voluntas: quæ utraque facultas, maxime poſterior, quæ liberrima eſt, nunc huc, nunc illuc inclinatur; illa ab objecto tantum, hæc aliqua ex parte etiam a ſe ipſa. Hæc ergo in animalibus cauſa eſt, cur animalia nullo non motus genere feruntur; ita tamen, ut naturalem corporis ſui impetum penitus vincere, ejusque obliviſci nequeant, ſed ſemper eo magis inclinent, quo elementi prædominantis ὁρμὴ eos impellit. Prædominari autem in omnibus videtur terra: quamquam in aliis magis, in aliis minus. Itaque cum contra naturalem ſui corporis impetum nituntur, ſeu in oppoſitum locum ſeſe agunt, violenta quodammodo eſt iſta commotio, ideoque cum majori difficultate ac luctu; at eo, quo corpus propendet, ferri eſt facillimum. Motus autem ille animalis proprius & a naturali illo ſeu elementari minime dependens, ſpirituum noſtrorum vi peragitur, qui ipſi ab anima ſeu ſpiritu primo cientur, voluntate vel appetitu vel a re aliqua refugere, vel eam proſequi ad eamque accedere jubente. Quem voluntatis atque appetitus impetum primi excipiunt ſpiritus animales dicti, & ad eum ſeſe componunt celerrima quadam agitatione, & pari cum ipſa cogitatione, ut ita dicam, paſſu, & cum ipſi rurſus nervos, tendines ac muſculos impleverunt, animal ad voluntatis & appetitus nutum movetur. Ipſi ergo ſpiritus per ſe ſunt celerrimi, & ſine difficultate impetum capiunt ad quemvis motum, cum ad eum ſe quodammodo indifferenter habeant; niſi quod ob levitatem ſurſum potius feruntur, &, niſi corpus hoc craſſum obſtaret, aut ita eſſet ſpiritui obſequens, ut ſpiritus ipſi illi voluntati atque appetitui, nullus eſſet locus quo homo ire concupiſceret, & non ſtatim ferretur.

Hoc ergo quod de ſpiritibus iſtis animalibus nunc diximus, tranſferamus ad corpus illud ſpirituale, quo olim induemur. Hoc non ſecus atque illi indifferens videtur futurum ad quemvis motum, ita ut naturaliter nec huc nec illuc magis inclinet: niſi quis forte dicat, illud leve fore ac ſuperiorem locum appeturum. Interea ſequaciſſimum erit, & ad quemvis voluntatis atque appetitus impetum accipiendum habiliſſimum: & cum gravitas potiſſimum motui corporum obſtet, qua illud penitus deſtituetur, nulla erit mora, quin eo feratur, quo voluntas inclinaverit, & tanto quidem concitatius, quanto vehementius voluntas in eam rem incubuerit, aut locum iſtum appetierit. Nam quemadmodum quanto major gravitas eſt corporis, tanto concitatius corpora feruntur deorſum; quanto major levitas, tanto levius, niſi quid obſtiterit, ſurſum: (eſt autem gravitas impetus ad locum inferiorem, ejuſque appetitio quædam naturalis; levitas ſimiliter impetus ad locum ſuperiorem) ita etiam quanto vehementior erit voluntatis noſtræ inclinatio, quæ vera eſt appetitio; tanto etiam concitatius corpora noſtra ſpiritualia ferentur. Videmus id aliqua ratione in noſtris corporibus; quæ licet ob molem ſuam cupiditate noſtra ſæpe ferantur tardius, tamen, niſi quid obſtet, celerius moventur, cum vehementius urget appetitus & voluntas; tardius, cum minus in eam rem incumbit. Et hæc quidem de motu.

Quod ad ſenſum attinet, idem illud corpus præſtabit vicem illorum ſpirituum, in corpore noſtro mortali exiſtentium, & ſimul etiam organorum, per quæ eorum virtus exeritur. Notum eſt, omnem ſenſuum operatio-

rationem, omnem appetitionem, omnem commotionem & agitationem membrorum, omnem denique intellectionem vi ſpirituum iſtorum peragi. Itaque pars ea corporis, quæ ſpirituum eſt expers, omnis etiam ſenſus ac virtutis eſt expers. Illi ſunt veluti vinculum quoddam inter ſpiritum, quem animam Philoſophi vocant, & inter craſſum corpus ejuſque membra. Illi, quia ad ejus naturam proxime accedunt, cum eo primum junguntur, & ab eo vim animalem accipiunt, & porro per totum corpus, cum quo etiam quandam cognationem habent, diſpenſant; &, quemadmodum a ſpiritu ad organa vim, ut ita dicam, animalem deferunt, ita viciſſim ab organis ſpecies rerum omnium ſenſibilium deferunt aut tranſmittunt ad ſpiritum: quia vero non ubique reperiunt quorumvis ſenſuum organa, ideo non ubique percipiunt omnia; ſed ibi quidem iſta, illic vero alia; quæ demum in ipſo ſpiritu veluti junguntur, & a ſe invicem dignoſcuntur.

At vero corpus illud ſpirituale, quia non tantum ſpiritus animales in ſe continebit, ut hæc corruptibilia ſenſuum organa; ſed etiam, illorum ipſorum ſpirituum inſtar, erit ubique ſibi conforme, ubique omnium ſenſuum vim exerere poterit, & ſpecies rerum quarumvis ſenſibilium percipere. Quod etiam facerent ſpiritus noſtri animales, ſi ubique organa reperirent apta, ut diximus, per ſe etiam percepturi res ſenſiles, niſi diffugerent, & ab ipſa anima ſeu ſpiritu ſtatim disjungerentur, cum organo ſolidiore non concluduntur. Tanto autem ſenſus ille erit perfectior, quanto perfectius illud corpus, in quo nulla organi depravatio, nulla labes aut intemperies, quæ in hoc mortali corpore ſenſum ſæpe impedit, locum eſt habitura.

Simul etiam ſenſus erit purior, & a dolore, quem ſenſus noſtri nonnunquam excitant, remotior. Notum eſt, ſenſus alios eſſe puriores; alios aliquanto impuriores; puriſſimos eos, qui ſpecies excipiunt a materia ſejunctas, non vero ipſam materiam, in qua qualitas ſeu affectio ſenſilis exiſtit, ipſi illi corporis parti, quæ eam percipit, admoveri poſtulans: quod poſterius qui faciunt, impuriores ſunt. Inter puriores eminet viſus, qui ſpeciem rei eminus cernit, quam, ſi oculis ipſis imponere velis, non cernat. Hunc ſequitur auditus, in quo dubites, utrum ſonus ipſe cum materia ſua, an vero ejus tantum ſpecies quædam, ad verum ejus ſenſorium, quod intra aurium meatus latet, deferatur. Inter inferiores ordinem ducit tactus, ac ſimul guſtatus, qui ejus veluti pars eſt, ac denique odoratus. Etenim qualitates tactiles, ſapores odoreſque una cum materia ad partes corporis, per quas ſenſus illi exeruntur, admoventur, & quanto magis, tanto vehementius ſenſum feriunt; licet interdum minus accurate propter ipſam ſenſus vehementiam diſcerni queant.

Jam, ut ad ſpiritualia corpora deveniamus, nihil dubitamus, quin viſus, qui puriſſimus eſt ſenſus, in illis locum ſit habiturus; quin etiam auditus. De cæteris magis dubites. Sed tamen credibilius eſt, illos, licet multo exactiores ac perfectiores multoque puriores, in illis repertum iri. Tactu enim prorſus deſtitutum iri vix eſt credibile. Guſtatus quidem & odoratus ideo maxime videtur animalibus eſſe datus, ut cibos atque alimenta ſibi apta deligere ea ratione poſſent, & ea quæ naturæ ſuæ vel noxia eſſent, vel minime convenientia, rejicere; quin etiam ut vel ſuavitate rerum ad eas perſequendas atque uſurpandas adducerentur; vel eas, quia ingratæ, fugerent ac vitarent: qui uſus in corporibus incorruptibilibus, quibus nullo eſt opus tali alimento, plane ceſſat. Verumtamen quia ſenſuum illorum uſus etiam ad cognitionem rerum pertinet; non videntur autem ii, qui incorruptibiles ſunt, ut nunc angeli, deſtitui ullo adjumento, quo ad rerum earum, quæ cognoſci ulla ratione poſſunt, notitiam aſſequendam ſit opus: ideo credibile eſt, etiam incorruptibilia corpora apta fore ſpeciebus iſtarum rerum, quanquam ſine materia, percipiendis; ut ita qui ſenſus in nobis impuri ſunt, in illis reddantur puriſſimi, & illorum actus viſioni quodammodo fiant ſimiles. Quod ſi dicas, hunc non amplius tactum vel guſtatum vel odoratum eſſe, ſed aliquid tantum illi analogum: dum de re conſtet, de voce non litigabimus. Non eſt quod dicas, tum non extitura ea, quæ olfactu aut guſtatu percipi poſſint: quanquam in dubium id vocari poſſit, utut cibi non ſint extituri, extante adhuc ea materia, quæ ex mundi incendio ſupererit: non tam hic ſpectandum eſt, an objecta ſint extitura, quam, ſi extiterint, utrum ea ſit futura facultas ſpirituum immortalium, aut etiam nunc ſit Chriſti & angelorum: quorum hac in parte eadem videtur eſſe ratio, ut illa percipere queant.

Illud adhuc quæri poteſt, quomodo illa corpora, ac proinde ipſi homines beati inter ſe poſſint dignoſci; quomodo item animi ſenſa ac cogitata inter ſe communicent? Certum hic definire modum, præſertim ſpecialem, temerarium foret. Sed illud tamen dici poteſt, etiam a nobis cogitari poſſe aliquem iſtarum, de quibus quæritur, rerum modum.

Nam quod ad diſtinctionem corporum ſpiritualium attinet, præter figuram, quam Mathematici appellare ſolent, ac corporis lineamenta, quæ in illis determinata eſſe non putamus, plura ad ſpecien ſeu figuram corporis externam pertinent, in quibus infinita quædam varietas locum habere poteſt: nec quicquam prohibet, quo minus unicuique ſpiritualium corporum notam aliquam, ac veluti characterem, quo a ſe invicem dignoſcantur, imprimat; & quidem ejuſmodi, qui in diverſa etiam corporis figura per ſe tamen eadem maneat. In rebus terrenis varii apparent colores, quibus variæ figuræ in corpore duci poſſunt, & prout variæ inter ſe miſcentur variæque ducuntur lineæ, ita & figuræ inde naſcuntur variæ. Non dubium eſt, quin corpora ſpiritualia alia aliis poſſint eſſe clariora ac ſplendidiora, & in eodem corpore aliqua pars poſſit eſſe ſplendidior altera. Lux autem diverſimode cum ſuo contrario ſeu oppoſito mixta (gradus enim omnes ex miſtione ſeu temperatione ſuorum oppoſitorum fiunt) coloris inſtar eſt. Quid ergo prohibet, tali aliqua ratione corpora illa ſpiritualia veluti pingi, & diverſas inter ſe formas ſortiri? cum differentiæ iſtorum colorum adeo ſubtilium poſſint eſſe multiplices, & variæ per eos divino, ut ita dicam, digito pingi figuræ. Nihil de eo nunc dicimus, quod & magnitudo poſſit eſſe corporum illorum diverſa: ut alias quaſdam differentias prorſus reticeamus.

Quod ad communicationem cogitationum nunc attinet, difficilius eſt de ea verba facere; quemadmodum & de angelica, ut Paulus eam vocat, lingua: cum nobis non conſtet, utrum vocem aliquam & ſonum revera edant, cum cogitata ſua aliis aperiunt; an vero tantummodo vocis quandam ſpeciem aliis imprimant, & alii aliorum moveant phantaſiam: quo pacto in apparitionibus angelorum, cum vel in ſomnis cuiquam

apparuerunt, ut de Joſepho verbi gratia Mariæ marito legimus; vel hominem extra ſe raptum ejuſve animum iis impleverunt imaginibus, ut & ea ſibi videre & audire videretur, quæ re ipſa tamen non extabant, ſed rerum tantum verarum erant picturæ quædam; quemadmodum Joanni Apocalypſeos ſcriptori contigiſſe legimus.

Non deſunt inter Philoſophos, qui arbitrantur, poſſe phantaſiam noſtram, in quam omnium rerum ſenſibilium ſpecies deferuntur, moveri non moto externo ſenſu, a ſpeciebus rerum etiam longius diſſitarum, modo earum ſimiles ſenſu aliquo perceperimus, & corpus noſtrum ſit quietum, compoſitis paulo turbulentioribus, qui in eo cieri ſolent, ab elementis verbi gratia, motibus, aut humorum quadam intemperie, ſenſu etiam externo prorſus a functionibus ſuis ceſſante. Ex eorum ſententia nihil prohiberet, phantaſiam (philoſophorum more hoc nomen ſumimus) ſeu imaginem in phantaſia ſpiritus cujuſdam cæleſtis exiſtentem, & corpori ſpirituali notam quandam & veluti imaginem imprimentem, movere poſſe alterius ſpiritus phantaſiam, ejus potiſſimum, in quem prior ille ſpiritus cogitationem ſuam intenderit, & cui aliquid ſignificare voluerit. Videntur enim ſpirituum illorum corpora ac phantaſiæ eſſe inſtar quorundam ſpeculorum. Quemadmodum autem ſpecula hæc craſſa ac terrena, craſſarum rerum ſpecies ſibi oppoſitas recipiunt: ita ſpiritualia etiam illa ſpecies ſpirituales ſibi objectas, & in ſe veluti directas. Quare hoc pacto voce aut ſono non videtur eſſe opus.

Quod ſi tamen quiſpiam dicat, abſurdum videri nutibus, ut ita dicam, loqui, & præ nobis mutos videri: ut nunc non dicam, longe præſtantiorem ac diviniorem eſſe eam cogitationum communicationem, quæ fiat per imagines a phantaſia excitatas & corpori impreſſas; quam quæ per verba, & ſonum; cum illæ natura ſua ſignificent rem, cujus ſunt imagines, hæc non niſi ex inſtituto: & illæ quidem res, quatenus ab animo concipiuntur, deſignent proxime; hæc vero non niſi intervenientibus imaginibus, quas ſæpe dubia fide nobis repræſentant, ut proinde, ſi imagines illas phantaſiæ impreſſas cernere poſſemus, verbis non foret opus: In hominibus loqui non poſſe vitium eſt: in illis autem qui per imagines ejuſmodi, quales diximus, communicare animi ſenſa poſſunt, rei ſuperfluæ tantum foret abſentia, nec magis vitioſum, quam in homine vitioſum cenſetur, quod cornibus careat. Sed hoc nunc tranſmittamus. Illud adhuc reſpondemus: ſi quis putet, affirmandum, omnino ſermonem aliquem, qui ſono ac voce quadam articulata exprimatur, fore, ac proinde etiam aliquid in illis beatis ſedibus eſſe aëri analogum, cujus percuſſione vox excitetur: jam ſupra diximus, ſpiritus cæleſtes cogitatione ſimul corporum figuram eam ſumere poſſe, quam volunt, ac proinde etiam eam, qua ad voces ac verba formanda ſit opus. Neque arbitramur, angelos, quotieſcunque cum hominibus fuerunt locuti, nec tamen ſpecie aliqua corporea apparuerunt, corpus aliquod aſſumſiſſe, cujus partes ita fingerent, ut humanæ vocis ſonum ederent: ſed credibile eſt, ſæpe per ſe ipſos ſonum aëris hujus beneficio excitaſſe, & voces articulatas humanaſque finxiſſe. Sed liceat nobis etiam aliquid in hac materia ignorare: ſed quid dicimus liceat? cum id etiam ſit neceſſe, ut ne ſatis quidem moderati ſit ingenii, omnia hic ſcire velle, & omnia quærere: ne, dum quærat quod non debebat, id inveniat, quod non oportebat. Sed jam tempus eſt, ut ad verborum apoſtolicorum contextum redeamus.

Vidimus autem hucuſque alterum eorum verborum membrum, quibus apoſtolus reſponſionem ad objectionem ſuperius propoſitam illuſtrat. In eo expoſitæ ſunt aliquot corporum, quæ nunc habemus, quæque olim a reſurrectione habituri ſumus, differentiæ. Sequitur tertium membrum, in quo prioris continetur probatio, quanquam ita, ut ultima potiſſimum corporum differentia ab apoſtolo conſtituta demonſtretur: quia & ipſa reliquarum eſt princeps, cum ipſam corporum ſubſtantiam ſeu eſſentiam per ſe attingat, & cæteræ ex ea quodammodo naſcantur. Ea vero eſt, quod *ſeminetur corpus animale, ſuſcitetur ſpirituale.* Eam vero probat duplici maxime ratione, ita inter ſe nexa, ut poſterior priorem fulciat. Prior a verſ. 44 medio extenditur uſque ad verſ. 50: quo poſterior continetur.

Quod ad priorem rationem attinet, primum demonſtrat apoſtolus, dari ejuſmodi, qualem conſtituerat, corporum differentiam, idque ut ex probatione ſubjecta, & iis quæ deinceps ſequuntur, apparet, reſpectu ipſius hominis. Deinde oſtendit, prius in homine locum habere, atque adeo habere debuiſſe corpus animale, quam ſpirituale; ne quis miretur, non ab initio ſtatim hominem ſpirituali corpore indutum fuiſſe. Denique ad propoſitum ea quæ dicta ſunt accommodans, oſtendit, in nobis, qui Chriſto adhæremus, hanc corporum differentiam omnino locum habituram, id eſt, nos qui nunc animali ſumus corpore præditi, ſeu, quod perinde eſt, terreno, aliquando ſpirituali ac cæleſti donatum iri.

Primum ita exequitur, ut prius rem proponat, deinde confirmet. Proponit poſterioribus verſ. 44 verbis, ubi ait: *eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale*; quod in ſcholis vulgo dicerent: datur corpus animale, datur etiam ſpirituale. Dari autem illud dicitur, quod vel re ipſa jam eſt, vel eſſe ſaltem poteſt, quo poſteriori modo demonſtratur, verbi gratia, dari felicitatem, dari ſummum hominis bonum. Jam vero quod ad corpus animale attinet, id re ipſa extare & per ſe manifeſtum eſt, & ex ſequentibus patebit. Corpus autem ſpirituale partim jam extare, partim aliquando extiturum probabit apoſtolus. Quanquam poſſes ita quoque verba apoſtoli accipere, ac ſi dictum eſſet: extat vel datur homo, qui ſit corpus animale, & extat etiam homo, qui ſit corpus ſpirituale. Quo pacto non ita abſoluta erit propoſitio; ad rem tamen aliquanto accommodatior, quam ſi ita abſolute ſumatur. Sequentia ſane, in quibus horum continetur probatio non parum ei ſententiæ favent: nec mirum videri deberet ſubaudiri nomen hominis; quod etiam in præcedentibus recte ſubaudiri diximus. Ipſa differentia corporis animalis & ſpiritualis ſatis eſt a nobis explicata. Quare in hujus ipſius thematis explicatione non eſt neceſſe diutius immorari: ſed accedendum eſt potius ad ejus probationem.

Verſ. 45. Quia vero thema ſeu propoſitio bipartita eſt, cum in ea primum aſſeratur, eſſe corpus animale, ſeu eſſe hominem, qui ſit corpus animale; deinde vero eſſe etiam corpus ſpirituale, ſeu, ſi ita placet, extare hominem, qui ſit corpus ſpirituale; ideo utraque ejus pars probatur: quanquam prior non tam ſua, quam poſterioris partis gratia. Illa enim per ſe ſatis alioqui eſt

qui eſt manifeſta, poſterior probatione indiget. Probationis autem loco prior quodammodo pars eſt: cum ex contrario contrarium concludi poſſit. Ita ergo loquitur apoſtolus: *Sic & ſcriptum eſt: factus eſt primus homo, Adam, in animam viventem; ultimus Adam in ſpiritum vivificantem.* Ubi videri poſſet, verba prima, *ſic & ſcriptum eſt*, ad utrumque orationis ſubjectæ membrum pertinere: cum tamen ſatis ſit manifeſtum, prioris tantum membri verba Gen. 2. verſ. 7 contineri; poſterioris membri nullum in ſacro veteris fœderis codice, ad quem hic ſolum reſpicitur, extare veſtigium. Quare ita verba iſta ſunt accipienda, ac ſi aliquantulum mutata parentheſi fuiſſent incluſa, & primo probationis membro, quod ipſis ſcripturæ verbis conſtat, inſerta, hoc aut ſimili aliquo modo: *factus eſt primus homo, Adam, (ita enim ſcriptum eſt) in animam viventem.*

Quod ad ipſam probationem attinet, cenſuerunt viri eruditi, vocem *hominis* redundare, quia vox *Adam* non pro primo noſtro parente, ſed pro homine ſimpliciter ſumatur: id quod ex poſteriori hujus verſiculi membro appareat, in quo apoſtolus nomen *Adami* repetat, ac Chriſto etiam accommodet; addita illi voce *ultimus*, cujus contrariam antea voci *hominis* præfixerat. Unte etiam verſ. 47 inter ſe opponit *hominem primum & ſecundum hominem*; quaſi idem ipſi denotet Adam quod homo. Sed dubium tamen adhuc nobis eſt, quod de voce *Adami* ſcribunt. Poſſunt enim ita verba accipi, ac ſi dictum fuiſſet: primus homo, nimirum Adamus, per quandam excellentiam ita dictus, quia hominum primus ac cæterorum caput ac ſui generis autor fuerit. In ſequente orationis membro paulo conciſius loquitur, & omiſſo hominis nomine Adamum commemorat: non quod eo hominem ſimpliciter vellet denotare; ſed quod hominem in ſuo genere primum, ac cæterorum veluti parentem, voce *Adami*, quæ protoplaſtæ noſtro propria evaſerat, per metaphoram latius extenſa. Nam cæteroqui Chriſtus non recte diceretur ultimus Adam. Sive enim homines animales ac terrenos intelligas, non fuit ille ultimus; ſive ſpirituales ac cæleſtes; alios enim ex ſe, ut ex ſequentibus audiemus, generavit, qui ipſius poſteritas recte dici poſſunt.

Jam ſupra vidimus, *hominem primum factum eſſe in animam viventem*, nihil eſſe aliud, quam Adamum factum eſſe animal vivens. Animam enim pro animali ſumi, uſitatiſſimum eſt, ejuſque rei occurrit inter alia cap. 1. verſ. 24 Geneſ. exemplum, ubi ita legimus dixiſſe Deum: *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia, & beſtias terræ, ſecundum ſpecies ſuas.* Ubi manifeſtum eſt, *animam viventem* poſtea per ſpecies explicari, dum addit: *jumenta, reptilia & beſtias terræ.* Unde poſtea, ubi rei illius effectus ſtatim conſecutus explicatur, animæ viventis non amplius fit mentio; ita enim ſubjicitur verſu ſequenti 25: *Et fecit Deus beſtias terræ ſecundum ſpeciem ſuam, & jumenta ſecundum ſpeciem ſuam, & omnia reptilia terræ ſecundum ſpeciem ſuam. Fieri* autem *in animam* ſeu *in animal* eſt fieri animam ſeu animal: quemadmodum & eſſe in aliquid eſt eſſe aliquid; quæ apud Hebræos eodem modo ſolent efferri. Nam pro eo, quod Latini & Græci ſolent reddere factus eſt, Hebræi dicere ſolent, fuit: ut vel hic ipſe Geneſeos locus, quem Paulus citat, oſtendit. Vide Pſal. 69. 12, *factus ſum eis in parabolam*, id eſt, parabola, in proverbium abii: tum etiam verſ. præcedenti, ubi in Hebræo eſt, *& fuiſti* (Deum alloquitur) *in opprobrium mihi.* & Pſal. 73. 19, *fuerunt in deſolationem*, id eſt, deſolatio, ſeu vaſtati ſunt. Et Pſal. 94. 22, *Dominus factus eſt mihi in refugium.* Vide etiam Deut. 28. 13 & 44: & 2 Sam. 7. 14, qui locus citatur ad Hebræos 1. 5: *ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium*, & 1 Joh. 5. 8, ubi plerique codices legunt; *& hi tres in unum ſunt*. hoc eſt, unum ſunt, ſeu inter ſe conſpirant. Jam vero ſi Adamus aliquando factus eſt animal vivens, neceſſe eſt eum etiam corpus animale habuiſſe. Animal enim ſine corpore ſibi apto (hoc autem animale corpus eſt) exiſtere nulla ratione poteſt. Ejuſdem autem naturæ ſunt omnes, qui ex ipſo naſcuntur.

Ex hoc apoſtoli dicto patet eorum error, qui ejuſmodi nos corpora in futura vita credunt habituros, quale Adamus habuit ante lapſum. Atqui animale eum corpus habuiſſe, ex his tum Geneſeos tum Pauli verbis liquet: quandoquidem hæc verba de ipſius loquuntur natura, quam in ipſa creatione acceperit. At vero Paulus corpus hoc animale, quod Adamus habuerit, opponit hic plane ſpirituali, quod in reſurrectione accepturi ſumus, & quod Chriſtus, ut ſtatim audiemus, jam habet. Certe Adami corpus æque craſſum fuit, atquæ hæc noſtra ſunt, carne, oſſibus & cæteris partibus ex terra ſumtis conſtans. Hoc vero quomodo ſpirituale dici poteſt?

Sed hos nunc mittamus, erroris haud exigui manifeſtos, & ad ſequentia apoſtoli verba pergamus, in quibus alteram propoſitionis ſuæ partem probat, quæ eſt; extare etiam corpus ſpirituale ſeu hominem, qui corpore ſpirituali conſtet. Ea ſunt: *ultimus Adam in ſpiritum vivificantem*, ſcilicet factus eſt, hoc eſt, factus eſt ſpiritus vivificans. Per *ultimum Adamum* intelligi Chriſtum, nemo dubitat. *Adamum* dici exiſtimamus non ideo ſimpliciter, quod homo ſit, id quod vox Hebræa Adam ſignificat; ſed quod Adamo, primo noſtro parenti, in eo ſimilis, quod certi hominum generis, hominum nimirum ſpiritualium ac cæleſtium, caput ſit ac princeps, & ſtirpis novæ auctor: quemadmodum paulo ante eſt dictum, & explicatum ſupra verſ. 22. *Ultimum* autem dicit non propterea, quod multi anteceſſerint, ſed quod nullus ſit ſecuturus, qui ſimiliter Adam dici mereatur, novi nimirum alicujus hominum generis auctor. Nam ſi numerum ſpectes eorum, qui hoc nomen merentur, Chriſtus ſecundus Adam dici meretur: quod ipſe Paulus docet verſ. 47, dum primo homini opponit hominem ſecundum, qui ſit dominus, ubi hominis nomine idem plane ſignificatur, quod hoc loco Adami. Nam alias Chriſtus haudquaquam fuiſſet ſecundus homo, ſed vel Eva ex ipſo primum ſumta; vel Cain ex utroque primum natus.

Adamus autem fuit Chriſtus jam tum, cum in terris viveret, & primus eam viam, quæ ad immortalitatem ducit, & qua poſtea in ſpiritum vivificantem evaſit, nobis oſtendit. Neque enim quemadmodum Adamus in prima ſtatim creatione ſua animal vivens evaſit; ita etiam Adamus ultimus, cum vel primum natus eſt, vel Adamus, hoc eſt, ſpiritualis noſter Pater, re ipſa evaſit, protinus evaſit ſpiritus vivificans: ſed poſtea demum, ubi Deo perfecte obtemperavit. Similis quædam ratio etiam in nobis locum habet. Nos ex Adamo primo protinus naſcimur animales, ſeu animali corpore præditi: ſed ex ſecundo Adamo non ſtatim ita naſcimur

ſpirituales, ut ſpirituali corpore ſimus induti; ſed neceſſe eſt, nos primum ſpirituales evadere animo & moribus, poſtea demum corporibus. Is ergo Adamus ſeu ſpiritualis noſter parens Chriſtus, *factus eſt in ſpiritum vivificantem.* Spiritus opponitur animæ; vivificans aliquo modo viventi. Diximus autem jam antea, quod & res ipſa poſtulat, animam ibi ſumi pro animali, ſeu ſubſtantia ejuſmodi, quæ corpore animali ſit prædita: quandoquidem de corporibus hic ſermo eſt. Quare etiam *ſpiritus* hoc loco ſignificat ſubſtantiam ſpiritualem, ſeu ſpirituali corpore præditam: quaſi dictum eſſet: *ultimus Adam*, qui eſt Chriſtus, *evaſit ſpiritualis quædam ſubſtantia?* quæ ipſa quoque recte ſpiritus appellatur. Neque enim ſpiritus metonymice tantum ſumitur, pro ſubſtantia ſpirituali; quemadmodum anima pro animali: ſed etiam propric. Hinc enim Deum, angelos, aërem & animam noſtram, a philoſophis ita dictam, & ſubtiliſſima corpora, per membra noſtra diffuſa eaque vegetantia, ſpiritus appellamus. Quæ vero ſit ſpiritus natura, jam antea diximus.

Ex hoc autem iterum apparet id, quod etiam ſuperius docuimus, Chriſtum non ſtatim a reſurrectione habuiſſe corpus illud glorioſum, quo nunc eſt circumdatus: quandoquidem apertiſſime negat, id quod etiam res ipſa monet, ſpiritum carnem & oſſa habere quemadmodum diſcipuli videbant eum habere, unde & contrectari ſe juſſit ac manibus palpari, ut ſolido ſe corpore conſtare aſſereret. Ut taceam omnia, quæ ad animale corpus conſtituendum requiruntur, manifeſte in eo fuiſſe deprehenſa, cum ederit, biberit, ac porro ventre ac inteſtinis fuerit præditus; nec quicquam oſtendi poſſit, ad corpus animale conſtituendum pertinens, quod in ipſo non fuerit. Quare apparet, eum poſtea, cum in cælos aſſumeretur, perinde ut iis accidet, qui in adventu Domini ex piis erunt ſuperſtites, immutatum fuiſſe, & glorioſo corpore, ut Paulus alicubi loquitur, ſuperindutum, ita ut abſorberetur mortale a vita, qua de re infra plura.

Sed jam nobis conſideranda vox *vivificans*; quam Paulus voci ſpiritus adjecit: quæ aliquo modo opponitur voci *viventis* in priori hujus verſiculi membro poſitæ. Nam quemadmodum πνεῦμα opponitur animæ ſeu animali, habita ratione corporis; ita vivificans opponitur viventi: non quidem ut contrarium contrario; ſed ut perfectius imperfectiori; ut id, quod certam quandam vim habet, illi quod ea caret. Nam cæteroqui & id quod vivificat vivum ut omnino ſit, oportet. Sed monuimus etiam ſupra, nomina generalia, cum ab iis, quæ in genere ſuo excellunt, diſtinguuntur, & iis quodammodo opponuntur, imperfectiores ſui generis ſpecies vel ſpeciem deſignare. *Vivens* ergo in illis Pauli verbis id dicitur, quod ſpiritum quidem vitalem trahit, & ut ſcriptura loquitur, flatum habet in naribus; ſed vitam tamen conſervare ac perpetuare non poteſt. *Vivificans* autem illud dicendum erit, quod ita vivit, ut vitam etiam ſuam perpetuo tueatur ac conſervet. Neque enim hoc loco vox vivificandi ita debet accipi, ac ſi dictum eſſet, Chriſtum talem evaſiſſe ſpiritum, qui aliis vitam largiri, eoſque ex mortuis exſuſcitare queat. Hoc enim loco ſermo eſt de Chriſto ratione corporis, quod, cum glorificaretur, a Deo accepit: cujuſmodi nos ipſi quoque habituri ſumus. Probat enim hic apoſtolus, dari corpus ſpirituale, quale olim ſit ſuſcitandum. Unde etiam paulo poſt docebitur, nos tales, qualis nunc Chriſtus eſt, habita ratione naturæ corporis, futuros. Jam vero nos haudquaquam tales futuri ſumus, ut aliis vitam largiri eoſve in vitam reducere queamus; nec ea corporis vis eſt ac potentia. At corporis noſtri ratio & conditio ea eſſe poteſt, ut non quemadmodum hoc elementare corpus ex contrariis principiis conflatum, vitam noſtram tandem deſtruat; ſed potius ita tueatur, ac conſervet, ne illa perire queat: quia nimirum in ſua integrirate immutabiliter perſiſtens ſemper ſpiritum noſtrum vitalem in ſe continebit, nec unquam ex ſe migrare permittet.

Neque eſt quod quis dicat, vocabulum ζωοποιεῖν ſignificare, rem vita carentem vivam efficere, aut mortuæ vitam reddere. Etenim & vocabulum ζωογονεῖν, quod magis adhuc eam vim habere videtur, non ſemel apud Græcos veteris fœderis interpretes ſignificat in vivis conſervare. Vide Exod. 1. 17, 18, ubi de obſtetricibus Ægyptiis dicitur, quod ἐζωογόνουν, quaſi dicat, vivos generarint pueros, hoc eſt vivos conſervarint. Vide etiam verſ. 22; ad quem locum reſpiciens Lucas Actor. 7. 19, eodem verbo ad eundem modum eſt uſus. Vide præterea Jud. 8. 19, & 1 Sam. 27. 9, 11: & 1 Reg. 20. 31: & 2 Reg. 7. 4. Quid quod ipſum etiam verbum ζωοποιεῖν ita uſurpatur Job. 36. 6, ubi de Deo dicitur, *quod non vivificet impium*, hoc eſt, vivere non ſinat vel in vita non conſervet. Græce eſt οὐ μὴ ζωοποιήσῃ; & Pſal. 71. 20, ubi ita Pſaltes alloquitur Deum: *qui oſtendiſti mihi*, hoc eſt, feciſti *ut experirer angustias multas & malas, ſed reverſus vivificaſti me, & ex voraginibus terræ converſus aſcendere feciſti me.* Quanquam ibi poteſt ſumi metaphorice; quaſi dicat, veluti in vitam me revocaſti jam propemodum mortuum. Sed in omnibus illis locis, in quibus eſt ζωογονεῖν, potuiſſet poni ζωοποιεῖν. Eſt enim ibi verbum *Chaja*, quod in Pihel & Hiphil eſt vivificare. In his autem conjugationibus uſurpatur eo loco, ubi redditur ζωογονεῖν vel ζωοποιεῖν. Etiamſi vero hæc verba ſoleant eſſe tranſitiva: non raro tamen fit, ut verba hujuſmodi conjugationum fiant quodammodo reciproca, vel plane intranſitiva, quod etiam Græca verba non raro ſequuntur; quæ ſua natura tranſitiva redduntur reciproca: quale inprimis eſt verbum ἐπιστρέφειν, hoc eſt, convertere, quod in Novo Teſtamento fortaſſe plerumque & apud Paulum quidem ſemper, uſurpatur reciproce, pro ſe convertere. Vide inter alia Matth. 12. 44: & 13. 15: & 24. 18. Luc. 2. 20: & 17. 14. Sic & verbum ἀσκεῖν Actor. 24. 16.

Sed dicet aliquis qua ratione fretus apoſtolus iſtud hic aſſerat, Chriſtum nimirum factum eſſe ſpiritum vivificum: cum id nec ſacræ literæ veteris fœderis, nec ipſe argumento novo confirmet? Neque enim credendum eſt, Paulum autoritate muneris apoſtolici ſola nixum id ſibi tantum credi poſtulaſſe: cum hic cum dubitantibus Corinthiis, vel etiam contrariam ſententiam tuentibus diſputet; & rationibus, non autoritate pugnam inſtituerit. Quid huic quæſtioni reſpondendum ſit, nos ex parte jam ſuperius indicavimus. Diximus enim, id ex priori hujus verſiculi parte aliquo modo deduci; ſumtis interea quibuſdam rebus pro conceſſis, de quibus jam inter Corinthios conſtabat, & quas ſupra quoque Paulus, in hoc argumento verſans aliquatenus attigerat. Conſtabat Corinthiis, ut tum ex hoc ipſo loco, tum ex

verſu 21, & ſequente patet, Chriſtum eſſe veluti alterum Adamum, & novæ vivendi rationis auctorem, & longe quidem præſtantioris illa, quam primus ille Adamus eſſet ab initio ingreſſus. Nam ſi novam vitæ rationem non attuliſſet, quomodo alter Adamus fuiſſet exiſtimandus? ſi vero non attuliſſet præſtantiorem, quid eo fuiſſet opus? Præſtantioris autem vitæ initium dare debebat non morum tantum ratione; verum etiam ratione ſtatus ac conditionis felicioris; quin etiam, ut tanto rectius Adamo reſpondeat, ratione naturæ præſtantioris ac perfectioris. Id quod facile credere poterant ii, quibus conſtabat, Chriſtum a mortuis fuiſſe excitatum, quod ſupra ſatis probatum fuit; nec tamen in terris, ſed in cælo jam degere, tam diu ibi regnaturum, donec in nobis etiam mortem deleat. Unde ſane neceſſe eſt, eum corpus adeptum eſſe ejuſmodi, quod perpetuæ in cælis manſioni aptum eſſet, & inacceſſam illam, in qua Deus habitat, lucem tantæque majeſtatis præſentiam ferre queat; ſeu ſpiritum, qui vitam ſuam tueri ac conſervare poſſet: ut recte Paulus ita tacite argumentari potuerit; Quandoquidem primus ille Adamus factus eſt animal vivens, & carneo corpore fuit indutus, ſecundum Adamum, tanquam longe præſtantiorem naturam adeptum, oportuit evaſiſſe ſpiritum vivificantem, ſeu vitam ſuam perpetuo tueri aptum. Nullum enim corpus humano præſtantius, ac, ut hic fieri neceſſe eſt, firmius excogitari poteſt ſpirituali. Sic ſacræ etiam literæ opponere ſolent ſpiritum carni, tanquam rem firmam & corruptioni non obnoxiam fragili atque infirmæ: ut cum ita loquitur Eſaias cap. 31. 3: *Ægyptii homines ſunt, & non Deus; & equi eorum caro ſunt, & non ſpiritus:* quaſi dicat, non eſt quod ſpem veſtram collocetis in Ægyptiis eorumque equitatu. Nam & ipſi homines tantum ſunt fragiles ac invalidi; non vero dii atque cum Deo comparandi: & equi ipſorum carnei ſunt, proindeque interitui obnoxii; non vero ſpiritualis cujuſdam eſſentiæ, quæ lædi nequeat. Sic & Paulus, cum de Chriſtianorum hominum pugna loquitur, non obſcure carnem & ſanguinem opponit ſpiritibus malis, quibuſcum nobis eſt luctandum Eph. 6. 12. Reperiuntur quidem corpora terrena minimeque ſpiritualia, humanis firmiora; ſed iis etiam ſimul indigniora, utpote vel prorſus vitæ incapacia, vel non tam præſtantis, qua nunc vivimus, nedum præſtantioris.

Quare nihil reſtat aliud, quam ut Chriſtus ſpirituale adeptus fuerit corpus, ſimulac præſtantiorem vitam naturamque eſt adeptus: id quod etiam locus ejus habitationi perpetuæ deſtinatus ſatis oſtendit. Neque enim ullum corpus craſſum ibi perpetuo habitare aptum eſt: ſiquidem ibi non niſi vi retineri poſſet, cum ſua natura deorſum ſemper vergat. Tolle autem a corpore craſſitiem & ſpirituale effeceris. Terræ ergo conveniunt corpora craſſa, ac porro etiam animalia: cælo altiſſimo, & a terra longiſſime omnium diſſito, corporum omnium ſubtiliſſima; ut oppoſitorum ratio poſtulat. De firmitate autem & aptitudine iſtorum corporum ad vitam perpetuandam nil opus eſt amplius dicere: cum jam ſatis ex dictis conſtare queat, tale omnino debuiſſe eſſe illud corpus Chriſti, quod tanquam alter, & quidem ut cæleſtis Adamus, eſt conſecutus. Ea vero quæ hic diximus, non parum confirmabuntur verſ. 47, & ſequentibus cum præcedentibus hiſce collatis.

Verſ. 46. Vidimus hucuſque quomodo apoſtolus oſtenderit, dari corpus tum animale, tum ſpirituale; idque habita ratione ipſius hominis: nunc videamus, quomodo doceat, non ſpirituale corpus homini prius dari, aut dari debuiſſe, ſed animale. Proponit autem rem primum: deinde confirmat. Proponit verſ. 26, confirmat ſequentibus. Proponit autem, ut apparet, cum quadam objectionis occupatione; ut ipſa prima particula verborum indicat, cum ait: *ſed non prius ſpirituale, ſed animale, poſtea ſpirituale*, ſubintellige, factum eſt, aut fieri debuit. Quæ verba non videntur cohærere cum proxime præcedentibus verſ. 45; ſed cum remotioribus, nimirum illis verſ. 44, *Eſt corpus animale & ſpirituale.* Tum enim recte ſequitur; *ſed non prius ſpirituale, verum animale, poſtea ſpirituale.* Nam ſi cum proxime præcedentibus connectere velis, ineptus videbitur eſſe nexus: *Primus homo, Adam, factus eſt in animam viventem: poſtremus Adam in ſpiritum vivificantem. Sed non prius ſpirituale.* Quomodo enim hic locum habet particula ἀλλὰ, *ſed*; quaſi nimirum aliquis ex præcedentibus verbis ſuſpicari poſſet, ſpirituale eſſe prius; vel adhuc ambigere, utrum hoc an illud prius eſſet: cum expreſſe dictum fuerit, primum hominem factum eſſe animam viventem, & ſic animali corpore fuiſſe præditum; ultimum demum Adamum evaſiſſe ſpiritum, ſeu ſpirituale corpus nactum fuiſſe? Quare reſpectu horum verborum inepta foret ejuſmodi dubitatio; ſed non reſpectu præcedentium: in quibus indefinite aſſertum fuerat, *eſſe corpus animale, & eſſe corpus ſpirituale.* Hic enim aliquis quærere jure poterat, cur non prius extiterit ſpirituale, quam animale. Quare verba verſ. 45, quibus probatio continetur præcedentium, veluti parentheſi incluſa legi debent; & ſic verſ. 46 cum fine 44 verſus connectendus.

In eo ergo conſiſtit dubitatio, quam eximere nobis voluit apoſtolus, quod, cum demonſtratum ſit, eſſe & animale & ſpirituale corpus, ſeu, ut diximus, hominem dari animali corpore præditum, dari etiam eum, qui ſpirituali ſit præditus, cur non prius, ſeu mavis, cur non ſtatim potius ſpirituale quam animale corpus extiterit. Apoſtolus licet videatur tantum aſſerere, animale prius extitiſſe, quam ſpirituale; & id ſolum confirmare: re ipſa tamen, ſaltem tacite, ejus rei etiam affert rationem, cur ita factum fuerit, aut fieri debuerit; idque partim in illis ipſis verbis, quibus rem proponit, partim in eorum confirmatione. Nam vel hoc ipſum argumentum quoddam eſſe debet, quod illud corpus ſit animale, hoc vero ſpirituale. At nequaquam decet Deum, ut in operibus ſuis a perfectioribus ad imperfectiora, a ſummis ad infima deſcendat; ſed contra ab imis ad ſumma. Jam vero ſatis apparet, longe perfectiora eſſe ac ſublimiora corpora ſpiritualia; imperfectiora autem & viliora animalia: quod vel ipſæ voces ſtatim animis noſtris inſinuant. Sed aliam adhuc videbimus rationem in ſequenti probatione, ad quam ſtatim accedemus.

Verſ. 47. Ea continetur verſ. 47 verbis: *Primum homo ex terra, terrenus; ſecundus homo, Dominus, ex cælo.* quaſi dixiſſet, ex ipſo illorum duorum hominum, quorum uterque certi hominum generis auctor eſt, exemplo, quando probavimus, dari corpus & animale & ſpirituale, apparet, etiam prius eſſe, atque adeo etiam eſſe debuiſſe, animale quam ſpirituale: quandoquidem primus ille homo a quo omnes omnino homines ortum ducunt, terrenus, ac porro non ſpirituali, ſed animali corpore præditus fuit: at vero homo ſecundus, a

dus, a quo nos Chriſtiani diviniorem trahimus originem, ex cælo corpus eſt nactus, ac porro ſpirituali corpore eſt præditus. Hoc loco *hominis* vox idem ſignificat quod antea verſ. 45 vox *Adami*: ita ut per excellentiam quandam deſignet eum, qui certi hominum generis ſit autor: alioqui Chriſtus *ſecundus homo* nequaquam appellari poſſet, ſi vox ea generalem ſignificationem hic retineret. Cum vero dicit, *primum hominem ex terra fuiſſe*, manifeſte reſpicit ad verba Gen.2; quibus aſſeritur, Deum formaſſe hominem pulverem ex terra: ita enim eſt in Hebræo, ſeu, quod perinde eſt, e pulvere terræ; intellige macerato ac temperato imbre, qui deciderat: quaſi dicat ex maſſa quadam terræ madefacta, ut habes in bibliis magnis Roberti Stephani. Materiam ergo denotat, ex qua homo ſit formatus.

Cum vero addit, eum fuiſſe *terrenum*, qualitates, quas materiæ illius ratio omnino poſtulat ac ſecum trahit, ſive eſſentiales corpori noſtro, ſive accidentarias deſignat: quandoquidem terrenum illud corpus ſeu maſſa, utut naturam ſortiatur terra illa nuda præſtantiorem, ſeu formam & alias qualitates induat longe nobiliores, exuta priſtina nuditate: non tamen penitus naturam ſuam deponere poteſt; quemadmodum & philoſophi docent, elementorum formas & qualitates cæteras partim manere in mixto, partim tolli. Manet autem primo craſſities ac denſitas quædam, ſine qua terra penitus deſineret eſſe terra. Atque hac in parte inprimis opponitur corpus terrenum ſpirituali; quod ſubtiliſſimum eſſe neceſſe eſt, cum ob ſubtilitatem ſpiritus dicatur. Manet ſimul cum craſſitie aliquid duritiei ac ſoliditatis, ob quam cedenti reſiſtit, & tractari ſe non ita facile permittit: quod magis apparet in durioribus corporis partibus, quam in mollioribus. Illæ enim magis ſunt terreæ: hæ quo molliores ac fluidiores, tanto plus de aqueo humore trahunt. Manet etiam gravitas; ſine qua etiam terra deſineret eſſe terra. Manet frigiditas quædam naturalis atque inſititia. Manet denique habilitas ad deponendas & excutiendas illas formas ac qualitates, ſibi præter naturam inſitas; hoc eſt, omnes, quas in corpore humano induit, ac proinde corruptibiles. Unde etiam Deus, cum dixiſſet, hominem multis moleſtiis ſubjectum iri, donec revertatur in terram ex qua ſumptus ſit, inquit Gen.3.19: *quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: quaſi dicat, ideo dixi te reverſurum in pulverem, quia id materiæ, ex qua formatus es, conſentaneum eſt, ita ejus fert natura. Itaque niſi qualitates hæ corporis noſtri calore quodam cæleſti ſubinde foveantur, & calori illi humor ſeu alimentum aptum præbeatur, tandem ceſſant, & corpus in priſtinam ſuam naturam ſeu formam primogeneam relabitur: quemadmodum aqua ſponte frigeſcit, ſublato igne, a quo caleſiebat; & pulvis dilabitur, extracto humore, quo conglutinabatur.

Cum vero in altero antitheſeos membro ait apoſtolus: *ſecundus homo, Dominus, ex cælo*, jamdudum annotarunt noſtri, non debere vocem *Dominus*, conjungi cum illis, *ex cælo*, ut vulgo faciunt; quaſi illa ipſa quoque vox prædicati partem conſtituat, ac ſenſus ſit, quemadmodum itidem vulgo credunt, ſecundnm hominem eſſe illum Deum, qui ex cælis venerit, ſeu Dominum cæleſtem: quod etſi veram admittit ſententiam, nihilominus tamen eo acceptum modo, quo vulgo ſolet, nihil cum hoc loco conjunctum habet. Neque enim hic apoſtolus de Chriſti Deitate aut divino imperio ſermonem inſtituit: ſed de natura corporis, quod Chriſtus nunc habeat, & nos aliquando habituri ſimus. Quare per hypoſtigmen vox *Dominus* a ſequenti ſeparanda eſt, & præcedentibus ſeu ſubjecto per appoſitionem jungenda; quaſi dixiſſet apoſtolus: Secundus homo, nimirum Dominus ille, ſeu qui eſt unicus ille noſter Dominus, ex cælo, ſcilicet eſt, habita nempe ratione corporis. Illa enim verba, *ex cælo*, directe opponuntur illis, *ex terra*, & conſequenter etiam vocabulo *terreni*: ita ut perinde ſit, ac ſi dixiſſet: ſecundus homo, nimirum Dominus noſter Jeſus Chriſtus, eſt ex cælo cæleſtis, ita enim plane oppoſitionis ratio poſtulat. Unde ſuſpicati ſunt (a) quidam viri eruditi, vocem ὁ κύριος librariorum incuria eſſe repoſitam pro ἐξ οὐρανοῦ. Qua lectione admiſſa plenior foret oppoſitio. Ut enim dictum fuerat, primum hominem fuiſſe ex terra terrenum; ita hic diceretur; ſecundum hominem ex cælo cæleſtem eſſe: & quemodmodum illic materia, ex qua primus homo fuit formatus, & ſimul natura illi materiæ conſentanea exprimitur: ita etiam hic ſimiliter materia quidem verbis *ex cælo*, natura autem materæ conſentanea voce *cæleſtis*. Sed quemadmodum illi non auſi ſunt ſine exemplarium fide conjectura ſua niti: ita nos multo minus cum & cauſam non exigui momenti videamus, cur vox *Dominus* hic ab apoſtolo ſit poſita; & verba illa *ex cælo*, conciſe poſita, poſſint etiam vim vocis ἐξ οὐρανοῦ in ſe complecti.

Nam quod ad prius attinet, hæc videtur eſſe cauſa, cur apoſtolus ſecundum illum hominem Domini nomine per appoſitiouem deſignare voluerit: quod hoc pacto tacite cauſam reddat, cur docuerit, ſecundum illum hominem non ex terra terrenum fieri, ſeu terrenam quandam naturam ſortiri; ſed ex cælo corpus nanciſci, & ſic cæleſtem naturam induere: quia nimirum Dominus ſit, non vulgari ratione ſic dictus; ſed excellentiſſima ſecundum ipſum Deum ratione: ob quam etiam unus ille Dominus ſupra in hac eadem epiſtola fuit appellatus, nimirum c.8.6, & ſæpe nomine Domini ſimpliciter poſiti κατ' ἐξοχὴν intelligitur, nimirum quod ille Dei ipſius nomine omnia nunc re ipſa gubernat; ille eſt *per quem omnia*, ut Paulus d. l. aſſerit; ille nunc eſt *omnia in omnibus*, ſeu omnia, quæ ad eccleſiam qualicunque modo pertinent, ipſemet gubernat & diſponit, quemadmodum ſupra a nobis explicatum eſt verſ. 28. Tantum autem Dominum, quo nihil ſummo Deo proprius, nihil conjunctius excogitari poteſt, qui ſupra omnes illos cæleſtes ſpiritus ſublimius eſt evectus, & ad dextram Dei in cæleſtibus collocatns, ut omnibus, ſolo Deo excepto, præſit: eaque pedibus ſuis ſubjecta habeat, an non decuit, imo an non etiam neceſſe fuit, cæleſtem etiam naturam, & angelica ſi non præſtantiorem, ſaltem parem, Dei autem ipſius naturæ ſimillimam & proximam adipiſci? Adamus, quia ad imaginem Dei ita erat creatus, ut omnibus interea rebus pro arbitrio imperaret, terrenam adeptus eſt quidem naturam: ſed tamen natura omnium rerum terrenarum excellentiorem. Ita enim regia hæc, ut ita dicam, dignitas poſtulabat, ut non modo animo eſſet præditus, & prudentia atque arbitrio, ſine quo imperium nullum eſt: verum etiam corporis quadam pulchritudine, & regia quadam forma emineret. At vero Chriſtus ita Dei illius inviſibilis evaſit imago, ut non tantum rebus terrenis, verum etiam cæleſtibus, ipſius Dei inſtar,

(a) *Wolffgang. Muſculus. Eraſmus in Annotat.*

imperet.

imperet. Quo ergo pacto naturæ dignitate ſpiritibus cæleſtibus, quibus præeſt, foret inferior? imo cur non aliqua etiam corporis gloria potior? Jure ergo Paulus, & valde ad rem accommodate, Domini nomen hic inſeruit, oſtenſurus, Chriſtum, quem ſecundi hominis nomine deſcribit, ex cælo eſſe, ſeu cæleſtis naturæ habere corpus.

Similiter apoſtolus de cotporibus, quæ nos aliquando habituri ſimus, loquitur 2. ad Corinth. 5, in initio, ubi inquit: *Scimus enim, quod cum terrena noſtra domus tabernaculi deſtructa fuerit, ædificationem ex Deo habeamus, domum non manu factam, æternam in cælis. Etenim in hoc*, nimirum tabernaculo *gemimus, habitaculo noſtro, quod ex cælo eſt, ſuperindui cupientes.* Ubi nemo non videt, corpus, quo aliquando induendi ſumus, intelligi: quod ait *eſſe ex cælo*; non ideo, quod Deus, qui in cælo ſit, illius ſit futurus autor, (nam etiam terreni hujus noſtri auctor eſt,) ſed quod cæleſtis ſit futurum originis, ex cæleſti quadam materia conſtans, atque inde aliquando ſit demittendum, & nos, qui adhuc induti corpore reperiemur, cingere atque induere debeat.

Ex iis autem, quæ de corpore terreno diximus, & ſupra de corpore ſpirituali, pro quo hic reponitur cæleſte, ſeu quod ex cælo eſt, facile intelligi poteſt, quæ cæleſtis corporis natura ſit. Terrenum craſſum eſt; hoc ſubtile: illud durum ac intractabile; hoc ſequax, & quamvis figuram induere aptum: illud grave, & ad motum in ſublime per ſe ineptum; hoc nulli per ſe motui obnoxium, ad quemvis pro arbitrio ſpiritus vitalis ſuſcipiendum habiliſſimum: illud per ſe frigidum; hoc nullis ejuſmodi vilibus qualitatibus præditum, vel obnoxium: illud corruptibile, & diſſipari facile; hoc incorruptibile, & integritatis ſuæ tenaciſſimum, præſertim cum non neceſſe ſit, id qualitatem aliquam contra naturæ ſuæ impetum recipere, & formas aliquas pati ſuo ingenio repugnantes, quas excutere ſemper nitatur, quemadmodum terrena moles in corpore humano, atque in univerſum in animali; ſed, ſi quid adhuc qualitatum imprimetur, id totum cum ejus natura egregie conſentit, ita ut nunquam earum quicquam velit excutere. Et hæc quidem de ſecunda particula, qua oſtenſum fuit, cur non ſtatim ſpirituale corpus homini fuerit datum, ſed prius animale.

Sequitur tertia particula, in qua id quod de differentia corporum hucuſque dictum fuerat abſolute, & exemplo primi ſecundique Adami, nimirum Chriſti, demonſtratum, ad utriuſque Adami poſteros accommodat, & ſic illam corporum differentiam in nobis, diverſo tempore, nimirum ante & poſt reſurrectionem locum habere docet. Id autem facit verſ. 48 & 49. In priori id quod de utroque Adamo dictum fuerat, ad utriuſque poſteros accommodat; in poſteriori adhuc diſtinctius ad nos, nempe Chriſtianos: Ita ut in priori verſiculo argumentationis ſit veluti antecedens; in poſteriori conſequens ſeu concluſio.

℣. 48. Quod ad priorem verſiculum attinet, is his explicatur verbis: *Qualis ille terrenus, tales etiam terreni; & qualis cæleſtis, tales etiam* ſunt *cæleſtes.* Per *terrenum illum* intelligi primum hominem ſeu Adamum, nemini poteſt eſſe dubium. Articulus voci præpoſitus eſt ἀναφορικὸς, ſeu cogitationem noſtram ac intellectum ad ſuperiora refert, ac de eo ſermonem eſſe oſtendit, de quo ſuperius fuerat ſermo. Per *terrenos* autem intelliguntur illi omnes, qui ex terreno illo ſunt nati.

Dubium eſt, utrum apoſtolus voce *terrenorum* formaliter, ut in Scholis loquuntur, fuerit uſus; an vero tantum materialiter: hoc eſt, utrum voluerit dicere tales fore illos, quos terreno præditos eſſe corpore conſtet, ratione aliarum qualitatum, quæ nomine hoc terreni per ſe non includantur, vel ſaltem non aperte indicentur; an vero conciſa quadam ratione hoc voluerit dicere, eos, qui ex terreno illo patre ſint nati, quos terrenorum nomine deſcribit, tales eſſe, qualis ſit ipſe pater, hoc eſt, terrenos, ut ita vox χοϊκὸς non minus ſubjectum ipſum denotet, quam illud ipſum prædicatum, ſeu mavis, naturam ac qualitatem, de qua quæritur. Utrumque admittti poteſt: ſed poſterius licet non ita per ſe ſit planum, ſententiæ tamen magis eſt accommodatum. Magis enim ad rem pertinere videtur, ut dicatur, tales eſſe illos, qui ex terreno illo patre naſcuntur, qualis eſt ille ipſe pater; quam eos, quos terrenos eſſe conſtet, ſimiles eſſe natura ac qualitatibus terreno ſuo patri: quaſi nimirum clarior ſit natura terreni hominis in primo noſtro parente, quam in iis, qui ex eo ſint nati, & ex illo ſit diſcendum, quæ ſit ratio corporis poſterorum. At ſi priori modo verba accipias, tantum indicabitur, qualem naturam neceſſe ſit nos habere, qui ex terreno patre nati ſumus; itidem nimirum terrenam: cum naturam toto genere præſtantiorem adipiſci nequaquam potuerimus naturâ illius, ex quo nati ſumus; nec corpus noſtrum corpore illius ex quo prodiit.

Quod ſi tamen alteram illam interpretationem malis, illud dicendum videtur, apoſtolum, quia de animali ac ſpirituali corpore ante loqui cœperit, aſſerens, illud ſeminari, hoc ſuſcitari, nunc ad illud nos tacite revocare, & ſignificare, etiamſi in proximis verbis de corpore terreno fuerit locutus, non tamen a re, quam ſibi oſtendendam ſumſerat, diſceſſiſſe, & ἀπροσδιόνυσα fuiſſe locutum: quandoquidem hæc terrenorum & cæleſtium corporum differentia illam alteram, de qua loqui cœperat, ſecum trahat; facile enim unicuique patere, & ex ſuperioribus verſ. 45 dictis conſtare, terrenum illum hominem corpus animale habuiſſe, hunc autem cæleſtem ſpirituale. Qualis autem fuerit ille terreſtris, habita ratione naturæ corporis, tales etiam eſſe cæteros omnes terreſtres; & ſimiliter etiam qualis ſit ille cæleſtis, naturæ corporis habita ratione, tales etiam eſſe cæleſtes. Nam ad poſteriorem etiam hujus verſiculi, atque adeo etiam oppoſitionis partem eadem, quæ de præcedentibus dicta ſunt, ſunt applicanda. Sed, ut diximus, prior ſententia commodior eſt: quæ quidem, ut eam breviter repetamus, eſt hujuſmodi. Qualis fuit ille primus, quem terrenum fuiſſe diximus; tales etiam ſunt ii, qui ex eo genus ducunt, hoc eſt, itidem ſunt terreni, & ea, quam ſuperius explicuimus, natura præditi; eodem pacto qualis eſt ſecundus homo, quem cæleſtem eſſe oſtendimus, tales etiam futuri ſunt aliquando ii qui ex ipſo ſpiritualiter naſcuntur, nempe cæleſtes: erunt & ipſi cæleſti corpore præditi, cujus naturam itidem explicuimus.

Verſ. 49. Sed jam ad ſequentem verſiculum pergamus, in quo concluſio quædam præcedentium continetur. Ait igitur apoſtolus: *Et quemadmodum portavimus imaginem illius terreni, portabimus etiam imaginem illius cæleſtis.* Ubi particula καὶ, quæ hanc ſectiunculam cum præcedentibus connectit, ſumitur pro particula illativa; quod ſæpe in ſacris literis occurrit

Marc. 9. 5. & cap. 10. 26: & 12. 30, 37. Eph. 2. 17. Phil. 1. 22. 2. Tim. 2. 19. & 3. 5. Quare perinde eſt, ac ſi dixiſſet apoſtolus: *Itaque* vel *& porro quemadmodum portavimus imaginem terreni illius, ita etiam portabimus imaginem cæleſtis.* Interim tamen dum ita ex ſuperioribus infert, rem non parum illuſtrat, dum loco ejus, quod antea dixerat, *qualis terrenus ille, tales etiam terreni*, nunc ponit imaginem illius terreni, ſimilitudinem illam exprimens inter parentem terrenum, & illius poſteros, quam antea deſignaverat voce οἷος & τοιοῦτοι, quod itidem fit in ſequenti membro. Videtur autem non obſcure alludere ad id quod Gen. 5. 3 legimus, Adamum genuiſſe ad ſimilitudinem ſuam, & ad imaginem ſuam, nimirum filium: ubi eſt in Græco, καὶ ἐγέννησε κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ, καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, h. e. quod ſibi natura prorſus ſimilem genuerit. Quare hoc quoque loco nihil aliud denotat illa imago, quam ſimilitudinem naturæ, quæ ſit inter Adamum & nos ipſius poſteros: quæ ſpectatur hoc quidem in loco potiſſimum ratione corporis, ſive quoad ipſius materiam ſive quoad formam & alias proprietates affectioneſque naturales, de quibus jam antea dictum. Idem etiam ſtatuendum de imagine illius cæleſtis.

Dicit autem, *nos portaſſe*, non quod non amplius portemus, ſed quod jamdudum portare cœperimus; imaginem autem illius futuri non niſi olim ſimus portaturi. Quare ut tanto apertius hæc tempora ſibi invicem opponerentur, de imagine terreni loquens præterito utitur tempore; de imagine autem cæleſtis, futuro. Idem etiam licet obſervare in comparatione ejuſdem Adami cum Chriſto; & utriuſque poſterorum inter ſe, quæ extat Rom. 5. 19. Quanquam & alia iſthic reddi poteſt ratio, cur Paulus de damno loquens, quod ex Adami inobedientia in ipſius poſteros manaverit, verbo præteriti temporis fuerit uſus: nempe quia id ex Dei conſilio, poſtquam Chriſtus, alter ille Adamus, ſucceſſit, jam ceſſaverit, vel ceſſare debuerit. Sed hoc loco verbum *portavimus* complectitur omne tempus, quod præterito ſimile eſt, quaſi dicat, quemadmodum huc uſque portavimus, ac porro etiam, quam diu hæc vita durabit, portaturi ſumus imaginem illius terreſtris ſcilicet hominis vel Adami: ita etiam aliquando poſt hanc vitam portabimus imaginem illius cæleſtis. Articulus voci χοϊκῷ & ἐπουρανίῳ præfixus eſt ἀναφορικῶς ut & verſu præcedenti: particula autem καὶ ponitur pro *ſic etiam*, ſeu, ſi ita placet, particula ſimilitudinis, quæ apodoſi præfigi deberet, omiſſa eſt, ut & alibi non ſemel in ſacris literis accidit. Vide Bezam ad illud Marci cap. 3. verſ. 26, ubi notat, Hebraicam hanc eſſe enallagem *Vau* pro *ken*, quæ ſæpiſſime in Proverbiorum libro uſurpatur, ut cap. 25. verſ. 25, & cap 26. 9. & 27. 15; niſi, inquit ſubaudiri malimus οὕτως Matth. 6. 10.

Verſ. 50. Hucuſque expendimus priorem rationem, qua Paulus comprobavit differentiam inter corpora noſtra hujus & futuri ſeculi conſtitutam. Sequitur altera, qua prior etiam non parum confirmatur. Extat autem verſ. 50, ubi ita legimus: *Hoc autem dico, fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei hæreditare non poſſunt; neque corruptio incorruptibilitatem hæreditat.* Particula *hoc*, quæ verſum hunc orditur, referenda videtur ad proxime præcedentia, quibus dictum fuerat, nos, quemadmodum geſſimus imaginem terreni illius Adami, ita etiam geſturos aliquando imaginem illius cæleſtis. Quibus verbis totum id aliquo modo continetur, quod ſupra de differentia corporum noſtrorum ante & poſt reſurrectionem dictum fuit: ita ut non multum intereſſit, utrum particulam *hoc* ad proxima tantum per ſe referri dicas; an vero ſimpliciter ad totum illud, quod de differentia corporum hujus & futuri ſeculi dictum hucuſque fuit. Etenim hic generalem quandam rationem, qua ſuperius dicta ſummatim confirmentur, eum afferre voluiſſe, id aliquo modo arguit, quod non ſine præfatione quadam ad hanc rationem explicandam accedat, tanquam inturus quandam rationem probationum, quibus vel uſus ſit, vel uti debeat, earumque ſummam collecturus. Ita autem dicere cenſendus eſt apoſtolus: ideo dixi nos aliquando geſturos imaginem cæleſtis illius hominis, nimirum Chriſti, & corpus adepturos illius corporis ſimile, ſeu ejuſdem generis natura ac qualitatibus præditum: quia cum hujuſmodi corpore, quale nunc habemus, carne & ſanguine prædito, regnum illud cæleſte poſſidere nequaquam poſſumus. Quare omnino neceſſe eſt, ut hujus corporis loco ſubſtituatur aliud, loco carnis & ſanguinis, vel corporis ex carne & ſanguine conſtantis, quod terrenum eſt & animale, ſubſtituatur cæleſte ac ſpirituale. Quomodo autem apoſtolus probet, carnem & ſanguinem, ac porro nos ipſos carne & ſanguine adhuc conſtantes, regnum Dei hæreditare non poſſe, paulo poſt videbimus.

Nunc illud potiſſimum agendum videtur, ut explicationes eorum, qui verum his verbis ſenſum extorquere conantur, refellamus. Illa multorum explicatio, qua caro & ſanguis pro carnalibus hominum affectibus ac moribus ſumitur, jamdudum, non tantum a noſtris, verum etiam ab aliis exploſa eſt, recte animadvertentibus, non de moribus apoſtolum hic loqui, quibus aditus ad regnum cæleſte intercludatur; ſed de corporum noſtrorum natura ac qualitatibus; & nullum fore inter hæc & ſuperiora, imo nec inter ea quæ ſequuntur nexum, ſi, ut illi volunt, verba hæc accipiantur. Quid? quod ipſe Apoſtolus ſatis indicat in his ipſis verbis, qua de re loquatur, cum addit: *neque corruptio incorruptibilitatem.* Ubi ſane corruptio & incorruptibilitas eodem plane modo ſumitur, quo ſupra ℣. 42. Sumuntur autem non pro affectionibus hominum ratione vitæ & morum; ſed pro naturalibus corporum qualitatibus. Ut taceamus, nuſpiam in ſacris literis carnem & ſanguinem ſimul juncta carnales affectus & mores denotare. Vox *carnis* ſola hoc modo non ſemel ſumitur; ſed cum voce *ſanguinis* juncta nuſpiam. Tum enim ſignificare ſolet hominem, vel homines ipſos carne & ſanguine conſtantes, eorumve mortalia & corruptioni vel etiam variis afflictionibus obnoxia corpora: ſolentque opponi vel Deo ipſi; vel Chriſto jam immortali; vel aliis ſpiritibus natura ſua incorruptibilibus, ſive bonis, ſive malis: quemadmodum apparebit eos locos pecurrenti, ubi caro & ſanguis junctim ponuntur; qui quidem hi ſunt; Matth. 16 17, ubi caro & ſanguis opponitur Deo, quaſi dicat Chriſtus: non homines, ſed Pater meus tibi id revelavit. Eodem modo ſumitur ad Gal. 1. 16, quæ confer cum præcedentibus. Ad Eph. 6. 12 opponitur ſpiritibus malis. ad Hebr. 2. 14. opponitur angelis & eorum naturæ paſſionem ac mortem non admittenti. Nullibi iſtorum locorum verba iſta pro affectibus aut moribus carnalibus uſurpantur. Sed jam illam interpretationem mittamus.

Eſt

Eſt alia, quæ majorem veri ſpeciem habet, eſtque hodie inter alios receptior; ut caro & ſanguis tantummodo pro corruptibilitate ſumantur. Ipſum enim Paulum, ajunt, ita verba ſua explicare, quandoquidem addat: *neque corruptio incorruptibilitatem hæreditabit*. Ecce, ajunt, ut pro regno Dei ponit incorruptibilitatem: ita pro carne & ſanguine corruptionem. Hoc autem eum in finem maxime urgent, ne cogantur fateri id quod res eſt; corpora noſtra in futura vita diverſæ ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ fore ab iisdem, quæ nunc ſunt. At ſi caro & ſanguis ſumantur hoc loco proprie, omnino aſſerendum erit, ea diverſæ fore ſubſtantiæ. Nam ſi aliquando corpora noſtra carne & ſanguine non conſtabunt, ſiquidem iſta regnum Dei poſſidere nequeant, alterius omnino ſubſtantiæ erunt, quam nunc ſunt. Caro enim & ſanguis ſubſtantiarum ſunt nomina & ex iis corpus hoc noſtrum conflatum eſt; quibus ſublatis ipſius ſubſtantia tollitur, præſertim eo animadverſo, quod caro & ſanguis per ſynecdochen etiam reliquas ejuſdem generis partes, verbi gratia oſſa, nervos aliaque ſimilia complectantur.

Sed primum quam cauſam illi afferre poſſunt, cur apoſtolus in principali hoc ſententiæ ſuæ fundamento explicando tam obſcure voluerit loqui; imo tam periculoſe: cum non modo clarius loqui potuerit, verum etiam debuiſſe omnino videatur? Etenim cum hoc loco apoſtolus de corporum horum & futurorum differentia loquatur, an non hujuſmodi locutione occaſionem præbuit, non modo ſuſpicandi, verum etiam ita ſtatuendi, corpora noſtra in regno Dei carne & ſanguine minime conſtitura, ac porro alterius alicujus ſubſtantiæ fore? id quod illi contra veritatem & Pauli mentem prorſus fuiſſe; & non modo periculoſum, ſed omnino cum ſalutis jactura conjunctum eſſe cenſent. Nam quod illi de explicatione ſubjecta dicunt, ad id mox reſpondebitur.

Sed deinde, ſi caro & ſanguis non minus incoruptibilia eſſe poſſunt, quam corruptibilia, & in cæleſti illo regno perpetuo locum habitura, cur Paulus carnis & ſanguinis nomine, hoc præſertim loco, corruptionem indigitat, & incoruuptibilitati opponit, eaque in Dei regno locum habere non poſſe oſtendit? an non hoc ipſum ſatis indicat, carnem & ſanguinem, quamdiu quidem caro & ſanguis ſunt, natura ſua omnino corruptibilia eſſe, ac porro inepta prorſus, quæ incorruptibilia fiant? ut proinde nihil ſit cauſæ, cur a verborum proprietate diſcedens, carnem & ſanguinem dicas pro corruptibilitate tantum poni; non vero, ut verba proprie ſonant, pro carnea corporis ſubſtantia; quandoquidem Paulus ipſe indicet, carnem & ſanguinem ſine corruptibilitate non eſſe. ubi hæc ergo non eſt futura, nec illa.

Sed præterea an non ſubſtantia carnis & ſanguinis ex elementis inter ſe natura contrariis conſtat; omnia vero hæc natura ſua corruptibilia ſunt?

Præterea an non caro verbi gratia ſcindi poteſt; an non contundi? an non ſanguis diffluere? an non aliis violentis modis labefactari ac corrumpi poteſt? Atqui quod tale eſt, natura corruptibile, non incorruptibile eſt: utut virtute aliqua ſupernaturali a corruptione defendatur. Non repetimus ea, quæ ſupra dicta ſunt, in primæ hujus differentiæ explicatione, ubi oſtenſum eſt, corruptibile & incorruptibile genere ipſo differre.

Sed præterea, ſi Paulus id tantum vellet, corruptibilitatem corporis nimirum ſublatum iri, manente ipſa corporis ſubſtantia, non probaret id quod probandum ſumſerat; nimirum nos, qui nunc terreni ſumus, ſeu terrea habemus corpora, aliquando una cum Chriſto habituros cæleſtia. At cæleſtia ac terreſtria corpora non nuda tantum qualitate diſtinguuntur; ſed & ipſa materia. Quemadmodum enim Adamus terrenus fuit, quia ex terra fuit ſumtus, ut apoſtolus ipſe indicavit: ita etiam nos. Quod ſi ergo ex eadem materia conſtare deberent futura noſtra corpora, ſimiliter terrena adhuc manerent; non vero cæleſtia, vel ex cælo forent. At ex eadem omnino materia conſtarent, ſi eadem eſſent numero, quæ nunc ſunt, aut ſi nihilominus carne & ſanguine conſtarent. Caro enim & ſanguis ex terra & aqua, tanquam materia, conſtant; cui cæterorum etiam elementorum virtutes imprimuntur. Iſtam ergo differentiam corporum, quam proxime conſtituerat apoſtolus, quamque hic aperte demonſtrat, non comprobaſſet verbis iſtis, de quibus agimus; ſi non dixiſſet, carnem & ſanguinem ipſum ejuſve ſubſtantiam non habituram in regno Dei locum; ſed tantum non fore ibi corruptibilitatem, manente interim eadem ſubſtantia. Nihil dico de differentia proxime illam præcedente, pro qua ultimam illam reponi diximus, nempe quod pro corporibus animalibus ſpiritualia habere debeamus. Hæc enim minime comprobaretur, ſed potius omnino refelleretur, hujuſmodi explicatione admiſſa.

Sed rationem videamus, qua illorum nititur explicatio, nempe, quod ipſe apoſtolus in verbis ſequentibus ita verba ſua interpretetur, corruptibilitate loco carnis & ſanguinis repoſita. At nos negamus, hanc explicationem revera eſſe, ſed rationis explicationem, qua proxime dictum confirmetur, ita tamen propoſitam, quemadmodum nonnunquam ſolent explicationes præcedentium verborum proponi, ut ſi, verbi gratia, dicas: non licet homini contendere cum Deo, neq; ipſi vilitati cum ſumma majeſtate; vel, ut Latini nonnunquam faciunt: num licebit homini contendere cum Deo, hoc eſt, ipſi vilitati cum ſumma majeſtate? Quæ verba explicationis omnino videntur habere ſpeciem, neque tamen quiſquam dixerit, in prioribus verbis hominis nomine, non ipſum hominem intelligi, ſed tantum ipſam vilitatem; & ſimiliter Dei nomine non Deum ipſum, ſed ſummam tantum majeſtatem: quia hoc in ſequentibus illius loco reponatur. Nam ratio tantum præcedentis dicti inſtar explicationis ſubnectitur, & perinde eſt, ac ſi diceres; non licet homini cum Deo contendere, quia homo eſt viliſſimus, & ipſa propemodum vilitas; Deus autem ſumma majeſtate verendus: viliſſimo autem cum ſummo contendere non licet. Ubi vides non hominis nomen improprie ſumi; ſed potius nomen vilitatis per metonymiam adjuncti, quod pro ſubjecto ponitur, ſeu quod eodem recidit, abſtractum pro concreto.

Utamur exemplo, quod apoſtolus ipſe in ſecunda epiſtola nobis ſuppeditat, cum inquit cap. 6, verſu 14: *ne fiatis diverſum jugum trahentes cum infidelibus: quæ enim participatio juſtitiæ & injuſtitiæ? quæ vero communio luci ad tenebras?* Ubi ita quoque loqui potuiſſet apoſtolus: nulla eſt communio fidelium & infidelium, neque juſtitiæ & injuſtitiæ, neque lucis & tenebrarum. Ubi ſimiliter non deberet dici, fideles non ſumi pro ipſis hominibus fidelibus;

ſed tantum pro juſtitia & luce; nec infideles pro ipſis hominibus, qui non credunt, ſed tantum pro injuſtitia & tenebris: quia potius ſtatuendum eſſet, fidelem & infidelem ſumi proprie; in ſequentibus autem non explicari revera priora verba, ſed earum rationem reddi, & in iis metonymiam, qualem paulo ante explicuimus, uſurpari. Iſto autem modo loqui ſolemus, cum rationem petimus ex natura ſeu qualitatibus rerum ſubjectarum, quæ illis ipſis rebus nominatis ipſæ aliqua ratione videantur commemoratæ, ita ut nil ad ipſius dicti fidem reſtare cenſeatur, quam ut ratio in ipſo jam tacite comprehenſa evolvatur, & terminorum, quos vocant, explicatio quædam adhibeatur, quæ doceat, ipſius illius ſententiæ verba, modo ſatis intelligantur & conſiderentur, ſibi fidem conciliare.

Hoc nunc transferamus ad id quod ſub manibus eſt. Dixerat Apoſtolus, carnem & ſanguinem regnum Dei ſeu felicitatem illam à Deo nobis in cælo deſtinatam, hæreditare ſeu adipiſci non poſſe. Dictum hoc ſui ipſius argumentum tacite involvit. Quod tamen ut clarius appareat, evolvendum eſt. Hoc ergo facit Apoſtolus, dum addit: *nec corruptio incorruptibilitatem hæreditat*, hoc eſt, hæreditabit vel poſſidere poterit: hoc eſt, quia caro ſua natura plane eſt corruptibilis, atque ipſa propemodum corruptibilitas. At vero regnum illud Dei in incorruptibilitate quodammodo conſiſtit, eamve in ſe neceſſario continet, ita ut qui hanc non habet, regnum Dei habere nulla ratione dici queat. Quare nec caro & ſanguis regnum illud Dei poteſt obtinere, cum inter ſe adverſis frontibus pugnent, id quod ſua natura corruptibile eſt, & ipſa incorruptibilitas; ita ut hanc in illo ſubjecto locum habere tam ſit impoſſibile, quam quod maxime. Fatemur ergo, ſequentia verba explicare priora: non quod totum id, quod in præcedentibus intelligebatur, contineatur in ſequentibus, ita ut utraque verba cenſenda ſint ἰσοδυναμοῦντα ſeu æquipollentia: ſed quod aliquid, in terminis præcedentis dicti tacite comprehenſum, quo robur ac veritas illius nititur, nunc expreſſe ac clare proponatur. Continetur enim corruptibilitas ſub carnis & ſanguinis nomine, tanquam propria ac perpetua affectio, ſub nomine ſui ſubjecti: incorruptibilitas autem ſub nomine regni Dei, tanquam pars. *Regnum Dei* diximus ſignificare & hoc, & aliis locis felicitatem nobis a Deo deſtinatam ac per Chriſtum promiſſam, qua in cælis aliquando ſimus potituri; cujus certe pars magna eſt incorruptibilitas, vel, ſi mavis, res ejusmodi, ſine qua illa conſiſtere omnino non poteſt.

Confirmatur autem noſtra horum verborum interpretatio etiam eo, quod, ſi Apoſtolus verbis his verſ. 50 tantum probare voluiſſet, qualitatum fore mutationem in corpore noſtro, id revera ſumſiſſet pro conceſſo, quod probandum, erat vel nihil, quod ad rem faceret, aut vim aliquam haberet, dixiſſet. Etenim illa qualitatum diverſitas inprimis in eo conſiſtit, quod hæc corpora noſtra corruptibilia ſint, futura illa incorruptibilia. Quod ſi ita eſt, certe hic pro conceſſo id ſumſit apoſtolus, quod probare debebat. Sumſit enim, nos, qui nunc corruptibiles ſumus, aliquando incorruptibilitatem hæreditare debere. Quod ſi dicas, eum alias tantum corporum differentias hac ratione demonſtrare voluiſſe: apertius fuerat dicendum, & quænam illæ eſſent qualitates, & quomodo eas corporis ipſius natura atque eſſentia minime mutata, mutari ſit neceſſe, demonſtrandum.

### *De Parte III.*

SEquitur tertia Capitis pars, quam ſupra diximus ad ſecundæ confirmationem pertinere, ut non injuria ei accenſeri queat. In ea enim occurritur tacitæ cuidam objectioni, quæ moveri poſſet adverſus ea, quæ de diverſitate corporum præſentium & futurorum hucuſque dicta ſunt; eaque amota, oſtenditur, omnino corpora noſtra aliquando mutatum iri. Dixerit enim aliquis; ſi hæc ſententia, quæ hucuſque defenſa fuit, eſt admittenda, omnes fideles mori erit neceſſe, & corpus id, quod nunc gerunt, deponere, ita ut alteri fiat locus. Quod ſi neges, homines mori debere, non omnium corpora mutabuntur. Quomodo enim novum corpus iuduere poterunt, niſi per mortem hoc quo nunc ſunt induti deponant? Apoſtolus huic dubitationi ita ſatisfacit, ut oſtendat, nec morituros omnes, & nihilominus tamen omnes immutatum iri, ſeu corpora hæc corruptibilia cum incorruptibilibus commutaturos.

Verſ. 51. Primo autem ſibi aditum quendam ad rem hanc explicandam ſtruit, dum ſententiam a ſe proponendam quodammodo commendat, & attentionem Corinthiorum excitat, his verbis: *Ecce, myſterium vobis dico.* Dum dicit *ecce*, *non modo* rem conſideratione dignam; ſed & aliquo modo inopinatam ſe dicturum indicat: quod poſterius etiam multo magis ſignificat verbo *myſterii*, quo rem proponendam ornat. Oſtendit enim rem eſſe adhuc ſecretam, nec paſſim eo uſque revelatam ac divulgatam. Notum enim eſt, *myſterium* ſignificare ſententiam aut doctinam arcanam, quæ hominibus vel antea aliquando non fuerit revelata; vel etiam ad illud uſque tempus, quo iſtud dicitur, non patuerit: quod poſterius hic locum habere omnino videtur. Nam alias nequaquam dixiſſet Apoſtolus: *ecce, myſterium vobis dico.* Non omnia enim apoſtoli ab initio prædicationis ſuæ dixerunt omnibus; & ne fidelibus quidem ſtatim poſt Chriſti doctrinam receptam, utpote adhuc infantibus, & lacte adhuc alendis, ſolidique cibi incapacibus: quemadmodum de ipſis Corinthiis in hac epiſtola loquitur apoſtolus, rationem explicans, cur ſublimia illis myſteria antea non explicuiſſet. Vide capitis tertii initium. Quemadmodum & Chriſtus diſcipulis quædam ante mortem non dixit Ioh. 16. 12, quia ferre non poterant: quanquam non talia, quæ ad ſalutem illis prorſus tum eſſent neceſſaria, in quorum numero ne hoc quidem eſt, quod his verbis explicat Paulus; cum poſſit quis Deo Chriſtoque confidere & obtemperare, etiamſi ignoret, non omnes fideles morituros.

Sed ad rem ipſam accedamus: quam primum proponit apoſtolus; deinde explicat; denique confirmat. Proponit verſ. 51 illis verbis: *Omnes quidem non obdormiſcemus, ſed omnes mutabimur, in momento, in jactu oculi, in extrema tuba.* Duæ ſunt hujus ſententiæ partes: Prior eſt, *quod non omnes obdormiſcent.* Nam de vulgatæ interpretationis lectione non eſt multum laborandum; cum ea manifeſte falſa ſit, & repugnet ejuſdem Apoſtoli loco 1. ad Theſſ. 4. verſ. 15, & ſequentibus: ubi docet apoſtolus, quoſdam ex mortuis reſurrecturos; omnes nimirum, qui in Chriſto obdormierant: ſed alios adhuc viventes

rap-

raptum iri in aerem obviam Domino. At hic affirmat vulgatus interpres, omnes quidem reſurrecturos, ſed non omnes immutatum iri. Vocabulum *omnes* ad fideles reſtringi debere, non eſt dubitandum. De voce *obdormiſcendi* diximus ſupra verſ. 20.

Quod ad alteram ſententiæ apoſtolicæ partem attinet, ea eſt, quod omnes debeamus mutari, intellige ratione corporis: quod poſtea Paulus ſpecialius explicabit, & aliter paulo de mortuis, aliter de vivis. Mutatio in eo conſiſtet, quod alia corpora aliorum loco ſubſtituentur. Sed ea de re paulo poſt plura.

Verſ. 52. Hanc autem partem illuſtrat apoſtolus a circumſtantia temporis, idque duplici ratione: primum ut oſtendat, quamdiu duratura ſit illa mutatio; ſeu mavis, quam brevis ſit futurus iſtius mutationis actus: deinde quando illa mutatio ſit futura.

Prius duplici modo exprimit: primo dum ait; *in momento*; deinde dum ait: *in jactu oculi*. Nihil potuiſſet dicere brevius; nec ſane quicquam erit. Propterea autem id futurum eſt, ne quis longiorem illam mutationem metuat, & cum moleſtia aliqua conjunctum iri vereatur, præſertim quia neceſſe eſt, corpus hoc mortale abſorberi ab immortali ſeu cæleſti. Ait ergo apoſtolus, *in momento* hanc mutationem abſolutum iri, ut nullum dolorem afferre poſſit depoſitio corporis priſtini, cui eodem plane momento corpus glorioſiſſimum cum ſummo gaudio ſuccedat.

Poſterius vero in illis facit verbis, dum ait: *in ultima tuba*, idque confirmaturus addit: *tuba enim canet*. In prioribus illis verbis *tubam*, non pro ipſo inſtrumento muſico, ſed pro ſono uſurpari ſatis eſt manifeſtum, cum ultimus tubæ cantus audietur. Nam nec ſenſum ullum commodum habere poſſent, ſi tubam proprie velis ſumere; & non eſt conſentaneum, ulla vera ac proprie dicta tuba uſurum eſſe Chriſtum, ſeu eum ſpiritum, qui juſſu ipſius tubicinis inſtar canet. Itaque in voce hac concurrit metaphora cum metonymia. Tuba enim pro ſono tubæ per metonymiam efficientis ponitur. Sonus autem tubæ iterum per metaphoram pro ſono ſimili tubarum ſono. Cujuſmodi etiam fuit ille, cum quo angelus Dei perſonam ſuſtinens deſcendit in montem Sina, legem ibi laturus: quemadmodum legimus Exod 19, & repetitur ad Hebr. 12. 19; vox nempe fuit ſonora, aſpera, &, ut Poetæ tubæ ſonum vocant, rauca. Talis etiam futura eſt aliquando, cum Chriſtus ſumma cum majeſtate adveniet, univerſum angelorum exercitum ſecum ducens. Ita enim decet venire & regem, & exercitum. Claſſicum enim ſeu tuba tum magnorum principum ac regum, tum exercitus advenientis ſignum eſt, cum ſolet antecedere. Quare etiam olim, cum Deus, tanquam rex maximus, ſumma conſpicuus majeſtate adventaret, atque in montem deſcenderet, & populum veluti ad concionem audiendam acciret, tuba uti voluit. Exercitus quidem angelici, quanquam magnum tum adfuiſſe ex Pſalm 68 verſ. 18 ſatis apparet, rationem aliquam habitam tum fuiſſe plane non apparet: ſi qua fuit habita ratio, videntur magis fuiſſe ſpectati ut ſtipatores ac miniſtri magni regem ſuum ſequentes. At in adventu Domini, ubi *omnes ſancti angeli*, ut Chriſtus ipſe loquitur Matth. 25. 31, *cum eo advenient*, exercitus potius, quam miniſtorum aut ſtipatorum regis habebunt rationem. Unde etiam inſtar exercitus, ad pugnam ſeſe elata voce hortantis, clamabunt: quemadmodum Paulus idem indicat 1. Theſſ. 4. 16, ubi ait: *ipſum Dominum deſcenſurum e cælo, in* vel *cum celeuſmate*. quod quidem proprie ſignificat clamorem nautarum, ſe mutuo ad laborem exhortantium: ſolet tamen etiam pro læta totius exercitus, ad pugnam ſeſe hortantis, acclamatione uſurpari. Quod ſi quis putet, eo etiam ſpectatum iri in tubæ hujus ſono, quod tum temporis omnes veluti ad judicium atque ad tribunal magni regis edicta illius audituri concurrere debeant, non multum pugnabimus.

Eſt autem credibile, hunc tubæ ſonum eundem eſſe cum *voce Archangeli*, cujus mentionem facit apoſtolus loco modo citato epiſtolæ ad Theſſalonicenſes. Etiamſi enim nominatim addatur *tuba Dei*; id tamen explicationis vel illuſtrationis cauſſa fieri videtur. quaſi dicat, deſcendet Chriſtus de cælo, & magno cum clamore univerſi exercitus angelici, ſeu tanquam ad pugnam ruentis, vel etiam ovantis, & ſimul cum ingenti voce ac clamore unius ex angelorum principibus, qui reliquum exercitum antecedens veluti tuba canat. Utrumque enim in exercitu fieri ſolet: ut & ante ipſum canatur claſſicum, & ipſe exercitus clamorem tollat. Vocat autem *tubam Dei* eandem vocem. Tubam quidem, ut rationem quodammodo reddat, cur *vox archangeli* tum potiſſimum exaudiri debeat: quia nimirum tubæ inſtar ſit, ſine qua nec regem tantum, nec tantum exercitum advenire conveniat. *Dei* autem *tubam* propterea, ut a vulgaribus tubis diſcernat, quibus homines utuntur, & ſignificet, Chriſtum, qui divinus ſit rex, quique tum ipſius Dei perſonam maxime illuſtri ratione ſit geſturus, ejuſmodi uſurum tuba, qua Deum ipſum uti conveniat, quæque ipſius ſit propria. Non poteſt autem magis eſſe propria, quam vox, non unius ex inferiorum ordinum angelis (quanquam & hujuſmodi tuba omni humana major eſt & auguſtior) ſed ex angelorum principibus. Ideo autem credibile eſt, idem per *vocem archangeli* & *tubam Dei* intelligi; quia non ſolet una cum tuba alia aliqua vox, niſi forte & ipſa muſici alicujus inſtrumenti ſono ſimilis ſit, exaudiri. Archangeli autem illa vox, ſi a tubæ ſono diverſa eſſet, humanæ potius cenſenda eſſet futura ſimilis.

Cum vero ait apoſtolus, *in ultima tuba*, dubium eſt, utrum velit tubam illam ab aliis, quæ anteceſſerunt, diſtinguere, an vero ſimpliciter dicere, tum, cum ultimo demum tempore tuba exaudietur. Neutra ſententia improbabilis eſt; ſed poſterior probabilior.

Non ſatis autem habuit apoſtolus dixiſſe, *in ultima tuba*; ſed addidit: *tuba enim canet*: ne quis forte plane allegorice id interpretaretur; non vero de ſono tubæ ſimili; aut id ipſi tantum excidiſſe arbitraretur. Non apparet autem ad quem id ſit referendum, ſeu quiſnam ſit ille, qui tuba debeat canere. Subjectum enim hujus enunciationis eſt omiſſum. Poteſt autem referri, quemadmodum jam explicatum eſt, ad archangelum. Quanquam non eſt neceſſe, ut ipſa archangeli vox hic ſubaudiatur, ſed aliqua generalior: quaſi dicat, canet enim aliquis tuba, nimirum quem Deus aut Chriſtus juſſerit. Sic non ſemel conſequens ſine antecedente Hebræorum more poni ſolet, ut ſupra monuimus; ubi etiam diximus, ſubjectum ex conſequente ſolere ſuppleri; ut hoc loco: canet tuba is, qui canere debet. Sed nihil etiam prohibet, quo minus vox σαλπίζει, ea ſignificatione ponatur, qua ſolent apud Hebræos poni verba Conjug. Hiphil.

Significant autem actionem duplicem, ita ut σαλπίζειν ſit facere, vel jubere, ut quiſpiam alius tuba canat: quomodo uſurpatur vox eadem Matth.6. 2, ubi ait Chriſtus: *cum feceris eleemoſynam*, μὴ σαλπίσῃς *coram te, quemadmodum hypocritæ faciunt.* ubi non vult dicere. ne ipſemet coram te tuba canas; ſed ne cani jubeas, ut obſervarunt interpretes. Qualis ſignificatio reperitur etiam in verbo ἀναπίπτειν & βρέχειν cap.5. verſ.45. Hoc ſi admittatur, ſubaudiendum erit, Deus, aut Chriſtus; cujus nomen alias facilius ſubintelligi poteſt.

Vidimus hucuſque quomodo apoſtolus doctrinam Corinthiis adhuc incognitam, vel certe non ſatis perſpectam, propoſuerit: videamus nunc etiam, quomodo eandem nunc declaret. Declarat autem quoad poſteriorem ejus partem, in qua aſſeruerat, nos omnes mutatum iri. Nunc enim id, quod ita generatim dixerat, per ſpecies, ſeu mavis partes explicat. Dividit enim fidelium genus in mortuos & vivos, hoc eſt, qui in Chriſti adventu vel in mortuorum, vel in vivorum numero erunt, & utroſque mutatum iri aſſerit; ſed alia ratione illos, alia hos. Ita enim inquit; *& mortui reſuſcitabuntur* vel *reſurgent incorruptibiles, & nos mutabimur.* Particula &, quæ verba hæc inchoat, non tantum hanc orationem ſuperiori copulat; ſed & tempus prioris actionis tempori annectit: quaſi dicat, tuba enim canet, & tunc mortui ſuſcitabuntur incorruptibiles. Statim enim id tubæ iſtius clangorem ſubſequetur. Dum vero ait, *eos ſuſcitatum iri incorruptibiles*, indicat, eos non prius reſurrecturos corruptibilibus indutos corporibus, & poſtea demum mutatum iri; ſed eos ſtatim incorruptibilibus corporibus in ipſo reſurrectionis puncto circumdatum iri. Unde hanc eorum reſurrectionem opponit mutationi, cujus in ſequenti membro fit mentio: licet verſiculo præcedenti mutationis nomine comprehendatur. De omnibus enim fidelibus dictum erat eos in momento mutatum iri, atque adeo etiam eos qui reſurgunt. Atqui hæc, ſi communem loquendi rationem ſpectes, non ita proprie dicitur mutatio, cum is, qui jam eſſe deſierat, idque etiam jampridem, poſtea alius fiat, quam fuerat antequam eſſe deſineret. Magis autem proprie illi dicuntur mutari, qui, cum adhuc re ipſa exiſtant, alii, quam paulo ante fuerant, eſſe incipiant, ſeu aliud corpus induant. Et hæc eſt cauſa, cur apoſtolus generale mutationis verbum ad ſignificationem magis propriam reſtringat, & iis ſolis nunc accommodet, qui in adventu Domini ſuperſtites reperientur, & ex corruptibilibus incorruptibiles, interitu nullo interveniente, evadent.

Unde jam magnam partem intelligitur id quod in altero hujus explicationis membro dicitur, nempe, *nos immutatum iri.* Quanquam mutationis illius ratio plenius declarabitur in ſequentibus. Opponit autem apoſtolus vocem, *nos*, mortuis, non quod Paulus omnino ſperaverit, ſe quoque ipſum una cum Corinthiis, ad quos ſcribebat, & quos vocula iſta complectebatur, uſque ad adventum Chriſti fore ſuperſtitem, imo potius ex multis ejus apoſtoli dictis ſatis liquet, eum id nequaquam ſperaſſe; ſed quia ipſe in vivis tum erat, erant & Corinthii, ad quos ſcribebat, ideo per ſpeciem genus ipſum, nimirum fideles Chriſti vivos intelligit: quanquam ratione habita ultimi illius temporis ſeu adventus Chriſti.

Ipſo autem verborum ordine indicavit apoſtolus id, quod ad Theſſalonicenſes ſcribens claris verbis explicuit, nempe, mortuos Chriſti fideles prius reſurrecturos; poſtea demum mutationem ſubſecuturam cæterorum Chriſti fidelium, quam illic tacite complectitur, quando ait: eos una cum illis, qui reſurrexerint, raptum iri in aerem, obviam Domino, ita namque ait cap.4. verſ. 15: *Hoc enim dicimus vobis in ſermone Domini, quod nos, qui vivimus* (vides eundem fere loquendi modum, quem modo ad Corinthios expendimus) *qui relinquimur, in adventum Domini, non antevertemus*, nimirum ad Dominum, *eos qui obdormierunt.* Et paulo poſt, cum dixiſſet verſ. 16, *cum hortationis clamore, cum voce archangeli, & cum tuba Dei deſcenſurum de cælo*, ſubjicit verſ. 17, *& mortui in Chriſto reſurgent primum, poſtea nos, qui vivimus, qui relinquimur*, ſeu ſuperſtites erimus, *una cum ipſis rapiemur in nubibus, in occurſum Domini, in aerem, & ita ſemper cum Domino erimus.*

Hujuſmodi ergo obſervabitur ordo & ratio, quantum intelligi poteſt: mortui primum in infimo hoc aëre reſurgent, id eſt, eorum ſpiritus in momento glorioſis circumdabuntut corporibus. In terris id futurum, ſatis arguit, quia apoſtolus dicit, nos viventes una cum illis raptum iri in nubibus obviam Domino, in aerem: quod fieri non poſſet, niſi prius in terra una nobiſcum extitiſſent. Sed poſtea, ut verba hæc indicant, & nos & illi ſimul tollemur nubibus cincti & ſublati in aerem, ut uno eodemque tempore Dominum conſpiciamus, & ad illum accedamus: in quo raptu ipſi viventes immutabuntur, ut ita induti glorioſis corporibus, una cum iis, qui reſurrexerunt, ſimul Dominum, uti eſt, cernere, & tantam majeſtatis præſentiam ferre, imo ex ejus conſpectu ingenti lætitia perfrui poſſint: non poſſent autem, niſi glorioſis induti eſſent corporibus. Quare in eo priores ferent ii, qui mortui fuerant præ viventibus, quod illis ſe prius glorioſis indutos corporibus cernant: ut ita mortis moleſtias ac dolores maturata felicitas compenſet. Sed perfectione voluptatis ac felicitatis ſuæ non antevertent viventes, ſed eodem plane tempore ad ultimum hunc ſcopum pervenient: quia omnes una conſpicientur incorruptibiles, glorioſi omnes. Quia vero cum a nubibus primum excipientur, incorruptibiles nondum erunt, ideo ab angelis tollentur: quemadmodum ipſe Chriſtus docuit Matth.24. 31, ubi ait, *ſe miſſurum angelos ſuos cum tuba & voce magna, eoſque collecturos electos ipſius ex quatuor ventis, ab extremis cælorum uſque ad extrema eorum.* Non eſt enim credibile, angelos prius in unum in terra. locum collecturos omnes fideles, eoſque deinde ita jam collectos raptum iri in nubibus; ſed potius eos ſtatim fideles diverſis in partibus in aerem ſublimes rapturos, nube circumdatos; quæ & ipſorum fidelium mutationem celet; &, ſi quæ humanis alias oculis cerni poſſet; ipſorum autem angelorum gloriam penitus apparere non patiatur, alia autem ex parte eorum gloriam augeat. Quos enim demiſſæ nubes excipiunt, propter eos cælum propemodum deſcendere videtur. Idem Domino Jeſu quoque contigiſſe legimus Act. 1. verſ.9, in quo & mortui reſurrectionis exemplum habent, & vivi tranſmutationis ſuæ; omnes autem ſuæ in ſublimem aerem ac cælum tranſlationis.

Poſtquam expendimus explicationem ſecundæ partis dicti apoſtolici verſ.51 propoſiti, reliquum eſt, ut ejuſdem confirmationem videamus. Ea autem continetur verſ. 53 & ſequentibus: & in primo quidem illo ratio apoſtoli proponitur: in ſequentibus autem fulcitur & roboratur. Reſpicit autem apoſtolus in ratione

iſta id

iſta id potiſſimum, quod ultimo loco dictum fuerat, de iis qui in adventu Domini ſuperfuturi ſunt, eos immutatum iri: quandoquidem de eo, quod mortui reſurrecturi ſint incorruptibiles, jam ſupra ſat copioſe fuit actum.

Verſ. 53. Ratio autem hæc eſt: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Ita conjuncta eſt hæc ratio cum eo quod probandum eſt, præſertim ſi id & ad mortuorum & vivorum ſimul mutationem extendas, ut id tantum poſſit haberi pro conſtantiori ac firmiori ejuſdem rei aſſeveratione. Nam ſi omnino oportet hoc corruptibile induere incorruptibilitatem, nimirum ſi regnum illud Dei adipiſci debeat, ut ſane debent omnes Chriſti fideles, de quibus hic ſermo eſt: neceſſe porro eſt & mortuos reſurgere incorruptibiles, & eos qui ex fidelibus ſuperſunt, immutari ita ut ex corruptibilibus incorruptibiles, ex mortalibus immortales evadant, atque adeo aliis induantur corporibus. Cur autem ita neceſſe ſit, partim verſ. 50 audivimus; partim in ſequenti audiemus. *Induere* autem *incorruptibilitatem* vel *immortalitatem* non tantum videtur hoc loco ſignificare ipſas illas qualitates per ſe conſideratas conſequi, iiſque ornari: ſed corpore incorruptibili atque immortalitatis capaci circumdari: ita ut incorruptibilitas & immortalitas non abſtracte, ſed cum proprio ſuo ſubjecto ſumantur: ut, ſenſu nihil mutato, dicere poſſis, abſtracta pro concretis poni; quemadmodum paulo ante vidimus verſ. 50. Apoſtolus certe in 2 ad eoſdem Corinthios epiſtola cap. 5, quem locum jam ſuperius citavimus, indutionem & ei contrariam exutionem non ad nudas qualitates, ſed ad ipſa retulit corpora verſ. 2, 3, 4.

Sed hoc loco ab iis, qui ſtatuunt, eadem numero ac eſſentia corpora permanſura, quæ nunc ſunt, inprimis urgeatur *hoc corruptibile*, & *hoc mortale*, quæ aperte ipſum corpus deſignant. Hoc ergo ipſum corpus, quod nunc corruptibile eſt ac mortale, fore incorruptibile ac immortale. Nos primo reſpondemus, nihil neceſſe eſſe, ut id ad ipſum corpus reſtringatur. Nam particula *hoc* ſua vi nihil aliud denotat, quam certum individuum, quod digito monſtretur. Individuum autem tale non minus eſt homo ipſe quam corpus: & homo terrenus non minus corruptibilis eſt aut mortalis, quam corpus. Quare ita poſſunt hæc verba accipi, ac ſi apoſtolus dixiſſet, nos ipſos incorruptibilitate & immortalitate aliquando oportere indui.

Sed deinde concedamus, voces illas, *hoc corruptibile*, & *hoc mortale*, omnino ad corpus referendas eſſe: non ſequitur tamen, hoc ipſum corpus induta immortalitate manere. Poteſt enim, imo debet ita indui immortalitate ac incorruptibilitate, ſeu corpore incorruptibili, ac immortalitatem afferente, *ut mortale abſorbeatur a vita*: quemadmodum Paulus loco paulo ante citato epiſtolæ ad Corinth. ſecundæ cap. 5. vers 4 ait. Id enim hoc loco memoria repetendum eſt, Paulum hic ad eos potiſſimum reſpicere, qui vivi ſuperfuturi ſunt in adventu Domini; ad mortuos vero non niſi conſequenter ac minus proprie. Jam vero qui vivi reperientur in adventu Domini, illi, ut loco nunc citato dicitur, ſuperinduentur corpore illo, quod ex cælis erit, ac porro corpus illud cæleſte ambiet hoc terreſtre ac mortale. Alias hæc ſimplex tantum foret indutio; non vero ſuperindutio, ut Paulus ſatis ſignificanter loquitur. Nunc enim cum hoc tantum corpore cincti ſumus, induti ab eo appellamur, non vero nudi; & propterea dicit, optare ſe corpore ſuperindui, ne prius hoc corpus cogatur per mortem deponere; quod ſi fiat ſimpliciter ſit induendus, non vero ſuperinduendus. Is enim tantum ſuperinduitur, qui jam alia veluti veſte indutus eſt: qui vero nudus ac exutus, ſimpliciter tantum indui. At vero fieri non poteſt, ut duobus corporibus homo ſimul ac conſtanter ſit præditus, mortali nimirum & immortali. Quare neceſſe eſt, alterum cedere alteri, mortale nimirum immortali, corruptibile incorruptibili, & cæleſti admirabilique ejus virtute repente abſumi.

Ita nimirum fiet hæc ſuperindutio, de qua Paulus loquitur, quantum ex ejus dictis poteſt intelligi, ut cæleſte corpus huc ad ipſos fideles in inferiori hoc aere adhuc verſantes, in ſublime tamen jam ferri incipientes, deſcendat, eorumque mortalia corpora amplectatur, eaq; ratione ipſi fideles ſuperinduantur, veluti nova veſte veteri ſuperinjecta. Sed quia corpus illud incorruptibile cum corruptibili ſimul conſiſtere, & ſpiritum noſtrum excipere non poteſt: id virtute ſua occulta, cæleſti tamen prorſus ac admiranda, in momento atque in jactu oculi abſumet, & veluti in nihilum rediget hoc mortale corpus, non ſecus atque ſi ignea quadam vi eſſet præditum, & corpus noſtrum amplexum momento citius abſorberet. Quanquam vis illa longe ſubtilior erit, nec dolorem inferet, quem vis aliqua ignea inferret. Pertranſibit enim ſtatim ſpirituale illud corpus ad ipſum ſpiritum noſtrum, quo vivimus, eumque ita excipiet, ut nihil jam amplius conjunctum habeat cum corpore hoc corruptibili, & nullum ex pereunte dolorem capiat, tanquam jam non amplius ſuo: præſertim quia, ut jam vidimus, mutatio iſta ipſam propemodum cogitationem antevertet, & ob celeritatem nullum, niſi leviſſimum, ſui ſenſum relinquet. Nihil autem mirum eſt, apoſtolum hoc loco ſimplici induendi verbo uſum eſſe; quia licet maxime reſpexerit ad eos, qui vivi ſunt futuri in adventu Domini: aliqua tamen ratione illos complecti voluit, qui antea morientur. Hi enim recte quidem dicuntur indui, non autem ſuperindui. Vivi autem recte etiam dicentur indui. Quiſquis enim ſuperinduitur, induitur etiam, licet non contra.

Et hanc quidem ob cauſam ſatius eſt hæc apoſtoli verba de ipſo homine interpretari, quam de corpore: aut ſi de corpore, non debet cadaver intelligi anima caſſum, ſed animatum, ut ipſi homini quodammodo æquipolleat, eaque ratione dicatur induere incorruptibilitatem, quemadmodum ſupra vidimus apoſtolum dicere, ſemen vivificari, ſeu in plantam excreſcere, eique dari corpus, quod Deus velit: cum tamen non ipſi ſemini, ſeu corpori illius, corpus aliud aptetur; ſed aliud corpus tantum detur ſpiritui in ipſo latenti. Quare etiam hic non erit intelligendum, corpori per ſe ſumto, præſertim manenti ac duranti, ſuperindutum iri incorruptibilitatem ac immortalitatem; ſed ſpiritui in ipſo latenti. Neque vero Paulus cum dixit, *hoc mortale*, aut *hoc corruptibile*, cadaver aliquod inanime veluti digito monſtraſſe cenſendus eſt; ſed vel ſe ipſum alioſque ſibi ſimiles, nimirum viventes, vel ſuum aliorumque corpus animatum, cui jam vidimus ea tribui poſſe, quæ non niſi ratione ſpiritus in ipſo latentis ei tribui poſſunt.

His ita explicatis, videamus, quomodo apoſtolus id quod dixerat, alia iterum ratione fulciat. Id autem facit in proxime ſequentibus, ubi, amplificationis qua-

dam ſpecie, verba quædam ſcripturæ adducit, in quibus non obſcurum extat ea de re vaticinium, quam modo aſſeruerat apoſtolus. Primum ergo id quod confirmare vult, repetit: deinde verba ſcripturæ illis annectit: denique illa ipſa ſcripturæ verba illuſtrat. In qua illuſtratione novam videbimus rationem inſinuari legentium animis, qua id quod aſſertum ab apoſtolo de reſurrectione fuerat, ac porro etiam de mutatione viventium in adventu Domini futura, confirmetur.

Verſ. 54. In prima particula non eſt quod multum immoremur, cum ea nihil prope ſit aliud, quam repetitio quædam verſiculi præcedentis, quem confirmare hic inſtituit apoſtolus. Quare verba illa ita repetemus, ut ſequentia, hoc eſt, ipſius ſcripturæ veteris verba ſtatim iis ſubnectamus. Ita ergo ait apoſtolus: *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo ille ſcriptus; abſorpta eſt mors in victoriam.*

Vſ. 55. *Ubi tuus, ô mors, aculeus? ubi tua, ô inferne, victoria?* Quia apoſtolus veluti obiter hanc rationem ſuperioribus dictis adjungere voluit, ideo inſtar amplificationis uberioris eam proponit. Non ſecus enim agit, ac ſi tantum indicare vellet, quid iſtam tum mortuorum reſurrectionem, tum viventium Chriſti fidelium mutationem ſit ſecuturuma. Ideo dicit: *cum autem illud evenerit, tunc fiet ille ſermo*: cum id revera dicere velit, ideo neceſſe eſſe, ut id fiat, quod dixerat, quia tum demum ſint complenda illa prophetarum vaticinia, quæ hic exprimuntur; ea enim eventu ſuo carere haudquaquam poſſunt.

Cum ergo dicit: *tum fiet ſermo ille ſcriptus*; per *ſermonem* intelligit rem ſermone expoſitam, ac verbis deſcriptam, quemadmodum & interpretes, & res ipſa monet. *Sermo* enim ipſe jam pridem per prophetas factus fuit: ſed res ipſa, myſtico nimirum ſenſu, nondum eſt repræſentata. Citantur autem duo diverſorum prophetarum loca. Prior quidem ultimis verſ. 54 verbis continetur ex Eſaiæ capite 25 verſ. 8. Poſterior, qui verſ. 55 extat, eſt Oſeæ cap. 13. verſ. 14. Uterque autem, ſi verba eorumve formam ſpectes, aliquantulum ab Hebræo differt; ſententia interim nihil mutata.

In priori enim loco ita legimus: *Abſorpſit*, vel *perdidit*, intellige, Dominus, *mortem in ſempiternum:* quod hic habemus: *abſorpta eſt mors in victoriam.* Senſus plane idem eſt. Verba prophetæ ſunt ſatis clara. Id enim ſibi volunt, Deum ita aboliturum mortem, ut in ſempiternum nullum amplius locum in ſuo populo, de cujus felicitate ibi vaticinatur propheta, ſit habitura, id quod non aliter fiet aut vi divinæ ſapientiæ fieri poteſt, quam nobis immortalibus effectis. Nam ſi nos natura immortales ac incorruptibiles non fieremus, neceſſe eſſet, Deum perpetua ſingularique cura ſingulorum fidelium vitam ac corpora tueri adverſus res omnes, quæ vitam nobis eripere poſſent. Atqui longe Dei ſapientiæ convenientius eſt, ut, ſi nolit nos in æternum mori, ſemel nos natura immortales efficiat, quam ut ejuſmodi ſuſtentatione & perpetua, ut ita dicam, vitæ noſtræ cuſtodia ſit opus.

Non eſt quidem negandum, hæc ipſa prophetæ verba alium pati ſenſum, eoque quem expoſuimus, imperfectiorem, quem literalem vocare ſolent: ſed ſacræ literæ novi fœderis myſticum vaticiniorum ſenſum, & nucleum, non corticem; corpus ipſum non umbram, ſpectare ſolent. Et hic quidem verba ipſa adeo ſunt prægnantia, ut proprie myſtico tantum ſenſui conveniant; improprie tantum literali. Neque enim ſemper myſticus figuratus eſt, literalis proprius, & ab omni tropo ſemotus; ſed ſæpe contra: id quod non paucis ſcripturæ locis oſtendi poſſet, ſi ea re nunc opus eſſet. Sed aliud nunc agimus.

Literalis eorum verborum ſenſus hic eſt, quod Deus ſit ita cuſtoditurus populum ſuum, ut non amplius, idque in ſempiternum mors violenta in illo graſſetur, quemadmodum antea graſſata fuerat. Mors enim violenta interdum ſola τοῦ ἔχειν mortis nomine intelligitur; cujus rei exemplum habes etiam Apoc. 6. 8. & 18 8: ut alia taceamus loca, in quibus aliquis mortis damnari, aut mortis eſſe reus dicitur, aut morte mori debere. Vide inter alia Matth. 10. 21: & 15. 4: 20. 18: & 26. 66. Idem reperies ſæpe in veteri fœdere: idem in communi loqueudi uſu frequentiſſimum eſt. Hic ſenſus eſt veluti umbra quædam & delineatio illius perfecti, quem paulo ante declaravimus.

Is autem apud Paulum his exponitur verbis: *abſorpta eſt mors in victoriam.* Primum quod apud prophetam active proponitur, ut ipſa agentis perſona indicetur, tanquam ἀπὸ κοινοῦ repetenda; id hic paſſive, agentis perſonâ ſuppreſſâ, dicitur, *abſorpta eſt.* Sed interea facile intelligi poteſt, a quo debeat illa mors abſorberi, ſeu penitus deleri. quonam enim, niſi a Deo? Deinde quod hic dicitur, *in victoriam*, id ibi eſt *in perpetuum*, ſeu *in æternum*, idque propterea, quod vox *nezah* ab eo deſcendat verbo, quod vincere ſignificat. Unde veteres interpretes non ſemel idem nomen cum eadem particula præfixa reddiderunt εἰς νῖκος, in victoriam, ut hic factum eſt. Vide 2. Sam. 2. 26. Job 36. 7. Jerem. 3 verſ. 5, & alibi. Significat autem hæc particula ita reddita, ita mortem abſumtum iri, ut penitus vincatur, & nullæ prorſus ejus remaneant vires. Quæ ſententia convenit cum Hebræo. Nam ſi ita mors abſorberi debet, in æternum delenda erit: alias ipſa potius victoriam tandem obtinebit. Inſtituto autem apoſtoli egregie convenit. Tum enim demum ita abſorbebitur mors, ut penitus vincatur, cum ita nos ex ejus poteſtate vindicabimur, ut etiam natura impoſſibile ſit amplius nos mori. Sic enim omnes in nos vires perdet plane.

In poſteriori vero loco, quem cap. 13 Oſe. verſ. 14 diximus extare, ita legimus in Hebræo: *ero peſtes tua, ô mors: ero exciſio tua, ô inferne.* Præceſſerat autem, *e poteſtate inferni redimam eos, a morte redimam eos.* Sed apud Græcos interpretes eodem plane modo legitur, quo apud apoſtolum, quem proinde illorum interpretationem ſecutum eſſe apparet. Et credibile eſt, olim ita lectum fuiſſe, ut apud Paulum eſt: ſed ut alibi, ſic etiam hic Græcam interpretationem veterem mutatam eſſe, aliis quibuſdam ex alia verſione verbis in eam tranſlatis; præſertim poſtquam in unum volumen Origenes plurimas verſiones contulit. Ita namque legitur in Græco: *ubi vindicta tua, ô mors? ubi aculeus tuus, ô inferne?* Nos autem apud apoſtolum ita legimus: *ubi eſt tuus, ô mors, aculeus? ubi tua, ô inferne, victoria?* Morti enim devictæ ac ſubactæ veluti inſultat propheta, & quiſque olim fidelium aliquo modo poterit: quaſi dicat, hactenus quidem viſa es o mors, habere aculeum, quo nos pungeres lædereſque ac denique conficeres; ſed nunc tibi ille penitus ademtus eſt, utut maxime velis lædere, non potes.

Et tu

Et tu inferne hucuſque viſus es ita omnes mortales vincere, omnes in tuam poteſtatem redigere, ac vinculis plane adamantinis coërcere, ut nemo te fugere, nemo ſe tibi eripere poſſit: ſed nunc omnes vires, omnis tua vincendi facultas tibi erepta eſt.

Senſus apud prophetam revera idem eſt, licet verba ſint diverſa. Nam cum Deus dicit, *ſe morti fore peſtes, & inferno exciſionem*, ſeu *perniciem*, quid aliud ſignificat, quam ſe effecturum, ne vel mors, vel infernus, ullas amplius vel minimas in pios habeat vires, quod certe tum fiet: cum hoc mortale a vita ſuperveniente abſorbebitur, atque ipſa mortalitatis radix in nobis exſcindetur. Tunc enim nec ipſa mors in nobis ullum poterit habere locum; nec infernus, qui mortem proxime ſubſequitur. Eſt enim infernus ſtatus mortuorum, qui quidem in ſacris literis inſtar loci cujuſdam ſubterranei, vaſti ac profundi, ſolet depingi, eique portæ ſolent attribui: quemadmodum interdum & morti, quæ non raro cum inferno confunditur. Idem locus tenebricoſus admodum cenſetur, quia ibi viſus & reliqui ceſſant ſenſus; & terra oblivionis vocatur, quia ibi omnium rerum ſit oblivio; unde David Pſal.6. non ſemel: *in morte quis memor tui? in inferno quis confitebitur tibi?*

Jam quod morti *aculeum* tribuit, metaphora ducta eſt ab iis vel animalibus venenatis, vel inſectis, quæ aculeo nocent ac lædunt. Inter venenata eſt ſcorpio; inter inſecta apes, veſpæ, crabrones, & ſi quæ ſunt ſimilia. His cum eximitur aculeus, utut maxime velint, nocere tamen nequeunt.

Quod ſi de ſenſu verborum propheticorum literali quæras, idem ille eſt, quem in verbis Eſaiæ vidimus. Quia enim eo uſque mors violenta in populum divinum graſſata fuerat, ac porro infernus, qui occiſos devorat; prædicit Deus, ſe hanc morti ac inferno poteſtatem ac vim erepturum eſſe. Sed longe exactius ea verba quadrant apoſtoli inſtituto. Tum enim reſpectu fidelium penitus mors ac infernus delebitur, qua de re actum etiam eſt ſupra verſ.26. Hactenus ipſa utriuſque vaticinii verba habuimus.

Conſideremus nunc porro, quemadmodum ea ex parte aliqua illuſtret atque amplificet, ac ſimul rationem quandam novam, qua præcipua hujus capitis ſententia, nempe reſurrectionis noſtræ veritas confirmetur, afferat. Id autem fit verſ.56,57. In priori, occaſione aculei, qui morti in Græca verborum ab Oſea citatorum interpretatione atque ab ipſo apoſtolo tribuitur, cauſas exprimit, quæ morti nos penitus mancipare, ac interitum afferre poſſent: In poſteriori autem verſu cauſas exprimit illis quodammodo contrarias, hoc eſt eas, quæ priorem illarum cauſarum vim in nobis ſuſtulerint, & victoriam de morte atque inferno comparârint. Unde intelligetur, in morte nos haudquaquam manſuros; ſed ex illa ad vitam beatam emerſuros.

Verſ. 56. Quod ergo ad priorem verſiculum attinet, duæ afferuntur cauſæ, quæ nos morti jure mancipare poterant: quarum prior proxima eſt, ac per ſe vim quandam mortem nobis pariendi habet: poſterior remotior eſt, & quodammodo per accidens. Illa peccatum eſt; hæc lex.

De illo ita loquitur: *Aculeus autem mortis peccatum.* quaſi dicat, dictum eſt, mortem non habituram aculeum. Id intelligendum de peccato. Hoc enim revera mortis aculeus eſt. Hoc ſi in homine reperit, niſi forte ejus vis divina benignitate ſit extincta, hominem in æternum perimere poteſt. Hoc ſi abſit, etiamſi ob naturæ conditionem hominem videatur habere obnoxium: nihilominus tamen attingere vel penitus non poteſt, ut eos, qui vivi tranſmutabuntur; vel eos vere non poterit lædere, quia vitam illis ſempiternam eripere nequit. *Mors* hoc loco ſimpliciter ſumitur pro extinctione vitæ hujus, quæ fit ſeparato ſpiritu a corpore. Hæc mors interdum aculeum habet; interdum non habet. Habet, cum peccatum in homine reperit; non habet, cum non reperit. Nam cum invenit, hominem ſibi æternum mancipare poteſt, & a vita ac felicitate ſempiterna excludere; cum non invenit, ſecus. Per *peccatum* autem omne id intelligit apoſtolus, cui mortis æternæ pœnam lex myſtico ſenſu propoſuerat, in illis potiſſimum verbis: *Execrabilis omnis, qui non permanſerit in iis, quæ ſcripta ſunt in lege, ut ea faciat* Deut.27. 26. Gal.3. 10. Non quidem quaſi quivis, qui tale quid admiſerit, omnino morti ſit mancipandus, & hoc aculeo extinguendus: ſed tantum quod jure id fieri poſſit, & niſi Deus ſingulari benignitate vires has, ut ita dicam, morti eripiat, id quod hominibus Chriſtianis contingit, ea hominem ſit omnino peremtura. Cæteroqui ſi de ejuſmodi aculeo verba hæc intelligere velis, qui ſalvo etiam novo Dei fœdere, ac divina benignitate nobis in eo oblata, elidi non queat ſitque omnino infigendus homini: id tantum peccatum intelligendum erit, in quo homo uſque ad mortem hæſerit, ſeu quod ſubſequente vera reſipiſcentia, quæ animi ac vitæ mutatio eſt in melius, expiatum ſublatumque non fuerit. Sed ſequentia verba arguunt, priori potius modo vocem peccati atque aculei accipiendam.

Alteram vero cauſam, quæ nos mancipare morti jure poſſet, ita exprimit apoſtolus: *potentia autem peccati lex*, hoc eſt, lex, nempe Moſaica, vim largitur peccato, ad nos morti æternæ mancipandos. Habet quidem etiam per ſe aliquam ad nos pœnæ atque adeo morti mancipandos vim peccatum: ſed ea tamen debilior eſt; nec ita facile effectum ſortitur, niſi lex a Deo lata vim ei novam addat. Nam ut Paulus idem ait ad Rom. 5. verſ.13, *peccatum non imputatur, non extante lege; quia* ut cap.4.15. ait: *ubi non eſt lex, ibi nec tranſgreſſio.* Qua de cauſa legem operari iram, hoc eſt, pœnam, ibidem ait, ſeu in cauſa eſſe, cur pœnæ jure ſubjiciamur. Et cap.5 ait, legem, nimirum Moſaicam, ſubingreſſam eſſe, nempe inter delictum Adami & Chriſti gratiam, ut tanto magis abundaret delictum, hoc eſt, ut tanto majorem vim ad nos damnandos acquireret, ac porro etiam tanto major in eo condonando Dei appareret benignitas. Peccare poſſent homines etiam abſque lege expreſſe lata, cum adverſus naturæ legem ſeu conſcientiæ ſuæ dictamen delinquunt: ſed niſi nimis enorme ſit facinus, haud paulo minorem habet vim ad hominem damnandum, quam cum Deus ipſe legem tulit, & pœnæ comminationem expreſſe addidit. Tum enim & delictum ipſum fit gravius, quia divinam majeſtatem ac legis autoritatem violat; & lex ſimul reatum ad pœnam firmat & hominem ſupplicio magis adſtringit. Etſi autem lex Judæis tantum vere & aperte ſit lata; unde ſtatuendum eſt, Paulum etiam hic ad Judæos magis reſpexiſſe, quam ad cæteras gentes: nihilominus tamen propter ſimilitudinem quandam vel analogiam idem ad illas extenditur. Nam utut gentes extraneæ legem non habuerint: atrocitas tamen & turpitudo flagitiorum adverſus naturæ legem admiſſorum eandem pœnam commerita eſt, quam Judæi etiam longe minora

ge minora patrantes. vi legis ſibi latæ debebant incurrere. Quare apud Judæos quidem minoribus etiam delictis vim mortiferam lex dabat expreſſe illis lata: apud Ethnicos autem ſcelerum gravitas efficiebat, ut pœna Judæis lege conſtituta etiam illos premeret, licet legis iſtius notitia carentes.

Verſ. 57. Et hæc quidem de cauſis, quæ nos morti jure mancipare poterant, & victoriam illi in nos conciliare. Sequitur, ut videamus eas cauſas, per quas vires illæ morti ſunt ademtæ, nobis autem facultas ad eam ſuperandam data. Eæ autem exprimuntur ipſis verſ. 57 verbis: *Deo autem gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Duas exprimit cauſas, ſed extra nos poſitas, quarum beneficio victoriam de morte reportamus: altera ſuprema eſt & principalis; altera media, illi ſubminiſtrans. Illa eſt Deus, nimirum ille ſummus, quem a Chriſto apertiſſime diſtinguit, is tamen, quem patrem eſſe ſupra docuerat. Non commemoravit autem apoſtolus hanc cauſam ſimpliciter, ſed cum gratiarum actione. Ita enim tanti beneficii memoria mentem ejus affecerat, ut non poſſet ſine gratiarum actione tanti boni auctorem commemorare; quemadmodum & alibi facit, & nominatim etiam in utriuſque ad Corinthios epiſtolæ initio, ubi Dei vel in ſe, vel in Corinthios collatorum beneficiorum facit mentionem. Videatur etiam initium epiſtolæ ad Epheſ. & initium primæ epiſt. Petri. Cauſa autem media eſt Jeſus Chriſtus.

Beneficium autem ipſum, quod per ipſum nobis contulerit Deus, eſt, quod *det nobis victoriam. Victoriam* intelligit de morte, ut jam paulo ante innuimus: quam intellexerat etiam paulo ante verſ. 54, ubi dixerat: *abſorpta eſt mors in victoriam:* cui opponitur victoria, quam mors antea habuerat, ſed aliquando illi adimenda ſignificatur verſ. 55. Hanc victoriam ita dat nobis Deus, quatenus per Chriſtum nobis jus atque poteſtatem dat a mortuis reſurgendi, & in filios Dei, hoc eſt, immortales evadendi, ipſumque Chriſtum tanta inſtruxit potentia, ut poſſit ſibi & nobis etiam ipſis ſubjicere omnia, atque adeo etiam mortem, quemadmodum ſupra vidimus verſ. 25, & ſequente.

Dum autem Deum nobis hanc victoriam per Chriſtum Jeſum dantem opponit peccato ac legi, morti vim in nos concilianti, indicat, Deum per Jeſum Chriſtum vim peccati ac legis, quam ad nos damnandos ac morti ſubjiciendos habebat, in nobis extinxiſſe, hoc eſt, peccata nobis noſtra clementer condonaſſe, & obligationem legis, qua nos ad pœnam adſtringebat, ſuſtuliſſe, ac porro ſpem dediſſe, imo jus ac facultatem mortis pœnam effugiendi. Id quod per reſurrectionem & ei veluti ſuccedaneam viventium tranſmutationem contingit. Atque hoc eſt argumentum illud, quod ab ipſo propemodum initio fuit ab apoſtolo indicatum, cum dixit, Chriſtum eſſe mortuum pro peccatis noſtris. Peccata enim nobis non condonantur, ſi in morte nobis ſit manendum, quemadmodum verſ. 17 vidimus. Omnibus autem illis, ad quos ſcribebat apoſtolus, id erat notum, remiſſionem peccatorum, quam lex hominibus negabat, per Chriſtum contingere reſipiſcentibus. Quare vel eo ipſo admoniti reſurrectionem fidelium debebant agnoſcere.

Verſ. 58. Reliquus eſt brevis, quo caput hoc clauditur, Epilogus, exhortatione conſtans ad conſtantiam in fide ac pietate: qua in re ſitus eſt fructus & utilitas hujus de fidelium reſurrectione diſputationis, quam Paulus toto hoc capite quæſivit. Ita enim inquit: *Quapropter fratres mei dilecti, firmi fiatis*, vel *ſitis, immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non ſit vanus in Domino.* Primum particula iſta *quapropter*, oſtendit, hanc adhortationem ex præcedentibus fluere: quaſi dicat, cum ergo certa ſit futuræ reſurrectionis ſpes, firmi ſitis &c. Quæ autem conſecutionis ſit ratio, ultima docebunt verba, quibus exhortatio proxima fulcitur. Aditum autem ſibi ad adhortationem facit compellatione, charitatem eximiam in Corinthios ſpirante, dum eos fratres ſuos dilectos appellat: quemadmodum & ſupra hoc capite bis fecerat, quanquam abſque voce dilecti, etſi ſciebat, eos & erroribus quibuſdam huc uſque teneri, & moribus ad pietatem nondum ſatis exactis eſſe præditos. Exhortationis autem ipſius duæ ſunt partes. Primum enim eos ad conſtantiam in fide, ut jam antea monuimus, hortatur: Deinde ad conſtantiam in ſolida pietate.

Prius effert duobus verbis admodum ſignificantibus, cum vult, ut *ſint firmi & immobiles*: quales nimirum ii ſunt, qui non opinione aliqua ducuntur, ſed ſolidam adepti ſunt rei ſcientiam ac firmiſſimis nituntur argumentis. Poſſunt quidem hæc verba reſtringi ad hoc de reſurrectione argumentum, quod toto hoc capite tractavit apoſtolus: quaſi dicat, Cum hæc ita ſe habeant, fratres chariſſimi, quemadmodum dixi, jam non amplius dubitetis de reſurrectionis veritate, non vacillet veſtra ea de re fides, ſed huic ſententiæ firmiter inſiſtite: Verum cum doctrina de reſurrectione fidelium ſit fundamentum totius Chriſtianæ religionis, eaque ſtabilita ſtabiliatur illa ipſa religio, cadente concidat; jure potuit apoſtolus, demonſtrata reſurrectionis illius veritate, monere Corinthios, ut in religione Chriſtiana firmiter perſiſtant, & fidem quam ei adhibuerant, conſtanter tueantur.

Altera exhortationis pars, qua Corinthios ad pietatem morumque ſanctimoniam ducit apoſtolus, iſtis exprimitur verbis: *abundantes in opere Domini ſemper.* Ipſam vitæ pietatem exprimit per *opus Domini*; per *opus* non unum tantum aliquod opus actionemve deſignans, ſed totum, ut ita dicam, negotium, ex multis actionibus, ad eundem ſcopum ſpectantibus conſtans. Sic enim non ſemel uſurpatur vox operis, præſertim cum ad eos refertur, qui aliquo funguntur officio ſeu miniſterio, ita ut poſſis pro ipſa muneris functione ſumere. Sic ſumitur Marc. 13. verſ. 34. ubi dicitur, *quendam peregre abeuntem unicuique ſervorum dediſſe opus ipſius*, id eſt, certam aliquam functionem ac munus, quod interea obiret. Sic Joh. 4. verſ. 34 ait Chriſtus, *hunc eſſe cibum ſuum, ut faciat voluntatem ejus, qui miſerit ipſum, & perficiat ipſius opus*, hoc eſt, functionem ſeu munus exequatur ſibi ab eo demandatum. Hoc modo etiam cap. 6. verſ. 29 fides in Chriſtum dicitur *opus Dei*, hoc eſt opus a Deo mandatum. Fides autem totam ibi pietatem in ſe complectitur. Vide etiam Actor. 13. 2: & 14. 26: & 15. 38. Sed, ne longe abeamus, habemus exemplum in hac ipſa epiſtola capite ſequente, verſ. 10, ubi ait apoſtolus de Timotheo, *eum opus Domini operari, quemadmodum & ipſe*, hoc eſt Domino miniſtrare in prædicando euangelio, & munere ſacro fungi. Sed

quia ibi

quia ibi ſermo eſt de peculiari quadam functione ac miniſterio ſacro; hic vero, nimirum cap. 15, de officio omnibus Chriſtianis communi: ideo hic laxius, ibi ſtrictius opus illud ſumitur.

Vocat autem *opus Domini*, ut ab operibus & functionibus profanis aut vulgaribus, & cum religione nihil commune habentibus, id ſecernat. Id enim intelligit opus, quod a Domino Jeſu præſcriptum ſit, quodque ipſi vehementer probetur; vel ſimpliciter, quod ad Dominum ſpectet: ut ita intelligant, non id ſe poſtulare, ut in aliis vitæ muniis ſint diligentes ac aſſidui; ſed ut in munere Chriſtianis hominibus peculiari, ut id diligenter exequantur, quod a Domino Jeſu ipſis ſit præceptum, quodque ad ejus cultum miniſteriumque pertineat. Per *Dominum* enim hic Chriſtum intelligi vix opus eſt monere. De phraſi nihil eſt opus amplius dicere, cum jam tria adduxerimus loca, ubi ſimilis eſt loquendi ratio: ut, cum fides dicitur *opus Dei* Joh. 6. id eſt, a Deo præſcriptum eique vehementer placens: & cum Chriſtus officium ſibi a Deo mandatum vocat *opus illius, qui ſe miſerit*: & Paulus id quod Timotheo erat demandatum a Chriſto, ſeu quod ad Chriſtum ſpectabat, *Domini opus* appellat.

Requirit autem apoſtolus non opus tantum ipſum, ſed & operis perfectionem & conſtantiam. Perfectionem, cum dicit: *abundantes in opere Domini*. Abundantia illa vel ſimpliciter tantum ſignificat copiam bonorum operum, ſeu pietatem omni bonorum genere exuberantem, nulla habita ratione profectus majoris ac progreſſus, qui in pietatis ſtudio indies fiat; vel etiam intelligi poteſt incrementum ac progreſſus. Sed prius eſt veriſimilius. Alio enim potius verbo uſurus videtur fuiſſe apoſtolus, ſi profectum notare voluiſſet. Vox enim περισσεύειν per ſe non niſi abundantiam denotat; non vero profectum, niſi fortè ex eventu, vel propter aliud aliquod vocabulum additum, ut ad Phil. 1. 9: & 1 Theſſ. 4. 1.

Conſtantiam autem denotat verbo *ſemper*, ne putent licere hic interjungere, & pietatis laborem jucundo quodam ocio intercidere. Verba quidem apoſtoli ita ſunt accipienda, prout humana fert imbecillitas, quæ ne Chriſtianos quidem prorſus deſerit; nec credendum, eum non ſemper abundare in opere Domini, qui nonnunquam ex incogitantia vel fragilitate aliqua labitur, nec ita plenam pietatis menſuram affert: ejus enim rei Deus ex ſua benignitate rationem non habet, ſed id ſpectat, quod utplurimum fit, ſed ita tamen, ne unquam conſilium ſit adverſus divina mandata delinquendi. Animus ac conatus recte agendi perpetuus eſſe debet, ſeu mavis, conſilium recte ſemper agendi in Chriſtiano eſſe debet; in factis autem ipſis tanta conſtantia, quantam ſpes immortalis vitæ, & ſpiritus Chriſti in hac imbecillitate naturæ noſtræ efficere poteſt. Simili ratione in re contraria vox *ſemper* accipitur Act. 7. 51, ubi Stephanus objicit Judæis, *vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis, quemadmodum patres veſtri & vos.*

Supereſt ratio, qua exhortationem firmat apoſtolus, his verbis innexa: *Scientes, quod labor veſter non ſit vanus in Domino.* A fructu atque utilitate ingenti argumentum petit. Nihil enim validius ad laborem, præſertim ſponte ſuſcipiendum, allicit, quam fructus, ſeu certa illius ſpes. Fructum autem ita exprimit, ut minus dicat, quam intelligi debeat, per meioſin, cum dicit; *laborem noſtrum non fore vanum* ſeu irritum ac fruſtraneum, cum hoc dicere velit, maximum illos reportaturos ſui laboris præmium. Exprimit autem ſtudium pietatis laboris nomine, ut indicet, rem per ſe adeo non eſſe facilem, ſed laborioſam, ſed talem, in quam omnes nervos vireſque omnes intendas: ſed laborem hunc ſpe præmii nos ſolari debere.

Verba *in Domino*, dubium eſt, quo pertineant, utrum ad prædicatum enunciationis apoſtolicæ, cui proxime adhærent; an vero ad ſubjectum, a quo per trajectionem quandam ſint divulſa. Illo modo intelligitur, Domini ope laborem noſtrum non fore irritum: ſive Deum ipſum intelligas, cum articulus in Græco voci Κυρίῳ non ſit præfixus; quem hoc nomen amat aſſumere cum Chriſtum denotat, niſi dicas, in hac ipſa phraſi, *in Domino*, quæ creberrime occurrat, frequenter abeſſe articulum, etiamſi Chriſtus intelligatur Rom. 14. 14: XVI. 2, 8, 11, 12, 13. 1 Cor. 7. 22, 39: IX. 1, 2. Semel enim tantum in hac epiſtola ad Deum ipſum refertur: ſi eum excipias locum, ubi veteris teſtamenti locus, vel potius loci ſententia citatur. Et hic quidem extat in ultimis capitis 1 verbis; ille verſ. 11 cap. 11. Sed quia hæc phraſis fere ſolet ſignificare qualitatem & affectionem quandam rei, ac ſæpe ſolet ſignificare, Chriſtiano more; vel ſecundum Chriſti præſcriptum; vel in negotio Chriſti, ideo conſentaneum eſt, potius ad ſubjectum hujus enunciationis pertinere, quaſi dicat, laborem hunc, quem in negotio Chriſti, ſeu in opere illo Domini, ad quod modo hortatus fuerat, exantlemus; hunc, inquam, non fore irritum: quaſi tacite innueret, multa ſæpe ſuſcipi & gravia, in quibus vehementer deſudemus, ſed nullo cum fructu: at laborem hunc, quem operi Chriſti impendas, nulla ratione infructuoſum fore.

Non ſimpliciter autem id aſſerit, ſed certitudinem quam Corinthii jam teneant rei exprimere volens, dicit; *Scientes, quod labor is non ſit futurus irritus.* Scientes, inquam, ex hoc ipſo, quod huc uſque diſputatum eſt. Si enim reſurrectio fidelium ſupereſt, certiſſimum etiam reſtat pietatis noſtræ præmium. Id ergo reliquum eſt, ut nos quoque in religione Chriſtiana conſtanter perſiſtentes, ſpe certiſſima immortalitatis pleni in opere Jeſu Chriſti ſemper abundemus. Quod quidem faxit Deus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem victoriam nobis de morte certam dedit; per quem etiam ipſi debetur honor & gloria ſeculis nunquam finiendis. Amen.

COM-

# COMMENTARIUS

## *In Epiſtolam Pauli Apoſtoli.*

## *AD*

# GALATAS.

---

### *AD LECTOREM PRÆFATIO.*

NOn pauca hucuſque ex Eccleſia noſtra prodierunt ſcripta, in quibus controverſa quædam in Chriſtiana religione dogmata, variis diſputationibus agitantur: Ea vero quæ juſtam aliquam Theologiæ partem docendo pertractarent, ſane quam nos vellemus pauciora. Quod non ulla ſcriptorum Eccleſiæ noſtræ incuria aut negligentia factum eſt: ſed quadam neceſſitate; quod viderent evellendas ſibi primum eſſe ex Eccleſiæ agro malas & noxias errorum herbas, divinæ gloriæ hominumque ſaluti multum obſtantes, quæ tot ſeculorum lapſu in immenſum excreverant, & alte radices egerant, ut eum puro divinæ veritatis ſemine tanto commodius poſſent cenſere; præſertim cum ipſa erroris evulſione, veritas perſæpe inferatur. Neceſſitatem vero hanc auxit adverſariorem pervicacia, qui evidentiſſimæ veritati, & clariſſimis Scripturæ teſtimoniis cedere nolentes, ſubinde ſumpto erroris patrocinio deſcenderunt in certamen, & editis in lucem libris nos provocarunt, id quod etiamnum faciunt. Verum quia, & tam multa jam contra varios errores pro veritate a noſtris ſunt diſputata, ut viri cordati vix quidquam amplius deſiderare merito poſſint, ac rudioribus tantum ſuppetiæ ſint adhuc ferendæ; tempuſque eſt, ut tandem poſt monſtratos errores magis magiſque lucis ſuæ radios divina explicet veritas; & modus præterea aliquis continuis diſputationibus eſt ponendus, ne Theologia, quæ inprimis ſancte vivendi ars eſt, in diſputationem vertatur, diſcantque homines diſputare magis quam vivere: idcirco animus eſt, paulatim etiam, quantum per varias occupationes, quas communis Eccleſiæ res expoſcit, licebit, in ea ſcripta incumbere, quæ ſine certamine ſimplex verum, ad mores Chriſtianorum hominum emendandos maxime ſpectans, proponant. Iam vero quid hujus generis eſt, quod cum ſacrarum literarum, quibus ipſiſſima Chriſtianæ religionis veritas æternitati conſecrata eſt, genuina explicatione poſſit conferri? Nam cum *omnis ſcriptura*, teſte Paulo, *divinitus eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam quæ eſt in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne bonum opus exacte inſtructus*; tum inprimis id in ſcriptura, quam copioſus ille N. Fœderis ſpiritus, Jeſu Chriſti ſervis & apoſtolis dictavit, locum habet. In hac teconditi ſunt divinæ illius ſapientiæ, humano generi per Chriſtum patefactæ, & omnibus retro ſeculis ignoratæ,

theſauri. In hac quicquid nos præter antiqui fœderis ſcripta ſcire ad ſalutem conſequendam voluit, divinus ſpiritus depoſuit. Quocirca qui in hujus ſenſibus & myſteriis eruendis ac in lucem proferendis operam ponit, is profecto de communi hominum ſalute præclare meretur. Nec quidquam, ſive ad errores penitus diſſipandos, eorumque fibras radicitus evallendas, ſive ad exrirpanda vitia, & reſtituendum priſtinum eccleſiæ decus, efficacius eſſe poteſt, quam in apertum producta ſcripturæ mens & ſententia. Ad hujus conſpectum, errorum umbræ diffugiunt, & veluti ſua ſponte evaneſcunt: ſic ut illæ ipſæ controverſiæ, quæ tantopere eccleſiam fatigant, nou alia ratione melius decidi & componi, quam germano Scripturæ ſenſu prolato poſſint. Hunc ſi quis medullitus imbibit, ne ille vividiſſima fidei illius per charitatem efficacis, (quæ ſola in Chriſto Jeſu utramque paginam facit) ſemina animo concepit, quæ in lætiſſimam bonorum operum ſegetem, quam ſalutis æternæ meſſis haud dubie conſequetur, exuberent. Magna Chriſtianorum pars, quoties premi ſe ſcripturæ teſtimoniis vident, vel invitam ac reluctantem in opinionum ſuarum leges cogunt, obſcuram eam eſſe prætendunt, ut in his obſcuritatis veluti latebris deliteſcere poſſint: quoties vero ne in ſpeciem quidem ſcripturæ auctoritatem dogmatibus ſuis poſſunt obtendere, cumulant injuriam, & mancam inſuper ac mutilam eſſe dicere non verentur. Ab his quoque injuriis ac contemptu, non alia ratione melius vindicari ſcriptura poteſt, quam dextra & dilucida explicatione. De obſcuritate enim amplius conqueri non poterunt, cum ita fuerit explicata, ut & verba & ſcopus, antecedentia & conſequentia in eum, qui monſtratur, ſenſum conſpirent. Nam etſi ſcriptura multis in locis obſcura eſt, ſive ob rerum, ſive ob verborum ac phraſium difficultatem: in pleriſque tamen obſcura non eſt, niſi iis qui tenebras amant, & ne lucem aſpicere cogantur, oculos de induſtria claudunt, aut ſaltem præjudicatis opinionibus ceu faſcino quodam dementati ſunt. Ex clarioribus autem obſcura lucem accipient, & illis in horum explicatione animus tanquam facula facile dirigetur. Quod ſi adeo ſint obſcura quædam, ut oculis animi ſine peculiari revelatione pervideri nequeant: at ſine ſalvificæ veritatis jactura ignorari poſſunt. In iſtis enim obſcuritatibus, non illa quæ ad ſalutem omnino ſunt neceſſaria, quæ omnibus obvia & expoſita eſſe debent, ſpiritus ſanctus occultavit, ita præſertim ut alibi ea clariſſime non expreſſerit: ſed fere altiora quædam myſteria profundius demerſit, ut noſtram induſtriam exerceret. Ideoque qui a claris & perſpicuis ad obſcura confugiunt, ut illis ſuas opiniones tegant, quas pro neceſſariis ad ſalutem inculcant, illi quid aliud faciunt, quam in tenebris præſidium quærunt? Nec mancam ac mutilam, Scripturam S. dicet, qui in ſanctiſſima ejus penetralia admiſſus, tantam, tam variam ac multiplicem divinæ ſapientiæ copiam attonitus illic ſpectabit. Videbit illic ſpiritualem illum ac rationalem cultum ad amuſſim expreſſum; videbit fidei in Deum & Dominum Jeſum, charitatis in proximum, exacta veſtigia, quibus ſi greſſus infigat ſuos, haud dubie illuc ubi juſtitia habitat penetrabit. *Nos enim*, inquit in hac, quam damus

mus ad Galatas epiſtola, Paulus univerſam Chriſtianorum religionem in compendium quoddam redigens, *ſpiritu ex fide*, nempe ea *quæ per charitatem eſt efficax*, ut mox explicatius loquens addit, *ſpem juſtitiæ expectamus*. Agnoſcet, nihil ſibi deeſſe poſſe, ſive ſalutari myſteriorum divinorum cognitione imbui deſideret; ſive in juſtitiæ tramite dirigi cupiat; ſive verum ac ſolidum animi ſolatium quærat; ſive denique reprehendi ac redargui mereatur. Agnoſcet, ſe ita probe ex ejus diſciplina, ſi ei animum plane ſubmiſerit, prodire inſtructum, ut ad omne bonum opus exacte efformatus ſit. Quocirca cum tantus ſit explanationis ſacrarum literarum uſus, huc inprimis omnes animi igeniique vires, omnem operam & ſtudium conferre decet, ut ſcripturæ ſacræ mens & ſententia cunctis pateſiat. Quod cum in poſterum nobis quoque divina ope accedente cordi erit: tum hoc etiam tempore, experimentum quoddam ejus rei facturi, commentarium hunc in brevem Pauli ad Galatas epiſtolam veluti in anteceſſum damus, plures, Deo annuente, in prolixiora etiam iſtius apoſtoli, aliorumque divinorum virorum ſcripta daturi. In quo Commentario, omni ſtudio allaboravimus, ut & verbis & ſcopo apoſtoli quam maxime congruum & convenientem ſenſum ſequeremur, qui ſuis veluti lineamentis ſe genuinum eſſe proderet. Controverſias autem & certamina, quemadmodum & reprehenſiones aliorum, qui ſacras literas explicarunt, ſedulo vitavimus. Nam & controverſiarum abſtinentiam, quoad ejus fieri poteſt, in his ſcriptis profeſſi ſumus; ſolam veritatem, quæ ſimul etiam falſi index eſt, exponere contenti; & aliorum errores præter neceſſitatem caſtigare, quos tegere potius monet charitas, eorum præſertim, qui nobis in hac glacie frangenda præiverunt, & ſuis laboribus viam ſtraverunt, & ingratorum eſt, & ambitioſorum, & ſe quoque errare ac reprehendi ab aliis poſſe immemorum; quod ſi errorem alicujus tangere neceſſarum duximus, id ſemper fere ſuppreſſo nomine fecimus. Quid autem præſiterimus, tuum erit, benevole lector, judicare. Utinam eum ſaltem hæc opera noſtra habeat uſum, ut alii, ea provocati & aliqua ratione adjuti, aliquanto diligentius, quam hucuſque factum videtur, ſacrarum literarum ſenſa inquirant atque expendant. Porro Commentarii iſtius natales & ortum accipe. Johannes Crellius frater meus, idemque collega in Domino chariſſimus, Theologiæ ſtudioſis hanc epiſtolam viva voce ſine ſcripto explicuit: lectionibus iſtis & ego interfui. Ubi reditum erat domum, ne ea quæ dicta eſſent oblivione effluerent, aut ſaltem intra privatum paucorum uſum deliteſcerent, ſumpto in manus ſtylo, literis illa mandabam. quæ deinde eidem collegæ meo relegenda & recognoſcenda tradebam, ut is, quandoquidem ex ejus potiſſimum lectionibus hauſta eſſent, ubi viſum foret, ea vel mutaret, vel etiam augeret. Itaque commentarius iſte ab illo primum veluti genitus & efformatus, & multis in locis auctus, a me vero primum ſuſceptus, & in lucem editus eſt; ut non immerito illum quidem ejus patrem, me vero matrem tantum ac nutriculam nominare poſſis. Quicquid autem a nobis vere & ex ſenſu Apoſtoli dictum eſt, ſicubi deprehenſa &

verbis prodita veritas, id totum uni Deo Patri noſtro, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, in ſolidum vindicamus, ſine cujus numine & auxilio omnes noſtræ vires caſſæ ſunt: huic omnis iſtius rei gloria debetur. Eundem ſupplices veneramur, ut auream illam & priſcam veritatem, qualis primitus in eccleſia viguit, & ſacrarum deinde literarum intemeratis monumentis conſignata eſt, indies magis magiſque orbi reſtituat, ut ejus clariſſima luce ubique diffuſa, omnes errorum & vitiorum tenebræ longe recedant, earumque loco regnet inter omnes juſtitia, pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Faxit idem ut noſter hic labor in animis multorum hominum, & inprimis veritatis amantium, fructum aliquem ferat, quo aduberiorem Dei notitiam perducti, & ad omne bonum opus inflammati, Deo ſe penitus conſecrent, & ſic dignam hominibus Chriſtianis vitam ſummo ſuo bono inſtituant. AMEN.

*I. S.*

COM-

# COMMENTARIUS

## *In Epiſtolam Pauli Apoſtoli*

## *AD*

# GALATAS.

### *ARGUMENTUM EPISTOLÆ.*

SCopus iſtius epiſtolæ præcipuus facile intelligi poteſt ex occaſione, quam apoſtolus ad eum ſcribendam habuit. Ea erat, quod nonnulli falſi doctores in eccleſiis Galatiæ eſſent, qui licet Chriſtianam religionem profiterentur, adeoque fidem in Chriſtum abjiciendam eſſe non docerent; aſſererent tamen, fidem illam, utut cum virtute ac pietate conjunctam, qualem Paulus Galatas docuerat, ad juſtificationem ac ſalutem adipiſcendam non ſufficere. Eam enim ex operibus, ſeu obſervatione legis Moſaicæ eſſe petendam; ac porro etiam ceremonias, quas lex præciperet, ad ſalutem eſſe neceſſarias. Id quod nil erat aliud, quam cum Chriſto Moſen, cum euangelio legem quodammodo confundere; vel potius, ſi rem ipſam ſpectes, hanc in illius locum, cum utraque ſimul conſiſtere nequeant, ſubſtituere. Id igitur in hac epiſtola præcipue agit apoſtolus, ut doceat hominibus per fidem, non per legis opera quærendam eſſe juſtificationem, ac proinde ceremonis a lege præſcriptis, quas fides in Chriſtum haudquaquam exigit, ad ſalutem opus non eſſe; & porro Galatas, ne iis ſeſe mancipent, monet. Quia vero Paulus, tanquam gentium apoſtolus, quarum ad Chriſtum converſionem, jugum ceremoniarum legalium maxime poterat retardare, doctrinam illam apertius tradiderat atque urſerat, quam Petrus & alii quidam apoſtoli, qui Judæis potiſſimum euangelium prædicabant, & ne eos a religione Chriſtiana abſterrerent, ſuam ea de re ſententiam, quantum licebat, premebant: ideo falſi illi doctores, ut eam Pauli doctrinam convellerent, auctoritatem muneris ipſius apoſtolici elevare conabantur, eique Petrum & alios quoſdam apoſtolus non tantum præponebant, ſed etiam opponebant, tanquam contraria ipſi docerent, & legis Moſaicæ obſervationem ad ſalutem judicarent eſſe neceſſariam. Quapropter Paulus defenſionem doctrinæ illius orditur ab aſſertione muneris atque auctoritatis ſuæ apoſtolicæ; oſtenditque, cæteros apoſtolos ea in re ſibi nec præponi, nec opponi debere. Abſoluta autem principali tractatione, tranſit ſuo more ad hominum Chriſtianorum officia, & Galatas ad ea exequenda hortatur.

Dividi vero epiſtola hæc poteſt in tres partes: In exordium c. 1. uſque ad verſ. 6. ipſam tractationem a verſ. 6 cap. 1, uſque ad verſ. 11 cap. 6; & epilogum ſeu concluſionem. Ipſa porro tractatio rurſum in tres partes. In prima, auctoritatem ſuam apoſtolicam tuetur cap. 1. a verſ. 6. uſque ad verſ. 15 c. 2 (quanquam in ipſo etiam exordii limine obiter & veluti in tranſcurſu id facit:) In ſecunda docet, ex fide, non ex operibus legis, petendam eſſe juſtificationem a verſ. 15 cap 2 uſque ad verſ. 13 cap. 5; & doctrinam falſorum doctorum huic adverſam refutat. In tertia, ad Chriſtianam pietatem Galatas hortatur a verſ. 13 cap. 5 uſque ad verſ. 11 cap. 6.

### CAP. I.

#### *ARGUMENTUM.*

*Tres ſunt hujus capitis partes. Prima continet exordium epiſtolæ, uſque ad verſ. 6, conſtans inſcriptione potiſſimum ac ſalutatione; in quarum illa, muneris ſui auctoritatem velut in tranſitu aſſerit: in hac, doctrinæ ſuæ, quam in hac epiſtola defendit, fundamentum quoddam, licet aliud agens jacit, & adverſariorum calumniæ occurrit. Secunda pars capitis complectitur reprehenſionem tum Galatarum, a verſ. 6 uſque ad 10, quod a doctrina, quam ex ipſo didiciſſent, deſciſcerent; tum vero multo magis falſorum doctorum, qui eos a doctrina iſta abducere auderent. Adeo ut & occaſio hujus epiſtolæ ſcribendæ, & principale ejus argumentum hic contineatur. In tertia parte, qua priorem fulcit, auctoritatem ſuam doctrinæque ſuæ tueri incipit, a verſ. 10; & ſic nemini ab ea diſcedere, aut quacunque ratione eam convellere licere docet.*

Vſ. 1. PAulus apoſtolus. Vocat ſe apoſtolum ſuo more, ut doctrinæ ſuæ auctoritatem, quæ a falſis doctoribus impetebatur, ſtabiliat. Apoſtolorum enim, hoc

eſt, Dei ac Chriſti legatorum, ad evangelium prædicandum miſſorum, doctrinam rejicere, & in dubium vocare, Chriſtianis nefas, atque adeo nemini fas erat. Verum ne falſi iſti doctores cauſarentur, eum non fuiſſe divinitus miſſum, nec cum cæteris apoſtolis conferendum, utpote qui hominum auctoritate ac voluntate, vel ſaltem hominis alicujus mortalis opera interveniente, non vero per ipſum Ieſum Chriſtum, ut cæteri apoſtoli, ad docendum inſtructus ac delegatus eſſet: cui opinioni id præbere poterat occaſionem, quod Chriſto jam terris exemto docendi munus ſuſcepiſſet: ſecus quam cæteri apoſtoli, quos ab ipſo Chriſto in terris verſante delectos eſſe conſtabat.

Propterea ſtatim huic opinioni atque objectioni occurrens, addit: *non ab hominibus*, (*a*) ſcilicet conſtitutus aut factus, nempe apoſtolus: non hominum auctoritate ac juſſu euangelium doceo, tanquam ab iis in hunc finem miſſus.

*Nec per hominem*, id quod minus eſt. poſſet enim aliquis divina auctoritate ac juſſu, ſed tamen per hominem aliquem, ad docendum mitti. At ne id quidem factum in ſe eſſe docet, ſic ut ne per hominem quidem, nempe vulgarem aut mortalem, hoc munus ſibi a Deo fuerit demandatum. (*b*) His ergo amotis, verum legationis ſuæ auctorem exprimit, nempe Chriſtum, & porro ipſum etiam Deum. Chriſtum priori loco collocat, tanquam propiorem, ſeu immediatam, ut loquuntur, vocationis ſuæ ad munus apoſtolicum cauſſam, opponens eum propioribus verbis *per hominem*, quibus cauſſa media deſignatur: Deum autem Patrem tanquam primam, atque adeo remotiorem ejuſdem vocationis cauſſam poſteriori loco collocat, opponens eum verbis prioribus *ab hominibus*, quibus cauſſa principalis deſignatur. Retrogrado enim ordine poſterius antitheſeos membrum proponit, propius propiori, remotius remotiori opponens.

Ait igitur, *ſed per Ieſum Chriſtum*; ſcilicet apoſtolicum munus mihi demandatum eſt: quaſi dicat (*c*) non ſum hac in parte cæteris apoſtolis inferior, ac ſi illi quidem per ipſum Chriſtum, ego vero per hominem aliquem ad annunciandum euangelium legatus fuerim; quandoquidem & ego per eundum Chriſtum ad docendum ſum miſſus. (*d*) Dum autem Chriſtum homini opponit, hominem, ut indicavimus, vulgarem, & cæterorum hominum ſimilem intelligit. His enim Chriſtus, licet & ipſe cæteroquin homo ſit, merito opponi poteſt: utpote qui ex reliquorum omnium hominum cenſu, tanquam unigenitus Dei filius, atque adeo Deus, etiam cum in terris exiſteret, exemtus fuit: nunc vero multo magis, poſtquam immortalitatem ac gloriam cæleſtem adeptus, ſupremo in omnes homines imperio gaudet. (*e*) Sic Iudices ac Magiſtratus, ex hominum numero, ab ipſo Deo quodam modo eximuntur, cum ita eos alloquitur: Pſalm. 82. 6, 7: *Ego dixi, dii eſtis, & filii excelſi omnes: verumtamen ut homines moriemini*, id eſt, quemadmodum & alii vulgares homines. Sic & Samſon dicit Judic: 16. 7, 11, 17, ſe fore ut unum hominum, ſcilicet vulgarium. Quod ſi hi potuerunt ex hominum numero quodammodo eximi, quanto magis Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula? Rom. 9. 5, vide infra verſ. 11, ubi Chriſtus itidem homini opponitur.

*Et Deum Patrem.* hoc eſt non homines, ſed Deus eſt prima ac princeps mei apoſtolatus ſeu legationis cauſa. Pendet hoc membrum ab eadem particula διὰ, id eſt per: (*f*) Sed ipſa oppoſitio indicat, particulam iſtam alio ſenſu de Chriſto, alio de Deo intelligendam eſſe. Cum ad Chriſtum refertur, cauſam mediam notat, quemadmodum & iſtud *per hominem*, cui verba *per Jeſum Chriſtum* opponuntur: cum vero ad Deum Patrem refertur, cauſam deſignat principalem, ut indicant verba *ab hominibus*, quibus iſtud, *per Deum Patrem*, ſimiliter opponitur.

*Qui excitavit ipſum ex mortuis.* (*g*) Hac Dei deſcriptione, ea potiſſimum de cauſa uſus fuiſſe videtur apoſtolus, ut ipſius Chriſti & ejus legatorum, ac porro etiam ſuam doctrinam commendaret, & oſtenderet, inter Chriſtum legatoſque ejus, & inter Deum, ſummum eſſe conſenſum: (*h*) ſiquidem is Chriſtum a mortuis ad ſempiternam gloriam reſuſcitarit, & ſic univerſam ejus doctrinam mirifice confirmarit, ſeque ejus auctorem eſſe apertiſſime oſtenderit. quod propter Judæos inprimis, inculcandum erat, qui legem quidem a Deo profectam, euangelium autem humanum commentum ac divinæ voluntati adverſum eſſe dictitabant.

verſ. 2. *Et qui mecum ſunt omnes fratres.* (*i*) Conjungit ſecum fratres: quia illi ipſi, ut apparet, partim ſui erga Galatas affectus, partim ſui cum Paulo in doctrina conſenſus, indicium in hac epiſtola extare voluerunt. Id quod Paulus ad Galatas ab errore revocandos, judicavit aliquid ponderis habiturum. Fratres autem iſti, Romani fuiſſe videntur. (*k*) Apparet enim, hanc epiſtolam poſt omnia tempora, quibus inter gentes prædicandi euangelii cauſa, fuerat libere verſatus, ſcriptam fuiſſe. Quare niſi quis dicere velit, eam fuiſſe ſcriptam ex itinere Hieroſolymitano, aut Cæſarea, ubi captivus per tempus aliquod fuit detentus Act. 23; concludendum videtur, eam Romæ ſcriptam: quemadmodum etiam habent veteres ſubſcriptiones. Nam ex cap. 2 conſtare poteſt, hanc epiſtolam eſſe ſcriptam poſt eleemoſynam inter fratres gentium exterarum, pro pauperibus Hieroſolymitanæ eccleſiæ collectam. Dicit enim ibi verſ. 10 ſe ſtuduiſſe id facere, quod apoſtoli eum Hieroſolymis monuerant, nempe, ut pauperum eſſet memor; loquiturque de hoc ſtudio tanquam de re præterita. At quamdiu apoſtolus inter gentes libere & ſine vinculis fuit verſatus, nunquam hoc ſtudium depoſuit. (*l*) Non meminit quidem expreſſe vinculorum ſuorum, quorum alias meminiſſe ſolet: propterea fortaſſis, quod ea Galatis, qui ab ejus doctrina deſciſcere cœperant, & apoſtoli adverſariis favere, non admodum curæ eſſe putaret; præſertim cum ea potiſſimum de cauſſa illa ferret, quod defectionem a lege Moſaica docere videretur. Sed tamen, cum infra ait, ſe *ſtigmata Chriſti in corpore ſuo geſtare*, videtur etiam vincula ſua, ad adverſarios, ne ſibi moleſti eſſe pergerent, monendos, complexus fuiſſe. qua de re ſuo loco.

(*a*) *Apoſtolatus Pauli non humanus:* (*b*) *Sed divinus.* (*c*) *Paulus parcæteris apoſtolis.* (*d*) *Chriſtus opponitur homini.* (*e*) *Homo pro vulgari homine.*

(*f*) *Per, aliter de Deo, aliter de Chriſto.* (*g*) *Patris deſcriptio, quod Chriſtum reſuſcitavit.* (*h*) *Deus religionis Chriſtianæ auctor* (*i*) *Cur fratres ſecum junxerit Paulus.* (*k*) *Quando & ub. hæc epiſtola ſcripta.* (*l*) *Vinculorum ſuorum cur aperte in hac epiſtola non meminerit Paulus.*

Eccle-

*Eccleſiis Galatiæ.* Apparet hinc plures fuiſſe in ea regione eccleſias, nec unam aliquam nominatim, ſed vel omnes vel pleraſque a falſis iſtis doctoribus fuiſſe turbatas, & aliqua ratione jam corruptas. Quare unam epiſtolam ad omnes ſcribendam ſibi putavit apoſtolus.

Verſ. 3. *Gratia vobis & pax.* (*a*) *Gratia*, id eſt, favor, intellige Dei & Chriſti, ut ex ſequentibus apparet.

(*b*) *Pax* Hebraico more, felicitatem, ſalutem, omnia fauſta ſignificat: ut vel ex ſalutatione Hebræis uſitata, *pax tibi* aut *vobis*, notum eſt. *Gratia* cauſam deſignat, *pax* ejus effectum. Pacis igitur nomine, non tantum futuræ, ſed & præſentis vitæ felicitas, quanquam ea potiſſimum quæ ſpiritualis eſt, & cum cæleſti illa conjuncta, intelligitur. Nam & ipſa verba tale quippiam ſignificare videntur, quod etiam in hac vita ex Dei ac Chriſti favore in fideles dimanare debeat; & Petrus 2 Petr. 1. 2 in ſimili ſalutatione optat, ut fidelibus pax multiplicetur, ſeu augeatur, quod de felicitate fidelium in genere, non vero nominatim de ea, quæ in futura vita illis obveniet, dictum fuiſſe, quivis cernit.

*A Deo patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Duas exprimit perſonas, a quibus iſta precatur: (*c*) Deum patrem, intellige Chriſti & noſtrum, tanquam primam; & Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, tanquam mediam felicitatis noſtræ cauſam: ſeu, ut apoſtoli noſtri verbis id explicemus 2 Cor. 8. 6, Patrem, tanquam illum ex quo omnia; Jeſum Chriſtum, tanquam eum per quem omnia. Utrumque autem peculiari dignitatis atque honoris titulo ornat, & illum quidem *Deum πατέρα ἐξοχήν*, hunc vero *Dominum noſtrum*, ut & alibi, appellat. (*d*) quia Pater eſt Deus ille ſummus, qui a ſeipſo in omnia habet imperium: (*e*) Chriſtus vero is, per quem Deus omnia gubernat, quemque inſignite eccleſiæ ſuæ dominum ac caput omnibus in rebus conſtituit. Unde non ſemel, Patrem quidem *unum Deum*, Chriſtum *unum Dominum* vocat apoſtolus 1 Cor. 8. 6: XI. 5, 6. Eph. 4. 5, 6. (*f*) A ſpiritu ſancto, nunquam quicquam precatur, ſed alicubi ejus tantum communionem ſeu participationem fidelibus optat, hoc eſt, ut ejus participes vel fiant, vel eſſe pergant, precatur 2 Cor. 13. 13. Obſervandum autem eſt hoc loco, ad vocem patris non addi in Græco, pronomen *noſtro*, ἡμῶν, quod in hujuſmodi ſalutationibus ab apoſtolo ſæpius videmus additum. (*g*) Qua voce nonnulli abuſi, qui invocationis honorem Chriſto ademerunt, auſi ſunt loca, in quibus ea extat, ſic interpretari, quaſi dictum eſſet: *Gratia & pax a Deo Patre noſtro, & Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ut apoſtolus a Patre tantum, non vero etiam a Chriſto gratiam & pacem precari videretur. Sed præterquam, quod minime conſentaneum eſt, Paulum, cum vellet Deum, & Chriſti & noſtrum patrem appellare, prius noſtrum, quam Chriſti patrem dixiſſe; hic locus, & alii ſimiles, in quibus vox ἡμῶν omiſſa eſt, hujuſmodi interpretationem prorſus excludunt. Non enim aliter verti poſſunt, quam, *Gratia & Pax a Deo Patre & Domino*, vel *Domino noſtro Jeſu Chriſto.* (*h*) Unde ſimul & dominium Chriſti in eccleſiam, rerumque ad eam pertinentium cura, quam in cælis degens gerat, intelligitur: & invocationis honor ei aſſeritur. Votum enim hujuſmodi, precatio eſt, (quanquam indirecte facta) qua a Deo & Chriſto, quem ea, quæ fidelibus eveniant, ſcire, & hujuſmodi vota audire atque intelligere, tum aliunde, tum ex his ipſis verbis, quibus ei cura eccleſiæ tribuitur, ſatis perſpici poteſt, gratia & pax, hoc eſt, ut diximus, favor & ex eo manans felicitas petitur.

Verſ. 4. *Qui dedit ſeipſum pro peccatis noſtris:* (*i*) nempe in mortem, uſitata in ſacris literis ellipſi, tum in ſimplici *dandi*, tum in compoſito *tradendi* verbo, vid. Joh. 3. 16. Rom. 4. ult. VIII. 32. Epheſ. 5. 2. Tit. 2. 14. Ita autem Chriſtum deſcribit apoſtolus, ut tacite falſam de juſtificatione doctrinam, quam Galatæ arripuerant, evertat. Si enim Chriſtus pro peccatis noſtris eſt mortuus, quomodo per legis opera ſervamur? Cum opera legis, omnia peccata penitus excludant, & ſic mortem Chriſti ſupervacaneam reddant. Unde infra cap. 2. verſ. 21, uti videbimus, ait Paulus: (*k*) Si ex lege juſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt.

(*l*) *Pro peccatis* autem *noſtris* dicitur Chriſtus mortuus, quia ideo mortuus eſt, ut peccatorum noſtrorum reatum ac pœnas tolleret, ſeu eorum remiſſionem nobis ex divina benignitate pareret. Mortuus eſt enim, ut doctrinam ſuam, & quod in ea continetur, fœdus novum, quod remiſſionem peccatorum nobis pollicetur, (ſecundum illud, *Ero propitius iniquitatibus illorum*, &c. Jer. 31. 34. Hebr. 8. 12) ſtabiliret ac ſanciret, & ſic jus quoddam ad remiſſionem peccatorum obtinendam nobis compararet. Adde etiam, ut poteſtatem omnia nobis peccata condonandi, eorumque pœnas reipſa a nobis avertendi, adipiſceretur.

(*m*) *Ut eriperet nos ex præſenti ſeculo malo.* Finalem cauſam iſtius beneficii Chriſti notat, quæ eſt, non, ut nobis impune peccare liceat, quod fortaſſis falſi doctores, qui opera legis urgebant, objicere doctrinæ Pauli ſolebant: ſed ut jus remiſſionis omnium peccatorum adepti, ſancte & inculpate in poſterum vivamus: quandoquidem hac demum conditione peccatorum venia reipſa nobis contingit, ut inter alios docet Joh. 1 epiſt. 1. 6, 7. De eodem fine vide 2 Cor. 5. 15. Epheſ. 5. 25, & deinceps. Tit. 2. 14. Hebr. 9. 14. 1 Petr. 2. 24, 25.

(*n*) *Seculum malum*, ſunt homines hujus ſeculi, malis moribus præditi, homines vitiis corrupti & contaminati, quales quidem ſunt plerique in hoc ſeculo viventes. Mundus enim totus, ut Johannes ait, in maligno poſitus eſt 1 Joh. 5. 19. (*o*) Eripitur autem ex hoc ſeculo malo, qui ab iſtiuſmodi hominibus ſejunctus ac ſegregatus, aliam vitæ rationem Chriſti diſciplinæ conformem ingreditur: ſeu, ut alibi loquitur apoſtolus Tit. 2. 11 &c. abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, ſobrie, juſte, pie, vivit in hoc ſeculo. Confer cum hoc noſtro loco verba Actor. 2. 40.

*Secundum voluntatem Dei & Patris noſtri.* (*p*) Addit hoc apoſtolus, ne quis putet, Chriſtum quidem mortuum eſſe, idque eo conſilio, ut doctrinam ſuam de remiſſione peccatorum confirmaret, ſed non fuiſſe id Dei conſilium ac voluntatem, ut is eum in finem moreretur: ac proinde ex ejus morte colligi non poſſe,

(*a*) *Gratia.* (*b*) *Pax.* (*c*) *Pater prima felicitatis cauſſa, Chriſtus media.* (*d*) *Pater cur Deus appelletur.* (*e*) *Chriſtus cur Dominus noſter.* (*f*) *A ſpiritu S. nil precatur apoſtolus.* (*g*) *Error quorundam circa verſionem locorum ſimilium.* (*h*) *Chriſti dominium, eccleſiæ cura, invocatio.*

(*i*) Dare *pro dare in mortem.* (*k*) *Refutatur error Galatarum.* (*l*) Pro peccatis *quomodo Chriſtus mortuus.* (*m*) *In quem finem.* (*n*) *Seculum malum.* (*o*) *Ex eo eripi.* (*p*) *Ex Dei conſilio Chriſtus mortuus.*

ex operibus legis non eſſe petendam juſtificationem. His ergo verbis oſtendit apoſtolus, ipſius Dei conſilium ac voluntatem fuiſſe, ut Chriſtus eum in finem, de quo dictum eſt, moreretur.

*Dei & Patris noſtri.* Particula *&*, quemadmodum & alii notant, eſt ἐρμηνευτική, ſeu explicandi vim habet ut poſita videatur pro *id eſt*, ſeu mavis *qui eſt*: quaſi dicat, Dei qui eſt pater noſter. Non enim diverſas res connectit, ſed diverſas ejuſdem rei deſcriptiones, ſic & alibi ſæpe, ut 1Cor.2. 2. Eph.1.3,4,6. 1Theſſ. 1.3. III. 11. 1 Petr.1.3. 2 Petr.3.2. in verbis *Domini & ſervatoris.* Non fruſtra autem Deum hoc loco Patrem noſtrum vocat. Tale enim beneficium commemoravit, quod paternum ejus in nos affectum & amorem prorſus ſpirat, quod non ſolum remiſſionem omnium peccatorum nobis obtulerit, ſed eam etiam dira morte unigeniti filii ſui ſancire ac ſtabilire voluerit. Ideo etiam continere ſe non potuit, quin in laudes ipſius erumperet ℣ſ.5: *Cui gloria* &c. Hucuſque exordium.

Verſ. 6. *Miror quod tam celeriter.* Hic incipit altera cap: pars, in qua Galatas, ſed gravius falſos doctores, qui eos a ſincera euangelii doctrina abducerent, reprehendit, & ſic occaſionem ac principale hujus epiſtolæ argumentum exprimit. Reprehendit autem Galatas hoc loco lenius, & veluti oblique, dum eorum factum mirari ſe ait. Indicat enim, ſe longe meliora de iis ſperaſſe, atque adeo nunc præter opinionem ſuam accidere, quod adeo temere a veritate diſcedant. Duo in illis miratur, ac porro reprehendit apoſtolus; primum, quod ſeſe transferant ad aliud euangelium; alterum, quod tam celeriter, & adhuc fere ab incude apoſtolicæ doctrinæ calentes, id faciant. *Transferimini*, id eſt, transfertis vos ſeu deſciſcitis, & illo, qui vos in gratia vocavit, deſerto, ad aliud euangelium tranſitis. Paſſivum videtur poſitum pro reciproco, quod tamen etiam per neutrum efferri poteſt, idque Hebræorum more, apud quos verba conjugationis Niphal ita ſolent uſurpari. Exempla ejuſdem Hebraiſmi habes inter alia Act.2.41. XIII.46. 1Cor.7.10.11,15; ſed frequentiſſime in verbo ὑποτάσσω, hoc eſt ſubjici, quod ponitur pro *ſubjicere* ſe ſeu *obtemperare* Rom. 10.3. XIII.1,5. Heb.12.9. Jac.4.7: quemadmodum & ἀντιτάσσω *opponi*, pro *opponere ſe* ſeu *reſiſtere* Rom.13.2. Jac.4.6. v.6. 1 Pet.5.5: & ταπεινοῦσθαι *humiliari* pro *humiliare ſe* Jac.4. 10. 1 Pet.5.6; exempla etiã habebimus infra c.5.1,2,3.

*Ab eo qui vocavit vos in gratia Chriſto.* Hoc eſt ab ejus doctrina ſeu euangelio. Opponuntur enim hæc verbi illis, *in aliud euangelium.* Genitivus χριστοῦ in Græco, pro quo nonnulla exemplaria habent Θεοῦ, & cum participio καλέσαντος & cum voce χάριτι ſeu *gratia* jungi, ac proinde Latine tum per ablativum, tum per genitivum reddi poteſt. Sed ſi per genitivum reddatur, & cum voce *gratia* conſtruatur, difficilius erit ſtatuere, quis per eum qui Galatas vocarit, ſit accipiendus. Vel Paulus is erit, ut multi putant; vel, ut nonnulli, Deus, qui ſimplici *vocantis* nomine intelligi nonnunquam ſolet Rom.9. 12. 2 Theſſ.5.24, ut ſit infra c.5.8, & cui vocatio plerunque in ſcriptis apoſtolicis Rom.8.30. 1 Cor.1. 9. 1Theſſ.2.12. 2 Theſſ.2.14, & alibi, ut alii quoq; obſervarunt, tribuitur. Utrumq; aliquanto durius eſt. Paulo nuſpiã, uti nec alii cuipiam apoſtolorum, vocandi actio tribuitur; & prope nimium ſibi videretur tribuere apoſtolus, ſi diceret, Galatas a ſe deſciſcere ad aliud euangelium; quaſi ſcilicet ii Paulini antea fuiſſent. De Deo autem ſi ſermo eſſet vix videretur dicturus fuiſſe apoſtolus, eum *vocaſſe* Galatas *in gratia Chriſti.* Cur enim non potius diceret, vel ſimpliciter *in gratia*, vel *in gratia ſua*? quemadmodum infra ℣ſ.15 de eo ait: *qui* [me] *vocavit per gratiam ſuam.* Planior autem eſt ſententia, ſi vocem χριστοῦ per ablativum, ut nos una cum Syro interprete, Hieronymo, & Eraſmo fecimus, vertas, & cum participio καλέσαντος, hoc eſt *eo qui vocavit*, conſtruas.

*Vocat* autem nos Chriſtus, & per eum Deus, cum nobis æternam ſalutem immeritis, & de ea ne cogitantibus quidem offert, ad eamque capeſſendam nos invitat, de cujus vocis uſu monebimus adhuc nonnihil cap.5. 8.

*In gratia* vero, hoc eſt, cum gratia (nam *in* pro *cum* Hebraico more ſæpe ponitur. Vide inter alia Luc.4.32. Act.5.23. Rom.12.8. XV.27. 1Cor.1. 17. II.3. XV. 42, 43.) ſeu gratioſe nos vocat Chriſtus, quia vocatio ejus benignitatis pleniſſima eſt. Vocat enim nos ad æternam vitã per remiſſionem omnium peccatorum, quam nobis nomine Dei offert: vocat per fidem, non per opera: atque adeo modum nobis tradit juſtificationis conſequendæ mire benignum, omnis æquitatis pleniſſimum. Ideo autem ſic deſcribit Chriſtum, ut oſtendat Galatis quanto ſeſe bono ſponte ſua privent, atque inde temeritatem facti ſui agnoſcentes, reſipiſcant. A Chriſto enim in gratia vocante ſeſe tranſferebant, quia hunc, quem ille tradidit, gratioſiſſimum conſequendæ juſtificationis modum deſerebant, & ſeverum illum ac rigidum, qui in lege fuit traditus, amplectebantur, quandoquidem gratia illa opponitur rigori ac ſeveritati legis; quæ in eo conſiſtit, quod lex ad conſequendam juſtificationem, perfectam obedientiam requirebat: euangelium autem fide contentum eſt, ac proinde remiſſionem peccatorum continet. Lex opera etiam ceremonialia urgebat: euangelium ad ſolas virtutes & opera natura ſua honeſta ſine ceremoniis excitat.

*In aliud euangelium.* Ex falſorum iſtorum doctorum & Galatarum opinione, euangelium nominat eam doctrinam, quam iſti fuerant amplexi. Non enim revera aliud erat euangelium quam hoc, quod ipſe Galatas docuerat; ſed tantum a Galatis eſſe putabatur.

*Aliud* autem vocat, quia juſtificationis ac ſalutis aſſequendæ rationem tradebat ab ea diverſam, quam Pauli euangelium oſtenderat, ita quidem ut Pauli doctrinam convelleret. Paulus enim ſola fide ſine operibus legis homines juſtificari docebat: iſtud autem euangelium ſuppoſitium, opera legis adjungebat.

℣ſ.7. *Quod non eſt aliud.* Hęc verba duplici ratione accipiuntur ab interpretibus. Primum ut Paulus hujus Galatarum facti adeo temerarii rationem reddat, ita ut culpam ab iis quodammodo removeat, & in alios tranſferat, quaſi d. Cujus rei nulla alia eſt cauſſa, quam quod quidam ſunt, qui vos turbant; per metonymiam enim, id quod rei alicujus cauſa eſt, illam ipſam rem eſſe dicimus. Deinde ut hæc verba ſint quædam ſuperioris conceſſionis, qua uſus, *ad aliud Euangelium* Galatas ſeſe transferre dixerat, correctio, & erroris Galatarum reprehenſio: q.d. cum tamen revera non ſit aliud euangelium, nempe præter id, quod vobis per me prædicatum & per quod a Chriſto eſtis vocati: ſed tantummodo eſt, quidam ſunt, qui vos turbant, & verum Chriſti euangelium depravare atq; adulterare conantur, itaq; adulteratum pro ſincero Chriſti euangelio vobis obtrudunt. Neutra interpretatio ſpernenda eſt: quanquam utraque aliquid habet duritiei. Prior propter idipſum, quod verba *non eſt aliud*, ſumantur pro nulla hujus rei alia eſt cauſa; utut id in familiari ſermone non ſit inuſitatum.

Deinde

Deinde quod in ſequentibus *niſi quidam ſunt qui turbant vos*, ſubaudienda eſt particula *quod*, hoc modo: *niſi quod quidam ſunt*. Poſterior; quia pronomen *quod* referendum erit, non ad integram ſententiam, ut in priori explicatione contingit; ſed ad euangelium aliud, hoc modo: *quod*, ſcilicet euangelium aliud, *non eſt aliud*: cum dicendum fuiſſet; cum tamen non ſit aliud, Græce, μὴ ἄλλο ἄλλως. Adde quod εἰ μὴ, in ſeqq. accipiendum eſt pro ἀλλά, *ſed*. Quod licet in ſacris literis non ſit adeo inuſitatum, ut infra cap. 2. 16 docebimus: hoc tamen loco, in quo præceſſit vox *aliud*, nativam ſuam ſignificationem retinere videtur. Ita enim loquimur: *hoc nihil eſt aliud quam*, vel *niſi* &c. Οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς, [a] qui veſtram conſcientiam inquietant, & vobis perſuadent, adjungenda eſſe opera legis & ceremonias ad fidem in Chriſtum, ſi ſalvi eſſe velitis, nec patiuntur vos in ſalutari veritate acquieſcere.

*Et volentes pervertere euangelium Chriſti*, μεταστρέψαι, ſicut plane novam quandam & priori contrariam formam ſortiatur. [b] Dum enim docetur non ſufficere fidem in Chriſtum ad ſalutem & juſtificationem obtinendam; ſed præterea requiri, ut legis diſciplina ſervetur, quæ tum perfectam mandatorum divinorum obedientiam poſtulat, & ſic remiſſionem peccatorum excludit, tum ceremonialia quoque præcepta urget; an non ratio juſtificationis adipiſcendæ in euangelio Chriſti propoſita, ac proinde ipſum ejus euangelium pervertitur, & in aliam prorſus ac priori diſſimilem formam abit? Tollunt Chriſti euangelium, qui illud cum lege confundunt.

Verſ. 8. *Sed etſi nos*. Jam ſatis quidem indicarat apoſtolus, & graviter errare Galatas, qui aliud quoddam præter id, quod ab ipſomet acceperant, euangelium ſibi obtrudi paterentur, & eos qui id illis obtruderent, pro corruptoribus euangelii habendos, atque adeo minime audiendos eſſe: [c] nunc tamen apertius idem docet, & quo loco ii habendi, ac quantopere fugiendi ſint oſtendit, qui diverſam ab euangelio ejus doctrinam prædicare auſi fuerint. Ait igitur, *Etiamſi nos*, id eſt, ego Paulus. [d] Utitur numero plurali, etiamſi de ſe ſolo revera loquatur, quemadmodum etiam verſic. ſequente, cum ait: *quemadmodum prædiximus*. Quia ſupra fratres ſecum conjunxerat verſ. 2 fieri poteſt, ut id quod ipſi ſoli revera competebat, aut de ipſo ſolo revera intelligendum erat, de ſe & fratribus conjunctim, per communicationem rhetoricam efferat. Cæteroquin, hæc vel enallage erit numeri, pluralis nempe pro ſingulari; vel, ſi mavis, ſynecdoche, quam generis vocant; ubi nimirum plura individua pro uno ponuntur, quod ex eorum ſit numero. Eſt autem magna in phraſi emphaſis, tacitam ab imparibus argumentationem continens, quaſi dicat; [e] Non tantum iſti, qui vos turbant, & vobis novum quoddam euangelium proponunt, penitus rejiciendi ſunt: ſed ipſe ego, ſi idem facerem, prorſus tanquam exſecrabilis rejiciendus eſſem. nec ego tantum; ſed ſi vel angelus ex cælo idem faceret, eodem modo rejiciendus eſſet.

Voces *ex cælo*, non cum verbo *euangelizet*, ſed cum nomine *angelus*, conjungi debent: quaſi dicat, cæleſtis angelus, ut, *pater ex cælo*, eſt pater cæleſtis Luc. xi. 13. [f] Ad rem tanto magis exaggerandam, ac validius aſſerendam, conditionem ponit impoſſibilem. fieri enim non poterat, ut vel ipſe, vel angelus id faceret.

*Præter id quod euangelizavimus vobis*. [g] Vox *præter*, id omne includit, quod ab euangelio ac doctrina Pauli ita abludit, ut rationem juſtificationis ac ſalutis adipiſcendæ ab eo traditam mutet, & aliqua ſaltem ex parte evertat, quod fit, [h] cum vel quippiam docetur ei doctrinæ, quæ ad ſalutem cognitu eſt neceſſaria, aperte contrarium; quale verbi gratia eſt, Jeſum non eſſe Chriſtum; per eum peccatores juſtificari ac ſervari non poſſe: [i] vel etiamſi doctrinæ ad ſalutem cognitu neceſſariæ per ſe atque aperte non repugnet, ſed tantum ab ea diverſum ſit; tamen tanquam ad ſalutem neceſſarium proponitur, eaque ratione id, in quo ſolo apoſtolus ſalutis adipiſcendæ rationem collocarat, ad eam non ſufficere indicatur. [k] Id quod fit, cum ceremoniæ Moſaicæ, aut aliæ ab apoſtolis non præceptæ, tanquam ad ſalutem neceſſariæ urgentur. Hoc enim pacto via ſalutis adipiſcendæ, ſaltem ex parte mutatur, cum etiam in ea re ponitur, in qua eam apoſtoli non poſuerunt.

[l] Verumtamen cum videamus, eos fere omnes, qui ex Judæis Chriſtiani fuerant facti, tum temporis ceremonias legales tanquam ad ſalutem neceſſarias urſiſſe; quorum infirmitati, tum cæteri indulgebant apoſtoli, tum ipſe Paulus, qui omnia factus eſt omnibus, & Rom. 14 ſatis aperte indicavit, hujuſmodi ſententiam ſalutem nemini eripere: non eſt ſtatuendum, eum hoc loco omnes eos anathematis fulmine percutere, qui quacunque ratione aliquid docerent, præter id, quod ipſe docuerat, tanquam ad ſalutem neceſſarium: [m] ſed eos demum, qui non per merum errorum & ignorantiam quandam excuſabilem id facerent; [n] ſed neſcio qua auctoritate freti auderent ea tanquam ad ſalutem neceſſaria hominibus obtrudere, ſine quorum obſervatione apoſtolum ſalutem iis aperte pollicitum eſſe, non ignorarent. [o] Urgent hunc locum nonnulli contra pontificios, ad probandam ſcripturæ ſufficientiam: verum non vident, hic non loqui apoſtolum de ſcriptura, ſed de euangelii prædicatione, quam pontificii longe ſcriptura pleniorem eſſe omnino volunt. [p] Urgeri potius hoc loco debent, cum multa ejuſmodi præcepta tanquam ad ſalutem neceſſaria proponunt, quæ tamen in apoſtolorum doctrina minime fuiſſe comprehenſa ipſi agnoſcunt: [q] & quæ eccleſiæ traditiones aut præcepta vocant, atque ab apoſtolicis diſtinguunt. Si enim Pauli doctrina ad ſalutem ſufficiebat, neque tamen continebat eccleſiæ iſtas traditiones; quomodo traditones iſtæ tanquam neceſſariæ ad ſalutem proponi jure poſſunt? quomodo ii, qui id faciunt, anathematis fulmine non feriuntur?

[r] Neque enim jam poſſunt excipere, apoſtolum loqui de iis tantum dogmatibus, quæ ipſius doctrinæ adverſentur: ſe vero ſuamve eccleſiam non contraria doctrinæ apoſtolicæ tradere, ſed ei tantum aliquid addere.

[a] *Turbati a falſis doctoribus Galatæ.* [b] *Euangelium pervertitur additis legis operibus.* [c] *Falſi doctores quomodo Galatis fugiendi.* [d] *Paulus de ſe in plurali loquitur.* [e] *Nemini a Pauli doctrina licet recedere.* [f] *Hypotheſis impoſſibilis.* [g] Præter *doctrinam apoſtolicam ſunt:* [h] 1 *Quæ directe cum ea pugnant.* [i] 2 *Quæ indirecte.* [k] *Ceremoniarum neceſſitas ei contraria.* [l] *Non omnes eam urgentes damnantur.* [m] *Ignorantia quoſdam excuſat.* [n] *Arrogantia alios accuſat.* [o] *Pontificii hoc loco quomodo non urgendi.* [p] *Quomodo urgenda.* [q] *Traditionum eccleſiaſticarum neceſſitas convellitur.* [r] *Exceptio.*

(a) Etenim ne nunc illud urgeamus, multa eſſe in ipſorum placitis doctrinæ apoſtolicæ contraria; illud, quod largiuntur, ad eos convincendos nobis ſufficit. (b) Nam eo ipſo, quod aliquid præceptis ab apoſtolo traditis addunt, idque tanquam ad ſalutem neceſſarium proponunt, doctrinæ apoſtolicæ adverſantur, non minus, quam illi, qui ceremonias legales cum fide in Chriſtum omnino conjungendas aſſerebant. Eatenus enim tantum illi qui ceremonias legales urgebant, doctrinæ apoſtolicæ adverſabantur, quatenus aliquid illius præceptis, tanquam ad ſalutem neceſſarium addebant, & ſic id, quod apoſtolus ad ſalutem ſufficere affirmabat, ipſi ſufficere negabant. quod idem Pontificii, ſi non verbis, reipſa ſaltem faciunt.

(c) *Anathema eſto.* Anathema ſignificat rem devotam & exſecrabilem, quam contingere ſit nefas. Dicit ergo Paulus, ſiquis aliquid ejuſmodi euangelizaverit, ſive ego ipſe is ſim, ſive cæleſtis aliquis angelus; nulla perſonæ dignitas vel auctoritas obſtet, quominus anathema ſit. Quod ſi apoſtolus nec ſibi ipſi, nec angelo cæleſti eam reliquit facultatem, ut quippiam quacunque ratione contrarium ſuæ doctrinæ proponeret; quis tandem eam ſibi facultatem & auctoritatem ſumet? (d) Quicunque ergo doctrinam apoſtolicam, quatenus eſt ad ſalutem cognitu neceſſaria, vel directe evertit; vel aliquid ei ſciens prudens addit, tanquam itidem ad ſalutem neceſſarium; vel denique alia quavis in re ſciens prudens ſententiæ apoſtolicæ reluctatur, atque adeo arrogantia ac pertinacia hac in parte utitur, is hoc anathematis fulmen evitare non poteſt. (e) At qui vel rebus ad ſalutem neceſſariis imprudens aliquid addit, aut alia quapiam in re ad ſalutem cognitu non neceſſaria, ſententiam apoſtolicæ contrariam defendit; ſi mero errore id faciat, putetque ſe ſententiæ ſuæ auctores habere apoſtolos, iis protinus ceſſurus, ſi eorum ſententiam cerneret, nec auctoritatem aliquam infallibilem ſibi arroget; is tolerandus eſt, & refutandus atque erudiendus.

*Verſ. 9. Quemadmodum ante diximus.* (f) Repetit eandem ſententiam, ne quis eam remere ſibi excidiſſe putet, & generalioribus verbis eam enunciat. Προειρήκαμεν, id eſt, nunc primum diximus. *Accepiſtis*, nimirum a me.

*Verſ.* 10. (g) *Nunc enim homines ſuadeo an Deum?* Hic jam incipit tertia capitis pars, in qua muneris ac doctrinæ ſuæ auctoritatem aſſerit, eaque ratione oſtendit, jure illum pro anathemate habendum, qui aliquid ei contrarium docere audeat: quandoquidem doctrina a ſe prædicata prorſus ſit divina, ipſeque divinitus ad eam promulgandam ſit miſſus.

(h) Ἄρτι, quod alias præſens temporis momentum ſignificare ſolet, quemadmodum & νῦν, hoc loco præſens tempus ſimpliciter ſignificat, quod certo rerum ſtatu definitur, qui quamdiu durat, tamdiu præſens tempus durare dicimus. Sic in epiſtola 1 Cor. 13. verſ. 12 ἄρτι, & νῦν verſ. 13 ſignificat tempus vitæ præſentis, & opponitur tempori vitæ futuræ. Itaque ἄρτι hoc loco ſignificat tempus illud, ex quo apoſtolus Chriſti miſter factus euangelium prædicare cœperat, & adhuc prædicabat, opponiturque illi tempori, cum legis acerrimus propugnator eſſet. Quærit ergo, homines nunc ſuadeat, an Deum? ſignificans, Galatis ita liquere, ipſum non homines, ſed Deum ſuadere, ut id omnino fateri cogantur.

(i) *Suadere homines*, eſt, ſuadere hominum placita. homines enim per metonymiam ponuntur pro eo, cujus ſunt auctores & inventores. Sic Ariſtotelem ſæpe ponimus pro doctrina Ariſtotelis; Chriſtum aut Paulum ipſum pro doctrina Chriſti aut Pauli: ut cum dicimus Chriſtum, Paulum, Ariſtotelem doceri. (k) Suadere Deum, ex adverſo eſt, ſuadere divina, ſeu a Deo profecta. Aliter accipit phraſin *ſuadere homines* 2. Cor. 5, 11, ibi enim profitetur, ſe ſuadere homines, quod hic ſat aperte negat; ibi ſignificat, ſuadere hominibus aliquid, nempe timorem Domini, aut doctrinam pietatis. (l) Nonnulli ita hæc verba accipiunt, ac ſi dictum eſſet: num ego id tantum ago, ut hominibus cauſſam meam perſuadeam ac probem, & non potius Deo? Quod ſi admittatur, ea quæ ſubiiciuntur, tantum explicatio erunt præcedentium: ſi vero prior ſenſus retineatur, eorum rationem continebunt.

(m) Addit enim: *aut quæro hominibus placere?* quod antea dixerat, ſe nunc homines non ſuadere; (hanc enim, ut diximus, ſententiam continet antegreſſa interrogatio in aſſertionem reſoluta) id nunc fulcit, argumento ducto a remotione cauſæ impulſivæ, quæ eum ad humana ſuadenda movere poſſet; dum interrogat, Num quærat, ut hominibus placeat? (n) quod ſi enim apparuit, eum minime id agere in euangelica doctrina proponenda, ut hominum favorem & amorem captaret; cui dubium eſſe poterit, eum in doctrina ſua non homines, ſed Deum habuiſſe ducem, nec hominum inventa prædicaſſe, ſed doctrinam a Deo ſibi traditam? quid enim aliud eum ad humana inventa promulganda impellere potuiſſet, quam ſtudium hominibus placendi, & eorum benevolentiam ſibi conciliandi? quod ſi lucrum ſpectaſſe apoſtolum dicere velles; nec captabat illud apoſtolus, nec ſine benevolentia hominum captare poterat.

(o) Se autem hominum favorem non aucupari probat, cum ſubjicit: *Si enim adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Vox *placendi*, tum de ipſo placendi actu, tum de conſilio & ſtudio placendi, accipi poteſt. Videtur tamen potius poſteriori modo accipienda eſſe; de ſtudio enim placendi fuerat locutus. (p) Homines autem hoc loco ita accipi debent, quatenus Deo aut Chriſto opponuntur, & ab illo diſſident, non quatenus cum eo conſpirant, & idem volunt quod Chriſtus, vel ſaltem nihil ejus legibus adverſum volunt, in quo iis indulgeri & poſſit, &, ut ſaluti ipſorum conſulatur, debeat. (q) Nam qui talibus placere ſtudet ipſi Chriſto ſtudet placere. Hinc alibi idem apoſtolus dicit, ſe operam dare ut omnibus placeat; nos etiam monet, 1 Cor. 10. 33. Rom. 15. 2. 3. 2 Cor. 8. 21 ut quiſque noſtrum proximo ſuo placeat, Chriſti exemplo, qui idem fecerit, in medium allato. & alibi aſſerit Act. 24. 16, ſe honeſta

(a) *Reſponſio.* (b) *Qui præceptis apoſtolorum addit alia, iis adverſatur.* (c) *Anathema.* (d) *Quinam pro anathemate habendi.* (e) *qui non habendi.* (f) *Repetitio ejuſdem ſententiæ* (g) *Tertia capitis pars.* (h) *Nunc pro tempore præſenti latius ſumto.*

(i) *Suadere homines.* (k) *Suadere Deum.* (l) *Alius ſenſus.* (m) *Ratio præcedentium.* (n) *Paulus non quæſivit hominum favorem.* (o) *Ratio dicti* (p) *Homines Deo & Chriſto opponuntur.* (q) *Quatenus placere hominibus poſſimus, & debeamus.*

pro-

procurare non ſolum coram Domino, ſed etiam coram hominibus, quod nos quoque facere jubet; ſeque dare operam, ut conſcientiam habeat inoffenſam non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus; & ut ea, quæ ſunt bonæ famæ cogitemus atque agamus monet Phil. 4. 8,9, idque idem a ſe diſci poſſe docet; hoc vero nihil aliud eſt, quam hominibus placere. Verum qui hac ratione & in talibus, hominibus placet; non tam hominibus placet, quam Deo: hominibus enim placet propter Deum; ſtudium placendi hominibus debet eſſe ſubordinatum ſtudio placendi Deo, & ab hoc ita gubernari ac caſtigari, ut hominibus placere nolimus Deo diſplicendo: [a] Deo autem placere velimus, etiamſi omnibus hominibus diſpliceamus, quod fit, cum homines a Deo diverſi abeunt, & ei contraria volunt, nos vero malumus Deum, quam homines ſequi.

Dicit ergo apoſtolus: ſi ſtuderem hominibus, a Chriſto nimirum diſſidentibus, placere, *Chriſti ſervus non eſſem.* [b] Quod vel ita accipi poteſt, ut dicat apoſtolus, ſe reipſa non fore Chriſti ſervum, ſeu Chriſtum pro ſuo eum ſervo non agniturum. etiamſi eum ipſe Dominum ſuum profiteretur; [c] fieri enim non poſſet, ut Chriſto fideliter ſerviret, & hominibus tamen placeret: alia eſt verorum Chriſti ſervorum conditio, vide Matth. 10. 22. Luc. 6. 22,26; [d] vel ut aſſerat, ſe Chriſtum pro Domino ſuo non fuiſſe habiturum, quaſi dicat, miſſum facerem Chriſtum; nihil mihi cum Chriſto & ejus religione eſſet negotii; permanſiſſem in priori meo ſtatu & conditione; Judæus eſſem: tunc enim longe melior mea fuiſſet conditio, & ratio benevolentiam hominum captandi expeditior; non expoſuiſſem me omnium odiis, nec gratiam, qua in gente mea, ac inprimis apud ejus primores, prope ad invidiam florebam, perdidiſſem. [e] Poſterior ſenſus firmius concludere videtur. Nam quod ad priorem ſenſum attinet, videri poſſet apoſtolus id pro conceſſo ſumere, de quo dubitabatur, & id pro abſurdo ponere (nempe ſe non eſſe reipſa Chriſti ſervum) quod adverſarius minime abſurdum eſſe diceret, imo prorſus aſſereret. Saltem videretur aliquid fuiſſe addendum, [f] unde conſtaret, eum Chriſti ſervum reipſa eſſe. Documento autem erat, partim tot malorum propter Chriſtum patientia, partim ſtupenda plurimaque per eum edita miracula, ac ſpiritus ſancti diſtributio, impoſitione manuum ejus interveniente facta.

Cum ait *adhuc*, tacite indicat, ſe antea hominibus ſtuduiſſe placere, [g] cum Chriſto nondum ſerviret, ab eoque eſſet adhuc alienus. Etſi enim quicquid in oppugnanda Chriſtiana religione tunc fecit, zelo in patriam religionem feciſſe cenſendus eſt: fieri tamen vix poteſt, ut non zelo huic admiſceretur ambitionis aliquid, Judæis a Deo aperte non interdictæ, & ſic ſtudium hominibus aliqua ratione placendi.

Verſ. 11. *Notum autem vobis facio fratres.* [h] Hic jam uberius de muneris ac doctrinæ ſuæ auctoritate agere incipit, & a capite rem arceſſit, affirmans, ſe doctrinam ſuam, quam & Galatis & aliis propoſuerat, non ab homine ullo vel accepiſſe, vel didiciſſe: ſed eam ab ipſo Chriſto ſibi revelatam & traditam fuiſſe; ac proinde nulla ratione deſerendam, aut oppugnandam, nec in falſitatis ſuſpicionem vocandam eſſe.

*Quod non eſt ſecundum hominem.* [i] Non hoc vult dicere, ſe illis notum facere euangelium ſuum ſimpliciter: (jam enim illis notum abunde erat:) ſed quod non ſit ſecundum hominem, id eſt, quod non ſit ab homine ullo inventum, ſeu ex hominis alicujus ſententia traditum, qua de re tunc, licet immerito, dubitabatur apud Galatas.

Verſ. 12. *Neque enim ego ab homine vel accepi id vel didici, ſed per revelationem Ieſu Chriſti.* [k] Ratio dicti ſuperioris ſatis aperta. Verbum *deſcendi* [l] videtur addidiſſe verbo *accipiendi*, tanquam laxius ſtrictiori, ne in verbo *accipiendi* latibulum quærere videretur. *Accipi* enim illa magis proprie dicuntur, quæ nobis *traduntur*, hoc eſt, oretenus ſine ſcripto narrantur vel explicantur, latius eſt diſcendi verbum.

*Sed per revelationem Ieſu Chriſti.* [m] Jeſus Chriſtus ipſe illud mihi revelavit, extraordinaria quadam ac miraculoſa, prorſuſque divina ratione. * Jeſus Chriſtus hic iterum opponitur homini, partim ei, qui nihil prorſus in ſe divinitatis habeat; partim etiam cuivis mortali, divino imperio ac majeſtate deſtituto, utut alioqui divino, quales erant apoſtoli. Nam cum negat euangelium ſuum eſſe ſecundum hominem; hominem qui nihil divinitatis in ſe habeat, deſignat: Cum vero negat ſe id ab homine accepiſſe, quemvis alium hominem, etiam apoſtolum intelligit. Recte enim ita concluditur: ſi a nullo homine Paulus euangelium ſuum accepit, ſed a Chriſto: id ſecundum hominem, ſeu humanum inventum nequaquam eſſe, licet contra ab homine aliquo divino, verbi gratia [n] apoſtolo, id diſcere potuiſſet, nec tamen ſecundum hominem ſeu humanum inventum cenſendum illud eſſet. Anguſtius enim patet, *ſecundum hominem aliquid eſſe*, quam *ab homine id didiciſſe.*

Verſ. 13. [o] Ut vero probet, id quod dixerat, ſe a nullo homine euangelium didiciſſe, revocat illis primo in memoriam ardorem ſuum & zelum, quem habuit in Judaiſmo; ut vel hinc colligant, ipſum nulla ratione fuiſſe deſerturum legem Moſaicam & patrias traditiones, niſi Deus aut Chriſtus ipſe eum aperta quadam ac prorſus miraculoſa ratione ab iis abſtraxiſſet: ac porro quod nunc fidem abſque legis operibus ac ceremoniis doceat, id non odio legis fieri, cui adeo fuerit aliquando addictus: ſed juſſu atque auctoritate ipſius Chriſti.

[p] Et ne quis putaret, Paulum poſt ſuam ad Chriſtum converſionem hanc doctrinam ab aliquo Chriſtianorum demum hauſiſſe, & ſic adverſariorum ipſius calumniæ locum daret, qui, ut ejus auctoritatem convellerent, eum cæterorum apoſtolorum diſcipulum eſſe, ab iis ad euangelii prædicationem delectum inſtructumque fuiſſe dictitabant: pertexit illis tum converſionis ſuæ, tum factorum ſuorum eam conſequutorum hiſtoriam, qua docet, ſe ſtatim poſt Chriſti apparitionem ſibi factam, ſuamque adeo ad ipſum converſionem, cum nullo mortalium de functione ſua, deque doctrina euangelica a ſe proponenda contuliſſe, nec ad apoſtolus Hieroſolymam iviſſe, ut ab iis inſtrueretur:

[a] *Quatenus hominibus placere non debeamus.* [b] *Argumenti Pauliani ſenſus 1.* [c] *Servorum Chriſti conditio.* [d] *Senſus 2.* [e] *Poſterior ſententia priori præfertur.* [f] *Paulum reipſa Chriſti ſervum fuiſſe.* [g] *Ante Chriſtianiſmum hominibus placere ſtuduiſſe.* [h] *Divinam eſſe Pauli doctrinam uberius docetur.*

[i] *Non eſſe humanum inventum.* [k] *Ratio aſſertionis.* [l] Diſcere *latius quam* accipere. [m] *Paulus miraculoſe a Chriſto edoctus.* * *Chriſtus opponitur homini.* [n] *Ab homine diſci poteſt quod non ſit ſecundum hominem.* [o] *Scopus ac finis ſequentium verborum.* [p] *Prolepſis.*

ſed abiviſſe in Arabiam, nempe euangelii prædicandi cauſa, & trium demum annorum ſpatio interpoſito, profectum fuiſſe Hieroſolymam, non a Petro diſcendi, ſed illius videndi cauſa, a quo deinde pauculis diebus exactis diſceſſerit: ita ut intra tam breve tempus doctrinam ſuam, quæ certe multiplex & profunda erat, ex ipſo haurire non potuerit, etiamſi cupiiſſet. Præter Petrum porro & Jacobum fratrem Domini, dicit ſe nullum aliam apoſtolorum vidiſſe.

[a] Ideo autem tam prolixe iſta refert, quia, ut in argumento hujus epiſtolæ explicando monuimus, Paulo, Chriſtum abſque operibus ac ceremoniis legis prædicanti, [b] Petri & Jacobi auctoritas, tanquam ipſius magiſtrorum, opponebatur. [c] Hi enim, ut ibidem diximus, licet idem cum Paulo ſentirent, tamen quia Judæis potiſſimum euangelium prædicabant, ſuam de legis Moſaicæ abrogatione ſententiam, ne eccleſias ſuas offenderent, & eas a Chriſtiana religione abſterrerent, infirmitati eorum conſulentes, quoad fieri poterat, premebant. Hinc inferius cap. 2. 12 legimus Petrum ſe ſubduxiſſe, & a converſatione cum Gentibus abſtinuiſſe, cum Judæi veniſſent a Jacobo. De Jacobo autem legimus in Actis Actor. 21. 23 & deinceps, quod Paulo ſuaſerit, ut ceremonias quaſdam, una cum aliis, in quos ille ſumtum faceret, ex lege perageret, quibus ſe minime legem deſeruiſſe aut defectionem ab ea prædicare, eccleſiæ legis ſtudioſiſſimæ probaret. Quare ne illorum auctoritate prematur, & doctrinæ illius, quam apud Galatas cæteroſque Gentiles prædicarat, fides ea ratione labefactetur, illam adverſariorum calumniam hac narratione diluit.

Verſ. 13. *Audiviſtis enim meam converſationem aliquando in Judaiſmo.* [d] Id eſt, quomodo me olim, cum Judaicæ adhuc religioni addictus eſſem, ceſſerim, quomodo vixerim. *Quod vehementer* vel *ſumme perſecutus ſum eccleſiam Dei.* Vide hac de re Actor. 8. & 9. & 22. 4 & ſeqq. & 26. 9 & ſeqq. 1 Tim. 1. 13.

*Vaſtabam eam.* Quantum in me erat diſſipabam ac funditus everſum ibam.

Verſ. 14. *Et proficiebam in Judaiſmo.* Non tam videtur loqui de profectu in cognitione doctrinæ Moſaicæ, quod cæteros ſcientia legis ſuperarit, quam de profectu in iſta doctrina atque religione, tum obſervanda, tum propugnanda.

Addit enim: *abundantius æmulator exiſtens patriarum traditionum, ſuper multos meos coætaneos.* [e] Licet iis eſſet eadem ætas, quæ mihi; ego tamen illos ſtudio ac fervore in religione patria longe ſuperabam. In diverſis ætatibus non mirum eſt diverſos eſſe mores, ſtudia ac profectus. Quare, eum ſuperare zelo, qui per ætatem ad eum non ita eſt aptus, nihil eſt mirum; ſed alios pleroſque ſibi cæteroquin æquales zelo vincere, eximium & laudabile eſt.

*In genere meo*, [f] ſeu gente mea: quaſi dicat, licet iis eſſet idem genus, ac porro etiam eadem religionis Judaicæ colendæ cauſa, non proſelytos aliquos, aut homines Judaicæ tantum religionis: ſed etiam Judæus Judaicæ nationis homines ſuperabam.

Per *patrias traditiones*, [g] tum Moſaicæ diſciplinæ inſtituta intelligenda eſſe videntur; tum alia multa a Senioribus introducta, & temporum antiquitate roborata, quorum etiam fit mentio in euangelica hiſtoria Matth. 15. 2 & ſeq.

Verſ. 15. *Cum vero placuiſſet Deo.* [h] Initium hoc verſ. 15 cohæret cum initio verſ. ſeq: dicit εὐδόκησεν, ut oſtendat, nullam aliam iſtius rei fuiſſe cauſam, nimirum ut non tantum Chriſtum agnoſceret, ſed etiam euangelii præco fieret, quam quod ita Deo benigniſſimo viſum fuiſſet, ſine ulla ipſius dignitate ac merito, utpote cum adhuc ab utero matris eum ſeparaverit.

Propterea addit: *qui ſeparavit me ab utero matris meæ*, id eſt, qui ſimul ac natus ſum, vel etiam antequam natus eſſem, ab eo tempore cum in utero matris adhuc continerer, me ad peculiare munus, euangelii nimirum annunciandi, deſtinavit, & hac ratione ab aliis ſegregavit, ſeu mavis ſegregare me decrevit, nempe peculiari muneri, Chriſtum gentibus annunciandi, me deſtinando. [i] Hæc enim ſeparatio tum demum reipſa fieri cœpit, cum eum Chriſtus ad ſe convertit, & ad gentes ſe miſſurum declaravit: ſed perfectiſſima ratione tum, cum ſpiritus ſanctus, atque adeo ipſe Deus ac Chriſtus per ſpiritum ſuum dixit Actor. 13. 2: *Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus &c.* [k] Hæc autem ſeparatio, ſeu decretum Dei de Paulo ſegregando jam olim factum, proculdubio certam conditionem ſibi habuit adjunctam, quam ipſa rectitudinis ac ſapientiæ divinæ ratio poſtulaſſe videtur: nimirum, ſi ſe Paulus tanto munere & gratia divina prorſus indignum non eſſet redditurus: quod fuiſſet factum, ſi Chriſti religionem ſciens prudens, ac reluctante conſcientia oppugnaſſet, & ad blaſphemias alios adegiſſet. Nam tale peccatum Chriſtus nunquam remitti aſſeruit Matth. 12. 32, nedum ut homo tanto ſcelere pollutus, ad munus tam ſanctum vocari debuerit. Ideo alibi dicit 1 Tim. 2. 13, ſe quidem Chriſti religionem oppugnaſſe, blaſphemaſſe & contumelia ejus profeſſores affeciſſe: ſed miſericordiam tamen fuiſſe conſecutum, *quod ignorans hoc fecerit in incredulitate*: [l] non obſcure indicans, ſe miſericordiam non fuiſſe conſecuturum, ſi id ſciens prudens feciſſet. Verum enim vero non malitia & perverſitas, ſed nimius in legem zelus hominem excœcaverat, & mentem illi eripuerat, qua reddita, non minori zelo euangelium propugnavit, quam legam antea propugnaverat. Fieri autem poteſt, ut Paulus hic alluſerit ad verba Jerem. cap. 1. 4, ubi de Jeremia dicit Deus: *prius quam formarem te in utero, novi te, & antequam exires de vulva, ſanctificavi te, prophetam Gentibus dedi te.* [m] Sanctificare enim in his Jeremiæ verbis idem eſt, quod apud Paulum ſeparare. Res enim ſanctas ac Deo dicatas, ſeparare ſolemus a prophanis. Jam vero, ſanctificare iſtic non eſt, ſanctum ſeu juſtum facere; [n] ſed ad publicum officium deſignare, quemadmodum ſtatim explicatur, cum additur: *prophetam Gentibus dedi te*, hoc eſt eum in finem te conſtitui prophetam, ut Gentibus quoque extraneis, quæ de illis decrevi, annuncies; vel ſaltem ea, quæ ad illas quoque pertinent, prædicas.

[a] *Cur hiſtoriam factorum ſuorum Paulus pertexet.* [b] *Petrus & Jacobus Paulo opponebantur.* [c] *Suam de abrogatione legis ſententiam premebant.* [d] *Paulus olim eccleſiæ perſequutor.* [e] *Studio in religionem patriam vicit æquales.* [f] *Vicit gentiles ſuos.* [g] *Patriæ traditiones.*

[h] *Dei benignitate converſus Paulus & Apoſtolus factus.* [i] *Ab utero matris ad apoſtolatum deſignatus.* [k] *Quando reipſa deſignatus.* [l] *Cum conditione muneri ſuo deſtinatus.* [m] *Pauli cur miſertus Chriſtus.* [n] *Sanctificare pro ſeparare.* [o] *Ad publicum munus deſignare.*

*Et voca-*

*Et vocavit per gratiam ſuam.* (a) Si hoc ad tempora nativitatis Paulinæ referemus; (b) verbum *vocavit*, non vocationem actu factam, ſed decretum vocationis ſignificabit, id eſt, vocare conſtituit: quo pacto videtur ſumi Rom. 9. 11. Sed nihil obſtat, quo minus his verbis effectus ſeparationis illius ab utero matris factæ ſignificetur, & ad tempora, quibus Paulus ad munus apoſtolicum fuit reipſa delectus, ea referantur: quaſi dicat, quemadmodum olim me ſeparavit, ita nunc reipſa vocavit, & munus hoc mihi impoſuit.

*Per gratiam ſuam*, id eſt, ex mera ſua gratia ac benignitate.

*Verſ.* 16. *Revelare filium ſuum in me.* Hæc verba, ut ab initio ſuperioris verſiculi monuimus, referuntur ad id quod dixerat: *Cum autem complacuit Deo filium ſuum*, id eſt Jeſum Chriſtum, qui κατ' ἐξοχὴν ita appellatur, quia ratione omnium excellentiſſima Dei filius eſt. hujus ἐξοχῆς nota eſt in Græco articulus.

(c) *In me*, id eſt, mihi: vel quia id, quod alicui revelatur, in ipſo, ſeu in in ipſius mente patefit; vel quia apud Hebræos litera præfixa Beth, quæ *in* ſignificat, cum Lamed, quæ dativi nota eſt, commutatur, ut infra c. 3. 14. Sic Joh. XI. 10. *lux non eſt in eo*, quaſi diceres, in oculis ejus: ſententiam tamen ſatis expreſſerunt ii interpretes, qui reddiderunt, *lux ei non adeſt.* & 1. Cor. 14. 11, *ero loquenti barbarus, & loquens in me barbarus*, id eſt mihi. quod enim antea per dativum *loquenti* ſignificarat, id nunc viciſſim dicit *in me*; quia nimirum in me, ſeu in animo meo is eſt barbarus: unde id nonulli reddiderunt *apud me.* quin & alibi *in aliquo*, vix majorem aliquam vim habet, quam ſi ſimpliciter dictum fuiſſet *alicui*, ut Act. 4. 12; &, ut doctis quibuſdam viris placet, c. 7. 44. Nonnulli *in me* hic accipiunt pro *per me*, ex uſitato Hebraiſmo: quo pacto ſequentia, uberioris tantum explicationis cauſa, adjecta cenſebuntur. Sed prior explicatio magis videtur genuina, quam ſi ſequaris, ſequentia finem revelationis indicabunt.

*Ut annunciem eum in gentibus*, id eſt inter gentes, ſeu gentibus. quibus verbis peculiare ſuum munus deſcripſit, quod erat, legatum eſſe ad gentes. (d) Judæi enim jam ſuos habebant legatos, nimirum duodecim apoſtolos, antea a Chriſto electos: ut infra c. 2 videbimus. (e) Quod ideo commemorat apoſtolus, ne quis putet, temere id a ſe factum fuiſſe, & privato quodam inſtinctu, quod gentibus euangelium annunciarit: ſed factum id eſſe divina voluntate atque auctoritate: quandoquidem hoc ei munus non tantum in virili ætate demandatum, verum etiam ab ipſa infantia deſtinatum fuerit. Quare non erat cur quis exiſtimaret, Paulum, cum ipſum cupiditas quædam invaſiſſet prædicandi euangelii gentibus, in earum gratiam, ut tanto libentius Chriſti religionem amplecterentur, legis Moſaicæ vim ac diſciplinam diſſolviſſe. Hinc apparet, Paulum, dum adhuc inter Judæos Chriſtum prædicavit, præluſiſſe tantum ſuo muneri, quod tum demum plene aggreſſus eſt, cum longe ad gentes (quo eum ſe miſſurum Chriſtus illi dixit Act. 22. 21) id eſt, ad gentes, etiam longiſſime ab Hierolymitana urbe, ubi tum verſabatur, cum hæc illi Chriſtus diceret, diſſitas, atque adeo in ea loca, in quibus gentes regnabant, & prophano ſuperſtitio, vel ſola, vel potiſſimum vigebat, Chriſti annunciandi cauſa profectus eſt.

*Statim non preterea contuli cum carne & ſanguine.* (f) Per *carnem & ſanguinem* hoc loco quoſvis mortales intelligit, quos Deo ac Chriſto, unico ſuo magiſtro ac duci, ut & ſuperius fecerat verſ. 1, & 11, 12, opponit. Eandem ſignificationem carnis & ſanguinis habes Eph. 6. 12, ubi ſpiritibus opponitur; quin & Matth. 16. 17, ubi Deo.

Dicit ſe *non preterea contuliſſe* cum illis, id eſt, (g) cum a Deo ad apoſtolicum munus eſſet vocatus, illique Chriſtus eſſet revelatus, non ſe adhuc cum ullo mortalium conſilium cepiſſe, utrum aut qua ratione doctrina euangelica ſibi proponenda, quidve ſibi docendum eſſet, quaſi adhuc hæreret, aut quippiam ignoraret: ſed ſe in Chriſti voluntate penitus acquieviſſe, & ex ejus revelatione omnia abunde didiciſſe.

(h) Dicit autem, *ſtatim* non contuli: ne quis putet, eum quidem cum jam ſatis inſtructus & informatus eſſet, cum hominibus non amplius contuliſſe; ſed ab ipſo initio, cum annunciationem euangelii vellet aggredi, aliorum informatione & inſtitutione fuiſſe uſum. (i) Nec dicit, *non ſtatim contuli*, ne quis contrarium putet, eum quidem ab initio homines in conſilium non adhibuiſſe, ſed poſtea, cum videret ea re ſibi eſſe opus, id ab illo factum eſſe: vel quia dubitare cœpiſſet, rectene faceret, vel quia experientia ipſa didiciſſet, ſe ad tantum munus nondum ſatis inſtructum. Propterea ergo dicit *ſtatim non contuli*, id eſt, nec ab ipſo muneris mihi demandati initio, nec poſtea cujuſquam hominis mortalis conſiliis & informatione ſum uſus. Hinc Lucas Act. 9. 20 teſtatur, Paulum poſt ſuum baptiſmum εὐθέως, id eſt ſtatim, Chriſtum prædicaſſe in ſynagogis.

Verſ. 17. *Neque aſcendi* vel *redii Hieroſolyman ad eos qui ante me fuerunt Apoſtolos.* (k) Quod generaliter aſſeruerat, nunc ſpecialius illuſtrat. Nominatim enim apoſtolorum meminit, vel ideo, ne quis putaret, eos carnis & ſanguinus appellatione non fuiſſe comprehenſos, utpote viros divinos, & e vulgo hominum exemtos: vel quia de his inprimis ſuſpicio erat, quod ab iis Paulus conſilium petiiſſet, atque ab iis ad docendi munus fuiſſet inſtructus; nec alia ſententia probabilior excogitari poterat. His ergo verbis hanc quoque ſuſpicionem amovet apoſtolus, idque agit, ne quis eum apoſtolorum cæterorum diſcipulum eſſe credat, ac proinde ipſum minoris æſtimet: præſertim ſi ab illorum doctrina diſcrepare videatur, quod pſeudodidaſcali iſti jactabant.

Dicit autem, *qui ante me fuerunt apoſtoli*: quia inde, ut apparet, anſam arripuerunt Pauli adverſarii, ejus dignitatem minuendi, & tanquam aliorum apoſtolorum diſcipulum, præ illis contemnendi, quia illi eum in apoſtolico munere anteceſſiſſent. Hanc ergo objectionem retundit apoſtolus, oſtendens, ſe nihil accepiſſe aut didiciſſe ab iſtis, qui ante ſe fuerint, apoſtolis. Ideo etiam infra cap. 2. 6 affirmat,

(a) *Vocatio Pauli.* (b) *Vocatio pro vocandi decreto.* (c) *In me* pro *mihi.* (d) *Paulus gentium apoſtolus: cæteri magis Judæorum.* (e) *Scopus verborum.* (f) *Caro & ſanguis* pro *mortalibus homines non conſuluit de ſuo apoſtolatu.* (g) *Paulus* (h) *Nec ab initio* (i) *Nec poſtea.* (k) *ne apoſtolos quidem.*

nihil ſuæ doctrinæ ab illis fuiſſe additum eodem de apoſtolis utens verbo, quo hic, verſ. 16, de ſe uſus eſt: quanquam ſenſu contrario, ſeu ei, de quo hic loquimur, correlato, atque ex adverſo reſpondente. Hoc enim loco noſtro συνανήθομαι eſt conferre cum altero, ut aliquid ab eo diſcas: conſilia cmm illo communicare, ac conferre: illo autem c. 2 loco ſignificat, alterum aliquid adhuc docere, ſeu ejus doctrinæ aliquid adjicere.

*Sed abivi in Arabiam,* (a) prædicandi nimirum Chriſti cauſa: quaſi dicat, non requiſito aliorum ea de re judicio ac conſilio, non requiſitis eorum de religione ſententiis, ſtatim in Arabiam ivi, ut euangelium ibi prædicarem, utpote de divina voluntate ſat certus, & doctrinam Chriſti divinitus jam plene edoctus. (b) Abivit autem Damaſco, in qua urbe per breve aliquod tempus eum poſt ſuam ad Chriſti eccleſiam aggregationem commoratum fuiſſe neceſſe eſt. (c) Ideo etiam Lucas Act. 9, verſ. 19 narrat, eum Damaſci cum diſcipulis *dies aliquot* remanſiſſe. Nam qui fieri alioquin poſſet, ſi per tempus aliquod non exiguum Damaſci fuiſſet commoratus, & illic Chriſtum, tantus illius quondam inimicus, ſumma animi contentione prædicaſſet; certam & conſtantem famam de ejus ad Chriſtum converſione, Hieroſolymam non fuiſſe perlatam? Teſtatur autem Lucas Act. 9. verſ. 26 Paulum, cum primum Hieroſolymam veniſſet (venire autem poſt ſuam converſionem, ante hunc adventum, de quo hoc in loco loquitur, non potuit; quandoquidem hic ipſe Paulus accurate narrare & debuit & voluit itinera ſua Hieroſolymitana, præſertim vero id, quod poſt ſuam converſionem primum fuerat) ita adhuc fratribus ignotum fuiſſe, ut eum metuerent, & ejus congreſſum refugerent, neceſſeque haberet Barnabas eum ad apoſtolos deducere, & iis hiſtoriam converſionis ejus ad Chriſtum recenſere. Hinc enim conſtat, aut nullam, aut certe admodum incertam & perobſcuram famam Hieroſolymis de Pauli converſione fuiſſe: quod fieri non potuit, ſi Damaſci, in urbe tam propinqua tamque celebri, diutius commoratus fuiſſet. Sed quia in Arabiam ſtatim ſe contulit, illicque veluti in angulo quodam abditus, deliteſcere viſus eſt; hinc factum eſt, ut converſionis ejus fama non percrebreſceret, vigente præſertim illo tempore perſecutione, & omnibus Hieroſolyma diffugientibus, apoſtolis autem, qui ſoli Hieroſolymis remanſerant, proculdubio latitantibus, quandoquidem illi maxime petebantur Act: 8. 1: tali autem tempore literarum ac nunciorum commercia fere ceſſare ſolent. (d) Quomodo ergo, dicet aliquis, Lucas dicto capite 9 Act. verſ. 23 narrat, Judæos Damaſcenos, poſtquam impleti eſſent multi dies, nempe poſt Pauli converſionem, conjurationem contra eum ſuſcepiſſe, ſic ut coacti fuerint diſcipuli eum noctu in ſporta de muro demittere? quod periculum cum evaſiſſet Paulus, videtur recta Hieroſolymam contendiſſe. Addit enim ſtatim Lucas verſ. 26, *Adveniens autem Paulus Hieroſolymam &c.* Hinc enim apparet, Paulum, & multos dies Damaſci ſubſtitiſſe, & Damaſco Hieroſolymam recta contendiſſe. (e) Reſpondemus, Paulum, ut hoc in loco ipſemet teſtatur, ex Arabia reverſum fuiſſe Damaſcum, in qua cum triennium exegiſſet, non injuria ſcribit Lucas, *poſt multos* demum *dies*, hoc eſt poſt tempus ſat longum (dies enim apud Hebræos pro tempore poni notum eſt. Vide inter alia infinita Gen: 5. 4 & d. 6. 3. Matth: 2. 1: 3. 1) hanc conjurationem Damaſci in Paulum fuiſſe factam. Nec enim neceſſe eſt, ut multos iſtos dies Paulus non alibi quam Damaſci tereret; nec Lucas ſui ipſius obliviſci potuit, qui paulo ante *aliquos* tantum *dies* Paulum Damaſci cum diſcipulis commoratum fuiſſe ſcripſit. Hac autem conjuratione Judæorum Damaſco ejectus, ſtatim Hieroſolymam venit, ut Petrum videret, quemadmodum hic ipſe teſtatur.

*Verſ. 18. Deinde poſt annos tres aſcendi Hieroſolymam.* (f) quaſi dicat, cum per tantum temporis ſpatium euangelium jam in Arabia & Damaſci docuiſſem, & documenta tanta apoſtolatus mei, & rerum divinarum cognitionis dediſſem, tum demum Hieroſolymam aſcendi. Eo ipſo oſtendit, ſe Hieroſolymam non profectum aliquid ab apoſtolis diſcendi cauſſa. Tres autem illos annos non videtur computare a reditu ſuo in urbem Damaſcum, cum id res non videatur pati: ſed a converſione ſua ad Chriſtum: quaſi dicat, poſtea demum cum Damaſcum fuiſſem reverſus, & tres jam anni a mea ad Chriſtum converſione effluxiſſent, Hieroſolymam ſum profectus.

*Viſere Petrum, ἱστορῆσαι.* (g) non ut ab eo aliquid diſcerem, aut de doctrina eum conſulerem, ſed ut illum inviſerem, notitiam cum tanto apoſtolo contraherem. quid enim magis decuit tantos Chriſti miniſtros, quam ut dextras jungerent, & mutuam inter ſe contraherent notitiam?

*Et manſi apud eum dies quindecim.* (h) Exiguum ſane tempus, intra quod certe Paulus doctrinam ſuam, tam uberem, tam multiplicem, tam profundam ac reconditam, ab homine diſcere non potuiſſet, ut tam repente, non divino ſpiritu colluſtratus, (ut iſti pſeudodidaſcali neceſſe habebant dicere) ſed humanis tantum præſidiis, ac proprio ingenio innixus gentium doctor ac magiſter prodiret.

*Verſ. 19. Alium autem apoſtolorum non vidi, niſi Iacobum fratrem Domini.* (i) Hoc addit, ne quis forte diceret, Paulum, etiamſi a Petro non eſſet eruditus, ab alio tamen aliquo apoſtolorum fuiſſe inſtitutum. Id vero adeo a veritate abeſſe Paulus ait, ut cæteros apoſtolos ne vidiſſe quidem ſe dicat, præter Jacobum, nedum ut aliquid ab iis didicerit. De Jacobo autem idem intelligi vult Paulus, quod de Petro dixerat. (k) *Putant quidam*, hunc Jacobum Domini fratrem, non fuiſſe unum ex dodecim illis ſeu ſummis apoſtolis, quem tamen inter apoſtolos hic a Paulo computari ideo dicunt, quod ad ſummos illos proxime accederet. Alii vero contra ſentiunt, & exiſtimant, hunc Jacobum eſſe Jacobum illum minorem, & ideo fratrem Domini appellari, quod ex ſorore matris Domini natus eſſet. Confer inter ſe Matth. 13. 55. Marc. 15. 40. Joh. 19. 25. Poſterius eſt valde credibile, propter nomen apoſtolorum, quod hic duodecim apoſtolos omnino ſignificare videtur. Jacobus autem illis accenſetur. Non vidit autem

(a) *Ivit in Arabiam.* (b) *Damaſci non diu commoratus.* (c) *Locus Act. 9. 19, 26, & ſeqq. illuſtratus.* (d) *Locus Act: 9. 23 cum hoc conciliatus.* (e) *Paulus bis Damaſci fuit ante quam Hieroſolyman rediret.*

(f) *Quando primum redierit Hieroſolymam.* (g) *Quem in finem.* (h) *Quamdiu ibi manſerit.* (i) *Quem apoſtolorum ibi viderit.* (k) *Iacobus frater Domini quis?*

alium

alium apoſtolorum, eo nimirum tempore. Nam infra cap. 2. 9 meminit etiam Johannis cum quo dextram junxit, ſed multis annis poſt. Vide quædam ad hunc locum pertinentia ſup. verſ. 12.

*Verſ.* 20. *Quæ vero ſcribo.* (*a*) Juramento id, quod hactenus ſcripſit, confirmat apoſtolus, utpote rem maximi momenti, & ad ea, quibus illius auctoritas impeti ſoleret, refellenda plurimum facientem, adeoque dignam, ut Deus teſtis advocetur.

*Ecce coram Deo* ſcilicet ſcribo, vel affirmo: quaſi dicat Deum, qui omnium actionum noſtrarum eſt inſpector & arbiter, teſtem dictorum adhibeo, &, ſi mentior, vindicem, utpote ſupremum omnium judicem, advoco. (*b*) Videmus in rebus magni momenti jurare licere, cum id neceſſitas quædam exigit.

*Verſ.* 21. *Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ.* (*c*) Hoc poſterius teſtatur etiam Lucas, qui ſcribit Act. 9. 30, Paulum Hieroſolyma dimiſſum fuiſſe Tarſum, quæ urbs eſt Ciliciæ, ut & ipſe Paulus teſtatur Act. 21. 39 &c. 22. 3. Ideo etiam cap. XI verſ. 25 dicitur Barnabas profectus fuiſſe Tarſum, ut quæreret Paulum, eumque ibi inveniſſe.

*Verſ.* 22. *Eram autem ignotus facie eccleſiis Judææ.* (*d*) Hoc ideo narrare videtur, ut appareat, eum non diu in Judæa commoratum, ac proinde nec cum apoſtolis, qui tum temporis in Judæa adhuc hærebant, aut aliis Judaicarum eccleſiarum doctoribus, ut ab iis inſtrui & doceri poſſet, converſatum fuiſſe.

*Quæ ſunt in Chriſto.* Ad diſtinctionem Chriſtianarum eccleſiarum, ab eccleſiis ſeu ſynagogis Moſaicis, hæc verba addidit. Hinc autem aliquo modo videre poſſumus, quid ſignificet hæc phraſis, *eſſe in Chriſto*: (*e*) nempe Chriſtianum eſſe, Chriſti inſtituta ac diſciplinam amplecti & tenere.

*Verſ.* 23. *Tantum audiverant.* Audientes erant, ſeu audiebant. Hebraiſmus ſimul & Græciſmus.

*Quod qui per perſequebatur nos quondam.* Iterum hoc inculcat, (*f*) ut hujus rei memores cogitarent, Paulum, tantum Moſaicæ diſciplinæ patronum, non temere patrocinium ejus abjeciſſe.

*Nunc evangelizat fidem.* (*g*) Non tantum audierant, me Chriſti diſcipulum fuiſſe factum, ſed etiam Chriſti præconem. Fides pro doctrina de fide ſumenda videtur, ut inf. c. 3. 2, 5, 23, 25.

*Quam vaſtabat* id eſt, perditum & everſum ibat. Everſum autem ibat fidem, ſeu fidei doctrinam, quatenus ejus profeſſores omnibus modis ab ea abducere conabatur, eos vero, qui eam deſerere nollent, occidendos curabat.

*Verſ.* 24. *Et glorificarunt in me Deum,* (*h*) ut pote eum, qui hæc omnia effecerat, per quæ omnes eccleſiæ mirum in modum recreatæ & ſingulari lætitia affectæ fuerunt. *In me*, id eſt, occaſione mei, ſeu propter me. *In* enim Hebræis omne cauſarum genus denotat.

(*a*) *Iuramento dicta confirmat.* (*b*) *Quando jurare liceat.* (*c*) *Paulus in Ciliciam profectus.* (*d*) *eccleſiis in Judæa adhuc facie ignotus.* (*e*) In Chriſto eſſe. (*f*) *Paulus ex perſecutore Chriſti præco.* (*g*) *Fides pro doctrina de fide.* (*h*) *Pro eo gratias egerunt eccleſiæ in Judæa.*

## CAP. II.

### *ARGUMENTUM.*

*Capitis hujus duæ ſunt partes. In priori pergit auctoritatem ſuam, doctrinæque ſuæ aſſercre uſque ad verſ.* 15. *In poſteriori, quam ita cum priori connectit, ut propemodum eadem eſſe videatur, ad principalem tractationem accedit.* (a) *Prioris partis iterum duo ſunt membra. In quorum uno oſtendit uſque ad verſ.* 11, *in ſolenni illo Hieroſolymitano conventu, in quo de ceremoniis legis nominatim fuit actum, nihil fuiſſe ſuæ doctrinæ ab apoſtolis additum, nec quidquam factum, quod eam ulla ex parte convelleret, aut mancam eſſe oſtenderet: ſed potius munus doctrinamque ſuam penitus fuiſſe approbatam. In altero docet a verſ.* 11 *uſq; ad* 15, *ſe potius Petrum Antiochiæ in re huc maxime ſpectante reprehendiſſe, & lapſum ipſius oſtendiſſe.*

(*a*) *Partes capitis.* (*b*) *Prioris partis membra.*

*Verſ.* 1. POſtea per quatuordecim annos rurſus aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba. (*b*) Mirum alicui videri poſſet, Paulum omittere profectionem illam Hieroſolymitanam, cum una cum Barnaba, eleemoſynas ſeu famis ſubſidium eo deferret: cujus meminit Lucas cap. XI. Act. v. ult. & c. 12. v. ult. Ex quo poſteriori loco apparet, hanc profectionem peractam fuiſſe, antequam Paulus cum Barnaba Antiochia, ſpiritus S. juſſu, ad euangelium gentibus annunciandum exiviſſet. Hoc autem iter Pauli Hieroſolymitanum, poſt illum Antiochia diſceſſum, & poſt annunciatum gentibus euangelium, ut ex ſeq. v. hujus c. apparet, contigit. Quare dicendum videtur, Paulum profectionis iſtius non meminiſſe, quia ad præſens ipſius inſtitutum non pertineat, qui hoc in loco, alio jam fine profectionis ſuæ Hieroſolymitanæ meminit, quam antea meminerat. (*c*) Prius enim ideo ejus meminerat, ne quis putaret, eum ſimul atque ad Chriſtum converſus fuit, vel ſaltem paulo poſt, Hieroſolymam fuiſſe profectum, ut illic doctrinam euangelii ab apoſtolis perdiſceret; id quod hucuſque ſatis docnerat, factum minime fuiſſe. Itaque non erat amplius neceſſe, ut omnia ſua itinera Hieroſolymam ſuſcepta, ex ordine nobis recenſeret: utpote cum jam conſtet, apoſtolum, quotieſcunque tandem poſt primum illud iter eo fuerit profectus, non diſcendi euangelii cauſa, quod jam probe noveret, & variis in locis prædicaverat; ſed alias aliquas ob cauſas fuiſſe profectum; quod vel inprimis de hoc itinere dici poteſt, cum eleemoſynas deferret. Nunc (*d*) autem eum in finem iter quoddam peculiare Hieroſolymam ſuſceptum commemorat, ut oſtendat, eos apoſtolos, quorum auctoritas ſibi opponeretur, doctrinam eam, quam apud gentes extraneas, atque adeo etiam apud Galatas prædicarat, penitus approbaſſe, nec quidquam in ea immutandum, eive addendum cenſuiſſe, imo ſe & Barnabam pro gentium apoſtolis agnoviſſe: quam ad rem nihil pertinebat iter illud eleemoſynarum deferendarum ſuſceptum.

*Per quatuordecim annos.* Id eſt, exactis quatuordecim

(*c*) *Cur omiſſum iter de quo Act. XI. & 12.* (*d*) *Alio conſilio antea Paulus itineris Hieroſolymit. meminit;* (*e*) *alio nunc.*

annis. Sic *per dies*, Marc: 2. 1, eſt, exactis aliquot diebus: qua de re monent interpretes. (*a*) An hi anni a converſione Pauli computandi ſint, an vero a priori illa profectione Hieroſolymitana, non ſatis conſtat, nec in eo, quod ad inſtitutum noſtrum attinet, multum eſt ſitum: firmiores tamen illorum rationes eſſe videntur, qui annos iſtos a Pauli converſione numerandos putant.

*Aſſumens eo Titum.* (*b*) Ideo Titi meminit, quia poſtea narraturus eſt, eum ad circumciſionem non fuiſſe auctoritate apoſtolorum adactum. (*c*) Videtur autem omnino hoc iter idem eſſe cum illo cujus meminit Lucas Act: 15, cum Paulus & Barnabas Hieroſolymam juſſi ſunt proficiſci, ut quæſtio de obſervatione legalium ceremoniarum definiretur. (*d*) Nam ea, quæ hic narrat Paulus, valde illi tempori conveniunt: quod apoſtolus euangelium a ſe inter gentes prædicatum expoſuerit; quod circumciſio non fuerit judicata gentibus neceſſaria; quod eam urgentibus fortiter reſtiterit; quod a cæteris apoſtolis pro collega agnitus fuerit, eorumque voluntate ac conſenſu provinciam gentibus euangelium prædicandi, etiam in poſterum ſibi admiſtrandam ſumſerit. (*e*) Nam quod decretum concilii illius non recitat, hoc ideo facere poterat, quia omnibus notum erat.

(*f*) Hanc ſententiam id confirmat, quod non videtur fieri potuiſſe, ut apoſtolus hujus itineris obliviſceretur, cujus occaſione ea Hieroſolymis ſunt geſta, quæ maxime ad conciliandam doctrinæ Paulinæ auctoritatem, & pſeudodidaſcalos iſtos coarguendos ſpectant, ſi poſt hoc iter epiſtolam iſtam ſcripſit. Atqui apparet hanc epiſtolam poſt illud iter ſcriptam fuiſſe. qua de re ſupra jam occupavimus dicere cap: 1. verſ. 2.

Verſ. 2. Nam quod ſtatim dicit, ſe *ſecundum* revelationem, (*g*) id eſt, revelatione, ſeu oraculo divino admonitum Hieroſolymam aſcendiſſe, id non impedit, quominus etiam eccleſiæ decreto ac voluntate, ut Lucas ſcribit, idem fecerit. (*h*) Neque enim hæc inter ſe pugnant; eſtque credibile, Paulum, cum ab eccleſia decretum jam eſſet, ut Hieroſolymam iret, oraculo fuiſſe admonitum, ut id, quod eccleſia cenſuiſſet, omnino faceret.

*Et expoſui ipſis.* (*i*) Pronomen *ipſis* ſine antecedente, ad quod referatur, Hebræorum more: quanquam quodnam illud antecedens ſit, ex ipſo loco, ad quem profectum ſe dixerat apoſtolus, ſatis intelligi poteſt. Intelliguntur enim Chriſtiani Hieroſolymitani, quorum (*k*) mentio tacite continetur nomine Hieroſolymorum paulo ante commemorato.

*Euangelium quod prædico in gentibus*, id eſt, inter gentes, ut ſupra cap: 1. 16. Ejus ſumma erat, homines fide in Chriſtum, ſine operibus legis juſtificari, adeoque nec obſervatione legalium ceremoniarum iis eſſe opus.

(*l*) *Seorſim autem iis qui videntur* vel *videbantur*, τοῖς δοκοῦσι. Non eſt neceſſe, eum prius omnibus, deinde demum præcipuis in eccleſia Hieroſolymitana viris euangelium ſuum expoſuiſſe: ſed contra potius potius conſentaneum eſt, eum antequam tota eccleſia conveniret, cum primoribus ea de re egiſſe. Nam ut alia prætermittamus hujus rei indicia, teſtatur Lucas Act. 15, poſt orationem Pauli & Barnabæ, qua res à ſe inter gentes geſtas coram univerſa multitudine recenſuerunt, Jacobum ſtatim ſententiam dixiſſe, in quam ab univerſa Eccleſia ſit itum, & decretum factum, atque ad gentes perſcriptum. quo facto, præpoſterum fuiſſet, ſenioribus demum accurratiorem doctrinæ ſuæ reddere rationem. Apparet igitur, cum præcipuis in eccleſia viris primo egiſſe Paulum, ut fere fieri ſolet, & deinde, re cum illis communicata, toti eccleſiæ expoſuiſſe. Nec obſtat, quod hic poſteriori loco primores commemorat. ideo enim id facere potuit, quia prius id, quod generalius eſt, exprimere voluerit, quam id quod ſpeciale, nulla temporis habita ratione. Quod ſi quis tamen contrarium urgeat, non admodum cum eo pugnabimus. Expoſuit autem doctrinam ſuam nominatim τοῖς δοκοῦσι, utpote quibus eam exponere maxime intererat, quique de ea optime judicare poterant, & ſententiam ferre debebant.

Οἱ δοκοῦντες autem Græcis dicuntur ii, qui in pretio & æſtimatione ſunt, qui in magna ſunt apud homines opinione: qualis inter Chriſtianos erat Petrus, Jacobus, Johannes, & ſi qui præterea tunc Hieroſolymis erant viri præcipui. Idem explicatius dicitur verſ. 6: *qui videntur*, vel *videbantur eſſe aliquid*; & verſ. 9 *eſſe columnæ.*

*Ne forte in vanum currerem aut cucurriſſem.* (*n*) Finalem cauſam expoſitionis iſtius notat. Non quod apoſtolus dubitarit de certitudine ſuæ doctrinæ, quaſi ex τῶν δοκούντων approbatione demum ejus certitudinem ac veritatem agniturus eſſet: quæ, ut vidimus, ab ipſo Chriſto miraculoſe ei fuerat revelata, & tot ubique miraculis per eum ipſum confirmata: ſed perinde eſt ac ſi dixiſſet; Ne forte, ſi id facere negligerem, labores mei in euangelio prædicando in irritum caderent, adverſariis ſubinde obſtrepentibus, aliter ea de re apoſtolorum præcipuos ſentire ac docere, atque hac ratione fidem eorum, qui per meam prædicationem crediderant, ſubvertentibus.

Verſ. 3. *Sed neque Titus.* (*o*) Docet, quis fuerit exitus iſtius expoſitionis, nempe is, quod ne Titus quidem, tantus in eccleſia vir, & apoſtoli adjutor, *qui mecum erat*, quaſi dicat idque Hierqſolymis, in illo ipſo conventu, (*p*) *coactus fuerit circumcidi, Græcus exiſtens*, utpote non Judæus, ſed Græcus natione, ſeu mavis gentilis. Non ſemel enim apud Paulum *Græcus*, per ſynecdochen ſpeciei, pro ethnico ponitur, ut Rom. 1 verſ. 16. & 2 verſ. 9, 10; & hoc loco non tam id ſpectatur, quod is non alterius alicujus nationis quam Græcæ fuerit, quam quod non fuerit Judaicæ.

*coactus fuit circumcidi*, hoc eſt, ab apoſtolis non eſt juſſus circumcidi. Ex quo apparet, illos judicaſſe, circumciſionem, ac proinde ne cæteras quidem legales cæremonias ad ſalutem eſſe neceſſarias, nec gentibus imponendas.

Verſ. 4. Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους. Δὲ videtur poſitum pro δή, vel δῆτα, ut notant interpretes, id eſt, *nempe*

(*a*) *Tempus hujus itineris.* (*b*) *Titi cur meminerit?* (*c*) *Iter hoc illud eſt, de quo Act: 15.* (*d*) *Ratio 1.* (*e*) *Prolepſis.* (*f*) *Ratio 2.* (*g*) *Divino juſſu Hieroſolymam ivit.* (*h*) *Conciliatio hujus loci cum Act. 15. 2, 3.* (*i*) *Relativum ſine antecedente.* (*k*) *Fratribus Hieroſ: expoſuit Paulus euangelium ſuum.* (*l*) *privatim præcipuis.*

(*m*) Οἱ δοκοῦντες. (*n*) *Cur Paulus expoſuerit aliis ſuam doctrinam?* (*n*) *Eventus ejus expoſitionis.* (*o*) *Titus non coactus circumcidi.*

vel *idque.* quaſi dicat, *idque propter ſubintroductos* ſeu *irreptitios falſos fratres*, qui ſi non fuiſſent, potuiſſemus aliis Titi circumciſione gratificari. Quod ſi placeat ex ſuperioribus ſubaudire negationem, perinde erit, ac ſi dictum eſſet, μηδὲ Ἕλληνα &c. hoc eſt, ne quidem propter irreptitios fratres. quaſi dicat, etiamſi quidam falſi fratres ſubingreſſi eſſent, qui, ut Titus circumcideretur, urgebant.

Dicuntur autem (*b*) παρείσακτοι, quod callide ſubmiſſi eſſent, ſeu ab aliis ſubornati irrepſiſſent, in conſeſſum nimirum iſtum & coronam apoſtolorum, aliorumque præcipuorum virorum, in qua Paulus doctrinam ſuam explicabat.

(*c*) Ψευδαδέλφους ſeu falſos fratres vocat, propterea quod cum Chriſti nomen prætexerent, merum tamen Judaiſmum ſpirarent. Chriſtiani erant nomine, re & animo Judæi.

*Qui ſubingreſſi erant explorare libertatem noſtram.* (*d*) qui eo conſilio ſeſe una cum aliis in hunc noſtrum conſeſſum inſinuaverant, ut inſtar exploratorum viderent, qua via libertas noſtra poſſet expugnari, num quæ occaſio ſeſe offerret ad eam nobis extorquendam.

*Quam habemus in Chriſto Ieſu.* id eſt, quam per Chriſti doctrinam & religionem adepti ſumus.

Idque in eum finem fecerant, (*e*) *ut nos in ſervitutem redigerent*, id eſt, legem ceremonialem ſervandam, ac proinde univerſum Moſaicæ diſciplinæ jugum nobis imponerent.

*Nos*, inquit: ſe quoque cum cæteris Chriſtianis, etiam gentilibus, qualis erat Titus, hac in parte conjungens. Etiamſi enim legem ceremonialem obſervaret, non obſervabat tamen tanquam rem per ſe neceſſariam, ſed tanquam liberam, ædificationis cauſſa. Liber ergo erat ab eo jugo, nec id ſibi atque aliis, tanquam neceſſarium imponi volebat.

*Verſ.* 5. *Quibus neque ad horam ceſſimus.* id eſt, ne ad punctum quidem temporis ceſſimus. quanam in re? τῇ ὑποταγῇ, ut ſcilicet iis morem gereremus, ac prodita libertate Chriſtiana, nos illis ſubjiceremus, Titumve circumcidi pateremur. (*f*) Quod vero nihilominus poſtea Timotheum circumcidit, ut legitur Act. 16. 3, in eo ſibi ipſi Paulus non fuit adverſatus; ſed, in re licet contraria, ſibi egregie conſenſit, & libertate Chriſtiana utrobique legitime eſt uſus. (*g*) Libertatis enim ea eſt ratio, ut quidpiam vel facere, vel omittere pro arbitrio poſſis, ad neutrum autem omnino cogaris. (*h*) Legitimus autem ejus uſus eſt, ut id quod liberum, ſeu natura ſua medium atque adiaphorum eſt, ædificationis cauſa, nunc facias, nunc omittas. (*i*) Iam vero Paulus Timotheum ſponte, non coactus circumcidit, ne Judæos offenderet, ſed potius una cum Timotheo aditum ad eos haberet: (*k*) ad Titum circumcidendum cogi noluit, eo præſertim loco ac tempore; ne ingens fidelibus, ex gentibus ad Chriſtum converſis, quorum tunc maxime habenda erat ratio, ſcandalum præberet, ut ex ſequentibus intelligetur. Quo accedit, quod circumciſio Timothei ex Judæa matre nati, gentiles turbare minus poterat: magis Titi, quem utroque parente gentilem fuiſſe apparet, ſi urgentibus ceremobiarum patronis fuiſſet circumciſus.

*Ut veritas euangelii permaneret apud vos.* (*l*) id eſt, ut doctrinam euangelicam ſinceram ac incorruptam, prout a me fuerat prædicata, conſtanter retineretis, nec eam admixtione diſciplinæ Moſaicæ adulteratam obtrudi vobis pateremini. Id quod facile contigiſſet, ſi Paulus, ut obſequeretur iſtis falſis fratribus, Titum circumcidi permiſiſſet. An non enim hinc pſeudodidaſcali iſti occaſionem arripuiſſent dicendi, Hieroſolymis ab apoſtolis fuiſſe judicatum, circumciſione, ac porro etiam reliquis legis ceremoniis opus eſſe ad conſequendam ſalutem, contra quam Paulus doceret?

*Veritas euangelii*, (*m*) opponitur omni falſitati, depravationi, & rei a natura euangelii alienæ admixtioni. Verum enim dicitur id, quod ſincerum eſt, & minime adulteratum ac corruptum.

*Apud vos.* (*n*) Galatas quidem ſolos, ad quos ſcribit, alloquitur; ſed in illis omnes ejuſdem generis homines, hoc eſt, qui ex gentibus prædicationi Paulinæ crediderant, intelligit. (*o*) Ex his apparet, non ſemper in rebus per ſe licitis gratificandum hominibus eſſe, nimirum quoties ex altera parte majus incommodum eſt metuendum: nec præſentium tantum, ſed & abſentium ea in parte habendam eſſe rationem.

*Verſ.* 6. *Ab iis vero qui videntur eſſe aliquid.* Oſtendit Paulus, quomodo ſibi cum illis, qui auctoritate eminebant, & quibus communi opinione maxima dignitas tribuebatur, conveniat, ut eos ſibi minime opponi, ac ne præponi quidem poſſe demonſtret. (*q*) *eſſe aliquid* ſcilicet magnum, & præ cæteris eximium. Vide inf. cap: 6. 3. 1 Cor: 1. 28. & 3. 7: & 10. 19. Cum enim aliquem deprimimus, ſolemus dicere eum *nihil eſſe*: cum extollimus, interdum dicimus eum *eſſe aliquid*. Neque vero apoſtolus, cum dicit, qui *videntur* vel *videbantur* eſſe aliquid, aut eſſe columnæ, quemadmodum infra loquitur verſ. 9, indicat, alios tantum eos pro talibus habere, ſe vero nequaquam. (*r*) Quos enim pro fundamentis eccleſiæ agnoſcebat, licet Chriſto angulari lapidi innitentibus Matth. 16. 18. Eph 2. 20. Apoc. 21, 14, eos & pro viris habebat eximiis, & columnas merito dici poſſe norat. Sed tantum indicat, non eodem ſenſu, eodemve pacto, quo alii, atque inprimis adverſarii ſui hæc jactarent ac urgerent, iſta ſe agnoſcere, & apoſtolis illis tribuere. Ita enim iſta accipiebant illi, ex quorum mente hæc dicuntur, quaſi apoſtoli illi aliquid eaiam ſupra ipſum Paulum eſſent, ita ut Paulus præ illis prope nihili videretur faciendus.

*Quales quondam fuerint.* (*ſ*) His verbis, quæ in parentheſi legi debent, tacitæ cuidam objectioni occurrere videtur apoſtolus. (*t*) Veriſimile enim eſt, Pauli adverſarios, ut eum deprimerent, Petri & aliorum apoſtolorum dignitatem eo nomine extuliſſe, quod aliquando cum Chriſto vixerint, ejus familiares ac contubernales fuerint, cum eo tempore Paulus eſſet phariſæus; quod euangelium prædicarint tum cum id a Paulo oppugnaretur. (*u*) His ergo verbis Pau-

(*a*) *Falſis fratribus gratificari Paulus noluit.* (*b*) Παρείσακτοι (*c*) *Falſi fratres.* (*d*) *Exploratores Chriſtianæ libertatis.* (*e*) *Eorum ſcopus.* (*f*) *De Timothei circumciſione.* (*g*) *Libertatis ratio.* (*h*) *Legitimus ejus uſus.* (*i*) *Timotheum cur Paulus circumciderit?* (*k*) *Cur Titum noluerit?*

(*l*) *Magno Chriſtianorum gentilium bono.* (*m*) *Veritas euangelii.* (*n*) *In perſona Galatarum de omnibus Chriſtianis gentilibus loquitur Paulus.* (*o*) *Quando in adiaphoris non gratificandum aliis.* (*p*) *Conſenſus præcipuorum apoſtolorum cum Paulo.* (*q*) Eſſe aliquid. (*r*) *Apoſtolorum præſtantia.* (*ſ*) *Prolepſis.* (*t*) *Petri & aliorum apoſtolorum dignitas quædam;* (*u*) *hic minime ſpectanda.*

lus oſtendit, hanc apoſtolorum præ ſe præſtantiam nihil ad rem facere; nec ſpectandum, quales olim vel apoſtoli, vel Paulus fuerit, ſed qualis nunc ſit.

*Nihil mihi differt.* (a) Hæc verba, pro duplici ratione, qua cum cæteris connecti poſſunt, duplicem habent ſenſum. Si enim conjungantur cum proxime præcedentibus, & una cum illis parentheſi includantur, ſenſus erit: Nihil mea refert, ſeu, mihi perinde eſt, qualeſcunque olim fuerint apoſtoli: nihil id ad rem facit: nec propterea mihi vel opponi, vel etiam præponi debent. Si vero ante ipſa parentheſis claudatur, ſic ut ad illa verba, *ab iis vero qui videntur eſſe aliquid*, referantur, & cum illis conjungantur, ſenſus erit: Nihil inter me & eos, qui videntur eſſe aliquid, intereſt, ſive ratione doctrinæ, ſive etiam ratione muneris mei, & functionis apoſtolicæ. Eadem nobis eſt doctrina, eadem auctoritas, qualeſcunque illi olim fuiſſe dicantur.

*Perſonam Deus non accipit.* (b) προσωπον, nunc perſonam, ſeu certum quempiam hominem, nunc hominis faciem ſignificat. (c) In hoc dicto, quemadmodum vox Hebræa huic reſpondens indicat, faciem hominis, id eſt, externas ejus qualitates, quæ nihil ad cauſæ meritum pertinent, deſignat. (d) Has Deus non accipere, id eſt non reſpicere, nullam earum rationem, utpote juſtiſſimus judex, habere dicitur. Itaque non mirum eſt, quod Paulus dicat, vel nihil ſe curare priſtinam apoſtolorum præ ſe dignitatem & præſtantiam; vel nullum inter ſe & illos propterea, ratione muneris ac dignitatis, diſcrimen ponendum eſſe; quandoquidem Deus qualitates iſtas, quæ nihil ad rei meritum, faciunt ſpectare non ſoleat.

*Mihi enim οἱ δοκοῦντες.* Si illa verba *nihil mihi differt* una cum proxime præcedentibus, in parentheſi legi debent, erit in præcedentibus Pauli verbis ἀναπαιδδον, ſeu oratio præciſa, & imperfecta, quæ tamen, cum apoſtolus addit, *mihi enim οἱ δοκοῦντες* &c. ſatis aperte, mutata paſſiva conſtructione in activam, ſuppletur. Loco enim ejus, quod dicendum erat: Ab illis qui videntur eſſe aliquid, nihil mihi, ſeu doctrinæ meæ, fuit adjectum; dicit, Nam qui videbantur eſſe aliquid, nihil mihi adjecerunt. Hoc ſenſu admiſſo, (e) particula γὰρ *enim* poterit ſervire epanalepſi: quaſi dictum eſſet, *mihi inquam*, ut nonnulli interpretes verterunt: qui iidem annotarunt non abſimile (f) ἀναπαιδδον extare Rom. 5. 12. nam in fine verſ. 14 ſententia ἀποδοσεως annectitur, ſed alia conſtructione ac loquendi forma, quam προσωπους requireret.

*Nihil addiderunt*, (g) nihil ad doctrinam meam, tanquam adhuc inſufficientem & nondum plenam, adjecerunt. (h) Nec eſt quod quis dicat, apoſtolos in iſta ſynodo id adjeciſſe, *ut ſibi* gentes *caverent ab idolothytis, & ſanguine, & ſuffocato, & ſcortatione* Act. 15. 20, 29. (i) Nam ſcortatio quidem penitus eſt a Paulo multis locis expreſſe interdicta: (k) reliqua vero cum ſcandali tantum vitandi cauſa fuerint abilla ſynodo prohibita; eadem a Paulo partim expreſſe, ut idolothyta; partim generalibus verbis fuerant interdicta 1 Cor. 8. 1, 7, & d. & 10. 20, & d. Siquidem ille tum in epiſtola ad Romanos, Rom. 14. 13. & d, tum in priori ad Corinthios 1 Cor. 10. 23, & d. cap XI. 1 generalem doctrinam tradit de ſcandalis evitandis; idque maxime habita ratione rerum, quas Judæi abominabantur; quo in numero erant præter idolothyta, ſanguis inprimis & ſuffocata.

Verſ. 7. *Sed contra.* Pendet oratio, & verſ. 9 demum illis verbis, *dextras mihi dederunt*, perficitur.

(l) Quaſi dicat, tantum abeſt, ut meam doctrinam ulla in re imperfectionis alicujus, & ut ita dicam, inſufficientiæ damnarint, ut etiam (m) *dextras* mihi & Barnabæ *ſocietatis* dederint; id eſt, dextras nobis eum in finem junxerint, ut teſtarentur, ſe me & Barnabam pro ſociis ac collegis in munere apoſtolico agnoſcere. quaſi dicat, dextras dederunt in ſignum ſocietatis ac mutuæ conjunctionis.

*Videntes quod concreditus ſum.* (n) Cauſas iſtius facti interſerit: quia ſcilicet videbant, commiſſum ac demandatum mihi eſſe a Deo & Chriſto, *euangelium præputii*, id eſt euangelii prædicationem & annunciationem inter præputiatos.

*Quemadmodum Petrus circumciſionis.* (o) Solum Petrum nominat, quia legationis ad circumciſos erat princeps, (p) & illo nominato cæteri ejuſdem muneris ſocii ſubintelliguntur. * Eminebat enim aliqua ratione inter cæteros apoſtolos Petrus, & illis in oratione præire ſolebat. Vixque aliter fieri ſolet, quam ut, cum plures eodem munere funguntur, unus aliquis inter cæteros emineat, & iis præeat. (q) Neque hinc protinus poteſtas aliqua ſuper reliquos apoſtolos Petro vindicatur, aut munus tale, quod aliis apoſtolis cum eo non fuerit commune; cum præſertim hoc loco de munere apoſtolico, ſeu euangelium prædicandi officio ſermo ſit, quod æque aliis competebat ac Petro, ut & res ipſa docet, & nemo diffitetur. (r) Tacite antem Paulus, dum ſe cum Petro componit, illi ſe exæquat, imo aliqua ratione præfert, dum legationis ad gentes, hoc eſt ad totum prope mundum, cui euangelium adhuc erat inauditum, principem ſe facit.

Verſ. 8. *Qui enim operatus eſt Petro.* (s) Hæc verba interſeruit, oſtendens, nemini id debere videri abſurdum aut arrogans, Petrum & alios apoſtolos id quod ſuperiori verſu de ſe dixerat, agnoviſſe, & ipſummet id ſibi tribuiſſe. Ex evidentibus enim effectis apparuiſſe, ita ſe rem habere.

Ενεργήσας Petro. (t) Ενεργεῖν hoc loco ſignificare videtur, vim virtutemque tribuere, efficaciam indere, ſeu efficacia ſua adeſſe alicui. Nonnulli exponunt, *operatus eſt in Petro*, id eſt per Petrum. quaſi ἐνεργεῖν vi præpoſitionis ἐν regat dativum, licet ſimplex ἐργεῖν non ſit in uſu, ſed ἐργάζεσθαι.

*In apoſtolatum circumciſionis*, (u) id eſt, ut eſſet apoſtolus & legatus ad circumciſos, ſeu Iudæos: abſtracta enim, *circumciſio* & *præputium*, (x) *pro concretis ponuntur, ut alibi ſæpe.*

Verſ. 9. *Et cognoſcentes gratiam datam mihi*, id eſt munus mihi demandatum, ut eſſem apoſtolus gentium: (y) quod *gratiam* vocat, quia ex gratia divina in ſe fuerat collatum. Vide hac de re Rom. 1. 5.

(a) *Nexus ac ſenſus verborum.* (b) Προσωπον (c) *quid hic ſignificet?* (d) *Deus perſonam non accipit.* (e) γὰρ *ſervit epanalepſi.* (f) ἀναπαιδδον. (g) *Apoſtoli cæteri Pauli doctrinæ nil addiderunt.* (h) *Objectio.* (i) *Reſponſio.* (k) *Idolothyta, ſanguis, ſuffocata quatenus prohibita.*

(l) *Societas inter apoſtolus ſancita.* (m) *Dextræ ſocietatis.* (n) *Paulo commiſſa euangelii prædicatio inter gentes.* (o) *Petro inter Iudæos.* (p) *Petri nomine cæteri etiam apoſtoli intelliguntur.* * *Petri præ cæteris dignitas.* (q) *Petri in alios apoſtolos poteſtas nulla.* (r) *Paulus Petro ſe æquat eique aliqua ratione præfert.* (s) *Documentum apoſtolatus Petri & Pauli.* (t) Ενεργεῖν τινι. (u) *Circumciſio pro circumciſis.* (x) Præputium pro præputiatis Rom. 2. 26. 27. 3. 30. 4. 9. (y) *Gratia Paulo data pro apoſtolatu.*

Qui

*Qui videntur*, vel *videbantur columnæ esse*, hoc est, viri in [a] ecclesia præcipui, quibus religio ac respublica Christiana maxime niti videretur.

*Societatis, ut nos in gentes*, εἰς τὰ ἔθνη. [b] Hæc societas hac conditione fuit inita, ut ego & Barnabas *in gentes*, scilicet iremus, vel *ad gentes* legatione fungeremur, illi vero ad circumcisos.

Vers. 10. *Tantum, pauperum* &c. [c] Hoc *tantum* addiderunt vel monuerunt, quod ad doctrinam nihil pertinet, sed ad charitatem communem; ut pauperum, nempe in Judæa vel Hierosolymis degentium, essemus memores, vide Rom. 15 25 & deinceps: ut gentes, quæ spiritualibus Judæorum bonis ditatæ erant, carnalia sua bona vicissim, quantum opus erat, cum illis communicarent. Ex quo apparet, circumcisionem legalesque ceremonias, haudquaquam fuisse judicatas gentibus extraneis necessarias: alioquin earum potissimum me ac Barnabam meminisse voluissent, non vero pauperum *tantum* in Judæa fratrum curam demandassent.

*Meminissemus*, hoc est, [d] eorum curam suscipere remus, ac rationem eorum inter fratres ex gentibus haberemus, eleemosynam pro illis colligendo, sic non semel in sac. lit. ponitur *meminisse* Psal. 8. 5. xxv. 7. cvi. 4. Luc. 23. 42. Hebr. 13. 3, ut & in vulgari sermone: & contra, *oblivisci* [e] pro negligere.

*Quod & studui idipsum facere.* Non fefellimus datam fidem, sed quemadmodum me pauperum memorem fore recepi, [f] ita negotium hoc summa cum diligentia ac fide curavi, qua de re in epistola utraque ad Corinth. sed maxime posteriori, & notato loco ad Rom: legere est. [g] Hinc autem apparet, epistolam hanc fuisse scriptam post secundum Pauli iter ad gentes, ut superius jam monuimus cap. 1 vers. 2. Voces *id ipsum* Hebr. more redundant.

Vers. 11. *Quando vero Petrus.* [h] Incipit hic alterum membrum prioris partis hujus capitis, in quo narrat, quomodo ipse Petrum reprehenderit. [i] Ostenderat enim superius, nulla in re se a Petro & aliis fuisse reprehensum, cum venisset Hierosolymam: [k] nunc contra ostendit, se Petrum reprehendisse, cum is venisset Antiochiam: idque ea in re, quæ ad hanc materiam spectat, & ad confirmandam Pauli doctrinam vehementer pertinet.

*Secundum faciem* κατὰ πρόσωπον, [l] in os ei *restiti*, id est coram atque aperte cum eo egi, & factum ejus reprehendi: non vero clam ipsove absente, coram aliis factum ipsius notavi, quemadmodum illi facere solent, qui causæ suæ non satis fidunt, & auctoritatem ejus, quem reprehendere volunt, verentur. quasi dicat, [m] non veritus sum ejus auctoritatem, nec quicquam de reprehensionis illius æquitate dubitavi; non ausurus id facere, præsertim coram omnibus, (id enim paulo post vers. 14 additur) si sciviſſem, Petrum aliter de tota hac conversia sentire, eumque una cum cæteris apostolis aliter in synodo Hierosolymitana judicasse. Certe etiamsi mihi ejus factum displicuisset, non ausus fuissem eum in os, atque ita aperte reprehendere, utpote nihil profecturus, imo deteriorem potius causam meam redditurus, & in reprehensionem gravem ipsemet incursurus.

*Quia condemnatus erat.* Ita enim sonat Græcum κατεγνωσμένος, pro quo Vulgata sententiam sequuta habet *reprehensibilis*; Recentiores quidam *condemnandus*. Hebræorum enim more, participia passiva præsentis aut præteriti temporis, pro nominibus verbalibus sumi solent, [n] quæ nos per participia futuri temporis nonnunquam efferimus: 2 Petr. 2. 4 τετηρημένους, *custoditi*, pro custodiendi: ἁγιαζόμενοι, *ii qui sanctificantur*, pro sanctificandis Hebr. 2. 10: & 10. 14. Sic σῳζόμενοι, *qui servantur*, pro servandis, ἀπολλύμενοι, *qui pereunt*, pro perdendis, aut perire dignis 1 Cor. 1. 18. 2 Cor. 2. 15. *Condemnatus* ergo dici videtur, quia damnandus seu reprehendendus, vel potius damnari dignus seu reprehensibilis esset: [o] *damnare* enim hoc loco non aliud significat, quam reprehendere. Nam in omni reprehensione sententia quædam adversus alterum fertur, quod Græcis est κατακρίνειν. Quod si velis participium præteritum omnino vim suam retinere, ita ut significetur, Petrum jam ante ab aliis fuisse notatum ac reprehensum, non multum pugnabimus.

Vers. 12. *A Jacobo.* Ita loquitur, vel quia à Jacobo essent missi, vel simpliciter, quia ex ecclesia Hierosolymitana, cui præerat Jacobus, venissent. *Cum gentibus simul edebat.* [p] id est cum fratribus gentilibus, qui ceremonias legales & ciborum delectum non observabant. [q] Judæi illicitum sibi putabant cibum capere cum gentilibus, ne forte immundi quidpiam gustarent, & sese aliqua ratione polluerent Act. 10. 28. xi. 3.

[r] *Subducebat & separabat seipsum*, id est, convictum cum gentilibus fratribus refugiebat, ita agebat, ac si legalium ceremoniarum & ciborum delectus rigidus observator esset.

*Metuens eos, qui ex circumcisione.* [s] id est eos qui ex circumcisorum seu Judæorum numero erant. Causa hujus facti impulsiva, quia metuebat Judæos, qui a Jacobo venerant, utpote qui legalium ceremoniarum acres adhuc defensores & observatores erant. [t] Metuebat autem eorum offensam, ac reprehensionem, ne scilicet ipsorum animos a se atque ab ipsa euangelii doctrina alienaret, & legis desertor audiret, ac proinde ejus auctoritas, in qua plurimum erat situm, evilesceret. [u] Consilium ipsius per se malum nequaquam fuit, sed non satis providum, & cum quodam neglectu salutis & ædificationis fratrum ex gentibus extraneis collectorum, inter quos versabatur, quique longe plures erant, conjunctum, qua de re paulo post plura. [x] Ex hoc autem loco apparet, Judæos Christianos ex illa synodo Hierosolymitana, de qua supra dictum, & sermonibus apostolorum in ea habitis, nondum intellexisse, se quoque ceremoniis legalibus non amplius obstringi: sed tantum (licet ne hoc quidem omnes crediderint) gentes, quibus lex Mosis lata non fuerit, iis non teneri. Nam hac quoque de re ibi revera tantum fuerat actum, non vero de Judæis, ut ex loco satis constat. Quamquam ibi Petrus, dum

[a] *Petrus, Jacobus, & Johannes columnæ.* [b] *Societas inter apostolos qualis.* [c] *Pauperum tantum Hierosol: cura Paulo demandata.* [d] *Meminisse pro curare.* [e] *Oblivisci pro negligere.* [f] *Paulus pro Christianis Hier: eleemosynam collegit* 1 Cor. 16. 1, & deinceps 2 Cor. cap. 8. & 9. [g] *Quando hæc epistola scripta?* [h] *2 membrum primæ partis capitis.* [i] *Ejus summa.* [k] *Paulus Petrum reprehendit in re huc pertinente:* [l] *Idque coram & aperte.* [m] *Æquitas reprehensionis animum ei addidit.*

[n] *Participia præterita aut præsentia pro futuris.* [o] *Damnare pro reprehendere.* [p] *Petrus cum gentilibus edit.* [q] *Cum iis edere Judæis illicitum.* [r] *Ab iis se subduxit Petrus.* [s] *ne Judæos offenderet.* [t] *Cur eos offendere metuerit.* [u] *Factum ejus quatenus reprehensibile.* [x] *Judæi Christiani etiam post Synodum Hier: lege se teneri putarunt.*

oſtendit, gentibus jugum legale imponi non debere Actor. 15. 10,11, iis utitur rationibus, quæ non magis in gentibus, quam in Judæis valent, (a) nec minus hos, quam illos lege Moſaica ſolutos oſtendunt: & res ipſa docet, eandem utrique populo viam per Chriſtum ad ſalutem fuiſſe propoſitam; nec meliorem hac in parte gentilium, quam Judæorum, quibus Chriſti gratia, promiſſis divinis peculiariter fuerat adſtricta, conditionem eſſe debuiſſe. Fuiſſet autem longe melior, ſi Judæis lex Moſaica fuiſſet ad ſalutem obſervatu neceſſaria, gentibus non item; & ſic illis vel ob unius ex præceptis ceremonialibus, quorum tantus erat numerus, neglectum, pereundum fuiſſet, his non item. Verum, ut diximus, id a Judæis nondum fuit animadverſum, quemadmodum etiam ex ſermone Jacobi ad Paulum Actor. 21. 20,21,24,25 ſatis intelligitur. Quare cum Petrus natione Judæus eſſet offendiſſet eos, qui Hieroſolymis venerant, Judæos, ſi ceremonias Judaicas eum non obſervare, ac cum gentibus convivere vidiſſent.

Verſ. 13. *Et una cum ipſo ſimulabant & reliqui Judæi.* (b) nempe qui jam antea degebant Antiochiæ, &, ut apparet, ſolebant cum gentilibus Chriſtianis converſari, ac convictu eorum uti: non ii, qui a Jacobo venerant. Hi enim cum crederent, a convictu gentilium ſibi omnino abſtinendum, eſſentque ii, quorum infirmitati conſulebat Petrus, non poterant dici *ſimulare* cum Petro, & ejus exemplum, utut aliter de ceremoniis judicarent, ſequi: ſed de illis id recte aſſeritur, quaſi dicat. Non tantum Petrus ſimulavit, id eſt, præ ſe tulit, ſe legem ceremonialem omnino obſervare, obſervatuque neceſſariam judicare; non verbis quidem, ſed factis, (aliud enim eſt mendacium, aliud ſimulatio:) ſed ejus exemplum ſecuti ſunt & cæteri Judæi, antehac cum gentibus convivere ſoliti, eademque cum ipſo ſimulatione ſunt uſi, adeo ut etiam Barnabas una cum illis ſimularit.

Ita enim ait apoſtolus: (c) *adeo ut etiam Barnabas ſimul abduceretur illorum ſimulatione.* Hæc eorum ſimulatio ſeu hypocriſis fuit veluti torrens quidam, qui Barnabam una abduxit, ut idem exemplum ſequeretur; (d) Barnabam illum, qui mecum gentes peragraverat, & eas ſine obſervatione legis ceremonialis ſalutem adepturas docuerat, qui vel maxime gentes in hac veritate confirmare, non vero ſuo exemplo labefactare debebat.

Verſ. 14. *Sed cum vidi.* Quaſi dicat: (e) Illi quidem ita ſe geſſerunt: ſed ego cum viderem &c. Ad reprehenſionem facti acceſſurus, primum oſtendit, quale id fuerit, ſeu quidnam in eo fuerit a Petro & aliis peccatum, & quam merito illud reprehenderit, cum ait, *quod non recto pede incederent ad veritatem euangelii*, quod non ita ſe gererent, quemadmodum ſinceræ atque incorruptæ euangelii doctrinæ congruebat; quod a recto itinere, quod veritas euangelica monſtrabat, deflecterent, & inter legem & euangelium quodammodo claudicarent.

Particula πρὸς *ad*, convenientiam rei unius cum altera denotat, & ponitur pro κατὰ, ut 2 Cor. 5. 10. Reprehendit ergo Paulus hoc factum propterea, quod valde obſtare poterat & obſtabat veritati euangelicæ. Nam dum nimium Petrus Judæis obſequitur, libertatem & veritatem euangelicam in diſcrimen adducit. Satius autem erat Judæos offendere, quam libertatem euangelicam prodere, & gentibus de doctrina, quam hactenus didicerant, dubitandi occaſionem præbere. (g) Majus enim ſcandalum ſemper magis vitandum eſt, quam minus. (h) Adde quod omnino æquum erat, ut tandem etiam aliquando liberius, Petrus & alii Judaicæ gentis apoſtoli agerent, & ſenſim Judæis ad veritatem euangelicam hac in parte præirent: præſertim cum jam antea, ipſis Hieroſolymis, ubi maxime metuenda erat offenſio, a Petro ipſo ac Jacobo ſatis oſtenſum eſſet Actor. 15 ceremonias illas ad ſalutem non eſſe neceſſarias. (i) Volebat enim Chriſtus ceremonias iſtas legales aboleri, 1 quo uterque populus, tum gentilis, tum Judaicus, coaleſcere poſſet; quod fieri plene non poterat, quamdiu illæ vigerent. 2 Volebat etiam eam ob cauſam abrogari leges ceremoniales, quia quamdiu illæ robur ſuum habere cenſentur, legem Moſaicam, ac vetus illud fœdus antiquatum eſſe, intelligi vix ac ne vix quidem poteſt. (k) Hoc autem non recte intellecto, beneficium per Chriſtum in nos collatum, & novi fœderis ratio, ſeu modus juſtificationem adipiſcendi per fidem, recte percipi non poteſt, ut ex hac epiſtola intelligi poterit. (l) 3 Ut taceam, ubi nimium ceremoniarum, ibi plus fere eſſe ſuperſtitionis, quam veræ ſolidæque religionis. Quare cæteri apoſtoli veluti ſuppetias ferre Paulo, qui ea in re potiſſimum laborabat, debebant, & hoc ſaltem facere, ne a gentilium fratrum convictu & converſatione abſtinerent, (m) præſertim cum id Petrus & ante defenderit, & ſemper defendere potuerit. Quæ enim cauſæ erant, ut una cum Cornelio cibum caperet; eædem etiam erant, ut cum Antiochenis (qui etiam ſpiritum ſanctum, ut Cornelius cum ſuis, acceperant) eum capere jure poſſet, vide Actor. xi. 3,17. (n) Debuit igitur Petrus, vel omnino perſiſtere in converſatione & convictu cum fratribus gentilibus, quicquid tandem Judaici fratres dicerent: vel ſaltem prius admonere fratres gentiles, velle ſe Judæorum infirmitati aliquid tribuere: quare ne turbentur, ſi ab ipſorum convictu ad tempus abſtineat: non id ſe facere, quod ad ſalutem ceremonias credat neceſſarias: ſed quod Judæi illi adhuc ita ſint perſuaſi. Sed Petrus, ut apparet, id facere neglexit, & contrarium ſtrenue ſimulavit.

*Dixi Petro coram omnibus.* Coram omnibus id fecit, quia omnium intererat id ſcire. (o) Fratrum quidem gentilium, turbarentur Petri facto, & errandi occaſionem inde ſumerent: Judæorum autem, ne ejus exemplum amplius ſequerentur.

*Si tu, Judæus exiſtens*, ſeu, *cum Judæus ſis*, (p) *gentiliter vivis*, hoc eſt ſoles more gentium ceremonias legis, delectumque ciborum negligere; conſueviſti id, quando cum gentilibus verſaris, facere; *quid gentes cogis Judaizare?* Gentes, inquit, quibus lex Moſaica data non eſt, nec ceremoniæ illæ a Deo impoſitæ, ad ceremonias illas, ac nominatim ad delectum ciborum

(a) *Judæi lege ſoluti.* (b) *Simulationem Petri ſecuti Judæi.* (c) *Etiam Barnabas.* (d) *Quem minime decuit.* (e) *Vitium ejus facti.* (f) Πρὸς pro κατὰ.

(g) *Rationes, ob quas recte reprehenſus Petrus.* (h) *Majus ſcandalum magis vitandum.* (i) *Libertas euangelica Judæis ſenſim patefacienda.* (k) *Cauſſa abrogatarum ceremoniarum Moſaicarum.* (l) V. *Fœderis abrogatio cognitu utiliſſima.* (m) *Ceremoniarum multitudo aliquatenus noxia.* (n) *Convictus cum gentibus a Petro defenſus.* (o) *Quomodo ſcandalum ei evitandum.* (p) *Cur coram omnibus reprehenſus Petrus.* (q) *Gentiliter vivere.*

Judaico more obſervandum cogis, id eſt [a] facto hoc tuo moves atque impellis, & neceſſitatem quandam id faciendi iis imponis. [b] Cogere enim dicuntur, qui ad aliquid faciendum vehementer impellunt, atque urgent, ut infra cap. 6. 12. Luc. 14. 23. Actor. 16. 15. 2 Cor. 12. 11. Tanta autem erat Petri auctoritas, ut quicquid ageret, præſcribere atque imponere cæteris videretur, præſertim cum non tantum cæteri Judæi, ſed & Barnabas eum ſequeretur. Neque vero omnes ſcire poterant, cum ſimulare, poterant credere, eum religione prohiberi: antea nimio quodam in gentiles fratres amore, ac humanitate aliquantum exorbitaſſe: nunc errorem corrigere. Quocirca cum hoc ejus factum magnas turbas dare poſſet, & multorum conſcientias turbare, & euangelicæ libertati plurimum obeſſe, jure illi coram omnibus perſonam, quam aſſumſerat, Paulus detraxit. Ita enim fieri convenit, ut [c] magni etiam viri publice ac palam redarguantur, cum exemplo ſuo publice nocent; imo quanto majores ſunt, quantoque majus ab illorum exemplo periculum eſt, tanto magis cavendum, ne eorum auctoritas, quæ cæteroquin boni publici cauſa tuenda eſt, in publicam perniciem vertatur. Qua de cauſa Paulus de ſenioribus ad Timotheum ſcribens 1 Tim. 5. 19, 20, præcipit quidem ne ſine duorum aut trium teſtimonio accuſationem adverſus quemquam eorum ſuſcipiat: ſed addit tamen: *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.*

Verſ. 15. *Nos natura Judæi.* Verba hæc ita ſunt præcedentibus annexa, [d] ut Petrum adhuc alloqui videatur Paulus, vel uſque ad verſ. 17, vel, ut nonnullis placet, uſque ad finem capitis; cum initio demum cap. ſeq. ad Galatas rediens, novam orationem videatur ordiri. Fieri potuit, ut cum Petro diſſerens, in gratiam auditorum, quibus conſulebat, hæc aut ſimilia diceret, quæ quia ad rem præſentem maxime pertinebant, hic referenda putarit. Cæteroquin ipſius Petri cauſſa, ea quæ hoc & ſeq. verſic. dicuntur, docere opus non erat; multo autem minus neceſſe erat objectionem illam occupare, quæ verſ. 17 & ſeqq. diluitur. [e] Sive igitur ſuum ad Petrum ſermonem perſequatur Paulus, ſive ejus uberius declarandi cauſſa hæc addat; illud ſatis apparet, eum hic ad principale hujus epiſtolæ argumentum accedere; quod eſt, hominem non juſtificari ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti: quæ propoſitio ſequenti ſtatim verſiculo exprimitur. [f] Itaque hic poſterior iſtius capitis pars incipit. [g] Oſtendit autem his verbis Paulus, non debere gentes cogi ad legem Moſaicam, argumento ab imparibus ducto: [h] Si nos ipſi, qui Judæi ſumus orgine, ac ſub lege Moſaica nati, nati in eam conditionem, ut eam obſervaremus, eam deſerere coacti ſumus, & ad Chriſti fidem, conſequendæ juſtificationis cauſa confugere; multo minus gentes, quibus lex illa lata non fuit, ad ejus obſervationem debent adigi.

*Non ex gentibus peccatores*, [i] qui non fuimus tam fœdi peccatores, quam homines gentiles, qui veri Dei cognitione plane ſunt deſtituti, ac porro etiam graviſſimis peccatis & flagitiis polluti: quos non mirum eſſet, cum nullam ſpem in lege haberent, ad fidem in Chriſtum, ut juſtificarentur, confugiſſe. Pendet hic ſententia, ad quam inſerta prius ratione & argumento, redit in illis verbis, eum ait verſ. ſeq. *Et nos in Chriſtum Jeſum credidimus. Et nos*, non tantum gentes, ſed nos quoque ipſi, nempe ortu Judæi, in Chriſtum Jeſum credidimus, & ſic a lege ad Chriſtum confugimus. Quid vero illos ad id compulit?

Verſ. 16. *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti.* [k] Quandoquidem hanc diximus eſſe propoſitionem quandam eorum, quæ in ſequentibus diſputabuntur, & principale hujus epiſtolæ argumentum; ideo ut res tota melius pateat, tum quid *juſtificatio* ſit, tum quid *opera legis*, tum denique quid *fides*, explicandum eſt.

[l] *Juſtificare* in hac diſputatione non ſignificat, uti nec alibi in ſacris literis, juſtum ac ſanctum efficere: quandoquidem id pro fructu, ſive operum legis, ſive fidei in Chriſtum per charitatem efficacis, ponitur, & condemnationi opponitur: ſed eſt vocabulum ex foro & judiciis petitum, ſignificatque juſtum pronunciare, vel potius, tanquam juſtum atque innocentem tractare, ita cum quopiam agere, ut cum juſto ac innocente agi convenit. [m] Hoc autem fit, cum is, & a pœnis, quæ delinquentibus ſunt conſtitutæ, immunis redditur, &, ſi quod aliud juſtitiæ atque innocentiæ præmium conſtitutum eſt, id ei deſtinatur, ac porro etiam perſolvitur.

[n] Hoc vero natura rei inſpecta, duplici poteſt fieri ratione: vel quia is, qui juſtificatur, [o] id plane meritus fuerit, quia nimirum nihil deliquerit; [p] vel quia, etiamſi aliquid deliquerit, & ſic pœnam commeritus fuerit; nihilominus tamen indulgentia aut clementia judicis abſolvatur. [q] Priori modo lex juſtificationem hominibus pollicebatur: [r] poſteriori euangelium. Quæ ut rectius adhuc intelligantur, animadvertendum eſt, [ſ] legis duplicem fuiſſe ſenſum, quorum alterum literalem, ſeu hiſtoricum vocare ſolent; alterum myſticum. [t] Ille omnibus Iſraelitis ab ipſo ſtatim fœderis antiqui initio patebat, & ab iis agnoſci debebat: hic agnoſci, præſertim certo ac plene, niſi divinitus patefieret, non poterat. Literali legis ſenſu inſpecto, [u] vita, quam lex promittebat, & in qua juſtificatio legalis conſiſtebat, vitam terrenam, tum longævam, tum feliciter, hoc eſt, & quiete, & in omnium rerum abundantia exactam denotat. quod quivis facile cernere poteſt, qui ea inſpexerit, quæ tum in Levitico, tum in Deuter. ad explicationem promiſſorum legalium fuſe dicuntur Levit. 26. 3 & deinceps. Deut. 28. 1 & deinceps. Vide & cap. 6. 2, 3. VII. 12 & deinceps. [x] Itaque & exſecratio, huic vitæ, ac porro etiam juſtificationi oppoſita, ſignificabat vel mortem præmaturam, & aliqua ſaltem ratione violentam, vel vitam miſeram, ſeu calamitates ac pœnas aliquas hujus vitæ, quæ eam felicem eſſe non ſinerent, quemadmodum iiſdem apud Moſen locis explicatur. vide dicto loco Levit. 26. 14 & deinceps. Deut. 28. 15 & deinceps. Sed ſenſu myſtico, [y] vita illa ſignificabat vitam æternam; & exſecratio ei oppoſita, mortem ſempiternam: quemadmodum tum ex hac epiſto-

[a] *Petri factum gentibus noxium.* [b] *Cogere.* [c] *Magni viri quando publice reprehendendi.* [d] *An Petrum adhuc alloquatur apoſtolus?* [e] *Principalis hujus epiſtolæ propoſitio.* [f] *Pars cap. ſecunda.* [g] *Scopus verborum.* [h] *Ratio.* [i] *Gentiles præ Judæis peccatores.*

[k] *Cur Judæi in Chriſtum crediderint?* [l] *Juſtificare.* [m] *Juſtificationis natura.* [n] *Duplex eam aſſequendi modus:* [o] *1 ex meritis.* [p] *2 ex gratia.* [q] *1 modus legalis.* [r] *2 euangelicus.* [ſ] *Legis duplex ſenſus.* [t] *Differentia utriuſque.* [u] *Vita in lege promiſſa ſenſu literali quid.* [x] *Quid exſecratio legis.* [y] *Vita & exſecratio ſenſu myſtico.*

la inferius conſtabit infra cap.3.10, & ſeqq. Rom.7.10. x. 5, conf. cum cap.8.4: tum ex aliis novi teſtamenti locis, præſertim vero ex epiſtola ad Romanos cernitur. Jam vero lex ad obtinendam juſtificationem utroque modo accptam, (a) *opera* (ut ad horum quoque explicationem accedamus) requirebat. Ita enim Moſes, ut infra audiemus, ait: *Qui fecerit ea* (intellige omnia, quæ in libro legis ſunt Levit. 18. 5. infra cap. 3. 12 præcepta, ſive moralia, ſive ceremonialia, ſive denique forenſia fuerint) *homo vivet in eis:* & contra, *qui non fecerit ea, exſecrabilis erit* Deut. 27. ult. infra cap.3. 10.

(b) Verum non eodem modo utrobique opera iſta, ſeu legis obſervatio ſumitur: longe enim perfectius accipitur in ſenſu (c) myſtico, quam in literali, quemadmodum & vita ſeu juſtificatio promiſſa. (d) Nam illo ſenſu, primum ipſa præcepta legis perfectiori ratione ſumuntur; illa præſertim generalia: *Diliges Dominum Deum tuum, in toto corde tuo &c. & proximum tuum, ſicut teipſum* Deut. 6. 5. Levit. 19. 18. Exod.20. Deut. 5. quin & illud, *Non concupiſces*, quod Rom. 7. 7 ita abſolute poſitum, perfectiorem videtur ſenſum poſtulare. At ſenſu poſteriori, nempe literali, legis præcepta ſumuntur accommodate ad rudem populi Iſraelitici, cui data fuerunt, pueritiam, & ad rationem terrenornm ac carnalium promiſſorum, ita ut leges humanas non multum ſuperent. Et hunc quidem ſenſum ipſa ſpecialium præceptorum verba, eorumque proprietas poſtulat.

Generalia autem præcepta accipienda ſunt accommodate ad ſpecialia, nec plus in ſe comprehendere cenſenda ſunt, quam ſpecialia omnia ſimul juncta. (e) Deinde exſecutio quoque mandatorum divinorum perfectior eſt myſtico ſenſu, quam literali. Myſtico ita ſumitur, ut ea perpetuo exacte ſerves, ac proinde juſtificationem operum vi merearis, nec ulla peccati remiſſione indigeas: literali verò ita, ut ſimul includatur illa legis indulgentia, æquitati divinæ convenientiſſima, quæ variis erroribus ac delictis, per certa ſacrificia expiationem concedebat: (f) Iis enim pœnæ tantum temporales auferebantur, non æternæ; ac porro ſeveritatem legis in exigenda obedientia, quod ad ſenſum literalem attinet, mitigabant: quoad ſenſum myſticum nequaquam; alias enim pœnam quoque æternam abſtuliſſent, quam lex eo ſenſu omnibus comminabatur, qui non omnia ejus præcepta ſemper obſervaſſent. Adumbravit quidem expiatio illa expiationem eam, qua æterna ab hominibus pœna aufertur: ſed tanquam futuram, ſeu ſub Novo demum fœdere extituram: quemadmodum & ſacrificia illa adumbrarunt ſacrificia novi fœderis, in quo Deus primum remiſſionem etiam æternæ pœnæ promiſit, & perfectum expiationis modum propoſuit. In hac autem diſputatione de juſtificatione ex operibus legis, tum in hac ipſa, tum in ea quæ eſt ad Rom: epiſtola, (g) Paulus myſticum revera legis ſenſum ſpectat. Unde facile patet, quid & juſtificationis, quatenus eam lex pollicebatur, & operum nomine intelligat. Jam quod ad euangelium attinet, diverſitas non tam in ipſa juſtificatione eſt, ſi myſticum legis ſenſum ſpectes, quam in ejus adipiſcendæ ratione. (h) Nam & hic juſtificatio in immunitate a morte, potiſſimum æterna, (i) peccati pœna, & hæreditate vitæ ſempiternæ conſiſtit: quæ juſtificatio, ſi jus ſpectes, etiam in hac vita nobis contingit: ſi actum illius perfectum, eum demum in futura vita expectamus, ut infra cap. 5. 5 videbimus. (k) Jam quod ad illius adipiſcendæ modum attinet, non opera hic legis operave perfecta requiruntur: ſiquidem omnes peccavimus, legemque adeo non ſervavimus, ita ut nonniſi clementia Dei poſſimus a pœna mortis æternæ liberari, & vitam æternam, quod Deus juſtitiæ exactæ præmium eſſe voluit, adipiſci. (l) Quapropter juſtificatio ſub euangelio nobis propoſita, & ad eos, qui peccaverunt, relata, neceſſario remiſſionem peccatorum in ſe comprehendit. Unde hanc Paulus Actor.13. 38,39. Rom.4. 6,7, cum illa nonnunquam videtur confundere. (m) Requiritur autem ad eam *fides* a Jeſu Chriſto præſcripta, atque in eo collocata, ut tum ex hac ipſa Pauli diſputatione, tum ex multis aliis ſcripturæ locis patet. Fides vero illa aſſenſum doctrinæ Chriſti adhibitum, * ac porro etiam ſpem promiſſorum ejus, in qua fiducia in ipſum collocata cernitur, in ſe comprehendit: ſed in hoc & ſimilibus locis non ſolam. (n) Etenim cum ex plurimis iiſque clariſſimis ſcripturæ teſtimoniis liqueat, ad remiſſionem peccatorum opus eſſe pœnitentia, hoc eſt, animi ac porro etiam vitæ mutatione in melius; & Jacobus expreſſe teſtetur Jac.2. 14,20, & deinceps, hominem non ex fide ſola, ſed ex operibus etiam cum illa conjunctis juſtificari, idque Abrahami demonſtret exemplo Rom.4.3. Gen.15. 6, quem Paulus ſimpliciter fide juſtificatum eſſe probat eo ipſo, quem Jacobus etiam citat, Geneſeos loco, vide Rom. 6 & cap. 8; cum denique & ad Romanos ſcribens apoſtolus, & infra cap. 5 prolixe doceat, ad id, ut legis ſeveritatem effugiamus, & regni cœleſtis fiamus participes, omnino requiri, ut non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulemus; hinc neceſſario efficitur, tunc, cum fidei ſimpliciter, ſeu nulla re alia adjecta, juſtificatio ac ſalus ſempiterna adſcribitur, eaque ſola operibus legis hac in parte opponitur, fidei nomine hanc etiam pietatem vitæ comprehendi; (o) licet ea alibi, cum fides magis proprie ſumitur, ab ea diſtinguatur; qua de re infra videbimus cap. 5. 5,6, ubi utriuſque rei exemplum habebimus; quale etiam extat dicto loco Jac.2. verſ. 23. coll. cum præcedentibus ubi nunc fidei nomine bona opera. tanquam illius ſpiritum aut perfectionem complectitur, nunc ſtrictius ac magis proprie fidem ſumens verſ. 14,18,20,22,24,26, eam a bonis operibus diſtinguit. Cauſæ igitur, hoc eſt fidei nomine, effectus etiam ſimul, & hic apud Paulum, & alibi crebrime comprehenditur, quæ metonymia eſt cum ſynecdoche conjuncta. Per cauſſam enim non quidem effectus ſolus, hoc eſt vitæ pietas deſignatur, ut in ſimplici metonymia cauſſæ accidit: ſed una cum cauſa ſimul etiam effectus, tanquam altera fidei illius perfectæ pars denotatur: ita ut fides illa ſit quippiam ex fide ſtricte ac proprie ſumta, & ejus effectu, qui eſt vitæ pietas, conflatum.

(p) Ex quibus intelligitur, fidem, cui juſtificatio ſimpli-

(a) *Opera legis.* (b) *Duplex eorum acceptio:* (c) *Myſtica perfectior literali.* (d) *1 ratione mandatorum.* (e) *2 ratione exſecutionis eorum.* (f) *Sacrificia V. T. pœnam tantum temporalem auferebant.* (g) *Myſticus hic legis ſenſus ſpectatur.*

(h) *Juſtificatio euangelica.* (i) *Duplex ejus ratio.* (k) *Modus eam obtinendi.* (l) *Juſtificatio euangelica remiſſionem peccatorum poſtulat.* (m) *Fides in Chriſtum:* * *pietatem complectitur.* (n) *Hac ad juſtificationem eſſe opus.* (o) *Pietas interdum a fide diſtinguitur.* (p) *Quibus operibus fides opponatur: & quomodo.*

citer

ſimpliciter adſcribitur, non quibuſvis operibns, ſed tantum operibus κατ' ἐξοχὴν ſumtis, hoc eſt perfectis, & perpetuam voluntatis divinæ exſequutionem complectentibus opponi; idque non ut contrarium contrario: ſed ut latius anguſtiori, & ut id quod imperfectiorem etiam Dei mandatorum obedientiam admittit, ei quod perfectam & exactam omnino poſtulat. Qui opera haberet, fide carere non poſſet. Ideo enim ea præſtaret, quia crederet, Deum eſſe, & eſſe remuneratorem eorum, qui ipſum quærunt, qua in re fides conſiſtit, ut docet auctor epiſt. ad Hebræos Hebr. xi. 6. In Chriſto ſane opera cum fide concurrerunt: ſed in nullo præterea alio; cum omnes peccaverint. (a) Atque hinc præcipua intelligitur cauſſa, cur, cum de juſtificationis adipiſcendæ ratione diſputatur, fide, non operibus, ea obtinenda eſſe dicatur.

(b) Significatur enim, Deum non perfectam, ac per univerſam vitam continuatam mandatorum ſuorum obedientiam ab iis, qui juſtificari velint, omnino poſtulare; (c) imo ne illam quidem, quæ ab eo tempore, ex quo Deum agnoveris, omni ex parte perfecta ſit: ſed talem, qualem fides ac ſpes remunerationis a Deo adipiſcendæ, in nobis pariat, quandocunque tandem ea cœperit. (d) 1 Itaque etiamſi aliquando in graviſſimis peccatis hæſeris, modo fides eam impietatem conſequatur, eamque tollat atque eradicet, juſtificatio apud Deum parata eſt; 2. & etiamſi, poſtquam Deo parere cœpiſti, ex infirmitate nonnunquam labaris, modo vere de te dici queat, te fidem habere, & ea ductum Deo pro viribus parere, juſtificatione non excidis. At opera κατ' ἐξοχὴν ſumta, omnia prorſus peccata excludunt.

(e) Quo accedit, quod cum opera ad juſtificationem requiruntur, ab omnibus æqualiter, quicquid a Deo præceptum eſt, exigitur, modo quis id præſtare ulla ratione potuerit. At cum fides tantum requiritur, non ita æqualiter ab omnibus opera pietatis omnino exiguntur: (f) ſed habetur ratio diverſitatis virium, quas ad ea præſtanda unuſquiſque habuerit; tantum ab unoquoque exigitur, quantum in ipſo præſtare poteſt ſpes promiſſorum divinorum firma, accedente ſerio divinis mandatis parendi ſtudio, quod ea ipſa ſpes in nobis, quamquam volentibus, excitat ac fovet. Unde non exigua, quod ad ipſam operum rationem attinet, oritur inter fideles diverſitas, quæ tamen non efficit, quo minus ii quoque qui operum ratione inferiores ſunt, juſtificentur. (g) In omnibus nempe infirmitatis habetur ratio: quæ cum non in omnibus ſit æqualis, inde fit, ut nec obedientia, quæ fidei nomine includitur, in omnibus ſit æqualis ſimpliciter, ſed ſecundum proportionem quandam, quemadmodnm & ſacræ literæ teſtantur. Vide Matth. 13. 23. xxv. 15, & deinceps. Luc. 19. 15, & deinceps, adde cap. 12. 48. Hæc ergo quia fidei nomine, uti explicuimus, commode ſignificantur, ideo cum de juſtificatione noſtra ſermo eſt, nomen hoc potius, quam alia, quæ pietatem noſtram apertius ſignificent, frequentatur.

(h) Quamquam & illa addi poteſt ratio, quod ea voce indicetur, (i) id ipſum operibus noſtris, licet cæteroquin imperfectis, magnum, ut ita dicamus, addere pretium, atque ut Deo placeamus efficere, quod ipſi, licet eum nunquam viderimus, confidamus ejus promiſſis, præſertim quæ naturæ curſu inſpecto impoſſibilia videntur, firmiter credamus, nec ab ea ſpe nos deduci ulla ratione, ullave operum difficultate patiamur, & hoc pacto Deo omnipotentiæ, bonitatis ſummæ, ac veritatis laudem conſtanter tribuamus.

(k) Animadvertendum autem præterea illud eſt, opera ſimpliciter ſumta, licet perfecta, ab operibus legis, nempe Moſaicæ, quæ ſimplici legis nomine in ſacris literis intelligi ſolet, diſtingui, tanquam genus a ſpecie. Nam & ante legem Moſis opera is habuiſſet, qui perpetuo Deo paruiſſet, ſeu omnia perpetuo feciſſet, quæ vel natura duce, vel ex revelatione divina, Deo grata eſſe cognoviſſet; & nunc quoque opera haberet, qui omnia euangelica præcepta, ab ineunte ætate ad extremum uſque ſpiritum, perfecte obſervaret, etiamſi ceremonias negligeret. (l) At qui legis opera ſectatur, eum non minus ceremonias in ea præſcriptas, quam alia ejus præcepta ſervare neceſſe eſt. (m) Quocirca in hac epiſtola, ubi contra eos diſputatur, qui ceremoniarum Legalium obſervationem urgebant, operum legis ſemper fit mentio, quamquam ejuſmodi fere argumentis ad eorum neceſſitatem tollendam utitur apoſtolus, quæ oſtendant, nec operibus ſimpliciter atque in univerſum (intellige, ut diximus, perfectis) hominem juſtificari; id quod multo magis in epiſt. ad Romanos Rom. 3. 27. iv. 2, 6. xi. 6, cujus hæc compendium quoddam eſt, facit, ubi interdum operum ſimpliciter facit mentionem.

(n) Similiter autem diſtinguenda eſt *fides* ſimpliciter ſeu generaliter ſumta, utut bonis operibus fœcunda, & *fides Chriſti*, aut *in Chriſtum*, tanquam genus & ſpecies. Fide & ipſe Chriſtus fuit præditus Hebr. 12. 13 ex Eſai. 8. 17. Pſal. 18. 3. At non in ſeipſum Chriſtus credidit, ſed in Deum, in quem omnis fides neceſſario dirigitur. Fide Abrahamus, imo omnes, qui ab initio mundi Deo placuerunt Hebr. xi fuerunt juſtificati, quamvis ea de re expreſſum Dei promiſſum non extaret: at fide in Chriſtum ſpeciatim, ſub N. Fœdere juſtificationem adipiſci eſt neceſſe. (o) Fidem habet, quemadmodum ex epiſt. ad Hebr. ſupra docuimus, quiſquis credit Deum eſſe, & eſſe remuneratorem eorum qui ipſum quærunt, ſeu ejus favorem factis voluntati ipſius conſentaneis ambiunt; ac porro hac fide impulſus, reipſa Deum quærit, ut eum viciſſim reipſa remuneratorem ſentiat. (p) At is non protinus Chriſti fidem habet. Hanc enim is demum habet, qui eam remunerationem, quam Deus per Chriſtum promiſit, ſperat, & ea ratione Deum quærendum credit, & porro etiam reipſa quærit, quam per eundem Chriſtum nobis præſcripſit, (q) quæ fides in ipſum etiam Chriſtum, & per eum in Deum collocanda eſt: ſiquidem ipſum quoque Chriſtum tum exiſtere tum ſibi parentibus ac mandata ſua exſequentibus remuneratorem fore, neceſſe eſt credere. Quemadmodum enim Deus per Chriſtum nos remunerabitur, & ſempiternæ vitæ donabit præmio: ita viciſſim nos Deum per Chriſtum quærere, hoc eſt

(a) *Cur fide, non operibus juſtificari dicamur.* (b) *1 ratio.* (c) *Qualem obedientiam omnino poſtulet Deus.* (d) *Benignitas N. fœderis.* (e) *2 ratio.* (f) *Obedientia pro ratione virium exigitur.* (g) *Infirmitatis habetur ratio.* (h) *3 ratio.* (i) *Fides opera noſtra commendat.*

(k) Opera *latius patent quam* opera legis. (l) *Opera legis etiam ceremonias complectuntur.* (m) *De his potiſſimum in hac epiſt.* (n) *Fides genus fidei in Chriſtum.* (o) *Fides in genere.* (p) *Fides Chriſti:* (q) *In ipſum Chriſtum colloeanda.*

Chriſti

Chriſti mandatis obſequendo, Deo ipſi parere, & ejus favorem quærere debemus.

Sed jam tempus eſt, ut ad verba apoſtolica redeamus. Ait igitur Paulus: *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus legis.* [a] nimirum quia nullus eſt, qui legis opera, id eſt, ea omnia ſemper fecerit, quæ lex facienda præſcripſit, nullaque in re umquam peccarit.

*Niſi per fidem Jeſu Chriſti.* Particula *niſi* hoc loco vim excipiendi habere non poteſt, quaſi ſit ſenſus, hominem non juſtificari ex operibus legis, niſi accedat fides Jeſu Chriſti. Opera enim legis non poſſent non hominem per ſe, vi legis, juſtificare, etiamſi nihil aliud ad ea accederet; deinde hujuſmodi ſententia iis, quos Paulus hic oppugnat, maxime arriſiſſet. Neque enim illi fidem in Chriſtum abjiciendam, ſed opera legis cum ea conjungenda eſſe, & ex utriſque ſimul junctis juſtificationem petendum eſſe contendebant. [b] Quocirca particula iſta *niſi*, habet hoc loco vim adverſativæ, poſitaque eſt *pro ſed*, quod alibi etiam occurrit, ut Joh. 5. 19, & 15. 4, [c] ubi ſignificat *ſed ſi*. Matth. 12. 4. 1 Cor. 7. 17. Apoc. 9. 4, & 21. 27, in quibus locis *niſi* ſimpliciter ponitur pro *ſed*. Quia ergo ſcirent, per fidem Jeſu Chriſti juſtificationem contingere, non per opera legis, propterea in Jeſum Chriſtum credidiſſe ſe, alioſque ſui ſimiles, dicit apoſtolus.

[d] *Fides Jeſu Chriſti*, eſt fides quam Jeſus Chriſtus attulit, quæque in Jeſu Chriſti doctrina & religione traditur, vel etiam, quæ in Jeſu Chriſto collocatur. Sic alibi fides Dei, pro fide quæ habetur Deo, aut in Deo collocatur Marc. xi. 22.

[e] *Ut juſtificaremur ex fide Jeſu Chriſti, & non ex operibus legis.* Cauſam finalem fidei, a ſe & ſui ſimilibus in Chriſtum collocatæ, exprimit: id eſt, ut per fidem Jeſu Chriſti id aſſequeremur, ut Deus nos tanquam juſtos tractaret, hoc eſt, tum a reatu & obligatione pœnæ, tum ab ipſa pœna nos liberaret, ac porro etiam præmio, quod juſtis deſtinavit, nempe æterna vita, nos donaret.

*Et non ex operibus legis*, & ne de nobis ſententiam ex legis operibus ferre, & ea demum conditione, ſi ea præſtitiſſemus, nos juſtificare vellet: alioquin enim nobis pereundum eſſet. [f] Hinc autem intelligi vult apoſtolus, non eſſe cur amplius legi immoremur: quandoquidem per eam non juſtificemur, ſed damnemur. Imo eo ipſo, quod per fidem Jeſu Chriſti juſtificemur, legem vim ſuam in nos & imperium amiſiſſe; nec quicquam jam aliud ad juſtificationem requiri, quam quod fide in Jeſum Chriſtum continetur; quæ nec legis exactam obſervationem, nec ejus ceremonias requirit; utpote cum ſumma Dei gratia conjuncta, & non niſi ſpiritualem cultum a nobis exigens.

*Propterea quod non juſtificetur.* [g] Repetit eandem cauſam v. 16 propoſitam, propter quam deſerta lege ad Chriſtum confugerint: ſed ita, ut ad locum veteris teſtamenti non obſcure reſpiciat, & ſic ſcripturæ teſtimonio ſententiam ſuam confirmet. Reſpicit enim ad verba Pſal. 143. 2: [h] *ne ingrediaris in judicium cum ſervo tuo*, (id eſt, ne jure mecum agas, & prout meritus ſum me tractes:) *quia non juſtificabitur coram te omnis vivens.* hoc eſt, quia ſi velles opera hominis ad legis tuæ normam penitus exigere, & ex iis de homine ſententiam ferre, nemo a te juſtus pronunciaretur. Quare Paulus ſententiam iſtorum Davidis verborum nobis quodammodo explicuit, dum addidit iſta verba,

*Ex legis operibus.* [i] Notus autem eſt Hebraiſmus, omnis caro, ſeu omnis homo non juſtificabitur, pro, nulla caro, ſeu nullus homo juſtificabitur. Negatio, non eadem voce cum nota univerſalitatis, ut apud Latinos & Græcos, continetur, ſed verbo proxime præfigitur. Et hęc quidem prima eſt ratio principalis, qua probatur, ex lege juſtificationem petendam non eſſe.

Verſ. 17. *Si vero quærentes.* [k] Amolitur objectionem quandam, quæ ex dictis oriri poterat, & ſententiam ipſius, de juſtificatione per fidem in Chriſtum, non parum labefactare. Ita enim aliquis adverſus Paulum ratiocinari poterat. [l] Dicis, Paule, vos quoque origine Judæos, quærere juſtificationem in Chriſto, idque propterea, quod per legem juſtificari nequeatis, quare & vos non tantum homines gentiles, peccatores eſſe reperimini. Niſi enim peccatores eſſetis, ad Chriſtum a lege non confugeretis. Unde videtur conſequi. Chriſtum eſſe miniſtrum peccati, id eſt hominibus feneſtram peccandi aperire; quandoquidem non iis tantum, qui ignoratione divinæ legis, quales erant homines gentiles, in varia peccata prolapſi ſunt; ſed Judæis etiam, divinæ legis cognitione prędĭtis, peccatorum veniam & juſtificationem pollicetur. An non hoc eſt peccato miniſtrare, id eſt, talem doctrinam & diſciplinam proponere, quæ homines diſſolvat, quæque peccatis faveat & velificetur? Ex quorundam ſententia poſſet & ſic explicari objectio: Quod ſi forte etiam nos, aut aliqui ex nobis, qui juſtificationem per Chriſtum quærimus, interea nihilominus peccare, vel in peccato hærere deprehenſi ſumus, ſeu mavis deprehendimur; (nam prędĭteritum *reperti ſumus*, Hebręorum more pro præſenti poteſt ſumi;) an non, dicet quiſpiam, Chriſtus peccato miniſtrat? [m] *Abſit*, reſpondet apoſtolus; ſeu, hoc ex eo conſequi pernegat.

Verſ. 18. *Si enim quæ diſſolvi.* [n] Rationem affert, cur hoc ex ilo conſequi neget. [o] Cujus vis tota in eo conſiſtit, quod Chriſtianæ religionis ea ſit ratio, ut quivis, qui eam amplectitur, peccato nuncium remittere, idque in ſeipſo deſtruere, vi religionis iſtius & poſſit, & omnino debeat; ita ut, niſi id fecerit, tum iſtius rei culpa univerſa in ipſum, non in Chriſtum ejuſque religionem recidat; [p] tum peccatorum reatui ac pœnis ſeſe denuo obſtringat, & ſic beneficio Chriſtianæ religionis excidat. [q] Quare nequaquam dici poſſe Chriſtum eſſe peccati miniſtrum, ſeu ei operam aliquam navare. Tum demum enim id de ipſo dici poſſet, ſi hominibus in peccato perſeverantibus, aut ad illud redeuntibus juſtificationem polliceretur. Dicere non immerito poſſes, in hac reſponſione contineri ſummam quandam cap. 6, & initii c. 7 ad Rom. Nam iſtic eadem revera objectio diſſolvitur, & ea, quæ hic ad reſponſionem confirmandam afferuntur, fuſius deducuntur. [r] Loquitur autem apoſtolus uſque ad finem cap. in ſua perſona de quovis Chriſtiano, ſed inprimis eo, qui ſub lege aliquando vixerit, eaque deſerta Chriſti reli-

[a] *Cur ex operibus legis nemo juſtificetur?* [b] Niſi *pro* ſed. [c] *Vel* ſed ſi. [d] *Fides Jeſu Chriſti.* [e] *Ejus fidei.* [f] *Legi jam non adhærendum.* [g] 1 *Argumentum principale.* [h] *Ingredi in judicium cum aliquo.*

[i] Omnis non *pro* nullus. [k] 1 *Prolepſis.* [l] *Objectionis explicatio.* [m] *Reſponſio.* [n] *Ejus ratio.* [o] *Chriſtiani & poſſunt & debent a peccatis deſiſtere:* [p] *Alas damnanda.* [q] *Chriſtus peccato non miniſtrat.* [r] *Proſopopœia.*

religionem fuerit amplexus: cujuſmodi proſopopœia reperitur etiam Rom. 8. 2, imo & cap. 7. 25, quemadmodum in cæteris ejus capitis verbis, in ſua perſona loquitur de homine ſub lege exiſtente, declaraturus id, quod verſ. 5 dixerat; qua de re ibi. (a) Id ergo dicere vult Paulus hoc verſ. 18: Chriſtianus quivis, ad Chriſti religionem accedens, illius vi adactus peccatum deſtruit, illique nuncium plane remittit, aut remittere ſe velle teſtatur. Quare ſi illud poſtea iterum ædificet, id eſt in illud relabatur, idque in ſe veluti reſtauret, (b) *tranſgreſſorem ſeipſum conſtituit*, id eſt, ipſemet ſponte ſua, nulla Chriſti ac religionis ipſius culpa, divinam voluntatem tranſgreditur, ſeque ipſum tranſgreſſionis reum facit; ſiquidem Chriſtiana religio, tum ut peccatum abdices ac deſtruas, jubet, tum vires ad id faciendum ſuppeditat; tum denique, ſi contra feceris, non minus, quam lex, damnat.

(c) *Tranſgreſſor* hoc loco non peccatorem ſimpliciter ſignificare videtur, ſed ſimul tranſgreſſionis reum, ac pœnæ obſtrictum, id quod illius conſequens eſt; adeo ut ea vox, non tantum juſto ſeu pio, ſed etiam juſtificato opponatur. Conſentaneum enim eſt, Paulum non id ſolum velle dicere, Hominem eum, qui peccatum, quod deſtruxerat, iterum ædificet, divinam voluntatem tranſgredi, & quidem ſua ſponte, ſuoque, non Chriſtianæ religionis, vitio; verum etiam, eum hoc ipſo ſeſe juſtificationis beneficio privare.

Verſ. 19. *Ego enim per legem legi mortuus ſum, ut Deo vivam.* Dixerat ſe peccatum deſtruxiſſe, & ſi illud denuo ædificet, fore ut peccatorem ſeipſum conſtituat. hujus rei rationem hic affert, cum tacita objectionis occupatione. (d) Videri enim alicui poterat, homines ideo ſeveram illam legis diſciplinam deſeruiſſe, ut liberiores ad peccandum eſſent. Itaque dicit Paulus, ſe quidem legi eſſe mortuum, verum eo fine, ut Deo viveret, non ut liberius peccaret. hanc Chriſtianæ religionis, quamamplexus fuerit, eſſe rationem, hunc ſcopum.

(e) *Legi mori*, eſt reſpectu legis eſſe inſtar mortui, legem deſeruiſſe, amplius ejus diſciplinæ non ſubeſſe, nec curare quid illa vel jubeat, vel minetur. (f) Lex autem eatenus hic ſumenda, eſt, quatenus a Chriſtiana religione diverſa eſt, & a Moſe tantum fuit tradita. Nam quæ cum ipſa euangelica doctrina conſentiunt, & in eam a Chriſto ex lege tranſlata ſunt, ad ea nos ipſa euangelica doctrina obſtringit; non quia Moſes ea juſſit, ſed quia Chriſtus. Talia autem ſunt ea omnia, quæ ipſa honeſtatis ratio requirit. (g) Dicit autem, ſe *per legem* legi eſſe mortuum, ad minuendam dicti invidiam: quaſi dicat, ipſa lex mihi cauſa fuit, ut eam deſererem. quod duplici ratione fieri potuit; (h) vel quia nimis regide mecum egit, ita ut per eam non poſſem juſtificationem adipiſci, quin potius ſua voce me damnavit: adegit igitur me, ut alio me conferrem, & eam diſciplinam amplecterer, per quam & longe melior, quam eram ſub lege, & longe felicior evaderem, hoc eſt, juſtificationem conſequerer: (i) vel quia ipſa lex, dum de Chriſto & in eum fide loquitur ac teſtatur, me ad Chriſtum remittit Rom. 3. 21. Joh. 5. 39, 46. (k) *Deo vivere*, eſt ad ejus voluntatem omnia vitæ actiones attemperare.

Verſ. 20. *Chriſto concrucifixus ſum.* (l) Probat Paulus, ita ſe, atque adeo quemvis Chriſtianum, vi religionis ſuæ inſpecta, legi mortuum, & ab ejus jugo liberatum eſſe, ut Deo in poſterum vivat, non vero ut peccato liberius indulgeat. Ratio eſt, quia vi mortis Chriſti effectum ſit, ut legi moreretur. (m) Mors autem Chriſti nequaquam efficit, ut peccato in poſterum vivas ſeu indulgeas: ſed potius ut ei moriaris, idque penitus abdices, & contra una cum Chriſto vivas Deo: quemadmodum fuſe in epiſt. ad Rom. partim 6. 6 uſq; ad 12, partim 47. explicatur. Hoc ergo dicere vult apoſtolus: Jure aſſerui, me, atque adeo quemvis Chriſtianum, ita legi eſſe mortuum, ut nihilominus non peccato, ut cuipiam vidiri poſſit, ſed Deo in poſterum vivam; quia Chriſtus morte ſua, quam in cruce pertulit, effecit, ut ego etiam ſpirituali ratione crucifigerer ac morerer, non minus peccato, quam legi, & ſic legem ſimul & peccatum abdicarem ac deſererem. (n) Dum enim Chriſtus diſciplinam ſuam morte ſua ſanxit & obſignavit, legi ſimul & peccato vim omnem ademit, & mihi, reſpectu eorum, vitam. (o) Crucis autem, ſeu mortis Chriſti nomine, per ſynecdochen quandam comprehendi tacite debent etiam illa, quibus ſublatis, vim ad ſtabiliendum fœdus novum, mors Chriſti vel non haberet, vel perderet, qualis eſt tum doctrina ejus, ad quam confirmandam mors fuit adhibita, tum reſurrectio eam conſequuta. Unde tum in ep. ad Rom. dictis locis, tum in 2. Cor. 5. 15 eadem de re loquens apoſtolus, reſurrectionis etiam Chriſti expreſſam facit mentionem, eamque cum morte ipſius hac in parte conjungit, ut oſtendat, Chriſtianos earum vi debere etiam mori, (nempe peccato, ſibi ipſis, legi): & reſurgere atque in novitate vitæ ambulare, ſeu Deo ac Chriſto in poſterum vivere, & ex ejus voluntate actiones omnes componere. (p) Solius autem mortis Chriſti hic, & alibi etiam in hoc negotio, mentionem facit Paulus, quod ea inter cætera, quæ novi fœderis ſanciendi cauſſa fecit, ſit opus omnium duriſſimum & apertiſſimum, ſummæ erga peccatores Dei Chriſtique charitatis argumentum, & ſic peculiare quoddam, maximeque proprium novi fœderis ſigillum; adeoque maximam nobis vim, ut Deo nos penitus mancipemus, & ex Chriſti inſtitutis in poſterum vivamus, afferat.

*Vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus.* (q) Quia in præcedentibus ſe partim mortuum & crucifixum eſſe dixerat, partim nihilominus Deo vivere, nunc velut objectionem occupans, quomodo utrumque ſimul conſiſtere poſſit, docet. Diceret enim quiſpiam: quomodo Deo vivis, cum te mortuum ac crucifixum eſſe dicas? Reſpondet; mortuus quidem ſum, quatenus vitam meam priſtinam, habita ratione religionis ac morum, perdidi ac ſponte abjeci: ſed interea tamen vitam aliam, nempe Chriſti, recepi. quemadmodum cum illo mortuus ac crucifixus ſum, ita cum illo revixi. Is in me vivit, ac porro ego quoque una cum ipſo vivo Deo. Cum ergo

(a) *Explicatio verborum.* (b) *Religio Chriſti, peccato adverſa.* (c) *Tranſgreſſor.* (d) 2 *Prolepſis.* (e) *Legi mori.* (f) *Quatenus ab ea liberati Chriſtiani.* (g) *Lex a ſe ad Chriſtum tranſire cogit.* (h) 1 *ſeveritate ſua.* (i) 2 *teſtimonio de de Chriſto.*

(k) *Deo vivere* (l) *Ratio verſ. præced.* (m) *Mors Chriſti & legem & peccatum abdicare jubet.* (n) *Quo pacto.* (o) *Mortis Chriſti nomine & alia comprehenduntur.* (p) *Cur ſolius mortis fiat mentio.* (q) 3 *Prolepſis.* (r) *Paulus quomodo ſimul mortuus & vivus.*

ait, ſe non amplius vivere, ſignificat, ſe priſtinam religionis ac vitæ rationem abdicaſſe ac deſeruiſſe. quaſi dicat non is nunc ſum, qui eram antea; longe ſum mutatus ab illo. vel etiam, non vivo amplius pro arbitrio meo, non ſum mei juris, non ſecus ac ſi eſſem mortuus.

*Sed vivit in me Chriſtus.* (a) Chriſtus, qui revixit, in me quoque vivit, ille me regit & gubernat, ex hujus voluntate & arbitrio mores meos & univerſam vitæ rationem compono; vivebat in Paulo Chriſtus per ſpiritum religionemque ſuam, ejuſque actiones hoc modo gubernabat. Idem hoc eſt cum eo, quod apoſtolus 2 Cor. 5. 14, 15 ſcriptum reliquit: *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Et pro omnibus mortuus eſt, ut qui vivunt non amplius ſibi ipſis vivant, ſed pro ipſis mortuo & excitato.*

*Quod vero nunc vivo in carne.* (b) Iterum occupat contra proxime dicta objectionem: quia poterat aliquis dicere, Chriſtianum, utpote carne præditum, etiam aliorum hominum more vivere, ita ut non videatur eſſe dicendum, illum non amplius vivere, ſed Chriſtum in ipſo; (c) quandoquidem multas actiones peragat, ad carnem ſpectantes: ut quod edat, bibat, dormiat, victum manibus quærat, negotietur; quæ omnia nihil videntur pertinere ad Chriſtum, ſeu vitam ſpiritualem, ſed tantum ad carnem: (d) aliud eſt *in carne vivere*, aliud ſecundum carnem, ſeu, prout caro cupit. illud omnium eſt mortalium; hoc non eſt verorum Chriſtianorum, ut inf. cap. 5 apparebit.

Ad objectionem reſpondet apoſtolus, ſe etiam in talibus *in fide filii Dei vivere*, hoc eſt, cum fide; actiones etiam illas fide eſſe veluti informatas. (e) quaſi dicat, etiam dum iſta perago, quæ mere ad carnem & hanc vitam pertinere videntur, ſemper ad fidem filii Dei reſpicio, & ex ea actiones quoque iſtiusmodi moderor, ut omnia illi ſint conformia, nihil abſonum. (f) Nam naturales etiam ac civiles actiones, quatenus honeſtatis vel turpitudinis capaces ſunt, ad fidem pertinent. Quapropter recte aſſeruerat apoſtolus, non ſe vivere. ſed in ſe vivere Chriſtum. Etiamſi enim Chriſtus, ejuſve religio, non ad quaſvis actiones ſuſcipiendas hominem impellat; nihilominus tamen omnium actionum modum gubernat, & ut honeſtati, divinæque voluntati conſentaneæ ſint, efficit. Quod cum in quopiam evenit, non ipſe, ſed Chriſtus in eo vivere, ejuſque vitam totam gubernare, merito dicitur. (g) Ex his autem verbis manifeſtum eſt, fidem Chriſti eſſe practicam, & in totius vitæ actionibus cerni, earum eſſe regulam ac normam. Cur autem dicatur (h) *Filii Dei fides*, intelligi ex iis poteſt, quæ ſupra diximus, verſ. 16, ubi *fides Chriſti* appellatur. Nomen *Filii Dei* hic iterum κατ' ἐξοχὴν ſumitur, ut ſup. cap. 1. 16. Ita autem Chriſtum hoc loco deſcribit, ut tum ipſum, tum fidem ipſius tanto magis commendet, ac Dei voluntati maxime conſentaneam eſſe oſtendat. Forte etiam, ut tanto magis commendet ipſius erga nos charitatem, & beneficium inde profectum, quod ſtatim ſubjicit, dum ita porro ſcribit, (i) argumentum tum principale ſecundum nobis expoſiturus, quo docetur, non ex lege, ſed ex fide in Chriſtum juſtificationem eſſe petendam.

*Qui dilexit me & tradidit ſeipſum pro me* Ideo autem hanc deſcriptionem addidit, ut cauſam exprimeret, (k) quæ eum vel inprimis permoverit, ut deſerta lege fidem Chriſti amplecteretur, ejuſque religioni adhæreſceret, & ex ea omnes vitæ actiones moderaretur; nempe quod ſe ita dilexerit, ut etiam vitam ſuam pro ſe diriſſimæ morti expoſuerit.

*Pro me*, (l) id eſt, pro pter me, ſeu ſalutis meæ cauſſa. Nam alibi loco particulæ *pro* ponitur *propter*, eodem manente ſenſu. Confer inter ſe Rom. 14. 15, & 1. Cor. 8. 11. Satis autem conſtat, non alia ratione propter nos, ſeu boni noſtri cauſſa mortuum eſſe Chriſtum, quam quatenus ut remiſſionem peccatorum ſalutemque ſempiternam conſequeremur, mortuus eſt. quod quo pacto factum ſit, dictum eſt ſup. cap. 1. [illegible]. & hoc ipſo cap. verſ. 20. (m) Dicitur autem de Chriſto κατ' ἐξοχὴν, quod *pro nobis ſit mortuus* aut *crucifixus*. Nam cum etiam Paulus de ſe dicat, ſe *pro gentibus*, aut *pro eccleſia*, aut *propter electos pati*, ut ſalutem ſempiternam conſequantur; & nos quoque alii pro aliis ad Chriſti exemplum animas ponere debeamus, maxime cum aliorum ſalus agitur Eph. 3. 1. 13. Col. 1. 24. 2 Tim. 2. 10. vide: & 2 Cor: 1. 6. 1 Joh. 3. 16, nihilominus tamen id Chriſto nonnunquam tanquam proprium tribuitur, ut patet ex 1. Cor. 1. 13; nempe quia is primo in eum finem eſt mortuus, & ſecundum Dei gratiam ex ejus morte primo ac potiſſimum ſalus noſtra, in eaque comprehenſa peccatorum noſtrorum remiſſio pendet. Cæteri Chriſto hac in parte tantum ſubſerviunt, & non niſi ſecundario tantus fructus ex eorum morte manat. (n) Jam vero ſi Chriſtus pro nobis, ſeu ſalutis noſtræ ſempiternæ cauſſa mortuus eſt, ſi eum in finem tam acerba paſſus eſt, ut certum, eumque facilem, æquum ac benignum inſtificationis ac ſalutis adipiſcendæ modum ſtabiliret, & jus quoddam ad eam nobis pareret, noſque adeo in illam ſalutis viam traduceret; quomodo ei non adhæreſceremus; quomodo fidem ejus non amplecteremur, & ea totius vitæ actiones non gubernaremus?

Verſ. 21. *Non abjicio gratiam Dei.* (o) Dilatat magis & illuſtrat hoc argumentum apoſtolus, quo ſe ad fidem & religionem Chriſti, deſerta lege amplectendam, adductum fuiſſe dixerat. Oſtendit enim, ſe niſi id faceret, merito pro contemptore gratiæ divinæ, homineque adeo ingrato atque impio habendum. Tacite nempe, ut alibi, ita etiam in præcedentibus præſuppoſuerat Paulus, quod alias ſatis apertum erat, & Galatis, ut ex ſeq. cap. initio apparet, jam antea clare ac perſpicue fuerat a Paulo demonſtratum, & ſupra cap. 1. 4 repetitum, Chriſtum ex Dei voluntate ad remiſſionem peccatorum nobis pariendam fuiſſe mortuum, ſeu eum in finem, ut juſtificationem per fidem ſine operibus legis obtinendam ſanciret ac ſtabiliret. Hanc ergo gratiam Dei Paulus negat ſe abjicere, vel, quæ (p) Græcæ vocis vis eſt, irritam atque inanem reddere, ſeu reddere velle, tum quod Deus (q) gratuito

(a) *Chriſtus in Paulo vivebat.* (b) 4 *Prolepſis.* (c) In carne vivere *quid.* (d) *aliud* ſecundum carnem *vivere.* (e) *Chriſtianus vitam communem fide gubernat.* (f) *Quatenus vita communis fidei ſubjaceat.* (g) *Fides Chriſti practica.* (h) *Fides Filii Dei.* (i) 2 *Argumentum principale.*

(k) *Paulus cur Chriſti fidem amplexus.* (l) *Pro nobis quomodo mortuus Chriſtus* (m) *De eo per excell. dicitur.* (n) *Chriſto adhærendum.* (o) *Amplificatio rationis.* (p) ἀθετεῖν, (q) *Gratia Dei.*

ſe juſti-

ſe juſtificare velit, & peccata ſibi remittere; tum quod, ut hanc promiſſionem ſanciret, Chriſtum mori & ſanguinem fundere voluerit. quaſi dicat: haudquaquam ita ingratus itaque impius eſſe volo, (a) ut tantam Dei gratiam ſpernam, aut ſupervacuam atque otioſam judicem. quod quidem facerem, ſi legi adhuc, quam Chriſto, mallem adhæreſcere, & ex illa potius, quam ex fide Jeſu Chriſti juſtificationem quærere. Ἀθετῶ ſignificat abrogare, irritum facere; interdum etiam repudiare, ſpernere, ut 1. Theſ. 4. 8. Heb. 10. verſ. 28.

*Si enim per legem juſtitia.* (b) Ratio ſuperiorum cum prolepſi quadam. Dicere enim quiſpiam poterat, Cur tu ais, te Dei gratiam non abjicere, ſeu irritam non facere? Numquid eam faceres irritam, ſi ex lege petendam duceres juſtitiam, & fidem filii Dei amplecti nolles? Reſpondet Paulus, omnino irritam facerem.

Nam ſi ex lege petenda eſt juſtitia, *Chriſtus δωρεὰν eſt mortuus.* (c) Δωρεὰν proprie ſignificat *gratias*, & reſpondet Hebræo Chinnam: ſumitur autem interdum pro *ſine cauſſa*, intellige, juſta, gravi, ac ſufficiente: ut Joh. 15. 25. Ait ergo apoſtolus: (d) Si ex lege petenda eſſet juſtitia, ſine cauſſa, ſeu temere mortuus fuiſſet Chriſtus; ac proinde gratia divina, quæ in ea re apparuit, nulla cenſenda eſſet, ac plane irrita fieret. Chriſtus enim eum in finem eſt mortuus, ut novum fœdus, & in eo propoſitam peccatorum remiſſionem, modumque juſtificationis per fidem adipiſcendæ, confirmaret ac ſanciret. At quorſum iſtud, ſi per legem ejuſque opera juſtificationem adipiſci debemus? ſiquidem legalis hic juſtificationem aſſequendi modus, illum qui eſt per fidem, ac remiſſionem peccatorum tollit atque abolet. Quis ergo gratiæ illius divinæ, ex qua factum, ut Chriſtus pro nobis moreretur, uſus, quis fructus? Nonne ea plane irrita erit?

(a) *Hanc ſpernit, qui legi adhuc adhæret.* (b) *Ratio dicti, cum prolepſi.* (c) *Δωρεὰν pro* ſine cauſſa. (d) *Lege vigente mors Chriſti irrita.*

## CAP. III.

### *ARGUMENTUM.*

*Pergit apoſtolus in materia propoſita; & in priori hujus cap: parte rationibus ſententiam ſuam, de juſtificatione per fidem, non per legis opera quærenda, munit; in altera objectionem potiſſimam, quæ ex legis Moſaicæ promulgatione peti poterat, amolitur, & ſententiam ſuam tanto validius aſſerit ac propugnata vſ. 15. Primum autem, occaſione argumenti, quo ſub finem præcedentis capitis docuerat, ex lege non eſſe petendam juſtitiam, quod quidem a morte Chriſti ductum eſt, reprehendit Galatas, quod a veritate euangelica deficerent ad legem, licet ſumma cum diligentia de vi mortis Chriſti edocti eſſent, & ſic probe cognoviſſent, non ex lege, ſed ex fide in Chriſtum, juſtificationem eſſe petendam.*

Verſ. 1. AIt igitur: *O amentes* vel *inconſiderati Galatæ.* Quaſi dicat: (a) Quam amentes ergo, quamque ſtolidi atque inconſiderati eſtis, o Galatæ, qui cum iſta pleniſſime ex me didiceritis, tamen in veritate euangelica non perſiſtatis, ſed ab ea ad legem deficiatis. Certum autem eſt, non ex ira non ex odio, acriorem hanc reprehenſionem eſſe profectam; ſed ex ſtudio quodam eos ad meliorem mentem revocandi, &, ut gravitatem erroris ſui conſiderare, & eo agnito erubeſcere ac reſipiſcere vellent, efficiendi. Itaque cum & a tali animo eſſet profecta, & a tanta auctoritate, (neque enim omnia omnibus licent:) non pro convicio, ſed pro paterna objurgatione habenda eſt. Nec adverſatur interdicto Chriſti Matth. 5. 22: (b) eatenus enim ibi ſtultum appellare fratrem vetat Chriſtus, quatenus ejuſmodi vox ex ira proficiſcitur, de cujus effectis ibi loquitur, & ſic verum eſt convicium. Simili ſane ratione diſcipulos ſuos tanquam pater filios objurgavit ipſe Chriſtus Luc. 24. 25, vide & Matth. 15. 16. (c) Magna autem erat ſtultitia, a Chriſto ad Moſem, ab euangelio ad legem tranſire, vel legem cum euangelio copulare, & voluntariam eamque graviſſimam ſubire ſervitutem; modum juſtificationis conſequendæ facilem ac ſuavem negligere, impoſſibilem autem eligere; præſertim in iis, quibus tam accurate, tanta cum diligentia Chriſti doctrina, & mortis illius vis explicata fuerat.

Ideo ſubjicit, *quis vos faſcinavit, veritati non obſequi?* quaſi dicat, tam gravis eſt veſter hic error, tanta imprudentia, ut videri queat, non naturali aliqua & conſueta ratione vos eſſe deceptos: ſed (ſi ejus rei vis aliqua hic eſſe poſſet) faſcino quodam mentes & oculos veſtros fuiſſe captos: vel, quis vos præſtigiator decepit, & adeo dementavit?

*Ut veritati non obediretis* id eſt ei obedire non pergeretis. (d) Obedimus autem veritati, non ſolum factis, quamquam his potiſſimum; verum etiam mente, dum ei aſſentimur, ei judicium noſtrum ſubmittimus; & huc maxime reſpicit hoc loco apoſtolus. unde nonnulli ita reddiderunt locum, *ut non crederetis veritati*, præſertim cum πείθεσθαι proprie ſit *perſuaderi*. ſed verbum iſtud dativo junctum obtemperandi ſignificationem habet, licet hic obtemperatio illa in credendo revera conſiſtat.

(e) Cauſſam autem redditurus, cur tantopere miretur Galatarum errorem, ſubjicit: *quibus ob oculos Jeſus Chriſtus deſcriptus*, vel potius *depictus fuit*. Utrumque enim ſignificat (e) προγράφειν: ſed *depingendi* verbum allegoriæ, qua hic utitur apoſtolus, melius convenit. Particula πρὸ ex qua verbum eſt compoſitum, poteſt quidem ſignificare idem quod *antea*, vel *prius*; quaſi dicere velit apoſtolus, Chriſtum illis jam antea fuiſſe depictum: ſed magis loco convenit, ut ſignificet *ante faciem*: ut ita magis adhuc exprimatur, & quodammodo repetatur id quod dictum fuerat *ante oculos*. (f) Itaque ſenſus eſt, adeo accurate, adeo plane ac perſpicue vobis expoſui Jeſum Chriſtum, nempe ratione muneris ipſius, ſeu mavis religionem ac doctrinam i-

(a) *Acrior Galatarum reprehenſio* (b) *Stultum appellare quomodo vetet Chriſtus.* (c) *Stultum a Chriſto ad legem tranſire.* (d) *Veritati obedire.* (e) *Cauſſa admirationis Paulinæ.* (f) προγράφειν. (g) *Chriſtus Galatis depictus.*

pſius, eaque omnia, quæ ſalutis noſtræ cauſſa, vel fecit, vel paſſus, vel denique conſecutus eſt, & nominatim vim mortis ejus; ut non ſecus rem cernere poſſetis, ac ſi eam vivis coloribus depictam ante oculos veſtros poſuiſſem, & vobis ſpectandam exhibuiſſem.

Ideo addit: *In vobis*, ſeu *inter vos crucifixus*. (a) Subaudienda eſt particula ſimilitudinis, *tanquam*. Optima pictura eſt, quæ ita rem exprimit, ut ea ipſa ante oculos noſtros exiſtere, aut geri videatur. Quia ergo planiſſime a Paulo erat vis mortis Chriſti explicata, ideo ait, a ſe Chriſtum Galatis fuiſſe depictum, ut inter eos quodammodo videretur eſſe crucifixus. Hinc autem apparet, in iſta depictione Chriſti crucifixi, incluſiſſe apoſtolum doctrinam de mortis ipſius vi ac fine, quem hunc fuiſſe oſtendimus, ut novum fœdus, & doctrinam de juſtificatione per fidem obtinenda, perpetuis temporibus dedicaret ac ſanciret. Itaque Paulus jure miratur, Galatas, quibus iſta tam clare fuiſſent explicata, eo nihilominus dementiæ prolapſos, ut iſtum juſtificationis modum, per Chriſti mortem ſtabilitum deſererent, & legalem amplecterentur. Occaſionem autem id nunc commemorandi inde habuit, quia paulo ante ex Chriſti morte collegerat, juſtificationem non eſſe ex lege petendam; ac proinde legi eſſe valedicendum.

*Verſ.* 2. *Hoc ſolum volo diſcere a vobis.* (b) Novo argumento, quod inter principalia tertium eſt, oſtendit, doctrinam de juſtificatione per fidem adipiſcenda ſequendam eſſe, non eam, quæ per opera legis juſtificationem quærere jubet. Sumtum autem eſt ex eo, quod Galatæ non ex operibus legis, ſeu mavis beneficio doctrinæ de operibus legis præſtandis, & juſtificatione ex iis petenda, ſpiritum ſanctum accepiſſent: ſed per fidem, ſeu mavis beneficio doctrinæ de fide deque juſtificatione per eam adipiſcenda.

*Hoc ſolum cupio a vobis diſcere*, ſeu *cognoſcere*. (c) Nempe quia vel hoc ſolum, etiamſi alia argumenta deeſſent, illos poterat convincere. Ea enim ratione apertiſſime demonſtratum fuit, doctrinam de fide deque juſtificatione per eam quærenda, divinitus fuiſſe profectam. hac autem ſtabilita, ſimul legis vis tollitur; & tanto quidem magis, quod cum lege tantum Dei donum nequaquam fuerit conjunctum. Hic eſt ille ſpiritus, qui inter teſtes divinos collocatur a Johanne 1 Joh: 6. 6, 18, & de quo nominatim dicit, quod ſit veritas. vide Heb. 2. 1.

*Ex operibus legis*. Hoc mihi ſaltem dicite, an ex eo quod opera legis feceritis, vel etiam quod doctrinam quæ legis opera urget, receperitis, ſpiritum S. acceperitis:

An vero *ex auditu fidei*, id eſt, ex eo, quod doctrina de fide in Chriſtum audita, eam fueritis amplexi? (d) *Fidei* enim vox, pro doctrina de fide, hoc loco, ut & alibi, accipi poteſt. quemadmodum fit cap. 1. verſ. 23, & hoc ipſo cap. infra verſ. 23. Quare vox (e) *auditus* proprie ſumi poteſt, licet alicubi prædicationem ſignificet Eſa. 53. verſ. 1. Joh. 12. 38. Rom. 10. 16. Porro una cum antecedente, nempe auditu doctrinæ de fide, ſimul intelligendum eſt conſequens, nempe fides, ſeu aſſenſus ei adhibitus.

(f) Spiritus enim ſanctus non dabatur iis, qui doctrinam euangelicam tantum audiebant, ſed iis qui auditam recipiebant. Non ſubjicit apoſtolus reſponſionem: quia nimis manifeſtum erat, ſpiritum ſanctum in eos ideo fuiſſe effuſum, quod in Chriſtum credideranr. Quare ſic Galatas urgere cenſendus eſt apoſtolus: Cum Deus hanc doctrinam tam pretioſo ſpiritus ſancti dono vobis communicato confirmarit, & per iſtud donum ſatis fuerit teſtatus, ſe omnes eos juſtificaturum, qui fidem habuerint; quæ ſtultitia eſt, ad legem ejuſque opera, quæ cum vobis prædicarentur, & a vobis reciperentar, tale donum non habuerunt conjunctum, velle tranſire?

Verſ. 3. *Sic amentes eſtis, cum incepiſſetus ſpiritu, nunc carne perficitis*? In hoc & ſeqq. verſic. Paulus argumentum propoſitum amplificat, & pondus aliquod ei addit. Etenim occaſione ejus doni, quod Galatis per euangelium obtigerat, per legem autem, ad quam nunc tranſirent, nequaquam; (g) commemorat duo quædam ejus ſpiritus effecta ac fructus, quibus ſeſe nunc Galatæ ad legem deſciſcentes, ſponte ſua privent, & ſic a ſtatu longe meliori ac feliciori ad deteriorem delabantur: ut eorum amentiam tanto clarius oſtendat, & eos ab errore revocet. Prior ſpiritus illius fructus eſt, vita ſpritualis, ſeu vera ſolidaque pietas, a qua Galatæ nunc degenerarent: poſterior, patientia in afflictionibus pro veritate euangelica, cujus fructu ac præmio ſe hac inconſtantia ac defectione ſua fraudarent. Ait ergo: adeo amentes, adeo inconſiderati eſtis, ut non videatis, vos a ſtatu longe feliciori ac præſtantiori ad ſtatum longe viliorem delabi, ab equis, ut dici ſolet, ad aſinos? (h) ſpiritu incepiſtis, id eſt, ſpiritus illius ſancti, qui vobis per fidem in Chriſtum obtigerat, ductum ſequi cœperatis, ac proinde ſpiritualem vivendi & Deo ſerviendi rationem ſectabamini, quæ nimirum ſpiritu & animo magis, quam carne peragitur. (i) Spiritus enim iſte non ad ceremonias, non ad carnalem & externum Dei cultum, ſed ad veram ſanctimoniam, & internum animi cultum homines rapit. Ab hoc ſpiritus ductu cultuque ipſi convenienti, ad carnalem religionem, quæ in variis ritibus ac ceremoniis conſiſtit, (k) & carne magis, quam animo & ſpiritu perficitur, delabimini, & ſic cum bene cœperitis, male finitis, nec ultima reſpondent primis.

Verbum ἐπιτελεῖσθαι mediæ potius, quam paſſivæ ſignificationis eſſe videtur, ita ut ſignificet *finire*, *abſolvere*; opponitur enim verbo ἐναρξάμενοι.

Voce (l) *Carnis* non ſemel utitur Paulus, cum de ceremoniis rebuſve externis agit: quia carne perficiantur, carnem non ſpiritum mentemve hominis afficiant; ut infra cap. 6. 12, 13: & 2. Cor. 5. 16. Phil. 3. 3, 4. Et hoc quidem loco ita videtur accipi: non vero pro appetitu carnali, ut alibi ſæpe contingit. Neque enim veriſimile eſt, Galatas protinus ad carnis opera, ſeu vitia aliqua ob defectionem illam ſuam, nondum, ut videtur, penitus conſummatam, prolapſos fuiſſe; a ſpiritualis autem vitæ ſolidæque pietatis ſtudio,

(a) Nota ſimilitudinis omiſſa. (b) 3. *Argumentum principale.* (c) *Spiritus. S. donum euangelium maxime confirmat.* (d) *Fides pro doctrina de fide.* (e) *Auditus.*

(f) *Spiritus ſanctus credentibus tantum datus.* (g) *Fructus ſpiritus ſancti, & eorum jactura.* (h) *Prioris explicatio.* (i) *Spiritus ad ſolidam pietatem ducit.* (k) *Carne perficere.* (l) ἐπιτελεῖσθαι. (m) *Caro.*

a quo primum cœperant, ad carnalem ceremonialemque Dei cultum eos nunc progreſſos, & ſic curſum vitæ ac religionis abſolvere inſtituiſſe, ſatis conſtat. (a) Quamquam & illud certum eſt, ubi carnalis ille cultus viget, ibi homines fere etiam carnaliter vivere, ac peccatis variis ſervire. quandoquidem occupati rebus iſtis externis, quibus caro libentius defungitur, quam iis, quas ſpiritus imperat, interna animi bona, ſolidaſque virtutes minus curant, & ſibi ipſis hac externa pietatis ſpecie impon unt, ut ſatis officio ſe functos, ſatis ſe pios arbitrentur.

Verſ. 4. *Tanta paſſi eſtis fruſtra.* (b) Alterum exprimit ſpiritus ſancti fructum, quem Galatæ antea fuerant adepti, nunc perditum ibant. Etenim inter alia, quæ Galatæ ſpiritus ductu atque impulſu fecerant egregia, propter veritatem doctrinæ illius, quam a Paulo acceperant, non levia fuerant ab adverſariis paſſi; nunc illis, veluti indigne id ferens, & ſimul vicem eorum dolens, exprobrat, quod hac eorum inconſtantia fiat, ut iſta ipſorum patientia in irritum cadat, & fructu ſuo excidat; ſi modo ita, ut cœperant, pergant, hoc eſt, carne finiant, & priorem illam ſuam conſtantiam hac ratione refutent & damnent. quaſi dicat: (c) tam gravia eſtis veritatis cauſa perpeſſi, ob quæ jure poteratis ſperare a Deo præmium: & nunc deſerta veritate, & una cum ipſa, etiam vita ſpirituali ſolidaque pietate, committitis, ut tanto præmio merito excidatis; pœnitet me veſtræ hujus amentiæ pigetque. Omnis nimirum labor, omnis pietatis fructus perit, niſi uſque ad finem in veritate ac ſanctitate vitæ perſeveres. vide Ezech. 18. 24, 26: & cap. 33. 12, 13, 18. Matth. 10. 22. Heb. 3. 6, 14. 2 Pet. 2. 20, & d. 2 Joh. verſ. 8. Apoc. 2. 10, 26.

(d) Non deſunt autem qui exiſtiment, apoſtolum hoc loco illud beneficium, quod Galatis, cum euangelium reciperent, divinitus obtigiſſe verſ. 2 dixerat, nempe ſpiritus ſancti donum, magis adhuc urgere: præſertim cum de eodem in ſequentibus verbis loqui pergat, dum ait: *Qui ergo ſuppeditat*, vel *ſuppeditabat vobis ſpiritum*, &c. Itaque verbum ἐπιχορηγῶν, hic tam late arbitrantur extendi, quemadmodum quidem apud bonos auctores non raro contingit, ut etiam ad bona, quibus quiſpiam afficiatur, ſeſe porrigat. Solent enim Græci dicere, aliquem quidpiam πάσχειν, ſeu pati, cum re qualicunque afficitur, ſeu ei quidpiam, ſive boni, ſive mali, evenit. Ita ſenſus eſſet: Tantiſne ſpiritus ſancti donis fruſtra fuiſtis affecti? incaſſum illa vobis contigerunt? Fruſtra enim iſtis donis affecti fuerant; quandoquidem ſinceritate euangelii deſerta, ad doctrinam admixtione legis Moſaicæ adulteratam deſciverant. Nam ideo donis iſtis cæleſtibus affecti fuerant, ut conſtantes in veritate euangelii perſiſterent. Verumtamen poſſunt ſequentia cum his, retenta etiam priori explicatione, quæ ſimplicior eſt, & cum proxime præcedentibus optime cohæret, ſat commode connecti. Neque enim apoſtolus, ea interpretatione admiſſa, a ſpiritus ſancti dono, quod Galatis obveniſſe verſ. 2 dixerat, penitus receſſit; ſed ejus tantum fructus quoſdam explicuit, & de eorum jactura Galatas admonuit: quibus interjectis, id quod principale erat, & cujus gratia cætera fuerant addita verſ. 5 reſumit, eoque Galatas denuo urget: idque ut videtur, aliquanto etiam concinnius, quam ſi de eadem plane re verſ. 4 fuiſſet locutus.

*Si modo & fruſtra.* Et hæc verba duplicem admittunt ſenſum. (f) Vel enim hoc vult dicere apoſtolus; non tantum nullum fructum eos ex toleratis malis, vel, ſi ita placet, ex acceptis ſpiritus ſancti donis, ſi ſpiritu exorſi, nunc carne finiant, habituros: ſed etiam damnum ingens eſſe accepturos, hoc eſt, ob iſtam a priſtino ſtatu defectionem, etiam pœnam laturos, & tanto quidem majorem, quanto plures habuiſſent in veritate perſiſtendi cauſſas. (g) Vel his verbis ſe quodammodo corrigit apoſtolus, & oſtendit, ſe nondum plane de iis deſperare: ita ut particula & redundet; quod alibi etiam uſu venit, 2. Cor. 5. 3. Heb. 1. 6. quaſi dicat: ſi modo in iſto errore perſeveraveritis, & ſic priſtinam illam veſtram conſtantiam, vel (ſi poſteriorem præcedentium verborum ſenſum ſequi placeat) illud ſpiritus ſancti donum, ob doctrinam de fide a vobis receptam in vos collatum, irritum facere perreveritis: quod tamen vos haudquaquam facturos confido. Spes mihi potius de vobis eſt, vos ad ſaniorem mentem redituros, & ſic conſtantiæ illius, ſeu patientiæ fructum aliquando reportaturos, vel effecturos, ne fruſtra donum adeo divinum in vos collatum fuerit.

Verſ. 5. *Qui ergo ſuppeditat*, vel potius *ſuppeditabat ſpiritum.* (h) Participium enim ἐπιχορηγῶν, utriuſque eſt temporis; ſic & ſequens ἐνεργῶν, poteſt reddi, *qui operatur*, vel *qui operabatur*. Iterum illos premit eodem argumento, quod verſu 2 explicuimus, utpote evidentiſſimo, & ad convincendos Galatas valde efficaci; idque ab effectu illuſtrat atque amplificat, dum ait:

*Qui operatur*, vel *operabatur potentias*, id eſt ſtupenda miracula, ex ſingulari potentia divina profecta. Sic alibi non ſemel ea vox accipitur Matth. 7. 22. XI 20, 21: XIII. 54, 58: XIV. 2, 1 Cor. 12. 10, 28, 29.

*Ex operibus legis, an ex auditu fidei?* id eſt num ideo ea præſtabat, quod doctrinam de operibus legis receperitis; an vero ideo, quod doctrinam de fide audieritis & amplexi fuerit is? Opera legis per metonymiam ſubjecti pro doctrina de operibus legis ſumuntur, ut fides pro doctrina de fide. qua de re vide verſ. 2. ſubaudienda hic iterum eſt reſponſio: Non ex operibus legis; ſed ex auditu fidei.

Verſ. 6. *Quemadmodum Abraham.* (h) Quartum argumentum principale, ad confirmandam doctrinam de juſtificatione per fidem, ab exemplo Abrahami, qui veri Dei populi pater eſt, ductum. Is enim non ex operibus, ſed ex fide, non ex meritis, ſed ex gratia juſtificatus fuit, teſte ſcriptura.

Particula καθὼς *quemadmodum*, habet vim illuſtrandi id quod proxime aſſeruerat apoſtolus. (i) Aſſeruerat autem ſatis aperte ſua interrogatione, Deum ſpiritum ſanctum Galatis dediſſe, non ex operibus legis, ſed ex fide; ac proinde etiam eos ex fide juſtificaſſe. Eſt enim ſpiritus ſanctus arrhabo hæreditatis noſtræ, & ſic juſtificationis noſtræ ſignum, imo & pars quædam.

(a) *Ceremoniæ pietati efficere ſolent.* (b) 2 *Spiritus Sancti fructus & ejus jactura.* (c) *Patientia Galatarum.* (d) *Alia explicatio.* (e) πάσχειν *etiam de bonis.* (f) 1 *Senſus.* (g) 2 *Senſus petitio argum. 3.* (h) *Repetitio argum. 3. exemplo Abrahami.* (i) 4 *Argum. princip: ab exemplo Abrahamitibus.* (k) *Nexus cum præcedentibus.*

qua de re infra verſ. 14 dicentur plura. Itaque recte apoſtolus ad id illuſtrandum, Abrahami exemplum affert, qui ſimiliter fide fuerit juſtificatus. Quanquam etiamſi non eſſet ſimilitudo inter Abrahamum & Galatas, quod attinet ad ſpeciem beneficii per fidem obtenti; ſatis tamen eſſet, ſimilitudinem eſſe in beneficii genere, ad id ut apoſtolus hæc per particulam *ſicut* inter ſe connectere poſſet. [a] Cum autem dicimus, Galatas fuiſſe juſtificatos, cum primum crediderunt in Chriſtum, id de juſtificatione quadam inchoata intelligendum eſt, quæ adhuc penderet ſub conditione; ſi nimirum & in fide conſtantes eſſent, & fidem haberent vivam, id eſt, bonis operibus animatam. Nam vel fide ſtricte ſumta, vel bonis operibus, quæ fides producit, ſublatis, tollitur ac ceſſat juſtificatio; [b] quæ tum demum pleno jure obtinetur, cum bona opera ſequuntur. * Quemadmodum etiam in Abrahamo factum eſt, cujus juſtificatio inchoata quidem fuit, cum Deo promittenti ſibi prolem credidit; quemadmodum ex loco Gen. 12. 2. XIII. 16 hic citato patet; imo & ante: ſed non ante perfecta fuit, quam Deo in omnibus ex animo paruiſſet. Nam tum demum Jacobus ſcripturam, quæ Abrahamum ex fide juſtificatum fuiſſe dicit, impletam fuiſſe teſtatur Gen. 15. 6. Jac. 2. 21, 22, 23, (hoc eſt Abrahamum tum demum pleno jure juſtificationem, ſibi jam aliqua ratione deſtinatam, obtinuiſſe,) cum Iſaacum obtulit ſuper altare. Quia enim in re tam ardua paruerat, non dubitavit Deus eum penitus juſtificare; pro certo habens, eum, quem etiam toties jam exploraverat, & ſemper ſibi obedientem repererat, in cæteris omnibus ſibi obtemperaturum. Qua de cauſa, tum demum juravit Abrahamo Gen. 22. 16 & deinceps, ſe ea, quæ illi promiſerat, præſtiturum. [c] Juramentum autem illud, ſignum fuit immutabilis Dei voluntatis; ut hac de re diſſerit autor epiſtolæ ad Hebræos cap. 6. verſ. 17, quem confer cum verſ. 13, 14.

*Et imputatum eſt illi ad juſtitiam.* [d] Id eſt, ex gratia & benignitate ſua ita Deus fidem Abrahami accepit, ut ipſum propter eam, tanquam juſtum atque innocentem tractare conſtitueret, & id, quod juſtitiæ præmium eſſe debebat, illi decerneret.

Hic uſus verbi [e] λογίζεσθαι, ſeu *imputare*, manat ex propria vocis iſtius ſignificatione, quæ eſt cogitare, putare, aliquid apud ſe veluti ſubducta ratione ſtatuere. [f] Cum dicitur Deus rem bonam, nempe juſtitiam, alicui ſimpliciter imputare, ſignificatur, Deum apud ſe ſtatuere, ſe aliquem velle tanquam juſtum & innocentem tractare; [g] cum dicitur alicui rem malam imputare, nempe peccatum, ſignificatur, Deum velle aliquem punire; cum dicitur, Deum imputare aliquid ad aliquid, id eſt, fidem ad juſtitiam, ſignificatur, [h] Deum tanti velle ducere fidem, ut eam juſtitia ſeu juſtificatione dignetur. [i] Semper autem hæc vox indicat liberam ejus, qui imputare dicitur, voluntatem, ita ut aliter facere potuerit. Nam & cum juſtitiam imputat, poterat non imputare: quia is, cui ea imputari dicitur, eam non meruerat, & cum peccatum imputat, non imputare poterat: quia licet is qui peccavit pœnam meruerit, [k] non tamen ea ipſi debetur, proprie loquendo, ita nimirum, ut juſtitia ipſa per ſe poſtulet, ut ea illi infligatur. Neque enim is, qui peccavit, ſibi, ſed alteri jus ad pœnam peperit. Unicuique autem de ſuo jure decedere licet; & qui id non facit, libere facit. Aliter nempe meremur res bonas, aliter malas: [l] aliter debentur præmia, aliter pœnæ: qui præmium merenti denegat, injuſtus eſt, qui pœnam non infligit, injuſtus idcirco non eſt. Nam qui rem bonam meretur, ſibi acquirit ad eam jus, quod illi eripere nemo ſine injuria poteſt: qui rem malam meretur, alteri jus ad eam inferendam acquirit. [m] Itaque cum Deus fidem imputare dicitur ad juſtitiam, poterat aliter facere; nec enim fides juſtitiam, hoc eſt, juſtificationem meretur. Itaque ex gratia & benignitate id facit Deus. Sed de his in epiſtola ad Romanos cap. 4.

Verſ. 7. *Cognoſcite*, vel *cognoſcitis ergo*, *quod qui ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahami.* [n] Ex iſto Abrahami exemplo jam concludit, homines fide juſtificari.

*Quod qui ex fide ſunt*, hoc eſt, qui credunt, qui fidem habent, *ii ſunt filii Abrahami.* [o] Conciſe loquitur Paulus, & filiorum Abrahami nomine etiam filiationis iſtius conſequens, nempe hæreditatem, ſeu juſtificationem, ac benedictionem Abrahamo & ſemini ejus deſtinatam, idque præcipue complectitur. Id enim oſtendere & volebat, & debebat, eos qui fide prediti ſunt, ſimiliter atque Abrahamus juſtificatum iri, quaſi dicat: [p] Ii, qui fidem habent, cum Abrahamum ſimilitudine referant, ea ſcilicet in re, ob quam Deo tantopere placuit, & juſtificationem eſt adeptus; & ipſi, tanquam veri ejus filii, quibus ejuſdem felicitatis hæreditas deſtinata eſt, juſtificationis participes evadunt. [q] Etenim ſi Abrahamus ex fide juſtificatus eſt; neceſſe eſt, ut omnes, qui ejus fidem imitantur, quique, ut ille, Deo promittenti firmiter credunt ac confidunt, ejus ſint filii, quandoquidem per filios intelligit Paulus filios non carnales, ſed ſpirituales, qui Abrahamum, non corporis, ſed animi ac morum ſimilitudine referunt. Jam vero ſi illi, qui credunt, Abrahæ ſunt filii, ſequetur eos etiam eſſe Abrahæ hæredes; &, quemadmodum ſpirituales ſunt filii, ſic etiam ſpiritualis benedictionis hæredes. Benedictio autem iſta juſtificationem omnino in ſe complectitur. vide verſum ultimum hujus cap.

Verſ. 8. *Prævidens autem ſcriptura.* [r] Quod in genere docuerat apoſtolus, homines nimirum juſtificari ex fide, non ſecus atque Abrahamus; id nunc nominatim etiam de gentibus ſcripturæ teſtimonio docet: ne quis forte putet, juſtificationem ex fide, quæ Abrahamo contigerit, & ejus ſemini promiſſa fuerit, ad gentes nihil pertinere. Cogitare enim aliquis poterat, ad id ut quiſpiam Abrahamicæ benedictionis ac juſtificationis hæres evadat, requiri, ut & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum Abrahami ſit filius.

Quare cum hoc loco dicit Paulus, *quod Deus ex fide juſtificet gentes*, perinde eſt ac ſi dixiſſet: quod *etiam* gentes ex fide *juſtificet*, hoc eſt juſtificaturus ſit, quo pacto in epiſtola ad Rom. 4. 5 in illis verbis, *qui juſtificat impium*, ſubaudienda eſt particula *etiam*, quaſi d. qui juſtificat etiam impium. Ad id ergo probandum ci-

[a] *Galatarum juſtificatio quando cœperit.* [b] *Quando juſtificatio pleno jure obtineatur.* * *Abrahami juſtificatio inchoata.* [c] *Juramentum Dei, ſignum immutabilis voluntatis.* [d] *Explicatio Gen. 15. 6.* [e] Λογίζεσθαι. [f] Imputare *juſtitiam*: [g] *Peccatum.* [h] *Fidem ad juſtitiam.* [i] *Verbi imputandi vis.* [k] *Pœna proprie non debetur peccanti.*

[l] *Aliter præmia, aliter pœnas meremur.* [m] *Fides ex gratia imputatur ad juſtitiam.* [n] *Concluſio argumenti.* [o] *Filii Abrahami.* [p] *Credentes cum Abrahamo juſtificantur.* [q] *Ratio.* [r] *De gentibus id ſpeciatim docetur.*

tat illum ſcripturæ locum Gen.12.3. XVIII.18.XXII.18. XXVI.4. XXVIII.14, in quo Deus Abrahamo promittit, quod *in eo benedicentur omnes gentes.* (*a*). Quod attinet ad literalem horum verborum ſenſum, ex quo myſticus, quem hoc loco Paulus ſpectat, facile percipitur; notandum eſt, in nonnullis quidem locis, in quibus hæc promiſſio extat, in Hebræo eſſe verbum conjugationis Hithpael, quæ reciprocam habet ſignificationem cap.22.18. XXVI.4; ſed in pleriſque eſſe verbum paſſivum conjugationis Niphal, (*b*) quæ ſæpe etiam reciprocam ſignificationem habet, quemadmodum hic contingit. Quare *benedicentur*, eſt benedicent ſe; ita ut, ſi paſſivum nihilominus retinendum ſit, ſubintelligi debeat *a ſe.* (*c*) Benedicere autem ſe in aliquo, eſt, eandem ſibi optare ac vovere felicitatem, qualis contigerit ei, in quo ſe aliquis benedicit; ejus exemplo in benedicendo, vovendo atque optando uti; ita ut ejus nomen veluti in proverbium abeat, & vulgaribus bene precandi formulis inferatur. Itaque benedicent ſe omnes nationes in Abrahamo, vel etiam in ejus ſemine, (nam & hoc aliquando additur) eſt, eandem ſibi vovebunt felicitatem, qualis Abrahamo, & ſemini ejus contigerit. Sic Jacobus benedicens Ephraimo & Manaſſi Gen.48.20 ait: *In te benedicet Iſrael, dicendo: ponat te Deus ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſen*: hoc eſt, Iſraelitæ cum alicui volent benedicere, benedicent in Ephraimo & Manaſſe, ſeu eandem illi felicitatem, qualis obtigit iſtis, vovebunt Ruth.4.11. Jerem.29.22. (*d*) Senſu autem myſtico, utpote perfectiori & pleniori, non votum iſtius felicitatis, quæ Abrahamo contigit, ſed ejus ſocietas ac communio intelligi debet. Cui ſenſui magis favet verbum paſſivum, quam reciprocum, quanquam etiam reciprocum in eo locum habere poteſt, ſi benedictio non de ipſa felicitate, ſed de felicitatis iſtius prædicatione ſumatur, quaſi dicat beatas ſe ferent ac prædicabunt omnes nationes terræ.

(*e*) *In te* autem, ſenſu myſtico idem erit, ac *cum te*, ſeu *tecum*: quemadmodum verſic. ſeq. ipſe apoſtolus explicat, cum ex his Gen. verbis ſuam ſententiam inferens, ait:

*Quare qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. In* enim apud Hebræos pro *cum* crebro ſumitur. (*f*) Itaque his verbis ſenſu myſtico eadem felicitas omnibus gentibus promittitur, quæ Abrahamo contigit, ita ut eas ſocias & participes ſuæ felicitatis fit habiturus. Ideo infra verſ. 14 dicit, *benedictionem Abrahami factam eſſe in gentes*, id eſt, gentibus contigiſſe. Quæ autem felicitas Abrahamo contigit? Hæc, quod eum Deus ex fide juſtificaverit. Hoc ergo, inquit, prævidens ſcriptura, quod Deus gentes eſſet ex fide juſtificaturus, ante denunciavit Abrahamo, gentes ejuſdem cum illo felicitatis fore conſortes.

(*g*) *Prævidere* dicit *ſcripturam*, per proſopopœiam, cum metonymia, ſeu mavis metalepſi conjunctam. Proſopopœia eſt, quatenus actio, quæ perſonæ proprie competit, tribuitur rei, quæ perſona non eſt. (*h*) Metonymia vel metalepſis eſt, quia id quod magis proprie auctori ſcripturæ, nempe Deo, convenit, ejus effectui, nempe ſcripturæ ipſi, tribuitur, quanquam ne Deo quidem uſquequaque proprie tribuitur, quod præviderit, ſe ex fide juſtificare gentes. Non enim dicitur aliquis proprie id prævidere, quod ipſemet facit, ſed quod facit alius. Verum quia ſcripturam, tanquam perſonam quandam a Deo diſtinctam conſiderat, conſilia ipſius enunciantem; propterea prævidendi verbo de ea uſus eſt, tanquam conſiliorum divinorum conſcia: cum proprie dicendum eſſet: Deum, cujus verba in ſcriptura referuntur, cum apud ſe conſtituiſſet, gentes ex fide juſtificare, id ante denunciaſſe, ſeu Abrahamo promiſiſſe.

*Ante evangelizavit*, nempe ſcriptura, quatenus nimirum hanc denunciationem ſeu promiſſionem refert. Nam interdum, qui aliquid declarat, & pronunciat factum, illud facere aut feciſſe dicitur.

Verſ.9. *Itaque qui ex fide.* Poſtquam jam apoſtolus docuit, etiam ad gentes benedictionem Abrahamicam, ſeu juſtificationem ex fide, pertinere; (*i*) repetit jam generalem illam concluſionem verſ. expreſſam, quaſi dicat: Quare quicuuque fidem habent, qualeſcunque illi ſint, ſive Judæi, ſive gentiles, benedicuntur a Deo, ſeu juſtificantur, non ſecus atque Abrahamus; id enim ſignificant verba *cum Abraham.* Sic Rom.8.32 omnia nobis *cum Chriſto* donabit, hoc eſt perinde ut Chriſto. Rationem autem conſequentiæ iterum innuit, cum non ſimpliciter ait, eos benedici cum Abrahamo, ſed *cum fideli* ſeu *credente Abrahamo.* (*k*) quaſi dicat, cum & ipſe Abrahamus a Deo benedictus, ſeu juſtificatus fuerit, quia Deo credidit: id quod ſupra jam docuerat verſ 6.

Verſ. 10, *Qui enim ex operibus legis ſunt.* (*l*) Quia Paulus proxime aſſeruerat, eos qui fidem habent, benedici, & quidem cum fideli Abrahamo, tacite excludens illum benedictionis adipiſcendæ modum, quem Galatis obtrudebant adverſarii, nempe per opera legis; ideo nunc veluti objectionem occupans, dictum ſuum confirmat, & id, quod tacite aſſeruerat, aperte comprobat. Poſſet enim aliquis dicere: quaſi vero non æque benedicerentur ii, qui opera legis ſectantur. Reſpondet Paulus, tantum abeſſe, ut ex operibus legis quiſpiam benedictionem conſequatur, ut potius, qui iis ſe addicunt, & ex iis judicium de ſe fieri volunt, maledictioni ſe reddant obnoxios. (*m*) Hunc verborum Pauli nexum ſat commodum niſi admittere velis, dicendum erit, (*n*) *enim* hic poſitum eſſe pro *ſed*, ut fit etiam Rom.8.6; & rem tantum a contrario illuſtrari, & ea ratione alterum principalis quæſtionis membrum, nempe homines ex operibus legis non juſtificari, apertius confirmari, quaſi dicat: (*o*) Illi quidem, qui fidem habent, benedicentur cum fideli Abrahamo: at qui operibus legis ſe addicunt, tantum abeſt ut benedictionem aſſequantur, ut potius maledictioni ſe reddant obnoxios.

*Ex operibus legis eſſe*, (*p*) eſt, operibus legis ita eſſe addictum, ut per ea juſtificationem velis conſequi, ac ex iis vel ſtare, vel cadere.

(*q*) *Sub maledictione eſſe*, eſt maledictioni, quæ hoc loco pœnam mortis æternæ ſignificat, eſſe obnoxium. Pœna autem mortis æternæ maledictio dicitur, quia eſt maledictionis ſeu abominationis divinæ quidam effectus.

*Scriptum enim eſt.* Rationem dicti affert ex ipſius legis teſtimonio petitam Deut. 27. ult.

(*a*) *Senſus literalis.* (*b*) *Niphal pro reciproco.* (*c*) *Benedicere ſe in aliquo.* (*d*) *Senſus locorum myſticus.* (*e*) In *pro* cum. (*f*) *Gentes participes benedictionis Abrahamicæ.* (*g*) *Prævidet ſcriptura.* (*h*) *Scripturæ tribuitur Dei actio.*

(*i*) *Concluſio generalis.* (*k*) *Ratio conſequentiæ* (*l*) *Nexus cum præced.* (*m*) *Alius nexus.* (*n*) Enim *pro* ſed. (*o*) *Qui opera legis ſectantur maledictioni obnoxii.* (*p*) *Ex operibus legis eſſe.* (*q*) *Maledictio pro morte æterna.*

*Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Sequitur autem Græcam V. T. interpretationem, quæ ſententiam ſatis fideliter expreſſit, etiamſi in Hebræo non habeatur particula univerſalis, quæ hic bis repetitur: Nam in lege indefinite dicitur, *Maledictus qui non ſtatuerit* (id eſt, reipſa impleverit) *verba legis hujus, faciendo illa.* [a] Sed indefinita oratio, præſertim in ejuſmodi ſanctionibus & comminationibus, univerſali æquipollere ſolet. Itaque & *omnis* qui non compleverit legem, & qui non *omnia* ejus præcepta compleverit, idque perpetuo quemadmodum vox *permanendi* indicat, maledictus pronunciatur. Argumentum hic principalis quæſtionis continetur: ſed ſententia idem eſt cum primo, quod ſup. cap. 2 verſ. 16 verbis Pſalmi fuit expreſſum. Cæteroquin poſſes dicere, id eſſe numero quintum.

Verſ. 11. *Quod vero in lege.* [b] Ne quis forte diceret, non ita univerſaliter aſſeri poſſe aut debere, eos qui opera legis ſectentur, ſub maledictione eſſe: Eſſe enim aliquos ſaltem juſtos, qui legem exacte ſervarint, ac porro, ejus vi juſtificationem ac benedictionem aſſequantur: Ideo nunc, ut objectioni huic occurrat, demonſtrat, neminem prorſus legis vi juſtificari: [c] quandoquidem ne ii quidem, qui juſti in ſacris literis perhibentur, legis vi juſtificentur, ac vitam conſequantur. Quod ſi illi legis vi non juſtificantur, nemo certe per eam juſtificatur; quis enim eos, qui juſti non ſunt, legis vi juſtificari dixerit? Et hoc pro quinto argumento principali habendum eſt.

Præcedit autem ipſa ſententia probanda cum ait; [d] *Quod vero in lege* (hoc eſt, per legem, ſeu legis vi) *nemo juſtificatur coram Deo, manifeſtum eſt.* Verba, *coram Deo*, opponuntur hominum opinioni ac judicio. Poſſet enim aliquis juſtus ex lege pronunciari hominum judicio, cum interim juſtus ex lege Dei judicio non pronuncietur.

Sequitur ipſa ratio: [f] *Quia juſtus ex fide vivet: lex autem non eſt ex fide.* Ratio Pauli hæc eſt: Si quiſpiam hominum, vi legis juſtificaretur, certe is qui juſtus in ſacris literis dicitur, ejus vi juſtificaretur, ac porro etiam vitam ejus vi conſequeretur. Atqui ne juſtus quidem vi legis juſtificatur vitamque conſequitur. Ergo nemo vi legis juſtificatur. Aſſumptio hujus argumenti præcedit. Sententia propoſitionis, ejuſque probatio quædam, ſubſequitur. [g] Juſtum autem non vi legis juſtificari aut vitam conſequi, ex eo probatur, quod is, quemadmodum expreſſe teſtatur Habacuc, ex fide ſit victurus: At ſi ex fide; non ex lege.

Conſequentiam iterum eo probat apoſtolus. Quia *lex non eſt ex fide: ſed, qui fecerit ea homo, vivet in eis.* [h] Ex his autem patet, verba *ex fide* in Habac. teſtimonio, conjungenda potius eſſe cum verbo ſequenti *vivet*, quam cum præcedenti nomine *juſtus*: [i] ita ut nomen *juſtus* abſolute poſitum, ex ſacrarum literarum conſuetudine hominem pium & ſanctitatis ſtudioſum denotet, & ſignificetur, eum nihilominus non ipſius juſtitiæ ſuæ merito, ſed fidei vi, vitam ex Dei gratia conſecuturum eſſe. [k] nempe, quia illius juſtitia non ſit ita perfecta, ut legi uſquequaque ſatisfaciat, eumque a legis maledictione immunem præſtet. Quid enim alias opus eſſet dicere, eum ex fide victurum; ſiquidem ipſius juſtitiæ ſuæ vi ac merito vitam in lege promiſſam adipiſceretur? Jam quod attinet ad ſequentia verba, quibus conſequentia poſterioris argumentationis probatur,

Verſ. 12. *Lex autem non eſt ex fide*; eorum hæc eſt mens: (l) Lex autem fidem non ſpectat, ſeu, non habet talem fidei rationem, ut propter eam hominibus juſtificationem polliceatur, aut tribuat: ſed opera requirit, & propter ea ſola homini juſtificationem promittit. Quod ergo nihilominus etiam ſub lege homines ex fide juſtificabantur, id non vi legis, ſeu antiqui fœderis fiebat, ſed extraordinaria Dei gratia.

Id quod probatur illis Levitici verbis Lev. 18. 5: *Sed qui fecerit illa homo, vivet in illis*, [m] hoc eſt, per illa, ſeu ex iis, quaſi dicat, ſi vis per legem juſtificationem & vitam conſequi, fac legis præcepta; & quidem non aliqua, ſed omnia; nec plerumque, ſed ſemper; non per certum, ſed per totum vitæ tempus: quemadmodum ex verbis verſ. 10 a Paulo citatis apparet.

*Vivet in eis.* Magna in iſtis vocibus vis eſt, quaſi dicat, eorum vi, ac obedientiæ mandatis iſtis præſtitæ merito.

Verſ. 13. *Chriſtus nos redemit &c.* [n] Poſtquam oſtendiſſet apoſtolus legis vim & ſeveritatem, quæ obedientiam perfectam poſtulet, & maledictionem minetur omnibus ſui tranſgreſſoribus; [o] ne quis ex Judæis, quibus lex fuerat lata, hanc ejus maledictionem adhuc metuendam ſibi putet, & exiſtimet, hoc legis edictum tam ſeverum adhuc homines ferire, ac proinde vel ex hoc ipſo inferat, fidem non ſufficere ad conſequendam juſtificationem, niſi etiam legis opera accedant; [p] ideo docet Paulus, hoc legis fulmen, quo omnes ſui tranſgreſſores percutit, Judæis, modo ad Chriſtum convertantur, non eſſe amplius metuendum.

*Maledictio legis*, [q] ſeu quam lex comminabatur, eſt pœna mortis, quam lex tranſgreſſoribus ſuis fixit, ut verſ. 10, dictum eſt. [r] Ab hac pœna nos Chriſtus magno impendio liberavit, ſic ut ad eam non amplius ſimus obſtricti, quatenus legem abrogavit, & vim, quam ad homines pœnæ obligandos habebat, ei ademit, quod quidem præſtitit morte ſua, qua doctrinam ſuam, ac fœdus illud novum, quod nobiſcum Dei nomine pepigit, in quo credentibus remiſſio peccatorum promittitur, ſanxit ac ſtabilivit. Simul enim vetus, quod peccatoribus maledictionem comminabatur, ſuſtulit, & jus ad peccatorum remiſſionem nobis peperit. Quare non eſt quod quis ſibi propterea metuat, quod vel antequam vera in Chriſtum fide eſſet præditus, in multis legem fuerit tranſgreſſus, & ab ea propterea damnatus; vel poſt id temporis nonnulla ejus præcepta, qualia ſunt ceremonialia, penitus non curet; aut etiam ita delinquat, ut ejus delicta cum fide nihilominus conſiſtere queant, cum operibus legis nequeant.

*Redemit.* [ſ] Vox redemtionis ad homines paſſive relata in ſacris literis plerumque nil aliud, quam liberationem ex ſervitute vel captivitate quadam ſignificat. Unde toties redemtionis populi Iſraelitici e ſervitute

[a] *Indefinita oratio pro univerſali.* [b] *Prolepſis.* [c] *Argum: principale.* [d] *Ex lege nemo juſtificatur coram Deo.* [f] *Ratio.* [g] *Juſtus ex fide non ex lege vivet.* [h] *Explic. loci Hab. 2. 4.* [i] *Juſtus.* [k] *Cur ex lege vitam non obtineas?*

[l] *Lex non eſt ex fide.* [m] *Lex operum merita poſtulat.* [n] *Nexus cum præced.* [o] *Prolepſis.* [p] *Maledictio legis. Chriſtianis non metuenda.* [q] *Quid ſit.* [r] *Quomodo ab ea ſimus redemti.* [ſ] *Redemtio pro liberatione.*

Ægyptia-

Ægyptiaca, aliisque similibus, fit mentio Exod. 15. 13. Deut. 7. 8. IX. 26. XIII. 5. XXI. 8. 2 Sam. 7. 23. Nehem. 1. 10. Actor. 7. 35: & nostra etiam a morte æterna, in adventu Christi, liberatio, redemtio appellatur Luc. 21. 28. Rom. 8. 23. Ephes. 1. 14. IV. 30; quin & 1 Cor. 1. 30. Id autem fit vel per synecdochen speciei pro genere: quia omnis redemtio proprie dicta, est liberatio ex captivitate vel servitute, quanquam non contra: vel si mavis, per metaphoram sive similitudinem, quæ sit inter liberationem hujusmodi, & redemtionem proprie dictam. (a) Tanto autem est plenior metaphora seu similitudo ista, cum ad liberationem efficiendam impendium aliquod intervenit, quod pretio, quo captivi redimi solent, respondeat, etiamsi illud nemini revera persolvatur. (b) quemadmodum in hac nostra a maledictione legis redemtione contingit; siquidem in eam Deus ipse charissimum suum filium, Christus autem seipsum, animam seu vitam suam ac pretiosum sanguinem impendit Johan. 3. 16. Rom. 8. 32. Matth. 20. 28. 1 Tim. 2. 6. 1 Petr. 1. 18.

Est autem hoc loco (c) vox ἐξηγόρασεν, quæ ad homines passive relata, idem significat, quod λυτροῦσθαι vel ἀπολυτροῦσθαι, quæ vox in hoc negotio longe est frequentior: imo nusquam nisi hoc, & seq. cap. vers. 5 vox composita ἐξαγοράζειν ad homines passive refertur. Alibi apud eundem apostolum idem verbum legimus, cum jubemur (d) *redimere tempus*, hoc est, occasionem atque oportunitatem bene agendi, etiam cum aliquo rerum nostrarum neglectu vel jactura, captare Eph. 5. 16, & Col. 4. 5. Simplex vox (e) ἀγοράζειν, quæ crebrius occurrit, sensu aliquantum diverso usurpatur. Ea enim, ut omnia loca, in quibus extat 1 Cor. 6. 20. 2 Petr. 2. 1. Apoc. 5. 9. XIV. 3, 4, indicant, significatur, (f) quod in servitutem fuerimus emti pretio, hoc est, eum in finem, ut Dei & Christi servi ac mancipia fieremus, nulla ejus ratione habita quod antea alicujus servi vel captivi fuerimus: sed simpliciter tantum, quod Dei ac Christi servi non fuerimus. At cum dicimur *redemti*, nos antea in servitute vel captivitate fuisse, & ex ea postea exemtos, & in libertatem vindicatos esse indicatur; nulla habita ejus rei ratione, quod in aliam interim servitutem redacti fuerimus. vide infr. dicto loco cap. 4. vers. 5. & deinceps, & confer cum anteced: ab ipso initio cap.

Cum vero ait, *nos redemit*, se ac cæteros Judaicæ gentis homines proprie intelligit, quos, ut ex versu seq. apparet, gentibus hic opponit. (g) nempe quia Judæi quibus lex revera solis lata erat, proprie sub maledictione legis erant, seu ad eam vi legis obstringebantur, quamquam & gentes eidem, si rem ipsam spectes, pœnæ erant subjecti; (h) sed non tam vi legis Mosaicæ, nisi forte eam legem per analogiam quandam ad gentes accommodes, quam vi legis atque æquitatis naturalis. Eadem autem ratione gentes sunt a maledictione liberatæ a Christo, qua Judæi. Qua vero ratione, inquies, nos Christus ab hac maledictione redemit?

*Factus pro nobis maledictio*; dum subiit maledictionem. Non quod eandem subierit maledictionem, cujus nos eramus rei: nam nos eramus æternæ mortis rei: (i) sed quod subierit similem, hoc est, tale mortis genus, quod etiam maledictionis cujusdam, & quidem legalis, nomine appellari potest. (k) Neque enim proprie factus erat maledictio, seu maledictus. An enim Christum tum exsecrabatur Deus, & vero prosequebatur odio, cum crucis mortem, opus tam sanctum Deo tam gratum, quod erat in odorem suavitatis, quodque Deus tanto præmio dignatus est, ex ejus mandato ac voluntate adiit Eph. 5. 2. Esai. 53. 10, 11, 12. Phil. 2. 18. & deinceps. Apoc. 3. 21? Usus est ergo Paulus antanaclasi, eademque voce nunc proprie nunc figurate usus est, quod in sacris literis novum non est, vide inter alia Matth. 8. 22. X. 39. Joh. 4. 35. Rom. 2. 21. IV. 18. cap. 14. 13.

(l) De verbis *pro nobis* diximus cap. 2. vers. 20. Facile autem concedere possumus, voce *pro* hoc loco commutationem indicari: dummodo primum commutatio concedatur etiam in malis ipsis, (m) non tantum in personis, hoc est, ut statuatur, cum nos deberemus subire maledictionem veram & proprie sic dictam, Christum subiisse maledictionem improprie dictam, & quia is hanc subierit, ideo nos ab illa liberatos. deinde, ut illud quoque observetur, non ita commutationem esse factam inter nos & Christum, ut simulac Christus maledictionem subiit, nos ipso facto liberati fuerimus, sed ratione efficaciæ tantum. Actu enim tum demum liberamur, cum fides accedit. Quomodo autem mors Christi eam efficaciam habeat, explicatum est paulo superius, & capp. duobus præcedentibus.

*Scriptum est enim*, nempe Deut. 21. 23. *Exsecrabilis omnis qui pendet in ligno*. His verbis non probat, Christum nos redemisse a maledictione legis, dum factus est pro nobis exsecratio: sed tantum, eum factum esse exsecrationem, hoc est, exsecrabile mortis genus subiisse, seu supplicium ejusmodi, quod iis tantum sub lege Deus constituerat, qui ipsi essent ob maleficia sua exsecrabiles atque abominandi. Is nimirum, qui peccatum non norat, factus est pro nobis peccatum 2 Cor. 5. 21, hoc est, instar peccatoris atque malefici hominis, ita Deo volente, salutis nostræ caussa tractatus fuit; quemadmodum paulo ante dictum.

Vers. 14. *Ut in gentes*. (n) Finis quidam ulterior istius redemtionis Judæorum a maledictione legis, in qua continetur legis abrogatio & antiquatio, indicatur his verbis. (o) Quamdiu enim lex vim ac robur suum habebat, ac porro Judæos sub maledictione detinebat, tamdiu gentes benedictionis Abrahami, seu felicitatis Abrahamo ejusque posteris destinatæ, qua justificationem contineri diximus, participes fieri non poterant: ac proinde nec spiritum sanctum ejus arrhabonem consequi. Neque enim prius ad gentes, quam ad Judæos quibus ea vere ac proprie promissa erat, pervenire poterat aut debebat. Exauctoranda prius lex erat quæ benedictioni, ut Judæorum, sic gentium obstabat.

(p) *In gentes fieret*, id est, gentibus eveniret, contingeret. εἰς τὰ ἔθνη, pro τοῖς ἔθνεσιν. quæ commutatio venit ex Hebræo, in quo, ut diximus supra cap. 1. 16. (q) sæpe *lamed* cum *beth* permutantur.

*In Christo Jesu*. quatenus Christi Jesu religionem & fidem in ipsum amplectuntur.

(a) *Præsertim quæ impendio constat.* (b) *Ut nostra.* (c) Ἐξαγοράζειν. (d) Redimere tempus. (e) Ἀγοράζειν. (f) *Emtio nostra a redemtione differt.* (g) *Judæi proprie a maledictione legis liberati.* (h) *Quomodo gentes maledictioni obnoxiæ.*

(i) *Christus factus exsecratio:* (k) *Improprie.* (l) Pro nobis *commutationem significare potest:* (m) *Qualem.* (n) *Finis redemtionis Judæorum.* (o) *Lege stante gentes a benedictione exclusæ.* (p) In gentes *pro* gentibus. (q) *Beth* pro *Lamed.*

*Ut promiſſionem ſpiritus acciperemus per fidem.* (a) Promiſſio ſpiritus, ſignificat ſpiritum ſanctum promiſſum. Ad eum modum & Petrus loquitur Act.2.33. Paulus noſter alio Hebraiſmo ad Epheſ.1.13. uſus, *ſpiritum promiſſionis ſanctum* appellat; qui locus hunc noſtrum quodammodo declarat. Promiſſus autem fuit, partim apertis apud Prophetas verbis Eſai.44.3; inter quæ ſunt illa Joëlis Joël. 2.28 a Petro citata Actor.2, quibus Deus pollicetur, ſe in extremis diebus effuſurum de ſpiritu ſuo ſuper omnem carnem: partim tacite in benedictione, ſemini ſeu filiis Abrahami deſtinata, continetur, cujus eſt, ut diximus, arrha, ſeu pars quædam Chriſtianis velut in anteceſſum data. (b) Et ideo nominatim ſpiritus ſanctus meminit apoſtolus, ut vel ex eo, quod ſpiritus ſanctus gentibus fuerit datus appareat, benedictionem Abrahamicam, ſeu jus ad eam, illis contigiſſe. Cui enim arrha rei alicujus datur, ei jus ad eam conceditur.

*Per fidem.* Quaſi dicat, non per opera legis; quod etiam ſupra urſerat, de ſpiritus ſancti dono, quod Galatis contigerat, loquens verſ.2, & 5. Unde apparet, nec benedictionem Abrahamicam per opera legis illis contingere, ſed per fidem.

Verſ. 15. *Fratres, ſecundum hominem dico.* (c) Sequitur altera cap. hujus pars, in qua potiſſimum objectionem omnium validiſſimam, quæ contra ſententiam, & rationes quaſdam ipſius afferri poterat, nempe ex promulgatione legis Moſaicæ petitam, amolitur, & ſic rationes ſententiamque ſuam magis adhuc firmat. (d) Quia enim ſuperius docuerat, eos qui fidem habent, fidem, inquam, in Chriſtum, eſſe filios Abrahami, quibus benedictio fuit a Deo promiſſa in pacto illo, quod cum Abrahamo fecit; (e) nunc porro oſtendit, legem, quæ pactioni ac promiſſioni illi ſucceſſit, non poſſe eam mutare, aut aliquam conditionem, quæ in promiſſione non fuerit expreſſa, ſuperaddere, ita ut eos, qui promiſſum illud reipſa velint conſequi, neceſſe ſit legem obſervare. Unde tandem concludit, fideles Chriſti, qui ſunt ſemen illud ſeu filii Abrahæ, legi ſubjectos non eſſe, ſed propter id ipſum, quia Chriſti fidem habeant, benedictionis Abrahamicæ hæredes eſſe.

*Secundum hominem dico.* Humanum aliquid affero, conſuetudine atque uſu communi inter homines receptum; quodque adeo omnibus eſt obvium. Hominem opponit Deo. Argumentatur enim a minori ad majus, & ex eo, quod inter homines vulgo fiat, docet, quid de Deo ſit ſtatuendum.

*Tamen homines authenticatum*, ſeu *confirmatum teſtamentum, nemo abrogat, aut ſuperordinat.* Videte, quid inter homines fiat. Si homo quiſpiam teſtamentum condat, aut pactum aliquod cum aliquo ineat, (nam (f) διαθήκη apud 70 interpretes, & N.T. ſcriptores, & teſtamentum, & pactum ſeu fœdus ſignificat) an, (g) poſtquam vel teſtamentum ſolenni more conſtitutum ac confirmatum eſt, vel pactum jam ſancitum ac ſtabilitum; an, inquam, teſtamentum hoc, vel pactum tolli, aut adjectis aliis quibuſdam conditionibus mutari conſuevit? haudquaquam. Neque enim id ſolet fieri apud eos, qui honeſtatem civilem colunt.

Loquitur autem de teſtamentis aut pactis *confirmatis*: nam teſtamenta, quæ ſolenni ritu inſtituta, ac prout jura docent, confirmata non ſunt, reſcindi non raro ſolent; ſimiliter & pacta nondum confirmata ac ſancita; At poſtquam confirmata ſunt, non item. (h) Quod ſi homines honeſtatis amantes, ea non reſcindunt aut mutant: quid de Deo ſtatuendum erit? Fierine poterit, ut quando quippiam cum aliquo paciſcitur, aut aliquid cuipiam promittit, id poſtea irritum reddat, aut aliqua ratione mutet?

Verſ. 16. *Abrahamo vero dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus.* (i) Aſſumtio atgumenti ſequitur, quaſi dicat: (k) Jam vero Deus longo tempore ante latam legem, promiſſiones dedit Abrahamo & ſemini ejus, nulla alia conditione poſita, quam quæ voce *ſeminis* indicatur. (l) Semen enim, ut mox indicat apoſtolus, ſpirituale ſemen Abrahami declarat, id eſt, eos omnes, qui Abrahamum fide referunt; qui quidem ſunt omnes veri Chriſtiani. Ipſa enim analogia poſtulat, ut qui id habet, per quod Abrahamus juſtificatus ac benedictus fuit, etiam ipſe juſtificetur ac benedicatur. At vero Abrahamus, ut ſupra vidimus, non per legis opera, ſed per fidem id adeptus fuit, quod diximus. (m) Quare etiam omnes, qui illi fide ſunt ſimiles, merito idem adipiſci debent. Quomodo ergo (ut etiam verſiculi 17. (n) ſententiam nunc attexamus) lex, quæ poſt aliquot demum ſecula a Deo lata fuit, priori iſti pacto, & promiſſionibus divinis gratuitis, quidquam derogare poteſt, eaſque irritas facere, aut aliquid ad eas apponere, quod antea in iis non fuerat vel expreſſum, vel tacite comprehenſum? Atqui lex multum omnino derogaret promiſſionibus illis, atque adeo irritas eas faceret, ſi eum in finem fuiſſet lata, ut per ejus obſervationem promiſſa illa adipiſceremur, noſque Chriſtianos omnino obſtringeret, quemadmodum verſ. 18 docebitur.

*Promiſsionum* hic & infra verſ. 21 tanquam plurium facit mentionem; (o) cum duobus verſic. ſeqq. *promiſsionem* tantum commemoret: vel quia res eadem ſæpius fuit promiſſa, ut quidem in Geneſi factum legimus Gen.12.2, & deinceps, XIII.15 & deinceps. XV.7 & deinceps. XVII.7 & deinceps. XVIII.18. XXII 17 & deinceps; vel quia ejuſdem promiſſionis laxius ſumtæ plures fuerunt partes, ſeu plures fuerunt promiſſiones particulares: promiſſa enim fuit Abrahamo & ſemini ejus tum benedictio, (p) ſeu ex favore divino manans felicitas, quam Deus inter alia pollicetur tunc, cum promittit, ſe fore Deum ipſius, & ſeminis ipſius: tum poſſeſſio terræ Chananeæ, quæ typus fuit mundi illius futuri, qui ſpirituali Abrahami ſemini deſtinatus eſt. Unde Paulus Rom.4.13, & deinceps, ubi eadem de re agit, de qua hoc loco, hæreditatem mundi, nempe futuri, Abrahamo & ſemini ejus promiſſam eſſe dicit, non per legem, ſed fide obtinendam. Quamquam poſſeſſio iſtius mundi, in benedictione illa myſtice ſumta, & contra hæc in illa, poteſt comprehendi.

*Non dicit, Et ſeminibus, tanquam de multis; ſed, Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* (q) Explicaturus, quodnam ſit illud Abrahami ſemen, cui promiſſa illa divina fuerint deſtinata, velut in tranſitu objectioni tacitæ occurrit. Dicere enim quiſpiam poterat, Abrahamum

(a) Promiſſio ſpiritus, *pro ſpiritu promiſſo.* (b) *Spiritus ſanctus arrha benedictionis ſemini Abrahæ deſtinatæ.* (c) *Secunda pars cap.* (d) *Nexus cum præced.* (e) *Summa ſequentium.* (f) Διαθήκη. (g) *Teſtamenta aut pacta confirmata mutari non ſolent.*

(h) *Major argumenti.* (i) *Minor.* (k) *Promiſsiones Abrahamo & ſemini ejus factæ.* (l) *Semen Abrahami.* (m) *Concluſio.* (n) *Lex nil derogat illis promiſsionibus:* (o) *Quomodo plures ſint.* (p) *Quænam.* (q) *Proleptis.*

duplex

duplex habere ſemen, cui promiſſa illa myſtica ſint deſtinata, ſpirituale & carnale; ac pro diverſitate ſeminis, diverſam etiam rationem eſſe promiſſa illa vera ſeu myſtice ſignificata conſequendi. (a) Judæos, qui carnale Abrahami ſemen, ſeu poſteri ſint, per legem ejuſque obſervationem promiſſa illa conſequi debere; gentiles, qui figurate ac ſpiritualiter Abrahami ſint filii, per fidem in Chriſtum; ideo apoſtolus ex verbis ipſarum promiſſionum oſtendit, unum tantum eſſe Abrahami ſemen, ad quod promiſſiones illæ divinæ, myſtice nimirum, ut hic fit, acceptæ pertineant. quandoquidem Deus nuſpiam promittat quippiam Abrahami *ſeminibus*, quaſi de diverſis Abrahami poſteritatibus loqueretur: ſed ſemper tanquam de uno loquens, dicat, *Et ſemini tuo*, ſcil. dabo terram iſtam, aut, illius ero Deus, illi benedicam. Etſi enim duplex revera ſit Abrahami ſemen ſeu poſteritas, carnale & ſpirituale: tamen quemadmodum cum literaliter promiſſa illa accipiuntur, unum tantum ſemen, nempe carnale, intelligitur: ita etiam ſi myſtice ſumantur, unum tantum, nempe ſpirituale, ſignificatur. Alioqui dicendum fuiſſet, *ſeminibus* Abrahami iſta eſſe promiſſa, ut intelligeretur, diverſas ejus poſteritates jus ad illa promiſſa obtinenda habere. Nunc autem, cum ubique dicatur *ſemini*, uni tantum ea deſtinata eſſe indicatur. Jam vero per ſpirituale illud ſemen fideles eſſe intelligendos, ſupra docuerat apoſtolus, qui, ut infra dicetur, nulli ſunt alii, quam Chriſtus & ejus populus, ſeu mavis, Chriſtiani cum ſuo capite conjuncti.

Ideo hic ait apoſtolus, *illud ſemen eſſe Chriſtum.* (b) Neque enim hoc loco *Chriſtus* pro ſolius Chriſti perſona ſumitur, ut ab aliis quoque eſt animadverſum: (c) ſed Chriſtus una cum corpore ſuo myſtico, quod eſt eccleſia, totum enim a capite, tanquam præcipua ſua parte, denominatur; preſertim quia reliqua membra ſpiritu illius vivunt, atque ab eo animantur. Sic ſumitur Chriſti nomen apud eundem apoſtolum 1 Cor. 12. 12: *quemadmodum corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis unius, cum multa ſint, unum ſunt corpus: ſic & Chriſtus.* hoc eſt, ſic & eccleſia, Chriſto capiti ſuo conjuncta. (d) Hoc autem loco noſtro, non ſolam Chriſti perſonam ſignificari, primo nomen *ſeminis* indicat, quod eſt collectivum, & poſteritatem ſignificat, quemadmodum illius typus indicat. Semen enim carnale, erat Abrahami poſteritas, ſeu Iſaacus una cum ſua poſteritate. * Deinde idem docet apoſtoli ſcopus, qui eſt, oſtendere, eos qui in Chriſtum credunt, etiamſi legem non obſervent, hæreditatem Abrahami conſequuturos. Unde infra verſ. ult. ad hunc locum reſpiciens, ita concludit: *Si autem vos Chriſti: ergo Abrahami ſemen eſtis, & ſecundum promiſſionem hæredes.* vide etiam cap. ſeq. à ℣ſ. 1. uſque ad ℣ſ. 8, & ℣ſ. 28, uſque ad finem cap. De Chriſto ipſo, quin hæres eſſet divinarum promiſſionum factus, nemo eorum, quibuſcum apoſtolus hic diſputat, dubitabat. (e) Neque vero, quod alios decepit, hic *ſemen* Abrahami conſideratur, tanquam id, *in quo*, ſeu, ut illi explicant, *per quod* benedicendæ ſint omnes terræ nationes: ſed tanquam id, *cui* promiſſiones ſint a Deo factæ, ſeu benedictio, ac terræ Chananeæ myſticæ poſſeſſio deſtinata; quemadmodum verba ipſa apertiſſime indicant.

(a) *Uni Abrahami ſemini factæ promiſſiones.* (b) *Chriſtus Abrahæ ſemen.* (c) Chriſti *nomen etiam ipſius populum complectitur.* (d) *Ratio 1.* * *Ratio 2.* (e) *Prolepſis.*

Ait enim, *Abrahamo dictas eſſe promiſſiones: & ſemini ejus* &c. & vers 19. *donec veniret ſemen illud cui promiſſum eſt.* Intelligendus ergo hic eſt præcipue quidem ipſe Chriſtus, tanquam caput, ſeu tanquam is, in quo primo promiſſiones illæ divinæ implendæ erant, & per quem deinde in cæteros ipſi conjunctos, earum effectus dimanare debebat; ſed nihilominus tamen & populus ipſius, ſeu illi, qui ipſum induerunt, & in ipſo ita coaluerunt, ut pro uno homine cenſeri debeant, quemadmodum infra verſ. 27,28 docetur. (f) Non dubitabant autem illi, cum quibus apoſtolus diſputat, Chriſtum ejuſque populum ſemen illud eſſe, vel ſaltem illius nomine contineri: quod poſterius ne Judæi quidem, etiamſi in perſona Chriſti errarent, Jeſum pro Chriſto agnoſcere nolentes, negaſſe videntur. Non enim ignorabant, per Meſſiam ſeu Chriſtum ſibi promiſſum, inſignem quandam felicitatem, quæ nunquam antea ſibi contigiſſet, debere contingere, & ſic promiſſiones illas Abrahamo factas, quibus benedictio divina ſemini ſeu poſteritati ejus promittitur, omnium perfectiſſima ratione implendas eſſe. Quod ſi uni tantum Abrahami ſemini ea promiſſio deſtinata eſt, idque ſemen eſt Chriſtus ejuſque populus; nihil ſibi juris ad eas Judæi, qui in Chriſtum non credunt, vindicare poſſunt, etiamſi ſecundum carnem ex Abrahamo ſint geniti, & legem obſervare ſtudeant: id quod hic Paulus obiter oſtendere voluit. vide Rom. 9. 7, & deinceps, & verſ. 31, & deinceps.

Verſ. 17. *Hoc autem dico.* (g) Quia nondum penitus abſolverat argumentum verſ. 15 cœptum, quod parentheſi quadam de uno, non vero multiplici Abrahami ſemine, quodammodo interruperat; ideo nunc ad illud redit, & concluſionem ejus ſubnectit: ſimul etiam quædam, quæ ad aſſumptionem illuſtrandam pertinent, addens, quaſi dicat: Huc autem oratio mea tendit: (h) hoc eſt quod dicere ſeu concludere volo, nempe quod lex, quæ quadringentis & triginta demum annis lata eſt, poſt pactum illud divinum cum Abrahamo factum, in quo continetur promiſſio Chriſto & populo ejus deſtinata, non abroget ſeu irritum faciat pactum illud, a Deo jam multo ante confirmatum, ita nimirum, ut tollat ſeu irritam faciat promiſſionem in eo comprehenſam.

*Teſtamentum* ſeu *pactum ante confirmatum a Deo.* Deum hominibus opponi antea diximus, ut tanto fortius concludatur. *Ante* confirmatum ait, nempe multo ante legem latam, hoc eſt, ut paulo poſt ſubjungitur, annis quadringentis triginta.

Cum id *confirmatum* a Deo fuiſſe dicit, reſpicit ad id, quod de humanis pactis aut teſtamentis dixerat in protaſi comparationis verſ. 15? *Hominis teſtamentum* vel *pactum confirmatum nemo abrogat.* Confirmatum autem fuit hoc Dei pactum ſeu teſtamentum, partim miraculo, de quo cap. 15. verſ. 7 & deinceps Gen. legimus, ubi Deus fœdus cum Abrahamo pepigiſſe dicitur ſuper terra Chananæa ſemini ipſius danda, vide verſ. 18: partim etiam juramento, de quo legimus Gen. 22. 16 & deinceps, quo ut ſupra ex epiſt. Hebr. 6. 13, & ſeqq. docuimus, Deus immutabilitatem ſuæ hac in re voluntatis declaravit.

*In Chriſtum*, (i) id eſt, quod pactum ad Chriſtum & ejus populum, qui cum ipſo velut in unum coaleſcit,

(f) *Veritas ſententiæ apoſtolicæ.* (g) *Concluſio argum: verſ. 15 cœpti.* (h) *Ejus ſententia.* (i) Chriſtus *etiam pro ſuis fidelibus.*

eumque

eumque induit, ſpectabat, uti verſ. præced. explicatum eſt.

*Lex, quæ poſt quadringentos & triginta annos lata eſt.* (*a*) Apparet hunc annorum numerum deſumtum eſſe ex Exod. 12. 40, qui locus a noſtro illuſtratur. (*b*) Apparet enim hinc, illum annorum numerum inchoandum eſſe a fœdere, quod Deus cum Abrahamo pepigit, ſeu mavis ab ejus in Ægyptum profectione, de qua Gen. 12. Hoc autem temporis intervallum, quo lex pactum illud ſequuta fuit, ideo exprimit, ut illud clarius explicet, quod dixerat, pactum illud *ante* fuiſſe a Deo confirmatum; & ſimul oſtendat, legem non poſſe irritum facere pactum multo ante inſtituturam, & ſolenniter confirmatum ac ſancitum. Severitati quidem legem ac minarum poſteriorēs leges ac ſanctiones multum derogare, aut etiam eas penitus tollere poſſunt: at non benignitati promiſſorum, ac fœderum in alienam utilitatem conſtitutorum. Hic enim alteri parti jus ſuum, quod ex promiſſione acquiſierat, eriperetur, ibi nihil; ſed potius jus ejus, libertas ac commoda, cum id fit, augentur.

*Non facit irritum, ad deſtruendam promiſſionem*, hoc eſt, ita ut deſtruat, ſeu irritam reddat promiſſionem. Poſteriora verba ſunt epexegeſis priorum. Irritum lex pactum iſtud faceret, ſi promiſſionem in eo comprehenſam redderet irritam.

Verſ. 18. *Si enim ex lege hæreditas, non amplius ex promiſſione.* Propius ad id, quod oſtendendum erat, accedit apoſtolus. Docet enim hæreditatem, nempe benedictionis & terræ promiſſæ, ſemini Abrahamico deſtinatam, ex lege petendam non eſſe: alioqui lex promiſſionem irritam redderet. Ubi particula (*c*) *Enim*, vel poſita eſt pro *Atqui*, *Jam vero*, ut Rom. 8. 6, vel rationem tantum reddit ejus, quod tacite in verbis præcedentibus poſitum fuerat, ut ita tacita excludatur objectio. de quo uſu particulæ *Enim* diximus cap. 2 verſ. ult. Potuiſſet enim aliquis præcedentia audiens dicere: Quid ergo? num tu putas, legem abolituram pactum illud, ac promiſſionem in eo comprehenſam, ſi ex ea eſſet petenda hæreditas?

Reſpondet: omnino. (*d*) Nam *ſi ex lege*, &c. Ex lege autem hæreditatem adipiſci, & eam adipiſci ex promiſſione inter ſeſe opponit; vel quia per promiſſionem intelligit certam illam promiſſionem, Abrahamo & ſemini ejus, hoc eſt, Chriſto ac Chriſtianis, factam, ut fit Rom. 4. 14, etiamſi hic non addat in Græco articulum: (*e*) vel quia promiſſionem ita ſumit, quemadmodum propria ejus vocis vis ac ſignificatio videtur exigere. Ea vero eſt, ut ſignificet, donum aliquod gratuitum, ſeu beneficium, non vero mercedem pro meritis debitam, alicui addicere, ſeu verbis ad eam præſtandam ſeſe obligare. Itaque promiſſio proprie dicta liberalitatis eſt, & tum demum locum habet, ubi alias nullo jure ad aliquid præſtandum adigor, ſed promittendo demum jus alteri largior. Quod ſi de certa promiſſione, hoc eſt, Abrahamo & ſemini ejus facta, loquatur, jure inter ſe opponit, ex ea promiſſione hæreditatem adipiſci, & ex lege ſeu vi legis eam adipiſci. Lex enim requirit, ut præcepta ejus exacte ſerves: promiſſio illa nihil tale in ſe includit, ſed ſimpliciter ac ſine ulla conditione Abrahamo, quatenus nimirum ut credens conſideratur, ſeu *Abrahamo*, ut ſupra loquutus fuit apoſtolus, *fideli*, & ſemini ejus, hoc eſt, Chriſto & omnibus in Chriſtum credentibus, Abrahamoque fide ſimilibus, qui vera ipſius poſteritas ſunt, benedictio & hæreditas promittitur. Lex autem, ut ſuperius dixit, non eſt ex fide. Non illa fidem ſpectat, ſed opera; non fide, ſed operibus contenta eſt. Si vero promiſſionem ſimpliciter, ſeu in genere ſumit, ita tamen, ut vis ac ſignificatio iſtius vocis propria exigit, itidem recte iſta ſibi invicem opponuntur. Lex enim operum merita poſtulat: Promiſſio proprie dicta, ut vidimus, merita excludit, & ex mera gratia ac benignitate quippiam boni alteri deſtinat. (*f*) Talem autem fuiſſe eam Dei promiſſionem, de qua hic diſputatur, partim ex eo conſtat, quod locus Gen. 15, ubi ſolennis ejus promiſſionis deſcribitur confirmatio, docet, ob fidem Abrahami, hanc ei promiſſionem a Deo factam confirmatamque: partim res ipſa monet. Quid enim alias opus fuiſſet, non modo tam ſæpe rem eam Abrahamo ejuſque poſteris promittere, ſed etiam tantopere confirmare, ſi eam Deus Abrahamo ejuſve ſemini ipſo jure pro meritis perſolvere teneretur, eamque illis plane deberet? quaſi ſcilicet, vel Abrahamus, vel quiſpiam alius ei ſimilis, atque adeo homo ullus cordatus dubitare potuerit poſſitve, utrum Deus id, quod ipſo jure dare teneatur, præſtiturus ſit, nec ne. Cum ergo toties id, de quo ſermo eſt, Abrahamo & ſemini ejus Deus promiſerit, & ſolenniter confirmarit; apparet, hanc proprie dictam, ſeu gratuitam fuiſſe promiſſionem.

Unde ſequitur apud apoſtolum: *Abrahamo autem per promiſſionem donavit Deus.* Verbum κεχάρισται, quo hic utitur apoſtolus, promiſſionis iſtius naturam tanto magis nobis exprimit. (*g*) Neque enim, quia apoſtolus hoc verbum promiſſioni appoſuit, conſequitur, ejus vim non eſſe in *promiſſionis* voce abſolute poſita incluſam. Nam ſimiliter etiam apoſtolus agit in epiſt. ad Rom. cap. 4. 3, 4, 5, de eodem Abrahamo loquens, ubi cum dixiſſet, Abrahamo *imputatam* eſſe juſtitiam, oſtendere volens, verbum (*h*) *imputandi* ſignificare, ex gratia quippiam tribuere; poſtea tamen voces illas *ex gratia* imputandi verbo apponit, cum inquit: *Operanti autem non imputatur merces ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.*

Verſ. 19. *Quid igitur lex?* (*i*) Antequam argumentum hoc penitus concludat & abſolvat, iterum digreditur ad diluendam objectionem quandam. Poterat enim quiſpiam objicere: Si lex non eſt illud medium, per quod hæreditas ſeu juſtificatio obtineri debeat, quo fine ergo lata fuit? quis ejus uſus eſſe poteſt?

(*k*) Reſpondet apoſtolus, *Tranſgreſſionum gratia fuiſſe appoſitam.* Appoſitam dicit; id eſt, poſt promiſſionem illam Abrahamo & ſemini ejus factam, veluti adjectam, idque non tanquam conditionem aliquam novam promiſſionis adipiſcendæ: ſed ut interea, dum promiſſio iſta exhiberetur cohiberentur tranſgreſſiones & peccata enormia, & quædam morum diſciplina ſervaretur, metuque homines in officio continerentur,

(*l*) *Donec veniret ſemen, cui promiſſum eſt.* (*m*) Si ſtatim ſemen iſtud ſpirituale, hoc eſt Chriſtus una cum ſuo populo, ac veluti poſteris, quibus hæreditas Abra-

(*a*) *Lex 430 annis poſt pactum illud lata.* (*b*) *Locus Exod.* 12. 40. (*c*) *Enim pro atqui.* (*d*) *Ex lege & ex promiſſione, oppoſita.* (*e*) Vocis *promiſſionis* vis.

(*f*) *Gratuito Abrahamo promiſſiones datæ.* (*g*) *Vox alteri appoſita, ejus vim clarius exprimit.* (*h*) *Imputare.* (*i*) *Prolepſis.* (*k*) *Lex quo fine lata.* (*l*) *Quoſque durare debuerit.* (*m*) *Si Chriſtus ante Moſen extitiſſet, lex non fuiſſet lata.*

hami

hami fuit deſtinata, exortus fuiſſet, nullum habuiſſet lex locum: ſed quia Deus voluit, ut prius carnale Abrahami ſemen propagaretur, quod ſpirituali ſeminis imago erat, cui Deus, qui ſemper ad perfectiora tendit & progreditur, in illo carnali ſemine veluti præludebat; propterea ne licentia ac impunitate homines fierent deteriores, legis diſciplinam interea ſtabilivit, quæ homines, ut diximus, in officio contineret, eosque paulatim altiori diſciplinæ, hoc eſt Chriſtianæ religioni ac pietati præpararet, qua adveniente legis illa elementa ac tyrocinia deponenda erant. qua de re paulo poſt uberius aget Apoſtolus a verſ. 23.

*(a)* Hinc autem apparet, Deum non ea intentione legem dediſſe, *(b)* ut homines per eam juſtificationem conſequerentur, myſtice in ea propoſitam: ſed primum ut homines aliqua ratione in officio contineret; deinde ut delinquentes validius ad pœnam obligaret, tantoque illuſtrior poſtea fieret Dei gratia per Chriſtum exhibenda. de quo poſteriori fine vide Rom. 5, 20, 21. Hic prior finis, qui apertior eſt, & literalem legis ſenſum reſpicit, intelligitur. Poſterior occultior eſt & myſtico magis conſentaneus, qui itidem docet, non id ſpectaſſe Deum, in lege ferenda, ut homines per eam conſequerentur perfectam illam juſtificationem myſtice in ea propoſitam. Videbat enim Deus humanæ fragilitatis non eſſe, nunquam delinquere.

*Ordinata per angelos in manu mediatoris.* *(c)* Quia viſus eſt Apoſtolus legem aliquomodo deprimere; ne tamen ſecus, quam par erat, de ea ſentire videretur; ideo nunc non ſubticuit legis dignitatem, ſeu id, unde ejus defenſores ſummam ejus præſtantiam ac firmitatem metiebantur; *(d)* nimirum quod per angelos eſſet ordinata, id eſt, lata atque e monte Sinai promulgata. vide Act. 7. 38, 53, & Heb. 2. 2. Dum autem angelos, tanquam cauſam mediam nominat, oſtendit, Deum ejus fuiſſe auctorem & ſupremum latorem. neque enim illi niſi Dei ſunt nuncii ac miniſtri.

Addit *in manu mediatoris.* *(e)* *In manu*, id eſt, opera & miniſterio, Solet enim ſæpe hac phraſi ſcriptura uti, cum per aliquem, ſeu alicujus opera ac interventu quidpiam fit, etiamſi proprie manuum miniſterium non interveniat. quia enim frequentiſſime manibus utimur in miniſteriis; hinc factum eſt, ut per *manuum* aut *manus* omne miniſterium Hebraica phraſi ſignificetur. Exempla habes inter alia Lev. 8. 36. Num. 4. 28, 33, 37. Joſ. 14. 2: 22. 9. 1 Sam. 28. 17. 1 Reg. 16. 7. 2 Par. 29. 25. Eſth. 1. 12, 15. Dan. 9. 10. vide etiam Act. 7. 25.

*Mediatoris* *(f)* appellatione ſignificatur Moſes: Licet enim angeli quoque ferendæ legis miniſtri fuerint: * non tamen mediatores fuerunt. quia angeli illi, qui locuti ſunt cum Moſe, ipſius Dei perſonam ac majeſtatem ſuſtinuerunt, & non ut legati alias ſolent, qui ſe a legantibus diſtinguunt, locuti ſunt, ſed inſtar ipſius Dei, tanquam ipſe adeſſet præſens. quare non tanquam medii inter duas contrahentium & paciſcentium partes conſiderandi erant, ſed quodammodo tanquam altera pars contrahentium; erantque ea in parte cum Deo ipſo computandi. Unde Moſes, per quem angelus populum e monte alloquebatur, dicitur fuiſſe ſequeſter & medius inter Dominum & populum Deut. 5. 5. ad quem locum proculdubio hic reſpicit apoſtolus. Quare non angeli, ſed Moſes, recte dicitur fuiſſe mediator. *(g)* Mediator enim ille eſt, qui inter duas contrahentium ac paciſcentium partes veluti medius intervenit; & ſic mediator Dei & hominum, ſive omnium, ut Chriſtus, ſive aliquorum, ut Moſes, ille eſt, qui ad homines nomine Dei accedit, qui illis divinam voluntatem ac fœderis paciſcendi conditiones a Deo conſtitutas, ipſius nomine declarat, confirmat, atque hac ratione efficit, ut homines ad Deum viciſſim veluti accedant, & amicitiam ac fœdus cum eo ineant. Chriſtum hic non eſſe mediatoris nomine intelligendum, ut non pauci voluerunt, prolixe hoc loco docet Beza, quem vide, ſi libet. *(h)* Videtur autem apoſtolus de induſtria hoc commemoraſſe, ut ſequenti objectioni aditum pararet. Ex eo enim, quod lex per mediatorem lata fuerit: volebant Judæi legis firmitatem & perpetuitatem colligere, ac proinde eum juſtificationis conſequendæ modum, qui eſt per fidem, excludere, ut mox intelligetur.

*(i)* Verſ. 20. *Mediator autem unius non eſt.* Hic incipit objectio. Cum fatearis, Paule, Legem per manum mediatoris fuiſſe latam, neceſſe eſt ut ſimul fatearis, inter duas partes coaluiſſe in ferenda lege pactum ac fœdus. *(k)* Mediator enim unius perſonæ aut partis non eſt; non habet is locum, ubi non ſunt duæ partes inter ſe contrahentes.

*Deus autem unus eſt*, *(l)* id eſt, non niſi una quædam perſona eſt, ac proinde nonniſi unam contrahentium partem conſtituere poteſt; ideoque cum mediatorem in lege ferenda audimus, cogitare debemus, fuiſſe ex altera parte homines, cum quibus Deus ſuper legis conditionibus contraxit, & pactum fecit. Angeli enim hic intelligi non poſſunt, qui dei potius, ut vidimus, perſonam hic ſuſtinuerunt, eique ſemper fuerunt conjunctiſſimi. Iam vero, ſi ſuper legis conditionibus Deus cum Iſraëlitis contraxit, tenetur is modum juſtificationis in lege conſtitutum habere ratum, & legem ſervantibus juſtificationem illam præſtare, ita contractuum natura, juſtitia denique ac fide, ferente & poſtulante. Non enim cadit in Deum; ut ille pacta acfœdera reſcindat. *(m)* Quod ſi ergo lex contrarium juſtificationis conſequendæ modum continet, illi, quem continet promiſſio Abrahamo & ſemini ejus facta, quemadmodum ſuperius (verſ. 18) dixiſti; non video, quomodo aliter elabaris, quam ut dicas, legem promiſſionibus divinis eſſe contrariam, atque hac ratione Deum ſecum ipſo committas. quod quam ſit abſurdum, quivis videt.

Verſ. 21. *(n)* *Abſit.* Abſit, reſpondet Apoſtolus, ut hoc abſurdum ex mea ſententia ſequatur. Dum enim legis ille contractus aut pactum urgetur, quod reſcindere Deum ſit nefas, tacite pro conceſſo ſumitur, homines legem ſervare, aut ſaltem, legem hominibus eas vires ſuppeditare, ut eam ſervare & ejus conditiones implere non difficulter poſſint. *(o)* Si enim ita ſe res haberet, non eſſet locus iſtis promiſſionibus, quas Abrahamo & ſemini ejus factas dico; revera lex illis

*(a)* *Intentio Dei in ferenda lege.* *(b)* *Lex non lata, ut per eam juſtificaremur.* *(c)* *Legis dignitas.* *(d)* *Per angelos lata eſt* *(e)* In manu *pro* opera. *(f)* *Mediator vet: Fœderis Moſes * non angeli.*

*(g)* *Mediator quis.* *(h)* *Scopus Apoſtoli.* *(i)* *Objectio.* *(k)* *Mediator unius partis non eſt.* *(l)* *Deus una perſona.* *(m)* *Concluſio objectionis.* *(n)* *Reſponſio ad objectionem.* *(o)* *Si Lex præſtari poſſet, ex ea petenda eſſet juſtificatio.*

eſſet contraria, omninoque ex lege juſtificatio petenda eſſet: nec poſſet Deus abrogare iſtum ſuper lege contractum, alias quoque ipſi naturæ magis conſentaneum, & natura primum. Id enim primum requiritur ab homine, ne unquam peccet; & ſic merito ſuo juſtificationem aſſequatur; tum demum, ſi hac via non liceat ad eam pervenire, alia contendendum eſt. At vero cum longe aliter ſe res habeat, nemoque ſit, qui legis conditiones compleverit, (a) aut complere ſive propriis, ſive a lege mutuatis viribus, propter ſummam rei difficultatem poſſit, (quod enim adeo difficil eſt illud fieri non poſſe dicimus) quis non videt, hunc legis contractum per ſe ipſum quodammodo evaneſcere, & ultro divinis illis, quas dixi, promiſſionibus cedere, ac locum relinquere?

*Si data fuiſſet lex, que poſſet vivificare.* Si lex eas haberet vires, ut per eam homines poſſent juſtificationem & vitam æternam conſequi; quod fieret, ſi ejus auxilio adjuti, poſſent eam ſervare, & vitam ſpiritualem ducere;

*Revera ex lege eſſet juſtitia*, non abrogaret Deus legem, ſed per eam ejuſve obſervationem juſtificatio hominibus omnino petenda eſſet, quaſi dicat: Si poſſet per eam juſtificatio ac vita obtineri, etiam deberet. Vox enim *vivificandi* videtur eo modo hic accipienda quo ſumitur apud eundem Apoſtolum 2 Cor. 3. 6, ubi ait, *literam*, hoc eſt, legem *occidere*, ſeu hominibus mortis cauſſam, quanquam per accidens, exiſtere: *ſpiritum* autem, nempe euangelicum *vivificare*, id eſt. vitam æternam hominibus afferre: nempe quia illa mortem ſui transgreſſoribus denunciabat, vires autem interea ad ſibi obtemperandum non ſuggerebat: contra euangelium & vitam æternam apertiſſime hominibus pollicetur, & vires ad ſibi obtemperandum ſuppeditat. Poſſis tamen verbum *vivificandi* ita accipere, ut ſignificet, vitam ſpiritualem hominibus largiri, ſeu vires ad pietatem vitæ colendam ſuppeditare. Senſus enim eodem recidit, quaſi dicat: Si lex vires homini ſuppeditare poſſet, quibus nixus eam obſervare poſſet, omnino ex lege juſtificatio eſſet petenda. Vires autem ejuſmodi legem homini non ſuppeditare, ſatis apparet ex Rom. cap. 7. 5, 8, & d. & c. 8. 3. Act. 15. 10.

*Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum.* quaſi dicat, ſed nemo per legem poteſt adipiſci vitam: (b) quandoquidem ſcriptura, quæ mentiri neſcit, omnes, etiam ſub lege viventes, peccati reos peragit, & calculo ſuo damnat. qua de re videatur Rom. 3 verſ. 9, & d. Neque enim his verbis idem dicitur quod (c) Rom. xi. 32, cum affirmatur, *Deum concluſiſſe omnes in contumaciam.* (d) Ibi enim de divina pœna agitur, quæ in eo conſiſtit, quod Deus homines credere aut parere ſibi nolentes, in carcerem quendam contumaciæ compingat, id eſt, incredulitate aut inobedientia ita capi & irretiri, non tantum ſinat, verum etiam difficultatibus quibuſdam objectis, quodammodo curet, ut, niſi ipſemet ſingulari uſus miſericordia, peccatorum vincula poſtmodum diſſolvat, vix ac ne vix quidem ſeſe ab iis expedire queant. Hic autem agitur de eo, num lex poſſit homines vivificare, & porro num fuerint aut ſint aliqui, qui eam ſervaverint; an vero nullus ſit; qui peccati reus peragi nequeat. Ibi Deus dicitur concluſiſſe, hic ſcriptura. alio autem modo Deus, alio ſcriptura id facit. Deus efficiendo: (ea tamen ratione, quæ Deo indigna non ſit:) ſcriptura teſtando ac declarando. Ibi συνέκλεισεν, id eſt, *in contumaciam*; *hic vero ſub peccatum* ſimpliciter, quod latius patet, quam illud. hic enim, ut per legem juſtificari nequeas, quacunque ratione peccaſſe ſufficit; illic animi adverſus Deum obſtinatio denotatur. Τὰ πάντα (e) neutrum plurale pro maſculino πάντας.

*Ut promiſſio, ex fide Jeſu Chriſti detur credentibus.* Ut hac ratione Deus poſſet prætermiſſa lege, cujus vi nemo juſtificari queat, & quæ omnes damnet, credentibus promiſſionem dare. Per *promiſſionem*, (f) res promiſſa, id eſt, benedictio & in ea comprehenſa juſtitia, & hæreditas intelligitur. Sic alibi non ſemel: vid. Luc. 24. 49. Act. 1. 4. Heb. 6. 12, 15: ix. 15. x. 36: xi. 13, 39. Addit autem *ex fide*: Ne quis putet, eam credentibus quidem dari, ſed tamen legem etiam in poſterum ſervantibus. *Ex fide* datur, id eſt, ob fidem ſolam datur, in ea danda, fidei ſolius habetur ratio; dum modo ſit fides efficax, ac bonorum operum fructibus exuberans. (g) Non autem ex quavis fide: ſed *ex fide Jeſu Chriſti*, qui eſt ſeminis illius dux & caput, cui promiſſio data fuit; ex fide omnium perfectiſſima & præſtantiſſima, ea nimirum, quam Jeſus Chriſtus docuit, quæque in eo ipſo collocanda eſt. quomodo autem ea differat a fide generalius ſumta explicatum eſt cap. 2 verſ. 16.

Verſ. 23. *Antequam autem veniret fides.* Diſſoluta objectione ſuperiori, redit ad oſtendendum legis uſum ac finem. (h) quod non is fuerit, ut ea in perpetuum obſtringeremur: ſed tantum ad certum tempus; *antequam* nimirum *veniret fides*, id eſt, (i) antequam doctrina de fide, & juſtificatione per eam adipiſcenda publicaretur & promulgaretur. Fides pro doctrina de fide. vide ſup. c. 1. 23.

*Sub lege cuſtodiebamur.* (k) Lex nobis erat inſtar carceris & ergaſtuli cujuſdam: in quo duriter admodum & aſpere tractabamur, & diſciplina rigida ac ſevera continebamur.

*Simul concluſi in futuram fidem revelari.* quo carcere una omnes claudebamur, uſque ad tempus, quo fides iſta ſeu doctrina de fide revelanda erat; ſic ut (l) εἰς, hoc loco poſitum fuerit pro μέχρι, *uſque ad*, quod temporis terminum denotat, quamquam & cauſſam finalem poteſt denotare: quaſi dicat, ut hac ratione omnes perduceremur ad fidem, & fidei, ut ſic dicam, traderemur.

Verſ. 24. *Itaque lex.* Concludit id, quod de uſu & duratione legis dixerat. Utitur autem novo quodam loquendi genere, quo non tantum legis uſum expreſſit, ſed etiam tacite cauſam reddidit, cur non ſtatim doctrina fidei Iſraëlitis revelata ac tradita fuerit, & ſimul etiam, cur hac tradita, illa ceſſare debuerit. (m) Hoc autem facit, cum legem pædagogum appellat. Indicat enim, opus fuiſſe ut populus ille Iſraëliticus adhuc rudis tyrociniis quibuſdam exerceretur, & ſenſim ad altiorem hanc diſciplinam Chriſtianæ religionis præpararetur. Hoc autem lex præſtitit, quæ pædagogi inſtar prima rudimenta divini cultus

(a) *Lex quomodo præſtitu impoſſibilis.* (b) *Scriptura omnes peccati convincit.* (c) *Locus Rom.* xi 32. (d) *Quando Deus concludat ſub contumaciam.*

(e) Neutrum *pro* maſculino. (f) Promiſſio *pro re promiſſa.* (g) *Quali fide promiſſum illud obtinendum.* (h) *Legis uſus & duratio.* (i) Fides *pro doctrina de fide.* (k) *Legis cuſtodia.* (l) εἰς pro μέχρι. (m) *Lex cur tradita.*

propo-

proponebat, & homines ſeveriori diſciplina, utpote adhuc admodum carnales, duræque cervicis, cohibebat & compeſcebat. (a) Hoc porro ipſum quod lex pædagogi inſtar fuerit, indicat, eam non debuiſſe eſſe perpetuam. Pædagogi enim, pueris tantum adhibentur, non juvenibus aut viris, libertatis ſuæ jam capacibus, ac rerum ſuarum dominis. qua de re plura in ſequentibus audiemus.

(b) *In Chriſtum.* Particula εἰς finem rei declarare videtur, ut ſenſus ſit, legem, Chriſtum, hoc eſt, Chriſti religionem pro ſcopo, ad quem collimaret, habuiſſe ſibi propoſitum, ut ad eum homines perduceret. niſi iterum εἰς tantum velis poſitum eſſe pro μέχρι, id eſt, uſque ad Chriſtum.

*Ut ex fide juſtificaremur.* Ut per fidem demum, non vero per ipſam legem, juſtificationem conſequeremur.

Verſ. 25. *Poſtquam autem venit fides.* Uſu legis explicato, facile inde quid de ejus duratione ſtatuendum ſit, æſtimari poteſt. (c) Si enim ea pædagogi fuit inſtar, ut nos ad Chriſti diſciplinam deduceret; patet, cum primum Chriſti diſciplina hominibus tradita fuit, legis uſum ceſſaſſe.

Propterea addit; *non amplius ſub pædagogo ſumus.* Jam ſumus ex illius imperio ac poteſtate exemti; nullum jus nobis aliquid præſcribendi, & in nos pro ſuo arbitratu, ut antea, animadvertendi habet. Hoc adhuc confirmat, ne quis putet, etiam poſt fidei adventum legis imperium durare, & homines illi ſervandæ obnoxios eſſe, quemadmodum Galatæ arbitrabantur, cum addit:

Verſ. 16. *Omnes enim filii Dei eſtis, per fidem in Chriſto Jeſu.* (d) Ideo non amplius eſtis ſub pædagogo, poſtquam fidem in Dominum Jeſum, vel per Dominum Jeſum traditam, amplexi eſtis, (e) quia hæc fides vos effecit Dei filios, id eſt, in ſtatu & conditione quæ Dei filiis jam adultis, ac filiorum jure gaudentibus conveniat, vos poſuit ac collocavit; qui certe non eſt is, qui eorum eſſe ſolet, qui ſub pædagogi ſunt ferula. (f) Filii enim illi Dei ſua libertate gaudent: qui vero ſub pædagogo ſunt, ſerviliter quodammodo tractantur, necdum ſua libertate potiuntur: qua de re cap. ſeq. initio per aliquot verſiculos.

Notanda autem eſt particula univerſalis *omnes:* in ſequentibus enim probat, non ſolum filios Dei eſſe eos qui credunt, ſed etiam *omnes* eſſe, non habita ulla ratione vel gentis, vel conditionis, vel ſexus: ne forte quiſpiam hic quidquam cauſari, & Judæis hanc dignitatem propriam facere poſſit. (g) Tribuit autem illis omnibus fidem in Chriſtum, per quam Dei filii eſſent; non quod certo ipſi conſtare poſſet, præſertim de omnibus, eos talem in Chriſtum fidem habere; maxime poſtquam a veritate deficere cœperant: ed quod talis ipſorum eſſet religio ac profeſſio ab eo tempore, quo primum Chriſto nomen dederant. (h) Solemus enim id de alquo præſumere, quod ejus inſtitutum, vitæ ratio ac profeſſio, omnino requirit.

Verſ. 27. *Quotquot enim in Chriſtum baptizati eſtis.* (i) Sequitur probatio aſſertionis præcedentis. In ea ita progreditur, ut primum doceat, Galatas, vi fidei ac religionis, quam ex ipſius doctrina fuiſſent amplexi, Chriſto penitus unitos atque inſertos eſſe. unde porro concludit, eos eſſe verum illud Abrahami ſemen ſeu poſteritatem, cui hæreditas benedictionis ac terræ illius futuræ, divina promiſſione ſit deſtinata; id quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, eos Dei filios eſſe, ejuſque hæredes, quemadmodum tum ex reipſa, tum ex ſeq. capite apparet. Prius autem illud, hoc & ſequenti verſiculo probat ex ritu, quo Galatæ Chriſto fuerant initiati, & ejus religionem primum profeſſi. [k] Eo ſiquidem teſtati fuerant, ſe Chriſtum induere, hoc eſt ejus religionem ac vitæ inſtitutum penitus amplecti, ei conformari, atque adeo inſeri & uniri. [l] Nam reipſa quidem induitur Chriſtus extra baptiſmum, ipſa maxime vitæ ratione: unde Paulus Romanos jam dudum baptizatos monet Rom. 13. ult. ut induant Dominum Jeſum Chriſtum: [m] ſed externa quadam adumbratione ac profeſſione id fit in baptiſmo. Qui enim eum in finem in aquam immerguntur, ut teſtentur, ſe Chriſto nomen dare, & ejus religionem amplecti, ii profitentur, idque aliquo modo repræſentant, ſe Chriſto, tum ratione mortis, tum ratione reſurrectionis inſeri, ac cum eo coaleſcere. Nam immerſio in aquam, ſepulturam, quæ mortis ſolet eſſe conſequens; emerſio, reſurrectionem adumbrat; & ſic illa quidem ſignificatur, eos, qui baptizantur, cum Chriſto mori velle, mori inquam peccato: hac autem, illos cum eodem velle reſurgere, & in novitate vitæ ambulare, ſeu Deo in poſterum vivere, quemadmodum Rom. 6. 2, & d. explicatur. Unde ibidem ait apoſtolus verſ. 5. *Si enim coaluimus* (nempe cum Chriſto) *ſimilitudine mortis ejus; nimirum etiam reſurrectionis* (ſcil. ſimilitudine) *coaleſcemus*, intellige cum eodem Chriſto.

Verſ. 28. *Non ineſt Judæus &c.* Declarat id quod dixerat, *omnes* Chriſtum induiſſe, [n] oſtendens neminem excipi, quicunque & cujuſcunque nationis, cujuſcunque ſtatus ac conditionis ſit. Non habetur hac in parte ratio ejus, quod aliquis natione Judæus ſit, aut Græcus, hoc eſt gentilis, ut ſupra diximus cap. 2. 3. *Non ineſt*, nempe in Chriſto ſeu Chriſtiana religione: quia in Chriſtiana religione perinde habetur, ac ſi non extaret illud nationum diſcrimen; pro nullo id reputatur. [o] non es propterea præſtantior ratione Chriſtianiſmi, quia Judæus es, nec vilior, quia gentilis. par eſt utriuſque ratio; ſecus quam in religione Moſaica accidebat; quæ proprie ad Judæos ſolos pertinebat.

Eodem modo loquitur apoſtolus noſter Col. 3. 11: *non ineſt ſervus neque liber.* [p] Illi diſcrimini, quod potiſſimum ad inſtitutum apoſtoli pertinebat, ſubjunguntur alia: & primum quidem illud, quod in vita communi maximi eſt momenti, ſervitus nimirum &

(a) *Cur non perpetua.* (b) *Ejus finis.* (c) *Per Chriſtum abrogata.* (d) *Ratio.* (e) *Omnes fideles Dei filii.* (f) *His lex non convenit.* (g) *Quomodo* omnibus *Galatis fides tribuitur.* (h) *Id cuique tribuitur, quod profeſſio ejus poſtulat.*

(i) *Probatio dictorum.* [k] Induere Chriſtum: [l] *Reipſa:* [m] *Adumbratione in baptiſmo.* [n] *Chriſtianorum omnium eadem ratio.* [o] *Nationis non habetur ratio.* [p] *Nec conditionis.*

libertas ſeu ingenuitas. Facile enim cogitare quiſpiam poſſet, quia tantopere præſtet liber ſervo ſeu mancipio, eum etiam in rebus ad religionem Chriſtianam pertinentibus præſtare. Sed non reſpicit perſonam Deus. vide 1 Cor. 7.21 & d. Epheſ. 6. 8. Col. 3. 11, 25.

*Non ineſt mas & fœmina.* (*a*) magna alioquin eſt prærogativa maris præ fœmina, de qua vide 1. Cor. xi. 3, 7, & d. & 1. Tim. 2. 12, & ſeqq. (*b*) quinetiam in religione Judaica, utpote magnam partem ad carnem pertinente, non exigua videtur fuiſſe virorum præ fœminis præſtantia. ad illos enim primo & per ſe benedicto illa carnalis pertinuit: ad fœminas veluti ſecundario ac conſequenter. Unde & viris tantum, certum fœderis ſignum impreſſum fuit: fœminis nullum.

*Omnis enim vos unus eſtis in Chriſto Jeſu.* (*c*) *In Chriſto Jeſu*, inquit, hoc eſt habita ratione Chriſtianæ religionis, ſeu qua Chriſtiani eſtis. Nam alioqui magna eſt inter illos omnes differentia.

*Unus eſtis*, id eſt inſtar unius eſtis hominis, in quo ejuſmodi diſcrimina locum non habent; una eademque omnium eſt ratio, una conditio. (*d*) Unitatem hic non ad ſubſtantiam, ſed ad qualitatem accidentariam, & conjunctionem, quæ iſtius ratione pluribus intercedat referri, nemo non videt. quod etiam alibi fit, cum plures perſonæ aut res unum eſſe dicuntur, vide Joh. 17. 11, 21, 22. Act. 4. 32. 1. Cor. 3. 8. 1. Joh. 5. 8.

Verſ. 29. *Si vero vos Chriſti.* Poſtquam docuit, omnes, quotquot in Chriſtum crediderunt, quicunque alioqui ſint, Chriſtum induiſſe, eique penitus inſertos atque unitos; jam docet etiam, eos omnes ſine diſcrimine eſſe Abrahami ſemen ſeu poſteros; quandoquidem ſupra verſ. 16 dictum eſt, ſemen illud eſſe Chriſtum, hoc eſt tum ipſummet Chriſtum, tum eos, qui cum illo uniti eique per fidem inſerti ſunt. Quod ſi ſunt Abrahami ſemen, ejuſdem quoque Abrahami ex divina promiſſione de qua ibidem dictum, ſunt hæredes: hæredes, inquam, juſtitiæ ac benedictionis illius ſpiritualis, terræque illius futuræ, Abrahamo & ſemini ejus divina benignitate deſtinatæ ac promiſſæ.

(*a*) *Nec ſexus.* (*b*) *Aliter in Judaiſmo.* (*c*) *Chriſtiani omnes unius inſtar.* (*d*) *Unum ratione accidentium.*

## CAP. IV.

### *ARGUMENTUM.*

*Hujus capitis tres ſunt partes. In prima pergit Apoſtolus oſtendere, Judæos ſub Chriſto, lege Moſis ac ceremoniis in ea præſcriptis non amplius teneri, & Galatas, qui iis ſe ſponte mancipabant, reprehendit uſque ad verſ. 12. In ſecunda, digreſſione quadam utitur, admitigandam reprehenſionis præcedentis acerbitatem ad verſ. 21. Benevolentiam enim Galatarum, qua propemodum falſorum doctorum artibus exciderat, ſibi conciliare ſtudet; tum ſuam erga ipſos, tum viciſſim priſtinam ipſorum erga ſe benevolentiam commemorans, eaque ratione oſtendens, reprehenſionem illam ſuam, non ex animo malevolo, ſed potius ſalutis ipſorum ſtudioſiſſimo profectam eſſe. In tertia parte ad inſtitutum revertitur, oſtendens Chriſtianos legi mancipatos non eſſe, & male ſibi conſulere, ſi ei ſe ſponte ſubjiciant, & ſic conditionem ſuam cum legali permutent.*

Verſ. 1. *Dico autem*, id eſt, (*b*) id quod ſuperius dixi, nempe de uſu & duratione legis, quod lex pædagogus noſter fuerit ad Chriſtum, quo adveniente pedago giailla ceſſarit, noſque Abrahami, atque adeo ipſius Dei filii ac hæredes evaſerimus; id ſic explico ac declaro.

*Quamdiu hæres eſt infans, non differt a ſervo, dominus omnium exiſtens.* (*c*) Iſtis verbis cauſſam affert apoſtolus, propter quam Deus populum Iſraëliticum, Abrahami ſemen ac nepotes, quibus hæreditatem ſuam deſtinaverat, ſervili conditione ſub lege eſſe voluerit, & non ſtatim in Chriſtianam libertatem emiſerit. (*d*) Poterat enim aliquis cogitare, æquum omnino ac conveniens fuiſſe, ut, ſi Deus promiſerit, ſe eos filiorum loco habiturum, & hæredes ſuos pleno jure conſtituturum, eo tempore ſtatim id faceret, quo legem illis tulit: non vero tam diu promiſſum ſuum differret, & eos tam dura legis ſervitute per tot ſecula premeret. Huic rei occurrere volens apoſtolus, ſimilitudine e communi hominum vita petita oſtendit, nihil in eo iniquitatis & inconvenientiæ fuiſſe; quinimo, ut ſic Deus faceret, decuiſſe, idque rem ipſam quodammodo poſtulaſſe. (*e*) Concedit populum Iſraëliticum fuiſſe hæredem benedictionis Abrahamicæ, atque adeo etiam bonorum divinorum (hæc enim iſta benedictione comprehendebantur:) (*f*) interim oſtendit, eum non ſemper adultæ & virilis fuiſſe ætatis, ac proinde non ſemper tanquam filium ac hæredem a Deo tractatum. Quemadmodum in uno homine diverſæ ſunt ætates: (*g*) ita etiam in toto populo, eſt aliquid quod infantiæ ſeu puerili ætati, quod adoleſcentiæ, quod pubertati, quod ætati virili reſpondeat. Prout enim populus aliquis, judicio, ſapientia, prudentia, magis matureſcit: ita diverſas veluti ætates ingreditur: id quod in omnibus populis uſu venire videmus. Fere enim ſeculum ſeculo cultius ſuccedere ſolet. Jam vero hæres, quamdiu infans eſt, aut puerilem agit ætatem, ita a patre tractatur, (*h*) ut ejus conditio prope nihil a ſervi conditione differat; nullam habet libertatem, & licet dominus ſit omnium paternorum bonorum, tamen nullam facultatem habet de illis diſponendi.

*Verſ. 2. Sed ſub curatoribus eſt ac diſpenſatoribus uſque ad præconſtitutionem patris.* Non ante ex curatorum poteſtate eximitur, quam tempus a patre huic rei conſtitutum advenerit, quo nimirum, ætate jam & judicio maturus, ipſe ſe regere poſſit.

Verſ. 3. *Sic & nos quando eramus infantes.* Particula *ſic* oſtendit, in ſuperioribus ſubaudiendam eſſe particulam *ſicut*. Senſus autem eſt: fuimus quidem nos Judæi ſemper hæredes: (*i*) ſed non ſemper viri ac diſciplinæ Chriſtianæ, quæ ſpiritualis eſt & plane virilis, bonorumque cæleſtium capaces. (*k*) Apparet enim ſatis manifeſte, populum illum Iſraëliticum, cum primum ex Ægypto eductus eſſet, uſque ad tempora captivitatis Babylonicæ, admodum puerilem fuiſſe; qui cum prope perpetuo haberet apertiſſima de vero illo Deo, deque voluntate ejus in lege expreſſa, teſtimonia atque documenta, miracula nimirum, apparitiones

(*b*) *Declaratio ſuperiorum.* (*c*) *Cur Iſraelitæ olim legi mancipati.* (*d*) *Prolepſis.* (*e*) *Iſraëliticus populis olim Dei filius & hæres.* (*f*) *ſed nondum adultus.* (*g*) *Diverſæ populi unius ætates.* (*h*) *Filius adhuc infans inſtar ſervi.* (*i*) *Similitudo explicata.* (*k*) *Iſraëlitarum puerilia.*

ange-

angelorum, prophetias: nihilominus tam facile in idolatriam ſubinde prolaberetur. Monſtro ſimile eſſe videtur, populum illum in deſerto, cum in oculis eſſet Deus, cum manibus, ut ſic dicam, palpari poſſet, & tam ſæpe illi obmurmuraſſe, & de ejus auxilio ac providentia, cujus tot habebat manifeſtiſſima documenta, dubitaſſe, & idolum ſibi contra ejus mandatum erexiſſe. Quare eorum imbecillati Deus conſulere voluit; quod poſt illud etiam tempus, cum eos in terram Palæſtinam introduxit, miraculoſa quadam ratione illis adfuerit, ac præſentem ſe declararit. Oracula enim, ut alia miracula nunc taceam, prope erant perpetua. (a) Poſt Babylonicam captivitatem Iſraelitæ diuturnis malis & calamitate exerciti, & veluti excocti, maturuiſſe quodammodo videntur; & ſenſim illis Deus viſibilem illam, ut ita dicam, ſui præſentiam ſubtraxit, ut animos eorem in cælum erigeret, & ſine præſidiis carnalibus ſibi confidere, & ſe in cælo, non oculis corporeis, ſed animo ac mente quærere doceret: licet Macchabæorum tempore, non obſcura adhuc præſentiæ ſua ſigna daret; ab eo etiam tempore ſpes alterius cujuſdam vitæ magis animos eorum ſubiiſſe videtur, cum viderent, eos, qui divinæ legis ſtudioſiſſimi erant, in ea mala & calamitates incidere, quæ ejus deſertoribus in lege fuerant propoſitæ: qua de re teſtantur Macchabæorum libri, & ea, quæ leguntur Heb. xi. 35, & deinceps. Hac igitur ratione Deus paulatim rerum præſentium guſtum illis ſubtraxit, & futurorum ac divinorum deſiderium inſeruit, ut judicio ac ſenſu virili præditi, Chriſti diſciplinam quæ nihil carnale, nihil terrenum ſapit, ſed & felicitatem ſpiritualem ac cæleſtem, oculiſque minime ſubjectam, & ſpiritualem Deum colendi, illique ſerviendi rationem præſcribit, tanto promtius & libentius amplecterentur. Quare cum apoſtolus Iſraelitas uſque ad Chriſtum infantes fuiſſe indicat; tam late infantiam extendit, ut totum iſtud tempus, quod illis Deus præfixerat; ut ſub pædagogo proficerent, & ad maturitatem quandam paulatim pervenirent, atque adeo adoleſcentiam etiam hoc nomine complectatur. (b) Breviter, infantes ſunt apoſtolo, iidem qui impuberes, & qui iis ratione animi ac judicii in religionis negotio reſpondent. Sic interdum etiam pueritia apud Latinos ſumitur.

*Sub elementa mundi eramus mancipati* (c) Legem ejusve præcepta elementa mundi appellat, alludens ad id, quod dixerat, legem fuiſſe pædagogum. Pædagogi enim eſt, pueros elementa diſciplinarum docere. Ideo autem legem elementa mundi vocat, quia continet prima rudimenta cultus divini, quibus Deus mundum ad perfectiorem & ſublimiorem ſui cultum exercere voluit. Præſcripſit enim varia animalium ſacrificia & oblationes; qui Deum colendi modus ab ipſis ſtatim mundi incunabulis in uſu fuit, ut in Abele & Caino apparet Gen. 4. 3, 4, 5; præſcripſit & alias multiplices ceremonias. Præcepta etiam mort alia, quæ lex aperte continebat, merito prima elementa dici poſſunt ejus pietatis & morum ſanctimoniæ, quam Chriſti diſciplina tradit.

*Mancipati*, (d) id eſt, eramus iis ſervandis ac retinendis obſtricti, nec cuiquam fas erat cultum in lege præſcriptum negligere: quæ revera magna fuit & gravis ſervitus, quatenus ea etiam, unuſquiſque noſtrum cogebatur præſtare, ad quæ honeſtatis natura per ſe non obſtringebamur; ne de ſevera ille ratione Dei præceptis parendi dicamus, ob quam fiebat, ut unus peccati actus excelſo brachio commiſſus, etiam adverſus ceremonialem aliquam legem, mortis ſupplicio vindicaretur Num. 15. 30, 31. Heb. 10. 28. (e) Reſpicit autem Paulus hic ad ſenſum legis literalem, in quo ſervari ab omnibus & potuit & debuit, & a multis ſervata fuit, ut inter alios legimus de Zacharia & Elizabetha Luc. 1. 6, & de ipſo Paulo Philip. 3. 6.

(f) *Mundi.* Legem elementa *mundi* vocat, etiamſi uni tantum mundi parti ea fuerit tradita. Itaque per ſynecdochen mundum pro mundi parte ponere potuit. Niſi dicere velis, Deum in una gente, omnibus terræ nationibus hanc ſui colendi rationem quodammodo propoſuiſſe; ita ut, licet non procuraret, ut ea omnibus gentibus promulgaretur: nihilominus tamen gratum illi eſſet, ſi exterarum quoque gentium homines eam amplecterentur; præſertim cum nullam iis aliam ſui colendi rationem præſcripſiſſet. Quare ſi rite Deum colere volebant, conſentaneum erat, ut ſecundum normam in lege præſcriptam id facerent.

Verſ. 4. *Quando autem venit plenitudo temporis*, (g) id eſt, cum impletum fuit tempus, quo Deus infantiam iſtam ſeu pueritiam circumſcripſerat:

*Miſit Deus filium ſuum.* Non loquitur de miſſione Chriſti ut naſceretur, (h) ſed ut legati munere apud homines fungeretur, eoſque redimeret. Nec enim dixiſſet *factum* ſeu *natum ex muliere miſit*, ſi ideo miſiſſet, ut ex muliere fieret, ſeu naſceretur: quanquam ne mitti quidem poteſt, qui nondum factus ſeu natus eſt.

(i) Ideo autem *ex muliere* factum ſeu natum dixit, ut eum, quia ad homines redimendos atque in libertatem aſſerendos mittendus erat, hominem verum, ac naturæ conditione cæteris ſimilem fuiſſe doceret.

(k) *Mulier* autem hoc loco non opponitur virgini, ut res ipſa indicat; ſiquidem ex virgine Chriſtus natus fuit: ſed ſexum tantum ſignificat: & (l) niſi apud Hebræos conſueta phraſi *natus ex muliere* ſumeretur pro quovis homine; ac præterea hoc loco Chriſti cum cæteris hominibus, non diſſimilitudo naſcendi, ſed ſimilitudo potius indicanda apoſtolo fuiſſet, credi poſſet, hanc ipſam ob cauſam Paulum de Chriſto dixiſſe, eum natum ex muliere, ut eum ex virgine abſque viri opera natum eſſe indicaret. Non videretur autem ſatis honorifice de matre Domini loqui, qui inter Pontificios ſimplici eam mulieris nomine deſcriberet; forte id etiam capitale eſſet, niſi apoſtolus hoc eam nomine deſignaſſet.

*Factum* ſeu *natum ſub lege*, ὑπὸ νόμον, ut ſup: cap. 3, verſ. 10 ὑπὸ κατάραν, ſub maledictione. Hoc addidit, ut eum, non ſolum hominem, ſed etiam, quia ad Judæos ex legis ſervitute redimendos mittendus erat, Judæum genere fuiſſe doceret. (m) Nam ad homines redimendos homine; ad Judæos autem ex legis ſervitute liberandos, ejuſdem gentis homine, qui non minus, quam cæteri, legi ſervandæ eſſet obnoxius, utpote in eam conditionem natus, opus erat.

(a) *Poſt captivitatem Babylonicam matureſcere cæperunt* (b) Infantes *pro impuberibus.* (c) *Legis præcepta rudimenta.* (d) *Servitus legalis.* (e) *Lex quomodo a quibuſdam ſervata.* (f) *Quomodo mundo propoſita.* (g) *Quando Chriſtus miſſus.* (h) *Prius natus.* (i) *Cur homo natus.* (k) Mulier *ſexus nomen.* (l) *Natus ex muliere homine.* (m) *Chriſtus cur ſub lege natus?*

Verſ. 5. (a) *Ut eos, qui ſub lege* (erant) *redimeret.* Finis miſſionis Chriſti, (b) ut Judæos qui legi Moſaicæ mancipati erant, & tum illius maledictioni, ut ſupra vidimus, obnoxii, tum, qua de re hic vel inprimis agitur, ceremoniis obſervandis ſubjecti, ab ea ſervitute liberaret atque eximeret, eoſque manu mitteret. (c) Id autem effecit doctrina ſua, &, qua eam ſtabilivit ac ſanxit, morte. Dum enim novum fœdus pepigit, vetus ſuſtulit atque abrogavit, ita ut eæ legis ſanctiones, quas Chriſtus vel per ſe, vel per apoſtolos non repetiit, ac ſuis diſcipulis impoſuit, nos Chriſtianos nequaquam obligent: quas vero repetiit, & euangelicæ doctrinæ inſeruit, non ideo nos obligent, quia lex Moſaica illas conſtituerit; ſed quia Chriſtus eas novo fœderi inſeruerit, & ſic denuo ſanxerit. Non repetiit autem legalos ceremonias, caſve nobis impoſuit: ſed potius per hunc ipſum apoſtolum ſatis aperte abrogavit. Cætera, qua de verbo *redimendi* dici hoc loco poſſent, dicta ſunt a nobis ſupra cap.3. 13.

(d) *Ut adoptionem filiorum acciperemus*, hoc eſt, ut reipſa pro filiis adoptaremur, ſeu inſtar filiorum tractaremur a Deo. Adoptati, vel filii, ſervis, vel filiis qui ſervorum adhuc inſtar tractantur, opponuntur. Hic ergo proximus eſt ſive finis, ſive effectus iſtius liberationis e ſervitute legis, (e) ſtatus filialis, qui in eo conſiſtit, quod jam plenum jus, & liberrimum acceſſum ad hæreditatem divinorum ſeu cæleſtium bonorum habeamus: quodque ob paternum Dei erga nos affectum, apertiſſime nobis declaratum, non amplius cogamur metuere pœnas peccatorum præteritorum, licet graviſſimorum, nec lapſuum pietatis curſui intervenientium; quod denique inſtar filiorum adultorum, virilibus ſtudiis, & libero homine digniſſimis exerceamur, utpote natura ſua honeſtis, quæ per ſe quemvis obligent; non vero ſub pædagogi ferula primis cultus divini rudimentis imbuamur.

Verſ. 6. *Quod vero eſtis filii.* (f) A prima perſona ad ſecundam tranſit. quia antea de ſe ſuiſque gentilibus, qui legi revera mancipati fuerunt, loquutus fuerat: nunc de re ad Galatas quoque, omneſque adeo gentiles illis ſimiles pertinente agit. Probat enim in his & ſeqq. Galatas, ac porro etiam alios iis ſimiles, filios Dei per Chriſtum evaſiſſe, ex eo, quod Deus ſpiritum filii ſui in ipſorum corda miſerit, clamantem Abba Pater. Quamquam enim in hoc verſiculo a cauſſa progreditur ad effectum, aſſerens, ideo illis datum eſſe ſpiritum filii Dei, quia ipſi ſint Dei filii: tamen in ſeq. verſic. ex effectu illo cauſſam viciſſim colligit, & ex eo, quod ſpiritus ille ſanctus iis datus ſit, concludit, eos non amplius eſſe ſervos, ſed filios: quia nimirum, ut in hoc verſiculo tacite poſuit, nullam aliam ob cauſſam iis ſpiritum illum datum fuiſſe, aut dari potuiſſe appareat, quaſi dicat: Quia vero eſtis Dei filii, ſeu in ſtatu filiorum ab eo collocati, hinc nimirum factum eſt, ut Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra miſerit; eum enim vobis nunquam dediſſet, niſi vos filiorum loco habuiſſet, ſeu inſtar filiorum jam porro vos tractare conſtituiſſet. Quare non amplius ſervi eſtis, ſed filii. Idem argumentum fuſius explicat Rom. 8. 15, 16. Nam poſtquam dixiſſet, *Quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*, ſubjicit: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timorem: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Ipſe ſpiritus conteſtatur ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei.*

*Emiſit ſpiritum filii ſui.* Ut filii ipſius e ſervis fieretis, emiſit Deus filium ſuum: poſtquam autem filii eratis aliqua ratione facti, ut id teſtaretur, emiſit *ſpiritum filii ſui.* (g) non quemvis ſpiritum, ſed eum, qui filii ipſius, ſeu Chriſti qui, ut alibi jam monuimus ſup. cap.1. 16. cap.2. 20, κατ' ἐξοχὴν filius Dei dicitur, eſt proprius, qui eum & filium Dei faciebat, & eſſe arguebat, quique ab eo tanquam capite in reliqua membra poſtea dimanavit. Itaque qui hunc ſpiritum habet, ſe etiam filium Dei eſſe, quamquam non ita perfecta ratione ut Chriſtus, dubitare nullo modo poteſt.

(h) *In corda miſſus* fuiſſe dicitur, quia in cordibus hominum vim ſuam exſerat. (i) Per *cor* autem Hebræi animum ſolent intelligere. Spiritus iſtius operatio eſt, ut nos de paterno Dei in nos amore certos reddat, & filialem quandam erga eum fiduciam nobis ingeneret.

Propterea addit, *clamantem Abba, pater.* (k) Id eſt, qui facit, ut inſtar filiorum, ſeu fiducia ea, quam filii in parentibus habent, ad Deum clamemus Abba, hoc eſt, Pater. Clamor iſte non tam oris, quam cordis eſt, & animi contentionem notat. Quod autem hic dicit, *ſpiritum clamare*, in epiſtola ad Rom. cap.8. 15 dixit, *per quem clamamus.* Cauſæ enim, quæ efficit ut nos clamemus, per metonymiam clamor adſcribitur, & hoc modo ſæpe ſcriptura de ſpiritu ſancto loquitur. ſimul autem de eo loquitur per proſopopœiam, cum ei aliquam actionem, perſonæ proprie convenientem, præſertim diſtincte a ſubjecto cui ineſt, & quod ſpiritus illius vi proprie actionem illam exercet, tribuit. quo pacto eodem cap.8. Rom. 26,27 dicitur *interpellare pro ſanctis, gemitibus inenarrabilibus*, quemadmodum etiam de ſcriptura, idque aliquanto durius cap.3. verſ.8 locutus eſt apoſtolus.

Vox autem (l) *Abba*, Syriaca eſt, & ſignificat, *Pater.* quare hic, & alibi vox ὁ πατήρ, quæ pro vocativo *ὁ pater* ſumitur Marc.14. 36. Rom.8. 15, Syriacæ illius explicandæ gratia additur.

Verſ. 7. *Quare non amplius es ſervus, ſed filius.* (m) Hinc jam concludit, nullum Chriſtianum amplius eſſe ſervum. (n) Chriſtianum enim quemvis his verbis alloquitur & compellat, a plurali numero ad ſingularem tranſiens, ut indicet, hanc dignitatem felicitatemque non tantum ad totum eccleſiæ corpus, ſed etiam ad ſingulos fideles pertinere: imo primo ad ſingulos. (o) Singuli enim fideles, filii & hæredes Dei ſunt, & conſequenter tota eccleſia. At antequam ex ſervili conditione vindicarentur Iſraelitæ, totus potius populus primo erat hæres, conſequenter autem ejus populi membra. Ait ergo: Non amplius es ſervus, ſeu non tractaris amplius ſervilem in morem, ut olim ſub lege tractabaris, vel tractabantur Judæi. (p) Servitus enim eſt cogi ad ea facienda quæ ſua natura nihil habent honeſtatis, & contra ad ea vitanda quæ nihil habent turpitudinis. Servitus eſt, non modo ob facimus aliquod cum naturali honeſtate pugnans; ſed etiam ob contemptam aliquam ceremoniam, pœnas, nulla miſericordiæ ac veniæ ſpe propoſita, metuere. Servile eſt, bono-

(a) *Finis miſſionis Chriſti.* (b) *Liberatio Judæorum.* (c) *Ejus modus.* (d) *Finis.* (e) *Noſtra adoptatio.* (f) *Chriſtianos eſſe Dei filios.*

(g) *Spiritus filii Dei.* (h) *In corda miſſus.* (i) *Cor pro animo.* (k) *Spiritus clamat.* (l) Abba, *id eſt Pater.* (m) *Concluſio.* (n) *Mutatio numeri.* (o) *Singuli fideles Dei filii.* (p) *Servitus legalis.*

rum patris familias obtinendorum ſpem certam non habere.

*Si vero filius, etiam hæres Dei per Chriſtum.* [a] Filiis enim convenit hæreditas. Idem dicitur Rom. 8. 17.

[b] Addit autem *per Chriſtum*, eum præcipue in finem, ut excludat legem, & Chriſto, tanquam cauſſæ mediæ, in ſolidum hoc beneficium in nos collatum aſſerat, oſtendatque, nec ſine ipſo per legem hæreditatem hanc cuiquam obtingere, nec, ſi quis ipſi adhæreat, legem adhuc adjungere opus eſſe, ut eam hæreditatem obtineat. Dummodo enim quiſpiam ſit Chriſti, eique per fidem inſeratur, ex ejus promiſſo, & ad ejus exemplum, ejus denique opera atque efficacia interveniente, ut Dei filius, ita & hæres efficitur. *Per Chriſtum* enim id fit, tum quia id ipſe nobis aperte promiſit, & certam tantæ felicitatis conſequendæ rationem oſtendit, atque ita, ut Johannes loquitur Joh. 1. 19, credentibus in nomen ſuum poteſtatem dedit, ut filii Dei fierent, hoc eſt inſtar filiorum a Deo tractarentur, ejuſque hæredes efficerentur; ſeu, quod eodem recidit, Deo immortalitate aliquando ſimiles evaderent: tum quia ipſe primus Dei hæres evaſit, & cæteris ſe ſequentibus aditum ac jus quoddam ad eandem hæreditatem comparavit; & denique quia ipſius poteſtate ac cura interveniente nos ad eam perducimur. Id certe, quod medio loco collocavimus, (de primo nullum eſt dubium) hic etiam intelligendum eſſe, facile unumquemque monere poſſunt verba Rom. 8. 17 cum his collata, ubi loco ejus, quod hic dicit, *per Chriſtum*, ponuntur illa, *cohæredes autem Chriſti*:

*Si modo cum illo compatimur, ut cum illo conglorificemur.* Videmus autem Paulum in toto hoc loco ab initio capitis, a filiatione & hæreditate Abrahamica ad filiationem & hæreditatem ipſius Dei tranſiiſſe. quod & ſuperiori cap. verſ. 26 cum verſ. 16 & ſeq. collato facere cœperat: propterea, [c] quod qui ſpiritualis eſt Abrahami filius, ac felicitatis bonorumque ſpiritualium ipſi promiſſorum hæres, is ipſius Dei filius, ac bonorum ipſius cæleſtium hæres eſt. quemadmodum etiam indicavit idem apoſtolus Rom. 9. verſ. 7, 8, 9, 10, ubi de Abrahami ſpirituali ſemine loquens, filios Dei pro eo manifeſte reponit.

Verſ. 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum.* [d] Poſtquam oſtendit apoſtolus, Judæos ex priſtina ſervitute in libertatem fuiſſe per Chriſtum vindicatos, & Galatas ejuſdem libertatis conſortes fuiſſe factos; [e] nunc eos reprehendit, quod ea libertate prodita, in ſervitutem redeant; & oſtendit, eos prope abſurdius nunc facere quam antea, cum ignorantes verum Deum falſis Diis ſervirent, quod Deo ejuſque voluntate per euangelium cognita legalem ſervitutem ſubire vellent. illic enim ignorantia eos, aliqua ſaltem ratione, excuſare videbatur: hic ignorantia prætexi non poterat; cum ſcientes prudentes id facerent. quaſi dicat; Eratis quidem antea ſervi, ſeu in ſervili admodum & miſera conditione verſabamini, cum falſa & fictitia mumina coleretis, & vanis ritibus ac profanæ ſuperſtitioni dediti eſſetis: [f] ſed tamen id eo tempore a vobis factum eſt, cum Dei veri cognitionem nullam haberetis: At nunc poſtquam Deum cognoviſtis, vel, ut rectius dicam, ab ipſo cogniti eſtis, nunc, inquam, velle reverti & relabi ad priorem quodammodo ſervitutem, ſeu priori ſimilem, neſcio cujus dementiæ eſt. Illud a vobis factum fuiſſe non eſt mirum, licet fuerit miſerum: at hoc a vobis nunc fieri, & mirum eſt prorſus, & miſerum.

*Sed tunc quidem*, nempe cum adhuc una cum Iſraelitis ſervi, ſeu ſervili conditione eſſetis, licet diverſa eſſet ſervitutis ratio.

*Serviſtis iis, qui non natura ſunt* vel *erant Dii.* In voce *ſerviſtis*, eſt emphaſis quædam. Nam, ut ex ſequentibus patebit, notare voluit cultum in rebus externis ſitum, laborioſum, & tamen vanum.

(g) *Natura Dii* non opponuntur Diis ex gratia, ſeu qui divinitatem habent ab illo uno Deo acceptam. Tali enim Deo, pro ratione imperii quod a Deo accepit, ſervire, eumque colere, non eſt profanum atque impium, ſed pium ac neceſſarium: nec quiſquam illi, qui imperium cæleſte a Deo vero acceperit, eo ipſo nomine religioſe poteſt ſervire, quin veri Dei cognitionem habeat, ſecus quam in illorum Deorum cultu contingit, de quibus hic loquitur apoſtolus. Adde quod, ſi *natura Dii* hoc loco opponerentur illis, qui ſunt Dii ex gratia divina; tacite videretur apoſtolus concedere, gentium Deos fuiſſe vere Deos, ſed tantummodo ex gratia, non vero ex ſeipſis: cum tamen res ipſa loquatur, de fictitiis gentium Diis, quos una cum aliis coluerint aliquando Galatæ, ſermonem hic eſſe, qui non modo divinitatem nullam haberent, ſed ne extarent quidem. quo reſpiciens alibi apoſtolus ait 1 Cor. 8. 4, idolum nihil eſſe in mundo. Et ſane hoc ipſo loco, cum dixit, eos natura Deos non fuiſſe, quid aliud apoſtolus dicere velle cenſendus eſt, quam eos coluiſſe Deos, qui tales revera non eſſent quales crederentur, nec ullum cultum mererentur, ut ita vanitatem ſervitii ac cultus iis exhibiti oſtenderet? [h] Quocirca *natura* hic idem ſignificat quod *reipſa*, *revera*, & opinationi, ut [i] alii quoque animadverterunt, opponitur. quaſi dicat ſerviiſtis iis, qui non reipſa, ſed opinione tantum hominum Dii erant, ac cultum divinum mereri videbantur: collocatio enim particulæ μὴ, *non*; oppoſitionem tacitam ſubindicat. Neque enim ait apoſtolus, *qui natura non ſunt Dii*, ſed *qui non natura ſunt Dii*, quaſi dicat, *non natura, ſed opinione.* exemplum hujuſmodi collocationis particulæ *non*, & oppoſitionis tacitæ affertur Rom. 8. 12. Trajectam eſſe hanc particulam, tum demum dicendum eſſet, ſi ſuo loco relicta commodum ſenſum non pareret. Eodem autem modo vox *natura* accipitur ex ſententia etiam veterum quorundam, ut apud Bezam videre eſt, Epheſ. 2. 3: *eramus filii natura iræ*, hoc eſt, etiam nos Judæi reipſa eramus iræ ſen pœnæ divinæ obnoxii, ut ut nobis, forte & aliis, ſecus videretur.

Verſ. 9. [k] *Nunc autem poſtquam cognoviſtis Deum*, intellige tum ratione perſonæ, quiſnam videlicet ille ſit; tum ratione voluntatis. Utriuſque enim rei cognitio hic intelligitur: illius quidem, quia cognitio Dei opponitur priſtinæ Galatarum ignorantiæ ab apoſtolo commemoratæ, quæ in eo cernebatur inprimis, quod neſcirent, quis eſſet verus ille Deus, quem colere deberent, & porro loco ejus falſos Deos colerent: hujus vero ideo, quia ſignificat apoſtolus, Dei cogni-

[a] *Chriſtiani Dei hæredes.* [b] *Per Chriſtum* [c] *Dei, & Abrahami ſpirituales filii ac hæredes iidem.* [d] *Nexus cum præced.* [e] *Reprehenſio Galatarum.* [f] *Comparatio duplicis Galatarum ſervitutis.*

[g] Natura Dii. *non opponuntur Diis ex gratia.* [h] Natura, *pro reipſa.* [i] *Vide Piſcatorem, & Bezam.* [k] *Cognitio Dei.*

tionem debuiſſe Galatas ab eo errore ac ſervitute, in quam prolaberentur, omnino revocare: iſte vero error circa voluntatem Dei vertebatur.

*Magis vero cogniti a Deo.* Aut per correctionem quandam Rhetoricam, ut ſuperius jam indicavimus, hæc adduntur, ut ſenſus ſit; Vel, ut rectius dicam, poſtquam cogniti eſtis a Deo: priora enim verba, *poſtquam cognoviſtis Deum*, ſignificare videbantur, ipſos ſponte ſua Deum agnoviſſe, & porro eum colere cœpiſſe: (*a*) cum id totum Dei erga ipſos favore, ejuſdemque cura atque opera fuerit effectum, adeo ut ipſi potius a Deo cogniti, hoc eſt adamati, curam ejus hac in parte experti, vel ab ipſo electi ad eam rem fuiſſe, (ita enim nonnunquam *cognoſcendi* verbum ſumitur Pſal. 1. 6. Jer. 1. 5. Oſe. 13. 5. Rom. 8. 29. xi. 2. 1 Cor. 8. 3.) quam Deum cognoviſſe dicendi ſint: aut ſimpliciter tantum per comparationem majorum hæc ſuperioribus adduntur, ut tanto magis indignitas facti Galatarum appareat. Quaſi dicat: non modo Deum ejuſque voluntatem cognoviſtis, ſed etiam tantopere fuiſtis ab eo amati, quemadmodum dixi: hoc eſt ex ſervis filii & hæredes ejus effecti; & ſpiritu ſancto in ſpem hæreditatis illius obſignati. (*b*) Verbum enim *cognoſcendi* per antanaclaſin diverſimode hic videtur accipi, ut etiam fit 1 Cor. 8. 2, 3.

Poſtquam ergo ad talem ſtatum & conditionem perveniſtis, qua nulla poteſt eſſe optatior, *quomodo revertimini rurſus ad infirma & miſera elementa?* Vel per *elementa* illa, (*c*) in genere intelligit externum & ceremonialem cultum, ut eorum ambitu etiam gentium ritus comprehendantur; vel ſi legalem tantum diſciplinam intelligit, dicendum erit, ideo apoſtolum dicere eos ad elementa iterum reverti, non quod antea legem obſervaſſent: (fuerant enim gentiles:) ſed quod ſimilibus quibuſdem ceremoniis & ritibus, quales in lege ſunt præſcripti, dediti eſſent, ſic ut legales ritus ac ceremonias ſuſcipiendo, ad priores quodammodo rediiſſe merito dici poſſent. Qui enim rem priori ſimilem tractat, ad eandem quodammodo rediiſſe, jure dici poteſt.

*Quibus iterum*, ἄνωθεν, veluti de novo & de integro, *ſervire vultis.* (*d*) Iterum *ſervierè* verbo utitur, ut declaret laborem ac moleſtiam, quæ tamen non in rebus ſua natura honeſtis obeundis conſiſtat, ſed in externis tantummodo ritibus ac ceremoniis. Quid enim ſervilius eſt, quam ejuſmodi rebus occupari quas nulla honeſtas præcepit, quæque non ideo præcipiuntur quia facienda ſint; ſed ideo tantum facienda ſunt, quia præcipiuntur. Opponitur autem iſta ſervitus libertati Chriſtianæ.

Cum vero ait, *vultis ſervire*, (*e*) indicat hanc voluntariam eſſe ſervitutem, ad quam nulla neceſſitate, nullo Dei præcepto adigantur. In verbis πάλιν ἄνωθεν eſt pleonaſmus quidam, ut Matth. cap. 26. 42 dicitur Chriſtus πάλιν ἐκ δευτέρου oraſſe.

(*f*) Legis autem ceremonialia præcepta vocavit *infirma & egena elementa. Infirma* quidem, quod nullas prorſus vires haberent ad hominem Deo commendandum, & ad conſequendam juſtificationem. (*g*) Egena autem, quod nihil in illis eſſet ſolidi, meræ tantum umbræ, & illi puerili Iſraelitici populi ætati convenientia pietatis ſimulachra.

(*a*) Cognoſcere *pro amare, curare, eligere:* (*b*) Eadem vox eodem loco diverſimode ſumitur. (*c*) *Galatæ ad elementa reverſi.* (*d*) *Servitus eorum:* (*e*) *Voluntaria.* (*f*) *Legalia elementa infirma.* (*g*) *Et egena.*

Verſ. 10. *Dies obſervatis*, ut ſabbata. (*h*) Obſervabant autem iſta ſabbata, quatenus nefas eſſe putabant die Sabbati ullum opus facere. (*i*) Nam qui vel ſabbatum, vel alium aliquem diem ita obſervat, ut exiſtimet, eum non eſſe cæteris ſanctiorem aut religioſiorem, interim tamen eum divino cultui conſecret; nihil peccat, nec apoſtolo contrariuseſt. Non enim propter diem res divinas tractat; ſed propter res divinas diem obſervat. Sic a Chriſtianis dominicus dies electus eſt, in quo divino cultui, aliis laboribus & curis ſepoſitis, vacarent.

*Menſes* obſervabant, (*k*) quatenus novilunia celebrabant, id eſt, primum cujuſque menſis diem ſacrum habebant; * *tempora*, quatenus illa feſta, quæ ſtatis temporibus incidebant, ut erat feſtum Paſchatis, Quinquageſimæ, tabernaculorum, adde & expiationis, obibant.

(*l*) *Annos*, ut annum ſeptimum, & qui poſt ſepties ſeptimum incidebat Jubilæum, Lev. 25. 4, 10.

Verſ. 11. *Metuo vos*, (*m*) id eſt, vobis, *ne fruſtra laboraverim in vos*, id eſt, quoad vos, vel circa vos. Nam qui ad talia delabitur, & in iſtis rebus externis ac ceremonialibus cultus divini partem ponit, antehac veritate euangelii ſincera imbutus; paulatim ex Chriſtiano Judæus fit. Metuebat ergo apoſtolus ne pro Chriſtianis Judæos haberet. Accedit, quod qui legem recipiunt, gratia Chriſti hoc facto ſe abdicant, ut videbimus infra cap. 5. verſ. 2, 3, 4. Quare & hac de cauſſa Galatarum ſaluti metuebat.

Verſ. 12. *Eſtote ſicut ego.* (*n*) Sequitur altera capitis pars, in qua apoſtolus poſt reprehenſionem mutat vocem, (*o*) & ſuavius eos alloquitur, eorumque benevolentiam & amorem, ſuum quoque in illos amorem teſtatus, ambit.

*Sitis ſicut ego*, quaſi dicat: (*p*) Sitis veluti alter ego; quia & ego ſum velut alteri vos. Addit particulam ὡς, ad exprimendam improprietatem. Quid autem hic loquendi modus ſignificet, cuivis patet, nempe ſummum amorem ſimilem illi quo unuſquiſque ſeipſum complectitur. Quare ita loqui cenſendus eſt apoſtolus: amate me ut voſmetipſos; nam & ego vos amo ut memetipſum.

*Nulla me injuria affeciſtis.* (*q*) Itaque non eſt cur a vobis alieno me eſſe putetis animo, nullas mihi dediſtis cauſas, quominus vos ſummopere amem ac diligam. credibile autem nemini eſſe debet, me ſine cauſa quempiam odiſſe, præſertim quem antea dilexerim, qui ne laceſſitus quidem injuria odiſſe quemquam ſoleo. Hoc autem totum ideo dicit, ne fortaſſe Galatæ putent, reprehenſiones & objurgationes ejuſmodi, quales ſupra vidimus, ex animo non ſatis amico proficiſci.

Verſ. 13. *Scitis autem.* Hæc verba, vel pro illuſtratione ſuperiorum, a contrario petita, haberi poſſunt, quaſi dicat, tantum abeſt, ut me injuria aliqua affeceritis, ut potius, quemadmodum ipſimet meminiſtis, (*r*) ſingulari ſtudio atque amore, licet ſecundum carnem infirmum atque afflictum, fueritis complexi, atque ita de me meriti, ut non poſſim vos non amare: vel, quod ſimilius vero eſt, veluti novam in

(*h*) *Obſervatio dierum.* (*i*) *Quatenus Chriſtianis licita.* (*k*) *Obſervatio noviluniorum, * ſtatorum feſtorum.* (*l*) *Anni ſeptimi & Jubilæi.* (*m*) *Paulus metuit Galatarum ſaluti.* (*n*) *Secunda cap. pars.* (*o*) *Benevolentiam Galatarum captat.* (*p*) *Suam viciſſim teſtatur.* (*q*) *Suſpicionem odii amovet.* (*r*) *Studium Galatarum in Paulum licet afflictum.*

his ver-

his verbis telam orditur apoſtolus, & ideo Galatis priſtinam ipſorum erga ſe alias afflictum ac contemptum benevolentiam ſtudiumque ſingulare in memoriam revocat, ut inde poſtea concludat, non recte eos facere, qui longe alio nunc erga ſe ſint animo; atque adeo ad priſtinam illos erga ſe benevolentiam reducat. Hanc ſententiam tum ſequentia verba probant; tum illa ipſa, quibus ſibi aditum ad hanc Galatarum erga ſe benevolentiam commemorandam facit, *Scitis autem*: nam veluti novæ rei exordium ſumi oſtendunt. Sic particula *autem* vim ſuam retinebit, quæ alioqui ſumenda foret pro *ſed*, δὲ pro ἀλλὰ: quod non eſt quidem inuſitatum: ſed tamen ubi vim propriam ac uſitatiorem retinere poteſt, non eſt ad impropriam atque inuſitatiorem confugiendum. Senſus ergo eſt: Meminiſtis autem ipſimet, quod, licet vobis prius per infirmitatem carnis euangelium prædicaverim: nihilominus tamen me ob tentationem meam ſeu afflictionem, quam in carne ſuſtinui, non ſpreveritis, ſed potius incredibili ſtudio ac benevolentia fueritis proſequuti. [a] Eſt enim oppoſitio quædam inter orationis membra, etiamſi adverſativæ particulæ deſint, & ſimplici copulativa &, Hebræorum more, oppoſita membra inter ſe connectantur. Nam ut tanto illuſtriorem ipſorum & pietatem & amorem in ſe reddat apoſtolus, prius commemorat ſuas afflictiones & calamitates, quibus premebatur cum ipſis primum euangelium annunciaret, vel ſaltem paulo ante, preſſus fuerat. Hæ enim afflictiones, contumeliæ ac ludibria, quibus erat expoſitus, poterant ipſorum animos ab eo avertere, & tum perſonam, tum doctrinam ipſius in contemptum apud ipſos adducere, quod quia factum non eſt, hinc apparet, quanta Galatarum pietas fuerit, quantus ardor, quantum in Paulum & doctrinam ejus ſtudium.

*Per infirmitatem carnis euangelizavi vobis.* [b] *Per* poſitum pro *cum*, ut alibi ſæpe. quo ſenſu etiam Chriſtus dicitur veniſſe in aqua & ſanguine, vel per aquam & ſanguinem 1 Joh. 5. 6. vide Rom. 2. 27. IV. 11. XIV. 20. 2 Cor. 3. 11. Per *infirmitatem carnis* intelliguntur afflictiones, & calamitates: quæ ideo locum habebant in Paulo, quia ſecundum carnem erat infirmus. [c] Ideo autem addit vocem *carnis*, ut oſtendat, ſe de tali infirmitate loqui, quæ in carne locum haberet. Nam quoad ſpiritum, firmus erat Paulus, non infirmus; imo hęc ipſa carnis infirmitas firmitatem ſpiritus Paulini arguebat. [d] Si apoſtolos ſecundum carnem conſideres infirmi erant, id eſt non ſolum variis malis erant obnoxii, ut cæteri homines; ſed etiam miſeri erant ſupra homines: [e] ſed ſi oculis a carne paululum abductis, eos conſideres ſecundum ſpiritum, videbis eos ſub onere graviſſimarum calamitatum non ſuccumbentes, imperterritos, divina ſapientia plenos, ſtupenda opera patrantes. Ita ut merito alibi dixerit idem apoſtolus 2 Cor. 4. 7: *Habemus theſaurum hunc* (id eſt, cognitionem Dei, vel doctrinam euangelicam) *in teſtaceis vaſis* (hoc eſt, in corporibus infirmis) *ut excellentia potentiæ ſit ex Deo non ex nobis.* & iterum: *quando infirmus ſum, tunc potens ſum* cap. 12. 10. Atque illud eſt, quod alibi dixit, Deum manifeſtatum eſſe *in carne*, id eſt, per homines carne circumdatos, infirmos 1 Tim. 3. 16, malis non tantum ſubjectos, ſed etiam objectos, & abjectos.

*Prius*, τὸ πρότερον. dubitari poteſt, an *prius* dixerit reſpectu hujus ſcriptionis, quaſi dixiſſet, *antehac*: an vero reſpectu iteratæ euangelii apud eoſdem prædicationis. Poſterius verbis magis eſt conſentaneum. Conſtat autem ex Actor. 18. 23. [f] Paulum ad Galatas iterato veniſſe: quandoquidem ibi dicitur, quod Galaticam regionem peragrarit, confirmans omnes diſcipulos. Si diſcipulos confirmabat; ergo eos jam antea diſcipulos fecerat, & ad fidem, in qua illos confirmabat, perduxerat. Nemo enim præter ipſum id præſtiterat. Significavit ergo apoſtolus, ſe tunc fuiſſe afflictum, nec tamen a Galatis ſpretum, ſed ab illis ſummo ſtudio atque alacritate exceptum, quemadmodum ſtatim ſubjicit, dum ita porro ſcribit:

Verſ. 14. [g] *Et tentationem meam quæ in carne mea*, hoc eſt afflictionem illam meam, quam in corpore meo, euangelii cauſſa ſuſtinebam, aut, paulo ante ſuſtinueram. Idem per *tentationem in carne* intelligit, quod antea per *infirmitatem carnis*. Vocantur autem afflictiones euangelii cauſſa ſuſceptæ, tentationes, quia hominibus a Deo ac Chriſto immittuntur ut eorum fides ac pietas exploretur. Ideo Jacobus cap. 1. 3, eas vocat *explorationem fidei*; explicans quodammodo cauſſam, cur eas verſ. 2 *tentationes* appellaſſet.

*Tentationem*, inquit, *meam non feciſtis nihili, neque reſpuiſtis*; hoc eſt non contempſiſtis me propter tentationem ſeu afflictiones, quas tum ſuſtinebam; licet hæ eam haberent vim, ut, ſi rem oculis corporeis metiri voluiſſetis, me in ſummum contemptum, & una mecum doctrinam meam apud vos adducere potuiſſent, & omnibus exſibilandum ac conſpuendum proponere.

[h] Hoc tam longe abfuit a vobis, ut etiam *me tanquam angelum Dei receperitis, tanquam Chriſtum Jeſum* ipſum, non ſecus ac ſi angelus aliquis è cælo ad vos deſcendiſſet: imo prope perinde, ac ſi ipſe Chriſtus Jeſus ad vos veniſſet. nempe quia tanti Domini me legatum eſſe cernebatis, tam læta vobis, præter omnem ſpem atque expectationem annunciantem, ac diviniſſima ratione confirmantem.

Verſ. 15. *Quæ igitur erat beatitudo veſtra?* Hæc verba veluti in parentheſi legi debent. [i] Τίς pro quanta Luc. 8. 25, confer Matth. 8. 27, & Epheſ. 3. 9. 18, & alibi non ſemel.

*Beatitudo*, [k] μακαρισμὸς, proprie beatitudinis prædicationem ſignificat, & ſic a nonnullis hic redditur: ab aliis illo modo. Itaque duplex eſſe poteſt ſenſus; vel, Quam ergo beati tum temporis eratis? quanta tum temporis erat veſtra beatitas? vel: Quam ergo tum temporis vos beatos ferebatis, quod ad vos veniſſem & tam læta vobis annunciaſſem? quis enim non beatum ſe diceret, ſi angelus Dei, ſi Chriſtus Jeſus ad ipſum veniret? vobis autem ego primum veniens, eram inſtar angeli Dei, inſtar ipſius Jeſu Chriſti. Cum dicit *erat*, tacite indicat, μακαρισμὸν hunc jam deſiiſſe, quaſi dicat, at quo nunc felicitas illa veſtra receſſit? vel, quo nunc abierunt illæ voces, quibus vos beatos eſſe per meum adventum prædicabatis?

*Teſtor enim vobis.* [l] Magnitudinem ipſorum erga ſe affectus ac ſtudii denuo exprimit, ut oſtendat, quanti ipſum tunc fecerint, quamque beatos ſe ob illius adventum judicaverint, atque adeo etiam prædicaverint.

[a] Et *oppoſita membra neſcit.* [b] Per *pro* cum. [c] *Infirmitas carnis pro afflictione.* [d] *Apoſtoli carne infirmi.* [e] *Spiritu validi.*

[f] *Paulus bis ad Galatas venit.* [g] Tentatio *pro afflictione ob veritatem.* [h] *Summum Galatarum ſtudium erga Paulum.* [i] Quis *pro* Quantus. [k] Μακαρισμὸς [l] *Magnitudo amoris Galatarum erga Paulum.*

*Si poſſibile, oculos veſtros effodiſſetis & dediſſetis mihi.* Loquendi modus e vulgo petitus. dicit *ſi poſſibile*, vel quia dare alicui oculos, ut nimirum ille iis utatur, ſit prorſus impoſſibile; vel potius, quia id totum, nempe eruere oculos & alteri dare, naturæ humanæ repugnat; eſtque præterea prorſus inutile; eaque de cauſſa plane inauditum.

Verſ. 16. *Ergo inimicus veſter factus ſum, veritatem vobis dicens?* [a] Inimicus eorum factus fuerat, non quod ipſe Galatas odiſſet, ſed quod Galatæ ipſum; vel ſaltem quod arbitrarentur, eum iniquiori eſſe adverſus ſeſe animo, & ſic eum pro inimico ſuo haberent. Utitur autem interrogatione, ut oſtendat, id fieri minime debuiſſe: quaſi dicat, [b] Cum ergo me tantopere amaveritis, decuitne, ut me poſtea odiſſetis, aut pro inimico haberetis, quia veritatem vobis dixi?

Vox [c] ἀληθεύων, ſignificat candide cum aliquo agere, veritatem ſine ſuco dicere, nihil diſſimulare, maxime in monendo, corrigendo, reprehendendo. [d] Hæc autem veritas odium parit, ut vetus eſt verbum: quanquam minime omnium debebat. debebat enim amorem potius conciliare. Sed reprehendi moleſtum eſt: laudari omnes cupiunt, & magis fere ii, qui minus merentur. [e] Conſentaneum eſt, Paulum jam antea Galatas de quibuſdam vitiis monuiſſe, fortaſſe de contentionibus aliiſque rebus ſimilibus: quas cap. 5. 15, 26 in illis notari videbimus, & hoc illos aliquanto moleſtius tuliſſe. [f] Videtur autem id ab eo factum cum ſecundo apud ipſos eſſet. Itaque ab eo tempore ipſos de ſuo erga Paulum ſtudio remiſiſſe credibile eſt: unde ipſorum erga ſe amorem commendare volens, non ſecundi, ſed primi ſui ad illos adventus meminit; ubi nulla proculdubio, recenti ob repertum ſalutis theſaurum gaudio, & mutuo omnium fidelium inter ſe amore, talis reprehendendi occaſio extitit.

[g] Quod ſi vox ἀληθεύων id ferret, ita locus poſſet accipi ac ſi dixiſſet apoſtolus: Num ergo eam ob cauſſam, ob quam antea me tantopere dilexiſtis, nempe quod veritatem divinam vobis ſincere propoſui, nunc me odio proſequimini? Nullam enim aliam exputare poſſum cauſſam, cur id factum ſit, nulla certe re id commerui. Iſtos nempe nunc amatis qui adulteratam Chriſti doctrinam vobis propinant; ac porro me, qui id haudquaquam feci, minus amatis. Summi amoris cauſſa in cauſſam odii verſa eſt.

Verſ. 17. *Depereunt vos non bene.* [h] Notat nunc apoſtolus odii illius flabella, nempe falſos Galatarum doctores, eorumque fraudem hac in parte detegit. Sumit autem ſimilitudinem a procis, vel rivalibus, qui eandem virginem ambiunt. Galatas virgini; pſeudodidaſcalos procis comparat, & prope omnem odii iſtius Galatarum in ſe culpam, in procos iſtos rejicit.

Depereunt vos, inquit, iſti, veſtrum amorem ac ſtudium ambiunt: ſed *non bene*, ſeu *non honeſte*. [i] Id enim non faciebant bonum atque honeſtum in finem, ſed ut excluſo apoſtolo, ipſi apud Galatas regnarent, & gloriolam inde ac commodum carnale aucuparentur, qua de re audiemus iuſtra cap. 6, 12, 13. Ambiebat quidem eos etiam Paulus: verum non ſibi, ſed Chriſto, cui eos deſpondere volebat, ut alibi de ſe loquitur 2 Cor. xi. 2. non enim ſuum aliquod lucrum, non gloriam quærebat: ſed id tantum agebati ut illi ſincere Chriſto adhæreſcerent.

*Sed excludere nos volunt.* Opponit hæc voci *honeſte*, ideo utitur particula *ſed*. Non honeſte, inquit, vos depereunt atque ambiunt: ſed excludere nos volunt, nempe ab amore veſtro; id agunt, ut veſtrum erga me, ac proinde etiam erga doctrinam meam ſtudium atque amorem corrumpant; ut veſtros a me ac doctrina mea animos alienent: [k] quemadmodum proci ac rivales facere ſolent, qui pati non poſſunt, ut puella quam ambiunt, ullum alium præter ipſos amet. At quicunque ita veſtrum amorem ambit, ut vos a me ac doctrina mea, quæ ipſa veritas eſt, alienet, is inhoneſte ac turpiter vos amat atque ambit.

[l] *Nos*, id eſt me, loquitur Paulus de ſe in plurali numero, ut ſupra cap. 1. 8, 9. Et hic quidem ſimplex videtur eſſe numeri enallage, vel, ſi mavis, ſynecdoche qua de re dicto loco cap. 1.

Finem autem, cur ſe excludere velint, ſubjicit, *ut ipſos depereatis*, ut omnem amorem ac ſtudium in ipſos convertatis; illos pro doctoribus ac ducibus recipiatis, illos ſectemini; ac proinde ut ex vobis gloriam ac commodum illud quod quærunt conſequantur.

Verſ. 18. *Bonum autem* [*eſt*] *deperire, vel deperiri*, (eſt enim in Græco ζηλοῦσθαι) *ſemper, & non tantum cum præſens ſum apud vos.* Hic notat Galatarum in amore ſui inconſtantiam & mobilitatem quandam, non recedens, ut videtur, a ſimilitudine. Varium enim & mutabile eſt mulierum ingenium, facile amore accenduntur, facile deferveſcunt: præſertim ſi abſit is quem amare cœperant, & rivalis verſetur in oculis, & illarum amorem eblandiri omnibus modis conetur. Illis ergo Galatas non vult eſſe ſimiles apoſtolus, quaſi dicat: Volunt vos ab amore mei abducere; præſertim quia ego nunc abſum, qua occaſione nunc illi apud vos utuntur. At non decet vos, ut me, quem præſentem tantopere amaveratis, idque honeſtiſſima de cauſſa, nunc abſentem amare deſinatis. [m] Honeſtum enim eſt, in amore, ſi is ſit honeſtus, conſtantem eſſe, & ſemper amare: non tantum cum præſens eſt is qui ſit amandus, ſed etiam cum eſt abſens. Non debet propterea animo excidere, quod ex oculis exceſſerit.

Dicit ἐν καλῷ, hoc eſt, cum hic amor & ex honeſtis juſtiſque cauſis natus eſt, & honeſtum in finem tendit: cum non obſcœna voluptas, non turpe lucrum aut quippiam ei ſimile, ſed honeſtus ac ſalutaris quidam fructus quæritur; ut in amore Galatarum erga Paulum fiebat. Idem verborum manet ſenſus, etiamſi verbum ζηλοῦσθαι per paſſivum reddas, & ſic ad Paulum referas, quaſi dicat bonum atque honeſtum eſt, cum ipſe amor honeſtus eſt honeſtumque in finem tendit, non ad tempus tantum amari, ſed ſemper; non præſentem tantum, ſed etiam abſentem; adeoque etiam me a vobis amari convenit, non tantum cum præſens vobis adſum, ſed etiam cum abſum.

Verſ. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio.* [n] Verba mire elegantia, quibus ardentiſſimum ſuum erga Galatas amorem, & anxiam ſalutis eorum

[a] *Animus Galatarum in Paulum mutatus.* [b] *Cauſſa.* [c] Ἀληθεύων. [d] *Veritas odium parit.* [e] *Paulus monuit Galatas.* [f] *Quando?* [g] *Alia explicatio.* [h] *Pſeudodidaſcali odii Galatarum in Paulum cauſa.* [i] *Eorum fraus.*

[k] *Inhoneſte ambit, qui apoſtolum excludit.* [l] *Paulus de ſe in plurali loquitur.* [m] *Amor honeſtus conſtans eſſe debet.* [n] *Pauli erga Galatas ſtudium.*

curam

eaque ratione efficiat, ut facilius ſe ab errore revocari, ac veluti refingi patiantur. Conjungunt autem hæc nonnulli cum præcedentibus, ut eandem cum illis periodum conſtituant: alii novam hic periodum incipiunt, quaſi ex abrupto, amore erga Galatas & ſummo ſalutis eorum ſtudio animique dolore abreptus, ita eos alloquatur apoſtolus; quo quidem pacto elegantior eſt, & plus affectus habet oratio. Et hi, verba illa *quos iterum parturio*, uſque ad finem verſiculi, velut in parentheſi legunt. In iis autem matri ſe comparat Paulus, Galatas liberis. Parturio, inquit, id eſt, magno cum animi dolore, magno labore vos ratione Chriſtianæ religionis gigno.

(a) *Parturiendi* vox de tota generatione ſeu fœtus procreatione videtur uſurpari; quandoquidem de re loquitur, quæ formationem, ut ita dicam, fœtus, non conſequatur, ſed antecedat, ejuſve ſit cauſſa, ut mox audiemus. Utitur autem parturiendi potius quam gignendi verbo, ut ſignificet, quanta moleſtia, quanto labore, quanta animi anxietate hæc illi res conſtet. In partu enim maximus labor & dolor eſt. ait autem, *iterum parturio*; qua in re omnes matres ſuperavit. Jam eos per euangelii prædicationem ſemel genuerat ac pepererat, hoc eſt Chriſtianos effecerat; nunc iterum eos parturit, eademque in re laborat.

*Donec formetur Chriſtus in vobis*, hoc eſt, donec vobis figura ac forma Chriſti denuo imprimatur, donec formam Chriſtianæ religionis denuo recipiatis, quæ per falſos iſtos doctores jam pene deleta fuerat, qui Moſis formam ac figuram vobis impreſſerunt, & ex Chriſtianis Judæos quodammodo effecerunt. (b) Fœtui enim certa forma ac figura debet imprimi, quæ in Chriſtianis eſt Chriſtus, hoc eſt ea religionis ac vitæ ratio, quam Chriſtus in doctrina ſua nobis expreſſit.

Verſ. 20. *Vellem autem adeſſe apud vos nunc, & mutare vocem meam.* Utitur vocula *autem*, vel quia hæc verba aliqua ratione opponit illis verſ. 18, *& non tantum cum præſens ſum apud vos*, præſertim ſi verſ. 19 cum præcedenti connectas: quaſi dicat: Quanquam nunc quidem valde cuperem apud vos eſſe, ut mutare poſſem vocem meam: vel, ut interpretibus quibuſdam placet, δὲ poſitum eſt pro δὴ (ut ſupra etiam vidimus cap. 2. 4.) *autem* pro *ſane*: & ſic verba hæc cum initio verſ. præced: *filioli mei* connectuntur, iis quæ interjecta ſunt parentheſi incluſis. (c) Hoc autem dicere vult apoſtolus: O quam vellem nunc præſens adeſſe vobis,* ut orationem meam vobis poſſem attemperare, & prout res, neceſſitas, occaſio exigeret, ita vobiſcum loqui: quod nunc abſens ita commode facere nequeo. Cum enim abſentes ſumus, non poſſumus tam commode pro cujuſque captu & ingenio, pro rei neceſſitate, variarum circumſtantiarum ignari, differere, quam ſi præſentes eſſemus.

*Quia dubito in vobis.* Quia quid de vobis ſtatuam, neſcio: num alte in vobis error radices egerit, nec ne; ſimplicine errore teneamini, an aliqua acceſſerit animi malitia; qua in parte potiſſimum hæreatis; quis vos, vel unumquemque veſtrum ſcrupulus maxime urgeat; ac proinde quid vobis potiſſimum inculcem, quo argumento vos aggrediar: quod, ſi adeſſem, facile ſcire poſſem.

(a) Parturio *pro Gigno, vita ab ipſo præſcripta.* (b) Chriſtus *pro religione ac* (c) Optat Paulus *adeſſe Galatis.* * Cur?

Verſ. 21. *Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe.* (d) Hic incipit tertia cap. pars, in qua apoſtolus, poſt longam ſatis digreſſionem, redit ad propoſitum & novo argumento docet, Chriſtianos legi mancipatos non eſſe, ac male ſibi conſulere ſi ei ſe ſubjiciant. Ex abrupto autem hæc ſuperioribus ſubjungit apoſtolus, quaſi ita diceret: Etiamſi autem nunc abſens, non ita poſſim orationem neceſſitati rei, aut uniuſcujuſque veſtrum ingenio attemperare: nihilominus tamen ratio adhuc ſuppetit, qua, etiam abſens, vos omnes erroris convincam.

Agite igitur, reſpondete mihi, *qui ſub lege vultis eſſe*, hoc eſt, legi vos ſponte veſtra mancipatis, & ex ejus præſcripto vivere, ac juſtificationem conſequi cupitis. de voce *vultis* dictum eſt verſ. 9.

*Legem non auditis?* quaſi dicat, haudquaquam convenit eos, qui legi ſe addicunt, non attendere quid lex ipſa, ſeu libri in quibus lex deſcripta eſt, dicant; quod vos facere videmini: ſiquidem libri illi, in quibus lex deſcripta eſt, errorem veſtrum arguunt, voſque peſſime vobis conſulere oſtendunt qui ab euangelio ad legem migratis, & in eam conditionem tranſitis, in quam ii qui ſecundum carnem ex Abrahamo prodierunt, nati ſunt. Quare ſi legem audiretis atque expenderetis, id non faceretis. Vel ſimpliciter: An non auditis, legis libros veſtræ ſententiæ adverſari, veſtrum conſilium ac inſtitutum noxium eſſe oſtendere? (e) Videmus, alia atque alia ſignificatione vocem *legis* ſumi in hoc verſiculo. Priori enim loco ſignificat legis Moſaicæ diſciplinam & inſtituta, quæ olim in monte Sinai per Moſem fuerunt tradita: poſteriori autem libros Moſis deſignat; quo ſenſu etiam ſæpe ſumi ſolet, & ſic a Prophetarum ſcriptis & monumentis diſtingui, cum ea aliquando etiam in ſe complectatur. Confer inter ſe Luc. 24. 44. Rom. 3. 19, 20, 21, (ubi itidem diverſimode legis vox ſumitur, per antanaclaſin huic noſtræ non abſimilem;) & 1 Cor. 14. 21.

Verſ. 22. *Scriptum eſt enim, quod Abraham duos filios habuerit, unum ex ancilla, & unum ex libera.* (f) Hic jam oſtendere incipit, quomodo lex ſeu legis libri errorem Galatarum redargaunt, eoſque ſibi peſſime conſulere doceant, quod ab euangelio ad legem tranſeant, & eandem conditionem cum Judæis carnaliter ex Abrahamo oriundis, & ſub lege natis ſubeant. Probat enim, Judæos ſub lege exiſtentes ſervili eſſe conditione, & hæreditatem Abrahami, de qua præced. cap. actum, non addituros: Chriſtianos libertatem, certamque hæreditatis Abrahamicæ ſpem naſci. (g) Hujus autem argumentationis fundamentum in verbis hujus verſ. 22 ſternit; nempe hiſtoriam de duobus Abrahami filiis, Iſmaele & Iſaaco; utpote in quibus utriuſque populi, Judaici nimirum ſub lege exiſtentis, & Chriſtiani, conditio nobis fuerit adumbrata. Oſtendit enim in ſequentibus apoſtolus, Judæos, qui carnaliter tantum ex Abrahamo ſunt geniti, & legis diſciplinam ſectantur, reſpondere Iſmaeli ejuſque poſteris: legem & montem Sinai, in qua lex data fuit, Agari, Iſmaelis matri: Chriſtianos autem, qui ſpiritualiter ex Abrahamo naſcantur, reſpondere Iſaaco ejuſque poſteritati: Novum fœdus & cæleſtem Hieroſolymam, ex qua fœdus iſtud prodiit, reſpondere Saræ matri Iſaaci. Unde conſequitur, conditionem populi iſtius carnalis & le-

(d) *Tertia cap. pars.* (e) Lex *diverſimode ſumitur* (f) *Quomodo lex errorem Galatarum arguat.* (g) *Delineatio argumentationis.*

galis

galis, ſimilem eſſe conditioni Iſmaelis, qui una cum matre ſua fuit ejectus, & hæreditatem Abrahami non adiit. Conditionem autem populi ſpiritualis & euangelici, ſimilem eſſe conditioni Iſaaci, cui licet ad tempus Iſmael moleſtus fuerit, quemadmodum & nunc carnalis populus ſpirituali; ſolus tamen hæreditatem paternam adiit. Ut autem tanto melius oſtendat Judaicum populum, ex Abrahamo carnaliter natum, reſpondere Iſmaeli ex ancilla nato: populum autem ſpiritualiter, ſeu ratione fidei ex illo natum, reſpondere Iſaaco; addit:

Verſ. 23. *Et is quidem, qui ex ſerva, ſecundum carnem natus eſt: qui autem ex libera, per promiſſionem.* Quædam exemplaria habent, ἀλλὰ ὁ μὲν, *ſed is quidem*: quaſi dicat, etiamſi autem uterque ex eodem fuerit patre genitus; diverſa tamen ratione ac modo eſt ab eo procreatus. Quædam vero exemplaria habent, καὶ ὁ μὲν, *& is quidem.* [a] Quia enim unam diverſitatem inter eos indicaverat, quod unus quidem ex ſerva, alter ex libera fuerit natus: nunc indicat alteram, quod is qui ex ſerva natus fuit, [b] ſecundum carnem natus fuerit, id eſt, naturalibus carnis viribus, conſueto naturæ ordine, nulla Dei extraordinaria virtute & potentia accedente: [c] qui vero ex libera natus fuit, natus fuerit per promiſſionem, id eſt, non naturali vi & ratione: (quandoquidem ne de Abrahami ſenectute nunc quicquam dicam, Sara & ſterilis ſemper fuerat, & poſtea ſenectute omnem concipiendi vim penitus amiſerat;) ſed vi promiſſionis divinæ, qui id quod promiſit, non quod id futurum tantum prævideret; ſed quod ut fieret conſtituiſſet, etiamſi id per naturam eſſet impoſſibile; ſua divina & immenſa potentia præſtitit.

Quod hic dicit *per promiſſionem* fuiſſe natum Iſaacum, paulo poſt verſ. 29 dicit eum fuiſſe natum *ſecundum ſpiritum.* quia vi divini ſpiritus, qui potentia Dei eſt, natus fuit. [e] Optimo ergo jure Judaicus populus reſpectu populi Chriſtiani Iſmaeli reſpondet: quandoquidem carnali ratione ex Abrahamo prodiit. [f] Chriſtianus autem populus reſpondet Iſaaco: quandoquidem non naturali aliquo curſu & ratione, ſed vi divinæ promiſſionis & extraordinaria Dei efficacia ac potentia Abrahamo fide ſimilis evaſit, nec carnali ſed ſpirituali ratione ex illo prodiit.

Verſ. 24. *Quæ ſunt allegorica.* [g] Hic jam oſtendere incipit, quomodo id, quod ex hiſtoria ſacra attulerat, ad inſtitutum ipſius faciat. Vult autem ut non maneant in ſolo verborum iſtorum cortice, qui hiſtoriam continet; ſed ut ad medullam ipſam pertingant, & ſignificationem myſticam ſpectent. Docet enim, hanc hiſtoriam continere typum quendam rerum quæ futuræ erant. Cum autem hæc, [h] quæ de duobus Abrahami filiis, Iſmaele & Iſaaco, ſunt ſcripta, allegorica eſſe dicit, non id vult, ea nunquam, prout verba ipſa ſonant, contigiſſe; quod in allegoriis fieri ſolet, in quibus aliud dicitur, aliud ſignificatur, vel intelligitur. Sed iſtis idem quidem intelligi quod dicitur, verum non hoc ſolum; ſed aliud aliquid præterea, cujus iſtud ſit figura quædam & typus. [i] Duo enim ſunt revera ſacrarum literarum veteris fœderis ſenſus, licet alii quatuor conſtituant: [k] Unus literalis, ex quo ſemper firmiſſime concludere licet: [l] alter myſticus ſeu reconditus, qui & verbis, & rebus literali ſenſu ſignificatis innuitur. [m] Ex hoc ſenſu non poſſumus firmiter argumentari, niſi eum vel Chriſtus, vel ipſius apoſtoli, aut alii homines divini ipſis ſimiles, qui ſpiritus ſanctus in ſcriptura loquentis mentem perſpectam habebant, nobis aperuerint; vel eventus ipſe eum retexerit; vel denique illi, cum quibus nobis res eſt, eum agnoſcant. [n] Solent etiam ſæpe verba ſcripturæ per accommodationem citari, quemadmodum in ſermone communi ſæpe ſolemus verba variorum auctorum, licet de alia re prorſus fuerint uſurpata, ad rem noſtram accommodare: ut cum utimur verbi cauſa illo Virgiliano, *Urget præſentia Turni*; aut, quod ille de apibus dixit, *Animaſque in vulnere ponunt*; nos de hominibus uſurpamus: vel cum illud Lucani, hominibus ambitioſis & inter ſe de honore certantibus accommodamus, *Pompeiuſve parem, Cæſarve priorem*; & infinita alia. Sed hic verborum ſenſus non eſt revera ſcripturæ ſenſus, ſed eam uſurpantis.

*Hæc enim ſunt duo teſtamenta.* [o] Allegoriam iſtam incipit explicare. Αὗται, inquit, *hæ*: vel quia ſolas mulieres intelligit; vel, quia pronomen antecedens induit genus nominis conſequentis: quod ſæpe fit tum in ſcriptura, tum apud alios auctores: vide inter alia Joh. 17. 3. Col. 1. 27: ita ut fœmininum poſitum cenſeri debeat pro neutro, αὗται pro ταῦτα hæc. Ait ergo Paulus, hæc, quæ hactenus de Abrahamo, & ejus filiis, ac eorum matribus dixit, eſſe duo teſtamenta, hoc eſt adumbrare teſtamenta ſeu fœdera duo, & eas ſive res ſive perſonas quæ ad ea pertinent, earumque imaginem continere: vel etiam ipſas iſtas filiorum Abrahami matres adumbrare duo teſtamenta, ſeu potius fœdera. Utrumque enim voce διαθήκης apud LXX interpretes, & N. Fœderis ſcriptores ſignificari, jam alibi monuimus ſup. cap. 3. 15. Non eſt autem neceſſe, ut matres hæ ita exacte reſpondeant ipſis fœderibus, ut nihil præterea quod ad fœdera iſta pertineat ſignificare queant. Imo una cum teſtamentis ſeu fœderibus comprehendendi ſunt etiam loci, e quibus illa ſunt profecta, aut in quibus eſt propria illorum ſedes; cum videamus in ſeqq. & Sina montem, & Hieroſolymam terreſtrem cum Agare conferri: contra autem Hieroſolymam cæleſtem cum Sara. Conciſi enim ſunt hi loquendi modi, & ex parte aliqua metonymici. Significantur enim fœderum nomine, non ipſa tantum fœdera; ſed etiam eorum circumſtantiæ quædam, late hoc nomine ſumto; atque inprimis eorum ſubjecta, hoc eſt loci unde ſunt profecta, & ubi eorum propria veluti ſedes eſt; quemadmodum contra etiam in hujuſmodi comparationibus ſubjecta pro adjunctis ſumi ſolent, eave in ſe comprehendere. Ut cum dicitur regnum cælorum eſſe ſimile huic aut illi homini, qui hoc illudve fecerit. Significatur enim, non homini ipſi regnum cælorum eſſe ſimile: ſed perinde ſe habere regnum cælorum, ſeu ejus rationem, ac ſi homo aliquis hoc vel illud faceret.

Dicuntur autem hoc loco fœminæ iſtæ, vel ea, de quibus hucuſque ſermo fuit, *eſſe duo teſtamenta* ſeu *fœdera*, quia eorum ſint typi, ſeu figuræ atque imagines. Uſitatiſſimum enim vulgo eſt, ut imago ac figura rei, dicatur eſſe id cujus eſt imago ſeu figura; ut cum picturam aliquam dicimus eſſe, vel virum, vel mulierem,

[a] *Diſcrimen inter Abrahami filios duplex.* [b] *Secundum carnem natus Iſmael.* [c] *Iſaac per promiſſionem.* [d] *Seu ſecundum ſpiritum.* [e] *Judæi Iſmaeli reſpondent.* [f] *Chriſtiani Iſaaco.* [g] *Accommodatio hiſtoriæ ad rem præſentem.* [h] *Allegoricum quid apoſtolo.* [i] *Duplex ſacrarum literarum ſenſus.* [k] *Literalis.* [l] *Myſticus.* [m] *Quando ex hoc argumentari liceat.* [n] *Accommodatio verborum ſcriptorum ad rem aliam.* [o] *Explicatio allegoriæ.*

vel

vel equum &c. Itaque in ejuſmodi locutionibus tropus, nempe metaphora, eſt in prædicato; quia rei nomen ſumitur pro rei typo & imagine. quo ſenſu etiam Chriſtus panem, quem frangebat, dixit eſſe corpus ſuum, id eſt, corporis ſui mox per diros cruciatus, tormenta, ac mortem noſtra cauſa frangendi, imaginem ac figuram quandam.

*Unum quidem a monte Sina.* Unum fœdus eſt a monte Sinai, id eſt, quod a monte Sina eſt profectum, inde primum fuit promulgatum.

*Quod generat in ſervitutem.* Teſtamentum ſeu fœdus generat homines ratione animi ac morum quos in iis producit; dum nimirum eos ex ſua diſciplina format, & quendam animi habitum iis imprimit. (a) Generat autem antiquum fœdus in ſervitutem; quia homines, qui eo tenentur, in ſervilem conditionem abjicit, iis ſpem hæreditatis bonorum divinorum vi ſua adimit, & contra ut perpetuo pœnas divinas ac maledictionem ſempiternam metuere cogantur efficit: unde, homines ſub eo exiſtentes, ſpiritum ſervitutis, ſeu ſervilem, in timorem accepiſſe dicuntur Rom: 8. 15; quandoquidem maledictionem omnibus ſui tranſgreſſoribus interminatur: ac præterea tot ceremoniis homines onerat, & jugo illos ſubjicit quod ipſa honeſtatis ratio nemini imponit. Sed tota hac de re actum jam eſt ſupra hoc ipſo capite verſ. 7, & aliis locis paſſim.

*Quæ eſt Agar,* (b) id eſt, quod fœdus eſt Agar, id eſt, Agari eſt ſimile, Agari reſpondet: tropus, nimirum metaphora, itidem eſt in prædicato: nomen enim rei ſumitur pro eo quod rei eſt ſimile. Simile autem eſt, non (quemadmodum antea) ut typus antitypo; ſed contra ut antitypus typo.

*Verſ. 25. Agar enim Sina mons eſt in Arabia.* (c) Poterat quidem partim ex conditione ac ſtatu Agaris partim ex ratione fœderis antiqui ſatis apparere, fœdus hoc Agari reſpondere: Agar enim ancilla fuit, ac porro, (d) cum prolis conditio matris conditionem hac in parte ſequatur quemadmodum docent Juris conſulti, non niſi ſervos generare poterat: fœdus autem antiquum ſervos generaſſe ſatis patet, eſtque jam a nobis oſtenſum: nihilominus tamen alio adhuc indicio probat Paulus, fœdus illud Agari reſpondere, & Judæos ſub lege exiſtentes, quorum metropolis erat Hieroſolyma, recte Agaris filiis, nempe Iſmaeli & ejus poſteris, comparari. Docet enim id, tum ex nomine ejus loci, ubi fœdus illud primum fuit latum, & unde Judæi ratione religionis ſuæ prodierunt & geniti quodammodo fuerunt: tum ex ſitu ac conditione loci illius, ubi præcipua atque adeo unica fuit religionis illius ſedes, quem tanquam matrem ſuam colebant Iudei, nempe Hieroſolymæ. Nam primum quod ad nomen attinet loci, ubi V. fœdus primum fuit promulgatum, mons Sina, in quo lex lata fuit, (e) dictus eſt Agar, ab ipſa nimirum Agar, Abrahami ancilla, quæ in illius montis vicinia, una cum Iſmaële filio, ab Abrahamo ejecta, habitavit, & cujus poſteri Iſmaelitæ ſeu Agareni, qui ſe poſtea Saracenos appellarunt, montem iſtum accoluerunt. Dicitur enim Agar ab Abrahamo ejecta habitaſſe in deſerto Pharan Gen. 21. 21. Jam vero deſertum Pharan, & Sinai, vicina ſunt ac contigua, ut apparet ex Num. 10. 12: eſtque ibi continuus quidam montium tractus, inter quos Sina aliqua ratione eminet. Eſt autem Sina quoque non unus mons ſeu collis ſed itidem montium tractus, cujus collis, in quo lex fuit lata, Horeb dicitur ut e Sac. litteris notum eſt. Conf: Exod. 19. 18, & d. Deut: 4. 10, 11. v. 2. xxix. 1. eſtque veriſimile non ipſum tantum montem Sina, ſed totum illum montium ordinem, qui pertingit ad deſertum Pharan ubi Agar proprie habitavit, ab ea fuiſſe appellatum: ſic ut ut verba apoſtoli ita ſint accipienda, ac ſi dixiſſet: Agar enim eſt Sina mons una cum contiguis. Montem enim præcipuum, ac ob legis promulgationem maxime illuſtrem, pro cæteris etiam poſuit, præſertim cum de eo ipſi potiſſimum loquendum eſſet. Cum ergo Judæi ratione religionis inde prodierint, inde ortiſuerint, nonne Agareni quodammodo cenſendi ſunt, & Iſmaelitis ſimiles? (f) Sed ne forte dicerent, ſe urbis potius Hieroſolymitanæ filios cenſendos eſſe, quæ unica ſit religionis in lege præſcriptæ ſedes, quæque in ipſis ſacris literis, ut paulo poſt videbimus, tanquam Judæorum mater conſideretur; ideo oſtendit Paulus, hanc quoque cum monte Sina, qui Agar dictus ſit, recte computari, & Agari ſervæ ſimilem eſſe: cum partim cum monte Agar veluti connexa ſit; partim & ipſa ſerviat, quemadmodum olim Agar.

Quod ad conjunctionem locorum attinet, de ea ita loquitur apoſtolus: *συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ* hoc eſt (g) *conjunctus autem eſt*, vel, *in eodem ordine eſt* (nempe mons Sina, dictus Agar,) *cum ea quæ nunc* eſt *Hieroſolyma.* Hieroſolymam quæ *nunc* eſt dicit, ad differentiam *ſuperne* ſeu cæleſtis, de qua in ſequentibus. Accipi autem hæc verba ſolent a non paucis, de analogia ac ſimilitudine, ſeu convenientia inter montem Sina & Hieroſolymam terreſtrem. Sed videtur apoſtolus adhuc hiſtorice aliquid referre de monte Agar ſeu Sina, non vero ſuum de illius cum urbe Hieroſolymitana ſimilitudine judicium exponere. Significare ergo videtur, illum montium ordinem, qui Agar dicitur, cum ipſis Hieroſolymitanis collibus per intermedium montium tractum connecti, & ad ipſam Judæorum metropolim hoc pacto porrigi, ita ut hæc ipſa conjunctio loci indicio ſit, Hieroſolymam Agari eſſe conjunctam ac vicinam, ſeu cum Agare in hac allegoria conferendam.

Adde quod ſtatus quoque ac conditio congruat, de qua ita porro ſcribit apoſtolus: (h) *ſervit autem cum filiis ſuis*, ſeu *liberis ſuis.* eſt enim in Græco vox *τέκνων* quæ utriuſque ſexus liberos ſignificat. (i) Non deſunt etiam ex doctiſſimis interpretibus qui hæc verba ad montem Sina, de quo in præcedentibus verbis ſermo eſt, referant. Sed duo obſtant: primum, particula *autem*, quæ in proxime præcedentibus poſita hic repetitur. duriuſcule autem hæc ſonant, ſi ad eandem rem referre velis: *conjunctus autem eſt cum ea quæ nunc eſt Hieroſolyma, ſervit autem cum liberis ſuis.* hoc illi utcunque excuſant, dicentes *autem* pro *&* ſumi. alterum, quod magis adhuc ſententiæ illorum adverſatur, eſt pronomen *αὐτῆς* fœminini generis, quod ad Agar montem Sina referri nequit. Nam & Agar & mons Sina neutro genere in Græco effertur: *τὸ γὰρ Ἁγὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν.* Quibus de cauſſis nonnulli præcedentia parentheſi incluſerunt, &

(a) *V. Teſtamentum generat in ſervitutem.* (b) V. *Teſt: Agari reſpondet.* (c) *Probatio.* (d) *Servus ex ſervo naſcitur.* (e) *Sina Agar dictus.* (f) *Prolepſis.* (g) *Sina cum Hieroſolyma conjunctus.* (h) *Hieroſolyma ſervit.* (i) *Aliorum explicatio.*

verba hæc, *ſervit autem cum liberis ſuis*, conjunxerunt cum illis *quod* (ſcil. teſtamentum) *eſt Agar.* Sed ea nec cum voce *quod*, pro Teſtamenti nomine poſita, recte conjunguntur, ſiquidem jam dictum fuerat, Teſtamentum illud in ſervitutem generare: neque cum Agare. obſtat enim inter alia, vox præſentis temporis *ſervit.* (*a*) Quid ergo? maxime veritati conſentaneum videtur, quod (*b*) nonnemo habet interpretum, id ad Hieruſalem proxime nominatam referri debere, ut ſit alterum indicium convenientiæ Hieroſolymæ cum Agare. quaſidicat: Hæc autem ſervit cum filiis ſeu liberis ſuis; & ſic iſta quoque in parte affinitatem habet cum Agare, quæ & ipſa ſerva fuit, & in ſervilem conditionem genuit Iſmaelem filium ſuum. Favet huic ſententiæ non parum id quod apoſtolus in verbis ſtatim ſequentibus, ſupernam Hieroſolymam tanquam liberam ei opponit: quaſi nimirum in præcedentibus dixiſſet, Hieroſolymam terrenam ſervam eſſe: quibus autem potius in verbis id aſſeruit, quam in iis de quibus agimus? Dicitur autem ſervire, quia externo dominatu premitur, & quidem a longo jam tempore. (*c*) Illæ enim urbes, regiones, populi ſervire inprimis dicuntur, quæ non ſuæ gentis principibus ac ſummis rectoribus ſubſunt, ſed quarum cervicibus externus dominus eſt impoſitus, cui vel invitæ parere coguntur.

(*d*) Τέκνα vero ſeu liberi aut filii Hieroſolymæ ſunt non tantum urbis illius indigenæ, ſed omnes in univerſum Iudæi, qui eam tanquam matrem ſuam colebant ac venerabantur. quod ſi velis alia minora oppida, pagos, vicos, metropoli huic adjectos, & aliqua ratione ſubjectos intelligere, quæ in ſacris literis filiæ majorum urbium dici ſolent, non multum pugnabimus. Ea ratione ſignificabitur, totam eam regionem ſervituti eſſe obnoxiam. Hæc autem ſervitus, ut diximus, facit, ut Hieroſolyma recte cum Agare, Iudæi cum Iſmaele & ejus poſteris conferantur: fuitque ea ſpiritualis eorum ſervitutis figura.

Explicata priori allegoriæ parte, quæ in eo conſiſtit, quod vetus teſtamentum Agarem referat, ejus teſtamenti filii Agarenos ſeu Iſmaelitas, ſervilis conditionis homines: (*e*) nunc poſterioris etiam partis explicationem aggreditur, quæ eſt, Novum teſtamentum, ſeu id quod ad illud pertineat, Saram referre, ac porro illius filios, nempe Chriſtianos, Saræ filio Iſaaco, & ejus poſteris ſimiles eſſe; qui cum liberi fuerint, utpote ex libera nati, & Abrahami hæredes; neceſſe eſt etiam Chriſtianos illis ſimiles, liberos eſſe, ac hæreditatis Abrahamicæ, quæ eadem eſt cum divina, participes. Quia vero apoſtolus proxime non ipſum vetus teſtamentum, ſed Hieroſolymam præſentem ſive terreſtrem, teſtamenti illius ac religionis in eo præſcriptæ ſedem, Iudæorum matrem conſtituerat, & eam cum Agare ſerva contulerat: ideo in ſequentibus etiam, non ipſum teſtamentum novum commemorat, ſed Hieroſolymam ſupernam ſeu cæleſtem, unde novum teſtamentum fuit profectum, & ubi teſtamenti illius filiorum propria ſedes eſt, alteri illi opponit. Ita enim ait:

*verſ.* 26. *Superna autem Hieroſolyma libera eſt.* (*f*) Supernam opponit præſenti, ſeu ei quæ nunc eſt, & contra, hanc illi; indicans, & hanc eſſe terrenam, ſiquidem ſupernæ ſeu cæleſti opponatur; & illam eſſe futuram, cum præſenti opponatur. Quod enim in altero oppoſitionis membro non eſt expreſſum, ex altero facile intelligitur.

(*g*) Eſt autem Hieroſolyma illa ſuperna, *futura*, reſpectu noſtri, quatenus eam nondum incolimus, ſed olim incolemus, (*h*) cæteroquin ipſa per ſe jam exiſtit, inque ea vivit caput noſtrum Chriſtus, inde eum expectamus; & dum ea mater noſtra eſſe indicatur, non obſcure aſſeritur, eam etiam noſtri reſpectu aliquo modo jam extare, quæ cauſſa fortaſſe fuit, cur eam hoc loco maluerit *ſupernam* quam *futuram* nominare, licet eam *præſenti* opponeret. (*i*) Intelligitur autem per Hieroſolymam illam, urbs illa ſeu habitatio cæleſtis, immortalitatis ac beatitatis veræ ſedes, quam una cum Chriſto aliquando debemus incolere, cujus imago quædam eſt in terris eccleſia. De ea vide Heb. 11. 10, 16: & Apoc. 3. 12: 21, 2, 3, 10, & deinceps.

(*k*) Dicit autem apoſtolus eam eſſe *liberam.* quæ vox duplici modo accipi poſſe videtur: (*l*) vel generaliter, ita ut ſimpliciter ſervæ, ſeu ei, quæ ſervitute oppreſſa ſit opponatur, & ſignificet eam quæ libertate ſua gaudeat: nempe quia Hieroſolyma illa cæleſtis, nulla ſervitute, quemadmodum terreſtri illi contigit, premi, nulla vi, nullo externo dominatu opprimi queat, non vero quod nullius plane imperio ſit ſubjecta. Id enim fieri non poteſt, cum neceſſe ſit eam Dei ac Chriſti ſubeſſe imperio. Neque vero Sara, cui hac in parte Hieroſolyma ſuperna confertur, ita fuit libera, quin mariti, quem dominum ſuum appellabat, ſubeſſet imperio. (*m*) Vel vox *liberæ* nominatim ſignificat Saram, quæ aliquoties in hac Pauli tractatione *liberæ* nomine ſignificatur. vide verſ. 22, 30, 31, ut ſenſus ſit, Hieroſolymam illam eſſe Saram, ſeu Saræ, quæ libera fuit, ſimilem: quemadmodum ſupra verſ. 24 dixerat, Teſtamentum e monte Sina profectum, eſſe Agarem, hoc eſt Agari ſimile. Utraque ſententia habet quæ ipſi faveant. (*n*) Prior, quod articulus in Græco abſit, qui cæteris omnibus in locis voci ἐλευθέρας ſeu *liberæ*, cum Sara hoc nomine deſignatur, eſt præpoſitus; hic autem ſimiliter non videbatur omittendus, vel propter διάκρισιν ſeu diſtinctionem hujus liberæ, nempe Saræ, ab aliis; vel propter διαφορὰν, ſeu relationem ad ſuperiora; vel denique propter id ipſum, quod ea vox hoc loco non nudam qualitatem, ſed ipſum illius ſubjectum, licet figurate, denotet.

Deinde, quod hæc verba proxime præcedentibus opponantur, in quibns de Hieroſolyma præſenti, ut explicuimus, dicitur, eam ſervire. (*o*) Poſteriori iſta favent: primum, quod quemadmodum apoſtolus antea dixerat, vetus teſtamentum eſſe Agarem, ſeu Agari reſpondere: ita etiam hic omnino videatur dicere debuiſſe, novum teſtamentum, vel id quod cum eo conjunctum eſt, quodque ejus loco hic reponitur, eſſe Saram, ſeu Saræ reſpondere: alioqui ſecundam allegoriæ partem explicare non videretur, quam in eo, quod nunc expreſſimus, totam contineri, ſupra oſtendimus. Manifeſtum autem eſt, apoſtolum hic alteram allegoriæ partem explicare velle.

Deinde, quod in ſeq. verſiculo, quo probatio hujus continetur, id revera oſtendi videatur, matrem noſtram,

(*a*) *Vera ſententia.* (*b*) *W. Muſculus.* (*c*) Servire *pro externo domino ſubeſſe.* (*d*) *Filii Hieroſolymæ.* (*e*) *Secundæ allegoriæ pars.* (*f*) *Hieroſolyma ſuperna.*

(*g*) *Quatenus futura.* (*h*) *Quatenus præſens.* (*i*) *quænam ea.* (*k*) *Quomodo libera dicatur.* (*l*) *1. ſententia:* (*m*) *2. ſententia.* (*n*) *Rationes prioris.* (*o*) *Rationes poſterioris*

ſtram ſpiritualem, Saræ eſſe ſimilem, eive reſpondere. Quare id aſſertum eſſe in hoc verſiculo oportuit. aſſertum autem non fuiſſet, niſi *liberæ* nomine Sara fuiſſet intellecta.

Idem oſtendit concluſio quæ eſt, nos non *ancillæ*, id eſt Agaris, ſed *liberæ*, hoc eſt Saræ, eſſe filios *verſ. ult.* Utrobique enim præfixus articulus, & collatio ejus verſiculi cum præcedenti, ſatis oſtendit, non de ſerva & libera in genere, ſed de certis illis fœminis Agare & Sara earumve antitypis ſermonem eſſe.

Ne id nunc repetamus, quod alias ſemper in hac argumentatione Pauli, *liberæ* nomine Sara intelligatur. Quid ergo? (*a*) Credibile eſt apoſtolum conciſe loquutum, & utramqae ſententiam iiſdem verbis complexum eſſe, hoc eſt ſignificaſſe, & ipſam Hieroſolymam ſupernam eſſe liberam, non ſervam, ſerviliſve conditionis; & eam eſſe liberæ ſeu Saræ ſimilem. iiſdem enim verbis utraque ſententia efferri poterat; niſi quod illa articulum non poſtulabat, hæc poſtulat. Omiſit autem illum ea potiſſimum de cauſſa, ut tanto commodius hæc verba præcedentibus opponeret. Alioqui poſterior potius ſententia hic videretur eſſe amplectenda, dicendumque articulum omiſſum, quia vox ἐλεύθερα prædicati loco ſit poſita; oppoſitioni autem eo ipſo ſatisfactum, quod Hieroſolymam ſupernam *liberæ* ſimilem, ejuſque antitypum conſtituat. Ejus enim antitypus non eſſet, ſi & ipſa, Agaris inſtar, ſerva eſſet. Sed prius nobis fit veriſimilius.

Hinc jam patet, verba illa, *quæ eſt mater omnium noſtrum*, ad *liberam* proxime nominatam, nempe Saram, referri poſſe: præſertim cum, uti jam ante monuimus, infra in concluſione, *nos liberæ illius*, ſeu Saræ, *filios eſſe* dicat. Alioqui ſtatuendum erit, hæc verba per trajectionem quandam ultimo loco poſita eſſe, quæ alias ita videntur fuiſſe collocanda; *Superna autem Hieroſolyma, quæ omnium noſtrum mater eſt, libera eſt.* (*b*) Sara autem figurate ſumta, ſeu Hieroſolyma cæleſtis, mater Chriſtianorum eſt, (hos enim *noſtrum* nomine intelligit) partim quidem, quia inde novum fœdus, & in eo comprehenſa Chriſtiana religio, profecta eſt; & ſic nos ipſi ratione religionis inde ſumus orti; qua ratione Sinajenſi monti, unde vetus teſtamentum fuit profectum, magis proprie opponitur: partim vero, quia inde alimur ac ſuſtentamur, & ad eam tanquam ad matrem noſtram nobis patet receptus: ſiquidem ejus municipes ſumus, ſeu jus civitatis ibi ſumus adepti Phil. 3. 20. & hoc pacto Hieroſolymæ terreſtri magis proprie opponitur.

(*c*) Neque vero eſt, quod quis dicat, priorem cauſſam etiam veteri teſtamento convenire: quandoquidem id quoque Deum habeat auctorem, & ſic e cælo ſit profectum. Etenim auctor ditinus epiſt. ad Hebr. ſatis aperte euangelium eo nomine legi præfert, quod hæc in terra ſeu in monte Sina, illud è cælo ſit promulgatum; nempe quia angelus, qui Dei perſonam in lege ferenda ſuſtinuit, ac ſingulari cum majeſtate repræſentavit, in terra, ſuper ipſo monte Sina, fuit loquutus: (*d*) Euangelium vero Deus in cælo manens, nec perſonam ſuam aliqua ratione hominibus conſpiciendam præbens, per filium ſuum nobis promulgavit; illic ſe quippiam terrenum ac humile proponere: hic ſublime quippiam ac plane cæleſte tradere ſignificans. Ita enim loquitur divinus ille Scriptor Heb. 12. 25: *Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, qui ſuper terra loquentem* ſeu *oracula edentem recuſarant: quanto magis nos* (ſcil. non effugiemus) *qui de cælo* ſcilicet loquentem averſaremur?

(*e*) Dicit autem Hieroſolymam illam eſſe matrem *omnium noſtrum*, hoc eſt non tantum Judæorum, quemadmodum olim Hieroſolyma terrena; ſed omnium prorſus Chriſtianorum, ſive ex Judæis illi ſint, ſive ex gentibus. Quibus verbis indicat præſtantiam matris noſtræ præ illa Judæorum, & id aliqua ratione ſignificat, quod poſtea clarius in verbis Eſaiæ, quæ ad ſententiam ſuam probandam adducit, exprimitur, nempe plures eſſe liberos cęleſtis Hieroſolymæ, quam terrenæ; ſaltem quod attinet ad conſilium divinum, & efficaciam earum rerum, quas Deus ad id reipſa efficiendum adhibuit. Verba autem illa, quæ affert ad ſententiam ſuam probandam, ſunt deſumpta ex Eſa. 54. 1.

Verſ. 27. (*f*) *Lætare ſterilis, quæ non paris* vel *pariebas, rumpe* vel *erumpe & clama, quæ non parturis* vel *parturiebas. quoniam plures* ſunt *liberi deſertæ, quam habentis virum.* In quibus verbis, (*g*) ſi ſenſum literalem ſpectes, Hieroſolyma ſeu Judæorum reſpub. jubetur exultare; quia etſi ad tempus a marito ſuo, nempe Deo (verſ. 5, 6, 7,) deſerta fuerit, vel potius deſerenda ſit: (nondum enim prophetia impleta tunc fuerat:) (*h*) nihilominus tamen plures ab eo tempore ſit habitura incolas, qui inſtar filiorum ad eam ſeſe recipiant, quam antea habuerit, cum Deum haberet propitium ac præſentem. Deſerta autem fuit a Deo, cum a Chaldæis fuit vaſtata. Itaque non diverſæ urbes, ſed eadem urbs Hieroſolymitana aut Reſpub. Judaica, ratione diverſi temporis, diverſique ſtatus ac conditionis, ſecum ipſa confertur, & felicior ac populoſior poſt vaſtationem, quam ante ea eam, futura dicitur. vide quædam in eandem ſententiam infra capite 60, verſ. 4. 9, 10, 15.

(*i*) At ſenſu myſtico, qui etiam verbis cap. 60 ſubeſt, Hieroſolyma duplex, terreſtris & cæleſtis, inter ſe confertur; & per eam, quæ ſterilis fuerit, ac deſerta, & plures tamen poſtea habuerit liberos, quam ea, quæ viro fuerit juncta, intelligitur Hieroſolyma cęleſtis; per eam autem, quæ viro juncta fuerit, terreſtris. (*k*) Etenim licet Hieroſolymæ cęleſti Deus ſemper adfuerit, quatenus ibi habitavit: nihilominus tamen, quatenus ex ea nullos ſibi, ut ita dicam, genuit filios, nullos illius incolas produxit, eatenus quodammodo deſerta fuit; perinde nimirum, ut Sara tunc deſerta quodammodo dici potuit, cum Abrahamus non ei, ſed Agari ad tempus ſe applicaret, licet interim Sara Abrahami uxor maneret, & cum marito ſemper verſaretur. Neque vero obſtat, quod Deus etiam tum temporis, cum antiquum adhuc fœdus duraret, & Hieroſolyma terreſtris eo tanquam marito gauderet, quoſdam homines pios Hieroſolymæ cęleſti pararit incolas, & ſic ex ea filios videatur genuiſſe. Etenim id & extraordinarie factum eſt, ac præter

(*a*) *Conciliatio utriuſque.* (*b*) *Hieroſolyma Chriſtianorum mater.* (*c*) *Occupatio.* (*d*) *Lex in terra, euangelium è cælo promulgatum.*

(*e*) *Hieroſolyma ſuperna* omnium *Chriſtianorum mater.* (*f*) *Probatio præced.* (*g*) *Senſus literalis.* (*h*) *Hieroſolyma poſt vaſtationem populoſior quam ante.* (*i*) *Senſus myſticus.* (*k*) *Hieroſolyma cæleſtis quomodo olim ſterilis ac deſerta.*

rationem fœderis; nec cuiquam id Deus perſpicue promiſit; nec adeo multi illi fuerunt, ſi præſertim conferantur cum multitudine illorum, qui novo fœdere patefacto fuerunt geniti, ac cæleſtis urbis cives effecti: adeo ut illorum nulla hic habenda fuerit ratio. Ex his vero facile intelligitur, per eam, quæ virum habuerit, (a) terreſtrem intelligi Hieroſolymam; ex qua quidem Deus, quamdiu ea floruit, & legalis diſciplina in ea viguit, multos ſuſcepit liberos, legali iſta diſciplina imbutos; verum præterquam quod in ſervilem conditionem eſſent nati, (b) pauciores etiam fuerunt longe, quam ii, quos cæleſtis Hieroſolyma genuit, aut ex Dei conſilio, & efficacia gignere debuit, ac porro debet. Illa enim Iudæos tantum genuit: hæc omnes fideles, ſive Iudæi ſint, ſive gentiles, qui totum orbem complent.

(c) Patet etiam hinc, illam noſtram matrem Saræ eſſe ſimilem. Nam ut Sara ſterilis antea fuit: ita & illa: ut Sara ad tempus, licet breve, fuit ab Abrahamo quodammodo deſerta, ſeu ei ad tempus non juncta: ita & illa Deo ſimiliter videtur aliquamdiu ad generationem ſobolis ſpiritualis non fuiſſe juncta: ut Sara poſtea plures habuit liberos, ſeu poſteros: (major enim longe poſteritas fuit Iſaaci, quam Iſmaëlis:) ita & illa plures habet ac habere debet liberos, quam Hieroſolyma terrena olim habuit. unde tandem conſequitur, quemadmodum olim Sara gaviſa fuit vehementer ſobole ſua; ita & illam gaudere & exultare ob tam numeroſam ſobolem debere.

verſ. 28. *Nos autem fratres ſecundum Iſaac filii promiſſionis ſumus.* (d) Particula ℵ, quia hoc loco concluſio quædam eſſe videtur ex præcedentibus fluens, ſumi poteſt pro γάρ; *autem* pro *igitur*, ut nonnullis interpretibus placuit. idem accidit Rom. 8.8. 1 Ioh. 4.18. Sed poteſt etiam propriam ſuam vim retinere, ut ſit nota quædam oppoſitionis inter hæc, & illa verſ. 26; verſiculo intermedio veluti parentheſi incluſo. quaſi dicat: Illa quidem, nempe libera, ſeu Sara, eſt mater omnium noſtrum, nempe Chriſtianorum: nos vero, ut ex illo intelligitur, ſumus filii promiſſionis ſecundum Iſaac. (e) Nihil enim prohibet hæc oppoſitio, quæ inter relata eſt, alterum ex altero ſimul colligi ac deduci.

*Secundum Iſaac*, prout Iſaac, ad inſtar Iſaaci, ita ut nos ei tanquam typo reſpondeamus.

(f) *Promiſſionis filii ſumus.* Duplici modo hoc ſumi poteſt; (g) primum ita ut ſignificetur, nos eſſe hæredes promiſſionis divinæ Abrahamo & ſemini ejus factæ, quemadmodum Iſaac cum ſuis poſteris hæres fuit promiſſionis ejusdem, ſenſu literali ſumtæ, ſeu benedictionis terrenæ ac carnalis, qua de re ſuperiori cap. ſatis dictum. Simili ratione Petrus Iudæos alloquens, Act. 3.25 dicit eos eſſe *filios Prophetarum & teſtamenti, quod diſpoſuerit Deus cum Patribus eorum, dicens Abrahamo, & in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.*

Deinde ita illud poteſt ſumi, ut ſignificetur, nos vi promiſſionis divinæ, non vero carnali ac naturali ratione ex Sara matre noſtra eſſe genitos; quemadmodum & olim Iſaac, de quo ſup: fuerat dictum verſ. 23. eum eſſe natum per promiſſionem. hoc pacto ſumuntur *filii promiſſionis* Rom 9. Cum enim dixiſſet, verſ. 7: *neque quia ſunt ſemen Abrahæ*, (nempe ſecundum carnem) ideo *omnes filii* (tales nimirum, ad quos hæreditas Abrahæ pertineat) *ſed in Iſaaco vocabitur tibi ſemen*; ſubjicit verſ. 8, 9: *hoc eſt, non filii carnis, hi* ſunt *filii Dei: ſed filii promiſſionis reputantur in ſemen. Promiſſionis enim ſermo hic, Secundum tempus hoc veniam, & erit Saræ filius.* Hoc autem ideo commemorare potuit apoſtolus, quia in proximo Prophetæ teſtimonio, mater noſtra, nempe cæleſtis Hieroſolyma, dicta fuerat ſterilis, & tamen plures habere filios, quam quæ virum habeat vel habuerit. Hinc enim ſequitur, nos non naturali aliqua ratione ex ea natos, ſed vi promiſſionis divinæ; quemadmodum & Iſaac ex Sara ſterili. Et hanc quidem poſteriorem ſententiam non parum videtur confirmare collatio hujus loci, cum illo ad Rom. 9 a nobis adducto, ubi eadem de re agitur. (h) Interim tamen & prior ſententia optime quadrat, ita ut, etiamſi poſteriorem interpretationem amplectamur, tacite tamen etiam prior tanquam iſtius conſequens, ſubaudienda eſſe videatur. Qui enim Iſaaci inſtar, vi divinæ promiſſionis naſcitur; etiam inſtar Iſaaci, promiſſionis divinæ Abrahamo factæ fit hæres. Satis jam ex his præſtantia Chriſtianorum præ Iudæis ſub lege exiſtentibus patet. (i) Sed ut tanto illuſtrior fiat, tum ſimilitudo inter Chriſtianos & Iſaacum, & contra inter Iudæos & Iſmaëlem; tum Chriſtianorum præ Iudæis præſtantia ac felicitas; objectionem quandam contra ea occupat apoſtolus, eamque ita ſolvit, ut in eadem comparatione perſiſtat, & tum objectionem ipſam, tum ejus ſolutionem ex Iſaaci & Iſmaëlis exemplo petat. Objectio continetur illis apoſtoli verbis:

*verſ. 29. Sed quemadmodum tunc ille qui ſecundum carnem natus fuit, perſecutus eſt eum qui ſecundum ſpiritum, ſic & nunc.* (k) Ideo enim adverſativam particulam *ſed* præponit, quia, cum antea magnam Chriſtianorum præ Iudæis prærogativam ac dignitatem eſſe docuiſſet, nunc oſtendere velit, quid ex adverſo illis durum & infuave accidat, quidque Iudæorum ſtatum, quam Chriſtianorum, meliorem videatur oſtendere, nec exiguam habere poſſit vim ad hominum animos percellendos & a Chriſtiana religione abſterrendos. (l) Iſtud autem eſt, quod a Iudæis perſecutionem pati cogantur, ut olim Iſaacus ab Iſmaële. (m) Talibus autem hic verbis utitur in deſcriptione tum Iſmaëlis, tum Iſaaci, tum injuriarum ab illo in hunc profectarum, quæ antitypo longe melius, quam ipſi typo conveniunt. quod & alibi in Sacris literis contingit. Nam & voces *ſecundum ſpiritum*, & vox *perſequutionis*, longe melius in antitypum quadrat.

(n) *Secundum ſpiritum* Iſaacus ideo natus dicitur, quod non carnis aut naturæ, ſed Dei virtute, quæ ſpiritus ipſius dicitur, fuerit genitus: (o) Chriſtiani autem non tantum divina virtute, eaque ſingulari, generati ſunt; ſed etiam non quoad carnem, verum quoad ſpiritum. Notanda autem eſt oppoſitio inter *carnem* & *ſpiritum*, de qua diximus etiam Rom. 1.3,4. Nec enim *caro* unquam opponitur divinæ alicui naturæ, in uno eodemque ſubjecto, ſed ſemper oppponitur *ſpiritui.* (q) Et etiamſi tandem caro, ipſam etiam

(a) *Hieroſ. terreſtris quomodo virum habuerit.* (b) *Pauciores ejus filii, quam cæleſtis.* (c) *Cæleſtis Saræ ſimilis.* (d) ℵ pro γάρ (e) *Chriſtiani Iſaaco ſimiles.* (f) *promiſſionis filii.* (g) *Senſus.* (h) *Concilatio ſententiæ.* (i) *Connexio verborum.* (k) *Objectio.* (l) *Chriſtiani a Iudæis afflicti.* (m) De typo dicuntur, quæ melius de antitypo. (n) *Iſaac quomodo ſecundum ſpiritum natus.* (o) *quomodo Chriſtiani.* (p) Caro ſpiritui *opponitur.* (q) *non* naturæ divinæ.

humanam

humanam naturam ſignificet, & opponatur alteri cuipiam naturæ; non tamen naturæ divinæ, ſed ſpirituali, ſeu non Deo, ſed ſpiritui opponitur. Cujus rei exemplum habes Eſa. 31. verſ. 3: *& Ægyptius homo & non Deus, & equi eorum caro; & non ſpiritus.* (a) Perſecutus autem Iſmael Iſaacum ideo dicitur, quod eum illuſerit; qua de re legitur aliquid, vel potius innuitur Gen. cap. 21. verſ. 9. Ubi Sara dicitur vidiſſe Iſmaelem ludentem, id eſt illudentem, irridentem, (b) (compoſita enim verba non habent Hebræi, ſed pro iis ſimplicibus utuntur:) quem autem potiſſimum, eo præſertim tempore, irriſerit, illuſeritve, ex loci circumſtantiis, & præcipue ex indignatione Saræ conſequuta, quæ eum cum matre domo ejici propterea jubebat, colligi facile poteſt.

*Ita & nunc.* Judæi tunc prope ſoli perſequebantur (c) Chriſtianos gentiles fere Judæorum tantum inſtinctu. quod ex Pauli exemplo ſatis manifeſtum eſt, de quo in Actis. vide etiam 1 Theſſ. 2. 14, 15; & credibile eſt Galatas, quæ ſupra c. 3. 4. paſſi dicuntura, Judæis fuiſſe paſſos.

Verſ. 30. *Sed quid dicit ſcriptura?* (d) Reſponſio hic continetur ad objectionem præcedentem: ideo iterum addit particulam *ſed.* quaſi dicat: paſſus quidem eſt Iſaacus ludibria Iſmaelis, & hac in parte inferior illius fuit conditio: ſed ex altera parte videamus, qualem utraque hæc res exitum habuerit, & quanto Iſmaeli conſtiterint congeſta in Iſaacum ludibria. (e) Quem in finem citat Saræ verba ad Abrahamum, quibus eum, ludibriis Iſmaelis irritata, hortatur, ut Agarem Ancillam una cum Iſmaele ex familia ſua ejiciat.

(f) Citat autem non tanquam ipſius Saræ, ſed tanquam ſcripturæ ſeu mavis Dei in ſcriptura loquentis verba; propterea quod Deus hæc verba Saræ comprobarit, &, ut iis Abrahamus obſequeretur, juſſerit Gen. 21. 10, 12: *Ejice ancillam & filium ipſius; non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio liberæ.* Sara dicit, *cum filio meo*: ſed Paulus, quia Scripturæ, ſeu Deo in ea loquenti hæc verba, Saræ tribuit, debuit dicere, quemadmodum fecit, *cum filio liberæ*, de Sara, tanquam de alia perſona, in voce *liberæ* loquens. (g) Hinc jam patet, quis finis & exitus omnes Judæos maneat, qui ex euangelio & cæleſti illa Hieroſolyma naſci nolunt.

*Ejice ancillam.* Ancilla ſenſu myſtico, ut jam diximus, eſt lex: *filius ancillæ*, ſunt illi, qui legem ſectantur, repudiato euangelio. Ejiciuntur autem ex domo ſeu familia Dei, id eſt, eccleſia; vel etiam ſimpliciter, a gratia divina, tanquam alieni, arcentur. Unde conſequitur, quod hæreditatem etiam non adeant, utpote ſervi, non liberi. Servus, ut Chriſtus dicit, non manet in domo in ſeculum: ſed filius manet in ſeculum Joh. 8. 35.

Verſ. 31. *Igitur fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ.* quaſi dicat: (h) Cum ergo tanta inter nos & Iſaacum intercedat ſimilitudo: apparet, nos non ancillæ, ſed liberæ, eſſe filios. Videri autem poſſet, alio modo concludere debuiſſe apoſtolum; nempe nos Chriſtianos, utpote ex libera natos, in domo patri noſtri æternum permanſuros, & hæreditatem Abrahamicam adituros: Judæos autem, utpote natos ex ſerva, ab ea decaſuros. Sed maluit is, tum evitandæ invidiæ cauſſa, id quod mollius erat concludere, & ſummam totius comparationis colligere; tum ut ad ſequentem adhortationem viam ſibi ſterneret, qua eos hortatur, ut in libertate Chriſtiana perſiſtant.

Idem ergo hic concludit quod verſ. 28: *non ſumus ancillæ filii*, id eſt (i) non ſumus ſimiles agaris, quæ ſerva fuit, poſteris; adeoque non in ſervitutem ſervilemve conditionem, de qua jam audivimus, geniti; vel, non ſumus ex Agare, hoc eſt, ex ejus antitypo, nimirum lege Moſaica progeniti. Tacite ergo Judæos ancillæ filios eſſe docet; non quatenus ex Sara progeniti ſunt, ſed quatenus ex lege & Sinaienſi monte, & terreſtri illa Hieroſolyma prodierunt. Sara enim ſuam dignitatem ſemper retinet.

*Sed liberæ* id eſt Saræ, quæ reſpondet cæleſti Hieroſolymæ matri omnium Chriſtianorum. Non ergo Judæi, ſed nos Chriſtiani Saræ filii ſumus, ſeu ejus liberis poſteriſve ſimiles. Unde poſtea conſequitur, quod unicuique cogitandum relinquit apoſtolus, non Judæos, nec eos qui diſciplinam legis ſectantur, (k) ſed Chriſtianos demum, qui euangelicam veritatem amplexi ſunt, & in libertatem natos, & hæreditatem Abrahami patris ſui adituros.

## CAP. V.

### *ARGUMENTUM.*

*Duæ ſunt iſtius capitis partes: In quarum prima hortatur apoſtolus Galatas, ad tuendam ac retinendam Chriſtianam libertatem. In altera libertatem hanc limitat a verſ. 13 medio, & certis quibuſdam terminis, nempe charitate, atque adeo in univerſum ſpiritus legibus circumſcribit: & hac ratione tranſit ad eam iſtius epiſtolæ partem, qua Galatas ad Chriſtianæ pietatis officia hortatur.*

Verſ. 1. *Libertate igitur, qua Chriſtus vos liberos fecit, ſtate.* (l) Libertate ſtate. (m) ellipſis eſt particulæ *in.* Stare autem in libertate, eſt libertatem firmiter tueri, ac in ea perſiſtere. Particula *igitur* oſtendit, illationem hic fieri ex ſuperioribus. Cum enim ſimus in libertatem nati; libertas autem ſit bonum, & quidem eximium; quis non videt, eam tuendam, & conſtanter retinendam eſſe?

Non loquitur autem de omni libertate, ſed de ea, *qua Chriſtus nos liberos fecit*, (n) de libertate ſpirituali; quæ in eo conſiſtit, tum quod non amplius maledictioni legis ſubjaceamus; utpote non amplius ex operibus, ſed ex fide juſtificandi: tum quod a circumciſione, & omni illa legis diſciplina, quæ externum & carnalem cultum præcipit, liberi & immunes ſimus. (o) Chriſtus nos manumiſit, & ex ſervis liberos, & Dei filios effecit, quatenus novum fœdus, in quo

(a) *Iſmael quomodo perſequutus Iſaacum.* (b) Compoſitis carent Hebræi. (c) *Judæi perſecuti Chriſtianos.* (d) *Reſponſio ad objectionem præcedentem.* (e) *Iſmael cum matre ejectus.* (f) *Verba Saræ Deo tacite tribuuntur.* (g) *Judæorum infidelium exitus.* (h) *Concluſio.*

(i) *Chriſtiani non in ſervitutem nati.* (k) *Sed in libertatem, & jus hæredit: Abrahami.* (l) *Libertas Chriſt: tuenda* (m) *Ellipſis in.* (n) *Quænam ea libertas.* (o) *Chriſtus quomodo ejus auctor.*

credentibus omnibus juſtificatio promittitur, & omnes illæ ceremoniæ legales abrogantur, panxit. Rem a contrario magis illuſtraturus, addit:

*Et ne iterum jugo ſervitutis implicemini.* Ex libertate intelligi poteſt, quod & quale ſit hoc jugum, ſeu ſervitus. *iterum* autem dicit, eam inprimis ob cauſſam, quod etiam gentiles, e quorum numero fuerant olim Galatæ, multis profanis ſuperſtitionibus imbuti eſſent, in quibus non minor erat ſervitus, quam in legalibus ritibus: qua de re diximus cap.4. 8,9. Neque vero Judæis adhuc ſervis, gentiles ex Dei conſilio poterant eſſe liberi. Itaque hos cum illis hac in parte jungit apoſtolus.

Verſ. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis.* (*a*) Hic cauſſam ſubjungit, cur velit ut in libertate iſta Chriſtiana perſiſtant, ſumtam ab ingenti detrimento, quod ex prodita ab iis libertate conſequuturum ſit.

(*b*) Dicit *Ecce*, quia rem dicturus eſt Galatis inſperatam & inopinatam.

(*c*) Addit, *ego Paulus dico vobis.* Se opponit falſis Galatarum doctoribus, & ſuam aſſertionem illorum aſſertioni.

Illi aſſerebant, *niſi circumcidamini ritu Moſis, ſervari non poteſtis* Actor. 15.1, Paulus contra: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nil proderit*, ac porro ſervari non poteſtis. Non eſt enim ſalus, niſi per Chriſtum. Non obſcure auctoritatem ſuam Galatarum animis objicit, & falſorum iſtorum doctorum arrogantiæ opponit. quaſi dicat: Ego Paulus, cujus munus atque auctoritatem probe antehac cognoviſtis, & ſupra a me aſſertam vidiſtis, id affirmo, quicquid contra dicant veſtri illi doctores: major longe mea debet apud vos eſſe auctoritas hoc aſſerentis, quam illorum, qui contrarium aſſerunt. Orationem autem ad Galatas dirigit, & in ipſorum perſona de gentibus loquitur, quibus lex lata numquam fuerat, & qui euangelium abſque circumciſione cæteriſque ceremoniis legalibus traditum ac confirmatum acceperant, deque Chriſtiana libertate ſatis fuerant edocti. His dicit.

*Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* (*d*) hoc eſt, ſi circumcidi vos curetis, vel ſponte veſtra permittatis, arbitrantes nimirum hanc ceremoniam vobis ad ſalutem neceſſariam; (*e*) tantum abeſt, ut ea vobis ſit ad ſalutem profutura, ut potius obfutura ſit. Chriſtus enim, hoc eſt, ejus religio, ac gratia divina per eum nobis oblata, nihil vobis proderit; beneficia, quæ ipſe hominibus attulit, ad vos non pertinebunt, qua de re infra iterum verſ. 4. Nihil autem minus Galatæ cogitaverant; quorum oculis hoc glaucoma a ſeductoribus fuerat objectum, ut putarent, Chriſtum ſine circumciſione ſibi non profuturum: hac una de cauſſa ad recipiendam circumciſionem impellebantur. Quare hoc glaucoma illis nunc detrahit Paulus, & contrarium ejus, quod illis perſuadebatur, oſtendit. (*f*) Paſſivum *circumcidamini* poſitum eſt pro reciproco: quemadmodum & verſu ſeq. omni *qui circumciditur.* Neque enim hic loquitur de iis, qui vel inviti, vel inſcii, ut Hebræorum infantes, circumciduntur; ſed qui ſeipſos ultro circumcidunt, aut circumcidi curant. De hoc paſſivorum uſu dictum eſt ſup. cap. 1. 6. (*g*) Quare non ipſa circumciſio per ſe, tantum damnum afferebat; ſed tum demum, ſi ab homine gentili, eo præſertim, qui de libertate Chriſtiana antea fuerat probe inſtructus, & doctrinam Chriſti, auctoritate apoſtolica fultam, ſine ceremoniis receperat, ſponte ſuſcipereturr, & quidem ideo, quod eam ſibi ad ſalutem putaret eſſe neceſſariam, ea lege qua illa præcipitur, ſe quoque teneri autumaret. (*h*) Alia enim tunc ratio erat Judæorum, non modo quia in infantia, & ſic non ſua ſponte, circumcidebantua; verum etiam, & quidem potiſſimum, eam ob cauſſam, quia illis circumciſio olim tam ſevere fuerat præcepta; & ſic magna erat cauſſa arbitrandi, ſibi eam adhuc eſſe ad ſalutem neceſſariam, utut tandem gentibus non eſſet. Veniam ergo merebatur illorum ignorantia, ſi cæteroquin pertinacia abeſſet. At in hujuſmodi hominibus, quales erant Galatæ, quibus lex Moſaica nunquam fuerat lata, & quibus abſque ceremoniis ſalus per apoſtolum fuerat oblata, qui diviſſima habebant veritatis doctrinæ illius, quam ab eo acceperant, argumenta ac teſtimonia: in his, inquam, error hic excuſari non poterat. (*i*) Patet etiam ex dictis, Apoſtolum non loqui de iis, qui ædificationis tantum alienæ cauſſa circumcidi ſe patiuntur, quemadmodum ipſe Paulus, ut cap.2. 5 jam monuimus, Timotheum circumciderat, ut aditum ad Judæos habere poſſet: ſed qui religione id faciunt, eo quod legem Moſaicam adhuc vigere putent, ſeque ea ad id faciendum obſtringi atque adigi. Rationem autem iſtius ſui dicti allaturus, addit:

Verſ. 3. (*k*) *Teſtificor autem rurſus omni homini qui circumciditur, quod debitor eſt totam legem facere.* (*l*) Vocula *rurſus* non ſignificat hoc loco, Paulum eandem rem teſtificari; ſed ſimpliciter tantum, eum denuo aliquid (*m*) teſtificari, ſeu affirmare atque edicere, quemadmodum proxime fecerit, licet aliud nunc teſtetur, quam antea. quaſi dicat: Quod ut intelligatur, hoc quoque edico, ſeu illud quoque pro certo affirmo. Illa prior aſſertio hac poſteriore nititur. Illi enim, qui obligatus eſt totam legem ſervare, Chriſtus nihil prodeſt. quandoquidem Chriſtus non alia ratione prodeſt, quam quod nos ab obligatione legis liberos faciat, ita ut non cogamur univerſam legem ſervare, ſi juſtificari velimus nec ceremonias ejus obſervare, qua de re agetur verſ. 5,6. (*n*) At vero quicunque ideo circumciditur, ut ita legi Moſaicæ pareat, & religionem in ea præſcriptam ſe amplecti profiteatur, ille debitor eſt ut totam legem faciat, hoc eſt, ille vi hujus facti ſui obſtringitur ad totam legem ſervandam. (*o*) Qui enim in uno ſe ſubjicit legi Moſaicæ, ſubjicit ſe in omnibus: cum illa non minus hæc, quam illud jubeat. (*p*) Adde quod circumciſio, ut modo innuimus, ſit ſignum quoddam & teſſera totius religionis Judaicæ in lege præſcriptæ; ita ut ea ſuſcepta, veluti pignore quodam ſe homines legi obſtringant: non aliter quam baptiſmus in Chriſti nomine ſuſceptus, vel etiam cœnæ dominicæ uſus, teſſera quædam eſt & ſymbolum Chriſtianiſmi. Hinc jam conſequitur, omnibus iſtis, qui circumcidi ſe ea intentione, qua dictum eſt, curant, Chriſtum nihil prodeſſe. Ipſi enim ſe Chriſti beneficio privant, & cum Chriſtus illos ab obligatione legis liberos fecerit, ipſimet ſe legi ultro ſubdunt ac ſubjiciunt, ac proinde debitores ſunt ut totam legem

(*a*) *Cur libertas tuenda.* (*b*) Ecce. (*c*) *Paulus auctoritatem ſuam opponit pſeudodidaſcalis.* (*d*) *Circumciſio Chriſti beneficium tollit.* (*e*) *Quatenus id faciat.* (*f*) Paſſivum *pro* reciproco. (*g*) *Gentilibus noxia circumciſio.* (*h*) *Judæis non item.* (*i*) *Nec ob ædificationem ſuſcepta.* (*k*) *Probatio.* (*l*) Rurſus *quid hoc loco ſignificet.* (*m*) Teſtificari *pro* affirmare. (*n*) *Qui circumciditur toti legi ſe obſtringit.* (*o*) *Ratio* 1. (*p*) 2 *Circumciſio Judaiſmi teſſera.*

fervent,

ſervent, & ni ſervent, maledictionem ſubeant. Lex enim nemini delectum in præceptis ſuis vel ſervandis vel negligendis concedit, ſed ad omnia æque ſub commination maledictionis obligat & obſtringit. Volenti autem, ut dici ſolet, non fit injuria. Obſtrinxiſti te toti legi ſervandæ; jam ergo tibi aditum ad Chriſti gratiam & remiſſionem peccatorum præcluſiſti. (a) Loquitur autem apoſtolus de eo quod fiat & conſequatur rei natura inſpecta, quodque ſi Deus ſuo jure uti vellet, omnino facere poteſt. Nam alioquin veriſimile eſt, Deum etiam iſtos, qui ſeſe ſervandæ legi obſtringunt, dummodo fidem veram in Chriſtum habeant, ex gratia ſua juſtificaturum eſſe, præſertim ſi non malo aliquo & perverſo animo, ſed errore ſimplici abrepti, nec ſatis vim legis ejuſque ab euangelio differentiam intelligentes, id faciant. Nam ſi alio animo id faciant, ne veram quidem in Chriſtum fidem habent; & ſic vi Novi Fœderis ſervari nequeunt.

Verſ. 4. *Aboliti eſtis a Chriſto, quicunque in lege juſtificamini.* (b) Ratio in his verbis affertur conſequentiæ, ſeu mavis ſententia majoris argumenti apoſtolici. Affirmaverat apoſtolus verſ. 2, Galatis, (c) ſi circumcidi ſe curent, Chriſtum nihil profuturum: rationem attulerat verſ. 3, quia ea ratione univerſæ legi ſervandæ ſe obſtringant. Quomodo autem ex hoc poſteriori illud ſequatur, nunc oſtendit. Ita enim ratiocinari cenſendus eſt apoſtolus: quiſquis ex lege juſtificationem quærit, aut quærere tenetur, ei Chriſtus, & gratia divina per eum nobis oblata, non prodeſt. At vos, ſi circumcidamini, ex lege juſtificationem quærere tenemini: univerſæ enim legi ſervandæ vos hoc pacto obſtringtis. Ergo ſi circumcidamini, Chriſtus ejuſque gratia vobis nil proderit. Majoris ſententia Galatis applicata, in his verbis continetur, quemadmodum ſententia minoris in verſic. præcedenti. Hinc autem intelligitur, quod etiam alias ſatis eſt manifeſtum, idem eſſe (d) *aboliti eſtis a Chriſto*, & *Chriſtus vobis nihil proderit* verſ. 2. Abolitum ergo eſſe a Chriſto, eſt, cum ejus gratia nil habere amplius commune; ad eam nullum amplius jus habere; reſpectu Chriſti ac beneficii per eum hominibus oblati nullum eſſe, ſeu mavis, Chriſtum ejuſque gratiam nullas in eo vires amplius habere, & reſpectu ipſius nullam eſſe. (e) Notant enim nonnulli interpretes, hypallagen quandam in his verbis eſſe, ut eorum durities emolliatur. dicendum enim alioqui fuiſſe, *Chriſtus vobis eſt abolitus*, ut ita exactius reſponderet illi, *Chriſtus vobis nihil proderit*. Similem quandam hypallagen, ex eadem cauſſa natam, eſſe Rom. 7. verſ. 4, *mortificati eſtis legi*, pro, lex vobis eſt mortificata, ut ſimilitudo propoſita requirere videbatur. Sed ſimilem huic praſin habes eodem cap. 7 Rom. verſ. 2, ubi ait apoſtolus: fœminam viro junctam, ſi mortuus fuerit vir, *abolitam eſſe a lege viri*, hoc eſt, legem, qua viro obſtringebatur, eam non amplius obſtringere; obligationem legis reſpectu ejus ceſſare; ac porro viciſſim mulierem a lege illa ſolutam, & reſpectu ejus nullam eſſe.

*Qui in lege juſtificamini*, id eſt, qui per legem, ejuſve obſervationem juſtificari vultis, qui legis vi juſtificationem conamini aſſequi. (f) Actus ipſe pro ſtudio ac conatu ponitur. Reipſa enim per legem juſtificari eſt impoſſibile, ut non uno loco diximus.

*Gratia excidiſtis.* Hæc verba ideo addidit, ut conſequentiæ rationem quodammodo redderet, vel potius ut id quod antea obſcurius dixerat, clarius & magis perſpicue efferret. (g) Lex enim opponitur gratiæ, & gratia legi; lex operum meritum requirit; meritum gratiam excludit. Quare qui legem ſibi ad juſtificationem ducem elegit, gratiam deſeruit, eaque ſeipſum ſponte privavit. Non poteſt Chriſtus cum lege commiſceri; aut lex retinenda, & Chriſtus deſerendus; aut Chriſtus retinendus, & lex deſerenda eſt.

Verſ. 5. *Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem juſtitiæ expectamus.* (h) In his verbis continetur probatio præcedentis dicti. quaſi dicat: Ideo aſſero, eum qui per legem juſtificationem quærit, Chriſti beneficio, ac gratia divina per eum nobis oblata excidere: quia univerſum illud Chriſti beneficium, gratiaque divina per eum nobis oblata, eo redit, quod nobis præſcripſerit (i) rationem juſtificationem conſequendi *ſpiritu ex fide*, hoc eſt, per ſpiritualem Dei cultum, non per carnalem ſeu ceremonialem; & quidem per fidem, non per opera: atque illo modo nos Chriſtiani, vi religionis noſtræ, juſtificationem quærimus atque expectamus. At modus juſtificationis in lege præſcriptus contrarium poſtulat: poſtulat enim ceremonias, poſtulat opera. Quare qui hunc ſectatur, Chriſti beneficio ac gratia ſe ſponte privat.

Jam, ſingula verba videamus. Cum ait, *Nos* expectamus, ſe & alios Chriſtianos opponit *iis qui in lege*, ſeu per legem, *juſtificari volunt.*

Cum dicit *expectamus*, non tam de facto ipſo, quam de jure loquitur, ſeu mavis, non tantum de facto ſed & de jure loquitur, alias nullam vim ipſius haberet ratiocinatio. quid enim, ſi injuria, ſi præter Dei ac Chriſti voluntatem expectarent? Hoc ergo vult dicere, nos Chriſtiani vi religionis noſtræ adacti, ſeu ex præſcripto religionis noſtræ expectamus ſpem juſtitiæ *ſpiritu ex fide*. In his autem duabus vocibus *ſpiritu & fide*, deſcribitur univerſa cultus divini ſub N. Fœdere præſcripti ratio. Prior qualitatem: poſterior perfectionem ejus magis reſpicit. Eſtque in iis expreſſum duplex diſcrimen inter modum juſtificationis conſequendæ in lege præſcriptum, & eum qui in euangelio; & (k) ſic duplex inter ipſam legem & euangelium differentia. Primum eſt, quod lex requirat, ut carne Deo ſervias: euangelum ut ſpiritu; quemadmodum & Chriſtus docet Joh. 4. 23, 24. Alterum, quod lex opera exigat; euangelium fide contentum ſit.

*Spiritus* hoc loco per metonymiam cauſæ, ſumitur pro ſpirituali cultu, ſeu ratione Deo ſerviendi, qui & ſpiritu potiſſimum peragitur, ab eoque proficiſcitur; & ex divini ſpiritus impulſu ac dictamine manat. Opponitur autem *ſpiritus* iſte (m) *carni*, id eſt carnali & externæ rationi divini cultus, quæ in carne & per carnem potiſſimum exercetur: qualis erat circumciſio, & omnes illæ legales ceremoniæ, quo ſenſu ſuperius cap. 3 dixit, Galatas ſpiritu incepiſſe, nunc carne perficere, id eſt, a ſpirituali cultu, qualem divinus ſpiritus dictabat, ad carnalem deſcendere. Sic in epiſtola ad (n) Philip. cap. 3 eodem ſenſu carnem opponit ſpiritui, verſ. 3.

(a) *Quatenus ea Chriſti beneficio privet.* (b) *Ratio conſequentiæ argumenti verſ. 3 propoſiti.* (c) *Chriſtus ei non prodeſt, qui per legem vult juſtificari.* (d) *Abolitum eſſe a Chriſto.* (e) *Hypallage.* (f) Actus *pro* conatu.

(g) Lex & Gratia *opponuntur.* (h) *Probatio verſus præced.* (i) *Modus juſtificationis euangelicus.* (k) *Diſcrimen inter legem & euangelium.* (l) Spiritus *pro cultu ſpirituali.* (m) Caro *pro carnali.* (n) *Locus Phil.* 3. 3.

*Nos* inquit, *ſumus circumciſio, qui ſpiritu Deo ſervimus, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne confidimus.* Quid autem per carnem intelligat, in ſequentibus exponit, dum recenſet circumciſionem, genus, perfectionem in diſciplina legali; qua in re continetur omnis ille externus & ceremonialis cultus, qui in ſacrificiis carnalibus, in ciborum & dierum delectu, & ſexcentis aliis conſiſtit. Hoc etiam in loco ſequenti verſiculo, circumciſio & præputium ſpiritui iſti opponitur. Dicit ergo Paulus: ſe & alios Chriſtianos, non carnali illa & externa ratione, in circumciſione & aliis ceremoniis legalibus poſita, ſed ſpirituali, ſeu ea, ad quam nos & divinus ſpiritus impellit, & quæ ſpiritu noſtro potiſſimum peragitur, ac in charitate & omnis generis pietate conſiſtit, ut in ſeqq. audiemus, ad juſtificationem contendere, & hac ratione ac via eam ſe aſſequuturos vi religionis ſuæ ſperare.

Addit (*a*) *ex fide*, qua in re potiſſimum gratia divina per Chriſtum nobis oblata continetur, (quanquam & hæc non exigua eſt divinæ gratiæ pars, quod tot ceremoniis & ritibus ſoluti ſimus) nempe quod Deus non requirat a nobis opera, ſeu operum meritum, quod exactam ac perpetuam præceptorum ipſius obſervationem poſtulat, & omnem cujuſcunque veri peccati actum excludit; ſed fide contentus eſt, quæ in eos etiam cadit, qui graviſſime ac creberrime peccarunt antea, & nunc etiam interdum ex fragilitate labuntur; ac porro remiſſionem peccatorum non excludit, ut opera, ſed eam ex divina benignitate parit. quanquam interim, ut cap. 2 jam explicuimus, & in ſeqq. videbimus, omnis generis pietate fœcunda eſt; (*b*) pietate, inquam, ejuſmodi, ut & conſuetudinem delinquendi, & quoſvis graves voluntarioſque peccandi actus tollat & excludat: licet alioqui non in omnibus ſit æqualis, ut eodem cap. 2. verſ. 16 dictum eſt.

*Spem juſtitiæ expectamus.* Proprie loquendo non expectamus ſpem: nam ſpes nihil aliud eſt, quam expectatio rei bonæ ac deſiderabilis: ſed (*c*) ſpes hoc loco ſumitur pro eo, quod ſperatur, vel potius, quod ſperandum eſt, ſeu cujus nobis ſpes eſt facta. Quid autem hoc ſit, genitivus *juſtitiæ* additus declarat. Eſt (*d*) enim genitivus ſpeciei ſeu differentiæ; quaſi dicat, ſperandam juſtitiam expectamus: juſtitiam, cujus ſpes nobis eſt facta, expectamus. hoc modo dicitur: *ſpes quæ videtur*, id eſt res ſperata quæ videtur, ſeu qua quis jam reipſa potitur Rom. 8. 24: *Spes beata* Tit. 2. 13, id eſt, beatitudo ſperata, ſeu ſperanda: *Spes viva* 1 Pet. 1. 3, id eſt, vita ſperanda.

*Juſtitia* (*e*) autem pro juſtificatione ponitur per metonymiam: quia juſtificatio eſt juſtitiæ præmium, ſeu juſtitiam conſequitur. Aliquando (*f*) autem conſideratur ut conſequens juſtitiæ in genere, ſeu juſtitiæ perfectæ; aliquando ut conſequens juſtitiæ noſtræ, quæ licet imperfecta ſit, & multis modis manca, eam tamen Deus juſtificatione dignatur. Priori modo magis eam conſiderat Paulus, qui juſtificationem legis impleri in iis dicit, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant Rom. 8. 4. Poſteriori autem modo magis eam conſiderare videtur Petrus 2 Pet. 3. 13, qui dicit, in novis illis cælis juſtitiam habitare, quaſi dicat, juſtitiæ noſtræ præmium. (*g*) Juſtificatio autem nunc ſtricte ſumitur, nunc laxe. Stricte ita, ut a vita æterna diſtinguatur, & ſignificet tantum liberationem a reatu peccatorum, ſeu abſolutionem ab obligatione ad pœnam. (*h*) Liberatio autem illa vel adhuc ſub conditione futura pendet, vel non pendet amplius. Priori modo juſtificamur dum vivimus; poſteriori cum in fide morimur. (*i*) Latius autem ſumta juſtificatio, continet in ſe, ut ſupra cap. 2. 16 monuimus, non ſolum a pœnis immunitatem, ſed etiam verum & perfectum juſtitiæ præmium, hoc eſt, æternam illam ſalutem; quæ non ſua natura, ſed divino decreto ac voluntate, cum juſtificatione connexa eſt. Hoc autem poſteriori ſenſu, ſumitur hoc in loco juſtitia ſeu juſtificatio. Dubium enim non eſt, quin hoc loco apoſtolus bonum illud poſitivum, ut loquuntur, quod fidei noſtræ ac pietatis finis eſt, quodque Chriſtiani ſperare & expectare jubentur, complectatur; non vero bonum tantum privativum, qualis eſt abſolutio ſeu liberatio ab obligatione ad pœnam. Idem nempe hic dicit apoſtolus, quod ad Tit. 2. 13, ubi cum de pietate loquutus eſſet, ad quam nos Dei gratia ſalutariis erudiat, addit: *expectantes illam beatam ſpem*, de qua paulo ſuperius diximus. Hæc eſt illa corona juſtitiæ, hoc eſt, corona quæ eſt juſtitia, quam & ſibi, & cæteris omnibus, qui apparitionem Chriſti amant, in illa die datum iri idem Paulus 2. Tim. 4. 8 ait. Itaque in his Pauli verbis compendium quoddam univerſæ religionis Chriſtianæ, & quicquid ſive ad noſtrum officium, ſive ad divinam gratiam ac felicitatem noſtram pertinet, continetur.

Verſ. 6. *Etenim in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides &c.* (*k*) In hoc verſic: ratio affertur præcedentis. Oſtenditur enim, Chriſtianos, ex præſcripto religionis ſuæ, atque adeo jure, expectare juſtitiam *ſpiritu ex fide*, non ex obſervatione ceremoniarum, & operibus legis. Ratio prioris eſt a remotione contrarii petita: (*l*) quia in Chriſto Jeſu, hoc eſt, in Chriſti religione, in ratione cultus divini ab ipſo præſcripta, nihil valent iſta carnalia & externa, quæ in Moſis diſciplina magni habentur momenti; nihil illa ad juſtificationem hodie faciunt aut proſunt.

*Jeſus Chriſtus* opponitur Moſi ſeu legi; circumciſio ſpiritui. (*m*) Illius enim nomine omnia carnalia, ſeu omnes externi ritus intelliguntur, ſeu ex eo, quod de circumciſione dicitur, etiam de cæteris judicandum eſt. Nam ſi circumciſio, quam tanta ſeveritate lex inculcat, tanta religione coli præcipit, fuitque a Judæis ſemper ſtudioſiſſime obſervata, nullius eſt in religione Chriſtiana pretii aut momenti: quod pretium eſſe poteſt cæteris ceremoniis, inter quas illa principem tenet locum?

(*n*) *Præputium* adjecit, vel ideo, ut tanto magis circumciſionem elevaret, quæ cum ſuo contrario, nempe præputio, hac in parte plane æquetur: vel ne quis ex eo, quod circumciſio adeo elevetur, conjiciat, aliquid in præputio ei contrario ſitum eſſe; præſertim quia facile homines ex contrario in contrarium prolabuntur, & dum unum contrarium elevari vident, alteri aliquod pondus ineſſe credunt. Quod etiam hodie

(*a*) *Ex fide juſtificamur:* (*b*) *Qualifide.* (*c*) Spes *pro re ſperanda.* (*d*) Genitivus *ſpeciem notat.* (*e*) Juſtitia *pro juſtificatione.* (*f*) *Ratio appellationis.*

(*g*) *Juſtificationis acceptio ſtrictior.* (*h*) *Ejus ratio duplex.* (*i*) *Acceptio laxior.* (*k*) *Ratio præcedentis verſ.* (*l*) *Ceremoniæ hodie nil valent.* (*m*) *Circumciſio pro omnibus ceremoniis.* (*n*) *Præputium cur additum.*

uſu venit. Multi enim ſunt, qui, agnito quam ſit vanum, & ad religionem Chriſtianam nihil prorſus pertinens, a carnibus & aliis cibis certis diebus abſtinere, aliquam religionis partem in eo collocant, quibuslibet cibis quovis tempore promiſcue uti.

*Sed fides per charitatem efficax*, ſeu *operans*. [a] Hic jam poſterius, quod ſuperiori verſiculo aſſeruerat, nempe nos Chriſtianos, ex præſcripto religionis noſtræ, *ex fide*, non ex operibus, juſtitiam expectare, potiſſimum comprobat atque illuſtrat. dico potiſſimum; quia & id, quod prius dixerat, nemque quod *ſpiritu*, non carne eandem expectemus, aliqua ratione declarat, dum fidei charitatem addit. Duplici enim de cauſſa id facit, partim ut oſtendat, qualis ſit cultus ille ſpiritualis, quo juſtitia a Chriſtianis quæritur, talis videlicet, qui in charitate ejuſque operibus inprimis conſiſtat: hanc ceremoniarum legalium eſſe loco: partim vero ideo, ut oſtendat, ſe, cum fidei juſtificationem adſcribit, non loqui de fide aliqua nuda, & bonis operibus deſtituta: ſed de fide fœta bonorum operum; ſic ut nobis mediam quandam viam inter duos ſcopulos deſignet, qua ad juſtificationem contenditur. [b] Unus, ſunt *perfecta opera*: alter, *nulla opera*. quorum ille ita eſt arduus, ut hominibus dici poſſit inacceſſus: hic vero deſcenſu facilis & declivis; atqui non in cælum, ubi juſtificatio eſt, ſed in ima tartara ducat. [c] Ex his igitur apoſtoli verbis apparet, qualem ille fidem intelligat, cum illi juſtificationem ſimpliciter, ſeu nulla re alia adjecta tribuit; talem nimirum, quæ charitate ſit veluti animata. Cum enim brevius loquitur, plura iiſdem verbis complecti ſolet: cum loquitur fuſius ac diſtinctius, accipit verba ſtrictius, & magis proprie, & ſic pauciora iis comprehendit. Superiori verſic. [d] cum fidem nominavit, incluſit in ea & charitatem, & charitatis opera: [e] nunc quia peculiarem charitatis & ejus operum mentionem facit, eamque fidei effectam conſtituit, ſtrictius vocem fidei ſumit. Alibi adjicit ad fidem & charitatem, [f] ſpem 1 Cor. 13. 13. 1 Theſſ. 5. 8: [g] hic quia ſpei nullam facit mentionem, nomine fidei eam incluſiſſe cenſendus eſt. Simile quippiam in voce charitatis accidere, infra videbimus verſ. 22, ſi cum verſ. 14 conferatur. [h] Non ergo charitas & ejus effecta, excludenda ſunt a comparanda nobis juſtificatione, quandoquidem, quod hic apoſtolus ait, nec circumciſionem, nec præputium quicquam valere in Chriſto; ſed *fidem quæ per charitatem ſit efficax*, id 1 Cor. 7. 19 dicit, circumciſionem & præputium nihil eſſe; *ſed obſervationem mandatorum Dei*. Et alibi charitati & bonis operibus, ex fide prodeuntibus, juſtificatio ſeu æterna ſalus adſcribitur 1 Joh. 3. 14, 19, 21, 22. Matth. 25. 34. & ſeqq. 1 Petr. 4. 8. imo Jacobus aperte teſtatur Jac. 2. 14, 17, & deinceps uſque ad fin: cap: ea in comparanda nobis juſtificatione ita cum fide concurrere, ut fides, proprie nempe ac ſtricte ſumta, locum corporis teneat; bona opera locum ſpiritus: adeo ut, quemadmodum corpus ſine ſpiritu eſt mortuum, ſic fides bonis operibus vacans, ſit mortua, & ſic nullas habeat vires in nobis juſtificandis.

Prœterea ſatis apparet, Paulum hic voluiſſe fidem eam, quæ juſtificandi vim habeat, ab ea diſtinguere, quæ vim talem non habeat; ut quiſque ea ratione admonitus, hujuſmodi fidem ſibi comparet, qualis hic deſcribitur: non vero vana aliqua fidei larva ſibi imponat. Atqui non eſt conſentaneum, eum diſcrimen iſtud petiiſſe a re, quæ ad juſtificationem comparandam nihil profit, ac proinde plane ſit extra fidei, cui ſoli juſtificatio ex parte noſtra adſcribitur, naturam.

[i] Cur enim non potius differentiam eſſentialem ac ſpecificam, ut vocant, exprimeret? præſertim cum nequaquam credibile ſit, illam obſcuram eſſe, aut talem, quam etiam rudiſſimus quiſque non poſſit cognoſcere: ſiquidem unuſquiſque hanc fidem præſtare, ſi ſalutem adipiſci velit, debeat. Sed deinde ex eo ipſo, quod hæc differentia fidem juſtificandi vim habentem, ab ea, quæ vi hac careat, diſtinguat; conſequitur, eam ſaltem cum fide vera ſeu juſtificante, tanquam effectum cum cauſſa propria, neceſſario cohærere.

Atqui neceſſario non cohæreret, niſi ipſa quoque ad ſalutem conſequendam eſſet neceſſaria, ſeu conditio, ſine qua ſalutem Deus nobis dare non vult, [k] ac proinde etiam fidei illius, cui ſoli ex parte noſtra tribuitur juſtificatio, pars exiſteret. Etenim ne fingi quidem poteſt ulla fides, quæ neceſſario charitatem & bona opera producat, ſi bona opera nihil ad juſtificationem conferre ſtatuantur. Inde enim fit, ut fides vera, quæ juſtificationis cauſa eſt, quoad nos, prima, bona opera neceſſario pariat; quia ejuſmodi eſt animi inductio, ac certis fundamentis nixa perſuaſio, te non aliter, niſi pie vixeris, ſempiternam vitam conſequuturum; atque adeo pietatem vitæ, ſeu bona opera ſalutis adipiſcendæ conditionem cauſſamque eſſe. Tolle hujuſmodi ex fide ſententiam ac perſuaſionem, & ſuſtuleris ab eadem neceſſitatem bona opera pariendi. Si enim ea nihil ad ſalutem facere per ſe credis, quæ res, quæ fides te adiget ut ea neceſſario tibi putes præſtanda, atque adeo reipſa præſtes? Qui ſalutis cauſa pie non vivit, is nullius rei cauſa pie neceſſario vivet.

Quocirca contradictione ſe involvunt, quicunque bonis operibus omnem juſtificationis nobis comparandæ vim adimunt, & tamen ea fidei neceſſarium conſequens eſſe ſtatuunt: vaniſſimaque eſt illa, hac quidem in parte, diſtinctio, cum dicunt, ſe opera non tollere, ſed operum meritum. Nam ſi tam late meritum extendunt, ut eo nomine complectantur quamvis vim bonorum operum, quam, etiam divina gratia accedente, ad juſtificationem pariendam habeant, adeoque nullum illis inter ſalutis cauſſas relinquant locum; qui tale meritum tollit, bonorum operum neceſſitatem, & ſic ipſa bona opera tollit. Quod ſi meritum proprie ſumunt, ita ut id gratiam divinam in nobis juſtificandis excludat; jure quidem id faciunt; ſed propterea non debent bonis operibus omnem vim ad nos ex gratia Dei juſtificandos adimere, ſeu ex mediis juſtificationis cauſis ea penitus eliminare. Neque enim omnis juſtificationis cauſſa protinus meritoria eſt; ſiquidem nec fides juſtificationem proprie meretur, aut gratiam Dei excludit, & tamen media ſalutis cauſſa eſt. Eodem ergo pacto & bona opera inter medias ſalutis cauſſas locum habere poſſunt, etiamſi eorum meritum tollas.

*Fides* autem *per charitatem efficax*, ſeu *operans*, eſt fides quæ charitatem ex ſe gignit, & per eam omnis generis bona opera edit: [l] Fides enim ſtricte ac magis

[a] *Sola fides per charitatis efficax hodie valet.* [b] *Erroneæ ad juſtificationem vitæ.* [c] *Qualis ſit fides juſtificans.* [d] *Ea nunc charitatem in ſe continet:* [e] *Nunc ab ea diſtinguitur.* [f] *Sic & aſpe.* [g] *Hic ſpem continet.* [h] *Bona opera juſtificationis cauſſa media.*

[i] *Charitas ſpecifica fidei differentia.* [k] *Fides neceſſaria pietatem parit, quia hæc ad ſalutem neceſſaria.* [l] *Fides charitatis cauſſa.*

proprie ſumta, eſt charitatis mater; charitas bonorum operum, quæ ad uſum & utilitatem proximi diriguntur. [a] Unam tantum pietatis partem, quæ ad proximum refertur, commemorat pro omnibus: quia hæc & latiſſime patet, & maxime hominibus inculcari debet. qua de re paulo inferius plura verſ. 14.

Verſ. 7. *Currebatis pulchre.* Poſtquam explicuit apoſtolus Chriſtianæ religionis naturam ac normam, eamque cum legalis diſciplinæ norma conſiſtere non poſſe docuit; nunc Galatas miratur & miſeratur, quod a recto illo Chriſtianæ religionis tramite, paſſi ſe fuerint abduci, eaque ratione illorum in fide inconſtantiam, quamquam molliter, tangit. Similitudinem autem ſumit ab iis, qui in ſtadio currunt; & ſignificat, [b] Galatas non modo in rectum veritatis euangelicæ tramitem fuiſſe deductos, ſed etiam in eo per aliquod tempus perſeveraſſe. Eſt enim quidam perſeverationis veluti curſus. pulchre autem currit, qui non in errore, ſed in veritate conſtanter perſeverat. In hac autem perſeverantia aliquo modo continetur fidei per charitatem operantis curſus, cujus modo fecerat mentionem, qui ſane pulcherrimus eſt.

*Quis vos impedivit?* [c] quis hunc veſtrum tam pulchrum curſum veluti abſcidit & abrupit?

*Veritati non obedire* hoc eſt, ut veritati non pergeretis obedire, eique conſtanter judicium veſtrum ſubmittere. Ex his verbis apparet, quis fuerit iſte curſus, de quo in præcedentibus verbis loquutus eſt apoſtolus. Hic enim ejus exprimitur contrarium. De voce *veritatis* dictum eſt cap. 2. verſ. 5, 14. quid autem *veritati non obedire* ſignificet, explicatum eſt cap. 3. verſ. 1.

Verſ. 8. *Hæc perſuaſio non eſt ex vocante vos.* [d] Occurrit Galatarum opinioni, qui putabant, Deo auctore ſe a priſtina ſententia diſceſſiſſe, & ſic tacitam objectionem occupat, quaſi dicat: Hæc perſuaſio, qua factum eſt ut veritati non obſequeremini, ſeu deſerta ſincera euangelii doctrina, legem ac legales ceremonias amplecteremini, non eſt, ut arbitramini, ex vocante vos, nempe Deo, hoc eſt, Deum, qui vos vocavit, autorem non habet, ſed, ut mox dicemus, impoſtores, ſeductores; ac proinde abjicienda eſt. Maluit autem apoſtolus dicere *ex vocante vos*, quam ſimpliciter ex Deo; quia in hac deſcriptione Dei, tacita quædam ratio ejus, quod dicit apoſtolus, continetur. Nam ſi contraria huic perſuaſioni perſuaſio eſt ex vocante; hæc certe ex vocante eſſe non poterit. Atqui contrariam ex vocante eſſe, facile illis conſtare poterat: quandoquidem Deus, qui eos per Paulum vocaverat, Pauli doctrinam, quæ libertatem a lege & ejus ceremoniis prædicat, & ſolam fidem per charitatem efficacem inculcat, multis ſignis & miraculis confirmaverat, præſertim ſpiritus ſancti diſtributione, de qua cap. 3 egimus.

Per *Vocantem* [e] autem Deum intelligi, vel etiam Chriſtum, quivis videt. Non additur, ad quid fuerint vocati; ſed id ex aliis ſcripturæ locis ſupplendum eſt, ad gloriam nimirum Dei, ad regnum illud cœleſte capeſſendum 1 Theſſ. 2. 12. 1 Petr. 5. 10.

Verſ. 9. *Parum fermenti.* [f] Hic cauſam indicat, unde perſuaſio iſta fuerit profecta; nempe a paucis quibuſdam ſeductoribus, quaſi d. [g] non a Deo fuit profecta iſta perſuaſio, ſed a paucis ſeductoribus, qui inſtar fermenti fuerunt, quo, licet id exiguum ſit, magna tamen maſſa fermentari ſolet. Quæ vitioſa ſunt, facile a paucis ad plures dimanant. [h] Videtur autem illis tacite imprudentiam objicere, quod ſibi non caverint ab iſtis hominibus, a quibus corrumpi facile poſſent. Nonnulli interpretes cenſent, occupari hic tacitam quandam objectionem. Potuiſſe enim illos dicere: Quid eſt, cur tantopere ſententiam eam, quam ſumus amplexi, exagites, quaſi de univerſo Chriſtianiſmo noſtro actum ſit, aut univerſum Judaiſmum nos ſimus amplexi; cum non niſi unam atque alteram ejus partem receperimus: vel, cur nos omnes ita generatim accuſas, cum non niſi pauci ſententias illas ſint amplexi? Reſpondere apoſtolum, non eſſe id parvi pendendum. Modicum fermenti facile poſſe univerſam maſſam fermentare: hoc eſt, vel paucos illos errores, poſſe univerſum illorum Chriſtianiſmum inficere, & ipſos ex Chriſtianis Judæos facere: vel paucos illos, qui eo errore ſint infecti, facile etiam alios inficere poſſe: nec immerito eos omnes accuſari, qui illos inter ſe tolerent. Eandem autem ſententiam proverbialem habes 1 Cor. 5. 6, ubi apoſtolus monet, ut inceſtum illum ab eccleſiæ communione ſegregent, ne ſuo exemplo alios corrumpat: quod idem in cæteris quoque vitioſis hominibus obſervandum monet.

Verſ. 10. *Ego confido in vos.* [i] Mollit iterum ſuam orationem & ſtylum; vocem enim ſubinde mutat: nunc in eos acrius invehitur; nunc eos iterum blandius alloquitur. Itaque his verbis ſignificat, ſe nihilominus bene de iis ſperare, utpote hominibus ſinceris, & veri amatoribus, [k] quique non animi aliqua malitia veritatem deſeruerint: ſed ab aliis decepti & circumventi, in errorem abducti fuerint.

*In vos*, id eſt, de vobis. Eam habeo de vobis ſpem ac fiduciam. Ideo autem videtur dicere maluiſſe *in vos*, quam ſimpliciter de vobis: quia hæc de iis fiducia nitebatur aliqua re; quæ ipſis Galatis inerat, hoc eſt, eorum ſinceritate & candore.

*In Domino.* [l] Quaſi dicat, accedente ope & auxilio Domini. Itaque non ſolis Galatis, eorumque probitati, religioni, ac candori confidebat: ſed multo magis Domino, qui illis, ut ad meliorem redirent ſententiam, opem eſſet laturus.

*Quod nihil aliud facietis*, nempe præter id, quod antea, quam a ſeductoribus illis fuiſſetis decepti, feciſtis, cum nimirum pulchre curreretis: nihil facietis præter id, quod a Deo, per me vos vocante didiciſtis.

*Qui vero vos turbat, portabit judicium.* [m] Quaſi dicat, de vobis quidem ſpem honam habeo: ſed illi, qui vos turbant pœnas improbitatis ſuæ dabunt. *Portabit judicium*, [n] id eſt, pœnam, quæ judicii de homine nocente & ſententiæ damnatoriæ effectus eſt. Nam κρίμα videtur in hoc & ſimilibus locis poſitum eſſe pro κατάκριμα, id eſt, condemnatione per Hebraiſmum ſimplicis pro compoſito; etiamſi interdum κατάκριμα aliquid denotet gravius, quam κρίμα, nempe ſempiternum ſupplicium, ut 1 Cor. xi. 32. quem confer etiam cum præced. 29 & deinceps,

[a] Charitas *pro omnibus virtutibus.* [b] *Priſtina Galatarum fides.* [c] *Ab ea defectio.* [d] *A Deo non profecta.* [e] Vocans *pro Deo.* [f] *Unde Galatarum defectio.*

[g] *Prava facile inficiunt plures.* [h] *Imprudentia Galatarum.* [i] *Paulus bene de Galatis ſperat.* [k] *Ob Galatarum candorem:* [l] *Et Chriſti opem.* [m] *Minatur ſeductoribus.* [n] Judicium *pro* pœna.

quia

quia vox, quæ proprie denotat genus, κατ' ἐξοχὴν de certa ſpecie ſumitur.

*Quiſquis fuerit.* [a] quaſi dicat, cujuſcunque tandem ſit auctoritatis atque exiſtimationis, pœnam non effugiet. Apparet, aliquos inter illos ſeductores, magni cæteroqui fuiſſe nominis, & fortaſſe magnæ ſanctitatis opinione tumuiſſe, adeo ut impunitatem ſibi jure polliceri poſſe viderentur.

Verſ. 11. *Ego vero ſi adhuc circumciſionem prædico.* [b] Vel verbum *prædico*, non de ipſo facto, ſed de jure ſumendum eſt, quaſi dicat, ſi circumciſionem adhuc prædicare debeo, ſeu prædicare deberem, quemadmodum veſtrorum doctorum fert ſententia: quid cauſſæ eſt, cur ego perſecutionem hucuſque ſuſtineam? Nihil certe. Stultiſſime agerem, qui me tot afflictionibus, quæ a Judæis, aut Judæorum inſtinctu, a gentibus mihi imminent, objicerem. At quis me adeo ſtultum putet, qui temere ac ſine ulla juſta cauſſa, me tantis malis objiciam? Quare apparet, me non debere amplius circumciſionem prædicare.

Vel, inquam, ita ſumendum eſt verbum *prædico*; [c] vel ſi ſimpliciter de prædicandi actu ſumatur, dicendum eſt, apoſtolum hic diluere velle calumniam quandam, qua traduceretur, ac ſi circumciſionem alibi doceret. Fieri enim potuit, ut iſti Judaizantes, & veritatis euangelicæ corruptores, quo autoritatem Pauli enervarent, talia de illo ſpargerent, ac ſi ille ſibi minime conſtaret, & pro locorum, hominum, ac temporum varietate, varius & ipſe in doctrina ſua eſſet: alibi circumciſionem & legem oppugnaret, alibi urgeret. Quanquam aliqui, non tam ut Pauli auctoritatem, cujus majus eſſe pondus apud Galatas viderent, quam ut elevari poſſet, labefactarent, quam ut ea ad ſuum inſtitutum abuterentur, tale quidpiam de ipſo potuerunt jactare, & affirmare, eum ab initio iis, quos ex gentibus ad Chriſtum traduceret, legem Moſaicam non imponere, ne eos a Chriſtiana religione protinus abſterreat: ſed iis, qui jugo ſuaviori leviorique paululum jam aſſueviſſent, hoc etiam, quod aliquanto durius eſſet, imponere, aut ut imponatur curare. Hanc ergo calumniam hoc loco diluit apoſtolus, argumento ſumto a perſecutione, quam ubique patiebatur.

Paticbatur autem utplurimum a Judæis: [d] qui, ſi ipſi non poterant Paulum vexare, gentiles incitabant. Hoc autem tantum Judæorum in Paulum odium unde erat, niſi quod eum apoſtaſiam a lege docere crederent? quemadmodum etiam legimus in Actis Actor. 21. 21, 28. Ergo ſi circumciſionem, ſi legem urſiſſet & propugnaſſet, vix ullus perſecutioni locus fuiſſet relictus. Judæi tum temporis jam ferre didicerant Chriſtianos, modo legem cæteroquin obſervarent: cum tot Chriſtianorum millia Hieroſolymis perpetuo verſarentur. Inter gentes autem paſſim, atque adeo in toto Romano imperio, Judaica religio ferebatur, & libere docebatur; nec adeo periculoſum erat, proſelytum vel facere vel fieri. Quare ſi Paulus legem cum Chriſti doctrina conjunxiſſet, facile eum, tanquam legis promotorem, & Judæi tuliſſent, & gentes: imo gaviſi fuiſſent Judæi, eſſe, qui tanto ſtudio gentes ad legis diſciplinam adducere conaretur. Hinc infra cap. 6. 12 docet Paulus, Judaizantes illos ideo circumciſionem urgere, ne cruce Chriſti urgeantur ipſi. [e] *Circumciſio* hoc loco pro univerſa legis diſciplina, cujus erat teſſera, ut ℣. 3 vidimus, ſumitur.

Ait autem apoſtolus, ſi circumciſionem *adhuc* prædico, ut oſtendat, (f) ſe eam antea prædicaſſe, nimirum cum adhuc phariſæus eſſet, & legis zelo flagraret: quo ſane tempore non patiebatur, ſed inferebat perſequutionem. Neque obſtat verbum κηρύσσω, quod non ſatis videtur convenire Paulo, habita ratione ejus temporis, cum adhuc phariſæus eſſet; ſiquidem tum non videtur circumciſionem prædicaſſe, ſed tantum ſimpliciter urſiſſe. [g] Notandum enim eſt, ſæpe accidere, ut cum uno verbo duplicem rem, ob quandam utriuſque inter ſe comparationem, ſignificare & exprimere volumus; uni hoc verbum proprie aptemus, alteri improprie, & tantum propter alteram, dummodo aliqua ſit inter ipſas convenientia. Quare cum apoſtolus reſpectu ejus temporis, quo præco euangelii erat factus, proprie prædicarit; etiam illius temporis ratione, quod anteceſſit, cum legem urgeret, prædicationem ſibi tribuit; ſed ita, ut non idem, quod ante, prædicare ſe dicat. (h) Niſi malis ſubaudire verbum cognatæ ſignificationis: quaſi dicat, Si adhuc circumciſionem prædicarem, quemadmodum eam olim, cum adhuc phariſeus eſſem, urſi. quemadmodum fieri videtur Rom. 4. 4. 1 Cor. 3. 2: & 14 ℣. 34. In primo enim loco pro *imputandi* voce, in poſteriori membro, ſubaudiri debet vox *dandi* vel *tribuendi*: in ſecundo vero, pro verbo *potandi*, vox *alendi*: in tertio denique pro *permiſſum eſt*, vox *jubendi*. Vel ſimiliter in his locis ſtatuendum eſt, verba iſta utrique parti accommodanda eſſe: alteri quidem proprie, alteri improprie; ut paulo ante dictum eſt.

Beza ut hanc difficultatem evitaret, pro ἔτι hoc loco, non *adhuc*, ſed *etiam* poſuit, quod & Piſcator fecit. *Igitur abolitum eſt ſcandalum crucis.* Circumciſionis prædicatio tollit perſecutionem: perſecutione autem ſublata, ſcandalum crucis tollitur: quod Deus noluit tolli, ut homines improbi & inſinceri habeant, in quod impingant.

*Scandalum crucis*, [i] per genitivum ſpeciei, eſt ſcandalum quod eſt crux, hoc eſt perſecutio: vel ſcandalum, quod a cruce proficiſcitur; ut ſit genitivus cauſæ efficientis. Nullum enim majus ſcandalum Judeis erat, quam tum Chriſti ipſius, tum omnium Chriſti diſcipulorum crux. Hoc erat, quod eos maxime a Chriſto & ejus diſcipulis abſterrebat, & abſtrahebat. Ideo autem crucis nomine uſus eſt, quo ſupplicium maxime infame ſignificatur; [k] quia hoc ſupplicio affectus fuit Chriſtus, Chriſtianorum rex & caput, qui exemplo ſuo docuit, hanc fore Chriſtianorum omnium communem ſortem, ut regem ſuum imitentur, & per varias calamitates in regnum illud cæleſte ingrediantur. Chriſtus crucem ſubiens nos omnes ſubjecit cruci, & afflictionum viam ſuis afflictionibus veluti dedicavit ac conſecravit. Neque enim convenit meliorem eſſe ſervorum conditionem, quam Domini & regis. Qua de cauſſa dixit: *qui vult me ſequi*, ſeu meus fieri diſcipulus, *abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me* Matth. 16. 24. Luc. 9. 23. XIV. 27. Unde conſequitur, non ita eſſe comparatam Chriſti do-

[a] *Nemo ſe doctorum effugiet.* [b] *Prior verborum explicatio.* [c] *Poſterior.* [d] *Paulus ideo afflictus, quod legem non prædicaret.*

[e] Circumciſio *pro diſciplina legali.* [f] *Paulus antea legem prædicavit.* [g] Idem verbum diverſimode eodem loco ſumitur. [h] Verba cognatæ ſignificationis interdum ſubaudiuntur. [i] *Scandalum crucis.* [k] *Crux Chriſtianorum propria.*

trinam

ctrinam ac religionem, ut crucem, & quod inde nascitur scandalum tollat, sed potius ut pariat, ac secum trahat. At si circumcisionis prædicatio vigere in ecclesia Christi debuisset, jam olim, ut vidimus, maxima saltem ex parte cessasset persequutio, seu crucis scandalum. Quod si quis hic de ipsius tantum Christi cruce seu morte agi putet; dicendum erit, eatenus sublatum iri scandalum crucis Christi, si circumcisio prædicaretur, quatenus non amplius ex Christi morte cruenta & ignominiosa, quam in cruce subiit, abolitio legis & ceremoniarum peteretur. Non enim dubium esse videtur, quin Judæis Christi crux scandalum præbuerit, quod nova religione per eam stabilita, legem abolevisse videretur; quam mortis Christi vim Paulus sæpe ursit.

Vers. 12. *Utinam & abscindantur qui vos inquietant.* [a] Antea prædixerat turbatoribus istis pœnam & divinum supplicium; nunc rei indignitate magis magisque permotus, & Galatarum vicem dolens, qui tantum bonum istorum hominum fraude perdiderant, optat, ut etiam, si Galatæ sanari aliter nequeant, abscindantur penitus & recidantur isti.

Putat Beza, Paulum occasione circumcisionis, usum fuisse hoc verbo *abscindendi*, quasi convenientem peccato pœnam illis imprecari vellet, ut quemadmodum illi Galatas circumcidi curarent, ipsi quoque abscinderentur. Sed longius adhuc in ista allusione progressi, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, & alii, in eas devenerunt ineptias, ut eas memorare pigeat, quas apud interpretes [b] vide, si libet. Quid autem per abscissionem istam intelligemus?

[c] Duplicem abscissionem intelligere possumus. [d] primum separationem ab ecclesiæ corpore seu communione: quemadmodum incestuosum illum jubet ex ecclesia tolli, hoc est, ab ea sejungi & separari 1 Cor. 5. 2, 13; & alibi hæreticum hominem vitandum præcipit Tit. 3. 10. Cui sensui id obstare videtur, quod apostolus non præcipiat istud fieri, sed tantum optet. Sed responderi fortasse potest, ideo id apostolum facere, quod auctoritas ejus inter Galatas labefactata per impostores istos fuerit; horum autem, quos ejectos cupit, auctoritas valde creverit. Itaque id potius agit, ut Galatas ad veritatem reducat, & errores istorum ac impostura detegat: quibus detectis & a Galatis animadversis, hoc suo voto monere eos tacite potuit, quid cum impostoribus iis, si resipiscere nolint, agere debeant: nempe ut eos tanquam fermentum, ejiciant, & veluti putrida membra abscindant.

[e] Deinde per abscissionem istam, e medio sublationem intelligere possumus; eo præsuppositio, quod corrigi nolint. Nam quis dubitat maluisse apostolum eos corrigi quam tolli? Rursus si corrigi nolint, quis non videt, optare potuisse Paulum, paucos aliquot impostores tolli potius a Deo, quam totam ecclesiam ab iis seduci & misere turbari?

[f] Neque vero, si Paulo licuit mortem istorum optare, idcirco aliis etiam, ut iis, quos hæreticos & ecclesiæ turbatores ducunt, imprecentur, protinus licebit, nedum ut cuiquam propterea gladium in eos stringere liceat. Nam quod ad prius attinet, cuinam tanta inest sapientia, quanta inerat Paulo, qui spiritus sancti ope, quo fuit repletus, scire poterat, quis esset qui errores spargeret, qui ecclesiam turbaret, qui prefracte id faceret, & cujus pœnitentia vel esset, vel non esset speranda? Adde quod verendum sit, ne affectu etiam Paulo minime simus similes, nec tam gloriæ divinæ zelo, & alienæ salutis amore ducamur, quod procul omni dubio ab apostolo factum est, quam iræ & odio indulgeamus. Denique, non simpliciter & sine conditione, ut vidimus, abscindi istos optabat Paulus, sed resipiscere eos malebat, ideoque ipsum rei exitum divino arbitrio permittebat, & ab eo votum suum pendere volebat. Hæ porro causæ faciunt, cur multo minus rem gladio gerere fas sit, ipsis etiam magistratibus. Qui mortem alicui a Deo optat, adhuc rem divinæ committit voluntati, an mori, an vivere eum potius malit: at qui ad eædem progreditur, jam quid facto sit opus, plane definivit. Quid, quod optare quædam fas sit, quorum tamen faciendorum jus potestatemque nullam habeamus. Non ergo, si Paulo hæreticis imprecari licuit, propterea eos occidere magistratui licebit. [g] Non concessit enim Deus hanc magistratui potestatem, qua profecto eum, non tam in hæreticos nocentes, quam in veros & insontes Christianos, armasset. Cum quanto quisque minus est Christianus, tanto fere facilius alterum pro hæretico damnare solet: & pauci sint homines potentes, qui religionem Christi, præsertim sinceram, amplectantur. Et etiamsi tandem ab aliis erroribus sint liberi, inter res tamen ad salutem necessarias, & non necessarias accurate distinguere pauciissimi norunt, quod hic fieri oportet. Cum alioquin, si plura ad salutem necessaria credideris, quam revera sint, eum etiam pro hæretico sis habiturus, qui tamen revera non sit: utpote qui in re ea, quam tu ad salutem necessariam esse falso existimas, erret. unde consequitur, si magistratus officium esse putes, hæreticos morte plectere, ut omnino statuas, te eum tanquam hæreticum occidere debere. At quam facile fieri potest, ut in ipsa quoque sententia, per se considerata, tu potius erres quam ille? Pauci omnino Christiani sunt tales, qui non ea solum, quæ ad salutem sint necessaria, sed etiam quæ sufficiant, sciant. Multo autem minus credibile est homines, potentes potissimum, quibus tam difficilis est in cælum aditus, aliis plerumque rebus quam religionis cura occupatos, recte hac de re judicaturos. Aliorum autem arbitrio rem tantam committere non debent, ne forte crudelitatis alienæ ministri fiant, quanquam dum eos, quibus de hæreticis judicandi potestatem concedunt, in doctrina sequuntur duces, eo ipso, suo quoque nituntur judicio.

[h] Alia est ratio cæterorum criminum, quæ ipsa communis ratio damnat, & quæ ipse nocens damnare cogitur; vel saltem, si sint contra positivam aliquam legem, quæ nihil inhonesti jubeat, commissa, excusare non potest, si sciens prudens ea perpetravit; cum salva conscientia potuerit, imo debuerit eam legem servare. De hujusmodi criminibus magistratus recte judicare, & potest & solet, utut tandem ipse non sit a crimine immunis. At de erroribus quomodo recte judicare potest, qui ipse erret? In religionis negotio, errores plerumque magis hominibus iisque potentibus arridents, quam veritas. Documentum ejus rei est, quod Chri-

[a] *Paulus abscindi seductores optat.* [b] *Vide Cornel: Corn: Jesuit: & Erasm. & Bezam.* [c] *Quænam illa abscissio.* [d] 1 *sententia.* [e] 2 *sententia.* [f] *Hoc a Paulo factum non facile imitandum.*

[g] *Magistratui non licet hæreticos occidere.* [h] *Alia crimina cur punire possit.*

stianæ

ſtianæ veritatis profeſſores, & ab ipſo initio diras perſecutiones ſuſtinuerint, etiam ab iis qui, dum Chriſtianos occidebant, putabant ſe, ut Chriſtus ait, cultum offerre Deo; & quod in ſacris literis teſtatiſſimum ſit, crucem ac perſecutionem, ad ipſorum ducis exemplum, perpetuo eos comitaturam. Pater ille familias, zizaniorum evulſionem, tritico perniciosam eſſe judicavit, & idcirco ſervos ſuos cohibuit, ne ei ante meſſem incumberent: num vero tritico imperaſſe cenſendus erit, ut zizania longe uberius ac feracius provenientia velleret, ea nimirum quæ tritici nomen ſibi vindicant, & tritico zizaniorum nomen imponunt? Præterea quid iniquius eſt, quam conſcientiæ cauſſa quempiam vexari? Nam conſcientia & veritatis opinione, pleroſque ſaltem eorum duci neceſſe eſt, qui vitam etiam profeſſioni ſuæ impendunt. Quid item ſtultius eſt, quam externa vi animum hominis velle cogere? aut ſi id non ſperes, quid immanius, quam aliquem tormentis ad ſimulationem & mandacia, quæ miſer impio & blaſphema ducat, adigere? Denique quid indignius, quam, aut veritatis profeſſores occidere, aut hæreticis martyrum gloriam concedere, & tanto argumento errores armare, quanto vix majus, quo ſeſe commendet, divina nunc invenit veritas? Æquum ergo fuit, ut Deus nulli magiſtratui poteſtatem hæreticos damnandi, & morte plectendi daret: ſed ſuo illos judicio & tribunali reſervaret. *qui vos turbant.* qui vos in veritate conquieſcere non patiuntur, ſed animos veſtros falſis etiam rumuſculis, ut dictum eſt, de me ſparſis turbant: vel etiam, qui motus ac turbas inter vos excitant contentionum & rixarum.

Verſ. 13. *Vos enim ſuper libertate vocati eſtis fratres.* (*a*) His verbis concludit apoſtolus ſuperiorem tractationem & diſputationem, de Chriſtianorum libertate, & a lege immunitate; concludit autem, præcedentis dicti rationem afferens. quaſi dicat: propterea iſtos turbatores abſcindi etiam, ſi aliter fieri nequeat, velim, quia vos ingenti bono, id eſt libertate, ſpoliatum eunt.

Ἐπ' ἐλευθερίᾳ, id eſt, (*b*) ad libertatem, ut in epiſtola 1 ad Theſſ. cap. 4. 7; non vocavit vos Deus, ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ, id eſt, ad impuritatem. Vel, quod fere eodem recidit, hac phraſi ſignificatur conditio vocationis noſtræ, quaſi dicat: Vos enim ea conditione vocati eſtis a Deo (nempe ad vitam ſempiternam) ut liberi ſitis, & a ſervitute legali immunes. Quæ autem ſit iſta libertas, ſuperius, præſertim ab initio hujus capitis, dictum eſt. Hoc poſteriori ſenſu vox (*c*) *vocandi* abſolute poneretur, & tacite tantum ſubaudiretur iſtius vocationis finis, quemadmodum ſupra verſ. 8 vidimus.

*Tantum ne libertatem in occaſionem carni.* (*d*) Hic jam tranſit ad eam epiſtolæ partem, quam in hortandis ad Chriſtianam pietatem Galatis tranſigit, occaſione iſtius libertatis, in quam per Chriſtum aſſerti & vindicati ſint. (*e*) Jubet ergo eos hac libertate uti, ſed non abuti. (*f*) Abutitur autem libertate, qui ex ea occaſionem ſumere patitur carnem ſuam, ut pro libitu ſuo agat. (*g*) Iam vero pro duplici iſtius libertatis parte, duplex ex ea licentia aut petulantia carnis, niſi caveamus, conſequi poteſt. (*h*) Primo, cum audimus, Deum nolle ex legis ſeveritate nobiſcum agere, quæ ob quemvis peccati actum homines maledictioni ſubjiciebat; facile hinc caro arripit occaſionem, ut nunc hos nunc illos peccati actus patret: (*i*) deinde cum audimus nos eſſe præceptis illis ceremonialibus plane ſolutos, hinc quoque caro occaſionem ſumit, ut ſibi tantum indulgeat, nec ullam habeat rationem aliorum, qui, ſi noſtra libertate utamur, offendi poſſunt. Hoc ergo ne fiat, monet apoſtolus, neve libertatem noſtram in licentiam vertamus: ſed ita liberi ſimus, ut carnem ſemper ſub ſervitute detineamus. Talis eſt noſtra libertas, quæ ſervitute quadam ſit temperata; & ſervitus viciſſim libertate. Hinc Paulus 1. Cor. 7. 22 ſervum vocatum in Chriſto, libertate donatum ſeu manumiſſum eſſe; & viciſſim liberum in Chriſto vocatum, ſervum Chriſti eſſe docet. Petrus etiam monet 1 epiſt. cap. 2. 16: Ne libertatem noſtram Chriſtianam malitiæ prætexamus, ſed nos geramus, ut ſervis Dei convenit, utut cæteroqui ſimus liberi. (*k*) Eſt autem in verbis apoſtoli, *tantum ne libertatem in occaſionem carni*, ellipſis, & ſubaudiri debet verbum aliquod, verbi cauſa *præbete* vel *convertite:* ſeu mavis, tantum *cavete*, ne libertatem *convertatis* in occaſionem carni, ita ut quod illa cupit faciatis. Quomodo autem ſit hæc libertas circumſcribenda, & quibus veluti limitibus caſtiganda, ne in licentiam & petulantiam degeneret, in ſequentibus oſtendit: & primo vult, ut libertati charitatem erga proximum adjungamus. (*l*) Charitas enim optime libertatem iſtam temperabit.

*Sed per charitatem ſervite alii aliis.* Etſi liberi eſtis, tamen ſervite alii aliis; eſtote alii aliorum ſervi. (*m*) Sed quia hujus ſervitutis cauſa eſt charitas; propterea hæc ſervitus non eſt coacta, ſed voluntaria, & mire ſuavis. Nihil quidem charitate imperioſus: ſed etiam nullum quam charitatis imperium, ſuavius. Videtur autem his verbis id vel potiſſimum inculcare, ne intempeſtivo libertatis noſtræ uſu aliis ſcandalo ſimus: ſed ita nos in ea geramus, ac ſi aliorum ſervi & mancipia eſſemus: quemadmodum de ſeipſo loquitur apoſtolus 1. Cor. 9. 19: Liber cum ſim ab omnibus, omnium me ipſum ſervum feci, ut plures lucrifaciam &c. Vide etiam Rom. 14. verſ. 15. & 1 Cor. 8. 1, & d. quanquam ſervitus iſta ad omnis generis officia ex charitate profluentia extendi debet; excluditque omnes rixas ac contentiones, quæ ei verſ. 15 opponuntur. ἀγαπᾶτε, vult ut ſervitus illa ſit mutua.

Verſ. 14. *Lex enim omnis in uno ſermone impletur.* (*n*) His verbis ratio redditur adhortationis præcedentis, qua juſſerat, ut per charitatem alii aliis ſerviamus; quia hoc pacto univerſam legem ſimus impleturi; qui fructus charitatis, eſt longe maximus. (*o*) Poteſt autem *legis* nomen hoc loco vel de ea tantum legis parte ſumi, quæ ad proximum ſpectat: (*p*) quemadmodum indicare videntur verba, quæ ſubjicit: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; quæ proprie ſunt compendium ſecundæ, ut vocant, legis tabulæ, ſeu omnium moralium præceptorum ad proximum ſpectantium, quorum major eſt numerus: (*q*) Vel de tota lege quatenus ea etiam ſub novo fœdere locum habet, hoc eſt de tota lege morali. Nam etſi aperte

(*a*) *Concluſio quædam ſuperiorum.* (*b*) *Chriſtiani ad libertatem vocati.* (*c*) *Vocare.* (*d*) *Tertia tractationis principalis pars.* (*e*) *Hortatur ad pietatem.* (*f*) *Libertatis Chriſtianæ abuſus.* (*g*) *Duplex.* (*h*) 1 *in illicitis per ſe.*

(*i*) 2 *In liberis.* (*k*) *Ellipſis.* (*l*) *Libertas charitate temperanda.* (*m*) *Chriſtiani ſibi mutuo ſervire debent.* (*n*) *Ratio adhortationis ad charitatem.* (*o*) *Legis ſignificatio.* (*p*) *Strictior.* (*q*) *laxior.*

hic tantum commemoretur charitas erga proximum; tamen in ea tacite quodammodo continetur charitas in Deum, ſine qua proximus ita, ut oportet, diligi non poteſt 1. Joh. 5. 2. In charitate autem erga Deum, reliqua moralia legis præcepta continentur. Et hæc quidem ſententia apoſtoli ſcopo admodum eſt accommodata, & magis ferit adverſariorum ſententiam, eorumque objectionem excludit. Poſſent enim illi dicere: Etiamſi charitate ducti alii aliis ſerviamus, legi tamen divinæ, niſi ceremonias addamus, non ſatisfiet. (a) Reſpondet apoſtolus, toti legi, ſi charitas exerceatur, abunde ſatisfactum iri, ita ut pro tranſgreſſore legis nemo haberi queat, quicunque charitati operam dederit, ſed potius pro legis obſervatore.

*Omnis lex*, id eſt, tota lex, nempe, ut diximus, moralis; vel nominatim ea, quæ ad proximum ſpectat, quæ longe latius patet; quaque obſervata, illa quæ Deum reſpicit, non poteſt non obſervari. Nam quod attinet ad legem cremonialem, hæc non amplius legis nomine cenſeri debet: quandoquidem veritate & gratia adveniente, omnia illa ex lege evanuerunt, quæcunquæ veritati vel gratiæ ſunt contraria Joh. 1. 17. Veritati inprimis adverſantur ceremoniæ, quæ ſunt umbrarum inſtar: Gratiæ autem, rigor ille & ſeveritas legis. *In uno ſermone impletur* Rom 13. 9. In epiſtola ad Romanos dixit, in uno ſermone ἀνακεφαλαιοῦται id eſt, in ſummam & compendium redigitur; hic plenior eſt ſenſus, ſed ſermo æque brevis: & perinde eſt, ac ſi diceret, tota lex unius ſermonis impletione impletur; ſeu, uno ſermone impleto, tota lex impletur. hoc autem ideo fit, quod in hoc uno ſermone totius legis ſumma & compendium contineatur. Quis autem eſt iſte ſermo?

*Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* (b) Proximus, ſi vim Hebrææ vocis, quæ illi reſpondet, ſpectes, amicum, ſocium, aliquo neceſſitudinis vinculo mihi junctum ſignificat, & quanto eſt conjunctior, tanto magis. (d) Hinc ſub lege Judæus Judæo ſoli proprie cenſebatur proximus, propter commune ſanguinis, adde, & religionis vinculum. Unde in eo Levit. loco, unde hæc verba deſumta ſunt, pro eodem ſumuntur, *proximus tuus, frater tuus, filius populi tui.* confer. inter ſe verſ. 16, 17, 18 cap. 19 dicti libri. (e) Verum quia inter omnes homines eſt commune aliquod naturæ & ſanguinis vinculum; & præterea diſcrimen illud Judæorum & gentium, quod olim fuit ratione fœderis & religionis, hodie Dei voluntate ac conſilio ſublatum eſt; ideo etiam Samaritanus Judæo, ut ex parabola Luc. 10. conſtat, & contra hic illi, hoc eſt quivis cuivis, proximus eſt, (f) præſertim ſi amico ſit in eum animo, vel ſaltem non inimico, (diximus enim id nomen proprie amicum ſignificare, unde inimico opponitur Matth. 5. 43, 44:) (g) ſed maxime Chriſtianus Chriſtiano *proximus* eſt; cum ſit eiuſdem corporis membrum eodemque cæleſti Patre genitus. Unde κατ' ἐξοχὴν Chriſtiani nobis dicuntur proximi Eph. 4. 25. (h) Jam quod ad præſentem locum attinet; facile ex dictis intelligitur, Moſen olim proprie intellexiſſe *proximi* nomine ejuſdem gentis hominem: ſed ſi, ut hic fieri oportet, dictum hoc ſecundum euangelicum ſenſum interpretemur, de quovis homine ſumi debet: ita ut omnem hominem, quemcunque poſſumus, omni genere officiorum, oblata occaſione juvare debeamus, etiamſi ſit inimicus: multo autem magis, ſi inimicus non fuerit: adhuc magis ſi amicus: omnium maxime, ſi Chriſtianus.

*Sicut teipſum.* (i) Hæc eſt amoris in proximum menſura, amor quo nos ipſos, & noſtra commoda complectimur. Itaque hoc a nobis poſtulatur, ut inter amorem, quo nos ipſos proſequimur, & quo proximum complecti debemus, ſit juſta quædam proportio ac convenientia etiamſi omnimoda æqualitas abſit: particula enim *ſicut* (k) non ſemel hoc modo accipitur, ut ſup. cap. 4. verſ. 14. Convenientia autem ac proportio iſta in eo conſiſtit, ut ea præſtemus aliis, quæ nos ipſi, ſi eodem eſſemus loco ac conditione, nobis ab aliis præſtari non immerito cuperemus. Ita enim nobis ipſe Chriſtus hoc præceptum explicuit, Matth. 7. 12, cum inquit: *omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis. Hæc enim eſt lex & prophetæ.* (l) Porro charitatis hujus ratio latiſſime ſub euangelio extenditur: ſub lege vero anguſtius patebat. Intelligendum enim eſt hoc præceptum accommodate ad præcepta ſpecialia, quibus officia charitatis erga proximum exercendæ præſcribuntur; quæ multo anguſtius patent ſub lege, quam ſub euangelio. quod vel ex ipſa charitatis deſcriptione quæ 1. Cor. 13 extat, ſi conferatur cum præceptis Moſaicis, facile cuivis apparere poteſt. Hujus autem amoris faſtigium eſt pro fratribus animam ponere Joh. 3. 16, quod Chriſtus præceptum novum, præceptum ſuum vocat Joh. 13. 34. & 15. verſ. 12, 13.

Verſ. 15. *Si vero alii alios mordetis & comeditis.* (m) A contrario illuſtrat illud præceptum, ut per charitatem alii aliis ſerviant; quaſi dicat, ſervite alii aliis per charitatem: non vero vos invicem mordete & comedite. Nam ſi loco charitatis, (n) mutuis odiis flagrabitis, & vos invicem mordebitis, ac comedetis; videte ne ab invicem conſumamini. Apparet tum ex his, tum ex ultimis hujus cap. verbis, laboraſſe, (o) iſtis vitiis eccleſias Galaticas, & hinc factum eſſe, ut apoſtolus in moderatione libertatis, primo omnium illis charitatem inculcaret, ejuſque finibus ac terminis libertatem includeret.

(p) Mordere, ſimilitudine ſumta a canibus, eſt alicui dolorem aliquem & injuriam inferre, eum lædere, quod ſolet fieri in rixis & contentionibus: alii enim alios conviciis & contumeliis impetunt ac proſcindunt.

*Comeditis*, κατεσθίετε. (q) arroditis, carpitis; amplius quippiam eſt, quam mordere. Mordet, qui dentem imprimit, etiamſi nihil a corpore avellat, κατεσθίει, qui partem decerpit & avellit a corpore. hoc fit cum alter alterius famam & exiſtimationem imminuit. Similirudo enim tranſſerenda eſt a corpore ad animum.

*Vide te ne ab invicem conſumamini.* Horum verborum non is eſt ſenſus, ut ſignificet apoſtolus, eos, licet ſe invicem mordere & comedere pergant, nihilominus diſpicere debere, ne ab invicem conſumantur: ſed potius, quia alii alios hoc pacto conſumturi ſint, ideo a

(a) *Lex tota charitate impletur.* (b) Omnis *pro totus.* (c) *Proximus proprie amicus.* (d) *Sub lege idem cum populari.* (e) *Sub euang. quivis homo.* (f) *præſertim amicus.* (g) *maxime Chriſtianus.* (h) *Accommodatio dictorum ad locum præſentem.*

(i) *Amor erga ſeipſum menſura amoris in proximum.* (k) *Sicut non ſemper æqualitatem denotat* (l) *Charitas euangelica perfectior legali.* (m) *Illuſtratio rei a contrario.* (n) *Contentiones pernicioſæ.* (o) *iis laborarunt Galatæ.* (p) Mordere. (q) *Arrodere.*

rixis

rixis & contentionibus prorſus abſiſtant. Ita enim loqui ſolemus, cum quempiam a re pernicioſa dehortamur; non ut ſignificemus, fieri poſſe ut damnum illud ex re iſta non conſequatur; & ſic tacite concedamus, ut is rem illam aggrediatur, aut in ea pergat, dummodo caveat, ne damnum illud ex ea conſequatur: ſed contra potius, ut indicemus, damnum illud omnino ex ea conſequuturum, & fruſtra eum, ſi rem illam aggrediatur, aut in ea pergat, incommodo illi obviam iturum. quare ſi id evitare cupiat, rem quoque iſtam eſſe vitandam.

Ἀναλωθῆτε, *conſumamini.* (a) Hoc & de ſingulis ſeorſim intelligi poteſt, & de omnibus ſimul junctis, ſeu habita ratione totarum eccleſiarum. (b) De ſingulis quidem ita, quaſi dicat apoſtolus: videte, ne iſtiuſmodi rixis & inſectationibus alii alios, quod ad ſalutem attinet, (de hac enim magis videtur loqui apoſtolus, quam de rebus ad carnem pertinentibus,) conficiatis, ſeu ſalutem alii aliis eripiatis. Etſi enim, dum ego cum altero contentiones exerceo, mihi ipſi ſalutem primo eripiam: eripio tamen & alteri eatenus, quatenus illum quoque ad rixas provoco, & animum ipſius exacerbo; quo pacto is, qui ſcandalum alteri præbet, eum etiam perdere dicitur Rom. 14. verſ. 15. 1 Cor. 8. 11. (c) De totis autem eccleſiis ita poteſt accipi, ac ſi diceret apoſtolus: Cavete ne eccleſiæ veſtræ diſſipentur: nam ut ipſe Chriſtus ait, cum regnum, aut etiam domus ſecum ipſa diſſidet, eam cadere neceſſe eſt. Jam vero diſſipatis eccleſiis, ſingulorum etiam ſalutem periclitari neceſſe eſt. Cum enim homines non conveniunt, verbum Dei non audiunt, a paſtoribus non gubernantur, ſuæ ſaluti mutuo non conſulunt, quid aliud ex his conſequitur, quam ut homines deſerta veritate aut vitæ pietate, ad priſtinos errores ac mores revertantur?

Verſ. 16. *Dico autem ſpiritu ambulate.* (d) Aliam rationem paulo generaliorem, & quæ priorem iſtam complectatur, proponit, quia libertas reſtringi debeat, ne in licentiam & petulantiam abeat.

*Dico autem.* quaſi dicat: dum charitatem vobis tantopere inculco, huc tendo, huc ſpecto, id volo dicere, ut *ſpiritu ambuletis*: (e) qua in re conſiſtit univerſæ pietatis Chriſtianæ ſumma, & quod qui facit, nunquam libertate Chriſtiana abutetur. (f) Ambulare, eſt vitæ actiones obire. Spiritu autem ambulare, eſt ſpiritus ductum & impulſum in omnibus vitæ actionibus ſequi, eique ſe plane gubernandum tradere. (g) Per ſpiritum autem intelligitur vis & efficacia divina, quæ omnibus Chriſtianis ineſt, iiſque & animum & robur indit ad vitæ pietatem colendam. Ea vero partim in divino illo ſpiritus ſancti dono conſiſtit; partim ex Chriſti doctrina ab hominibus perceptа & recepta manat: qua de re in epiſt. ad Rom. cap. 8. Ita apoſtolus Chriſtianorum hominum officium deſcripſit, ut ſimul indicaret cauſam, quæ efficiat, ut & velint, & poſſint officium facere, atque ita omni excuſationi locum præcluderet. (h) Hæc autem cauſa, eſt ſpiritus.

*Et cupiditatem carnis non perficietis.* καὶ μὴ τελέσητε. (i) Hæc verba per futurum indicativi, non per imperativum reddi debent: quemadmodum etiam poſt veterem interpretem plerique recentiorum reddiderunt, & verbis, & ſententia id requirente. Verbis quidem: quia & apud prophanos auctores particulæ * καὶ μὴ conjunctæ, non prohibendi, ſed ſimpliciter negandi vim habere ſolent; & in novo Teſtamento nullus hactenus nobis occurrit locus, ubi aliam, quam negandi vim habeant, etiamſi cum ſubjunctivo, ut quidem plerumque fit, conſtruantur. Exempla apud Matth. extant plurima. Inter cætera vide cap. 5. verſ. 18, 20, 26. & 10. verſ. 23, 42. & 16. verſ. 28. Luc. 21. verſ. 32. Heb. 8. verſ. 11. 12. Apoc. 18. verſ. 7. 14, 21, & ſeqq. Sententia vero; (l) tum propter apoſtoli ſcopum, qui eſt, oſtendere modum & rationem coercendæ libertatis, ne in licentiam degeneret, & variis peccatis feneſtram aperiat: tum propter ſequentia verba, quibus cauſam affert, propter quam fiat, ut is, qui ſpiritui obtemperat, (m) carnis concupiſcentiam non faciat. Quocirca iſtis verbis hoc dicitur, eum, qui ſpiritu ambulat, (n) carnis concupiſcentiam non perfecturum.

*Concupiſcentiam carnis*, id eſt, id quod cupit caro. Per (o) carnem autem intelligitur, appetitus, ſeu vis illa animæ noſtræ, quæ movet affectus, ſeu cujus motus ſunt affectus, ferturque in res ſenſibus corporis gratas, atque adeo ad bona terrena, ſine ullo reſpectu vel turpitudinis vel honeſtatis.

Verſ. 17. *Caro enim concupiſcit.* (p) Hæc eſt cauſa, cur is, qui ſpiritui obtemperat, carni non ſit obtemperaturus; quia in contraria feruntur, contraria concupiſcunt. (q) Spiritus fertur in res honeſtas & rationi convenientes, in varias virtutum actiones: Caro autem fertur, & hominem rapit, in varia peccata & actiones turpes, ut pote quibus ſuavitas & voluptas carnalis inſit. Quocirca ſi quis ſpiritui obediat, carni obedire nullo modo poteſt. Non ſignificat autem apoſtolus, carnem ſemper concupiſcere; ac porro fieri non poſſe, quin ubi aliquid jubeat ſpiritus, ei protinus caro reluctetur. poteſt enim ita caro domari, ut in certis ſaltem virtutum actionibus, non modo ſpiritui non repugnet, ſed etiam cum eo prorſus conſentiat: ſic nonnulli vehementer ab ingluvie, ab ebrietate, a crudelitate, a luxu, aliiſque vitiis abhorrent, nec in ea re luctam carnis & ſpiritus experiuntur: ſed hoc dicere vult apoſtolus: cum caro concupiſcit, eam concupiſcere ſolere adverſus ſpiritum: ita ut, generatim loquendo, carnis & ſpiritus concupiſcentia ſibi invicem adverſetur.

Hoc adhuc magis exprimere volens, addit: *Hæc autem oppoſita ſunt invicem, ut non, quæ velitis, ea faciatis.* Si enim vultis aliquod bonum & honeſtum, caro repugnare ſolet: ſi vultis aliquod malum & turpe, repugnat ſpiritus; (r) & ſic caro & ſpiritus de poſſeſſione voluntatis inter ſe certant. Spiritus eam ad ſe trahit & vocat; caro retrahit & revocat. quod ſi ſpiritus eam ſibi vindicaverit, vicit; ſi caro eam in ſuas pertraxerit partes, caro vicit.

Notandum autem eſt, quod apoſtolus de mutua pugna & lucta ſpiritus & carnis loquatur; ac proinde iſta verba, *ut non ea, quæ velitis, faciatis*, quemadmodum obſervatum eſt ab (ſ) aliis, non minus de iis, quæ ſecundum carnem volumus, quam de iis, quæ volumus ſecundum ſpiritum, ſint aceipienda. Nam non

(a) *Contentiones, fidelium pernicies:* (b) *tum ſingulorum;* (c) *tum omnium ſimul.* (d) *Generalior libertatem moderandi ratio.* (e) *Spiritu ambulandum.* (f) *Ambulare quid.* (g) *Spiritus quid hoc loco.* (h) *Is cauſſa pietatis.* (i) *Verſio.* (k) *Vide Budæum, Eraſm.*

* καὶ μὴ. (l) *Scopus verborum.* (m) *vide Ieh. Piſcat.* (n) *Carni non paret, qui ſpiritui.* (o) Caro *pro appetitu.* (p) *Ratio dicti.* (q) *Caro & ſpiritus contraria* (r) *Voluntas inter carnem & ſpiritum media.* (ſ) *Vide Muſculum.*

minus ſpiritus carni & ejus cupiditati repugnat, quam caro ſpiritui. quamquam non deſunt (*a*) interpretes, tum veteres, tum recentiores, qui hæc verba *quæ velitis*, tantum de iis, quæ carni noſtræ allubeſcant, accipiant. Sed ſatius eſt, id de voluntate, ſive a carne, ſive a ſpiritu profecta, accipere. Quare nequaquam adeo inſanire debemus, ut putemus, apoſtolum his verbis dicere, tantam eſſe carnis adverſus ſpiritum luctam, ut Chriſtiani non poſſint ea, quæ volunt ſecundum ſpiritum honeſta, ad exitum perducere. Quam enim apoſtolus ridiculus eſſet, qui ideo velit nos ſpiritus ductum ſequi, ne carnis concupiſcentiam perficiamus, vel, ut aliis placet, prohibeat ne carnis concupiſcentiam perficiamus, quia non poſſimus, & ſpiritum ſequi, & carnem non ſequi. A page iſtas ineptias, aut potius errores graviſſimos & pernicioſiſſimos.

Itaque particula ἵνα *ut*, propriam ſuam vim retinet, & finem atque intentionem agentis denotat, & ſic, quid hinc quidem caro, illinc vero ſpiritus ſpectet ac quærat, ſignificat: non vero ſumitur pro ὥστε *ita ut*: quo pacto eventum denotaret. alioqui ſequeretur, Chriſtianos nec id quod caro vult, nec id quod ſpiritus, facere; tum contra rei naturam, tum contra apoſtoli mentem.

Verſ. 18. *Si vero ſpiritu agimini.* (*b*) Hic jam fructum inſignem ejus rei exprimit, ſi quis ſpiritu ſe agi ac regi patiatur, ut eos tanto magis incitet ad id, ut ſpiritum potius, quam carnem, ſequantur ducem. Jam vero ſi impoſſibile eſſet ſpiritus ductum ſequi, quorſum apoſtolus hujus rei fructum commemoraret? Perinde eſt ergo ac ſi dicat: Porro ſi ſpiritui, non carni, morigeri fueritis, hoc inde commodum conſequemini, ut *non ſitis ſub lege*, id eſt (*c*) ſub legis imperio, ita ut ullam vim ad vos damnandos, habeat, quod vel aliquando peccaveritis, vel nunc etiam labamini, vel ceremonias illas legales & circumciſionem penitus negligatis: ſecuri eſſe poteritis ab omnibus legis minis. Quocirca ſi hoc facitis, non eſt cur legem vereamini, ut propterea eam obſervare, & illivos mancipare velitis. E contrario apparet, eos omnes, qui carnis mancipia ſunt, quidquid tandem ceremonias obſervent, imperio, ac proinde damnationi & rigori legis ſubeſſe.

Verſ. 19. *Manifeſta autem ſunt opera carnis.* (*d*) In his & ſequentibus apoſtolus exemplis declarat, primum quid ſit *carnis cupiditatem perficere:* deinde verſ. 22 quid ſit *ſpiritu ambulare*, ſeu *ſpiritu agi* ac *duci*. ſimul etiam, quæ utriuſque rei effecta, hoc eſt quod ex illo damnum, quod contra hinc commodum fluat, oſtendit: quaſi dicat, Ut autem utrumque iſtorum, quæ dixi, aliqua ratione declarem; primum quidem non eſt neceſſe multum dicere de eo, quid ſit carnis cupiditatem perficere, ſeu id quod illa cupit patrare: (*e*) cum opera illa, ad quæ caro incitat, unicuique ſint manifeſta, præſertim Chriſtianæ religioni initiato. Vel ſimpliciter: Non eſt autem, quod vel vos quæratis, quid ſit carnis cupiditatem perficere, vel ego in eo explicando multum laborem; cum carnis opera ſatis ſint cuivis manifeſta. Talia enim ſunt v. g. adulterium, ſcortatio &c. Facile eſt ſcire, quænam ſint actiones, ad quas caro ſeu appetitus incitet: præſertim ſi eas excipias, quas ipſa natura poſtulat, hoc eſt, eas quæ ad hominum conſervationem pertinent, & quas ratio ipſa inhoneſtas non eſſe docet. Exempli autem cauſa, non exiguum earum actionum, ad quas caro impellit, catalogum recenſet.

*Quæ ſunt.* (*f*) Quatuor peccatorum genera enumerat: quorum unum pugnat cum caſtitate; alterum cum Dei honore; tertium cum charitate erga proximum; quartum cum ſobrietate. Vel, (*g*) ſi quis malit tria peccatorum genera ſeu claſſes hic recenſeri: Unum, quod nos ipſos reſpicit: alterum, quod Deum: tertium, quod proximum: quorum primum, iterum in duo dividitur. vel enim refertur ad voluptates venereas, vel ad voluptatem cibi & potus. (*h*) Illud peccatorum genus in fronte collocavit, utpote maxime carnale, & in quod potiſſimum caro rapitur, quodque gentilibus illis hominibus perpetuo uſu ac conſuetudine jam veluti in naturam abierat, & turpitudinem quodammodo apud eos depoſuerat: hoc vero poſuit in fine. In medio autem ea peccata collocavit, quæ Deum & proximum reſpiciunt.

(*i*) *Adulterium.* Locum habet hoc peccatum in iis, qui in matrimonio vivunt: ſi vel uxor alteri cuipiam viro, ſive is matrimonii legibus adſtrictus ſit, ſive ſolutus; vel maritus alteri cuipiam fœminæ corpus jungat. (*k*) Olim ſub lege non erat adulterium, ſi maritus rem haberet cum alia muliere, modo non cum aliena uxore: ſed tantum ſi uxor alicujus congrederetur cum alio viro, ſive legibus matrimonii adſtricto, ſive ſoluto. Confer inter ſeſe Levit. cap. 19. verſ. 20 cum cap. 20. verſ. 10. & Deut. cap. 22. verſ. 28, 29. Neque id mirum, ubi licuit tot habere uxores, eaſque, ſi diſplicerent, repudiare, & alias ducere. At vero ſub novo fœdere, ubi tanta libertas maritorum eſt imminuta, & ad naturalem æqualitatem redacta; ubi non licet niſi unius uxoris eſſe maritum, eamque repudiare, niſi ipſa adulterio vinculum matrimonii fregerit, eſt nefas Matth. 19. 5, 6. 1 Cor. 7. 2. Matth. 5. 32; ubi tantum eſt jus uxori in mariti corpus nempe ut ſit in poteſtate uxoris, non minus, quam uxoris corpus eſt in poteſtare viri d. l. 1 Cor: 7. 4; ſub hoc, inquam, fœdere, non tantum uxor cum quovis alio viro, ſeu vir cum uxore aliena rem habens, ſed etiam maritus cum quavis alia fœmina congrediens, adulterium committit. Hinc Chriſtus eum Matth. 19. 9. Luc. 16. 18, qui uxore dimiſſa alteram duxerit, mœchari dixit; quod dicere non potuiſſet, ſi abſque adulterii crimine poſſet maritus cum ea, quæ non ſit alterius conjunx, rem habere. (l) Hæc tantum inæqualitas eſt inter virum & uxorem, quæ etiam naturalis plane eſt, & ex imperio ac dominio mariti in uxorem derivatur, quod marito uxorem adulterii cauſa repudiare liceat, uxori autem maritum non liceat.

(*m*) *Scortatio.* Peccatum eſt, quod committitur ab iis, qui ſunt a vinculo matrimoniali liberi. (*n*) *Impuritas* locum habere poteſt tum in iis, qui in matrimonio vivunt, tum in iis, qui extra matrimonium. Videtur autem hoc nomine potiſſimum intelligere iſtas libidines, quæ naturæ limites excedunt, quæ κατ' ἐξοχὴν impuritates dici merentur. de quibus agitur Rom. cap. 1. 26, & d. Levit. 18 ubi, præter inceſtus, & alia recenſentur huc pertinentia.

(*a*) *Chryſoſt. Piſcator.* (*b*) *Fructus vitæ ſecundum ſpiritum actæ.* (*c*) *Non eſſe ſub lege.* (*d*) *Declaratio præcedentium.* (*e*) *Carnis opera manifeſta.*

(*f*) *Quatuor peccatorum genera* (*g*) *Ad tria reducuntur.* (*h*) *Primi generis peccata, in voluptatibus impuris.* (*i*) 1. *Adulterium.* (*k*) *Latius patet ſub N. fœdere quam ſub Vet.* (*l*) *Maritus uxorem ob adulterium repudiare licet, non contra.* (*m*) 2. *Scortatio* (*n*) 3. *Impuritas.*

Ἀσέλγεια, (a) *Lascivia.* Hæc non tam in ipsis impuris libidinibus seu voluptatibus consistere videtur, quam illis veluti præludere, & esse iter quoddam ad ipsas. Consistit autem in aspectu, in contactu, in osculis, in sermonibus obscœnis & ad libidinem compositis. Salacitas etiam hoc nomine significari potest.

Vers. 20. *Idololatria.* (b) Alterum peccati genus sequitur: cujus duæ hic ponuntur species: quarum (c) prior est idololatria; (d) cujus iterum duæ sunt species: quarum una est, cum peccatur adversus primum Decalogi præceptum; altera cum peccatur adversus secundum.

(e) Non enim illi solum idololatræ dicuntur, qui imagines colunt; sed etiam qui falsos colunt Deos. nominis tamen proprietas imaginum cultoribus competit. (f) Ille autem falsum colit Deum, qui vel aliquem alium præter illum unum Deum pro Deo summo habet, vel eum divino cultu afficit, qui eum non meretur. (g) Divinus autem cultus non tantum in eo consistit, ut aliquem eo respectu colamus, quod summus ille Deus sit. Nam ne ethnici quidem suos Deos omnes eo respectu coluerunt, quod eos summos Deos esse crederent. Habebant enim multos Deos minorum gentium: & cælestibus omnibus præficiebant Jovem, inferis Plutonem, marinis Neptunum; nihilominus tamen divinum cultum iis exhibebant. Sed ille est divinus cultus, qui alicui eo nomine defertur, quod eum putes habere potestatem, aut virtutem ac sapientiam divinam, ita ut tuas cogitationes nosse, preces tuas, licet longissime dissitus, audire, tui curam habere, tibique opem sublimiori aliqua ratione, quam natura cæteroquin patiatur, ferre, & ut id quod ab eo petis obtineas, efficere possit; cujusmodi cultum religiosum apellare solent, & civili opponere. Talem cultum qui alteri alicui defert, quam Deo & Christo, domino ac regi nostro cælesti, sive eum angelis exhibeat, qui talem cultum nunc omnino repudiant Apoc. 19. 10. xxii. 8, 9; sive sanctis hominibus, vel vivis, vel mortuis; sive ullis aliis rebus; idololatriæ crimine tenetur. (h) Vana autem est illa distinctio inter cultum *duliæ* & *latriæ*, quæ utraque vox proprie servitutem significat, & eodem verbo apud Hebræos exprimitur, eo nimirum quod servire significat, & verbo δουλέυειν, unde *dulia*, exacte respondet: ita ut ubi latria alicujus, sive personæ, sive rei, prohibetur, simul etiam ejusdem dulia prohibeatur. Unde apostolus supra cap. 4. 8 idololatriam Galatarum pristinam illis in memoriam revocans ait, eos *serviisse iis qui non natura erant Dii*, utens voce δουλέυειν. Solet quidem nomen *dulia* crebro de servitute vulgari, seu civili usurpari, de qua vox *latriæ* non ita frequenter sumiter: sed cum dulia ad cultum vel servitutem religiosam significandam adhibetur, nulla prorsus est inter eam & latriam differentia; nec ullum ejus discriminis exemplum proferre ejus patroni possunt. Quocirca ipsimet se conficiunt, & idololatriæ convincunt, qui iis personis aut rebus, quibus latriæ cultus non conveniat, duliæ tamen cultum se exhibere fatentur. Nam dum hunc deferunt, illum simul deferunt iis quibus nequaquam convenit; quam idololatriam esse, ipsi diffiteri non possunt.

(i) Imaginum autem cultus omnino prohibitus est, sive imago ad ipsum Deum repræsentandum, & in honorem illius posita sit; sive falsum aliquem Deum repræsentet. Nec est quod effugium in eo quærant, quod dicunt, se imagines habere pro imaginibus, non pro ipso Deo; ac proinde se non imagines, sed ipsum colere Deum, vel eum, cujus sit imago. (k) Sufficit enim, ut pro imaginum cultoribus habeantur, quod deum, aut quemcunque alium colant in imaginibus, aut per imagines. Nam nec ethnici, qui tot imagines unius alicujus Dei habebant, & una vetustate aut alia ratione sublata, novam ponebant, imagines illas ipsum illum putabant Deum; sed tantum numen imagine illa sibi repræsentabant, ac propterea ad imaginem preces & vota sua, & reliquum cultum dirigebant, ut per imaginem ad eum, cujus hæc imago erat, referretur. Ne imagines pro diis colantur, primo præcepto revera est interdictum: ne Deus, aut quisquam alius per imagines, in secundo. (l) Idololatria autem carnis opus dicitur, tum quod imagines oculis sint valde gratæ, & sic sensus corporis atque appetitus ad eas homines invitet: tum quod caro semper præsentem & oculis expositum cupiat Deum, nec ita velit attolli, ut invisibili Deo non aliter confidat, ac si eum oculis coram cerneret. (m) Quæ causæ etiam faciunt, ut avari homines idololatræ vocentur Ephes. 5. 5. Col. 3. 5. Nam & auro mirifice delectantur, oculosque suos pascunt, & cum Deum non videant, eique non confidant, in auro, quod vident, spem suam ponunt, idque Dei veluti loco collocant.

(n) *Veneficium.* Altera species peccati, quod Dei honorem & majestatem lædit: estque id omne, quod ope dæmonis peragitur, sive quis aperte dæmonem advocet, sive non advocato dæmone, id tamen efficiat, quod nec divina; nec naturali virtute efficiatur. Quocirca huc etiam pertinent omnes (o) arioli, qui res futuras, vel etiam occultas, non naturæ viribus, aut cum etiam spiritu divino revelante in apertum producunt, aut producturos se profitentur Levit. 19. 31: 20. 6, 27. Deut. 18. 10, 11, 14, quibus gravissima fuit in lege pœna constituta.

*Inimicitiæ.* (p) Tertium peccati genus, in multas species divisum, jam sequitur, quod ad proximum refertur. Ideo autem istius peccati tot recensét formas, quia ut jam antea vers. 15 indicavimus, Galatas hujusmodi morbis inprimis laborasse apparet. Prima species sunt (q) *inimicitiæ*, id est, animus ab aliquo aversus & alienus, ita ut vel occasionem lædendi exspectes; vel etiam, ut quacunque ratione illi male sit, cupias, ejusve infortunio gaudeas; vel saltem commodis illius minus faveas, eumque cum possis, juvare nolis, id alioquin, nisi inimicitiæ istæ obstarent, facturus.

(r) *Rixæ* seu *contentiones* sunt verborum pugnæ, ex animo irato, aut alio aliquo affectu immoderato profectæ. (s) Nam alioquin disputationes quoque verborum sunt pugnæ; quæ tamen contentiones per se non sunt: licet ex iis contentiones oriri possint, & facile oriantur. Disputationes tamdiu sunt, quamdiu rationibus & argumentis, sine animi ac verborum acerbitate, pugnatur. Contentiones esse incipiunt, cum non tam argumentis, quam verbis pugnatur & affecti-

(a) 4. *Lascivia.* (b) *Secundi generis peccata adversus Deum.* (c) 1. *Idololatria.* (d) *Duplex.* (e) 1. *Idololatriæ species.* (f) *Falsi Deum colere.* (g) *Divinus cultus, quinam.* (h) *Latria, & Dulia religiosa idem.*

(i) 2 *Idololatriæ species imaginum cultus.* (k) *Nec Deus per imagines colendus.* (l) *Idololatria cur carnis opus dicatur.* (m) *Avari cur idololatræ dicti.* (n) 2. *Veneficium.* (o) *Arioli.* (p) *Tertii generis peccata adversus proximum.* (q) 1 *Inimicitiæ.* (r) 2 *Rixæ.* (s) *Disputationum a rixis diversitas.*

bus, nemine cedere ob ambitionem & gloriæ cupiditatem volente. Unde tandem consequuntur convicia & contumeliæ, vel saltem dicta aculeata & pungentia, quibus animus irritatus, magis ac magis efferatur.

Ζῆλοι, [a] *æmulationes.* Recte eas contentionibus adjunxit. Ex æmulatione enim creberrime lites proficiscuntur. Est autem æmulatio de honore quædam contentio, ex nimia ejus cupiditate, cui se invidia facile admiscet, profecta; cum nimirum quisque sibi honorem integrum & illibatum vindicat, neminemque in eo sibi esse vult socium & rivalem, & quicquid alteri accedit existimationis, sibi detrahi putat.

Θυμοὶ, [b] *excandescentiæ.* Hoc loco latius sumenda est hæc vox, ut complectatur omnem iram immoderatam, cujus non unus est gradus. [c] Est enim ira aliqua immoderata quidem, quatenus voluntatem trahit in consensum, & ad vindictam sumendam inducit, [d] sed quæ non excussit omne consilium & rationem; imo ratione armata, nocentius surgit in vindictam, quæ peculiariter ab apostolo *ira* nominatur alibi, & [e] *a θυμῷ* distinguitur Ephes. 4. 31. Col. 3. 8, qui vehementem iram, & tanto impetu concitam proprie significat, quæ omnis rationis regimen excussit, in qua locum habet illud: *Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

[f] Ἐριθεῖαι. Ἐριθία idem est quod φιλονεικία, id est, contendendi ac litigandi studium; quod eorum est, qui aliis libenter contradicunt, ad aliena dicta ac facta carpenda sunt proni, atque adeo alios intempestivis reprehensionibus irritant, & ad contentiones provocant. Hoc studium in animo revera residet; unde & Jacobus Jac. 3. 14 id in corde habitare dixit. Hoc loco plurali numero positæ ἐριθεῖαι, ejus vitii actus seu effecta externa denotant, hoc est provocationes ad verborum pugnam, irritationes, quibus si alter commoveatur, ad rixam ac contentionem fiat progressus. Itaque ἔριδες, hoc est, lites seu contentiones, quarum antea facta est mentio, τῶν ἐριθιῶν sunt effecta; quamquam non perpetua. Nam interdum ἐριθεία est, licet non sequatur ἔρις; & hæc interdum sine illa existit. Eodem modo distinguuntur hæc duo vitia 2 Cor. 12. 20. Ab hoc autem ἐριθίας vitio nominatim infra dehortatur Galatas apostolus, sub finem hujus cap. cum monet, *ne alii alios provocent.*

[g] Διχοστασίαι, idem sunt quod schismata seu sectæ, cum homines quibus commune inter se vinculum esse deberet, ab invicem discedunt, & communem amicitiam ac societatem non colunt. Quod vitium licet in omni societate locum habeat, potissimum tamen de Christianorum hominum societate hoc loco intelligi debet, quæ cum omnium sanctissima sit, & in finem omnium præstantissimum instituta, eam sine justa causa rumpere, scelestum prorsus est. [h] Duo autem tantum sunt, quæ hoc Christianæ communionis vinculum rumpere possunt: vel pestilens aliquod dogma, quod salutem prorsus adimat; vel mores minime Christiani. Licet autem unusquisque fidelium ab ea ecclesia sejungere se debeat, quæ in hujusmodi, qualem descripsimus, errore pertinaciter hæreat, aut etiam ob flagitia pro synagoga satanæ haberi debeat; [i] nihilominus tamen, ob mores præsertim vitiosos, nisi prorsus sint flagitiosi, non tam licet uni alicui, aut multo minori parti, ab aliis recedere, quam omnibus ab uno, vel longe pluribus a paucioribus; si ipsis interea paucioribus liceat secundum Dei præcepta vivere, ac conscientiæ suæ consulere; & nullus extet cœtus Christianus purior, cui potius sit adhærendum, vel etiam sperari possit, plures ex ecclesia illa ad frugem a paucioribus illis revocatum iri, si hi discessionem ab illis minime faciant. Tamdiu enim unus omnibus, & pauciores pluribus adhærere debent, [k] quamdiu illi ab his tolerantur, hi vero moneri se patiuntur. quemadmodum nec ecclesia Christiana statim a Judæorum synagoga se sejunxit. [l] Quanto ergo scelere se obstringunt illi, qui ab ecclesiæ societate & communione, non quod ecclesiam aut erroribus aut moribus corruptam videant, [m] sed quod ipsi corrupti sint, & sua delicta reprehendi ægre ferant, ultro discedunt; ; & hi quidem alpha schismaticorum sunt. [n] His proximi sunt illi, qui ideo ab aliis secedunt, aut eos a se pellunt, quia suos errores ab iis non approbari, sed refelli ac reprehendi indigne ferunt. [o] Schismatis etiam rei sunt illi omnes qui vel se ab aliis segregant; vel alios a se arcent ac ferre nolunt, propter errores, qui cum fide in Christum, veraque pietate consistere possunt, nec eam directe evertunt; etiamsi tandem per consequentiam, quam tamen illi non agnoscant, cum fide & pietate pugnent; quam consequentiam si agnoscerent, mallent potius ista dogmata, quam fidem in Christum, ac pietatem abjicere. [p] Similiter & illi hujus peccati merito accusari possunt, qui ob lapsus atque infirmitates aliorum, quos tolerare ac emendare deberent, vel illos a se, vel se ab illis separant; [q] ac multo magis, si id faciant ob dissensionem in consiliis, & rebus ad ordinem ecclesiasticum constituendum pertinentibus. [r] Quod si autem ii hoc crimine tenentur, qui, aut sententiis, aut moribus deteriores a se segregant, vel se ab illis; quanto magis illi, qui rectius sentientes, aut etiam meliores a se pellunt, vel ab iis secedunt?

[s] *Hæreses* aliquid amplius significant, quam sectæ. [t] Sunt quidem & hæreses divortia quædam, sed inter eos, qui ratione habita sententiarum de rebus ad religionem pertinentibus, unionem inter se sacram colerenon possunt: sectæ inter eos, qui & possent, & deberent. [u] Hæresis enim est ejusmodi a vera Christi ecclesia discessio aut dissensio, ut quispiam sententiam ejusmodi foveat, quæ cum fide in Christum & vera pietate consistere nequeat, sed eam omnino evertat; [x] unde si eam, semel atque iterum monitus, defendere pergat Tit. 3. 10, nisi forte sponte sua ab ecclesiæ communione jam discesserit, ab ea segregandus est; præsertim si ipse eam sententiam excogitarit, non vero in errorem ab aliis inductus sophismatis aliquibus fuerit; & ambitione aut alio animi vitio, non vero imbecillitate judicii, eum in hanc sententiam prolapsum

[a] 3. *Æmulatio.* [b] 4. *Excandescentia.* [c] *Iræ duo genera.* [d] Ira *stricte sumta.* [e] 4 *Excandescentia stricte sumta.* [f] 5 Ἐριθεῖαι *provocationes ad rixam.* [g] 6 *Discidium, seu secta.* [h] 2 *Causæ secessionis ab ecclesia aliqua justæ.*

[i] *Non æque licet uni ab ecclesia secedere, ut huic unum excludere.* [k] *Quamdiu in corrupta ecclesia perstiendum.* [l] *Schismaticorum genus* 1. [m] *qui ob peccata sua reprehensi secedunt.* [n] 2. *qui ob errores suos.* [o] 3. *qui ob errores aliorum tolerabiles.* [p] 4. *qui ob lapsus alienos.* [q] 5. *Aut dissensionem in consiliis.* [r] *Schismaticorum pessimi.* [s] 7. *Hæresis.* [t] *Differt a secta.* [u] *Quid sit.* [x] *Hæretici quomodo tractandi.*

fuisse

fuiſſe appareat. Diutius enim ferendi ſunt ii, qui imbecillitate judicii errant, quam qui alia aliqua cauſſa impulſi errorem defendunt. [a] Sunt nempe hęreticorum quidam gradus.

In aliis hęreſis vitium eſt potiſſimum intellectus: quales ſunt iſti, qui in ea nati & educati fuerunt, nec unquam veritatem habuerunt cognitam, nec illius agnoſcendæ ejuſmodi occaſionem, ut perverſitate quadam animi aut pertinacia eorum fit factum, quod eam non agnoverint; quales verbi cauſa ſunt illi, qui inter Pontificios naſcuntur, nec ſincerioris doctrinæ vocem unquam audivere; quibus vicini ſunt illi, qui veritatem quidem ſalutarem cognitam habuere, ſed non probe; nec objectionibus adverſariorum ſatisfacere poſſunt ipſi, aut qui ſatisfaciant, ad manum habent, alias veritati conſtanter adhęſuri.

In aliis vero hęreſis vitium eſt etiam voluntatis; quod in pleriſque locum habet, qui cum divinam veritatem habuiſſent cognitam, ab ea defecerunt, & in ejuſmodi errores, quales diximus, prolapſi ſunt: præſertim quibus adſunt ii, qui ſcrupulos, quibus veritas a falſis doctoribus labefactatur, iis commode eximere queant. quibus accenſendi ſunt ii, qui eximiam veritatis agnoſcendæ, & erroris peſtiferi abjiciendi occaſionem habuerunt, ſed id facere noluerunt. [b] Diſtinguuntur autem hęretici ab apoſtatis proprie & ſtricte ſumtis, quod illi tamen Chriſtiani audire & haberi velint; hi vero penitus Chriſti religionem abjurarint.

Verſ. 21. *Invidiæ.* [c] Dolor ſeu mœror ac triſtitia ex alienis commodis proveniens.

[d] *Homicidia.* cum quis hominem occidit, cujus occidendi nullum jus & poteſtatem habet.

*Ebrietates.* [e] Peccati, quod ſobrietati repugnat, duas commemorat ſpecies, *ebrietates & comeſſationes.* [f] Ebrietas eſt immoderatus uſus potus, qui animum aggravat, & rationem turbat; vel, etiamſi tandem ſive ob naturæ quandam firmitatem, ſive ob diuturnam potandi conſuetudinem, eam non turbet, voluptatis tantum cauſa fit, non neceſſitatis, nec in eo indulgetur naturæ, ſed tantum carnali cupiditati, aut conſuetudini.

[g] *Comeſſationes*, licet immoderatum cibi uſum includant, non tamen ſolum: ſed ſignificant omnia convivia, carnalium & immoderatarum voluptatum cauſa inſtituta: quicunque iſta convivia agitant, ac celebrant, comeſſatores ſunt, ad quæ pertinent temulentorum luſus, tripudia & choreæ, quæ comeſſationis pars ſunt, & laſcivientis carnis effecta.

*Et ſimilia his.* [h] Ne quis putet apoſtolum omnia carnis opera enumeraſſe: quorum plura enumerantur Marc, 7. 21, 22. cap. 1. ad Rom. verſ. 29, & deinceps. 1 Tim. 1. 9, & deinceps. 2 Tim. 3. 2, & ſeqq. & alibi. Ex his tamen æſtimari poterunt & reliqua. [i] Quæcunque enim opera, nec ſpiritus euangelicus jubet, nec ratio ipſa ſuadet, naturave ad ſui conſervationem viriumque refectionem requirit, ea a carne proficiſci eſt neceſſe, ac proinde carnis eſſe opera. Jam videamus, quod incommodum ſequatur, ſi quis talia opera faciat; an nihilominus is regnum Dei conſequi poſſit, quemadmodum hodie, proh dolor! nimis multi opinantur.

[k] *Quæ prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quod qui talia faciunt, regnum Dei non hæreditabunt.* Pronomen relativum ἃ, *quæ*, poſitum eſt pro περὶ ὧν, *de quibus.* Non ſatis autem habuit apoſtolus, ſimpliciter referre incommodum, quod eos, qui talia faciunt, manet: ſed ut tanto altius animis eorum infigeretur, dixit, ſe id *prædicere*, imo *& ante jam prædixiſſe:* ne ignorantiam aliquam ea in re poſſent prætexere. Hinc ergo videmus, libertatem noſtram Chriſtianam, non eſſe tam late extendendam, ut nobis quicquam turpe & inhoneſtum facere liceat, & carni ulla in re indulgere.

Vox autem *facientes* ſeu πράσσοντες, [l] pro diverſa ipſorum peccatorum operumve carnis ratione, diverſimode accipi debet. Sunt enim quædam, in quibus facilis eſt lapſus, ac proinde quorum actus unicus, habita ratione benignitatis divinæ in novo fœdere nobis promiſſæ, non damnat, ſed habitus & actiones iteratæ ſeu frequentatæ, ſive unius generis, ut ſi quis crebro iraſcatur, ſive diverſorum generum, ut ſi quis nunc iraſcatur, nunc invideat, nunc inebrietur, &c. Alia vero ſunt adeo turpia, ut a nemine, qui vero Dei timore, & vera fide prædítus ſit, committi poſſint. Talium peccatorum vel unus actus hominem a regno Dei merito excludere poteſt; nunc nimirum, cum nec ignorantia, nec infirmitas locum habet, ut ſane in quibuſdam peccatorum generibus rarius locum habet. talia ſunt, idololatria, incantatio, adulterium, homicidium, & his paria, quæ niſi ſubſequente reſipiſcentia, ac vera animi ac factorum mutatione in melius eluantur, ſalute hominem privandi, poſita licet Novi fœderis gratia, vim habent. [m] In ſumma, gratia euangelii ne tantillum quidem carni blanditur, aut honeſtatis & virtutis diſciplinam laxat, nec ei, qui in ſpem veniæ & gratiæ peccat, gratiam promittit: ſed tantum humanæ infirmitati ac fragilitati ingens affert ſolatium. [n] Incommodum autem ipſum, quod ex patratione operum carnis conſequitur, eſt regni Dei amiſſio, & ab eo excluſio; quo nullum majus & gravius cogitari poteſt. Hæreditas regni Dei, Dei filios manet, ad ejus imaginem ac ſimilitudinem rena tos ac reformatos, quam in ſe abolet, vel non habet, quiſquis opera carnis facit.

Verſ. 22. *Fructus autem ſpiritus eſt.* [o] Enumeravit multa carnis opera, & ſic declaravit, quid ſit carnis cupiditates perficere: nunc etiam enumerat quoſdam fructus ſpiritus; eaque ratione oſtendit, quid ſit ambulare ſpiritu; quandoquidem non tantum id ſuperius monuit, ne carni indulgeamus; ſed contra etiam, ut ſpiritu ambulemus, eoque nos duci patiamur. Unde patet, non tantum opus eſſe ut malum vitemus, ſed etiam ut bonum faciamus.

[p] Utitur autem voce *fructus*, cum antea de carne loquens, uſus eſſet voce *operum*; eam ut videtur, ob cauſam, ut hac ipſa appellatione oſtenderet, hæc opera, quæ ex ſpiritu proficiſcuntur, eſſe quippiam bonum. Fructus enim nomen abſolute poſitum, res bonas fere denotare ſolet.

[q] *Charitas.* Ideo charitatem primo loco nominat, quia ſuperius charitati omnia tribuerat, verſ. 6, & 13.

[a] *Eorum genera ac gradus.* [b] *Quid ab apoſtatis differant.* [c] 8 *Invidia.* [d] 9 *Homicidium.* [e] *Quarti generis peccata adverſus ſobrietatem.* [f] 1 *Ebrietas.* [g] 2 *Comeſſatio.* [h] *Multa carnis opera hic omiſſa.* [i] *Carnis opera quæ.*

[k] *Eorum effectus perniciosiſſimus.* [l] *Facere opus carnis.* [m] *Gratia euangelii infirmitatis ſolatium, non malitiæ:* [n] *Opera carnis regno Dei privant.* [o] *Declarat, quid ſit ambulare ſpiritu.* [p] *Fructus ſpiritus.* [q] 1 *Charitas.*

cujus rei cauſſam ibi attulimus. [a] Quanquam ibi charitatis vocem tam late extendit, ut ea omnes virtutes, quæ ex ipſa naſcuntur, complecteretur: [b] hic vero ſtrictius charitatis nomen ſumit, ita ut reliquas virtutes, quæ ad proximum ſpectant, & ex ipſa naſcuntur, ab ea diſtinguat. Solent enim, ut ſupra monuimus, ſacræ literæ nunc expreſſius & explicatius loqui, nunc preſſius & conciſius, & eodem verbo nunc plura, nunc pauciora complecti. [c] Charitas ergo hoc loco nihil aliud eſt, quam affectus aut voluntatis propenſio & inclinatio, in bonum ac commodum alterius.

[d] *Gaudium.* hoc, quia inter eas virtutes recenſetur, quæ circa proximum occupantur, [e] vix videtur accipiendum eſſe de illo gaudio, quod ex ſpe immortalis vitæ in nobis exiſtere debet, & ad quod nos alibi apoſtolus hortatur Rom. 2. 12. Phil. 3. 1: IV. 4. 1 Theſſ. 5. 16: ſed vel ille animi habitus intelligendus eſt, quo fit, ut bonis ac commodi proximorum lætemur, quemadmodum alibi præcipit apoſtolus Rom. 12. 15; [f] vel potius, ut proximis noſtris, & potiſſimum fratribus, gaudio ſimus; (g) ita ut hæc virtus ab effectu ſuo, quem parit, nempe gaudio, gaudium nominetur. [h] Hæc virtus tum exercetur, cum operam damus, ne ulla actione proximum ita lædamus & offendamus, ut ei triſtitiæ cauſam & materiam præbeamus; quod tum aliis fit modis, tum etiam eo, cum in rebus indifferentibus libertate noſtra abutimur, & aliquid cum aliorum ſcandalo facimus; unde fiat, ut frater noſter triſtetur, quemadmodum Paulus ait Rom. 14. verſ. 15, &, ſi exemplum noſtrum imitatus fuerit, cum minus, quam nos, ſcientiæ habeat, conſcientiam ſuam offendat; unde poſtmodum animi mœror & triſtitia conſequatur. qua de re vide etiam 1 Cor. 8. 10, 12.

[i] *Pax*, hoc eſt, pacis ſtudium. nam ut ſit pax actu ipſo, non eſt in poteſtate ſingulorum, ſed omnium. Verum ſi in omnibus Chriſtianis ſtuditum pacis fuerit, pax neceſſario inter eos ſequetur. Eſt autem pax, voluntaria quędam hominum conjunctio & conſpiratio, qua fiat, ut alter alterius commoda non modo non impediat, ſed etiam promoveat.

[k] *Longanimitas*, eſt ad iram tarditas, etiamſi ſubinde ſuppetant iraſcendi cauſæ.

[l] χρηστότης eſt comitas, humanitas, ſeu ſuavitas quędam morum, quæ elucet in verbis, in vultu, aliiſque rebus externis, ob quam fiat, ut ſis amabilis omnibus.

[m] Ἀγαθωσύνη, *bonitas*, eſt beneficentia: illa jucunditatem ſeu honeſtam delectationem; hæc commodum proximi ſpectat.

[n] *Fides* hoc loco, quia inter virtutes ad proximum ſpectantes refertur, fidelitatem ſignificat, quæ juſtitiæ pars eſt. Complectitur autem non tantum conſtantiam in promiſſis, verum etiam in omnibus aliis officiis alteri debitis præſtandis, in quibus eum deſtituere ac fallere alioquin poſſes. Itaque hoc loco non ſignificat fidem ejus, qui confidit, ſed cui confiditur, ne confidentem ſibi deſtituat ac fallat. quo ſenſu etiam Deo & Chriſto tribuitur, & nobis reſpectu Dei 1 Cor. 1. 9. x. 13. 1 Theſſ. 5. 24. 1 Joh. 1. 9. Hebr. 2. 17. III. 2, 5. Apoc. 2. 10. Nam & Deus ac Chriſtus fidelis dicitur, quia ea præſtet, quæ promiſit, nec nos unquam fallat ac deſtituat: & quædam nos, cum ad eum accederemus, promiſimus, in quibus præſtandis fides ac conſtantia noſtra requiritur. Sic etiam a ſervis & œconomis fides exigitur.

[o] *Manſuetudo* eſt virtus quæ iram moderatur; ſeu, quæ facit, ne iraſcamur cum non oportet, ne iraſcamur vehementius, quam oportet, hoc eſt, ne ad vindictam ejuſve propoſitum deſcendamus; neve iraſcamur diutius, quam oportet: ſed ut cito iraſci deſinamus, ac placabiles ſimus. [p] Complectitur alias longanimitatem quoque. Eſt enim etiam manſuetudinis, prohibere ne iraſcamur celerius, quam oportet. ſed hoc loco ab ea diſtinguitur, & paulo ſtrictius ſumitur.

[q] *Continentia* eſt abſtinentia a voluptatibus corporis vitioſis; [r] & idem eſt quod temperantia: neque enim ſacræ literæ inter continentiam & temperantiam ita diſtinguunt, ut Philoſophi. [ſ] Dividitur in ſobrietatem & caſtitatem, quarum poſterior opponitur vitiis ſeu operibus carnis primi generis: prior vero ultimi. Charitas autem una cum virtutibus ei annexis, opponitur illis carnis operibus, quæ ad proximum ſpectant. Illis enim, quæ ad Deum referuntur, nullam hic virtutem oppoſuit.

[t] *Contra hujuſmodi non eſt lex.* Id eſt, nullam habet vim ad damnandum hominem, in quo tales virtutes reperiantur: plus habent hæ virtutes virium ad hominem ejuſmodi abſolvendum, quam lex ad damnandum. qua de re verſ. 18 egimus. Non dicit autem κατὰ τούτων, ſed κατὰ τῶν τοιούτων, indicans, ſe non omnes ſpiritus fructus enumeraſſe: quemadmodum nec antea omnia carnis opera enumeraverat: ſed alios adhuc reſtare his ſimiles; nec ſatis eſſe iſtas tantum, quas enumeravit, virtutes colere ad id ut damnationem legis effugias: [u] ſed opus eſſe, ut & has, & hujus generis alias virtutes omnes habeas. [x] Ea enim eſt inter carnis opera & fructus ſpiritus differentia, quod illa etiam ſigillatim, ea, qua ſupra explicatum eſt, ratione, hominem a regno cælorum excludant: hi vero non niſi omnes ſimul juncti, hominem regni cæleſtis faciant participem, ſeu a legis condemnatione liberum. Malumus autem vocem τοιούτων, referre ad fructus ſpiritus, quorum expreſſe facta eſt mentio, quam ad homines iis prędditos, quorum nulla: quamquam alias idem ſenſus eſt.

Verſ. 24. *Qui vero ſunt Chriſti.* [y] Poſtquam apoſtolus recenſuiſſet varia, tum carnis, tum ſpiritus effecta; jam porro oſtendit, homines Chriſtianos, & poſſe & debere, opera quidem carnis vitare, fructus autem ſpiritus ſequi. Cui poſtea ſubnectit dehortationem ab illis carnis operibus, quibus Galatæ inprimis laborabant, nempe a rixis & contentionibus, eorumque fontibus; & ſic ad principium univerſæ iſtius exhortationis quodammodo revertitur. [z] Poſſe autem & debere homines Chriſtianos carnis opera vitare, hoc verſiculo docet, in quo eſt tacita quædam objectionis occupatio. [*] Poterat enim aliquis dicere, fieri non poſſe, ut ſpiritus ductum in omnibus ſequamur, & opera carnis abdicemus: quandoquidem carne circumdati, & variis cupiditatibus & affectibus

[a] *Nunc laxius ſumitur.* [b] *Nunc ſtrictius.* [c] *Quid ea ſit.* [d] 2 *Gaudium.* [e] 1 *ſignificatio.* [f] 2 *ſignificatio.* [g] 3 *hujus loci propria.* [h] *Frater non conſtriſtandus.* [i] 3 *Pax.* [k] 4 *Longanimitas.* [l] 5 *Humanitas.* [m] 6 *Bonitas.* [n] 7 *Fides.*

[o] 8 *manſuetudo.* [p] *Alibi longanimitatem in ſe continet.* [q] 9 *continentia.* [r] *Eadem cum temperantia.* [ſ] 2 *ejus partes.* [t] *Fructus ſpiritus a damnatione legis liberant:* [u] *Sed omnes ſimul juncti.* [x] *Opera carnis ſingula damnant.* [y] *Scopus ſeqq.* [z] *Chriſtiani & poſſunt & debent carnis opera vitare.* [*] *Prolepſis.*

obnoxii ſimus. Huic objectioni reſpondet apoſtolus, & ſimul indicat, eos omnes, in quibus adhuc caro & cupiditates vigent, non eſſe Chriſti, ac proinde etiam nullum jus habere ad hæreditatem Chriſti, quaſi dicat: Nec vero eſt, quod quiſpiam objiciat, homines Chriſtianos non poſſe eo modo, quo explicatum eſt, vivere: quandoquidem non minus, quam cæteri homines carnem habeant, & in carne varios affectus & cupiditates, quæ eos ad carnis opera ſtimulent. Licet enim carnem & cupiditates habeant; habent tamen mortuas ſeu crucifixas, non vivas.

Per eos [a] *qui Chriſti ſunt*, intelliguntur illi, qui Chriſti doctrinam recte cognitam animo tenent, ei ſunt addicti, ac cum eo conjuncti, atque adeo ſpiritus ejus ſunt participes: quandoquidem qui Chriſti ſpiritum non habent, non ſunt ipſius Rom. 8. 10. vide etiam ſup. cap. 3. ult.

*Carnem crucifixerunt.* [b] Per *carnem* intelligi debet fons & fomes peccatorum in nobis exiſtens: qui ut ſuperius verſ. 16 in fine jam indicavimus, nullus alius eſſe poteſt, quam appetitus, ſeu illa animi vis, quæ affectibus & cupiditatibus agitatur, earumque ſedes eſt. Appetitus enim ab affectibus & cupiditatibus non aliter diſtinguitur, quam ut potentia ab actu. [c] Hunc ergo appetitum illi, qui Chriſti ſunt, crucifixerunt, quatenus ei vim ademerunt, quam habuit ad nos vitioſis actionibus ſubjiciendos: non quod illum penitus exciderint, (id enim fieri nec poteſt, nec debet:) ſed quod ejus vim ita imminuerint, ita mitigarint & manſuefecerint, ut non amplius adverſus ſpiritum efferetur; ſed ei ſe tractabilem & obſequentem præbeat. Unde fit, ut una cum appetitu, [d] etiam caro noſtra hęc externa, id eſt, omnia ejus membra, reſpectu peccati ſint veluti cruci affixa. Quemadmodum enim corpus cruci affixum, vel vivit quidem, ſed non amplius eſt ſui juris, & nec pedes, nec manus movere poteſt; vel etiam per crucis tormenta vitam amiſit: ſic qui appetitui omnes ad peccandum vires ademerunt, eorum membra, ratione peccati, veluti clavibus affixa, aut penitus interemta, ſeſe non movent. qua de re vide cap. 6. epiſt. ad Rom. verſ. 11, & ſeqq. & cap. 8. 10.

*Cum omnibus affectibus & cupiditatibus.* Hæ ſunt proximæ peccati cauſæ. ubi per [e] παθήματα ſeu *paſſiones*, in genere intelligit omnes affectus, omnes motus, quibus appetitus noſter afficitur; [f] qui cernuntur tum in fuga alicujus mali, tum in inclinatione ad aliquod bonum, hoc eſt, vel voluptatem, vel utilitatem, vel denique honorem.

[g] *Cupiditates* autem, ſunt ſpecies τῶν παθημάτων, eaque inſignior ac potior, quæ conſiſtit in inclinatione ac impetu quodam ad res jucundas. [h] Hos affectus & cupiditates eatenus crucifixerunt homines Chriſtiani, quatenus illis vim ademerunt, quam antea ad peccatum habebant. Sunt quidem adhuc aliqua ratione; [i] ſed non vivunt, non regnant, non laſciviunt. Recalcitrant etiam, in aliis crebrius, in aliis rarius: ſed irrito fere conatu, ac contra ſtimulum. [k] renituntur, inquam, rationi ac ſpiritui; præſertim in iis actionibus, quæ raræ ſunt & arduæ, quęque longam conſuetudinem non admittunt, & ſic ire in habitum non poſſunt: quale verbi gratia eſt, euanngelii cauſa jacturam omnium bonorum & vitæ etiam ſubire ac perpeti. [l] Dominium enim rationis in affectus, eſt politicum ſeu civile, non tyrannicum. In tyranni enim imperio, civibus ne mutire quidem fas eſt contra tyranni juſſa: ſed affectus petulantiores ſunt, quam ut nunquam contra rationis imperium muſſitent. Danda tamen opera eſt, ut eos quam obſequentiſſimos, & ſervire volentes habeamus. Qui ita affectus domuit, ut ſemper cum voluntate conſpirent, voluntas autem rationi obtemperet, næ ille hominum fortunatiſſimus & virtute præſtantiſſimus eſt. Affectus enim veluti vigorem quendam conciliabunt voluntati, & facient ut omnes actiones vividius ac longe alacrius obeas.

Utitur autem apoſtolus *crucifigendi* verbo, [m] ut oſtendat, ſimilitudinem eſſe debere inter Chriſtianos & inter Chriſtum: nempe ut cum Chriſto crucifigantur ac moriantur peccato; utque cum eo reſurgant a mortuis nunquam amplius morituri, idque vi mortis & reſurrectionis Chriſti. qua de re ſupra nonnihil jam diximus cap. 2. verſ. 20. idque etiam docet Petrus 1. epiſt. cap. 4. ab initio. Affirmat autem Paulus de iis, qui Chriſti ſunt, quod carnem crucifixerint; non quod omnes actu ipſo id fecerint, [n] ſed quod eas habeant vires, ex Chriſtiana religione manantes, ut ſi modo ipſi velint, ſtudiumque adhibeant, eam reipſa crucifigere queant, idque facere omnino debeant: adeo ut, ſi vim & naturam Chriſtianæ religionis ſpectes, eam crucifixerint. [o] Non ſemel enim verba, quæ de actu loquuntur, de vi atque efficacia, deque eo, quod fieri omnino debet, ſunt intelligenda. quo pacto & ſupra dixit, Galatas omnes eſſe Dei filios per fidem; omnes Chriſtum induiſſe, quicunque in eum baptizati ſint cap. 3. 26, 27, 28; eos eſſe unum in Chriſto Jeſu; non quod omnes revera & actu ipſo tales eſſent, ſed quod, ut ibi monuimus, vi ſuæ religionis ac profeſſionis tales eſſe & poſſent & deberent. Et ad Rom. ait cap. 6. 2, nos mortuos eſſe peccato; veterem noſtrum hominem cum Chriſto eſſe crucifixum verſ. 6; Romanos non amplius eſſe in carne, ſed in ſpiritu cap. 8. 9; quod idem eſt reipſa cum eo quod hic dicit: & alia his ſimilia ſępe ponunciat.

Verſ. 25. *Si vivimus ſpiritu.* [p] Poſtquam docuiſſet apoſtolus, tum poſſe tum debere homines Chriſtianos carnis opera vitare: [q] nunc contra docet, eos etiam poſſe & debere fructus ſpiritus præſtare. quaſi dicat: Cum ergo & cauſſa peccatorum efficiens, ut modo dixi, fuerit ſublata, & cauſa efficiens pietatis, ſeu vis ad eam in hominibus excitandam ſatis valida ſit in vobis; quid aliud reſtat, quam ut pie vivatis?

*Si vivimus ſpiritu.* [r] Vita hęc opponitur morti, ſeu crucifixioni carnis. qualis autem ſit hęc vita, ſeu cujus rei, indicat vox adjecta *ſpiritu*, id eſt, quam efficit in nobis ſpiritus; ſpiritus nimirum euangelicus, qui noſtrum ſpiritum vegetat, animat, alacrem ad omnes actiones honeſtas facit, illique vires ad domandam carnem ſuppeditat.

Quocirca ſi hanc vitam in nobis habemus, quam ſpiritus, ut ſic dicam, inſpirat, ſi nos ſpiritus divinus

[a] *Chriſti eſſe.* [b] *Caro pro appetitu.* [c] *Ea in Chriſtianis crucifixa.* [d] *Corpus noſtrum peccato mortuum.* [e] *Affectus.* [f] *Duplices.* [g] *Cupiditates.* [h] *In Chriſtianis crucifixæ.* [i] *Non penitus exciſæ.* [k] *Quaeogus reluctentur ſpiritus.* [l] *Dominium rationis in affectus politicum.* [m] *Chriſtiani cum Chriſto moriuntur, & reſurgunt:* [n] *Hoc eſt vires ad id faciendum habent.* [o] *Verba actum ſignificantia de efficacia aut officio ſumuntur.* [p] *Nexus.* [q] *Chriſtiani & poſſunt & debent ſpiritu ambulare.* [r] *Vivere ſpiritu.*

animat, *ſpiritu etiam incedamus*, (*a*) id eſt, ſpiritus etiam divinus nos regat, ejus ductum ſequamur in actionibus. Incedere enim & ambulare, Hebraica phraſi, actiones vitæ obire ſignificat, ut jam ante diximus verſ. 16. His & præcedentis verſic. verbis, reſpondet ille cap. 8 ad Rom. verſ. 10 locus: (*b*) *Si Chriſtus* (hoc eſt, ſpiritus ipſius) *eſt in vobis, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum* (hoc eſt, vim quodamodo amiſit ad peccata nos adducendi, eaque patrandi:) *ſpiritus autem vita eſt propter juſtitiam*, hoc eſt, ſpiritus noſter vivit ac vires habet ad juſtitiam colendam.

Verſ. 26. *Neſimus vanæ gloriæ ſectatores.* (*c*) Poſt generalem admonitionem dehortatur eos a ſpecialibus quibuſdam vitiis, charitati & mutuo amori, quem jam ante inculcaverat, oppoſitis: nempe quod videret, eos hac dehorratione valde indigere. (*d*) Dehortatur autem eos primo ab eo vitio, quod reliqua duo ex ſe gignit. Iſtud autem eſt vanæ gloriæ ſectatio aut cupiditas. Inter homines enim ambitioſos & vanæ gloriæ procos, qui tanquam rivales ac æmuli eam ambiunt, neceſſe eſt plurimas eſſe lites & contentiones. Vana gloria autem in eo eſt, cum alii aliis doctiores, ſapientiores, digniores, imo & meliores videri, non autem meliores reipſa eſſe, volunt. Solius enim virtutis honeſtiſſima eſt & pulcherrima ambitio.

(*e*) *Alii alios provocantes*, nimirum ad verborum duella: quod ſit, (*f*) cum alii alios verbis aut factis irritant, & veluti laceſſunt: qua de re dictum ſup. verſ. 20 in voce ἐριθεῖαι. Ex hac deinde provocatione oriuntur pugnæ, lites, & variæ digladiationes, athletarum inſtar in arena depugnantium. Ab iiſdem vitiis dehortatur etiam Philippenſes, cum 2. cap. verſ. 3 inquit: *Nihil per contentionem aut inanem gloriam.*

*Alii aliis invidentes.* (*g*) Alterum vitium ex vanæ gloriæ cupiditate manans. quicquid enim laudis & dignitatis æmulo accedit, id laudis cupidus ſibi decedere putat; ac proinde aliena uritur & torquetur laude. Non ambire gloriam, unicum invidiæ hujus eſt remedium. Qui autem gloriam non ambit, hic eam celerrime conſequitur. Fugit enim ſequentes, fugientes ſequitur.

(*a*) *Incedere ſpiritu.* (*b*) *Explicatur locus Rom.* 8. 10. (*c*) *Dehortatio.* (*d*) *Ab ambitione,* (*e*) *& ejus effectis.* (*f*) *Irritatione aliorum.* (*g*) *Invidia.*

## CAP. VI.

### *ARGUMENTUM.*

*In priori hujus capitis parte pergit in tradendis præceptis Chriſtianæ pietatis ad verſ.* 11. *In altera parte,* (*) *quæ Epilogum hujus epiſtolæ conſtituit, monet Galatas, ut ſibi à ſeductoribus caveant, & ipſum potius ac doctrinam ipſius, quam illos, ſequantur; & ſic id, quod in principali hujus epiſtolæ tractatione docuerat, concludit.* 1 *ad verſ.* 11.

(*) *Duo capitis partes.* 2 *Epilogus epiſt.*

Verſ. 1. *Fratres, ſi & præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto.* (*a*) Hactenus docuit, quomodo Chriſtiani vivere debeant, nempe ne carnis opera patrent, contra vero ſpiritus fructus ferant: nunc docet, quid fieri debeat, ſi quis Chriſtianorum nihilominus in delicto aliquo præoccupatus fuerit.

Dicit ἐὰν καὶ. *Si &*, id eſt, ſi tamen, quaſi dicat: Hactenus quidem docui, Chriſtianum hominem & poſſe & debere eſſe immunem a vitiis ac delictis; quod ſi tamen contingat, aliquem non eſſe talem; jam vos docebo, quid cum illo fieri velim.

Προλημφθῇ *præoccupatus fuerit.* (*b*) Præoccupari nihil aliud ſignificat, quam anteverti, & ſubito veluti opprimi, priuſquam de defenſione, ut ſic dicam, cogites, & arma corripias. Videtur hoc verbo voluiſſe indicare apoſtolus, (*c*) quomodo fieri poſſit, ut Chriſtianus, cui tantas vires eſſe ad ſuperandum peccatum ſuperius docuit, poſſit nihilominus ſuperari a peccato: nimirum ſi eum tanquam ex inſidiis aggrediatur, aut ſtertentem ac ſuæ ſalutis incuria laborantem inveniat: & ſic priuſquam viribus ſuis utatur, armaque expediat, eum opprimat. Diximus enim jam ſupra, Chriſtianam religionem nobis vires & arma ad debellandum peccatum ſuppeditare, atque ut cum eo fortiter pugnemus, incitare: ſed ſi armis illis ac viribus uti, & excubias pro ſalute tua agere nolis, a peccato opprimi facile poteris.

(*d*) Quanquam alii hanc præoccupationem non ad peccatum, ſed ad homines referunt, qui aliquem in peccato quopiam, antequam ipſe ſe recolligat, deprehendant: quaſi dicat, ſi quiſpiam ex Chriſtianis in aliquo peccato verſari aut hærere deprehendatur, antequam ipſe ſe recolligat, & ſeſe emendet.

*In delicto aliquo*, id eſt, ſi priorem ſententiam ſequi malis, per aliquod delictum. (*e*) Videtur autem apoſtolus non tam loqui de peccatis, quæ ex mera ignorantia & incogitantia, aut etiam ex mera infirmitate interdum a Chriſtianis, in ipſo pietatis curſu committuntur; quam de iis, quæ nec ob ignorantiam, nec ob infirmitatem excuſari mereantur, quæque adeo hominem, quamdiu in tali ſtatu verſatur, regni cæleſti aditu excludant: partim quidem, quia hanc occupationem in aliquo delicto, ſuperiori Chriſtianorum hominum pietati & ſanctimoniæ apoſtolus videatur opponere: partim vero, quod iſtiuſmodi homini *ſpirituales* aperte ſatis opponat; infirmitates autem & errores, etiam in ſpiritualem cadere poſſint.

*Homo*, (*f*) id eſt, aliquis. ita enim ſolent loqui Hebræi. Sic dicitur inimicus homo; homo mercator; homo rex; id eſt, inimicus, mercator, rex quidam Matth. 13. 28, 45: XVIII. 23. XXII. 1. Non enim eſt neceſſe, ut in *hominis* voce Paulum ad humanam fragilitatem dicamus reſpexiſſe. Sic & infra verſ. 3: quicquid ſeminaverit *homo*, id eſt, quiſpiam. Huic homini, videamus quid fieri velit apoſtolus.

Vos, inquit, *qui ſpirituales eſtis, corrigite talem, in ſpiritu lenitatis.* (*g*) Corrigi eum vult apoſtolus. (*h*) Καταρτίζετε. Καταρτίζειν nihil aliud eſt, quam dare operam, ut res aliqua omnibus ſuis partibus & numeris conſtet, id eſt, ut & membra ſua habeat omnia,

(*a*) *Nexus.* (*b*) *Præoccupari a delicto.* (*c*) *Quomodo Chriſtianus ad peccatum adduci poſſit.* (*d*) *Alia verborum explicatio.* (*e*) *Delictum quid hoc loco.* (*f*) Homo *pro aliquis.* (*g*) *Delinquens corrigendus:* (*h*) Καταρτίζειν

& integra, & ſuis locis apte diſpoſita & connexa. Vult ergo apoſtolus, ut talis homo ad perfectionem Chriſtinæ pietatis adducatur, & omnes ejus partes habeat, ne quicquam illi deſit eorum, quæ ad hominem Chriſtianum conſtituendum requiruntur. In eo enim correctio iſta & emendatio conſiſtit. Quis autem iſtud curare debet?

*Vos ſpirituales.* [a] Vos qui ſpiritu ducimini, in quibus ſpiritus regnat, & carnem cum affectibus edomuit. His enim vere competit alios corrigere, qui ſeipſos jam correxerunt. Merito enim is, qui vitiis laborat ipſe, alium corrigere volens, audit: Ejice prius trabem ex oculo tuo &c. Matth. 7. & illud: medice cura teipſum. quomodo autem corrigendus eſt?

[b] *In ſpiritu lenitatis.* [c] *In* per Hebraiſmum redundat. quia enim Hebræi caſus non habent, ideo eos particulis adjectis exprimunt, quas deinde, cum alia lingua utuntur, ſuo more ſæpe retinent. [d] *Spiritus* autem *lenitatis*, vel ſpiritum, hoc eſt, animum lenem, lenitate & manſuetudine temperatum ſignificat: [e] vel lenitatis & manſuetudinis vim quandam, [f] ſeu lenitatis quendam, ut ſic dicam, afflatum, qui in omnibus noſtris actionibus & verbis cernatur & eluceat. Non vult ergo apoſtolus hunc hominem rigide, & cum auſteritate quadam & inſultatione tractari & objurgari, ne irritetur potius, quam ſanetur. Ipſa reprehenſio, etiam lenibus verbis concepta, acrimoniam habet, & ægre auditur: quid ergo ſi verborum accedat acerbitas? ut auſtera inſuaviaque remedia, medici dulcioribus ſuccis condiunt: ita Chriſtiani pharmaca ſua, lenitate & ſuavitate verborum. Cauſam affert, adhortatione quadam comprehenſam.

*Spectans teipſum, ne & tu tenteris.* [g] Ex eo, quod alium peccare, & ab officio diſcedere videamus, debemus communis noſtræ ſortis & conditionis eſſe memores. id eſt, nos quoque ſimiliter poſſe labi, & non minus, [h] quam alios, peccatis eſſe obnoxios: ac proinde duo hinc diſcere. Unum, ne eos, qui deliquerunt, [i] rigidius tractemus, quam nos ipſos in pari caſu tractari vellemus: ſed ut eam humanitatem ac lenitatem eis exhibeamus, quam nobis exhiberi, ſi eorum eſſemus loco, cuperemus: ſecundum illud Matth. 7. 12. [k] Alterum, ut tanto diligentius, aliorum exemplo moniti, nobis caveamus, ne & ipſi in peccatum aliquod incidamus. Eſt autem in verbis [l] apoſtoli mutatio numeri, Hebræis non inuſitata, qualem habuimus ſup. cap. 4. verſ. 17. Dicit enim primum, *Vos ſpirituales corrigite*: poſtea, *ſpectans teipſum.*

*Tentari* [m] hoc loco per metonymiam, effectum tentationis ſignificat, id eſt, peccatum, ſic 2 Theſſ. 3. 5. Neque enim in noſtra poteſtate eſt ne tentemur, hoc eſt, ad peccatum aliunde incitemur; ſed ne incitationi iſti locum demus, eique obſequamur.

℣ſ. 2. *Alii aliorum onera portate.* [n] Onera, ut vox ipſa indicat, ſignificant, quicquid alterum aggravat, & incommodum, ſive ſentienti, ſive non ſentienti afferat. [o] Talia autem ſunt in primis *peccata*, ad quæ hic potiſſimum reſpicitur: quemadmodum ex ſuperiori verſu apparet. Ea enim pœnam alicui imponunt, & ſi ſentiantur, valde animum & conſcientiam gravant: ſi vero non ſentiantur, tanto magis homines in interitum deprimunt.

(p) *Portamus* autem *aliena onera*, cum eorum veluti partem in nos recipimus, ſeu, ut alios onere levemus, labores ac moleſtias non defugimus. Prout autem onera aliena diverſa ſunt, ita etiam diverſimode id fit. Peccata quidem aliena portamus, dum homines iis gravatos, quamdiu reſipiſcentiæ ſpes eſt, toleramus, eos leniter ac manſuete admonemus ac tractamus, non ſuperbe iis inſultamus, aut verborum aſperitate eos exacerbamus: quod ſi puſillanimes ſint, eos erigimus ac ſolamur. Hæc enim qui facit, tum alios, quantum in ſe eſt, onere levat; tum oneris partem in ſe quodammodo recipit: cum ea, quæ diximus, carni noſtræ haud quaquam grata eſſe ſoleant. Statim enim affectus jubet ejuſmodi homines aut contemnere, & a cœtu fidelium arcere, aut acerbe inſectari, & probris inceſſere; præſertim ſi iniquo animo reprehenſiones accipiant, monentibus recalcitrent, conviciis etiam ac contumeliis non parcant; eorum peccata ab extraneis nobis exprobrentur, & ad ipſam quoque eccleſiam veritatemque divinam, aliqua ex iis redundet ignominia. Qui erga hujuſmodi etiam homines lenitate ac manſuetudine utitur, & tamdiu eos fert, quamdiu eos non prorſus deploratos eſſe videt, is vere eorum onus portat. (q) Sed præter peccata ſunt & alia onera, ad quæ dictum hoc apoſtoli extendi debet. Etenim Rom. 15. 1 apoſtolus vult, ut infirmitates imbecillorum feramus; quæ in eo conſiſtunt, quod quiſpiam, quia nondum plene agnovit libertatem Chriſtianam, multa faciat, quæ facere non tenetur, & veluti ſupervacuum onus ſubeat, ac bajulet; (r) quod in nos recipimus tum, cum illius cauſa nec ipſi libertate noſtra utimur, ſeu id facimus, ad quod faciendum alioquin obſtricti non ſumus. (ſ) Poſſis denique hoc apoſtoli dictum etiam ad ea onera, quæ carnem noſtram premunt, ac ſimul etiam animum aggravare facile queunt, extendere, qualia ſunt, variæ afflictiones, paupertas, aliaque his ſimilia, in quibus ſolatio & auxilio opus eſt; quod qui præſtat alteri, eum onere levat, & ejus partem in ſe quodammodo recipit. (t) Vult autem apoſtolus, ut illud officium ſit mutuum; non quod ſemper neceſſe ſit ut id mutuo præſtetur; ſed quod id contingere ſaltem poſſit, & creberrime contingat. Eo ipſo autem tacite nos monet, ut aliena onera tanto promtius feramus: quia contingere queat, ut aliena ope nos viciſſim indigeamus.

*Et ſic implete legem Chriſti.* (u) His verbis fructus ſuperioris præcepti de aliorum oneribus ferendis exprimitur: ſed ſi Græcum textum ſpectes, (Latinus enim interpres habet *adimplebitis.* exprimitur per modum precepti: quia iſte fructus eſt talis, ut nihilominus ad noſtrum officium pertineat. Ingens fructus eſt, ſi quis Chriſti legem impleat: ſed non minus id officium uniuscujuſque eſt, ut impleat. (x) Lex Chriſti, eſt lex charitatis, quæ inter ipſius diſcipulos vigere in primis debet. hanc quia omnium perfectiſſimam primus nobis præſcripſit Chriſtus, ideo præceptum, quo ejus perfectio nobis injungitur, & novum, & ſuum

[a] *Spiritualium eſt alios corrigere:* [b] *Sed in ſpiritu lenitatis.* [c] In *redundat.* [d] *Quid ſpiritus lenitatis.* [e] 1 *explicatio.* [f] 2 *explicatio.* [g] *Ratio dicti.* [h] *Ex alienis lapſibus diſcendum,* [i] 1 *ut lapſos leniter tractemus.* [k] 2 *ut nobis à lapſu caveamus.* [l] *Mutatio numeri.* [m] Tentari *pro peccare.* [n] *Onera aliena.* [o] 1 *peccata.*

(p) *Ea portare quod ſit.* (q) 2 *infirmitates aliæ.* (r) *Quomodo portandæ.* (ſ) 3 *affectiones.* (t) *Mutuum hoc officium.* (u) *Ejus fructus.* (x) *Lex Chriſti, lex charitatis.*

præceptum

præceptum appellat. vide Joh. 13. 34, 35: xv. 12. [a] Hanc legem implet, qui aliena in ſe quodammodo recipit onera, quique peccatorum etiam ſalutem ſummo ſtudio quærit, & ne vitæ quidem ſuæ ea in re parcit; atque ut infirmitates aliorum ſublevet, libertate ſua non utitur, ſeque ipſum re jucunda ſponte fraudat. quorum utrumque non Moſes, ſed Chriſtus præcipit.

Verſ. 3. *Si enim videtur quis eſſe aliquid.* Rationem affert, cur alii aliorum, præcipue lapſorum onera portare debeamus, cum quadam, ut videtur, [b] prolepſi conjunctam. [c] Poterant enim aliqui nimia ſui opinione turgentes ita cogitare: quid nobis cum ejuſmodi hominibus, qui tam fœde labuntur, eſt negotii? cur eos aut curemus, aut toleremus? Nunquam nobis vel evenit, vel in poſterum eveniet, ut tam turpiter nos geramus: non opus eſt nobis alieno hac in parte auxilio. quare nec nos opem debemus aliis. Horum ergo de ſe opinionem minuit apoſtolus, & ſic cauſſam tollit, ob quam fieri facile queat, ut ſuperius præceptum negligatur.

Ait ergo: *Si videtur quis eſſe aliquid.* [d] nempe *ſibi ipſi.* [e] Pronomen τὶ in talibus locutionibus, non ſimpliciter ſignificat aliquid, ſed aliquid magnum & eximium Actor. 5. 36. (meliores enim codices omittunt vocem μέγαν) 1 Cor. 3. 7. & 10. 19. Ille autem hoc loco ſibi videtur eſſe quidpiam, qui peccantes, aut infirmos præ ſe contemnit; qui exiſtimat, ſe ejuſmodi peccatis, quibus alii infeſtantur, non eſſe obnoxium; qui dicit, ut ille inquit, ego ſum gallinæ filius albæ.

Jam videamus, quid de illo ſtatuat apoſtolus, *Nihil exiſtens, ſeipſum decipit.* Quemadmodum antea vocem *aliquid*, non ſimpliciter aliquid ſignificare diximus, ſed aliquid eximium: ita hoc loco vox [f] *nihil*, illi oppoſita, non ſimpliciter nihil ſignificat, ſed nihil eximium, nihil quod ſit alicujus pretii; quo pacto ſumitur apud eundem apoſtolum 1 Cor. 13. 2: & 2 Cor. 12. 11. Verba autem μηδὲν ὤν, *nihil exiſtens*, non ſunt limitatio ſubjecti: ſed continent cauſam, propter quam prædicatum inſit ſubjecto; quaſi dicat apoſtolus: [g] Qui ſibi perſuadet, ſe eſſe aliquid eximium, & hominem, qui, ut alii, labi & errare non poſſit, is valde ſeipſum decipit; propterea quod revera nihil ſit, nullius ſit pretii, ſeu non is, quem eſſe ſe putat. Si enim his verbis μηδὲν ὤν, limitatio ſubjecti contineretur, quid eximii diceret apoſtolus? aut quis id ignoraret? deinde nullus eorum, qui vel maxime ſui opinione tument, hoc ſibi dictum putaret: quanto enim quiſque plura ſibi arrogat, tanto minus ſe nihil eſſe putat. Non abſimili ratione locutus eſt Jacobus cap. 1. 26: *Si quis videtur religioſus eſſe in vobis, non refrenans linguam ſuam, ſed decipiens cor ſuum, hujus vana eſt religio.* Ubi illa verba, *decipiens cor ſuum*, non ſunt pars ſubjecti, ut quidem Grammatices, ſeu mavis, communis loquendi conſuetudinis ratione habita, omnino videtur, ſed prædicati: quaſi dicat, is decipit ſeipſum, cum vana ſit ejus religio.

Verſ. 4. *Opus autem ſuum probet unuſquiſque.* [h] His verbis oſtendit apoſtolus, qua ratione futurum ſit, ne quis nimia ſui opinione & φιλαυτίᾳ laboret, nempe ſi non ex alienis vitiis & defectibus laudem captet, ſed ex propriis virtutibus ac meritis ſolidam quærat gloriam.

*Opus ſuum.* [i] Opus pro omnibus operibus, ſeu tota vitæ ratione ac moribus ſumitur. Sic Apoc. 22. 12. 1 Petr. 1. 17. δοκιμάζειν probet, id eſt, exploret, trutinet; non alienorum operum ac morum rigidum cenſorem agat, ſed ſuorum: ſuos mores ad divini verbi obrufam exigat. [k] Poteſt autem id non tantum ad actiones præteritas extendi, ſed etiam ad conſilia & actiones eas, quas ſuſcipimus atque aggredimur, ut eas diligenter exploremus, & num divinæ voluntati ſint conſentaneæ necne, expendamus. quo modo etiam accipiendum videtur illud 1 Cor. xi. 28, *probet homo ſeipſum.* [l] quaſi dicat, examinet quiſque actiones ſuas, tum præteritas, ut ſi quid in illis peccatum ſit, Deum deprecetur, ſeque emendet: tum eas ipſas, quas aggreditur, ut, quemadmodum par eſt, in iis ſeſe gerat. Hoc poſterius, nempe ut conſilia & actiones noſtras, quas ſuſcipimus, ad normam divinæ voluntatis exigamus, ſignificat apoſtolus alibi, eodem quidem verbo, ſed alia tamen phraſi, cum monet, [m] ut *probemus quæ ſit voluntas Dei*, vel, *quid ſit bene placitum Domino* Rom. 12. 2. Epheſ. 5. 10; hoc eſt, ut ſemper expendamus, num id, quod aggredimur, Deo ac Domino Jeſu Chriſto placeat, & ſic id tantum ſequamur, quod ei gratum eſſe deprehenderimus. Quod ſi tam late hic extendamus verbum *probandi*, ut ad præſentes etiam actiones, ac conſilia de rebus in poſterum ſuſcipiendis referatur, ſimpliciter intelligendum erit, quod ſimpliciter aſſeruit apoſtolus, ita porro ſcribens:

*Et tunc in ſeipſum ſolum gloriationem habebit*, [n] id eſt, gloriandi habebit materiam. Qui enim omnes ſuas actiones diligenter explorat, nec quicquam aggreditur, niſi id divinæ voluntati conſentaneum eſſe cognoverit, cum vera pietate præditum eſſe, ac gloriandi materiam in ſe invenire neceſſe eſt. [o] At ſi illa exploratio tantum ad præteritas actiones referatur, aliquid erit ſubaudiendum, nempe ſi actiones ſuas divinæ voluntati conformes repererit: nam ſi eas a præceptis divinis abhorrere deprehenderit, tantum abeſt, ut gloriationem in ſe habeat, ut potius pudeſieri eum ſit neceſſe.

[p] *Gloriationem* autem pro gloriationis materia ſeu cauſſa, per metonymiam intelligimus; tum quod verbum *habendi* id videtur poſtulare; [q] tum quod qui ſua facta maxime explorat, eaque ad divinæ voluntatis normam attemperat, omnium minime de ſua pietate gloriatur; quin potius ſe ſervum inutilem eſſe profitetur, & ſuorum potius delictorum, quam pietatis meminit; quin ipſam illam pietatem ſuam, divinæ gratiæ, non ſibi adſcribit. Itaque etiam *gloriationis* [r] voce apoſtolus hoc loco per quandam conceſſionem utitur, ex illorum opinione, qui ſeſe ſupra alios efferebant, & ſuam pietatem ideo jactabant, quod aliis ſibi viderentur eſſe meliores. quaſi dicat, & tunc (ſi ipſi liberet hominum iſtorum exemplo gloriari) materiam gloriandi in ſe ipſo ſolo inveniet.

[ſ] *In ſeipſum tantum*, id eſt, ſui ipſius tantum reſpectu habito.

[a] *Ejus impletio.* [b] *Prolepſis.* [c] *Philautia aliena onera portare vetat.* [d] *Ejus deſcriptio.* [e] Aliquid, *pro aliquid magnum.* [f] Nihil, *pro nihil eximium.* [g] *Philautiæ vanitas.* [h] *Ejus remedium, ſui operis probatio.* [i] Opus *pro operibus* [k] *Quam late pateat ea probatio.* [l] *Probatio ſui ipſius.* [m] *Voluntatis divinæ.* [n] *Probationis illius fructus.* [o] *Alia verborum explicatio.* [p] Gloriatio *pro gloriandi materia.* [q] *Qui ſe maxime probat, minimum gloriatur.* [r] *Conceſſio.* [ſ] *Gloriatio in ſeipſum.*

*Et non*

*& non in alterum*, id eſt, non vero ex comparatione cum altero, ſubintellige *ſolum* vel *tantum*. Nam qui per ſe præſtans eſt, ille etiam alterius inferioris reſpectu præſtans eſt.

Verſ. 5. *Quiſque enim proprium onus portabit.* (b) Cauſſam affert, cur quiſque operam dare debeat, ut per ſe pietate præſtans ſit, non vero alterius tantum comparatione præſtare videatur, & ſit tanquam luſcus inter cæcos; quia nimirum Dominus Jeſus ſententiam ſecundum cujuſque opera per ſe conſiderata, (c) non vero cum alienis delictis comparata, feret. Neminem aliena peccata juſtificabunt: nec qui cæteris erit melior, continuo bonus judicabitur. Quiſque ſecundum ſua propria, non ſecundum aliena delicta judicabitur, eorumque pœnas dabit.

Verſ. 6. *Communicet autem.* (d) Aliud præceptum, quod non ſolum ad charitatem; ſed etiam ad juſtitiam pertinet. Hoc autem eſt, ut auditores ſuis doctoribus de omnibus bonis communicent.

*Qui docetur ſermonem*, ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον. (e) Κατηχούμενοι peculiariter vocantur ii, qui prima religionis Chriſtianæ tyrocinia docentur. hinc (f) catecheſis, pueriliſ quædam inſtitutio, & nominatim quidem in Chriſtiana religione, vocatur. Sed hoc loco κατηχούμενος quemvis ſignificat, qui euangelii doctrinam ex paſtorum ſuorum ſermonibus haurit:

*In omnibus bonis.* (g) Id eſt omnibus bonis, ad hujus vitæ nimirum conſervationem pertinentibus; quanquam non eſt neceſſe res ipſas, ſeu de rebus ipſis ſemper dare, cum rerum vicarius ſufficit numus. Satis autem unicuique patet, hujus præcepti non eum eſſe ſenſum, ut quiſque auditorum ſigillatim doctori & paſtori ſuo de omnibus bonis ita communicet, ut illi id omne largiatur, quo hæc vita indiget. Nam hac ratione doctor nimis magnam bonorum iſtorum copiam conſequeretur: ſed quemque auditorum pro ſua parte & facultatibus tantum conferre debere, ut collectis omnibus, quæ ſinguli præbent, is, qui docet, liberalem & honeſtam vitam agere, & docendi muneri unice vacare queat. quanto ergo plures erunt auditores, tanto quiſque minus: quanto vero pauciores, tanto quiſque plus conferre debet. (h) Niſi autem hanc legem Chriſtus eccleſiæ impoſuiſſet, quotuſquiſque eſſet, qui aut vellet, aut poſſet docendi munus ſuſcipere? & adhuc pauciores eſſent, qui eo digne defungerentur. Rebus enim terrenis acquirendis occupati, quomodo muneri ſuo, & rebus ad illud peragendum neceſſariis vacare poſſent? Quare recte hac lege eccleſiæ eſt conſultum, beneque hæc ſocietas docentium, & diſcentium conſervatur, ſi doctores quidem, quantum in ſe eſt, curent animum ac ſalutem auditorum: auditores autem, quantum ſat eſt, curent eorum qui docent corpora ac vitam præſertim, cum auditores ut plurimum rebus hujus vitæ ſint occupati; doctores autem doctrinæ & rebus ad ſpiritum ſpectantibus unice invigilare debeant. Ita fiet, ut alter alterius neceſſitati ſubveniat. Hac de re copioſe diſſerit Paulus 1 Cor. 9, ubi ita ait inter alia verſ. 11: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnumne, ſi nos veſtra carnalia metemus*; vide etiam 1 Tim. 5. 17, 18.

(a) *In alterum.* (b) *Non ex comparatione cum aliis pietatis laus quærenda.* (c) *Quiſque ſecundum ſua tantum opera judicabitur.* (d) *Doctoribus neceſſaria ſuppeditanda.* (e) *Catechumeni.* (f) *Catecheſis.* (g) *Doctoribus quatenus dandum de omnibus.* (h) *Cur eos ab eccleſia ali voluerit Chriſtus.*

Verſ. 7. *Ne erretis.* (i) Pergit in eodem præcepto, eoſque ſerio, ne id negligere velint, monet, pœnam, ſi aliter faciant, divinam non obſcure illis interminans. Unde apparet, paulo negligentiores Galatas fuiſſe in hoc officio. ideo inquit: *Ne erretis*, nempe ita, ut exiſtimetis, hoc non eſſ veſtri muneris & officii, doctorum & paſtorum veſtrorum curam gerere.

*Deus non irridetur.* (k) Quibus verbis tacite indicat, iſtos homines Deum irridere quodammodo: qui iis, a quibus docentur, quique eorum ſaluti toti vacant, de rebus ad hanc vitam ſpectantibus non proſpiciunt. Dupliciter autem hæc (l) irriſio intelligi poteſt: vel ſpecialiter, & ad hoc unum tantum præceptum accommodate: vel generalius, ita ut etiam ad alia Chriſtiani hominis officia extendatur. 1. Specialiter, quatenus quis velit vitam ſempiternam a Deo obtinere, nec tamen eam in rem ſumtum atque impenſam tam exiguam, tam juſtam, tam neceſſariam atque ab ipſo Deo præceptam facere. (m) Generalius, quatenus quis velit æternam ſalutem a Deo obtinere, nec tamen interim facere velit ea, quæ Deus ab ipſo requirit; quorum unum etiam hoc eſt, ut divini verbi præcones alamus, & tantum iis de facultatibus noſtris ſuppeditemus, quantum ad vitam honeſtam & liberalem eſt opus. Utrique irriſioni ſeu irridendi modo ſequentia verba aptari poſſunt. Si ea priori aptabimus, preſſius, & ad rem propoſitam propius accipi debent. Sin poſteriori, latius, & ad omnes actiones noſtras extendi. *Deus* autem (n) *non irrideri* dicitur, non quia a multis non irrideatur: ſed quia nemo ferat impune, quod eum irrideat, ſeu ita cum eo agat, ac ſi cum ludibrio ac contemptui haberet. quaſi diceret: Deus non patitur ſe irrideri, ſeu non impune ipſi illuditur.

*Quod enim ſeminaverit homo, hoc & metet.* (o) Hæc verba ut jam diximus, tum ſpecialiter, & ad propoſitum præceptum accommodate, tum generaliter de omnibus actionibus accipi poſſunt. Affert his verbis rationem, cur Deus non irrideatur: quia nimirum quiſque ſecundum ſuum laborem mercedem accipiet: qualem ſementem fecerit, talem habebit meſſem: quemadmodum etiam in rebus terrenis fieri videmus. Quocirca Deum irridere nemo poteſt: quandoquidem nemo impune feret, quod ea vel impendere vel facere neglexerit, quæ ad vitam ſempiternam comparandam pertinent. (p) Cum dicit, hominem *id* meſſurum, *quod ſeminaverit*; primo quivis videt, id non poſſe ita accipi, ut plane idem quis metat, quod ſeminat: ſed idem dicitur metere, quia fructum, ei quod ſeminavit convenientem, & veluti debitum, referat. de quo loquendi modo vide & Epheſ. 6. 8. (cum quo loco confer Col. 3. 25) & 2 Cor. 5. 10. Præterea notandum eſt, (quemadmodum ſequentia verba, quæ horum explanatio quædam ſunt, indicant) (q) Apoſtolum non tam hic reſpicere ad ipſum ſemen, quod ſeritur, quam ad ſeminandi modum & rationem, ad quam illud vel inprimis referendum eſt, quali agro ſemen credas; & id velle dicere: quo quiſque modo ſementem fecerit, talem etiam meſſem habebit: ſi ſemen ſparſerit in terram bonam & ferti-

(i) *Idem præceptum inculcatur.* (k) *Deum irrident, qui doctores alere nolunt.* (l) *Irridere Deum.* (m) *Irrideri non patitur.* (n) *Ratio dicti.* (o) *Fructus labori reſpondet.* (p) Res pro fructu rei conveniente. (q) Quod ſeminatur *pro ratione ſementis.*

lem, uberem etiam habebit meſſem: ſi in malam aut ſterilem, contra: ſubjungit enim,

Verſ. 8. *Quoniam qui ſeminat in carnem ſuam, de carne metet corruptionem.* In quibus verbis, explicare id volens quod nunc dixit, carnem & ſpiritum (*a*) cum agro conſert: carnem quidem cum agro malo: (*b*) ſpiritum autem cum agro bono.

(*c*) *Seminare autem in carnem*, ſi accommodate ad præceptum ſuperius loqui volumus, (*d*) nihil aliud eſt, quam ſumtum facere & opes profundere in eas res, quæ tantum ad carnem & ad hanc præſentem vitam ſpectant. (*e*) Seminationi enim ſæpe conferuntur ſumtus & impenſæ, etiam in ſacris literis. vide Matth. 25. 24, 26. 2 Cor. 9. 6, 9, 10. (*f*) Seminare autem in ſpiritum, (*g*) eſt ſumtibus non parcere in res ad ſpiritum pertinentes; (*h*) inter quos ſumtus vel primum locum iſte habet, qui fit in eos, qui nos in divina veritate inſtruunt & erudiunt. Qualis autem eſt ager, talis etiam ex eo meſſis proveniet.

(*i*) Caro eſt corruptibilis; propterea etiam *corruptionem* ſeu *interitum* ex ea *metent*, quicunque eum agrum conſerunt. (*k*) Spiritus autem eſt incorruptibilis; propterea etiam incorruptionem vitamque æternam ex eo metent, quicunque eum conſeverunt. (*l*) Promittitur autem hujuſmodi hominibus vita æterna; non quod aliter fieri nulla ratione queat; ſed quod ea ſit vis hujus ipſorum actionis, ut ex divina benignitate vitam æternam conſequantur, niſi aliud aliquid impediat: & hac ratione non ſemel uni alicui virtuti ſalus promittitur. Vide inter alia Matth. 5. verſ. 3, & ſeqq. & cap. 6. verſ. 14. (*m*) Cum hac ſatione in ſpiritum, quæ fit doctoribus ſumtus neceſſarios ſuppeditando, conjungenda eſt etiam, quemadmodum ex ſequentibus intelligitur, liberalitas in alios, ope noſtra indigentes. Nam qui in inopes ſumtus facit, & pecunias ſpargit, is merito in ſpiritum ſeminare dicitur: quandoquidem ideo id facit, ut eum pulcherrima virtute veluti excolat. (*n*) Sed ſi hæc verba ad omnes actiones extendere velimus; (*o*) ſeminare in carne, erit circa carnem occupari, illam veluti agrum quendam curare, excolere, totum ſe carni dare: quo pertinent omnes actiones, quæ carni ſunt gratæ & jucundæ. hanc ſationem vel ſementem, corruptibilitatis meſſis conſequitur. (*p*) Contra ſeminare in ſpiritum erit, circa ſpiritum occupari, & rebus ad ſpiritum pertinentibus indulgere ac vacare. hanc ſationem æternæ vitæ meſſis excipit.

Verſ. 9. *Bonum autem facientes ne defatigemur.* (*q*) Poſtquam eos ad id, quod bonum eſt, incitavit, nunc etiam monet, ut in eo ſint conſtantes. Utitur autem voce (*r*) καλὸν, quæ proprie rem pulchram & honeſtam ſignificat: hoc autem loco id, (*ſ*) quod alteri bonum atque utile eſt, denotat, & ponitur pro voce ἀγαθὸν ſimpliciter, ut apparet ex ſequente verſu, niſi velimus ſic de induſtria locutum fuiſſe apoſtolum, ut ad generalem illum præcedentium verborum ſenſum ſimul reſpiceret. Rationem addit, permanens in eadem ſerendi ac metendi ſimilitudine:

*Tempore enim proprio metemus non deficientes.* (*t*) Non debemus defatigari in ſerendo: quia etiam non defatigabimur in metendo. Dicit, *Tempore proprio*, (*a*) quemadmodum etiam nunc fit. habet enim & ſatio ſuum tempus, & meſſis: neque qui ſerit, ſtatim vult metere, ſed meſſis tempus patienter expectat. Sic & nos futuræ illius meſſis tempus patienter expectare debemus. Tempus autem illud eſt, conſummatio ſeculi hujus, ſeu adventus Chriſti: inde meſſis noſtra incipiet.

*Non deficientes*, μὴ ἐκλυόμενοι. His verbis duo ſignificare voluiſſe videtur: (*b*) primum quod meſſis illa noſtra in cælis, futura ſit ſine ullo tædio ac moleſtia, non quemadmodum nunc fit. Meſſe enim licet nihil ſit utilius, nihil tamen fere eſt laborioſius. hinc videmus etiam ſæpe homines in meſſe viribus deficere, cum ad laborem etiam ſolis ardor accedit. Sed in illa futura meſſe percipienda nullus erit labor, nullum tædium; quicquid laboris ac moleſtiæ fuit, id omne in ſerendo fuit. Alterum eſt, quod tanta ubertate proveniet fructus, (*c*) ut nunquam in metendo ceſſaturi ſimus.

Verſ. 10. *Ergo igitur cum tempus habemus.* (*d*) Jam ex ſuperioribus infert & concludit ſuum præceptum, de liberalitate ſine defatigatione, id eſt conſtanter exercenda. Dicit autem, *Cum tempus habemus*, ὡς καιρὸν ἔχομεν. Particula ὡς poſita eſt (*e*) pro *cum*, ut 1 Cor. xi. v. ult. id eſt, quandocunque tempus & opportunitatem (*f*) (καιρὸς enim tempus opportunum ſignificat) habemus, (*g*) quotieſcunque ſe offert occaſio; vel etiam, dum tempus habemus, quaſi jam tempus iſtius rei adſit, quod paulo poſt effluet, quemadmodum nec ſemper ſerendi tempus eſt. Itaque tum, cum opportunum eſt, omnes agricolæ agros conſerunt: quod tempus ubi ſemel effluxerit, poſtea fruſtra requiritur. (*h*) Tempus ſationi noſtræ deſtinatum vita noſtra eſt. Quare quamdiu nobis vita ſuppetit, quamdiu bona noſtra ſunt in noſtris manibus & poteſtate, ſerendum eſt, & ſpiritus noſter eſt excolendus. Quo pertinet illud vulgatum: *Da tua dum tua ſunt.*

*Operemur bonum*, id eſt, (*i*) benefaciamus, ſeu benefici ſimus.

*Erga omnes*, quicunque noſtra ope & benignitate indigent cujuſcunque conditionis ſint homines, etiam infideles,

*Maxime autem erga domeſticos fidei.* (*k*) Oſtendit, quibus inprimis benefacere debemus. Omnibus quidem benefacere debemus, ſed non æque: domeſticis fidei ante omnes benefaciendum eſt. (*l*) Domeſtici autem fidei, ſunt domeſtici ratione fidei, hoc eſt, ii, qui nobiſcum ſunt in eadem Dei domo, in eadem familia, quæ eſt eccleſia. Ita enim fieri ſolet, ut homines domeſticis citius ſuccurrant, quam alienis. Hoc idem inter Chriſtianos fieri debet, ut ſe invicem inprimis omni officiorum genere juvent, & mutuis afficiant beneficiis. Ideo Chriſtianus Chriſtianum citius & magis juverit, quam alium, ſi utrumque æque juvare non poſſit.

Verſ. 11. *Videte quantis vobis literis ſcripſi mea manu.* (*m*) Sequitur altera pars capitis, in qua monet Galatas, ut ſibi a ſeductoribus & eorum doctrina caveant, & ipſum potius, ac doctrinam ipſius

(*a*) *Caro ager malus;* (*b*) *Spiritus, bonus.* (*c*) *Seminare in carnem.* (*d*) 1 *ſenſus.* (*e*) Seminare *pro ſumptus facere.* (*f*) *Seminare in ſpiritum:* (*g*) 1 *ſenſus.* (*h*) *Doctoribus neceſſaria largiri.* (*i*) *Carnis fructus interitus.* (*k*) *Spiritus, vita æterna.* (*l*) *Uni virtuti quomodo ſalus adſcribatur.* (*m*) 2 *ſenſus ſeminare in ſpiritum egenis largiri* (*n*) 2 *Senſus.* (*o*) *Seminare in carnem, carni dare operam.* (*p*) *Seminare in ſpiritum, huic dare operam.* (*q*) *Ad conſtantiam beneficentiæ hortatur* (*r*) Τὸ καλὸν. (*ſ*) *Quod alteri utile.* (*t*) *Ratio hortat: a fructu.*

(*a*) *Tempus meſsis noſtræ expectandum.* (*b*) *Ea carebit moleſtia.* (*c*) *& fine.* (*d*) *Concluſio hortationis.* (*e*) ὡς *pro cum.* (*f*) Καιρὸς. (*g*) *Occaſio benefaciendi non prætermittenda.* (*h*) *Dum vivimus, bene agendum.* (*i*) *Omnibus bene faciendum.* (*k*) *Sed præcipue fidelibus.* (*l*) *Domeſtici fidei.* (*m*) 2 *pars capitis & epilogus epiſtolæ*

ſequan-

ſequantur. (*b*) Primo autem teſtatur ſuum erga eos, eorumque ſalutem, affectum ac ſtudium, per id, quod ſibi non fuerit grave, propria manu tam prolixas literas ad eos exarare. (*c*) Miſit quidem Paulus ad alias eccleſias literas ſæpe tam longas, aliquando etiam longiores: ſed eas, ut apparet, dictavit, non ipſe ſcripſit. Epiſtolæ ad Romanos ſcriptor fuit Tertius, Rom. 16. 22. (*d*) In aliis etiam epiſtolis idem factum fuiſſe hoc indicat, quod eas ideo propria manu ſubſcribere conſueverit, & ſalutationem apponere, ut a ſuppoſititiis dignoſcerentur. quod ſignum non ita fuiſſet neceſſarium, ſi totas ipſe epiſtolas ſua manu ſcribere fuiſſet ſolitus, vide hac de re 2 Theſſ. 3. 17, & confer cum c. 2. 2, & Col. 4. verſ. ult. Longe autem moleſtius eſt & tædioſius literas ſcribere, quam dictare; ideo non mirum eſt, quod apoſtolus in ſignum ſui erga Galatas amoris & affectus hoc commemoret.

Verſ. 12. *Qui volunt εὐπροσωπῆσαι ſpecioſi apparere in carne.* (*e*) Iam ſeductores iſtos deſcribit, & eorum conſilium detegit, oſtendens, quo illi tendant, & quid ſpectent, legem & circumciſionem obtrudere volentes: ut hinc appareat, eos non ſincero affectu & amore in Galatas duci, quod erat in Paulo, ſed ſuum carnale commodum ſpectare. (*f*) Id erat duplex, quanquam alterum ad alteram tanquam finem ſuum, ab iis maxima parte referebatur, ita ut unicum tantum quodammodo eſſe videretur. (*g*) Primum erat, ut hac ratione perſecutionem, quæ veros Chriſtianos, ad exemplum ducis ipſorum, ſemper manet & manere debet, evitarent: (*h*) alterum, ut ex adductis ad legem & legales ceremonias Galatis, veluti triumphum quendam agere, & gloriolam conſequi apud Judæos poſſent.

*Qui volunt εὐπροσωπῆσαι.* (*i*) Ὅσοι, *quotquot*, videtur poſitum eſſe pro ὅτινες, *qui*. (*k*) Deſcribuntur autem his verbis ſeductores iſti, quod ſint illi, qui volunt εὐπροσωπῆσαι in carne, id eſt qui volunt eximii & egregii videri & apparere, propter res carnales, ſeu ad carnem pertinentes, qualis erat circumciſio, & reliquæ ceremoniæ legales; ac proinde ex iis laudem & commendationem quærunt, ac notabiles iſtis rebus eſſe volunt. (*l*) Caro enim, ut jam ſupra vidimus cap. 3. 3, & alibi repetiimus, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto, ſignificat res, quæ in carne fiunt, & ad eam tantum ſpectant. (*m*) Tacite indicat Paulus, Chriſtianum hominem aliis rebus debere eminere, & notabilem nobilemque eſſe; non carnalibus, ſed ad ſpiritum pertinentibus, & in quibus nova creatura conſiſtit. Itaque vel ob id id ipſum iſti homines Galatis ſuſpecti eſſe debebant.

*Hi cogunt vos circumcidi:* (*n*) non quod eis vim quoad corpus facerent, ſed quoad conſcientiam; cogebant eos perſuaſionibus, & veri ſpecie fucatis argumentis.

*Tantum ne cruce Chriſti perſecutionem patiantur.* (*o*) Hic jam eorum ſcopum aperit, & oſtendit, quo conſilio Galatas ad circumciſionem & legem cogant; qui nullus alius erat, (*p*) quam ut hac ratione perſecutionem effugerent. (*q*) Judæi enim tum temporis Chriſtianos ob id maxime, imo unice perſequebantur, quod per eos legem Moſaicam abrogari, & in vilipendium adduci viderent. Ab initio quidem ideo perſecuti ſunt Chriſtianos, (*a*) quod Jeſum pro Chriſto ac Domino ſuo cæleſti agnoſcerent: (*b*) ſed cum viderent, hanc fidem adeo invaleſcere, ut nullo modo ei obſiſti poſſet, deſerbuit paulatim hoc odium; (*c*) quod deinde vehementius exarſit & recruduit, cum euangelio ad gentes propagato, legales ceremoniæ negligi, & ſenſim per Chriſti doctrinam abrogari cœperunt: (*e*) quod quia Pauli apoſtoli potiſſimum miniſterio fiebat, ideo Paulus tanquam omnis invidiæ ſcopus, & odii publici victima petebatur. Quare ne in eandem afflictionem & perſecutionis ſcopulum impingerent iſti; ideo Moſaicam diſciplinam hominibus ad Chriſtum converſis obtrudebant, qua de re diximus jam nonnihil ſup. cap. 5. 11.

Non dixit autem ſimpliciter, *ne perſecutionem patiantur*, ſed addidit hæc verba, *ne cruce Chriſti* perſecutionem patiantur. id eſt, ne ad exemplum Chriſti, qui crucis mortem pertulit, & ipſi ignominiam & cruciatus varios pati cogantur.

Itaque *crux Chriſti*, (*f*) hoc loco, ut & ſuperius viſum eſt c. 5. 11, 18, non pro ſola ipſius Chriſti cruce, ſeu morte illa quam in cruce pertulit, ſumenda videtur, ſed pro mortibus, cruciatibus, afflictionibus, contumeliis eorum, qui ad Chriſti ſimilitudinem patiuntur, hoc eſt, & ſimilia Chriſto patiuntur, & ſimilem ob cauſſam, atque adeo propter ipſum Chriſtum: Sic ſumuntur paſſiones Chriſti 2. Cor. 1. 5, mortificatio Domini Jeſu ead. epiſt. cap. 4. 10, conf. verſ. ſeq. 11. (*g*) Indicat autem his verbis apoſtolus, crucem eſſe veluti Symbolum quoddam Chriſtianorum, qui ad exemplum ſui capitis ac ducis, cruci, hoc eſt, afflictionibus ac contumeliis variis ſubjecti eſſe debeant: ideoque non recte facere eos, qui crucem defugiant; (*h*) & doctrinam eam, quæ ad evitandam crucem ſit comparata, abludere a vera Chriſti doctrina, quæ quemadmodum ipſi Chriſto crucem attulit, ſic omnibus ejus membris affert: itaque ex hoc ipſo apparere poſſe, an iſti homines ſint veri Chriſtianæ religionis doctores, qui non tantum nullam communionem crucis cum Chriſto habeant, ſed etiam habere nolint, & id unice agant, ut quam longiſſime ab ea abſint.

(*i*) Cum dicit *ſolum*, non id vult, quod nihil prorſus aliud præter hoc ſpectent. Nam ut ſequenti verſu pocet, etiam id quærebant, ut in Galatarum carne gloriari poſſent. Sed hæc particula, tantummodo excludit fines ſibi minime ſubordinatos, non vero ſubordinatos, quales ſunt iſti, vitare afflictiones propter Chriſtum, & gloriam ac laudem ex rebus carnalibus captare. Hoc enim poſterius ad prius obtinendum eſt accommodatiſſimum, & ab iſtis pſeudodiſcalis ad id vel inprimis referebatur.

Verſ. 13. *Neque enim qui circumciduntur, ipſi legem cuſtodiunt.* (*k*) Occupatio eſt tacitæ objectionis, ſeu potius ſuperioris dicti ratio per occupationem. Poterat enim aliquis dicere, homines iſtos non hunc ſibi ſcopum habere præfixum, (*l*) ſed legis ſtu-

(*b*) *Studium Pauli erga Galatas.* (*c*) *Paulus dictare epiſtolas ſolitus* (*d*) *& ſua manu ſubſcribere.* (*e*) *Seductores Galatarum, ſuum quærebant commodum.* (*f*) *Idque duplex* (*g*) *1 ut perſequutionem evitarent.* (*h*) *2 Ut gloriolam conſequerentur.* (*i*) Οσοι pro ὅτινες (*k*) *Seductorum deſcriptio ab ambitione.* (*l*) Caro *pro rebus externis.* (*m*) *Chriſtianus rebus ſpiritualibus non externis excellere debet.* (*n*) Cogere *pro vehementer impellere.* (*o*) *1 Finis ſeductorum:* (*p*) *Perſecutionis fuga.* (*q*) *Judæi cur Chriſtianos perſecuti?*

(*a*) *Cauſſa 1 Chriſti profeſſio.* (*b*) *Ejus vis paulatim ceſſavit.* (*c*) *2 legis abrogatio.* (*e*) *Ob hanc Paulus maxime paſſus,* (*f*) Crux Chriſti *etiam pro Chriſtianorum afflictionibus.* (*g*) *Ea Chriſtianorum ſymbolum.* (*h*) *Ejus fuga indicium quoddam ſeductorum.* (*i*) Solum *non excludit ſubordinata.* (*k*) *Ratio cum prolepſi.* (*l*) *Legis ſtudio non ducebantur pſeudodiſcali ſervabant.*

gis ſtudio & zelo teneri, idque ſpectare, ut ab omnibus lex obſervetur. Hoc amovet apoſtolus, per id, quod illi ipſi legem non cuſtodiant. (*) Qui enim ipſe legem non cuſtodit, quomodo id unice ac ſincere quærere & ſpectare poteſt, ut lex ab aliis cuſtodiatur & obſervetur?

Ait οἱ περιτεμνόμενοι, ſeu, ut alii codices habent, οἱ περιτετμημένοι, *illi circumciſi*; quaſi dicat: neque enim illi ipſi doctores veſtri, licet circumciſi, vel, qui circiſionem ſuam tantopere jactant, & circumciſi audire gaudent, legem ſervant. Nam oratio non videtur eſſe generalis, quemadmodum verba prima fronte præ ſe ferunt. Facile autem intelligi poteſt, cur apoſtolus aſſerat, eos ipſos homines legem non cuſtodire ſeu ſervare: nempe quia eſſent homines carnales, & eorum Deus (ut de iiſdem farinæ hominibus in epiſtola ad Philip. loquitur cap. 3. 18. 19, eſſet venter: ac propterea, ut Phariſæi olim faciebant Matth. 23. 23, etiamſi ſingularem pietatis ſpeciem præ ſe ferrent, & ceremonias, aliaqua faciliora legis præcepta diligenter obſervarent, omitterent tamen legis graviora, nempe judicium, ſeu jus faſque, miſericordiam, & fidem, aliaque quæ eorum cupiditatibus, ambitioni, avaritiæ obſtarent.

*Sed volunt vos circumcidi, ut in veſtra carne glorientur.* (*a*) Hic alter erat eorum ſcopus, ſed ad priorem illum directus: quaſi dicat, non ergo obſervationem legis ſibi pro ſcopo habent præfixam, cum eo vos adducere volunt, ut circumcidi vos patiamini:

Sed hoc potius agunt, *ut in carne veſtra glorientur*, (*b*) id eſt, ut caro veſtra illis gloriandi cauſam & materiam ſuppeditet; ut hinc gloriam & nomen conſequantur; idque ipſi etiam jactent, non quod vos ſecundum ſpiritum meliores fecerint, virtute ac pietate auxerint; ſed quod vos ad obſervationem legalium ceremoniarum adduxerint: ut ex præciſa carnis veſtræ cuticula pulcherrimum triumphum, vobis quodammodo oſtentui habitis, agant.

Verſ. 14. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* (*c*) His verbis ſemetipſum opponit ſeductoribus iſtis, ut appareat, quantum inter Paulum & illos interſit. Illi crucem Chriſti evitare volebant; (*d*) Paulus tantum aberat ut eam vitare vellet, ut nulla in re niſi in Chriſti cruce gloriaretur. Illi in carne Galatarum gloriari volebant: Paulus tantum in Chriſti cruce. Quis ergo non videt, Paulum eſſe ſectandum audiendumque, iſtos vero repudiandos?

Per *Chriſti crucem* (*e*) intelligenda iterum videtur, tum Chriſti ipſius crux, hoc eſt, afflictio & mors ignominioſa, quam in cruce pertulit; tum etiam afflictio, quam quis Chriſti cauſa, ad Chriſti exemplum & imitationem, ſubit. In utroque iſtorum gloriari ſe, (*f*) dicere videtur Paulus, hoc eſt, tum de eo, quod aliquando Chriſtus crucem ſubierit, per quam novum & æternum fœdus ſancivit, & ſimul vetus abrogavit: (*g*) tum de eo, quod Chriſti, & ejus doctrinæ cauſa, calamitates & perſecutiones patiatur, atque hac ratione Chriſto conformetur. (*h*) Quod ſi hoc loco alterutrum horum nominatim intelligendum ſit, veriſimile eſt poſterius intelligendum eſſe: partim quidem, quia hanc glorationem ſuam in Chriſti cruce, opponit illi pſeudodidaſcalorum ſtudio, quos id unice agere paulo ante dixerat, *ne cruce Chriſti perſecutionem patiantur:* partim vero, quia 2 Cor. 11. 30. & 12. 5. 9 aperte aſſerit, ſe non gloriaturum niſi in afflictionibus & infirmitatibus ſuis: quemadmodum hic ait: *mihi abſit*, vel *non contingat gloriari, niſi in cruce Chriſti*: (*i*) licet interim neutro in loco excludendæ ſint propriæ iſtarum afflictionum cauſſæ, inter quas mors Chriſti, eamque conſequuta reſurrectio: itemque propria earum effecta, inter quæ eminet ſpes immortalitatis firma. (*k*) Nam alias Paulus gloriabatur non minus in ſpe gloriæ divinæ, quam in afflictionibus: imo in his non niſi propter illam, ut apparet ex cap. 5 Rom. verſ. 2, & ſequentibus, cui adde Hebr. 3. 6: gloriabatur (*m*) idem in Deo, eodem cap. 5 Rom. verſ. 11. gloriabatur (*n*) in Chriſto Jeſu, totaque ejus religione ac diſciplina Phil. 3. 3. (*o*) Maximum ergo in ea re decus ſitum eſſe putabat Paulus, quod Chriſto afflictionum ratione conformaretur: quemadmodum ex verſ. 10 ejuſdem cap. 3. Phil. cum præcedentibus collato appareret. (*p*) Et ſane nihil glorioſius in hac vita contingere homini poteſt, quam ſi Chriſto, tum in afflictionibus ipſis, tum in afflictionum cauſſa (martyrem enim, ut ille dixit, non pœna facit, ſed cauſſa) conformetur. Unde ad eoſdem Philipp. cap. 1. 29 ita ſcribit Paulus: *donatum eſt vobis pro Chriſto, non ſolum ut in ipſum credatis, ſed etiam ut pro ipſo patiamini.* Cauſſas vide tum ibid. verſ. præced. tum Matth. 5. 10, 11, 12. Rom 5. 3, 4, 5. 2 Theſſ. 1. 5, & d. Jac. 1. 2, 3. 1. Pet. 1. 6, & d. iv. 13, 14. adde Hebr. xi. 26.

(*q*) *Per quam mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Vim crucis Chriſti ſeu effectum exprimit, ob quem tanto magis de ea gloriabatur Paulus, & quidem ejuſmodi, qui ſtudiis ac conſiliis adverſariorum Pauli, ſeu falſorum iſtorum doctorum, penitus adverſabatur, & Paulum verum ac genuinum Chriſti ſervum ac diſcipulum eſſe arguebat. Is vero erat, quod per eam mundus ipſi, & viciſſim ipſe mundo crucifixus eſſet.

Dupliciter autem hæc verba intelligi poſſunt, quanquam eodem res redit: vel ut *crucifixus* (*r*) ſignificet eum, a quo aliquis abhorreat, & quem veluti deteſtetur, qui ſit tanquam piaculum quoddam; quales eſſe ſolent homines infami ſupplicio affecti, quos omnes horrent ac refugiunt: vel ut *crucifixus* ſimpliciter ſumatur pro mortuo, quemadmodum ſæpe contingit apud Paulum, alluſione ad crucem Chriſti, ſeu mortem ejus in cruce perlatam facta. (*ſ*) Si priorem ſequamur ſenſum, mundus crucifixus erat Paulo, quatenus ab eo abhorrebat Paulus, eumque ceu hominem infami ſupplicio affectum fugiebat ac deteſtabatur: & viciſſim Paulus mundo, quod eum mundus quoque, tanquam hominem aliquem ſceleſtum & piaculum, abominaretur.

(*u*) Per *mundum* autem intelliguntur homines mundani, id eſt, moribus mundanis præditi, & Chriſti legibus ac doctrinæ adverſi, (*x*) una cum ſuis, quas ſequerentur, religionibus, & rebus quas in pretio habe-

(*) *quia ipſi eam non ſervabant.* (*a*) *Finis gloriatio* (*b*) *De carne Galatarum.* (*c*) *Paulus falſis Doctoribus longe diſſimilis.* (*d*) *Tantum in Chriſti cruce gloriabatur.* (*e*) Chriſti crux & *ipſius, & ſimiles fidelium afflictiones notat.* (*f*) *Paulus de Chriſti morte gloriabatur.* (*g*) *De ſuis pro ipſo afflict.* (*h*) *De his hic potiſſimum.*

(*i*) *Non excludendæ afflictionum cauſæ & effecta.* (*k*) *Paulus gloriatur de ſpe gloriæ divinæ.* (*m*) *De Deo.* (*n*) *De Chriſto.* (*o*) *Decus ejus ſummum afflictiones pro Chriſto.* (*p*) *& cujuſvis Chriſtiani.* (*q*) *Effectus crucis Chriſti eximus.* (*r*) Crucifixum eſſe alicui *dupliciter accipi poteſt.* (*ſ*) *Mundus priori ſenſu quomodo Paulo crucifixus.* (*t*) *& Paulus mundo.* (*u*) Mundus *pro hominibus mundanis.* (*x*) *Una cum religionibus, ac ſtudiis ſuis.*

rent,

rent, Chriſtiano homini fugiendis. Hoc vero effecerat crux Chriſti, quæ eam vim habet ut omnes, qui eam cognoſcunt, ad Chriſtum rapiat & ei mancipet: qui autem Chriſto totum ſe mancipat, non poteſt non deteſtari mundum, quatenus is Chriſto eſt adverſus; & viciſſim deteſtabilis eſſe mundo. quin & afflictiones Pauli, quas Chriſti cauſſa a mundo fuerat perpeſſus, ei mundum cum ſuis religionibus ac ſtudiis, & viciſſim, ipſum mundo tanto magis inviſum atque exoſum reddiderant.

Si poſteriorem vocis *crucifixi* explicationem ſequamur, ſenſus erit: Chriſti cruce & morte effectum eſſe, ut & mundus Paulo fuerit mortuus, & Paulus viciſſim mundo: hoc eſt, ut & mundus nihil cum Paulo commercii haberet, ut eum amaret, ſoveret, complecteretur; ſed reſpectu Pauli eſſet inſtar mortui; & ut viciſſim Paulus nihil commune haberet cum mundo, nulla in re ei placeret; ſed reſpectu mundi eſſet veluti mortuus, & omni vita deſtitutus. (*b*) In eo autem Paulo plane diſſimiles erant falſi iſti doctores, qui circumciſionem urgendo, id unice, ut vidimus, agebant, ut mundo, nempe Judæis infidelibus, placerent, & rebus hujus mundi quiete frui poſſent.

Verſ. 15. *In Chriſto Ieſu enim neque circumciſio quid valet, neque præputium.* (*c*) Ratio præcedentium cum quadam prolepſi. Poterat enim quiſpiam dicere, Cur vero, Paule, non niſi in cruce Chriſti vis gloriari, cur non etiam in carne? cur non, ut iſti doctores faciunt, id agis, ut gloriandi materiam inde conſequare, quod ad circumciſionis, & aliorum carnalium & externorum rituum obſervationem, alios adduxeris? reſpondet Paulus, recte omnino ſe facere, qui de ſola Chriſti cruce glorietur, non vero, ut iſti, ex circumciſione aliiſque ſimilibus ceremoniis gloriandi quærat materiam: (*d*) quia in Chriſto Jeſu, hoc eſt, in ejus religione ac diſciplina, quæ omnibus eſt ſequenda, (*e*) nihil valeat circumciſio, nullam vim, nullum momentum habeat, ad Dei gratiam, ad juſtificationem comparandam, non magis quam præputium: (*f*) ſed nova tantum creatura. hanc ſolum a Deo in nobis reſpici, & ad juſtificationem ac ſalutem ſempiternam requiri. Quare his verbis non tam ratio redditur ejus, (*g*) cur in Chriſti cruce glorietur Paulus, quam cur *non niſi* in hac, cur in hac ſola. Quanquam negare nolimus, apoſtolum in poſterioribus verbis, quibus indicat, ſolam creaturam novam in Chriſti diſciplina valere, etiam ejus rei reddere rationem, cur in Chriſti cruce glorietur: nempe quia ea effecerit, ut & ipſi mundus, & ipſe mundo eſſet crucifixus, qua in re novæ creaturæ ratio vel inprimis conſiſtit. Jure ergo Paulus in cruce Chriſti gloriabatur, quæ id ſibi afferret boni, quod ſolum in Chriſti diſciplina valet. De verbis *in Chriſto Jeſu*, itemque cur *præputium* addatur *circumciſioni*, dictum eſt ſupra loco ſimili cap. 5. 6.

(*h*) Vox autem κτίσις ſeu *creatura* aut *creationis*, videtur hoc loco abſtracte potius, ut natura ejus fert, quam concrete, quemadmodum alibi fere ſolet, cum genitivus materiæ ſeu ſubjecti non apponitur, ſumenda eſſe, ut tanto rectius & circumciſioni & præputio opponi poſſit, & canon ſeu regula, ſecundum quam incedendum ſit, appellari.

(*i*) Itaque *creatura nova* ſignificat eam mutationem hominum, quam Chriſti religio iis affert; (*k*) & opponitur veteri tum religioni, qualis erat & Judaica & gentilis, ſeu circumciſioni & præputio; tum vitæ ac morum rationi; & conſiſtit in ſpirituali Dei cultu, ſeu, ut ex ſimilibus apud eundem Paulum teſtimoniis manifeſtum eſt (vide ſup: c. 5. ℣. 6. 1 Cor. 7. 19: & 2 Cor. 5. 17) in fide per charitatem efficaci, in obſervatione divinorum mandatorum novo fœdere præſcriptorum, in ſimilitudine ſeu imagine Dei ipſius, hoc eſt, ut in epiſtola ad Eph. cap. 4. verſ. 24 loquitur, in juſtitia & ſanctitate veritatis. Quare creatio hoc loco non ſignificat ipſam Dei creantis actionem, ſed actionis iſtius in hominibus effectum, reſpectu cujus homines dicuntur novi, & creaturæ novæ.

(*l*) Inepte autem ex hoc verbo *creationis* colligunt quidam, Deum, ſicut in prima creatione ſolus fuit opifex hominis minime συνεργὸς, ſic etiam in hac nova creatione ſolum, non modo non concurrente, ſed etiam, tunc cum Deus ipſum reformat, quantum in ſe eſt repugnante homine, illum refingere. (*m*) Aliud enim eſt, hominem, qui prorſus non fuerit, condere; aliud, cum exiſtentem, viventem, intelligentia & arbitrio præditum reformare; & quidem reformare, non quoad eſſentiam, ſed quoad voluntatis inclinationem & mores, id eſt, efficere a, ut velit certim aliquam doctrinam & religionem ac vivendi rationem ſequi, eamque porro reipſa ſequatur: ad illud homo concurrere nullo modo poteſt: hoc ſine hominis opera, & ad id concurſu, fieri nec debet, nec poteſt. Non debet, quia alioquin nullus eſſet virtuti locus, & omnis ratio religionis ac pietatis everteretur. Non poteſt, quia neceſſe eſt, ut homo & velit, & faciat: (*n*) at quomodo homo aliquid ſine ſeipſo poteſt & velle & facere? Ideo ſacra ſcriptura nos ipſos non ſemel hortatur ad id, ut novi homines & novæ creaturæ fiamus. At ſi ad iſtud nulla hominum opera interveniret, quomodo hortari homines, ut id faciant, divinus ſpiritus poſſet? qua de vide quid ſcribat apoſtolus Eph. 4. verſ. 22, & ſeqq. & Col. 3. 8, 9, & ſeqq. Quare ii, qui contrarium ex verbo creandi aut aliis ſimilibus colligunt, figuratam ac metaphoricam vocum ſignificationem cum propria hac in parte confundunt, nec intelligunt, ſimilia hæc eſſe, non eadem, hoc eſt, non ejuſdem generis ſynonymi, ſed ali quouſque tantun analogi: nec meminerunt, omnem ſimilitudinem (ſimilitudo autem contracta, eſt metaphora) claudicare, ut in ſcholis loqui ſolemus.

Verſ. 16. *Et quicunque regula hac incedent.* (*o*) Poſtquam oſtendit, in Chriſto Jeſu nihil valere, niſi novam creationem; jam etiam docet, quis fructus & quod commodum ex eo conſequatur, ſi quis nova creatura ſit, ut eam tanto magis commendet, & ſimul oſtendat, nil opus eſſe ceremoniis.

Dicit *quicunque*; (*p*) quaſi dicat ſive ſint Judæi, ſive gentiles, ſive circumciſi, ſive præputiati, ſine ullo diſcrimine homines.

*Regula hac incedent.* (*q*) Futurum pro quovis tempore, ut 1. Cor. 2. 16. Regula hæc, eſt nova creatura, ſeu illa mutatio, quam ſuperius diximus. (*r*) Secundum

(*a*) *Poſterior explicatio.* (*b*) *Diſſimilitudo inter Paulum & falſos doctores.* (*c*) *Ratio dicti cum prolepſi.* (*d*) Chriſtus *pro ſua diſciplina.* (*e*) *in hac nil valet circumciſio.* (*f*) *Sed nova tantum creatura.* (*g*) *Cur in cruce Chriſti merito glorietur Paulus.* (*h*) Creatura *abſtracte hic ſumitur.*

(*i*) *Creatura nova quid.* (*k*) *ejus oppoſita.* (*l*) *Refutatio erroris.* (*m*) *Deus ſine nobis nos creavit, ſed non ſine nobis denuo creat.* (*n*) *Sacra ſcriptura nos hortatur, ut novi homines fiamus.* (*o*) *Fructus novæ creaturæ.* (*p*) *Quam late pateat.* (*q*) Futurum pro quovis tempore. (*r*) *Quomodo obtineatur.*

hanc regulam incedunt, quicunque talem mutationem in ſe habent, & operam dant, ut iſti normæ, ac veluti ideæ novæ creationis, quam maxime reſpondeant, & quam proxime ad eam accedant. Ex quibus apoſtoli verbis etiam apparet, operam noſtram, inceſſum ac aborem ad id requiri, ut reipſa novæ creaturæ fiamus.

Fructus autem iſtius rei exprimitur, (a) cum ait: *pax ſuper ipſos & miſericordia.* (b) Pax, ut in ſalutatione apoſtoli diximus, felicitatem ſignificat, Hebræorum more. (c) Miſericordia autem eſt cauſſa efficiens, & veluti fons omnis felicitatis, quæcunque a Deo in populum divinum derivatur. Fruſtra ergo miſericordiam, ac proinde & felicitatem ſperat, quiſquis creatura nova non eſt, utut ſit circumciſus, & alios ritus legales obſervet: contra autem, ſi nova creatura ſit, iſtis non indiget.

*& ſuper Iſraelem Dei.* (d) Videtur hæc verba adjeciſſe, ut cauſam redderet, cur talibus pacem & miſericordiam polliceatur, (e) nempe quod ſint verus Dei Iſrael, quaſi dicat, utpote ſuper eos, qui ſunt verus Dei Iſrael. (f) Iſrael autem ſumitur pro Iſraelitis, ſeu Jacobi poſteris. (g) Iſrael enim, ut omnes norunt, eſt Jacobi nomen, quo eum angelus ille, quem divino robore confirmatus vicerat, decoravit, & ſignificat victorem Dei Gen. 32. 28; (h) ut vel ex ipſo nomine cognoſceret, non eſſe ſibi metuendum Eſaum fratrem, vel ullum alium mortalem: nihil ſuæ virtuti ac fortitudini fore impervium, utpote divina vi ac robore confirmato, quo factum fuerit, ut etiam Deum, hoc eſt, angelum, qui hominibus longe eſt robuſtior, luctando vicerit. Ideo autem & ſcriptura V. fœderis, & eam ſequutus Paulus, (i) Dei populum Iſraelem potius nominavit, quam Abrahamum, vel Iſaacum: quia non omnes Abrahami vel Iſaaci poſteri, ſunt illud ſemen, quod Deus ſingulari ſua gratia ac favore proſequi decreverat: ſed tantum Jacobi ſeu Iſraelis poſteritas; olim quidem ante Chriſti adventum poſteritas carnalis; nunc autem ſpiritualis, quam non conſtituit carnalis ex Jacobo prognatio, ſed nova ex Deo creatio.

*Dei Iſaael* (k) vocatur, quia Deus eum ſibi peculiariter fovendum, amandum, & omni ratione juvandum delegit.

Verſ. 17. Τῶ λοιπῶ vel poſitum eſt pro (l) τὸ λοιπὸν, quod latine dicimus *de cætero*, vel *quod reliquum eſt*, ſeu *quod ſupereſt*. qua phraſi uti ſolemus, cum aliquid ultimo jam loco dicere volumus; vel etiam ſubintelligi debet vox χρόνῳ, quæ ſæpius non exprimitur: ut in illis ἀφ' πολλῶ, μακρῶ, & ſimilibus; ut ſignificet *poſthac, in poſterum*; quemadmodum interpretes quidam notant.

*Moleſtias mihi nemo exhibeat.* (m) Concluſurus hanc epiſtolam hoc addidit, idque ſuperiorum occaſione, quo ſeductorum iſtorum ſugillationes & calumniæ egregie retundi poterant. (n) Quia enim crucis Chriſti mentionem fecerat, quam iſti revera ut crucem horrebant, Paulus autem unicum ſuum decus ac laudem eſſe ducebat; ideo hinc documentum miniſterii ſui petit, (o) ſeque verum Chriſti ſervum, ei penitus addictum ac mancipatum, eſſe oſtendit, & ſic ex hoc crucis veluti propugnaculo ultimum telum contorquet in adverſarios. ſcrupulum, ut ille ait, abeunti. *moleſtias mihi nemo exhibeat*, ſugillans ſcilicet munus meum, & objiciens mihi, quod non ſim verus Chriſti ſervus, ejuſve apoſtolus, ſed neſcio quis hominum quorundam emiſſarius, ut hac ratione doctrinam meam in dubium vocet, & auctoritatem meam elevet. Faceſſant iſti homines, & ſoli caliginem offundere deſinant. Habeo enim, quo eorum calumnias ac criminationes retundam, eoſque penitus convincam.

*Ego enim ſtigmata Domini Jeſu Chriſti in corpore meo porto.* (p) Stigmata ſunt puncta aut notæ, quæ rebus, quæ ad alicujus peculium ac proprietatem pertinent, inuri aut imprimi ſolent, ut a cæteris dignoſcantur. Stigma erat & illud cum dominus aurem ſervi, qui anno ſeptimo e ſervitute egredi nolebat, ad januam domus ſubula perforabat Deut. 15. 16, 17; qua ratione eum ſuæ ſervituti penitus addicebat, & domui ſuæ perpetuo affixum eſſe debere ſignificabat. Ad has ſimileſve notas alluſit apoſtolus: quaſi dicat, habeo enim ſigna & notas multas, quas corpori meo veluti inuſſit impreſſitque Dominus Jeſus, ut quivis ex iis cognoſcere poſſit, me ſervum ac mancipium illius eſſe. (q) Per ſtigmata autem iſta intelligit perpetuas afflictiones, quas ille Chriſti & doctrinæ, quam prædicabat, cauſa perferebat: ex quibus & 2. epiſt. ad Cor. cap. 11 verſ. 23, & ſequentibus, tanquam certiſſimis ſignis, ſe Chriſti eſſe ſervum demonſtrat. Tanto autem elegantius afflictiones iſtæ ſtigmata appellari poterant, ſi ut veriſimile eſt, multa ſui veſtigia, varias cicatrices ac vibices, in corpore ejus reliquerant. His notis quondam ſignatus fuit Dominus Jeſus: his notis ſignat etiam ſervos ſuos. Itaque qui iis ſignatus eſt, habet quo ſe fidelem Chriſti ſervum eſſe probet: qui vero non modo non habet, ſed etiam eas penitus horret ac defugit, & ideo quippiam vel docet, vel docere negligit, ut eas effugiat, quales ſeductores iſti erant, quid aliud, quam ſe fugitivum & nequam eſſe prodit? (r) Fieri poteſt, ut etiam apoſtolus hæc ſtigmata circumciſioni, quæ diſcipulorum legis erat nota, quaque Moſes, non Chriſtus, homines ſignabat, opponere voluerit; ut oſtenderet, Chriſtum alias habere notas, quam erat circumciſionis illa occultanda potius, quam oſtentanda ac jactanda cicatrix.

Verſ. 18. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit cum ſpiritu veſtro.* (ſ) Id eſt, Dominus Jeſus vobis favore ſuo adſit, in rebus ad ſpiritum veſtrum ſpectantibus; ſpiritum veſtrum corroboret, & efficiat, ut ſpiritualem, non carnalem & legalem vitam agatis; ſpiritum enim iterum carni videtur opponere.

*Fratres.* (n) Notandum eſt, quod eos tota epiſtola nuſpiam ſanctos vocaverit, quod tamen in omnibus epiſtolis ad alias eccleſias facere ſolet. Id enim temere factum fuiſſe non videtur, ſed propterea, quod ex Chriſti diſcipulis, pene in Moſis diſcipulos degeneraverant.

*Eadem gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſit cum ſpiritu omnium qui iſta legerint.* Amen.

(a) *Quis ſit.* (b) Pax *pro felicitate.* (c) *Miſericordia, ejus cauſſa.* (d) *Ratio dicti.* (e) Iſrael Dei, *homines vere pii.* (f) Iſrael *pro Iſraelitis.* (g) *quid proprie.* (h) *Cur hoc nomen Iacobo impoſitum.* (i) *Cur Dei populus Iſrael potius, quam Abrahamus, aut Iſaacus dicatur.* (k) Dei Iſrael. (l) τῶ λοιπῶ. (m) *Clauſula epiſtolæ.* (n) *Paulus ex ſuis afflictionibus miniſterium ſuum aſſerit.* (o) *Ejus nomine negotium ſibi faceſſi non vult.*

(p) Stigmata. (q) *Stigmata Chriſti in Pauli corpore, ejus afflictiones.* (r) *Circumciſioni oppoſita.* (ſ) *Votum, ſeu valedictio.* (t) *Paulus Galatas nuſpiam ſanctos vocat.*

PARA-

# PARAPHRASIS

## *Epiſtolæ Pauli Apoſtoli*

## *AD*

# GALATAS.

Verſ. 1. EGo Paulus, qui ſum legatus, non ut quidam falſo dictitant, ab hominibus, neque interveniente hominis cujuſpiam vulgaris mortaliſve opera conſtitutus; ſed a Jeſu Chriſto jam immortali ac Domino omnium effecto, atque adeo ab ipſo Deo, qui tum illius, tum noſter eſt Pater, quique ipſum ex mortuis ad immortalem vitam, & ſupremam gloriam revocavit, ut jure & legationis mihi impoſitæ munus, & quicquid ab illo factum eſt, illo autore factum dici queat:

Verſ. 2. Ego, inquam, & reliqui Chriſtiani omnes, fratres noſtri ſpirituales, qui mecum nunc verſantur, & ſuum in religione conſenſum una mecum teſtari voluerunt, optamus eccleſiis in Galatia congregatis,

Verſ. 3. Favorem, &, quæ exinde, manat, felicitatem proficiſcentem a Deo, Chriſti ac noſtro Patre, atque ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto: qui tantum in nos contulit beneficium:

Verſ. 4. Ut ſeipſum in mortem cruentam & ignominioſam conjiceret peccatorum noſtrorum expiandorum, ſeu pœnarum quas propterea commeriti eramus, tollendarum cauſa: ut ita porro tanta ſpe excitos tantoque obligatos beneficio, ab hominibus hujus ſeculi peſſimis nos abſtraheret, & ad meliorem vivendi rationem revocaret. Hoc autem totum fecit ex voluntate ac juſſu Dei ſummi, qui patrem ſe nunc noſtrum conſtituit ac reipſa præſtitit præſtatque:

Verſ. 5. Cui eo nomine laus debetur ac honor in ſecula ſempiterna, Amen.

Verſ. 6. Non poſſum autem non mirari, quod tam cito deſciveritis a Chriſto, qui tanta cum benignitate vos ad ſalutem per me vocaverat, & relicto vero ejus euangelio, in quo juſtificatio ac ſalus æterna per fidem adipiſcenda vobis oblata fuit, [vel a me doctrinaque mea, qui vos ex Chriſti benignitate ad ſalutem vocaveram,] amplexi fueritis aliud quodpiam, ut quidem vobis videtur, euangelium.

Verſ. 7. Cum tamen nullum revera ſit aliud præter id, quod accepiſtis: tantum ſunt inquieti ac perverſi nonnulli homines, qui animos veſtros turbant [vel: Cujus rei nullam aliam poſſum exputare cauſam, quam quod quidam ſint, qui veſtros animos alioqui nihil tale cogitantes terrent,] idque unum agunt, ut euangelium, ſeu doctrinam Jeſu Chriſti ſalutarem pervertant, itaque immutent, ut ejus jam prorſus alia ſit ratio.

Verſ. 8. Atqui tantum abeſt, ut hujuſmodi hominibus fidem habere debeatis, ut etiamſi nos ipſi, qui vos docuimus, aut etiam angelus aliquis cœleſtis (ſi fieri id ulla ratione poſſet) euangelium vobis prædicaret aliud, quam id ſit, quod nos vobis annunciavimus, ſeu aliam juſtificationem aut ſalutem aſſequendi modum vos edoceret, pro anathemate ac re execrabili eſſet habendus.

Verſ. 9. Et, ne forte putetis, dictum hoc temere mihi excidiſſe, id quod modo dixi nunc denuo repeto ac enuncio: Si quis vos euangelium aut doctrinam de ſalute doceat diverſam ab ea, quam antea a nobis accepiſtis, pro anathemate ſeu re execrabili habeatur.

Verſ. 10. Nunquid enim ego hactenus humanum aliquod inventum, ſeu doctrinam ab hominibus excogitatam, paſſim perſuadere conor, quam proinde repudiare impune liceat, & non potius rem divinam, ſeu doctrinam ab ipſo Deo profectam, quam rejicere aut mutare nemini fas ſit? [vel: Nunquid enim ego id nunc ago, ut hominibus tantum cauſam meam perſuadeam, an vero ut Deo eam probem? certe ut Deo.] [aut, numquid ego id ago, eumque mihi ſcopum habeo præfixum, ut hominibus placeam, & illorum favorem euangelium prædicando ambiam?] Haudquaquam. Nam ſi ego adhuc, ab eo tempore, ex quo Chriſtianus ſum factus, id agerem, ut hominibus placerem, (nam ante illud tempus me ab eo ſtudio penitus abſtinuiſſe non auſim dicere) Chriſti nollem eſſe ſervus, & religionem ipſius ſequi, nedum promulgare, atque omnibus viribus promovere: cum nimis ſit apertum, me hac ratione ſcopum iſtum attingere, hoc eſt, hominum favorem demereri nequaquam poſſe; ſed potius in contrarium irem, & univerſos adverſum me irritarem. [Vel: Chriſto revera non ſervirem, nec id quod ipſi placeret exequerer; cum contrariæ eſſe ſoleant Chriſti ac hominum voluntates, ita ut qui illius gratiam quærit ejuſque voluntati ſatisfacere cupit, non poſſit ſimul hominum gratiam aucupari ac ſtudiis ſatisfacere. Perſpicere autem ex factis meis, & maxime ex tot tantarumque afflictionum, quas euangelii cauſa ſuſtineo, patientia, unumquemque arbitror, me Chriſto vere atque ex animo ſervire.

Verſ. 11. Ut autem res tota fiat manifeſtior, planum

nunc vobis faciam, fratres, euangelium a me prędicatum non esse humanum inventum.

Vers. 12. Etenim ego id non ab homine aliquo accepi idve sum edoctus; sed per singularem ac prorsus divinam ipsius Jesu Christi revelationem, nullius hominis opera interveniente, totum illud didici.

Vers. 13. Potestis tutem id facile colligere ex iis quę audivistis de ratione vitæ meæ cum Judaicam adhuc religionem sequerer ac profiterer. Ea vero erat, quod vehementissime persequerer Christi, atque adeo ipsius Dei ecclesiam, eamque funditus conarer evertere;

Vers. 14. Ac proficerem in Judaicæ religionis studio præ multis, qui & ætate mihi erant æquales, & ex eadem gente Judaica orti, adeoque eandem habebant causam patriam religionem defendendi ac promovendi: quos tamen ego haud paulo superabam fervore ac zelo tuendarum doctrinarum, quas a majoribus accepimus, hoc est, ipsius legis Mosaicæ, earumque rerum omnium quę tanquam illi consentaneæ, erant a majoribus nobis velut per manum traditæ. Quæ omnia satis docent, fieri haudquaquam potuisse, ut ego religionem hanc, tanto studio tantisque animis a me defensam, hominis tantum alicujus suasu, divinis testimoniis, iisque apertissimis non convictus, desererem, & ad eam, quam omnibus viribus oppugnaram, transirem.

Vers. 15. Verum cum ita benignissimo Deo esset visum, qui me nondum etiam natum, atque adeo nullo meo merito ad munus istud, quod nunc sustineo, ex reliquis hominibus sclectum destinavit; quique me postea, ex singulari gratia ac misericordia ad salutem accivit, eamque mihi obtulit:

Vers. 16. Cum, inquam, Deo illi benignissimo ita visum esset, ut per me, vel mihi patefaceret filium suum Jesum Christum, eamque doctrinam, quæ circa ipsum occupatur, ita nempe, ut eum prædicarem inter gentes extraneas: ita statim egi, ut cum nemine mortalium de Christiana religione conferrem, quasi nimirum eius adhuc essem ignarus, & aliquid mihi ad docendi prędicandique munus deesset. Quod si conferre ea de re cum ullo mortalium voluissem, & quippiam ab illo discere, quod ad euangelium pertineret, ascendissem sane Hierosolymam ad eos, qui ante me apostolicum munus obiissent, tanquam ad euangelii doctores ac prędones. Sed id haudquaquam feci. [Vel: ut eam porro prædicarem gentibus extraneis, nullus fuit apud me dubitandi aut cunctandi locus. Quam ob causam ita statim me gessi ut non conferrem rationes ac consilia cum hominibus mortalibus, tanquam adhuc hæsitans, utrum revera divina esset illa patefactio nec ne, & quid mihi porro faciendum esset, dubitans.]

Vers. 17. Nihil, inquam tale ab ipso statim initio, cum res apud me esset certissima, feci: imo tantum abest, ut cum aliquo homine consilium ea de re caperem, ut ne quidem Hierosolymam Damasco ascenderem ad apostolos, quasi eorum, quæ ad munus recte obeundum essent necessaria, ignarus; sed statim doctrinam Christi promulgaturus in Arabiam profectus sum, atque inde redii Damascum.

Vers. 18. Postea demum, cum exactum jam esset triennium ab eo tempore, ex quo Christum agnovi, profectus sum Hierosolymam, Petri visendi, non vero aliquid ab eo discendi gratia; & cum ad eum venissem, quindecim dies sum apud ipsum commoratus: quæ ipsa temporis brevitas satis potest arguere, me non tunc demum ab eo didicisse doctrinam, quam & postmodum aliis tradidi; cum ad eam rem haudquaquam sufficiant quindecim illi dies.

Vers. 19. Quod vero ad cæteros attinet apostolos, eorum ego neminem vidi, excepto Jacobo, Jesu consanguineo: ut proinde nihil sit, quod quispiam suspicetur, me ab illis forte euangelii doctrinam accepisse.

Vers. 20. Ea vero, quæ vobis scribo, sancte vobis confirmo, ac Deus ipse testis est, me non mentiri.

Vers. 21. Post illud demum tempus veni in regiones Syriæ & Ciliciæ.

Vers. 22. Eram autem adhuc ignotus de facie ecclesiis in Judæa hinc inde collectis (quod ipsum etiam argumento est, me inter apostolos discendæ religionis gratia non fuisse versatum, alias Judaicis ecclesiis sat notus futurus fuissem.)

Vers. 23. Id tantum de me absente fratres illi in Judæa habitantes audiebant, eum, qui se aliquando fuisset persecutus, nunc annunciare ac promulgare doctrinam de fide, quam aliquando oppugnasset, & funditus eversum ivisset;

Vers. 24. Et Deum pro beneficio tanto in me collato, tamque mirabili ipsius opere, quod in me convertendo patrasset, laudabant.

## CAP. II.

Vers. 1. POstea, cum elapsi essent jam anni quatuordecim ab eo tempore, ex quo primum eram post conversionem meam Hierosolymam reversus, denuo profectus sum Hierosolymam una cum Barnaba, accepto etiam Tito itineris comite.

Vers. 2. Profectus autem eo sum divina revelatione admonitus, & exposui Hierosolymitanis fratribus doctrinam euangelicam, quam inter extraneas gentes & tunc prædicabam & adhuc prædico: exposui, inquam, generatim omnibus, sed seorsim, ac paulo familiarius iis, qui opinabantur ac verebantur ne forte irritus esset labor meus, quem in euangelio prædicando susciperem, aut hactenus suscceperim, propterea quod doctrina mea ad salutem haud quaquam sufficeret. [vel; Ne forte ut quidem aliis nonnullis videbatur (quanquam id mihi videri nequaquam poterat) frustra laborem, vel antea laboraverim in euangelio prædicando.] [Vel sic: qui præ cæteris videbantur eminere; ne forte, si scilicet illorum auctoritas non accederet, meaque ab illis doctrina non approbaretur, penitus ego frustra laborarem, aut laborassem hactenus, convulsa mea apud gentes extraneas a me ad Christum conversas autoritate: cum a quibusdam turbatoribus id ageretur, ne doctrina, quam ego illis tradidissem, ad salutem crederetur sufficere; sed legis Mosaicæ adderetur observatio.]

Vers. 3. Sed tantum abest, ut judicatum tum fuerit, ea, quæ ego aliis tradidissem, ad salutem consequendam non sufficere, ac circumcisionem & cætera legis Mosaicæ instituta præterea esse observanda, ut ne Titus quidem, qui mecum aderat, cum esset natione Græcus, atque adeo ethnicus, fuerit ab illis compulsus, seu jussus circumcidi, quod tamen omnino fieri debuisset, si circumcisio fuisset judicata necessaria.

Vers. 4. Id vero potissimum factum est propter falsos quosdam fratres, [vel: Urgentibus præsertim falsis quibusdam fratribus, seu iis, qui nomine magis

quam

quam re Christianæ religioni essent addicti, Judaico interim spiritu inflati:] qui instar exploratorum quorundam in conventum illum nostrum, ab aliis, ut apparet, subornati atque submissi, clam irrepserant; ut ita, qua parte libertas nostra, quam per Jesum Christum & sanctissimam ejus religionem consecuti sumus, utpote qui nos a jugo ceremonialium legum vindicavit, expugnari & eripi nobis posset, observarent, atque ita, si ullam ejus rei occasionem animadverterent, nos in servitutem redigerent, & jugo legis Mosaicæ subderent.

Vers. 5. Sed nos iis ita restitimus, ut ne ad punctum quidem temporis iis cederemus & obsequeremur, ut veritas doctrinæ euangelicæ, quam a me didicistis, apud vos inconcussa maneret; non vero, si illis allquid hac in parte largiremur, ac gratificaremur, in animis vestris labefactaretur. Nam etsi alias quippiam concordiæ causa Judæis fratribus concedi hac in parte potuisset, & non quia ad salutem Titi aut aliorum gentium id esset necessarium, sed quia ædificatio quædam id postularet, permitti, ut Titus circumcideretur: tamen id a me spectandum atque adeo spectatum fuit, ne postea a falsis istis fratribus jactaretur (quod omnino futurum fuisset) ita tunc judicatum fuisse, circumcisionem omnino ad salutem esse necessariam, & me apostolorum auctoritate erroris fuisse convictum, ac porro compulsum, ut Titum circumcidi paterer. Quæ res mirum in modum animos vestros solicitare, & veritatem doctrinæ euangelicæ a me prædicatæ si non penitus evertere, saltem vehementer labefactare potuisset.

Vers. 6. Quod vero ad eos attinet, quorum auctoritas mihi potissimum opponitur, propterea quod viderentur præ aliis omnibus eminere, quanquam mea nihil refert, nec quicquam muneris mei auctoritati aut præstantiæ derogat, qualescunque illi aliquando fuerint, quodque, verbi gratia, cum ipso Christo in terris fuerint versati, quin & ab eo priores ad munus apostolicum electi, quam ob causam ego præ illis despicior ac contemnor: apud Deum enim & illos, qui Dei judicium hac in parte sequuntur, nihil ista valent, qui ejusmodi externas hominum qualitates non respicit) ab illis, inquam, qui præ cæteris videbantur eminere, nihil fuit doctrinæ meæ adjectum, tanquam nimirum ei aliquid adhuc deesset, quod ad salutem omnino pertineret: [vel: inter eos & me, qualescunque olim ii fuerint, aut quacunque dignitate præ me cæteroquin præditi, nihil revera interest, nec ego illis sum, quod ad muneris ac doctrinæ rationem attinet, inferior. Nam si quis mihi objiciat pristinam eorum dignitatem, quod aliquando cum Domino Jesu in terris conversati fuerint, id nil hic habet momenti, cum Deus atque adeo illi qui cum ipso sentiunt, externam hujusmodi qualitatem aut conditionem hominum non respiciat. Nam quod ad doctrinam ipsam attinet, ii, qui præ cæteris eminere videbantur, mihi nihil contulerunt, aut aliquid iis, quæ docui, adjecerunt:]

Vers. 7. Sed contra potius ii ipsi manifeste cernentes, quod mihi nominatim commissum esset a Deo Christoque munus prædicandi euangelii inter homines incircumcisos, seu ethnicos, quemadmodum Petro cæterisque ejus sociis ac collegis munus prædicandi euangelium inter homines circumcisos, seu Judæos.

Vers. 8. (Cernebant enim Deum ac Christum, qui Petro ejusque sociis adfuisset, & efficaciam ei fuisset largitus, ad fungendum legationis munere inter circumcisos, eundem mihi quoque adfuisse, & efficaciam ac vires suppeditasse ad idem munus inter gentes extraneas cum fructu obeundi.)

Vers. 9. Animadvertentes, inquam, Jacobus, & Petrus, & Johannes, qui videbantur præ cæteris singulares atq; eximiæ esse ecclesiæ Christi columnæ, munus illud ex gratia divina mihi concessum, & quæ cum munere illo conjuncta essent dona atque adjumenta, porrexerunt mihi & Barnabæ, eorundem laborum socio ac collegæ, dextras, quibus suum nobiscum in religione consensum animorumque conjunctionem ac societatem testarentur, significantes, conjunctis viribus ac operis idem negotium a nobis curandum tractandumque esse: ita, ut nos quidem apud gentes id faceremus, & legationis munere apud eas perfungeremur; ipsi vero inter circumcisos seu Judæos.

Vers. 10. Id tantum addebant, ut pauperum, qui essent inter Judæos Christianos, hinc inde apud ecclesias gentium extranearum meminissemus, & eleemosynam pro illis colligeremus; id quod summo etiam studio facere sum conatus. Ex iis igitur, quæ hactenus narravimus, satis constat, nihil a præstantissimis etiam apostolis fuisse in doctrina mea desideratum, aut ei adjectum; sed eam tanquam salutarem ab omnibus agnitam: ita ut frustra ab iis eorum mihi opponatur autoritas.

Vers. 11. Contra autem a me ipse Petrus in eo, de quo agimus, monitus ac reprehensus fuit. Cum enim is Antiochiam venisset, ego illi coram ac aperte restiti, propterea quod reprehensione dignus esset.

Vers. 12. Nam ante adventum quorundam ex Judaica gente fratrum, qui a Jacobo Hierosolymis eo venerant, solebat Petrus cum fratribus gentium extranearum cibum una capere, eaque in re delectum ex Mosis præscripto non adhibere; cum sciret id per Christianam religionem licere, & charitatem erga fratres summamque illam conjunctionem, quæ inter utriusque gentis Christianos esse debet, atque inprimis fratrum gentilium ædificationem ac solatium id postulare: Verum postquam ii, quos dixi, fratres Hierosolymis venissent, subduxit sese a fratribus ethnicis, & ab eorum consortio abstinuit, veritus ne offenderet Judæos illos, seu circumcisos.

Vers. 13. Unde factum est, ut reliqui etiam Judæi fratres ibidem commorantes, qui alias cum quibusvis Christianis, etiam alienigenis familiariter versari, & cibum cum illis capere solebant, una cum illo simularent, se ab ethnicorum etiam Christianorum consuetudine familiari ac commercio abhorrere, nec cibum cum illis capere audere; sed legem ceremonialem sibi omnino observandam judicare. Inde adeo factum fuit, ut Barnabas quoque, meus in gentium conversione socius ac collega, qui earum rationem potissimum habere debebat, nec infirmitati eorum offendiculum præbere, hoc tum Petri, tum cæterorum Judæorum fratrum exemplo ac simulatione inductus fuerit, ut idem cum illis simularet.

Vers. 14. Postquam ergo vidi, [vel: Sed postquam vidi] quod recto talo non incederent, nec ita se hac in parte gererent quemadmodum veritas euangelica postulat; utpote quæ libertatem illam Christianam, præsertim inter gentes extraneas, cupit defendi, & paulatim etiam ipsis Judæis, ut ex parte jam Hierosolymis factum fuerat, innotescere, ceremonias autem illas abrogari & tolli, quæ & cultui spirituali fere officiunt,

& arctissimam illam, quæ inter Christianos cujusque nationis esse debet, conjunctionem & amicitiam vehementer impediunt, tanquam paries quidam intergerinus, quem Christus, ut utraque gens in unam coalescere posset, sustulit: ideo ego Petro, omnibus audientibus, nulliusque Judæi offensionem verendam ratus, dixi: Si tu, cum Judæus sis natione ac sub lege Mosaica natus, nihilominus tamen aliarum extranearum gentium ritu, quod ad res externas attinet, hactenus vixisti, non vero Judæorum more ciborum delectus aliarumve ceremoniarum Mosaicarum rationem habuisti; cur nunc tuo facto ac exemplo fratres extranearum gentium legi Mosaicæ minime obstrictos propemodum cogis ac eo adigis, ut ipsi quoque Judæorum more vivant, & ciborum delectum aliaque similia observent, partim quidem, ut tecum & cum cæteris Judæis Christianis conversari queant; partim vero quod suspicari cogantur, aliquid ad salutem ceremoniarum istarum observationem habere momenti, adeoque vereri incipiant, ne forte iis non observatis, salute excidant: quandoquidem tu ac cæteri tam religiose nunc eas observatis, itaque vos geritis, ac si penitus persuasi essetis, omnino eas observatu esse necessarias, & vos antea peccasse, cum iis neglectis cum præputiatis cibum caperetis, indicare videamini.

Vers. 15. At nequaquam ita se res habet: cum ex lege ejusque observatione justificatio ac salus sempiterna non pendeat: alias nos ipsi haudquaquam fidem in Christum fuissemus amplexi, nec ulla fuisset causa, cur id faceremus. Eramus enim ipso ortu Judæi, & sic a primis annis in religione Mosaica educati ac instituti; non vero homines profani ex ethnicis, qui generatim omnes impii sunt, & a Judæis inprimis habentur mali: ita ut non major esset nobis causa legem deserendi & ad Christum transeundi, quam aliis; nec adeo quia cæteris essemus deteriores, ea cogitatio fuit a nobis suscepta:

Vers. 16. Sed propterea, quod manifeste cerneremus, neminem hominum justitiam eo adipisci, aut adipisci posse, quod opera in lege præscripta exacte servasset, & sic vi ac merito factorum suorum pro innocente a Deo haberi, & præmio innocentibus proposito potiri deberet; sed justificationem adipiscendam esse per fidem, quam Jesus Christus nobis præscripsit, quæ id tantum postulet, ut recepta ipsius doctrina, & spe præmiorum pietati in ea propositorum concepta, pro viribus in posterum Deo pareas. Hæc ergo fuit causa, ob quam nos quoque in Jesum Christum credidimus, nempe, ut ita per fidem ab ipso præscriptam in eo statu collocaremur, quo apud Deum sunt homines justi ac innocentes; non vero vi operum nostrorum ad legis Mosaicæ præscriptum præstitorum: quandoquidem justitiam istam, seu justitiæ præmium nemo mortalium vi operum secundum legis præscriptum præstitorum consequi potest; ut sacræ scripturæ docent, dum asserunt, neminem viventem in conspectu Dei justificatum iri. Si enim Deus ad judicium severum facta hominum revocare velit, certum est, neminem examen ipsius sustinere, & in judicio ipsius consistere posse.

Vers. 17. Sed (ut hac occasione ad ipsius quæstionis nostræ caput accedamus; vel potius cum id occasione sermonis ad Petrum habiti, jam attigerimus, in eo jam pergamus) objiciet hic nobis aliquis: Si interea temporis, dum id aliquo modo agimus, ut per Christum, seu fidem ab eo præscriptam justificationem assequamur, contigerit, ut nos non minus quam gentes peccatores aut impii deprehenderemur, secuturum, ut Christus peccato egregie subserviat, dum peccatoribus etiam & in sceleribus suis perseverantibus justificationem conciliet. Sed absit, ut hoc statuatur, neque illud ex hoc conficitur. [vel: Si enim nos, qui Judæi sumus, eo ipso, quod justificationem per Christum ejusque religionem quæsivimus, deprehensi sumus non secus atque ethnici peccasse, & eam ob causam, quod per legem justificationem nos consequi non posse videremus, ad Christum confugimus, tanquam eum, apud quem peccatores etiam justificationem adipisci possent, nonne inde sequitur, Christum peccato veluti subservire, & homines ad id quodammodo invitare, dum iis nihilominus justitiam patere docet? Verum absit, ut hoc de Christo statuamus. Nam nos Christiani ad ipsum accedentes, vi religionis ipsius compulsi, peccatum abdicavimus, atque adeo extinximus.]

Vers. 18. Quod si contingat, ut ad illud denuo redeamus, idque veluti in vitam revocemus, nos ipsos ejusdem doctrinæ vi transgressores, seu transgressionis reos ac pœnæ illius obnoxios constituimus, atque ita justificatione excidimus: [vel: Nam (ut quod omnibus veris Christianis commune est, de me docendi causa nunc efferam, & in mea persona ostendam) ego vi religionis Christianæ peccatum, simul atque eam sum amplexus, penitus abdicavi ac destruxi. Quod si ergo fiat, ut illud iterum exstruam, & quod jam extinctum in me fuerat, resuscitem; non est quod Christum hac in parte ejusque religionem accusem, tanquam ejus rei causam; sed me ipsum transgressorem constituo, & omnis ejus rei culpa in me ipso hæret.]

Vers. 19. Ego enim legem, cum ipsa me moveret, & partim duritie sua in ratione justificationis adipiscendæ, partim testimonio, de justitia per fidem in Christum consequenda, me ad id faciendum compelleret, abdicavi: sed non ut pro arbitrio ac libitu postea viverem ac peccatis indulgerem; sed potius ut ad Dei nutum ac voluntatem, quod sub lege ob illius imbecillitatem, concupiscentiæ autem carnalis violentiam facere non poteram, omnes vitæ meæ actiones in posterum componerem: ita ut nemo suspicari debeat, eam legis desertionem, & ad religionem Christianam transitum, quem nos fecimus, eo spectare, ut peccatis in posterum indulgeatur, neque id Christianæ religioni ullo modo esse imputandum.

Vers. 20. Quod vero & legem simul & peccatum ita abdicavi, ut utrique sim mortuus, id potissimum morti Christi adscribendum est; quæ cum novum fœdus sanxerit, & rationem justificationem assequendi confirmaverit, me impulit, ut ipsi similis evaderem, hoc est, & legi & peccato morerer. Quod cum religioni illius initiarer, statim in baptismo sum professus. Interim tamen vivo quidem, sed non secundum pristinam meam religionem, vel ad voluntatis meæ arbitrium, aut carnis libitum; sed ad præscriptum Jesu Christi, qui universam vitam meam ità regit ac gubernat, ut non ego, sed is ipse in me vivere dici queat. Quod si quis dicat, me nihilominus vitam hanc naturalem terrenamque una cum cæteris hominibus degere, & ea agere, quæ ad religionem nihil pertineant; fateor quidem ita esse: sed non id evertit ea, quæ modo dixi de vitæ meæ ratione. Nam omnes etiam vitæ terrenæ actiones ita moderor,

moderor, ut in iis ſemper cernatur fides a Jeſu Chriſto unigenito Dei filio tradita; cum eæ fidei iſti ſemper ſint conſentaneæ, atque ad illius normam exactæ. Hanc autem fidem ſum jure merito amplexus, ejuſque ductum in omni vita ſequor; cum, ut paulo ante indicavi, illius auctor ac primus annunciator, quem filium Dei eſſe dixi, tantopere me delexerit, ut ſemetipſum ſalutis meæ cauſa in mortem acerbiſſimam tradiderit: ut nempe novum fœdus a ſe hominibus promulgatum, & rationem juſtificationis per fidem adipiſcendæ, in eo fœdere comprehenſam ſanciret ac ſtabiliret.

Verſ. 21. Hanc tantam Dei gratiam ac benignitatem (neque enim Dei filius, niſi Deo Patre ſuo ita volente, rem tantam ſuſcipere aut voluit, aut potuit) nequaquam ſane vilipendere ac ſpernere decet, atque adeo eam haudquaquam repudio. Repudiarem autem, ſi Legem adhuc ſequerer, & ex operibus ab ipſa præſcriptis juſtificationem vel mihi, vel aliis petendam arbitrarer. Nam ſi per Legem ejuſque obtemperationem nobis quærenda eſt juſtificatio, nulla fuit juſta ac legitima cauſa, cur Chriſtus aliam juſtificationis rationem ac modum præſcriberet, &, quod omnium caput eſt, ejus confirmandæ cauſa mortem tam diram ſuſtineret. Rem autem tam duram, tam acerbam temere a Chriſto ſuſceptam, atque ab ipſo Deo juſſam eſſe, quis ſanus crediderit? Id ſane eſſet Deo ac Chriſto ſapientiſſimo inſipientiam adſcribere. [Vel: Fruſtra Chriſtus nulloque conſilio mortem tam diram adiiſſet: quandoquidem, ut jam dictum eſt, ob nullam aliam cauſam mortem adiit, quam ut novam juſtificationis adipiſcendæ rationem, quam hominibus promulgaſſet, a legali diverſam, ſanciret. At ſi nobis nihilominus ex Lege ejuſque obſervatione petenda eſt juſtificatio, quorſum id ab ipſo eſt factum?]

## CAP. III.

Verſ. 1. QUid ergo vobis, ô inconſiderati, & hac quidem in parte amentes Galatæ! in mentem venit? aut quiſnam vos ita dementavit, ut veritati huic ſalutari non crederetis, vel potius credere deſineretis? præſertim cum ea vobis tam delucide fuerit oſtenſa. Etenim mortis Chriſti, quam in cruce pertulit, vis, quam ad Legem abrogandam, rationem autem juſtificationis per fidem aſſequendæ ſtabiliendam habet, clariſſime fuit a me vobis explicata, &, ut ita dicam, ipſe Chriſtus cruci affixus ante oculos veſtros poſitus, & vivis coloribus depictus: ut ſi aliquid ad ſalutaris hujus veritatis notitiam uberiorem momenti afferre potuiſſet, ipſum Chriſtum in cruce pendentem intueri, & non ſecus eum cernere poſſetis, atque ſi is ipſe inter vos ipſos, inque conſpectu veſtro cruci fuiſſet affixus. Nempe, ut dixi, nihil eorum a me fuit prætermiſſum, quæ ad vim mortis Chriſti, & rationem juſtificationis eo modo conſtitutam ac ſancitam pertinerent, quin vobis luculentiſſime proponerem & inculcarem.

Verſ. 2. Sed ut vobis ipſis appareat, quam temere atque inſipienter in ſalutari illa doctrina deſerenda egeritis; illud nunc a vobis libet quærere, quod vel ſolum hunc inſignem veſtrum errorem ac imprudentiam detegere poteſt, quænam doctrina vobis Spiritus Sancti donum attulit? An tum diviniſſimum iſtud donum accepiſtis, cum reciperetis doctrinam de operibus in Lege præſcriptis, & juſtificatione vi eorum adipiſcenda? An vero tum, cum doctrinam de fide & juſtificatione per eam conſequenda audiviſſetis & amplexi eſſetis? Negare certe non poteſtis, poſteriorem hanc doctrinam, quæ eſt de fide, tanto vos munere auxiſſe atque ornaſſe, atque adeo vos in veritate valide ſimul confirmatos fuiſſe, vobiſque datam cauſam longe maximam, ut eam, tam divino, apertiſſimoque teſtimonio comprobatam, firmiter retineretis.

Verſ. 3. Qui ergo adeo eſtis inſipientes, ut cum ſpiritu illo ab initio accepto, ſpiritualem etiam Dei cultum ac vivendi rationem ſequi cœperitis, nunc ad carnalem quandam, ſeu circa corpus reſque externas occupatam, & nullum cæleſte ſeu ſpirituale beneficium vobis afferentem, delabamini, ac tam inſigni converſionis veſtræ initio finem illi minime reſpondentem adjicere velitis; cum progredi vos potius quam regredi oporteret?

Numquid fruſtra hactenus tantas ſuſtinuiſtis afflictiones, doctrinæ, quæ eſt de fide, a vobis receptæ, cauſa? Certe id fruſtra factum fuiſſet, ſi ad aliam doctrinam delapſi ad meliorem ſententiam redire nolletis. Quod tamen ominari nolo. Confido enim fore, ut fruſtra id factum non fuerit, voſque a me admoniti errorem ejuretis, atque ad ſalutarem veritatem penitus redeatis. [Vel: Num tantum beneficium, quod in vos per fidei prædicationem collatum eſt, fruſtra fuit apud vos collocatum?] Sed quid dico fruſtra? Nam ita quidem adhuc non peſſime vobiſcum ageretur. Sed verendum eſt niſi reſipiſcatis, ne pœna ſequatur, & ſic vos non tantum fructu veritatis, a vobis aliquando agnitæ ac receptæ excidatis, verum etiam graviſſimas illius deſertæ pœnas detis. [vel: Fruſtra certe fuiſſet collocatum, ſi ea doctrina deſerta ad Legem tranſire, aut ad eam delapſi pedem referre nolletis. Quod tamen abſit ut ominer. Meliora enim de vobis ſpero, confiſus fore, ut a me admoniti reſipiſcatis, & ſic non fruſtra beneficium illud in vos ſit collatum.]

Verſ. 5. Nunquid ergo (ut rem paucis repetam, ex qua ſola, ut dixi, errorem veſtrum poteſtis agnoſcere) Deus ac Chriſtus, qui vobis Spiritum Sanctum largitus eſt, & tanta miracula inter vos edidit, fecit id occaſione doctrinæ de operibus Legis? an vero potius occaſione doctrinæ de fide inter vos prædicatæ, ut ea hac ratione penitus apud vos ſtabiliretur? Certe cauſa ac occaſione doctrinę de fide. Hæc tam illuſtribus documentis fuit confirmata, hæc cum ei fidem adhibuiſſetis, vos tanto bono ditavit.

Verſ. 6. Quo pacto etiam (ut alia adhuc argumenta afferamus) de Abrahamo ſcriptum legimus, quod cum Deo copioſam admodum progeniem ſibi promittenti fidem adhibuiſſet, ea res tantum illi pepererit bonum, aut felicitatem, ut ex divina benignitate id illi cederet in juſtitiam, ſeu ut ita a Deo tractaretur, ac ſi perpetuo ac perfecte fuiſſet juſtus ac innocens.

Verſ. 7. Ex quo cognoſcere debetis [poteſtis,] illos, qui fidem revera ſectentur, eſſe genuinos, ſpirituales tamen, Abrahæ filios, & bonorum ipſi promiſſorum hæredes. Hæreditas autem illa eſt juſtificatio, quam ipſe quoque Abrahamus adeptus eſt; cujus indicium quoddam eſt Spiritus Sancti donum, doctrinæ Euangelicæ credentibus datum:

Verſ. 8. Neque vero eſt, quod quis forte putet, juſtificationem illam per fidem ipſi tantum Abrahamo, aut ad ſummum ipſius poſteris ſecundum carnem

conti-

contigisse, aut contingere debuisse; non vero etiam gentibus extraneis, etsi fidem Abrahami sequantur. Nam Deus ad decretum suum, de gentibus non secus atque cum Abrahamo fecerat per fidem justificandis respiciens, ipsaque scriptura, quid futurum esset prospiciens, ita refert promissionem a Deo Abrahamo jam olim factam: vel [Nam Moses, Geneseos author, velut prospiciens fore, ut Deus aliquando Gentes extraneas, non secus atque Abrahamum per fidem justificaret, ita promissionem Abrahamo jam olim factam refert]: Tecum, ô Abrahame! omnes gentes a Deo beabuntur, seu eandem, quæ tibi contigit, felicitatem consequentur. Etsi enim ipsa verba Scripturæ literali sensu nil significant aliud, quam fore, ut cum homines aliarum gentium sibi bene precari velint, Abrahamum in exemplum adducant, atque optent, ut eadem sibi, quæ Abrahamo, contingat felicitas: verba tamen ita sunt comparata, ipsius Dei consilio, qui rem longe diviniorem sub iis occultavit, ut non tantum de voto, sed etiam de re ipsa, deque ipso eventu accipi queant, & a nobis, qui non corticem, sed nucleum Scripturæ spectamus, sint accipienda.

Vers. 9. Ex iis igitur apparet, eos qui Deo fidem habent beari a Deo, ad instar Abrahami, qui itidem Deo crediderat, eaque ratione justificationem divina benignitate fuerat consecutus. Hæc enim fuit propria Abrahami felicitas, quod Deus ipsum non propter opera perfecta sibi præstita; sed ob fidem vivam, ex mera benignitate eo præmio donare decrevit, quod justis atque innocentibus esset repositum.

Vers. 10. Patet etiam insuper hoc, quod de ratione nunc diximus, qua Deus gentes decreverat justificare, ex eo, quod si gentibus ex fide beatitas illa, quam iis destinatam videmus, non contingeret, contingere nullo modo posset. Nam si ullus ejus assequendæ restaret modus, is solus esset, quem turbatores ac seductores vestri urgent, quemque vos estis amplexi; nimirum ut vi operum a Lege præscriptorum id fiat. At eo modo nemini benedictio contingit. Etenim quoquot eam sectantur, & hoc pacto ad justificationem adspirant, ii tantum abest ut benedictionem adipiscantur, ut potius æternæ maledictioni reddantur obnoxii. Quandoquidem hæc legis Mosaicæ est sanctio, a scriptura nobis expressa: *Execrabilis Deo*, & sic sempiterno supplicio obnoxius esto, *quisquis non* ita *perseverat* constanter *in* iis *omnibus*, *quæ in libro Legis scripta extant*, *ut ea opere ipso compleat*. Hoc vero nemo unquam prestitit, aut præstat: unde manifeste constat, eos qui Legem sequuntur, & per ejus opera justificationem quærunt, frustra laborare, ac nihil consequi aliud, quam ut vi Legis maledictioni æternoq; supplicio fiant obnoxii.

Vers. 11. Sed præterea ex eo quoque patet, neminem ideo, quia legem Mosaïcam observaverit, justificationem apud Deum consequi; quod apud Prophetam, durante adhuc Lege, ita scriptum videmus: Justus, inquit, ideo vitam salutemque consequetur, quia fidem habuit. [Vel, is demum qui ob fidem quam Deo habet Justus ab eo pronunciatur, vitam salutemque consequetur.] Ubi cernis, fidei vitam ac salutem, atque adeo etiam justificationem, quæ in vita ista revera continetur, abscribi, & eam commemorari tanquam verum unicumque medium, per quod tanto bono potiri debeamus.

Vers. 12. Atqui lex Mosaica non fidem, præsertim præcipue urget, nempe tanquam conditionem sufficien em ad justificationem consequendam, atque adeo illi qui fidem habeat, salutem non promittit protinus; sed exactam sui observationem urget. Nam loco ejus quod Propheta dicit, justus ob fidem suam vitam salutemque consequetur; Lex hoc modo pronunciat: ille demum, qui hæc omnia, quæ Deus præceperit, opere compleverit, vitam ac salutem consequetur. Ut ita manifeste cernatur, diversam esse justificationem eam quam Lex urget, ab illa quæ est per fidem. Quod si ergo hæc apud Deum rata est, illam tolli est necesse, quæ isti locum relinqueret nullum.

Vers. 13. Sed dices: Si ita se res habet, tamque diversa est ratio justificationem adipiscendi a Lege præscripta, ab ea quæ est per fidem; omnesque ii, qui Legem servant, execrationi & supplicio sempiterno sint obnoxii; cum gentibus quidem extraneis bene agetur, quæ cum legi Mosaicæ nunquam fuerint obstrictæ, poterunt per fidem, ut tu antea docuisti, justificari, ac benedictionem Abrahami consequi: sed quid de nobis Judæis fiet, qui legi illi obstricti sumus, atque adeo, quia eam non præstitimus, justificari non possumus, sed maledictioni manemus obnoxii. Verum non est, quod illud metuas. Attulit huic quoq; Christus remedium. Is enim nos Judæos liberavit a maledictione, quam Lex nobis comminabatur, seu ab ejus obligatione nos penitus vindicavit, ac magno impendio facto redemit. Nam dum ipse mortis genus, quod sub Lege non nisi hominibus Deo execrabilibus imponi debebat, nostra causa adiit, Novum nempe Fœdus, quod nobiscum Dei nomine pepigerat, sanciturus, & rationem justificationis per fidem confirmaturus; eo ipso, inquam, sanctionem istam Legis, quæ maledictionem omnibus sui transgressoribus comminabatur, sustulit, ita ut propemodum dici queat, ipsum loco nostro factum execrabilem, cum ne nos Judæi vere & proprie execrationi legali subjiceremur, ipse legalem quandam execrationem subiit. Etenim ita in lege Mosaica scriptum legimus: *Execrabilis Deo est*, *quisquis e ligno suspensus morte afficitur*. Quare cum Christus e ligno suspensus, idque Dei consilio, mortem acerbissimam sustinuerit, & sic hominibus Deo verè execrabilibus similis factus fuerit, recte dixi, eum quodammodo factum fuisse execrabilem, eaque ratione nos ab execratione redemisse.

Vers. 14. Factum autem est hoc non Judæorum tantum causa, sed etiam eum in finem, ut gentibus quoque per eunde n Jesum Christum ejusque religionem reip à jam contingeret benedictio ei similis, quæ aliquando Abrahamo contigerat, & gentibus quoque occulte seu mystice fuerat promissa. Quæ tamen ad eas pertinere non poterat, nisi prius populo Israëlitico contigisset, & sic maledictio ei contraria, seu legalis sanctio, quæ eum maledictitioni reddebat obnoxium, fuisset sublata: quandoquidem ad eum populum primo ac proprie spectabant bona a Deo per Christum danda, & Abrahamo ejusq; semini olim promissa. Postquam ergo jam populus ille ab obligatione maledictionis fuit vindicatus, & aditus quidam per Christum ad benedictionem seu justificationem illi patefactus; consequens fuit, ut ad gentes quoq; hujus benedictionis divinæ opulentia dimanaret, & sic utrique, non quidem carnale promissum, quod carnali Abrahami progeniei erat destinatum, verum spirituale, hoc est justificationem ac vitam sempiternam, quæ spirituali ejusdem progeniei, ex Judæis primum deinde ex gentibus collectæ, a Deo fuit destinata, acciperemus, non operibus Legis,

gis, ſed fide tantum. [Vel: & in apertiſſimum ejus rei ſignum, & veluti pignus quoddam, imo arrhabonem, qui boni promiſſi particula quædam eſt, acceperimus Spiritum Sanctum a Deo promiſſum, idque per fidem tantum, ut ita nobis conſtaret, per fidem nos reliquam hæreditatem nobis promiſſam adituros.]

Verſ. 15. Ut autem totum id, quod hactenus diximus, fiat manifeſtius, & liquido appareat, non ex Lege ejuſque obſervatione petendam eſſe juſtificationem ac vitam æternam; ſed eam obtinendam eſſe per fidem, vi promiſſionis divinæ jam ante legem Abrahamo ejuſque ſemini factæ, utar, fratres chariſſimi! exemplo ex communi hominum conſuetudine deſumto, ac proinde vulgo noto. Cum Teſtamentum, licet id ab homine tantum aliquod ſit factum, jam penitus eſt confirmatum, & iis quæ adhiberi debent, ſolennitatibus inſtitutum, nemo id poſtea abrogare audet, aut ei aliquid quod in eo non fuerit ſcriptum adjicere, ut ita voluntas teſtatoris vel in totum, vel ex parte fiat irrita. Quæ eadem eſt fœderum ratio. Quod ſi id in humanis fit, quanto magis in divinis fieri, aut fieri debere ſtatuendum eſt.

Verſ. 16. Jam vero Deus in Teſtamento, ſeu in fœdere, quod cum Abrahamo pepigit & ſanxit, cum ipſi Abrahamo benedictionem (quam nihil aliud diximus eſſe quam juſtificationem ac ſalutem æternam) promiſit, tum ipſius ſemini ſeu progeniei. Ubi obiter notari velim id, quod in re de qua agimus non exiguum habet momentum; Deum in promiſſionis ſuæ verbis concipiendis non dixiſſe Abrahamo, ego tibi benedicam, vel terram hanc dabo, & ſeminibus ſeu progeniebus tuis, quaſi nimirum diverſæ Abrahami poſteritati, ſeu poſteris diverſorum generum facta eſſet iſta promiſſio: ut ita credere quis poſſet, & carnali Abrahami poſteritati, quæ legem Moſaicam obſervaret; & ſpirituali, promiſſionem eodem modo acceptam ſervire, adeoque cauſæ nihil ſe habere, cur relicta Lege ad Chriſtum tranſeat, & ſpirituali Abrahami progeniei accenſeatur, propterea quod Legi etiam adhærens, benedictionis illius ſpiritualis nihilominus poſſit eſſe particeps, quia ad carnalem Abrahami progeniem pertineat. Non ita, inquam, locutus eſt Deus, quaſi de pluribus Abrahami progeniebus, ſeu diverſorum generum poſteris loqueretur, quemadmodum fieri debuiſſet, ſi ita res, ut paulo ante diximus, ſe haberet; ſed ita locutus eſt, ut aperte conſtaret, eum de una tantum poſteritate Abrahami, ſeu unius generis progenie loqui, hoc nimirum pacto: tibi, o Abrahame! benedicam, vel terram hanc dabo, & *ſemini tuo*, ſeu poſteritati tuæ: quæ nulla eſt alia, quam Chriſtus ejuſque populus, ipſi tanquam capiti ſuo adhærens; cum dubitare nemo poſſit, quin Chriſtus ſeu Meſſias jam olim a Deo promiſſus, eam demum afferre debuerit populo Iſraëlitico felicitatem, quæ omnium eſt maxima, quamque vos, qui illius nomen profitemini, in promiſſione Abrahamo facta myſtice contineri agnoſcitis.

Verſ. 17. Hoc ita velut in tranſitu obſervato, ad id quod antea dicere cœperam, redeo, & quorſum id pertineat, quod de teſtamentis humanis ac fœderibus aſſerui, explico. Hoc ergo mihi volo, & ex eo quod dixeram, concludo: ſi teſtamenta aut fœdera humana, poſtquam confirmata ac ſolenni ratione ſancita ſunt, non poſſunt a quoquam abrogari, aut iis aliquid adjici, quod iis deroget: fieri multo minus poſſe, ut teſtamentum ſeu fœdus jam olim a Deo cum Abrahamo pactum, ac ſolenni quadam manifeſtaque ratione confirmatum, quod ad Chriſtum ejuſque populum, tanquam Abrahami progeniem, ſpectat, cui in eo fœdere benedictio Abrahamica fuit promiſſa, abrogetur per legem Moſaicam, annos 430 poſt fœdus illud conſtitutum, latam, atque promiſſio divina in eo fœdere comprehenſa fiat irrita. Faceret autem Lex omnino irritam promiſſionem illam, ſi ex ipſa, ſeu ipſius obſervatione ac vi nobis eſſet adeunda hæreditas bonorum Abrahamo promiſſorum, hoc eſt, juſtificationis & poſſeſſionis futuri illius mundi; cujus typus quidam fuit terra Cananæa, carnali Abrahami progenici a Deo promiſſa.

Verſ. 18. Nam ſi ex Lege ejuſque obſervatione nobis petenda eſſet illa hæreditas, non amplius ea nobis obtingeret vi promiſſionis ſeu pollicitationis gratuitæ, ex mera nempe benignitate profectæ: ſiquidem Legis obſervatio, & operum quæ ab ea requiruntur merita, gratiam excludunt, & vi ſua juſtificationem poſtulant. Jam vero Deus Abrahamo ejuſque progeniei per promiſſionem illam hæreditatem donavit, ſeu ex mera benignitate deſtinavit.

Verſ. 19. Dices: ſi hæreditas progeniei Abrahami promiſſa non contingit hominibus vi Legis, ſed vi promiſſionis divinæ, ipſi Abrahamo factæ, quorſum Lex, promiſſione jam exiſtente, fuit lata? An non enim ipſius promiſſionis impletio ſubſequi ſtatim debuit; non vero promulgari Fœdus, quod promiſſionis illius effectum tam diu impediret, quamdiu id permaneret? Reſpondeo: ſi progenies illa Abrahami, nimirum ſpiritualis, cui in Fœdere ſuperius commemorato benedictio fuerat a Deo promiſſa, ſtatim extitiſſet, nihil opus fuiſſe futurum Lege Moſaica; ſed neceſſe potius fuiſſet, ut promiſſio illa ſtatim impleretur, ac juſtificatio per fidem obtinenda promulgaretur. Sed non ſtatim progenies illa Abrahamica vel extitit, vel ex Dei conſilio exiſtere debuit; ſed longo demum poſt tempore. Itaque poſt promiſſionem illam a Deo factam lata, atque illi quodammodo ſuperaddita fuit lex Moſaica, ne progenies Abrahami carnalis omni morum diſciplina viveret ſoluta, & in omne nefas inpune rueret; ſed ut legis illius ſeveritate a peccatis atque flagitiis coërceretur, aut ſi ab illis retrahi ſe non pateretur, ac legem latam nihilominus tranſgrederetur, tanto eos validius obligaret ad pœnam, ac tanto amplior gratiæ divinæ poſtmodum promulgandæ & exhibendæ locus fieret, idque ad illud tempus uſque [vel: durare autem diſciplina ea debuit, ut ex hoc ipſo Dei conſilio perſpici poteſt, ad illud uſque tempus] donec progenies Abrahami illa, cui promiſſionem iſtam factam diximus, exiſteret. Itaque ut ea tanto majorem haberet autoritatem, ſolenni & eximia quadam ratione lata eſt. Nam primo miniſterio angelorum in ea tradenda ac promulganda Deus eſt uſus; ſiquidem ii a Deo miſſi perſonam ipſius ſuſtinuerunt, atque ipſius nomine legem illam diſpoſuerunt ac fixerunt. Deinde intervenit opera mediatoris ſeu ſequeſtri, quales in fœderibus pangendis adhiberi ſolent, iſque ab angelis, Dei perſonam ſuſtinentibus, ac ſecum loquentibus, acceptam Legem ad populum pertulit, eique publicavit, ac ſolennibus ceremoniis

sanxit, adeo ut appareat, pactum quoddam ac verum fœdus super Lege fuisse cum populo initum, & sub conditione observationis legalium præceptorum ei quippiam promissum fuisse, nimirum justificationem ac vitam.

Vers. 20. Mediator enim non unius tantum est partis, sed ad minimum duarum inter se paciscentium, & certis conditionibus contrahentium. Jam vero Deus, qui Legem tulit, unus tantum est: proinde necesse fuit ex altera parte alios constitui, qui mediatore interveniente cum Deo paciscerentur, & conditione observandæ Legis in se recepta, certa viciſſim promissa a Deo quodammodo stipularentur.

Vers. 21. Dices: si ita se res habet, lex illa omnia tollet, atque irritam istam Dei promissionem, Abrahami progeniei factam, reddet: quandoquidem vi hujus pacti Deus omnino tenetur justificationen ac vitam Legis observatoribus promissam præstare. Jam vero si Legis vi homines justificationem & vitam adipiscuntur, atque adeo adipisci debent, nihil opus est eam per fidem obtinere, nec amplius ea obtinget ex promissione illa Abrahamo facta. Firmum ergo illud manere videtur, quod supra affirmatum est, per Legem abrogari istam promissionem. Sed absit, ut hoc absurdum admittamus, neque id ex modo dictis consequitur. Tum demum id sequeretur, si ejusmodi lex fuisset a Deo lata, quæ vires posset hominibus, ad eam exacte servandam, alioquin invalidis atque imbecillibus, subministrare, quibus adjuti ac suffulti ei possent satisfacere, & sic vitam in Lege promissam assequi. Tum enim revera ex Lege ejusque observatione peti deberet justificatio, nec ullus amplius relinqueretur locus implendæ promissioni illi antiquæ, quæ est de justificatione per fidem obtinenda; cum huic rationi justificationis adipiscendæ tum demum locus esse debeat, cum prior illa locum habere non potest.

Vers. 22. Atqui illud concedi nequaquam debet, & male in objectione ista pro concesso sumtum fuit: Scriptura enim Sacra non tantum Ethnicos, verum etiam Judæos, quibus Lex fuit lata, peccati reos peragit; ita ut locus ea ratione sit factus implendæ Dei promissioni, de qua jam sæpius locuti sumus; & justificatio ac vita, quam in illa Deus proposuit, reipsa jam contingat iis qui fidem habent. [Vel: ut appareat, non per Legem ejusq; observationem hominibus contingere justificationem ac vitam, Abrahamicæ progeniei olim promissam; sed iis contingere, qui fidem habent, idque propter id ipsum, quod fidem a Jesu Christo præscriptam ac nobis insertam habeant.] Hos enim una cum hoc duce ac capite suo progeniem illam Abrahamicam esse, cui tantum bonum fuit promissum, jam supra monuimus.

Vers. 23. Antequam autem doctrina de fide, atque adeo etiam de justificatione per eam obtinenda promulgaretur, & sic promissio illa Abrahamo olim facta impleretur, nos Judæi universi legi Mosaicæ subjecti, & arcta ejus disciplina, tanquam ergastulo quodam custodia conclusi coërcebamur, & quodammodo asservabamur ad illud usque tempus, donec promulgaretur doctrina de fide; cujus publicationem jam ante Deus promiserat, ut nimirum tunc, velut è carcere in libertatem emissi, avidissime eam amplecteremur.

Vers. 24. Adeo ut recte dici queat, legem Mosaïcam instar pædagogi cujusdam fuisse, qui rudem adhuc pueritiam nostram ad Christi ac religionis ipsius tempora erudiret, & ad eam veluti manuduceret, atque ita nos per fidem demum justificationem vitamque sempiternam adipiscceremur.

Vers. 25. Quemadmodum autem pueri, cum eo jam sunt perducti a pædagogis, quo ab iis perduci poterant, ac debebant, jamque pubertatis annos ingressi libertatis sunt capaces, non amplius sub pædagogis esse solent: ita etiam nobis nunc contingit. Postquam enim promulgata jam est doctrina de fide, & sic nos in libertatem fuimus emissi, non amplius Legi, quam pædagogi cujusdam fuisse instar dixi, ideo quod nos adhuc pueros erudiret, ac disciplina severa coërceret, sumus subjecti atque obnoxii. Neque enim ullum amplius est pædagogo imperium in filium herilem, qui filii conditione revera gaudeat & gaudere debeat, ac libertatis sit compos; cum servilis cujusdam conditionis sit sub pædagogi esse ferula ac disciplina. Quare nec in Dei filios, qui jus hæreditatis divinæ plenum habent, & bona sua jam norunt, eaque veluti in manu habent, pædagogo illi severo, nimirum Legi, ullum amplius jus est ac imperium, utpote herile, & in servos ac mancipia proprie competens.

Vers. 26. Jam vero vos omnes, ut & cæteri Christiani, ejusmodi estis Dei summi filii, ut in libertatem sitis emissi, bona jam vobis destinata noritis, & jus potestatemque plenam iis aliquando perfruendi habeatis, per fidem illam, quam Jesus Christus promulgavit, vobisque inseruit; nec ulla est hac in parte inter vos diversitas.

Vers. 27. Patet id vel ex solenni illo ritu, quo Christo primum fuistis initiati, & sanctissimam illius religionem tanquam publica aliqua tessera professi: quæ quidem est Baptismus. Etenim quotquot per immersionem in aquam Christo estis initiati, eique nomen dedistis, significastis, vos eum porro in religione secuturos ducem, vosque ipsi similes evadere, & omnis non modo sanctitatis, sed etiam conditionis, & quæ Christianam pietatem consequitur, felicitatis participes fieri velle; imo etiam vi hujus religionis, quam amplectimini, omnino participes fore: quandoquidem & mortem & resurrectionem ipsius in vobis ipsis quodammodo adumbrastis, & sic ostendistis, vos peccato mori, & ad novitatem vitæ, hic quidem sanctæ, aliquando vero etiam immortalis, resurgere velle, atque adeo vi religionis hujus omnino resurrecturos.

Vers. 28. Neque vero est quod quis arbitretur, aliam in Christiana religione Judæi, aliam Ethnici esse rationem; alia hunc, alia illum conditione ad salutem esse vocatum. Nulla habetur neque hujus neque alterius cujuspiam similis personarum discriminis ratio; non spectatur in Christiana religione, quod quispiam sit Judæus, atque adeo circumcisus; neque quod Græcus seu ethnicus, atque adeo præputiatus: quod discrimen sub Lege maximi erat momenti: Non spectatur etiam, num quis sit servus, an vero liber ac ingenuus: quæ res ibi, ubi terrena spectatur felicitas, maximam etiam vim habet. Non denique spectatur, num quis sit vir, vel fœmina; quæ sub Lege videtur longe deteriori fuisse conditione, quam mares. Nulla, inquam, nationis aut conditionis, aut status, neque ullius sexus externa, atque ad carnem pertinentis qualitatis hic habetur ratio: sed vos omnes ratione Christianæ religionis veluti pro uno homine censemini, seu eadem omnes estis conditione,

tione, haud ſecus ac ſi unus quiſpiam eſſetis.

Verſ. 29. Jam vero ſi vos ad Chriſtum ut religionis ducem pertinetis, eique tanquam capiti adhæreſcitis, omnino conſequitur, vos quoque ſpiritualem illam Abrahami progeniem eſſe, de qua ſupra actum eſt: quandoquidem jam ante monuimus, ſpiritualem illam Abrahæ progeniem nullam eſſe aliam præter Chriſtum ac populum ipſi addictum; qui Iſaaco & ejus poſteris hac in parte reſpondet. Quemadmodum autem Iſaacus cum ſuis poſteris fuit hæres promiſſionis carnalis ſeu terrenæ, a Deo in fœdere cum Abrahamo percuſſo promiſſæ: ita & vos, cum ſpirituales ſitis Abrahæ poſteri, vi promiſſionis divinæ in fœdere cum dicto Abrahamo propoſitæ, hæredes eſtis benedictionis divinæ ſpiritualis ac æternæ, & jus adeundi cæleſtem hæreditatem habetis.

## CAP. IV.

Verſ. 1 UT vero id, quod hactenus dixi, melius declarem, & rationem amplius explicem, ob quam Deus populum Iſraëliticum, qui hæres futurus erat benedictionis iſtius ſpiritualis, non ſtatim hujus promiſſi compotem fecerit, ſed eum prius ſevere legibus Moſaicæ diſciplinæ manciparit; nunc vero poſtquam promiſſionis iſtius divinæ effectus apparuit, is a jugo iſto ſit liberatus: libet uti ſimilitudine e communi hominum vita petita; qua jam aliquo modo ſum uſus, cum legem pædagogum noſtrum dixi, & ſic nos ante Chriſtum pueris quibuſdam comparavi. Ita ergo videmus fieri, ut quemadmodum filius herilis, qui hæres aliquando bonorum paternorum futurus eſt, pueritiæ annos nondum eſt egreſſus, nec ad pubertatem pervenit, ſed infantis cujuſpiam inſtar eſt, conditione vix quippiam differt a ſervo licet dominus quodammodo ſit omnium bonorum paternorum; nam jus quidem ea bona hæreditandi habet, quo aliquando ſit uſurus; ſed quamdiu jure hoc ſuo recteuti nondum novit, facultatem ac poteſtatem plenam eo utendi nondum habet; ſed ſervili quodam modo tractatur, & alieno ſub arbitrio vivit, omneſque actiones vitæ ſecundum alienam voluntatem componere cogitur.

Verſ. 2. Subjectus enim eſt poteſtati tutorum ac curatorum, qui ſunt paternorum bonorum diſpenſatores ad illud uſque tempus, quod pater pro arbitrio præfixit ac conſtituit: quod ubi advenit, tum demum ille hæres, tanquam libertatis plene capax, & eo rationis uſu præditus, quo paternis bonis jam recte uti poſſit, emancipatur, atque e poteſtate tutorum ac curatorum in libertatem exit.

Verſ. 3. Simile quippiam nobis quoque Judæis contigit; qui cum eſſemus ſimul juncti a Deo quodammodo inſtituti hæredes in teſtamento cum Abrahamo facto, hæredes inquam divinorum bonorum Abrahamo patri noſtro promiſſorum, non tamen ſtatim plenam hæreditatis illius adeundæ poteſtatem adepti ſumus, & ſic in libertatem emiſſi: ſed quoniam adhuc animo ſimiles infantibus, & carnali quadam terrenaque religione eſſemus ad ſpiritualem virilemque Dei cultum informandi, tanquam incapaces adhuc paternorum bonorum, ſuimus mancipati legi Moſaicæ, & primis religionis elementis ac tyrociniis, quibus homines quaſi progymnaſmatis quibuſdam ad religionem ſolidiorem, perfectionem magiſque virilem erudiri debebant, & ad ſpiritualem Dei cultum paulatim præparari ac perduci. Atque hæc ſervilis noſtræ gentis conditio (univerſa enim gens unius inſtar hominis conſideranda eſt, qui varias habet ætates, infantiam ac pueritiam, cum qua adoleſcentia pubertatis annos nondum egreſſa conjungenda eſt, & virilem ſtatamque ætatem) tam diu durare debuit, atque adeo duravit, donec adveniret terminus a Deo patre noſtro pro ipſius arbitrio ac ſapientia, qua pravidit, quid cuique ætati conveniret, cujus rei capaces futuri eſſent vel incapaces, præſtitutus ac definitus.

Verſ. 4. Poſtquam ergo adultior ac perfectior ætas ſucceſſit, majorumque rerum capax, [vel: Poſtquam autem jam exactum atque ad finem perductum fuit tempus illud,] miſit Deus, tanquam legatum quendam ſuum, per quem nobis voluntatem ſuam annunciaret, filium ſuum chariſſimum ex fœmina natum, atque adeo hominem ad homines, conditione naturali eis plane ſimilem. Sed quia nominatim ad Judæos, qui legi Moſaicæ erant mancipati eum miſit, ideo ut eis quoque conditione ſimilis eſſet, ſub eadem lege natum, atque adeo eidem obſtrictum miſit:

Verſ. 5. Ut ita primum eos, qui legi Moſaicæ eſſent ſubjecti, ab ea ſervitute liberaret, & vita ſua eam in rem impenſa in libertatem vindicaret, ut ſupra ſuo loco eſt expoſitum; atque ita porro nos omnes, tum Judæi, tum gentes (neque enim Judæis ſolis id beneficii præſtare debebat; ſed illis primum, gentibus deinceps) per eum in Dei filios adoptaremur, ſeu jus ac poteſtatem plenam acciperemus hæreditatem patris noſtri cæleſtis adeundi, quæ eis deſtinata eſt, quos in filios adoptavit, quoſque ea ratione, quæ in hoc ſeculum cadit, ex ſe progenuit. Quare hoc beneficium ad vos quoque Galatæ pertinet, eodemque cum Judæis jure gaudetis.

Verſ. 6. Nam quod vos nunc Dei ſitis filii a Deo adoptati, imo etiam geniti, apertiſſime docet ſpiritus ſancti donum, quo Deus ipſum filium ſuum Jeſum Chriſtum primogenitum inter multos fratres, primum implevit, tum dein per eum cæteros, quos per eum in filios adoptavit atque adoptat. Hunc vero ſpiritum Deus quoque vobis impertiit, & cælitus in corda demiſit. Is vero in animis veſtris eum affectum eamque fiduciam erga Deum excitat, ut ab eo impulſi ad eum ita clametis, abba, hoc eſt, ô pater: plane quemadmodum filii terreni quodam affectu & ſingulari in patres fiducia clamare ſolent, & eorum opem hunc ſenſum. Cum autem huic ſenſum hanc fiduciam divinus ille ſpiritus animis veſtris ingeneret, an dubitare ullo pacto poteſtis vos eſſe filios Dei? cum teſtimonium iſtud divini ſpiritus neutiquam fallere poſſit.

Verſ. 7. Quapropter, quiſquis es qui in Chriſtum credis, non amplius ſervus quidam es, nec ſervilis apud Deum conditionis, ſed filius, adeoque in eo ſtatu in quo filius eſſe ſolet vel eſſe debet, eo nimirum tempore quo omnino a ſervo diſcerni incipit.

(Singuli enim Christiani Dei filii nunc sunt perfecta quadam ratione; non vero universi tantum simul juncti, & quidem imperfecte, ut Judæi sub lege.) Si vero filius es Dei, consequitur, te quoque ejusdem esse hæredem, seu ad bona paterna, quæ sunt immortalis vitæ gaudia aliquando obtinenda, jus te ac facultatem habere, idque interventu Jesu Christi, qui cum primus est eorum bonorum hæres constitutus, tum eorum distribuendorum Dominus, atque eorum fratribus largiendorum veluti dispensator. Hæc ergo nunc ita est conditio vobis cum Judæis qui in Christum crediderunt communis, beatissima sane ac felicissima.

Vers. 8. Sed quemadmodum alia erat antea Judæorum conditio, nimirum servilis, & ratione habita præsentis status infelix, ad quam eos relabi indignum est: ita etiam vestra, antequam Christianam religionem essetis amplexi, servilis fuit, & longe quam Judæorum miserior, adeo ut indignum sit vos vel ad eandem, vel ad Judaicam illam pristino vestro statui similem relabi. Etenim ut illi mancipati erant jugo ceremoniarum, quibus mundus ad religionem paulatim informabatur, seu placitis illis, quæ non natura valebant, sed decreto et arbitrio constituentis: ita vos mancipati eratis iis, qui non revera dii erant, sed opinione tantum hominum tales censebantur, atque adeo cum re ac natura ipsa obsequium ac cultum mererentur nullum, ipsorum tamen hominum arbitrio fiebat, ut cum cæteri omnes tum vos quoque ipsi eis cultum exhiberetis, vosque iis manciparetis.

Vers. 9. Sed id tum temporis mirandum non erat; quandoquidem verum illum Deum opificem ac summum rerum omnium monarcham ignoraretis, ac proinde, ne athei prorsus videremini, ac religionis omnis essetis expertes, quidvis pro numine colere malletis. Verum nunc, postquam illum verum Deum cognovistis, vel, ut ad rem accommodatius loquar, ab ipso Deo estis cogniti ac summopere dilecti; atque adeo in beatissimum statum ab ipso ducti (neque enim vestra sponte Deum agnovistis, aut de eo cognoscendo soliciti fuistis: sed ipse Deus vos nihil tale cogitantes, plena benignissimæ voluntatis suæ cognitione donavit, atque in felicissimo statu posuit) nunc, inquam, vehementer mirandum est, quo pacto fiat, ut ad pristini status similitudinem redeatis, & quemadmodum antea diis nullas vires, nullam opem habentibus serviistis; ita vos nunc mancipatis religionis tyrociniis nihil in se solidi, nihil virium atque opis vel ad veram vitæ pietatem, vel ad divinam ac supremam felicitatem parandam habentibus. Id certe dum facitis, quid aliud agitis, quam quod ad pristinam servitutem quodammodo redeatis?

Vers. 10. Etenim certos dies festos tanquam aliis sanctiores observatis, & a laboribus omnibus in iis abstinendum, tanquam id Deus præcepisset, putatis, qualia sunt Judæorum sabbata, seu septimus quisque dies, novilunia, seu calendæ, & alia solenniora anni cujusque festa in lege præscripta, ut festum paschæ, pentecostes, scenopegiæ seu tabernaculorum, celebratis; & integros denique annos, nimirum septimum quemque, quem Deus otio & quieti dari voluit, quibus addendus est jubilæus, qui annorum, ut ita loquar, hebdomadæ septimæ revolutæ adjicitur. Hæc certe plane pertinent ad illa, quæ dixi rudimenta, cum natura ac ratione ipsa haudquaquam nitantur; nec ulla sit causa, cur hic sive dies, sive annus potius quam alius sacer sit habendus, & eo quo Judæis est præceptum modo celebrandus.

Vers. 11. Hæc ergo cum vos agere intelligo, vehementer de vobis incipio metuere, ne frustra tantos labores exantlaverim in vobis ad Christum ac sanctissimam ejus religionem pertrahendis: siquidem ab ea ad Judaismum descisatis, adeoque, nisi pedem referatis, nullus ad vos rediturus sit fructus ex religione Christi aliquando agnita ac recepta.

Vers. 12. Quia vero non injuria suspicor, non parum ad animos vestros a veritate, quam a me didicistis, alienandos id habuisse virium, quod adversarii mei, qui vos a Christo ad Judaismum adducunt, odium mihi apud vos conflarunt; aut etiam vos ipsi arbitrati estis, me, quia vos graviter monuerim, a vobis alieniorem esse; idque ex odio vestri profectum: ideo vos vehementer rogo, ut me amore complectamini intimo, & mei hac in parte similes esse velitis, penitus persuasi, me vos quoque viciſſim intimo amore prosequi, & penitus esse vestrum. Quid enim est, quod ea de re dubitare debeatis? an ulla privatim mihi a vobis data est causa, ut vobis irascerer, & vos amare desinerem? Nulla certe. Nulla enim me unquam affeciſtis injuria; imo vero permagna data est causa, vos propterea impensissime amandi. Quod ipsimet, qui id feciſtis, ignorare non potestis.

Vers. 13. Nostis enim ac probe meminiſtis, quod cum ego primum euangelii vobis doctrinam prædicarem variis fuerim obnoxius ac subjectus corporis afflictionibus ac periculis, ita ut non fuisset mirandum, si vobis fuissem contemptui, & tanquam homo abjectissimus fuissem repudiatus.

Vers. 14. Imo potius mirandum fuit, repertos, qui me tamen & susciperent fovendum, & magni etiam facerent: tantum enim abfuit, ut me propter istiusmodi corporis afflictiones, quibus constantia ac fides mea solicitabatur vilipenderetis, ac tanquam hominem abjectum respueretis, ut etiam me tanquam Dei angelum cælitus ad vos demissum reciperetis. Sed quid dico, vos me recepisse tanquam cælestem quendam angelum? imo non secus ac ipsum Jesum Christum excepiſtis; cujus me legatum esse certissimis indiciis deprehenderatis.

Vers. 15. Ex quo facile apparet quam beatos vosmetipsos tum temporis judicaveritis, atque adeo prædicaveritis, quod ego ad vos venissem, & salutis æternæ rationem vobis aperuissem. [vel: Quam ergo beati, quam felices tunc eratis, cum veritatis doctorem ita amaretis, itaque suspiceretis; qui amor sine ipsius veritatis cælestis amore existere non poterat.] Etenim ego ipse de vobis testari cogor, tantum fuisse vestrum in me amorem, tantum affectum, ut, si fieri potuisset, aut mihi ullo pacto prodesset, & oculos vestros effodissetis, & mihi dedissetis.

Vers. 16. Quare cum nunc longe alio vos in me animo esse comperio, nullam aliam invenire possum causam, quamobrem me odio prosequi cœperitis, quam quod veritatem vos docuerim, quam una mecum in odium vestrum adducere conantur adversarii, quodve

sincere

ſincere & candide vos monuerim, [vel: quid ergo? num inimicus veſter factus ſum? vel idcirco me odio habere cœpiſtis quod veritatem vobis dixerim, & vos ſincere, ac candide monuerim atque reprehenderim? ego certe nullam aliam cauſam invenire poſſum, ob quam id factum fuerit, quamvis ob hanc rem non ſolum nullo odio, quin potius amore veſtro ſim dignus.

Verſ. 17. Non debetis exiſtimare, quod illi qui id præcipue agunt, ut me in odium veſtrum adducant, ſincera erga vos charitate ad id faciendum impellantur quodque in eo veſtrum commodum & utilitatem ſpectent, licet magnum amorem & ardens ſtudium erga vos præ ſe ferentes: diligunt quidem vos aliquo modo, ſed non prout oportet, & prout vera ſinceraque charitas exigit: id enim propter ſeipſos faciunt, ideoque volunt ut ego meique ſimiles excludantur: ut nobis tanquam rivalibus quibuſdam repudiatis, eos ut veſtros amatores hoc veſtro amore complectamini, eoſque ſolos pro veris doctoribus foveatis & cõlatis, aliis in veſtrum odium adductis.

Verſ. 18. Minime autem permittere debetis, id apud vos efficiant, ut deſinatis me abſentem diligere, quem præſentem, juſtiſſima de cauſa, cum pietate conjuncta, ardentiſſime diligere cœpiſtis: amare enim aliquem ardenter propter cauſam honeſtam, non ad tempus tantum, ſed perpetuo id fieri oportet. Cum igitur me ob ſanctiſſimam cauſam dilexeritis, etiam nunc in abſentia mea ſemper me deligere debetis, & non tunc tantummodo cum præſens vobis adſum.

Verſ. 19. Quemadmodum etiam ego ex meo parte facio, qui vos haud aliter quam pater, vel etiam matris inſtar cujus affectus ſæpe eſt tenerior, diligo tanquam eos qui mea opera Chriſto geniti vel Chriſtiani facti eſtis. Etenim, chariſſimi filii, (quos meus labor in vobis ad Chriſtum adducendis, atque ardens meus in vos affectus ſic compellare jubet) [vel: chariſſimi filii] quantopere nunc denuo vobis adeſſe opto! annitor voſque de novo, non ſine ægri animi, de ſalute veſtra ſoliciti, doloribus, parere, atque in vobis formandis ac figurandis efficere, ut Chriſtum ejuſque ſanctiſſimam religionem vobis rurſus quaſi imprimam, cujus forma & figura, per Judaiſmi introductionem, adeo in vobis diſparuit, ut vix appareat vos eſſe Chriſtianos.

Verſ. 20. Cum autem dum abſum huic meo affectui & deſiderio non ita ſatiſfacere queam, quemadmodum ſpero me ſi præſens adeſſem, facere vobis poſſe, valde exopto vobis adeſſe, & pro rei ac perſonæ conditione, in præſentia veſtra, ſermonem meum ita moderari, eumque cujuſque naturæ ac captui ita accommodare, ut quemque ea in re, ubi laborare & hæſitare eum cognoſcerem juvare, & ab errore in viam veritatis pietatiſque revocare poſſem. Etenim ego nunc ſuſpenſus ſum, non certo mihi de vobis conſtat, quam in partem magis inclinetis, præſertim ſinguli, quis ſorupulus unumquemque veſtrum urgeat, quid a vero tranſverſos agat: quæ omnia, ſi in rem præſentem veniremus, & animadvertere poſſemus, facilius etiam ita orationem meam temperarem, ut diverſis animi morbis diverſa adhiberem remedia. Sed quoniam id præſtare nunc non poſſum quod velim, neceſſe eſt me generalibus uti argumentis, quæ cuivis veſtrum jure debeant ſatisfacere, & eum a Judaiſmo ad Chriſtianiſmum revocare, nec permittere, ut quiſquam ab hoc ad illum deficiat.

Verſ. 21. Quare, ut in argumentis, quæ ad id efficiendum vim habent, nunc pergam, dicite, quæſo, mihi vos, quicunque eſtis, qui ſub legis Moſaicæ diſciplina vultis vivere, & vel ei vos mancipare ac addicere, vel in ea porro perſiſtere: an libros illos, in quibus legis diſciplina primum expreſſa eſt, non auditis, aut, quid in illis ſcriptum ſit, non attenditis? Certe attendere non videntur illi, qui a Chriſto ad legem redeunt aut tranſeunt:

Verſ. 22. Quandoquidem in ipſis libris ſacris oſtenditur, feliciſſimam quidem eſſe eorum conditionem, qui euangelio Chriſti adhærent, miſeram autem & infelicem eorum; qui legi Moſaicæ. Scriptum enim eſt in iis, quos dixi, libris, Abrahamum duos habuiſſe filios, Iſmaëlem nimirum & Iſaacum; quorum illum quidem ſuſceperit ex ancilla ac ſerva, nimirum Agare; hunc vero ex libera atque ingenua, nimirum Sara, illius ancillæ domina, vera Abrahami uxore ac matrefamilias.

Verſ. 23. Etiamſi enim illi duo ex eodem patre eſſent nati; tamen diverſa ratione fuerunt ab eo procreati: ſiquidem ille, nimirum Iſmael, qui ex Agare ancilla fuit ſuſceptus, plane carnali ratione, ſeu virtute naturali, quam habuit Abrahamus, generatus ab eo fuit, nec ulla extraordinaria vi, ut gignere poſſet, a Deo fuit inſtructus; ſed alter, nimirum Iſaacus genitus ab eo fuit vi divinæ promiſſionis, adeoque etiam virtute quadam divina Abrahamo ad procreandum, & Saræ ad concipiendum data, cum naturæ vires in utroque parente deficerent, & tum Abrahami, tum vero multo magis Saræ, quæ perpetuo ſterilis erat, corpus vel ob ipſam ſenectutem effœtum eſſet: ita ut jure dici poſſit, Iſmaëlem quidem carnali quadam ratione fuiſſe genitum, Iſaacum vero ſpirituali.

Verſ. 24. Dices, quorſum iſta, aut quid hæc ad inſtitutum faciunt; quandoquidem ea, quia olim facta fuerunt, ad nos nihil pertinent? Sunt quidem iſta ita olim geſta, quemadmodum ipſa verba ſonant: ſed ſubeſt iis alius quidam ſenſus myſticus ac figuratus iiſque literali illo ac hiſtorico potior, quem divinus ſpiritus magis etiam quam hiſtoricum illum reſpexit: quandoquidem alias non adeo multum retuliſſet, iſta tam diligenter ſcripta eſſe; & mirum eſſet, rem tam miraculoſam omni myſterio carere, ac Deum, qui iſta ita dirigere & deſcribi voluerit, longius non proſpexiſſe. Quare cortice remoto nucleum nunc quæramus, & myſterium involucro quodam tectum evolvamus. Duæ ergo illæ fœminæ, duorum Abrahami filiorum matres, imaginem nobis quandam exhibent duorum fœderum, quæ Deus cum Abrahami poſteris erat pacturus, atque adeo pepigit; ac ſimul etiam eorum locorum, ex quibus Abrahami poſteri fœdera illa acceperunt, & e quibus ratione religionis quodammodo nati ſunt. Ex quo facile apparet, ipſis illis filiis reſpondere Abrahami poſteros, qui vel ſub hoc, ſive ſub illo fœdere vivant, et ex eo ratione religionis, ut diximus, quodammodo ſunt geniti. Fœdera autem illa

duo sunt; quorum unum latum est in monte Sina; & ab eo veluti profectum, fœdus nimirum antiquum seu Mosaicum; alterum, ut postea videbimus, nimirum novum, quod per Christum Deus pepigit, e cælesti Hierosolyma profectum. Illud Agari respondet: quæ, ut ipsa serva fuit, ita etiam filium in eandem conditionem genuit: quandoquidem ad hęreditatem, ut infra videbimus, non fuit admissus, sed una cum matre e domo paterna est ejectus; quæ servorum est conditio, non filiorum. Eodem ergo modo vetus testamentum a monte Sina profectum, loco servituti obnoxio, eos etiam, quos ex se progignit, in servilem conditionem gignit, eosque paternorum bonorum hęredes non efficit.

Vers. 25. Recte autem comparationem hic a me institutam esse, rectęque assertum, vetus testamentum Agari respondere, eique esse simile, docet & nomen, & conditio loci, ubi testamentum id primum extitit, & sic ii, qui religionem ex eo didicerant, quodammodo fuerunt geniti. Nam quod ad nomen attinet, Agar significat montem Sina, qui in Arabia Petręa situs est, & continuo veluti jugo ac serie collium usque ad ipsam Hierosolymam, quæ nunc est, seu ad Hierosolymam terrenam pertingit; ita nimirum dictus ab ipsa Agare Abrahami ancilla, Ismaelis matre, quæ ibi habitaverit. Quod ad conditionem attinet loci, ea servilis est. Nam a longo jam tempore, multisque adeo seculis, locus ille, & quæ illi adjacent oppida & vici, & in illis habitantes incolæ externo dominatu premuntur, & sic aliis populis sunt mancipati. Ita ergo utrumque non obscurum est indicium, testamentum a monte Sina profectum, & Hierosolymam, tanquam in propriam suam sedem, cum Israelitis delatum, quo montem quoque Sina pertingere diximus, Agari respondere, & sic Judæos sub lege viventes Ismaeli similes esse; ac per legem non in filiorum, sed in servorum conditionem nasci aut poni.

Vers. 26. At vero alterum fœdus seu testamentum, nimirum novum, ac suprema illa ac cælestis Hierosolyma, unde illud profectum est, Saræ respondet, utpote liberæ: cum ipsa quoque Hierosolyma cælestis nullo externo dominatu, nulla servitute premi queat. Ex hac autem Hierosolyma cælesti & fœdere novo inde profecto, tanquam matre quadam, nos Christiani omnes, sive Judæi sive gentes, spiritualiter nati sumus, ac religione hac sacrosancta, quam profitemur, imbuti. Unde facile apparet, nos quoque in libertatem quandam spiritualem esse genitos: siquidem non modo patre, sed & matre libera ac ingenua nati sumus.

Vers. 27. Recte autem a nobis hac in parte comparationem esse institutam, ac jure dictam cælestem Hierosolymam, ex qua nos Christiani omnes nati sumus, respondere Saræ, apparet ex Esaia, ita de hac matre nostra vaticinante, & quam copiosa ejus esset futura progenies, longe ante prædicente. Ita enim apud ipsum cap. LIV scriptum legimus: Exulta præ gaudio, ô sterilis, quæ hactenus nullam peperisti prolem: prorumpe, inquam, in laudem ac jubilum, & præ lætitia exclama tu, quæ hactenus non parturi isti. Quia etiamsi adhuc deserta fueris a marito, plures tamen nunc habes liberos, quam sunt ullius, quæ maritum habuit. [Vel: quam ea, quæ maritum ad hoc usque tempus habuit.] Quæ verba primo sensu respiciunt ad populum gentilem seu incircumcisum, qui cum a Deo quodammodo rejectus esset, sine eo, tanquam mulier sine marito, ipsi filios parere non poterat, quemadmodum gens Judaica, quæ eo fruebatur propitio, eique tanquam marito juncta erat, & sic complures ipsi filios, hoc est, homines ipsi gratos ac acceptos proferebat. Sed futurum erat, ut Deus populo gentili aliquando jungeretur, & cum eo in gratiam, tanquam maritus cum uxore antea deserta, rediret, isque ipsi plures, quam antea gens Judaica filios produceret, [vel: ad Hierosolymam terrenam, seu mavis gentem Judaicam, quæ sæpe cum fœmina quadam comparatur, & Deo desponsata, & illi tanquam juncta apud prophetas introducitur. Ea enim a Deo per tempus aliquod veluti deserta, & ejus auxilio destituta, non multos ex sese producebat Dei filios, ipsi nimirum gratos ac divina ipsius benignitate liberaliter frtentes, seu filiorum instar dilectos: cum interim Deus ad gentes externas videretur favorem suum transtulisse, & cum illarum republica, tanquam maritus cum uxore, sese conjunxisse. Quare prædicit Esaias, fore, ut Judæorum gens ac respublica denuo marito suo, nimirum Deo, fruatur propitio, isque illi quodammodo restituatur, & cum ea conjungatur:] Unde consecutum sit, ut longe plures ex sese veluti gignat ac producat Deo liberos, hoc est, ipsi instar filiorum dilectos ac gratos; quam gentium respublica interea temporis produxisset, cum ejusdem favore uteretur, & cum tanquam maritum haberet: unde illam lætari & præ gaudio exclamare jubet. Sed eadem verba sensu mystico, quem divinus spiritus magis quam illum, seu literalem, intendit, quemque nos hic spectamus, ad cælestem Hierosolymam seu rempublicam nostram ac civitatem pertinent. Etenim ea ad Christum usque sterilis fuit, nec ullos ex ea Deus genuit liberos, seu homines, quos instar verorum filiorum diligeret; cum interea terrestris Hierosolyma, & Judaica gens ipsi tanquam marito juncta esset, eique liberos pareret quamplures, quanquam non ita ipsi charos, utpote ex terra natos. Sed futurum erat, atque adeo nunc reipsa factum est, ut illius Hierosolymæ cælestis, quæ hactenus fuerat sterilis, longe plures existerent liberi, quam olim gentis Judaicæ: quandoquidem Deus, non ex Judæis tantum, verum etiam ex gentibus per fœdus novum cælestemque illam Hierosolymam generaturus erat filios, & nunc generare cœpit; ut jure hæc præ illa lætetur & exullet. Ex his autem verbis satis luculenter apparet, cælestem hanc Hierosolymam Saræ esse similem: siquidem ut Sara sterilis aliquando fuit, & per longum tempus nullum genuit marito suo filium; ita etiam cælestis hæc Hierosolyma sterilis aliquando dicitur fuisse, & nullum Deo, tanquam marito genuisse filium. Dein quemadmodum factum est, ut Abrahamus Saræ maritus jungeretur ad tempus ancillæ, ita ut ea potius quam ipsa Sara maritum habere ea in parte consenda esset: ita etiam factum est, ut Deus, cælestis Hierosolymæ maritus, interea dum illa sterilis esset, jungeretur servæ, id est, genti Judaicæ, aut, si mavis, testamento Sinaico. Unde pendet tertia similitudinis ratio, quod nimirum ut ancilla ista Saræ marito dominæ suæ juncte genuit ei filium, ex quo postea copiosa ei succrevit posteritas, & sic complures ex ea extiterunt Abrahamo liberi: ita etiam antequam cælestis Hierosolyma ac novum fœdus Deo produceret filios, gens Judaica ac Sinaicum fœdus multos pareret Deo liberos. Ac denique quemadmodnm Deus voluit, ut Isaaci ex Sara nati posteritas haud paulo esset major ac copiosior progenie Ismaelitica;

tica; ita ut hac ratione dici posset, plures fuisse filios, id est, posteros Saræ aliquando sterilis, & ad tempus propemodum desertæ, quam Agaris, quæ maritum antea habuerat: ita etiam factum est, ut cælestis Hierosolima plures Deo ederet filios quam gens Judaica, aut testamentum e Sinai profectum.

Vers. 28. Ex quibus jam facile intelligere potestis, fratres charissimi, nos, qui in Christum credidimus, Abrahami, atque adeo ipsius Dei filios esse (hi enim duo patres sibi invicem subordinati concurrunt, & filii sunt iidem, eademque est eorum hæreditas) qui non carnali ratione, seu vi naturali ex Abrahamo sumus geniti; sed vi divinæ promissionis Abrahamo olim factæ, qua factum est, ut Deus ipse virtutem suam exeruerit, ut nos ex Abrahamo tanquam patre, & cælesti Hierosolyma novoque fœdere inde profecto gigni possemus; ita ut hac in parte Isaaco omnino similes existamus.

Vers. 29. Ex quo porro consequitur, quod quemadmodum Isaaci præ Ismaele jus ac conditio fuerit melior, ita etiam nostra præ Israelitis legi Mosaicæ mancipatis; interim tamen aliqua ratione etiam est deterior, sed ad tempus. Nam hoc quoque ad comparationem a nobis hactenus institutam referri potest, eamque non parum illustrat ac confirmat: quod quemadmodum olim factum est, ut is Abrahami filius, qui naturali ratione usitataque fuerat ab ipso genitus, quem Ismaelem fuisse diximus, rideret & exagitaret illum, qui vi divini spiritus, seu virtute a Deo suppeditata fuit natus; is scilicet, qui jure ac conditione cæteroquin erat inferior, potiorem ac præstantiorem, quemadmodum in sacra historia aliquo modo innuitur: ita etiam nunc accidit. Nam Judæi quoque legi Mosaicæ addicti, qui secundum carnem sunt Abrahami filii, naturalis ortus ratione ab ipso proficiscentes, & Ismaeli, ut vidimus, similes, nos Christianos exagitant ac varie affligunt, qui virtute divina accedente sumus ex Abrahamo prognati.

Vers. 30. Sed id, ut antea diximus, non erit perpetuum: & quemadmodum olim secuta est inopinata rerum catastrophe; ita etiam postea respectu nostri & Judæorum legem Mosaicam sequentium accidet. Quid enim hac de re scriptura sacra narrat? Hoc nimirum, quod cum vidisset Sara proterve ludentem, nempe, ut facile intelligi potest, cum ipsius filio Isaaco cui illuderet, dixerit, ejiciendam esse Agarem ancillam cum filio suo Ismaele ex Abrahami domo, quia is non sit una cum filio suo Isaaco hæreditatem aditurus paternorum bonorum. Quæ Saræ verba licet graviter acciperet Abrahamus, Deus tamen ipse approbavit, ita ut Deus ipse hunc in modum censendus sit Abrahamum allocutus, cum Saræ verba approbavit: Ejice Agarem ancillam cum Ismaele filio ipsius: quia non erit filius ancillæ hæres una cum Isaaco filio Saræ, quæ libera atque ingenua, veraque tua uxor est. Hoc idem ad Judæos Ismaeli similes, ac contra ad nos Christianos Isaaco respondentes transferendum est. Illi nempe, (quæ servorum est conditio) e domo ac familia divina, quæ ipsius etiam Abrahami est, ejicientur, & in ea non censebuntur, nec hereditatem Abrahami posteris a Deo destinatam, atque adeo Dei ipsius bona non sortientur: nos vero Christiani soli eam hereditatem adibimus, ac in domo patris nostri æternum manebimus.

Vers. 31. Quare, ut totius hujus comparationis summam quandam colligamus, fratres charissimi: quandoquidem nos Christiani non sumus veluti ex serva procreati & sic in servilem conditionem nati; sed veluti ex libera, & sic in libertatem geniti, [vel: illi similes, qui ex serva fuit susceptus ab Abrahamo & sic servili conditione natus; sed similes illi, qui ex libera atque ingenua, atque adeo in libertatem genitus fuit:

Vers. 1. Cap. quintus. Ideo mihi monendi estis, ut in ista libertate, in quam vos Christus dux vester vindicavit, atque asseruit, constanter persistatis, nec committatis, ut jugo Mosaico alligemini, ac tantum onus cervicibus vestris imponi sinatis, quod olim Judæis fuerat impositum: cui simile fuit illud, quo vos aliquando vestra sponte implicati tenebamini ad, quem statum vos relabi indignum est.

## CAP. V.

Vers. 2. AT ne forte meam hanc admonitionem susque deque habeatis, arbitrati, si ad salutem vobis non profutura sit legis Mosaicæ observatio, eam saltem nihil obfuturam; vos probe velim attendere quod nunc dicturus sum, vobis proculdubio inopinatum. Ego enim Paulus, cujus munus & in rebus ad religionem pertinentibus auctoritatem ignorare nec potestis nec debetis, hoc vobis dico ac confirmo, quod si circumcidi vos patiamini quantum in vobis est privaturi sitis vosmet ipsos eo beneficio, quod vobis attulit Christiana religio, atque effecturi, ne ea vobis prosit amplius.

Vers. 3. Cujus rei rationem ut intelligatis, iterum hoc testor atque confirmo cuivis homini, qui seipsum circumcidendum curat, & sic religionem Judaicam, cujus ea est tessera ac symbolum certissimum, amplectitur, quod jam omnino sit obstrictus universæ legi Mosaicæ exequendæ, eamque omni ex parte observare prorsus teneatur: siquidem id, ut ex iis quæ supra disputavimus constat, Judaicæ, seu mavis Mosaicæ religionis exigit ratio, ac proinde qui eam se amplecti circumcisione suscepta testatur ac profitetur, is universæ legis jugo collum eo ipso subdit.

Vers. 4. Quid vero prodest Christus ejusque sanctissima religio illi homini, qui legi Mosaicæ adhuc sit subjectus, eamque totam observare teneatur, si justificari velit? Nihil certe. Quare nihil cum Christo commune habetis quicunque per legem ejusque observationem justificationem quæritis, & eo ipso gratia euangelica, per Christum hominibus allata ac primum promulgata, excidistis, vosque eo beneficio sponte vestra, quantum in vobis est, privastis, seu, ut clare dicam, jure illo quod habebatis ad justificationem, non per opera, sed per fidem adipiscendam, vos, si vim facti vestri spectetis, abdicastis, atque ut jam Deus, salva promissione sua in euangelio proposita, vobis eam denegare possit, effecistis, ut nulla vobis sit certa ac promissione divina nitens salutis æternæ spes, & ejus hæreditandæ potestas.

Vers. 5. Nam eam ingressi estis justificationis adipiscendæ rationem, quæ ab ea, quam Christus nobis præscripsit, quamque nos qui ei penitus adhæremus, sequimur, diversa est, imo ei contraria. Etenim dum vos per circumcisionem legi mancipastis, justificationem ita quærere porro tenemini, ut & ceremonias externas, ad carnem magis quam ad spiritum spectantes, observetis, & opera perfecta, quæ præstare nequa-

quam potestis, præstetis, seu exacte legem universam exequamini, nulla in re unquam lapsi: quandoquidem hæc, ut supra vidimus, via est a lege præscripta ad justificationem ac vitam perveniendi. Nos vero, qui Christum sequimur ducem, eique fideliter adhæremus, ea conditione justificationem, hoc est, immortalitatem beatam, quæ justitiæ merces a Deo est constituta, cujusque nobis spes plenissima facta est, expectamus; atque ea ratione consecuturos nos confidimus, ut spiritu nobis divinitus dato adjuti, spiritualem etiam vitæ rationem sequamur, quæ non corpus exterius occupet, sed mentem potius atque animum hominum excolat virtutibus solis, & inde pascentibus sanctissimis vitæ actionibus; neque ut exacte omnino Dei mandata observare teneamur, sed ut fidem tantum veram, ac certam salutis spem tenentes, pro virili Deo in posterum pareamus, tantum nempe facientes, quantum ea spes seu fides animis nostris concepta, in hac infirmitate nostra efficere potest, ac merito debet. Hæc est, inquam, ea justificationis consequendæ ratio ac via, quam nos Christiani vi religionis nostræ sanctissimæ compulsi ingressi sumus.

Vers. 6. Etenim in religione Christiana nihil habet momenti circumcisio, similesve aliæ ceremoniæ; quemadmodum nec præputium: nulla, inquam, istarum rerum in justificatione cuipiam vi religionis Christianæ tribuenda habetur ratio: sed unice spectatur fides illa, quam diximus, seu spes ac desiderium sempiternæ salutis ex assensu doctrinæ Christi adhibito manans; sed tamen non vana atque emortua, sed vegeta atque efficax, ita nimirum, ut charitatem erga proximum, quæ inter cæteras Christianas virtutes familiam quasi ducit, imo omnes vel in se complecti, vel secum trahere videtur, animo hominis penitus inserat atque infigat, ac per eam postea fructus pietatis, eos præsertim qui ad proximum redundent, proferat.

Vers. 7. Et vos quidem antea (*a*) veriſſimam hanc de fide doctrinam amplexi, non modo in ea persistebatis, verum etiam strenue proficiebatis, [vel: in hoc fidei per charitatem fraternam efficacis cursu egregie strenueque pergebatis,] ut jure mirari possim, & ex vobis quærere, quis vobis remoram injecerit, & in vobis effecerit, ne divinæ huic veritati amplius assensum. præbeatis, eive pareatis: quandoquidem vix cuiquam credibile fieri poterat, fore, ut vos, qui eidem assensum tam firmiter præbuistis, tam facile tamque cito ab ea dimoveamini, & ab illo cursu revocemini.

Vers. 8. Neque est quod dicatis, non humano sed divino prorsus consilio atque ope factum esse, ut pristina sententia deserta aliam nunc amplecteremini. Neque enim fieri potest, ut recens hæc vestra opinio potius quam fides Deum habeat autorem: quandoquidem nostis, eum cum per me vos efficacissime ad regnum ac gloriam suam vocaret, vosque ad Christum pertraheret, aliam vobis doctrinam huic vestræ persuasioni contrariam per me proposuisse: adeo ut, nisi dicere velitis id quod vel inpium est cogitare, Deum sibi ipsi adversari, non possit simul hęc vestra opinio recens concepta & contraria ei sententia ab eodem profecta dici. Jam vero satis indicavi, dubitare vos non posse, Deo auctore me vobis euangelium annunciasse, eumque aditum per me vobis ad regnum cælorum patefeciſſe, cum id ex apertissimis miraculis a me patratis, & spiritus sancti dono in vos collato sit planissimum.

Vers. 9. Non ergo hæc, quam opinamini, hujus vestræ persuasionis causa est: sed, si verum amatis, hæc est, quod non satis cauti fueritis in ferendis quibusdam hominibus, aut in vestrum numerum recipiendit, a quibus error ad cæteros omnes dimanavit. Nostis enim, exiguum fermenti universam massam solere fermentare. Quare cum vos paucos quosdam homines erronea illa opinione imbutos vel ferretis, vel reciperetis, factum est porro ut totum ecclesiarum vestrarum corpus ab eodem errore inficeretur. Ab his initiis malum est profectum.

Vers. 10. Verumtamen non despero de vobis; sed ita potius mihi de vobis vestroque candore ac pietate persuadeo, fore, ut Domini Jesu ope ac favore accedente, idem plane mecum sentiatis; nec salutarem, quam hactenus defendo, doctrinam repudietis. Ii autem qui vos nunc ita perturbant, & animos vestros a veritate abducere laborant, sibi metuant ac caveant. Pœnam enim divinam, ni resipuerint, haudquaquam effugient, quicunque tandem sint, quibuscunque dotibus ornati; [vel: Interea illi &c. Vel: quod si vero quispiam huic rei obsistere conatus fuerit, & animos vestros perturbare, atque a salutari veritate abalienare laboraverit, is sibi metuat ac caveat. Pœnam enim divinam haudquaquam effugiet, quisquis tandem fuerit, quacunque dignitate, quibuscunque cæteroquin dotibus præditus.] nihil illos ulla a suppliciis divinis defendet dignitas, quam Deus, ut pote qui personam haud accipit, haudquaquam spectat.

Vers. 11. Quorum quidem hominum mira est audacia, & summa impudentia; cum, ut animos vestros turbent, & veritatem apud vos per me stabilitam labefactent, vobis persuadere conantur, me quoque ipsum alibi circumcisionem, atque adeo etiam reliquas ceremonias universamque legem Mosaicam prędicare, & ad ejus observationem homines compellere: ut ita, cum mea auctoritate vos potissimum niti videant, in lege non admittenda, eadem per summam calumniam ac malitiam abutantur ad legis onus vobis imponendum. Sed nimis apertum est atque impudens mendacium. Etenim, fratres charissimi, si ego adhuc circumcisionem universamque legem Mosaicam prędicarem, atque inculcarem, & ut ea ab omnibus servetur allaborarem, quid causæ restaret amplius, ob quam persecutionem pater? Nam quæ afflictioues mihi adhuc doctrinæ a me promulgatæ causa contigerunt, eæ vel a Judęis ipsis, vel Judęorum instinctu mihi contigerunt: quibus ademta revera esset mei persequendi causa, si ego legem Mosaicam, inter gentes præsertim extrancas, promulgarem, urgeremque, & ad ejus cultum ethnicos adigerem. Certe etiamsi tandem aliquid diversum ab ea admiscerem; plus tamen haberent causæ, cur me amarent ac foverent, quam cur odio aut supplicio aliquo dignum judicarent; cum nihil illis posset esse gratius, quam suam religionem longe lateque propagari, & eos etiam populos ad ejus studium adduci, qui ab ea antea alie-

nissimi

niſſimi fuiſſent. Quare ſequeretur, me nunc nihil adverſi pati, contra manifeſtiſſimam rei veritatem. Conſequeretur etiam, religionem Chriſtianam, & mortem illam Chriſti ignominioſam, quam in cruce pertulit, quaque doctrina Chriſti nova & a Moſaica diverſa fuit confirmata, Judæis non amplius eſſe offendiculo; & ſic cauſam, ob quam ii ab hac religione & cruce Chriſti abhorreant, ſublatam eſſe. Quod nemo non videt eſſe longe abſurdiſſimum.

Verſ. 12. Quare cum iſtorum hominum, qui vos turbant, & dubios ac inquietos animos veſtros reddunt, impudentiam & quidvis fingendi libidinem, qua in veſtram perniciem abutuntur, conſidero, venit in mentem, optare etiam, non quidem ipſarum perſonarum odio (quas reſipiſcere ac ſervari longe malim) ſed ſalutis veſtræ ac gloriæ divinæ, quæ ab iis vehementer impeditur, ſtudio, ut ii homines e medio tollantur. [vel: Vehementer opto, ut ii à veſtro corpore, tanquam putrida membra reſecentur: ne, quemadmodum hactenus factum eſt, malum hoc latius adhuc ſerpat, & membra etiam ſana penitus corripiat. Videre enim jam poteſtis, fratres chariſſimi, quanto quamque inſigni bono vos privent; ſiquidem vos in ſervitutem miſerabilem cogere conantur; quibus tamen Deus ipſe libertatis ſpem fecit, eaque conditione ad ſe ſuamque eccleſiam vos excivit.

Verſ. 13. Verum quemadmodum vos hortor, ut libertatem hanc veſtram conſtanter tueamini: ita etiam viciſſim diligentiſſime monendi eſtis, ne ea abutamini, eamque in licentiam, ut fere fieri ſolet, vertatis. Pronus enim eſt a libertate in licentiam lapſus. Quare ita illa debetis gaudere, ne occaſionem ob libertatem veſtram præbeatis appetitui veſtro carnali, ut ſub ejus prætextu ea in vobis perficiat, quæ ipſi libuerint; cum appetitus ille libenter undecunque obtentum quærat peccatis; ſed potius ſpontaneam quandam, & liberis hominibus digniſſimam in vos ſuſcipite ſervitutem; ut charitate fraterna impulſi alii aliorum uſibus vos quodammodo mancipetis, ita ut nec ullum officii genus adverſus vos mutuo prætermittatis, nec grave ſit a libertatis veſtræ uſu, cum de rebus mediis ſeu adiaphoris res eſt, abſtinere, ſi fratrum infirmorum ædificatio ac ſalus id aliqua ratione exigat; nec illis forte offenſionis cauſam præbeatis & eorum ſempiternam felicitatem intempeſtivo libertatis uſu impediatis.

Verſ. 14. Hoc ſi feceritis, non eſt quod legis tranſgreſſores ob neglectas ceremonias audire mereamini; imo potius id conſequemini, ut legem impleviſſe merito dicamini, quo quidem pacto impleri ab homine libero ac Chriſtiano & poteſt, & debet. Etenim lex univerſa, ac nominatim ea, quæ ad proximum aliqua ratione ſpectat, patetque latiſſime, & pietatem univerſam quodammodo in ſe complectitur, uno quodam præcepto generali comprehenditur, quo impleto atque obſervato impletur univerſum. Id vero præceptum eſt, Dilige proximum tuum, hoc eſt, eum, qui tibi vel religionis, vel ſaltem naturæ ſocietate ac cognatione quadam devinctus eſt (quo poſteriore modo omnes omnino homines proximi noſtri cenſeri poſſunt, &, cum nobis eſt aliquid cum iis negotii, debent) & quidem ita dilige, quemadmodum teipſum diligis; adeo ut quæ tibi ipſi cupis ac deſideras bona, ea quoque alteri ex animo optes, & quantum in te eſt, eum in illis parandis, retinendis, augendis adjuves: uno verbo, quicquid tibi ab altero vis fieri, id alteri ut facias. Hanc ergo charitatem ſummo ſtudio colere, & ea impulſi alii aliorum utilitatibus inſervire pro viribus debetis.

Verſ. 15. Id ſi facere neglexeritis, contra autem rixis ac contentionibus, quemadmodum nunc fieri cœptum eſſe intelligo, indulſeritis, & ſic alii alios admordere, arrodere & carpere perrexeritis, illud vobis metuendum eſt, ne hoc pacto a vobis invicem conſumamini, ac ut ita dicam, devoremini; hoc eſt, ne veſtræ eccleſiæ internis his diſſidiis ac diſcordiis penitus collabantur ac diſſipentur, etiamſi ab externo hoſte non oppugnemini, & porro ne vos omnes ſalutis naufragium patiamini.

Verſ. 16. Id autem, quod hactenus dixi, de cancellis, quibus religio veſtra circumſcripta eſt, ut melius adhuc declarem, & paulo latius extendam, illud in univerſum moneo ac præcipio, ut ſpiritus divini, quo donati eſtis, ductum in omnibus ſequamini vitæ actionibus, & quo ille vos impellit, eo agi ac rapi vos patiamini. Hoc enim pacto futurum eſt, ut id, quod appetitus veſter carnalis concupiſcit, quodque illi allubeſcit, non perficiatis [vel: contra autem, id quod appetitui veſtro carnali allubeſcit, nequaquam faciatis, ejuſve cupiditatem expleatis.] ſive opere, ſive certo animi decreto ac conſilio: quod, ne fiat, cavendum eſſe jam antea dixi.

Verſ. 17. Cujus rei hæc eſt ratio, quod contraria ſint duarum iſtarum rerum deſideria, ſeu propenſiones atque impetus: ita quidem, ut carnalis appetitus ea concupiſcat, quæ ſpiritui ſunt adverſa atque ingrata; contra autem ſpiritus ad ea nos ducat atque impellat, quæ ingrata ac inviſa ſunt carni. Quandoquidem appetitus quidem ille ad voluptates aliaque terrena bona, quæ fere ſunt cum peccato conjuncta, totus ſpectat ac fertur, iiſque mirifice delectatur: contra autem divinus ille ſpiritus cum doctrina euangelica in animis hominum concepta junctus, aut ipſius euangelii vis, quæ animum hominis occupavit, tota ſpectat ad virtutem, honeſtatem, pietatem, & a rerum terrenarum cura hominem quam maxime abducit. Unde ſat manifeſte apparet, hæc duo ita invicem ſibi adverſari, ut utrique ſimul obtemperare haudquaquam poſſitis; ſed eorum unum efficere, ſi ſit validius, ne id opere exequamini, quod cæteroquin ex alterius inſtinctu facere velletis: hoc eſt, ſi appetitus carnalis ſuadeat, ut velitis voluptatibus perfrui, & ſic peccatum aliquod committere, ſpiritum ei rei obſtare, & conatum hunc carnis impedire, ſi ſit ea validior; contra etiam, ſi ſpiritus divinus ad honeſtatem ac pietatem vos excitet atque impellat, appetitum carnalem, ſi eo ſit fortior, vel, ut apertius loquar, ſi voluntas hominis ſe ſponte adjungat; efficere, ne ſpiritui obſequamini, & id faciatis, quo vos allicit. Ut facile appareat, recte a me aſſertum fuiſſe, vos, ſi ſpiritus ductum in omnibus vitæ actionibus ſequamini, non facturos id quod carnalis appetitus concupiſcit; & ſic appetitum iſtum ex veſtra libertate occaſionem licentiæ haudquaquam nacturum.

Verſ. 18. Jam vero vos omnino ſpiritui obſequi ut poteſtis, ita etiam debetis. Id enim ſi feceritis, hunc conſequemini fructum, qui longe eſt præſtantiſſimus; ut non ſitis obnoxii exſecrationi illi, ſeu pœnæ illi, quam lex Moſaica ſuis tranſgreſſoribus comminatur, & qua vos hactenus terrent doctores illi veſtri, contendentes, vos niſi univerſæ legis jugum in vos receperitis, & ceremonias etiam in ea præſcriptas obſervaveritis, ſupplicium illud effugere non poſſe. Atqui non hæc,

sed alia longe expeditior, imo unica supplicii istius effugiendi est ratio, quam nunc vobis præscripsi: nimirum ut a spiritu divino vos regi patiamini; ea vero, quæ ex carnali appetitu nascuntur, opera quam longissime fugiatis.

Vers. 19. Neque est quod quisquam hic quærat, quænam sint illa opera ex appetitu carnali proficiscentia, quæ vobis adeo sint fugienda. Nam ea sunt per se unicuique qui vel levem Christianæ religionis gustum habet, manifesta; cum pleraque vel ipsa ratione duce cognosci queant. Sed tamen, ut rudioribus etiam consulam, & omnibus ignorantiæ excusationem adimam omnem, quædam istiusmodi operum genera recensebo, ex quibus cætera agnosci & dijudicari facile poterunt. Ad istorum ergo operum censum pertinent primum quæ ad voluptates ac libidines impuras spectant (ut ab his, quæ & admodum sunt fœda, & passim inter gentes prope sine pudore exercentur, initium faciam) qualia sunt adulterium, quod eorum est, qui matrimonii vinculis sunt adstricti, sive utrique, sive alteruter; itemque scortatio, quæ eorum est, qui conjugii vinculis sunt soluti; tum impuritates, quæ omnes nefandas libidines, sive naturæ limites excedant, sive incestuosæ sint, complectitur, & omnino totum voluptatum Venerearum genus, quod exercetur extra matrimonii leges, nec tamen vel ad adulterium vel ad scortationem pertinet; & denique lascivia, quæ nihil aliud est, quam libidinosa cupiditas ac cogitatio Venereæ voluptati veluti præludens, sive aspectu, sive contactu impuro, sive denique verborum obscœnitate ac spurcitie.

Vers. 20. Alterum genus operum carnis constituetur id, quod in Deum ipsum est contumelioſum atque impium. In quo quidem genere duo inprimis eminent. Alterum est idololatria, hoc est, & falsorum deorum, & imaginum cultus, cui peccato omnes gentes sunt deditæ; alterum est veneficium omnesque artes magicæ, quæ opera dæmonis interveniente aliquid efficere conantur. Quo referendæ sunt omnes artes ariolorum, pythonum, & si qui sunt his similes. Tertium genus patet latissime, estque eorum peccatorum, quæ sunt adversus proximum, & cum charitate, nonnulla etiam cum justitia ipsa pugnant. Inter illa ordinem quodammodo ducunt inimicitiæ, seu odia adversus alterum, nocendi occasionem seu oportunitatem expectantia, saltem male aliis cupientia. Inimicitias excipere solent rixæ, seu verborum pugnæ, quibus aliquid admistum est fellis, aliquid aculeorum, quibus alter pungatar aut mordeatur. His fere adjuncta esse solent æmulatio, & ambitiosa quædam de honore concertatio, qua fit, ut alteri nolis cedere, nec facile possis parem, multo autem minus superiorem ferre, si modo eum æquare posse videaris, & quicquid illi dignitatis, famæ ac existimationis accesserit, tibi detractum putes: quæ res hominum animos vehementer concitat, & rixas sæpe cie pertinaces, ut licet veritate vincaris, cedere tamen nolis, ne victus esse videaris. Huic vitio cum natura sua vicinum est, tum adjungi libenter solet ira atque excandescentia, quæ ad vindictæ consilium aut decretum progreditur, utut tandem ad ipsum ultionis actum non prorumpat. His vitiis iterum affine est studium quoddam alios irritandi, & ad pugnas quasdam ac contentiones lacessendi ac provocandi: hoc enim suadet æmulatio, suadet ira. Ex his porro facile nascuntur schismata seu factiones & sectæ, quæ eos, qui pacem & concordiam inter se colere deberent, & ita inter se conjunctim vivere, ut unum veluti corpus constituant, a se invicem divellunt, atque in partes scindunt: quemadmodum fit, cum ii, qui in dogmatibus ad salutem necessariis inter se consentiunt, ob dissensionem in non necessariis, vel in certa quadam agendi ratione, aut consilio, a se invicem discedunt; vel saltem unus aut alter ab ecclesiæ societate seipsum segregat, illaque ferre non vult, quæ ferre debebat. Hi, inquam, schismatis seu dissidii sunt rei. Schismata sequuntur hæreses, ubi dissensio oritur ab eo, qui dogma aliquod propugnat, quod salutem prorsus everti t, & sic in rebus ad salutem necessariis a vera Christi ecclesia dissentit, ab eoque errore, licet semel atque iterum convictus, monitus ac reprehensus, desciscere non vult: unde fit, ut vel ipse ab ecclesia sponte sua se segreget, & alios forte secum trahat; vel ecclesia illum a consortio suo removere atque excludere cogatur. Quale vitium non nisi vel ab ambitione & nimia sui opinione proficiscitur; vel a lucri ac quæstus, quem inde apud alios sperat, cupiditate; vel a voluptatum amore, si præsertim error ille peccatis, ut quidem aliter fieri vix potest, patrocinetur & carnalibus voluptatibus habenas laxet.

Vers. 21. His autem vitiis commemoratis facile admiscetur quædam invidia, hoc est, dolor & ægritudo animi ex alienis bonis concepta, quibus is gaudere potius debet. Quod venenum licet illi maxime noceat, qui illud intus continet: sæpe tamen etiam in aliorum damna atque in cædes erumpit. Quare tum huic, tum reliquis vitiis, quæ adversus proximum committuntur, adjiciendum est homicidium, seu quævis hominis cædes illegitima. Quod scelus inter ea summum est, quæ adversus alterum committuntur: siquidem qui vitam eripit, omnia, quæ quidem homini eripi possunt, eripit. Quare hoc vitium cæterorum hujus generis agmen claudat. Quarto atque ultimo loco ponemus ea, quæ adversus temperantiam & sobrietatem pugnant; quæ quidem sunt duo. Primum ebrietas, quæ modum in bibendo superat, nec poculorum usum ad necessitatem ac valetudinem, sed ad voluptatem refert, atque animum ita obruit, ut eum neque ad precum devotionem, neque ad rerum honestarum cogitationem ac studium aptum & vacuum relinquat. Alterum est comessatio, seu epulæ, quæ itidem non ad necessitatem, sed ad superfluam voluptatem, atque ad ventris saginam referuntur. Cum quibus conjuncti solent esse varii hominum temulentorum lusus ac choreæ. Hæc, inquam, & his similia, quæ ex illis agnosci ac colligi ob affinitatem quandam poterunt (neque enim omnia, ut antea dixi, recensere institui) sunt opera ejusmodi, quæ ex appetitu carnali nascuntur, suntque vobis diligentissime fugienda ac cavenda tanquam certissimæ animarum pestes. Etenim, ne quis ea parvi pendat, & non monitum se esse causetur, illud vobis certo de iis prædico, quemadmodum etiam jam antea cum apud vos præsens adessem prædixi atque præmonui; eum, qui aliquo horum peccatorum habitu ac consuetudine teneatur, vel etiam si quid adeo est grave, ut ne semel quidem committi possit ab eo, qui fidem in Deum habeat, sciente ac prudente, nihilominus tamen id perpetret, regni cœlestis hæreditatem non aditurum, &, quam diu in

diu in eo ſtatu verſatur, ut peccata illa non reliquiſſe merito cenſeri debeat, ſpem tantæ felicitatis non habere, nec ea conditione eſſe, ut ſi in eo ſtatu moriatur, beatam immortalitatem ſit adepturus. Et hęc quidem ſufficere vobis nunc poſſunt ad opera ea cognoſcenda, quæ ex carnali appetitu naſcuntur, quæque vobis quam diligentiſſime cavenda eſſe docui.

Verſ. 22. Verum quia non tantum appetitus carnalis opera vitanda eſſe dixi; ſed contra etiam ſequenda ea, ad quæ ſpiritus euangelicus animis noſtris inſitus ducit atque impellit: ideo quaſdam virtutes, quas ſpiritus ille homini, quem regit, ingenerat, & ad quas eum incitat, hic recenſebo, e quibus reliquas quoque ſimiles deprehendere haud difficulter poteritis. Inter eos autem effectus & fructus ſuaviſſimos, quos ſpiritus euangelicus, tanquam fertiliſſima aliqua arbor profert, primum locum jure do *charitati*; quæ eſt affectus ſeu inclinatio animi, ac voluntatis propenſio conſtans, in bonum ac commodum aliorum, & maxime fratrum; ex qua eæ naſcuntur virtutes, quas mox ſubjungam, earumque ſimiles, ita ut charitas earum mater, fons, ac caput merito cenſeri debeat; quas omnes, cum nos ſupra ſolam charitatem fidei adjunximus, & in ea omnium præceptorum divinorum obſervationem quodammodo contineri diximus, comprehendimus. Ex ea igitur manat *gaudium*, cui proximum ab ea locum tribuimus. Id eſt, ejuſmodi virtus atque animi affectio, ut ſemper cupias ac ſtudeas gaudio eſſe tum cęteris omnibus, tum maxime fratribus, itaque omnes tuas actiones modereris & dirigas, ut honeſtæ ac piæ ipſorum lætitiæ ac voluptati velificeris; contra autem quam maxime caveas, ne facto tuo quemquam offendas aut contriſtes, ſeu contriſtandi occaſionem præbeas; quemadmodum ii faciunt, qui ſcandalum atque offendiculum aliis ponunt: qui vero ædificationi aliorum unice dant operam, illi iiſdem magno ſunt gaudio. Ex eadem charitate manat etiam *pacis* ac concordiæ ſtudium, cui tertium inter fructus euangelici ſpiritus locum damus. Hæc omnibus diſſidiis, omnibus contentionibus ac rixis maxime eſt adverſa, jubetque abſtinere ab iis omnibus, quæ animos aliorum irritare & alienare poſſunt; contra vero conſectari diligentiſſime ea, quæ eos adjungere ac conciliare queant; qua in parte & a gaudio iſto, de quo egimus, atque iis, quas ſtatim ſubjungemus, virtutibus maxime adjuvatur. Quartus ſpiritus euangelici fructus, charitatis autem tertius, a nobis ponitur *longanimitas*: quæ nihil eſt aliud, quam diutuna quędam in ferendis injuriis patientia; ſeu virtus ejuſmodi, qua fiat, ut licet irarum cauſæ ſępe præbeantur, aut diu durent, nihilominus tamen iram animumque tuum coërceas, ne te ad vindictam vindictæque conſilium progredi patiatur, ſive illæ injuriæ ſint privatæ, ſive publicæ: breviter, ut diu feras moleſtias illas, ad quas vel vindicandas, vel relinquendas atque abjiciendas ira te ſolicitare poſſet. Idem etiam in infirmioribus fratribus tamdiu tolerandis cernitur, donec infirmitatem in malitiam abiiſſe ſatis aperte conſtet, aut commune eccleſiæ bonum glorięque divinæ ratio non amplius ferendos eſſe demonſtret. Quam virtutem quis non videt & ex charitate naſci, & ei, qui pacem cum aliis, ſive Chriſtianis, ſive extraneis colere velit, cumprimis neceſſariam? Quintus euangelici ſpiritus fructus, qui ex charitate quoque manat, atque ad pacem conciliandam plurimum facit, eſt *humanitas* ſeu comitas, ac quidam in omni convictu, in congreſſu, in ſermone ac colloquiis ſuavitas, facilitas, affabilitas, quæ gravitatem quandam Chriſtianam non tollat, ſed temperet ac moderetur, ac jucunditate veluti quadam condiat, teque omnibus amabili reddito, nulli odioſum atque inviſum eſſe patiatur; moroſitatem, acerbitatem verborum, non ad ſanandum, ſed ad vulnerandum potius atque ad exulcerandum animum comparatam excludat atque arceat. Huic aliquo modo vicina eſt *beneficentia*, quæ itidem ex ſpiritu euangelico ac charitate Chriſtiana promanat. Quemadmodum enim humanitas, de qua modo dictum eſt, ſuavis vult eſſe alteri, ita hęc utilis. Cernitur enim beneficentia in eo, ut non modo conſilio, ſed etiam re atque opera alteri proſis, & commodis ejus pro virili inſervias, inopiæ ſubvenias, afflictionem ſubleves, eaque in re nec labori nec ſumtui parcas. Septimum ſpiritus hujus fructum, eundemque charitatis quoque, facere poſſumus *fidem* ſeu fidelitatem; quæ conſtantiam in promiſſis ſervandis, diligentiamque in omnibus, quæ tibi ab altero commiſſa ſunt, curandis pręſtandiſque complectitur. Breviter, virtus ejuſmodi illa eſt, quæ facit ut ita te geras iis in rebus, in quibus fides tibi ab altero habetur, ut oſtendas, merito tibi eſſe fidem habendam; & licet fallere alterius de te ſpem atque opinionem potueris, non tamen fefelleris. Octavum ſpiritus euangelici fructum, qui ut cæteri, quos proxime conſideravimus, ex charitate quoque manat, conſtituo *manſuetudinem* ſeu lenitatem; quæ virtus iram ita cohibet, ut non permittat eam tunc exoriri atque efferveſcere, cum non decet, vel adverſus quem non decet; nec unquam (id quod pręcipuum eſt ejus virtutis officium) ad vindictæ conſilium atque decretum, nedum ad effectum progredi, aut ita animum occupare tuum, ut in ſua poteſtate non ſit, & id quod rectum & honeſtum eſt vel cernere nequeat, vel conſtituere; nec denique iram alioquin etiam licitam diu durare permittit, ſed placabilem reddit hominem & ad ignoſcendum facilem, & talem, qui iram ad occaſum uſque ſolis non foveat. Quæ virtus longanimitati aliquid adhuc addit: cum longanimitatis quidem ſit diu iram ſuſtinere, ſed non ſemper; & vehementer iraſci poſſet qui diu iratus non fuit; quin etiam diu juſtam iram fovere, a qua diu animum revocaret: illorum autem nihil, uti jam vidimus, permittit manſuetudo Chriſtianis hominibus pręcepta. Hi ergo ſunt inter alios ſpiritus euangelici fructus atque effectus cum iis carnalis appetitus operibus pugnantes, quibus adverſus proximum peccatur, quorum non minoremnumerum contra conſtituimus. His adjungatur ille ſpiritus jam ſæpius dicti fructus, qui ad nos ipſos primo ac per ſe refertur, opponiturque iis appetitus carnalis effectibus atque operibus, quæ primo atque ultimo loco recenſuimus; hoc eſt, partim fœdis libidinibus, partim immoderato cibi ac potus uſui. Is vero ſpiritus effectus ſeu fructus eſt temperantia ſen continentia, quæ virtus in voluptatibus corporis eum ſervat modum, ut nec eas, quæ ipſo genere turpes ac illicitæ ſunt, unquam tibi permittas, nec eas quæ ipſo genere ſunt licitæ, ultra modum uſurpes, & ſic illicitas facias. Complectitur in ſe tum caſtitatem, quæ omnem libidinem averſatur ac repellit; tum ſobrietatem, quæ modum in cibo ac potu ſervat. Quemadmodum autem antea diximus, alia etiam eſſe appetitus carnalis opera prętera, quæ tradidimus, iis tamen ſimilia atque ex iis agnoſcenda: ita etiam de fructibus ſpiritus ſentiendum eſt, alios quoque his, quos enumeravimus, ſimiles eſſe.

Verſ. 23.

Vers. 23. Quos omnes si quis spiritus euangelici vi & animo conceperit, & factis expresserit, is eum inde referet fructum, ut legis execrationi ac pœnis non sit obnoxius: adeo ut non sit necesse eum, qui pœnam non observatæ legis Mosaicæ effugere velit, totius legis onus subire; sed satis sit spiritus euangelici ductum sequi, quemadmodum jam antea monuimus. Etenim contra spiritus fructus nihil lex potest, nec tantum habet virium ut eum damnet, in quo virtutes istæ omnes reperiuntur: plus inquam hæ habent virium ad eum absolvendum, quam lex ad eum damnandum. Quapropter videtis maximam esse causam, ob quam ab operibus illis abstineatis, ad quæ carnalis appetitus ducit, & contra illa sequamini, ad quæ spiritus euangelicus.

Vers. 24. Quod si quis dicat, ideo homines Christianos istiusmodi carnalia opera intermittere non posse, quia sint adhuc carne circumdati, in qua resideat ac vigeat appetitus, ad ea homines ducens & rapiens quæ corpori sunt grata; nec eos esse stipites, qui nulla rerum istarum cupiditate tangantur, & nullis moveantur affectibus; ei hoc responsum volo; quemadmodum Christi caro cruci fuit affixa ac mortua, ita etiam carnem eorum, qui Christum ducem sequuntur, quique ei vi religionis suæ similes evadere debent, seque evasuros professi sunt, esse crucifixam, hoc est, carnalem eorum appetitum vim ac vitam, ut ita dicam, suam perdidisse, ita ut etsi adhuc extet, tamen pro mortuo sit habendus; eodemque modo affectus illi, qualescunque ceteroquin sint, & cupiditates, seu rerum carni jucundarum desideria omnem vigorem suum perdiderunt: quandoquidem vi Christianæ religionis ipsiusque mortis Christi, qua est sancita, ita sunt edomita ac debilitata, ut spiritum vincere, atque in homine ipso dominari ejusque actiones gubernare pro arbitrio suo non possint amplius; nisi quis seipsum sponte tam fœdæ servituti velit addicere. Quemadmodum autem caro seu appetitus noster carnalis mortuus est, & vitam quodammodo suam amisit: ita contra spiritus noster, spiritu euangelico veluti excitatus atque animatus, vitam recepit; ita ut loco vitæ carnalis successerit vita quædam spiritualis. Quemadmodum etiam Christus amissa carnali seu corporali vita, Dei spiritu excitatus recepit vitam spiritualem, quam nunc degit.

Vers. 25. Jam vero si nos spiritualem quandam vitam accepimus vi Christianæ religionis, & spiritus istius sancti, qui cum ea nobis donatus est, quid restat aliud, quam ut ejusdem spiritus ductum in ipsis quoque actionibus sequamur? Ut qui nos quodammodo animat ac vivificat, idem etiam omnes vitæ nostræ actiones informet ac moderetur.

Vers. 26. Quapropter inter alia, quæ carnalium sunt hominum, & non spiritus euangelici, sed appetitus sui ductum sequentium, id quoque vitemus, ne simus fiamusque gloriæ vanæ cupidi atque ambitiosi; neve alii alios lacessamus ac provocemus ad contentiones & rixas, quæ ex ambitione illa nasci solent, dum alii aliis cedere nolunt, sed gloriolam ex victoria, quam spe perceperunt, captant; ne denique alii aliis invideamus. Quod vitium ut ex gloriæ cupiditate nasci solet, ita etiam contentiones inter vanæ gloriæ procos ac rivales excitare: quæ causæ esse videntur, cur alii alios, ut supra innui, mordeatis, & mutuis pugnis vos quodammodo conficiatis.

## CAP. VI.

Vers. 1. ETsi autem hactenus ostenderim, homines Christianos & posse & debere peccata omnia, quæ non nisi ex appetitu carnali proficiscantur, vitare, eosque vi religionis suæ ad id faciendum adigi: inde tamen haudquaquam consequitur, quempiam ex iis, qui sanctissimam hanc religionem profitentur, non posse in aliquod delictorum a nobis enumeratorum eisque similium incidere; aut, si inciderit, de ejus salute jam prorsus desperandum esse, eumque tanquam jam deploratum esse relinquendum. Haudquaquam ita sentite, fratres charissimi; sed etiamsi contingat, ut quis, contra quam vi religionis suæ & poterat & debebat, in aliquo peccati genere ita hæreat, ut priusquam resipiscat ab aliis notetur, eoque delicto irretitus deprehendatur, [vel: ab aliquo peccato veluti circumventus, eo teneatur irretitus,] vos nihilominus, qui spiritus euangelici ductum sequimini, ac proinde ab hujusmodi peccatis immunes estis, non debetis eum aspernari, & vestra ope indignum putare, eumque duriter ac inclementer tractare: sed potius hoc vestri, qui hujusmodi estis atque ad eam rem idonei, est officii, ut hujusmodi hominem emendetis, atque ad frugem melioremque mentem reducatis; idque quanta maxima fieri potest animi lenitate ac mansuetudine, qua fiat, ut ob omni & verborum & factorum asperitate abstineatis, quæ non ad sanandum illius morbum, sed ad exasperandum, atque ad remedia in posterum aspernanda pertinere queant: ut ita non insultare misero videamini, sed eum erigatis ac sublevetis, & tum vobis, tum virtuti maxime concilietis. Neque vero est, quod quempiam superba ista incessat cogitatio; quid mihi, qui ab hujusmodi factis immunis & sui, & ero semper, est negotii cum isto homine qui hujusmodi flagitio se contaminavit? dignusne ille sit, in quo corrigendo operam insumam? dignusne ille sit, cum quo agatur leniter, qui contra sanctissimæ religionis professionem, tanta cum aliorum offensione, hac ratione facere est ausus? quæ verborum aut pœnæ atrocitas tanta excogitari potest, quam ille non fuerit commeritus? Absit a vobis, qui spirituales vel estis, vel haberi vultis, hujusmodi cogitatio: imo unusquisque vestrum infirmitatis suæ memor, dum alterum peccantem videt, cogitet, sibi ipsi contingere posse; ac proinde & mansuetudine utatur erga lapsum majore; & sibi ipsi tanto diligentius caveat ne a Satana carneque sua tentatus atq; illectus, ipsemet etiam aliquid simile committat peccetq;.

Vers. 2. Est quidem grave ac molestum hominem ejusmodi non modo ferre in ecclesia, sed etiam eundem sublevare, & oneris illius, quod sibi ipsi imposuit, veluti partem in se recipere, &, ne ei succumbat, omni ope vitare ac conari: difficila ac molestum est tanta, quemadmodum adhibendam esse dixi, animi mansuetudine in eo corrigendo uti, & tanto quidem molestius, quanto ille deliquit gravius, & quanto plus inde redundat ad ecclesiam ipsamque euangelii doctrinam ignominiæ atque infamiæ, quanto plus ab eo metuendum est ex contagione periculi, quanto denique ipse æger est morosior, in defendendo peccato pertinacior, in admittendis monitis impatientior: Sed nihilominus tamen devoranda est omnis molestia, &, ne quis oneri succumbat, itaque pereat, alii quoque humeros quodammodo debent supponere, & sic se invicem omnes, quicunque

cunque illi ſint, in iis ferendis juvare. Quod ſi feceritis, eam legem, quæ Chriſti ejuſque religionis maxime eſt propria, quamque implere omnino tenemini, implebitis, legem nimirum charitatis a Chriſto præſcriptæ; qui Moſi hac in re multum diſſimilis, eos qui in peccata prolapſi ſunt, non fulmine protinus ferit, aut abſque miſericordia è medio tolli jubet: ſed cum ipſe peccatores venit ſervatum, eumque in finem graviſſimum diræ atque ignominioſæ mortis genus recepit; tum nos ſe ſequi, ac idem facere juſſit.

Verſ. 3. Quare ſi moleſtum eſt ita tractare lapſos, cogitate, quantum inde reportaturi ſitis fructum. Quod ſi nihil ominus quiſpiam erit, qui ſibi videatur non eſſe ex reliquo Chriſtianorum hominum numero, & communi eorum forte veluti exemtus, ita ut arbitretur, lapſibus ejuſmodi ſe obnoxium non eſſe, ac proinnon afficiatur etiam lapſorum periculo atque miſeria, eoſque tanquam indignos præ ſe aſpernetur; is ſe ipſum vehementer decipit, & longe opinione ſua fallitur: ſiquidem cum ſe prę cæteris putet eſſe præſtantem, omnium eſt minimus, atque adeo nullus, tantoque longius infra cæteros eum iſta animi ſuperbia dejicit, quanto eum altius opinionis errore extulerat.

Verſ. 4. Solet autem ad eam arrogantiam & falſam ſanctitatis perſuaſionem id pleroſque impellere, quod ſe ipſos non ſatis norint, nec in ſeipſos penitus deſcendant, ita ut ſua ipſorum facta cum præceptorum divinorum norma conferant, & ad eam regulam exigant; ſed fere tantum ſoleant facta ſua conferre cum factis peccatiſque aliorum, & ideo ſe putare egregie functos officio, deque ſua ſanctitate gloriari, quod aliis quibuſdam ſibi videantur meliores, quorum quidem delicta ſemper habent in oculis, non videntes id manticæ quod in tergo eſt. Quare ne quis veſtrum in eum de quo diximus, errorem incidat, atque animi arrogantiam; unuſquiſque veſtrum ſua ipſius opera Deo ac conſcientię ſuæ probet, ſeu ut merito probari queant det operam: non quidem ita, ut comparata tantum cum factis alienis laudari mereantur, ſed etiam per ſeipſa. Hoc enim ſi fecerit, habebit gloriandi materiam. [*Vel:* examinet diligentiſſime exploretque non tam aliena, quam ſui ipſius facta: & tunc, ſi nimirum ea recta deprehenderit ac divinę voluntati conſentanea, habebit gloriandi materiam (quanquam pietas jactabunda non eſt, & qui maximam habent gloriandi materiam minime ſolent gloriari) reſpectu ſui ipſius, ſeu habita ratione factorum propriorum, non vero tantum reſpectu aliorum, quibus melior eſſe videatur:] quemadmodum homines illi arrogantes faciunt, qui cum gloriantur de pietate maxime, non tamen in ſeipſis prorſus gloriandi inveniunt materiam, ſed ex ſui cum aliis, iiſque non optimis, comparatione gloriolam captant; quaſi nimirum is ſanctus cenſeri debeat, qui Chriſtianorum peſſimis infimiſque eſt melior. Qua quidem in re vehementer decipiuntur: & ne vos quoqve decipiamini, ideo vos, ut facta veſtra diligenter exploretis, moneo.

Verſ. 5. Etenim neminem aliena coram Chriſti tribunali abſolvet culpa; nec quiſquam ideo, quia alius deliquerit gravius, innocens declarabitur, ac pœnam commeritum effugiet: non ex comparatione cum cæteris judicabitur, ſed ex propriis uniuſcujuſque factis; & quiſque ſuorum delictorum pœnas feret, qualeſcunque tandem fuerint alii, ſive probi, ſive improbi: nihil illud neque oberit cuipiam, nec proderit ad impunitatem.

Verſ. 6. Iſtud autem hoc loco monendi eſtis, quod ad officium Chriſtianorum hominum vehementer pertinet, ut unuſquiſque veſtrum, qui ab aliquo in doctrina euangelica inſtituitur, & rerum ſalutarium cognitionem ab eo haurit, viciſſim doctori ac magiſtro huic ſuo largiatur de omnibus, quibus hæc vita indiget, quibuſque ipſe fruitur, bonis, atque ita pro facultatum ſuarum modo juvetur; ut is nulla re, quæ ad honeſte ac commode traducendam vitam pertinet, deſtituatur: ut quemadmodum is tibi impertit ſpiritualia, eique rei, neglectis aliis, unice vacat; ita etiam viciſſim illi de temporariis ac terrenis commodis, in quibus comparandis tu plurimum inſumis temporis ac ſtudii, impertiaris.

Verſ. 7. Poſtulat hoc ipſa æquitatis ratio, poſtulat Deus, qui (ne forte erretis) illudi ſibi haudquaquam patitur. Non feret is impune, ſi tu ei per quem ſpirituale ac immortale beneficium accipis, denegas tantillum de bonis tuis carnalibus, ſeu ad hanc vitam terrenam pertinentibus, alioqui brevi perituris. Nec eſt quod putes, te eum ita circumvenire poſſe, ut vitam tibi largiatur ſempiternam, etiamſi tu id, quod a te poſtulatur, nolis impendere. Vehementer falleris, ſi ita arbitraris, ipſaque te natura facile refellit. Idem enim hic accidit, quod in communi hac vita videmus contingere. Quo pacto quis ſeminat, eodem etiam metere ſolet. Si in rerram bonam ac fertilem ea, qua par eſt, copia ſemen ſpargit, magno etiam cum fœnere lætiſſimas fruges metit: ſin vero agro ſterili concredit ſemen, aut ipſi ſemini parcit, is vel nihil prorſus metit, vel operam ludit.

Verſ. 8. Ad noſtrum negotium hoc transferamus. Duos diverſi admodum generis hic habemus agros, carnem & ſpiritum; quorum uterque fructum fert ſuæ naturæ conſentaneum. Quapropter qui in carnem ſemina ſua ſpargit, ſeu in eas res vel maxime, vel unice ſumtus facit, quæ ad carnem pertinent, eique ſunt gratæ & jucundæ, is ex hoc agro nullum alium referet fructum, quam corruptionem, ſeu æternum interitum. Iſte enim ager ſua natura corruptibilis nil niſi interitum homini afferre poteſt. Qui vero in ſpiritum, tanquam optimum quendam agrum ſementem facit, ſeu in eas res ſumtus libenter liberaliterque impendit, quæ ſpiritui ſunt gratæ, eumque fœcundum locupletemque reddunt, quod faciunt ii, qui ſuos in Chriſtiana religione doctores liberaliter ſuſtentant, quique in alios omnes, prout res exigit, ſunt benefici, ii ex agro hoc, natura ſua, ac multo magis ex Dei gratia, incorruptibili, optimum metent incorruptibilitatis fructum, ſeu vitam ſempiternam.

Verſ. 9. Neque vero ſatis eſt ſemel cœpiſſe benefacere, ſed in eo conſtanter eſt perſiſtendum; id quod omnium eſt, ut in cæteris virtutibus, ita etiam in hac difficillimum, & admodum paucorum. Moleſtum enim eſt ſubinde largiri, & ſeipſum ſuis fraudare commodis; præſertim quia ejus rei fructus non protinus apparet. Quare nos inprimis cavere debemus, ne, ubi inceperimus benefacere, paulatim defatigemur, ac tandem penitus ceſſemus: ſed conſtantia hac in re utamur ſumma ſpe fructus nunquam finiendi. Imitari hac in parte debemus agricolas, qui arandi laborem ac ſeminandi ſummum perferunt, ſpe mediocris fructus, etiamſi is non ſtatim appareat, nec propterea, quia moleſtum ſit, labores illos ſane maximos fugiunt. Norunt illi, certum eſſe meſſis tempus;

quod ubi advenerit tanto majorem ſperant fructum, quanto majores ſuſtinuerint labores. Noſtræ etiam meſſi certum præſtitutum eſt tempus, quod expectare nos patienter decet: id ubi advenerit, nos metemus fructum æternæ vitæ, abſque omni labore, abſque omni defatigatione. Agricolæ non tantum ſummo cum labore ac moleſtia conſerunt agrum, ſed etiam metunt, & in ipſo votorum ſuorum fructu fatiſcunt, nec tamen propterea a ſemente facienda abſterrentur: cur ergo nos beneficentiæ ſementem facere deſinamus, & ob moleſtiam, quæ in ea eſt ceſſemus, qui æternum fructum abſque omni labore ac moleſtia, imo cum ſumma voluptate ac lætitia metemus.

Verſ. 10. Quemadmodum autem non ſemper eſt ſementis faciendæ tempus, quod ubi ſemel neglexeris fruſtra poſtea requiras, aut meſſem ſperes: ita etiam in hoc noſtro negotio contingit. Nunc quam diu vivimus, & in poteſtate noſtra habemus ea, quibus prodeſſe poſſumus aliis, ſerendi tempus eſt; quo neglecto fruſtra lætam ſperes meſſem. Quare quamdiu tempus & oportunitatem habemus ad benignitatem, beneſaciamus quibuſvis hominibus ope noſtra indigentibus. [vel: quapropter quandocunque ſe nobis offert occaſio, beneficentiam exerceamus in quoſvis ope noſtra indigentes:] eo tamen habito delectu, ut iis qui ad nos Chriſtianos propius, imo proxime pertinent, maxime ſuccurramus, iiſque inopia laborantibus opem prompte feramus. Ii vero ſunt, qui fidei ac religionis ratione nobiſcum ſunt conjuncti. Doçet communis ratio, iis potiſſimum eſſe benefaciendum, ſi cæteroquin par ſit ratio, qui nobis ſunt conjunctiores, quique ad eandem domum ac familiam pertinent. Eſt vero Chriſtianorum quædam domus ac familia, ad quam pertinent hi omnes, qui ſanctiſſimæ hujus religionis ſocietate nobiſcum ſunt copulati. Quare his potiſſimum eſt beneſaciendum.

℣ſ. 11. Videtis, fratres, quam prolixas ad vos ſcripſerim literas, idque contra quam alias ſoleo, mea ipſius manu, non aliena: ex qua re etiam præter alias complures ſingularem meum erga vos affectum & ſalutis veſtræ ſtudium agnoſcere poteſtis.

℣ſ. 12. Quale nequaquam in iſtis doctoribus veſtris, ut ut illud præ ſe ferant, deprehendetis. Neque enim veſtrum, quicquid alias fingant ac ſimulent, bonum quęrunt, ſed ſuum. Quotquot enim ſunt, qui externam ſpeciem ſanctitatis ſectantur, idque agunt, ut ob res in carne apparentes, qualis eſt circumciſio, vel ſaltem corpore potius, quam animo peragendas, eximii viri ac præſtantes Dei cultores habeantur, ii vos impellunt, ut circumcidi vos patiamini, & ſic Moſaicam religionem, in ceremoniis maxima ex parte conſiſtentem amplectamini: non eum in finem, ut vobis ſit melius ac ſaluti veſtræ conſultius; ſed in eum tantummodo finem, ne ob religionem morte Chriſti infami ac dira, quam in cruce pertulit, confirmatam, ad ſimilitudinem ipſius Chriſti ducis noſtri affligantur, eandemque crucem ſubire cogantur: quandoquidem, ne Judæis ob Chriſti religionem receptam aliiſque traditam ſint inviſi, ac proinde ab iis nihil patiantur adverſi; ſed potius ut legis inſignes patroni, qui extraneas etiam gentes ad ejus diſciplinam adigant, apud eos audiant, & ſic ab iis amentur ac colantur, ideo omnibus modis vobis perſuadere conantur, ut circumciſionem recipiatis.

Verſ. 13. Neque eſt quod quis hic objiciat, eos nihil aliud hic ſpectare, quam ut lex divina ſacroſancte obſervetur, & ſic debita ei præſtetur obedientia. Hujuſmodi enim in legem divinam ſtudium eos præ ſe ferre non ignoro, idque unum agere, ut aliis id perſuadeant, & fucum imprudentibus faciant. Sed vos non tam verba, quam facta remque ipſam ſpectare debetis, & ex iis æſtimare, utrum verus an ſimulatus ſit in legem divinam zelus. Deprehendetis autem, illis legem ejuſque obedientiam cordi non eſſe; neque eos ideo curare ut vos circumcidamini, quo legi debitus præſtetur honos ac obſequentia. Nam ſi revera id agerent, ipſi quoque primi legem obſervarent. Quod tamen illi, licet circumciſi ſint, haud faciunt; adeo ut facta ipſa eos refellant. Quorſum ergo volunt ut vos circumcidamini? Id unice ut dixi, ſpectant, ut non quidem de eo, quod ſpiritum animumque veſtrum meliorem reddiderint; ſed tantum quod ad ritus quoſdam carnales, & corpore potiſſimum peragendos vos adegerint, apud Judæos glorientur, ſeque tanquam legis Moſaicę propagatores venditent, atque ita, ut antea monui, perſecutionem, quę a Judæis alias ipſis euangelii cauſa immineret, effugiant. At vero mihi longe alia mens eſt.

Verſ. 14. Abſit enim, ut ego ulla alia de re glorier, aut mihi gratuler, quam de morte atque afflictionibus, quas dominus noſter Jeſus Chriſtus in cruce perpeſſus eſt, ut ſanctiſſimam religionem ſuam ſtabiliret, & nobis exemplum, quod imitaremur, patientię relinqueret: tantum abeſt, ut ego crucem, ſeu mortem aut afflictiones illis ſimiles, quas Chriſtus perpeſſus eſt, averſer, & ita, ut falſi doctores faciunt, fugiam, eaque de cauſa religionem morte Chriſti confirmatam prædicare nolim. Jure autem de morte domini Jeſu, quam in cruce perpeſſus eſt, glorior: quia per eam factum eſt, ut homines hujus mundi, una cum omnibus & religionibus quas colunt, & rebus quibus unice delectantur atque occupantur, nihil habeant mecum commune, & reſpectu mei veluti mortui ſint & crucifixi; & viciſſim ego veluti mortuus ſim iiſdem hujus mundi hominibus, nec quicquam mihi ſit amplius cum illis in rebus atque religionibus, quas illi unice conſectantur, commune, nec verear eas Chriſti cauſa relinquere, & adverſa quæque ſubire.

Verſ. 15. Qua quidem re nihil poteſt eſſe ad ſalutem ac felicitatem ſupremam accommodatius. [*Vel*: Hæc domini Jeſu mors in me effecit, ut hujus mundi gratiam & favorem, quemadmodum ipſi faciunt, aucupari nec velim amplius, nec poſſim. Per eam enim factum eſt, ut homines iſti omnes mihi propemodum redderentur abominabiles, quemadmodum ii abominabiles eſſe ſolent, qui tam infamis mortis genere afficiuntur, & ego viciſſim redderer hominibus hujus mundi abominabilis, adeo ut nec mihi cum illis, nec illis mecum, quod ad religionem præſertim pertinet, in eo commune quicquam velim eſſe: quod quidem ego pro lucro inſigni reputo.] Etenim in Chriſtiana religione nihil quicquam valet, nec ullum affert ad juſtificationem ac ſalutem momentum circumciſio cæterę-que ceremonię ſimiles; quemadmodum contra nec præputium: ſed hoc ſolum ad felicitatem ſupremam conſequendam prodeſt, quod ita animum & actiones in melius mutaveris, ut earum reſpectu denuo creatus cenſeri poſſis, & novus quidam homo evadas, novaque ratione, quę a Chriſto præſcripta eſt, Deum jam porro colas: quod totum is præſtat, qui per mortem Chriſti eſt conſecutus, quod ego me conſecutum eſſe dixi, nempe, ut ducem Chriſtum ſecutus, ipſe quoque

reſpectu

reſpectu hominum hujus mundi mortuus & crucifixus videar.

Verſ. 16. Hæc eſt illa vitę regula, quę nobis omnibus ſequenda eſt; non illa legalis, quę ceremonias præcipit. Iſtam qui ſequuntur,& novę creaturæ evadunt, quicunque tandem illi ſint, cujuſcunque nationis, ſuper eos divina redundabit felicitas, his divina continget miſericordia, ex qua peccatorum remiſſio atque æterna ſalus in nos fluit: utpote cum hi demum ſint vera illa & ſpiritualis Iſraëlis progenies ac Dei populus, cui Deus perpetuam benignitatem ac felicitatem promiſit.

Verſ. 17. Quod reliquum eſt, moneo, ne quis mihi amplius, ut hactenus factum eſt, moleſtiam exhibeat, ac mihi controverſiam moveat de meo miniſterio, quod domino Jeſu Chriſto præſto; quemadmodum iſti faciunt, qui me negant verum eſſe fidelemque domini Jeſu ſervum, ac genuinum ipſius apoſtolum. Etenim etiamſi ego omnia iſta ab adverſariis ferre paratus ſim, cogitandum tamen illis eſt, ſumma cum injuria miniſterii mei fidem ab illis in dubium vocari. Nam, ut nihil aliud eſſet, ipſæ tot tantæque afflictiones, quas pertuli, atque adhuc perfero, & quarum veſtigia apertiſſima corpori meo ſunt impreſſa, fidem unicuique faciunt, me verum ac genuinum Jeſu Chriſti ſervum eſſe. Quemadmodum enim heri res ſuas, præſertim chariores, notis ac ſtigmatis quibuſdam inuſtis notare ſolent, ut ab alienis & ad ſe nihil pertinentibus dignoſcantur: ita dominus Jeſus iſtis afflictionibus & cicatricibus, quę ipſius cauſa corpori meo ſunt impreſſæ, me veluti notavit, & ſuum eſſe ſervum ſibique charum oſtendit: ut male illi ſibi conſulant, & in me vehementer ſint injurii, qui id mihi derogare ac detrahere conantur.

Verſ. 18. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui univerſum ſalutis noſtræ negotium gubernat, vobis faveat, & vobis adſit propitius, efficiatque ut animis veſtris bene ſit, hoc eſt ut ſincera fide, religione ac pietate diteſcatis, animarumque ſalutem tandem adipiſcamini. Ita opto.

# COMMENTARIUS

## *In Epiſtolam Pauli*

## *AD*

# EPHESIOS.

### CAPUT. I.

Verſ. 1. *Apoſtolus.* Id eſt, legatus Jeſu Chriſti, ſed tamen *per voluntatem* Dei, id eſt, ita volente Deo, ne forte quis crederet Pauli prædicationem & doctrinam cum voluntate ipſius Dei minime conſentire, præſertim quia Paulus inprimis juſtificationem ex fide urgebat, legiſque obſervationem ac ceremonias ad eam haudquaquam neceſſariam eſſe docebat, ac gentes non minus quam Judæos ad eam pertinere omnium apertiſſime aſſerebat, quæ omnia cum voluntate Dei in lege revelata pugnabant. Itaque neceſſarium fuit ſæpius proteſtari, quicquid ejus a ſe fiat, id Dei voluntate, juſſu atque auctoritate fieri, utpote cum ab eo per Chriſtum munus apoſtolicum acceperit.

*Sanctis.* Id eſt ſegregatis & ſeparatis ab hominum vulgo ſeu profano cœtu per veritatis cognitionem profeſſionemque. Deus enim vere ſanctus eſt, hoc eſt ab omnibus ſejunctus & ſegregatus, & illæ omnes, ſive res, ſive perſonę, quæ illi conſecrantur, quatenus ad eum aliquo modo accedunt, ſanctæ vocantur, & quatenus propius Deo adjunguntur tanto ſunt ſanctiores.

*Et fidelibus.* Explicatio eſt vocis præcedentis. Ideo enim erant ſancti, quia credebant ſeu credere ſe profitebantur.

*In Chriſto Jeſu.* Ut differentiam ſpecificam credentium iſtorum adderet, oſtendit ſe loqui de eo credentium genere, qui Chriſti Jeſu doctrinam & religionem amplectuntur (nam iſti vere ſunt ſancti, reliqui omnes profani) nam voces iſtæ, *fidelibus in Chriſto* Ieſu, perinde ſunt accipiendæ ac ſi dictum eſſet, qui fidem Jeſu Chriſto ejuſque doctrinæ adhibent.

Verſ. 2. *Gratia vobis.* Id eſt precor vobis gratiam ſeu favorem, animum propitium ac faventem.

*Et pax* favoris eſt effectus, quo omnis generis felicitas, ſed præcipue ſpiritualis, intelligi debet. Hebræi enim pacis nomine omnia bona complectuntur per metonymiam vel cauſæ vel adjuncti: nam pax omnis felicitatis eſt mater & nutrix (pace cuncta virent, pace tellus feritur, pace metitur, pace ſecuros ducere ſomnos licet.) Quemadmodum igitur Hebræi pacis nomine omnem felicitatem terrenam complexi ſunt, ita Chriſtiani ſpiritualem, licet ei quoque quæ ad carnem ſpectant, quantum opus eſt, non excludant.

Verſ. 3. *Benedictus Deus.* Incipit commemorare divina beneficia in fideles collata, ſed incipit ut apoſtolum decebat, & tanta beneficia merebantur, cum εὐλογίας ſeu celebratione divini nominis. Benedicatur ſeu celebretur.

*Benedictus ſit Deus, qui benedixit nos.* Benedicere proprie eſt, alicui bene precari, optima quæque optare (velle & cupere.) Deus autem non ſolet hac ratione benedicere, bene alicui optando & precando, ſed beneficiendo, & id reipſa præſtando, quod homines non niſi votis & vocibus præſtare ſolent; perinde igitur eſt, ac ſi diceret, qui maximis beneficiis nos affecit & ditavit, qui plurima in nos dona contulit.

*In omni benedictione.* Benedixit benedictione. Nam vocula ἐν ex Hebræorum conſuetudine addita apud Latinos & Græcos redundat. Idem hæc valent, quod ſimplex verbum benedixit. Nam ita etiam interdum ſolent loqui Græci & Latini, pugnare pugnam: perinde igitur eſt, ac ſi diceret, qui nos omni felicitate ac bonorum copia ditavit.

*Spirituali.* Ut oſtenderet ſe non loqui de felicitate aut de bonis corporis, ſed animi, ſeu ad ſpiritum noſtrum ſpectantibus, ac proinde etiam ſpiritualibus.

*In ſupercæleſtibus.* Nonnulli volunt ſubintelligi ut Pſ. 20, & 26, cælum ſeu cæleſtia loca: ſed ſive loca ipſa, ſive res beatas intelligamus, ſenſus idem eſt. (a) Vult enim dicere, nos non terrena aliqua bona, ſed cæleſtia, quæ cælo continentur & ad cælum ſpectant conſecutos eſſe. Eſt enim hoc aliquid amplius, quam ſpiritualia, cum poſſint eſſe ſpiritualia bona, quæ tamen cæleſtia non ſint, qualia ſunt plurima, quæ animum & ſpiritum noſtrum afficiunt.

*In Chriſto.* Per Chriſtum, nam hunc ubique adjungit in ſequentibus. Chriſtus enim eſt per quem omnia. Alia exemplaria habent ſimpliciter *Chriſto*, ſed ut videtur mendoſe, ſi quis tamen id malit, Chriſtus nihilominus poterit haberi pro cauſa inſtrumentali, vel pro fine *cui*, ut vocant, vel ut id cedat in honorem Chriſti, vel potius ut hac ratione Chriſto conſecremur. Sed, ut diximus, illa lectio probabilior eſt.

Verſ. 4. *Quemadmodum elegit nos:* benedixit ſeu beneficiis ſpiritualibus & cæleſtibus nos affecit, convenienter nimirum illi ſuo de nobis decreto, quod ante conditum mundum de nobis beneficiis iſtis afficiendis fecit.

(a) Οὐδὲν πρὸς ἀλφίτα, *nihil ad farinam & culinam.*

*Elegit nos in ipſo.* Id eſt, decrevit nos vocare per Chriſtum, ſed quia huic vocationi, adjungenda erat conditio, quam veriſimile erat plurimos repudiaturos, ac proinde ipſam etiam vocationem, quemadmodum poſtmodum eventus probavit, propterea jam tunc de eligendis hominibus decretum a Deo factum eſſe dicitur; quatenus enim vocationi ejuſmodi conditionem addidit, quam plurimi ſua culpa & voluntate rejecturi erant, elegiſſe dicendus eſt. Eos enim Deus ſumit ex aliorum numero aliis relictis, qui euangelio ſeu vocationi fidem adjungunt, id autem proprie eſt eligere.

*Ante jacta mundi fundamenta.* Alibi ante tempora ſecularia, ubi non loquitur de æternitate, quæ omne tempus prorſus antecedit, ac nullum habet initium; ſed de ſeculis quæ cum hoc mundo fluere cœperunt. Nam ante æternitatem nihil decerni poteſt: cum æternitas omni æternitate, ut ſic dicam, ſit prior.

*Ut eſſemus ſancti & inculpati.* Finem electionis deſignat. In hunc enim finem Deus nos ex aliorum numero ſibi ſejungit & veluti ſeorſim conſtituit, ut non cæterorum hominum more profani ſimus & irreligioſi, ſed ſancti & inculpati.

*Coram ipſo.* Veritatem & perfectionem ſanctitatis exprimit, & ejus judicem ac arbitrum: quaſi dicat, non coram hominibus vel hominum judicio, ſed judicio ipſius Dei, cui ſatis eſt placuiſſe, quamvis mundo diſpliceas.

*In charitate*, ſeu per charitatem. Quidam de Dei charitate, quæ iſtius decreti cauſa fuit impulſiva quam cap. 2. ℣. 4 commemorat, intelligunt: quidam ad ſanctitatem iſtam referunt, cujus compendium eſt charitas.

Verſ. 5. *Prædefinivit nos in filiorum adoptionem.* Id eſt decretum fecit immutabile de nobis in filios adoptandis, quod partim in hoc ſeculo, licet minus perfecte, partim in futuro, perfectiſſima ratione ad exitum perducetur: tum enim in filios vere erimus adoptati, cum Deo immortalitate & felicitate ſimiles evademus, qua de filiatione loquitur idem Paulus Rom. 8. 23.

*Per Jeſum Chriſtum.* Per hunc enim adoptio iſta fit. Nam hæc particula non jungitur cum verbo prædeſtinavit, ſed cum nomine verbali adoptionis, quaſi dicat conſtituit nos per Chriſtum adoptare ſibi in filios.

*In ſe ipſum*, id eſt, ſibi ipſi. Quia ſimpliciter dixerat εἰσποιῶν, dubium erat reſpectu cujus loqueretur: propterea addit *in ſe ipſum*, ut ſciremus nos a Deo in filios adoptandos eſſe. Hebraiſmus eſt *bo* pro *lo*.

*Secundum beneplacitum voluntatis ejus.* Id eſt quia ſic placuit benignæ ipſius voluntati (ô magnam Dei clementiam & benignitatem!) Abeant nunc & dicant Deum ab aliquo vel placatum & mitigatum fuiſſe, vel alia aliqua ratione motum, ut nos ſervaret.

Verſ. 6. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Finem ejus gratiæ exprimit, qui eſt glorioſa laus, ſeu celebratio tantæ divinæ gratiæ & miſericordiæ; quanquam nonnulli vocem gloriæ ad gratiam referre malunt, ut ſit ſenſus in laudem gratiæ glorioſę. Nam fere hoc modo loquitur ℣. 5, 12, 14.

*In qua* ἐχαρίτωσεν. In redundat, quaſi dicat, qua gratia nos affecit, qua nos complexus & proſecutus eſt.

*In dilecto*, id eſt per Chriſtum. Abſolute dilectus dicitur Chriſtus, quia omnium dilectiſſimus. Apte autem & accommodate Chriſtum dilectum nominat, ut ejus quod commemorat beneficii fidem aliqua ratione aſſerat.

Verſ. 7. *In quo*, id eſt, *per quem habemus redemtionem.* Id eſt, liberationem a peccatorum pœnis, non quidem in ipſo actu, ſed in jure conſiſtentem.

*Per ſanguinem ipſius.* quod jus Chriſti ſanguine nobis partum eſt & acquiſitum, dum is fœdus novum, quo liberatio hæc promittitur, ſuo ſanguine facit. (a) Jam enim fœdus hoc reſcindi nequit (quod dilectiſſimi Dei filii ſanguine ſancitum eſt) adeoque pleniſſimum jus ad fœderis promiſſiones habemus. Sanguis enim Chriſti Deum ad fœdus ſervandum movet. Hic ſanguis dicitur fœderis in remiſſionem peccatorum fuſus. Si quis tamen redemtionem pro expiatione ſumere hoc loco malit (nam interdum redemptio habet hanc ſignificationem propter Hebræum *ſopher*, quod utrumque ſignificat) erit in ſanguine Chriſti alluſio, non ad fœderis ſanguinem, ſed ad ſanguinem victimarum, quo a peccatis olim homines expiabantur. Similiter enim & nos ſanguine Chriſti ab omnibus peccatis, ſeu eorum reatu expiati ſumus, non per ſolutionem pœnarum, ſed per eorum remiſſionem gratuitam, ut ſtatim ſubjicit apoſtolus.

*Remiſſionem peccatorum.* Remiſſio peccatorum hoc loco non ipſam a pœnis liberationem, quæ actu fiat, quemadmodum in voce redemtionis jam indicavimus, ſignificat, ſed eam, quæ in jure conſiſtat, ſeu mavis, liberationem a peccatorum reatu, ſed nec illam prorſus completam. Reatus autem eſt obligatio ad pœnam, quam obligationem Deus clementia ſua reſcindit, qua reſciſſa, nullus eſt pœnę cum factis noſtris nexus juridicus, ac proinde a pœna liberi erimus & immunes.

*Secundum divitias gratiæ ejus.* Cauſa impulſiva, dives, ampla, ingens Dei gratia. Eant nunc & dicant, Deum ſolutionem aliquam accepiſſe. *Secundum*, cauſæ impulſivæ nota, ut Tit. 3. 5. 1 Pet. 1. 3, & alibi.

Verſ. 8. *Qua abundat in nos.* In Græco eſt ἧς pro ᾗ qui Græciſmus omnibus eſt notus. Relativum imitatur caſum ſui antecedentis, præcedit autem genitivus χάριτος, quaſi dicat qua gratia nos veluti torrente quodam plane inundavit.

*In omni ſapientia & φρονήσει.* Id eſt, cum omni ſapientia & intelligentia, ſeu dum nobis omnem ſapientiam & intelligentiam rerum divinarum, ac tantorum ſuorum beneficiorum largitus eſt. Niſi enim Deus nobis iſta revelaſſet & aperuiſſet, parum nobis tanta ejus beneficia profuiſſent. Hoc amplius explicaturus, ſtatim ſubjungit:

℣. 9. *Notum faciens nobis myſterium.* Myſterium ſignificat arcanum, ſed apud divinos ſcriptores non omne ſed id, quod ad religionem & numinis cultum ſpectat.

*Myſterium voluntatis*, id eſt, voluntatem ſuam arcanam de nobis ſalvandis, & modo ſervandi.

*Secundum beneplacitum ſuum.* Iterum cauſam moventem exprimit, quæ eſt Dei beneplacitum; quod ſic placuerit Deo. Εὐδοκία autem iſta vel poteſt jungi cum voce *voluntatis*, & oſtendere, qualis ſit iſta arcana nobis revelata Dei voluntas, quaſi dicat, revelavit nobis arcanam ſuam voluntatem, talem, qualis illi viſa eſt, qualis illi placuit; vel cum verbo γνωρίσας, idque dupliciter: vel quod ſimpliciter nobis patefecerit, quæ patefactio & tantum beneficium ipſius τῇ εὐδοκίᾳ imputari debet: vel quod hoc tempore demum non alio aliquo revela-

(a) *Tertium Dei beneficium priorum illorum auctarium & quod maxime Dei benignitatem, clementiam, miſericordiam, & adverſus nos immenſum amorem declarat. Vide Anti-Grotium cap. 8. & 9.*

verit,

verit, cauſam iſtius rei oſtendens eſſe εὐδοκίαν ſeu beneplacitum Dei:

*Quam poſuit in ſeipſo.* Προέθετο ſignificat, vel ante decrevit, vel ſimpliciter *conſtituit*, aliquando ad effectum perducendam.

Verſ. 10. *In, ad diſpoſitionem plenitudinis temporis.* Videtur jam velle beneplacitum illud explicare, quod erat, ut omnia ſummatim colligeret, & veluti in unum caput redigeret, in Chriſto.

*Sed impleto eo tempore quod ille definierat.* Ubi finis adveniſſet temporum, a ſe ei deſtinatus. Vox οἰκονομίας abſtracta pro concreta ponitur, hoc eſt, pro re diſpoſita; adeoque loco adjectivi ſubjungenda eſt, vel voci πληρώματος vel etiam καιρῶν. Nam etſi ille Hebraiſmus ſit frequentior, quo genitivus nomini ſubjunctus pro adjectivo ſumitur, reperitur tamen etiam contra, genitivum pro ſubjecto, & nomen, cui adjungitur, pro adjuncto ejus ſumi; cujus rei exempla habes Matth. 24. 15. 2 Cor. 4. 17. Εἰς videtur hoc loco ſignificare terminum temporis, ad quem uſque rei hujus effectum rejecerit Deus. Sic dicimus ad hunc aut illum diem, dixit ſe venturum.

Οἰκονομία proprie ſignificat domus & familię regimen ac gubernationem. Hoc loco autem videtur accipi pro ordinatione ſeu conſtitutione alicujus rei certæ, (quemadmodum videmus patres familias multa in domo ſua ordinare & conſtituere) nempe pro ordinatione temporis, quam ſummus ille οἰκονόμος in hac magna mundi domo pro ſuo arbitrio ac voluntate facit. Diſpoſuit enim tempora, & ſuis quæque temporibus agit, prout illi viſum eſt.

Hoc igitur tempore expleto, jam beneplacitum illud ſuum ad effectum perduxit, quod erat ἀνακεφαλαιώσασθαι, in ſummam & velut faſciculum colligere, & amoris vinculo ligare, vel uni capiti annexa inter ſe colligare.

*Omnia* quæ ſint ſtatim explicat apoſtolus. *In Chriſto* qui eſt vinculum velut omnium cui omnia ſunt innexa, quaſi dicat per Chriſtum. Nam quæ conveniunt uni tertio, inter ſe conveniunt. Tacite in illo vocabulo ἀνακεφαλαιώσασθαι indicaſſe videtur, Chriſtum eſſe tale vinculum, quod ſit caput omnium, & in hoc uno capite cuncta uniri. Quemadmodum multa membra ſub uno capite, multa regna ſub uno rege & principe, qui inſtar capitis ad ea ſe habet, uniri ſolent.

*Quæ in cælis & quæ in terra in ipſo.* Angeli cum hominibus, & rurſum homines inter ſe, in Chriſto Jeſu, qui eorum omnium rex & dominus eſt.

*In ipſo* redundat Hebræorum more, ut apud Petrum cujus livore ejus &c. 1 Pet. 2.

Verſ. 11. *In quo & nos*, quia dixerat omnia, quæ in terris, id eſt homines inter ſe unitos in Chriſto, nunc in ſpecie de Judæis loquitur, paulo poſt de gentibus etiam locuturus, in, ſeu per quem *& nos* Judæi.

*Sortiti ſumus*, id eſt ſortem accepimus, hæreditatem & portionem quiſque conſecuti ſumus. In iſta omnium rerum collectione non ſumus excluſi, ſed admiſſi in partem & ſocietatem tantæ felicitatis. Alludere autem videtur ad illam ſortitionem tribuum, quę duce Joſua Paleſtinam ingreſſę terram illam ſortitæ ſunt.

*Prædeſtinati ſecundum propoſitum.* Non caſu hæc ſortitio noſtra evenit, ſed antiquiſſimo Dei decreto nobis deſtinata evenit.

Verſ. 12. *Ut ſimus in laudem gloriæ ejus.* Dubium eſt, quo verba iſta referri debeant, an ad ἐκληρώθημεν, an vero ad προορισθέντες, ad utrumque enim referri poſſunt. Eſt dubium, an præſentem hanc vitam, an futuram reſpiciant.

*Laus gloriæ*, id eſt laus glorioſa; quanquam nonnulli gloriam, hoc eſt gratiam glorioſam, per metonymiam effectus pro cauſa ſtare volunt. Tanta enim gratia Dei, qualem nobis in Chriſto exhibuit, ingentem Deo gloriam conciliat, adeo ut merito gloria Dei nominari poſſit.

*Qui ante ſperavimus in Chriſto.* Dubium eſt, an loquatur de ſpe, quatenus ſalutem antecedere debeat, quam ſalutem nemo conſequitur, niſi qui ante ſpem ſuam in Chriſto collocavit; an ita loquatur reſpectu Judæorum tantum, qui gentes ſpe in Chriſtum anteceſſerant. Quia tamen, ut jam monuimus, apoſtolus loquitur hic de Judæis, veriſimilior eſt poſterior ſenſus.

Verſ. 13. *In quo & vos*, vos Epheſii, aliique veſtri generis, *obſignati eſtis*, id eſt veluti ſigno notati. Solent enim homines merces ſuas aliaque mobilia, ſupellectilem ſuam, reſque pretioſiores, ut dignoſci facile poſſint, ſigillo notare. Similiter Deus Epheſios, alioſque qui ex gentibus crediderant, veluti ſigillo ſuo quodam notavit, ut ii, qui ante Dei non erant, nec ad illum pertinebant, ſigillo hoc notati pertinere ad Deum cognoſcerentur, non tantum ab aliis, verum etiam, idque inprimis, ipſi a ſe ipſis, ut ex ſequentibus patet. Ad hanc ſigillo notandi conſuetudinem alluditur etiam Joh. 6. 27. Apoc. 7. 3 & ſequentibus.

*Spiritu promiſſionis ſancto.* Id eſt ſpiritu ſancto, quem Deus antea ſe daturum promiſerat. Vide Luc. ult. 49. Act. 1. 4. Hoc eſt iſtud ſignum, quo ſignati fuerant, ſpiritus ille ſanctus, quem Deus in omnes credentes per Chriſtum tam largiter ac copioſe effuderat.

Verſ. 14. *Quæ eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.* Arrhabo eſt id quod in anteceſſu datur ut de mercede certi ſimus. Spiritum ſanctum igitur Deus in anteceſſum hominibus largitus eſt, ut certi eſſe poſſint de pacta mercede, ac propterea divinis promiſſis fidem habentes, alacri animo mandata ejus exequantur.

*In redemtionem acquiſitionis.* Εἰς pro uſque ad, ut cap. 4. 30, in diem redemtionis; quaſi dicat tantiſper poſſidendum, donec redimamur, id eſt liberemur ab æterna morte, aut hæreditatem *Dei* ad nos jure adoptionis pertinentem conſequamur. Nam id quoque nonnunquam ſignificat redimere in ſacris literis. Sed illud uſitatius.

*Acquiſitionis* autem nomen abſtractum poſitum videtur pro concreto, id eſt rei acquiſitæ, quæ eſt Dei populus, quem jam Deus acquiſivit veluti poſſeſſionem quandam ſuam, eamque jam ſuo ſigillo ſignavit, ſed nondum plane redemit. Jam juris ejus eſt & aliquo modo etiam poſſeſſionis, ſed nondum plene & perfectè, quia tum demum fiet, cum ab æterna morte vindicati, in ipſum cælum fuerimus tranſlati.

*In laudem gloriæ ipſius.* Finis ejus gratiæ exprimitur, de quo jam dictum eſt.

Verſ. 15. Commemoratis divinis beneficiis, nunc etiam ſuum erga illos affectum ac benevolentiam exprimit apoſtolus, dum ſe pro illis gratias agere & Chriſtum continenter orare teſtatur.

*Propter hoc*, id eſt propter tanta in nos collata, quæ jam recenſui, beneficia.

*Et ego.* Vel abundat vocula *&*, vel alios etiam connotat, qui una cum apoſtolo id officii Epheſiis præſtabant. Vel denique comparationis cujuſdam nota eſt, non quidem rei cum re, ſed veritatis enunciationis,

cum veritate antea dictorum: quaſi dicat, quemadmodum iſta Deus in vos contulit beneficia, ita ego viciſſim poſtquam audivi &c. non ceſſo gratias agere &c. Vide Piſcatorem ad illud Luc. 1. 35.

*Audiens eam, quæ ſecundum vos fidem.* Secundum vos, id eſt, apud vos, vel inter, quaſi dicat audita fide veſtra.

*In Domino Jeſu.* Non videtur hic de fiducia animi in Dominum Jeſum loqui, ſed de fide tali, quæ poterat audiri. Ea autem erat, quod Domini Jeſu doctrinam & religionem receperant ac profitebantur (id autem eos ſincere & ex animo feciſſe, teſtatur eorum charitas in omnes ſanctos, quam ſtatim commemorat apoſtolus. Quia vero Chriſtianos amabant, & ipſam religionem eos amare oportebat.)

Verſ. 16. *Non ceſſo gratias agens.* Ἐυχαριστῶν pro ἐυχαριστῶν, id eſt, non deſino gratias agere pro vobis. Crebro ac ſine intermiſſione gratias ago Deo meo, quod vos tantis beneficiis affecerit, & ad fidem in Dominum Jeſum adduxerit, ex qua manat in omnes ſanctos amor & charitas. Sed quia poterant adhuc plurimis divinis donis cumulari, propterea etiam ſe pro iis ſubinde preces fundere teſtatur; & quid iis optet ac poſtulet, in ſequentibus exprimit.

℣ſ. 17. *Ut Deus.* Primum illis precatur uberiorẽ adhuc profectum in myſteriis divinæ veritatis cognoſcendis.

*Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Inſolens eſt hæc ſummi illius Dei deſcriptio, & fortaſſis huic tantum loco propria ac ſingularis. Ipſe quidem Dominus Jeſus ſæpe ſummum illum Deum, Deum ſuum ſimpliciter vocat, ſed an idem fecerit ullus apoſtolus non memini. Deus autem Domini noſtri Jeſu Chriſti dicitur, tum quia ſummus ejus benefactor eſt, quo ſenſu etiam ipſe Deus, Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi ſe vocat; tum & quia Dominus Jeſus dependens a Deo imperium habet; ideoque etiam Deus caput ipſius eſſe dicitur.

*Pater gloriæ.* Vel pater glorioſus, id eſt gloria & luce inacceſſa ac majeſtate cæleſti corruſcans. Nam gloria afficiendus & laudibus celebrandus eſt; tum propter naturalem ſuam excellentiam, tum inprimis propter tot in nos collata beneficia ac miſericordiam, quæ ei merito immenſam apud omnes gloriam conciliant. Aut denique pater gloriæ, id eſt author gloriæ omnium. Hunc Jacobus cap. 1 patrem luminum vocat, vel quia & luce ac ſplendore circumfuſus eſt ac totus lucidus: vel quia eſt author omnis in nobis lucis ac luminis, vel propter utrumque ſimul.

*Det vobis ſpiritum ſapientiæ ac revelationis.* Vel illis plura precatur ſpiritus ſancti dona, atque ejus pleniorem menſuram, atque inprimis prophetiæ donum, quod apoſtolus alibi omnibus aliis ſpiritus ſancti donis præfert: vel illis tantum ſimpliciter precatur & optat pleniorem exactioremque in dies divinæ voluntatis notitiam, non quaſi Deus peculiari aliquo dono, aut ratione miraculoſa & inſolita eam det, animis eorum infundi. Solemus enim, cum ſimpliciter alicui boni aliquid optamus, imo cum, ut id aſſequatur monemus & adhortamur, Deum precari, ut id ipſi largiatur, cum tamen ſciamus, Deum nihil hac in parte amplius, niſi quod induſtriæ illius, qui mediis ab ipſo ſibi jam ſuppeditatis uti velit, ſit faviturus. Ita autem loquimur, tum quia hęc res (quę & ſecundum Deum eſt, & illi placens) nihilominus Deum autorem habet, iſque eſt, qui hoc quærit, & ut fiat, curat, ac media ad eam perficiendam ſuppeditavit; tum quia convenit, ut omne, quod uſpiam boni eſt, ad Deum, tanquam omnis boni fontem & authorem revocemus, qui licet non omnia, quę bona ſunt, immediate & miraculoſe largiatur (nam ſi via ordinaria & ſolita id fieri queat, quorſum hoc extraordinarie faciat Deus?) tamen omnia ad hæc conſequenda media, ac varias occaſiones & commoditates nobis ſuppeditat, & ſine ipſius nutu ac numine, ſine ipſius favore & gratia nihil evenit. Plena eſt ejuſmodi locutionum vita, ut Deum aliquid dare aut dediſſe dicamus, quod ſtudio ac labore noſtro, non tamen ſine divina benedictione acquiſivimus. Ita & ſcriptura loquitur, cum ait: non dedit Deus vobis cor intelligens, id eſt, non habetis cor intelligens, quia non dediſtis operam, ut illud haberetis. Itaque dum apoſtolus ipſis ſpiritum ſapientiæ & revelationis precatur, non vult, ut ipſi interea ſegnes ſint & otioſi, ſed ut manus admoveant, & labore ac ſtudio, pro quo Deus hæc dona dat, conſequantur. Solet enim ejuſmodi precatio, quam pro aliquo ad illum ſcribentes, vel illum alloquentes concipimus, vim admonitionis & adhortationis habere, & perinde eſt, ac ſi quis diceret, da operam ut iſta conſequaris, & Deum in ea re propitium & faventem, ſine cujus ope & auxilio nihil evenit, experiaris. Spiritus autem ſapientiæ, ſi poſteriorem hunc amplectamur ſenſum, erit ipſa ſapientia. Ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ id eſt, ita ut ipſum cognoſcatis. Ἐπίγνωσις eſt plenior cognitio, loquitur autem de cognitione divinæ voluntatis, ut ex loco parallelo ad Coloſſ. cap. 1. 9 apparet, ubi etiam quod hic dicit, *ſpiritum ſapientiæ & revelationis*, illic ſimpliciter *ſapientiam & intelligentiam ſpiritualem vocat.*

Verſ. 18. *Illuminatos oculos mentis veſtræ.* Metaphora eſt, id eſt concedat vobis Deus, ut oculi mentis veſtræ acutius cernant. Duo autem illos cernere vult & prævidere, primum præſtantiam illius boni, ad quod vocati ſunt: deinde ejus certitudinem ac fulcrum.

*Ut ſciatis vos quæ ſit ſpes vocationis ejus.* Id eſt, quantum ſit illud bonum, ad quod vocati eſtis, & ſperare debetis ſeu ſperatis. Spes in hoc loco, pro eo quod ſperatur accipitur, ut ſæpe alias. Id quod dixerat, explicaturus, ſtatim ſubjungit:

*Et quæ divitiæ gloriæ.* Id eſt, quam dives gloria, vel divitiæ, ſeu copia ac magnitudo glorioſa.

*Hæreditatis ipſius in ſanctis.* Id eſt ejus hæreditatis, quam quis inter ſanctos & una cum ſanctis ſortiturus eſt, quo ſenſu ita loquitur Act. 20. 32. Act. 26. 28.

Verſ. 19. *Et quæ ſit* &c. Alterum, quod illis precatur, ut ſcilicet cognoſcant, quam firmum ſit fulcrum ac fundamentum iſtius hæreditatis ac ſalutis, ad quam vocati ſunt; fundamentum autem ejus eſt divina potentia, cujus magnitudinem ut agnoſcant illis precatur.

*Et quæ excellens magnitudo potentiæ ipſius*, id eſt, quam ingens & immenſa ſit divina potentia.

*In nos credentes*, id eſt, quam aliquando in nos exerturus eſt, vel quam jam exſeruit, dum Chriſtum caput ac ducem noſtrum ex morte vindicatum in tantam ſublimitatem & faſtigium evexit. Nam dum Chriſtum evehit, ut ſequenti capite ait ℣ſ. 6, potentiam ſuam quam in nobis exeret oſtendit.

*Secundum ἐνέργειαν roboris virtutis ejus.* Ἐνέργεια hoc loco vel pro efficacia, vel potius pro operatione ſumitur. Nam etiam alioquin hæc iſtius vocis eſt propria ſignificatio. Poſſunt autem hæc verba, tum ad proxime præcedentia, nimirum *ad credentes*, tum ad priora, id eſt, ad *magnitudinem potentiæ* referri. Si ad credentes referamus, cauſa his verbis exprimitur *fidei noſtræ*, nam

voculæ hujus κατὰ ea interdum vis eſt, ut cauſam efficientem ſignificet, ut ℣ſ. 5, 7, 9. 11. Cauſa vero cur credamus eſt operatio iſta roboris virium ejus, ſeu Chriſti a mortuis reſuſcitatio & exaltatio, quam ſolet commemorare apoſtolus, cum nos ad credendum vult obſtringere Rom. 4. ℣ſ. penult. Sic ad Coloſſenſes fidem noſtram vocat τῆς ἐνεργείας Dei, quia ab hac ἐνεργείᾳ, quam ibidem ſtatim explicat quę ſit, producta eſt cap. 2. ℣ſ. 12. Si ad magnitudinem potentiæ referemus, ſenſus erit magnitudinem iſtam ex vi vel operatione Dei, quam exeruit in Chriſto, æſtimandam eſſe.

Verſ. 20. *Quam operatus eſt.* Pergit explicare divinę potentiæ in Chriſto effecta, quorum primum eſt, quod illum a mortuis ſuſcitaverit, quo continetur vita Chriſti immortalis; ſecundum, quod illum in tantam ſublimitatem evexerit, quam primo ſimpliciter exprimit per ſeſſionem Chriſti in dextra ipſius in cæleſtibus. Ipſo enim Dei ſolio nihil eſt ſublimius, nihil magis editum. Chriſtus autem a dextera Dei. Secundo per comparationem etiam Chriſti ſublimitatem oſtendit, dum longe ſupra principatus omnes &c. exaltatum eum eſſe dicit. Videntur per ἀρχὰς intelligi ſive angeli, ſive etiam homines illi, qui ab ipſo tantum Deo immediate dependent, & qui poſt Deum ſunt primi. Ἐξουσίαι autem videntur eſſe gradus inferioris & a principatibus iſtis dependentes, δυνάμεις ab ἐξουσίαις. Dominationes videntur eſſe inferiores dignitates, multi enim ſunt domini qui paucioribus imperant.

Tandem in genere ait apoſtolus, *ſupra omne nomen quod nominatur &c.* id eſt, ſupra omnes omnium dignitates, quocunque tandem nomine aut titulo inſignantur. Nominibus enim dignitates ſignificari ſolent, & quanto alicujus major eſt dignitas, tanto nomen ſublimius. Sed quia poterat aliquis cogitare, etſi nemo nunc ſit tam dignus & excellens, quo Chriſtus non ſit excellentior, eſſe tamen poteſt aliquod tempus, quo ſublimiorem dignitatem quiſquam poſſit conſequi.

Ideo ait apoſtolus: *non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro.* Neque nunc eſt quiſquam Chriſto dignior & ſublimior, neque erit, ſive iſta utraque ſecula intra hujus mundi fines definias, ſive ultra hujus mundi terminos extendas.

Verſ. 22. Tertium divinæ potentiæ effectum eſt, quod illi Deus in omnia imperium dedit, adeo ut pedibus ejus cuncta ſubjecerit, & inprimis eccleſiam, cujus ille caput conſtitutus eſt, & quidem *ſuper omnia*, ita, ut nihil eorum, quæ ad eam ſpectant, ſit exceptum ab illius imperio, quaſi dicat quoad omnia, quo Chriſti abſolutum in eccleſiam dominium & imperium ſignificatur, ſimulque imperium benignum, paternum, cum capite, quod membra ſua fovet, comparatur.

Verſ. 23. *Plenitudo*, quam implet Chriſtus. Eccleſiam plenitudinem nominat, quod plena ſit, & exundet variis Chriſti donis & beneficiis, qui omnia in omnibus implet, id eſt, qui omnia bona ſalutaria omnibus ſuppeditat, ita ut nihil ſit donorum ſpiritualium, quod ab ipſo non proveniat.

## CAP. II.

### *ARGUMENTUM.*

*Pergit apoſtolus in commemorandis divinis beneficiis, in Epheſios, eorumque ſimiles collatis.*

Verſ. 1. *ET vos cum eſſetis mortui.* Occaſione mortis & reſuſcitationis Domini Jeſu oſtendit, eos ſimile quippiam a Deo conſecutos eſſe, quaſi dicat, non ſolum autem Chriſtum, ſed etiam vos a mortuis reſuſcitavit ſeu vivificavit.

Explicans autem ſe, de quali morte loquatur, addit *delictis & peccatis*, id eſt de morte ſpirituali, quę peccatis continetur. Nam quemadmodum mortui nihil agunt, ita peccatis implicati, nihil agunt rerum ſpiritualium, ſeu nihil agunt boni, nihil agunt Deo, ideoque etiam morti æternæ ſunt deſtinati, quod mortis iſtius ſpiritualis neceſſarium eſt conſequens. Pendet autem interim hæc apoſtoli oratio, quinto demum verſiculo reſumenda, & quæ ſequuntur interſerta ſunt, tum, ut peccata eorum exaggerando, divinam gratiam ac beneficium in liberatione ab iis extolleret, tum, ut hac occaſione Judæos quoque tale beneficium conſecutos, ad cumulum adjiceret.

Verſ. 2. *In quibus quondam ambulaſtis.* Ambulare in peccatis quid ſit, notum eſt. Nihil autem aliud eſt, quam eorum conſuetudine teneri, & frequenter committere.

*Secundum ſeculum mundi hujus.* Seculum pro hominibus ſumi videtur, & perinde eſt ac ſi diceret, *ſecundum homines hujus mundi*; vel, ut alii, pro vita, ſeu vivendi ratione aut moribus.

*Et ſecundum principem.* Majus aliquid & gravius indicat: quaſi dicat, plane eo modo quo diabolus volebat, & quo ille homines impellit, vixiſtis. *Princeps poteſtatis* Hebræorum more ſignificat principem poteſtatem habentem; vel poteſtas abſtractum poſitum pro concreto, & ſignificat poteſtates, quarum ille princeps eſt. Hoc modo ſumit vocem poteſtatis apoſtolus, cum ait, non eſt poteſtas niſi a Deo, & conſuetum alioquin eſt, ut poteſtas eos, qui poteſtate præditi ſunt (ſeu magiſtratus) deſignet. Vide Sap. cap. 1. 21.

*Aeris. Aerei* ſive in aëre degentis πνεύματος. Antiptoſis ſeu mutatio caſus eſt, genitivus ponitur pro accuſativo propter antecedentem genitivum. Eſt autem deſcripto iſtius principis, quod ſcilicet ſit ſpiritus, id eſt ſpiritualem habeat eſſentiam. *Qui nunc operatur*, licet & antehac operatus fuerit, tamen nunc potiſſimum vires ſuas omnes exſerit a Chriſto oppugnatus, & tanta regni ſui parte devictus, ne omne imperium amittat.

*In filiis* τῆς ἀπειθείας, in iis, qui ei malunt adhærere, quam Chriſtum vindicem ac liberatorem ſuum ſequi & ſuſcipere. Filii autem alicujus rei dicuntur homines, cum vel ea res ad ipſos pertinet, ac veluti hæreditario quodam jure eorum ſit, quo ſenſu dicuntur filii regni, filii teſtamenti, filii etiam iræ ſequenti ℣ſ. 5; vel jam in illis eſt, quo ſenſu hic dicitur, filii incredulitatis & inobedientiæ.

Verſ. 3. *In quibus nos omnes converſati &c.* Jam oſtendit mutata perſona ſecunda in primam, Judæos quoque eadem ſpirituali morte ſopitos par gentibus beneficium conſecutos eſſe, ne forte meliores ſe gentibus fuiſſe crederent, ac tantam Dei gratiam minus agnoſcerent.

*In quibus*, id eſt filiis τῆς ἀπειθείας, quorum inquit ſimiles & nos quondam fuimus, (non quidem incredulitate, ſed) vitiis ac flagitiis. Quanquam enim ἀπείθεια etiam gentibus, quæ Chriſti doctrinam erant amplexæ reſpectu temporis exacti tribuitur Rom. xi. 30, quatenus hæ non ſecundum Dei voluntatem ac leges (vel

per Moſen latas vel etiam) a natura menti inſculptas & inditas, vixerunt: hoc loco tamen ἀπείθειαν incredulitatem deſignat, licet etiam tacite reliqua peccata ac flagitia, quæ cauſa ſine dubio iſtius incredulitatis erant, complectatur, reſpectu quorum Judæi ad Chriſtum converſi, *in eis*, id eſt inter eos & cum eis, converſati.

*In cupiditatibus carnis noſtræ*, id eſt cupiditatibus carnalibus (caro appetitum ſignificare ſolet) impulſi facientes.

*Voluntates carnis & cogitationum.* Faciebamus ea, quæ volebant carnales cogitationes. Voluntas enim volita ſignificare ſolet, ut cum dicimus, hæc eſt voluntas Dei, aut facere voluntatem Dei, id eſt ea quæ Deus vult. Videtur autem hoc loco eſſe ea figura, quę dicitur ἓν διὰ δυοῖν, ut *caro & cogitationes* ſignificent cogitationes carnales, ſicut ſpiritus & ignis ſignificant ignem ſpiritualem, aut ſpiritum igneum, *ſpiritus & aqua* ſignificant *ſpiritualem aquam*: *Verba mea ſpiritus & vita ſunt*, id eſt, ut quidam volunt, ſpiritus vivificus ſunt.

*Et eramus filii natura iræ. Ira* hoc loco per metonymiam pœnam ſignificat, ut de magiſtratu loquitur Paulus, vindex in iram, id eſt pœnam male agenti. Pœnæ igitur filii, inquit, eramus, id eſt pœna ad nos veluti hæreditario jure pertinebat. Addit autem ad *filios* vocem naturæ (vel propter vocem filiorum, filii enim ſunt natura filii, vel) ut indicet, nos vere filios iræ fuiſſe, licet forte opinione noſtra non eſſemus. Unde Theophylactus & alii nonnulli patres vocem hanc φύσει explicant per γνησίως, germanè ac genuine. Judæi enim ſibi præ gentibus videbantur ſancti nec ſupplicia divina commeriti; quare illorum opinioni opponit vocem φύσει. Hoc ſenſu utitur hac voce Paulus ad Galat. 4: Serviebatis, inquit, iis, qui non erant natura Dii, ubi Beza quoque vocem hanc ſumit pro reipſa, & ait ei opponi δόξαν, id eſt opinionem: quaſi dicat, qui opinione tantum erronea ac inani divinitatem habent, non vere, non reipſa. Nam ſi reipſa habuiſſent, reprehendi non potuiſſent ii, qui eos colebant. Quod ſi hoc tantum voluiſſet dicere eo loco Paulus, coluiſtis eos qui non fuerunt *eſſentia Dii*, tacite indicaſſet eos nihilominus fuiſſe Deos veros, licet ex gratia aut alterius conceſſione. Atqui dicere voluit eos coluiſſe falſos Deos, & inania deorum figmenta; vel etiam ob eam cauſam, addit vocem *natura*, ut indicet Judæos validius ad pœnam obſtrictos fuiſſe, quam gentes. Quemadmodum id quod naturaliter alicui inſitum eſt, firmius hæret, quam id, quod vel arte vel conſuetudine aliqua acquiritur & inoleſcit: ita Judæi, cum legi divinæ exſequendæ obſtricti eſſent, eamque probe noſſent ac tenerent, validiori ad pœnam, ac veluti naturali tenebantur nexu, adeo ut Judæi naturales iræ filii eſſent, illi vero quodammodo adſcititii, ut ſic dicam.

*Quemadmodum & reliqui*, ſive ex gentibus, ſive ex Judæis increduli. Si tantum hanc poſtremam filiorum natura explicationem ſequamur, de ſolis Judæis hoc accipiendum eſſet, quanquam vox iſta *quemadmodum* non requirit, ut iſti reliqui & natura filii iræ ſint, ſufficit dummodo filii iræ ſint. Hoc igitur miſero & infelici ſtatu utrorumque explicato, nunc revertitur ad explicandum iſtud Dei beneficium, quod erat exorſus, & primo quidem cauſam Deum, a quo beneficium iſtud profectum eſt, impellentem commemorat.

Verſ. 4. *Deus vero*, inquit, *dives exiſtens in miſericordia.* Nos quidem eramus maximi peccatores & omni ſupplicio digniſſimi: at Deus ditiſſimus in miſericordia, id eſt, ut ſic dicam, miſericordiſſimus, & ingentes miſerationis theſauros poſſidens, non ſumſit de nobis, prout merebamur, ſupplicium, ſed ſua erga miſeros miſericordia impulſus *propter multam charitatem, qua dilexit nos*, id eſt magnam (*multa* enim pro *magna* ſumitur, quantitas diſcreta pro continua) charitatem, qua in nos flagravit adhuc peccatores, omni morte digniſſimos, quid fecit?

Verſ. 5. Καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς, nos, inquam mortuos delictis, in peccatorum & ſcelerum morte poſitos, æternæque mortis reos.

*Convivificavit Chriſto*, quod quid ſit, mox dicetur. Interim animadvertendum eſt, apoſtolum, licet reſumat ſermonem, quem ab initio capitis exorſus, non tamen dicere *& nos* exiſtentes mortuos, licet hoc modo loqui debuiſſe videatur, quia occaſione reſurrectionis Chriſti, de noſtra quoque reſurrectione verba facit, ſed tranſpoſitis vocibus, ait: *Et exiſtentes nos*, quod ſine dubio fecit ideo, ne quis putaret, eum in prima perſona loqui de Judæis, ut ℣. 3, ad diſtinctionem cæterarum gentium: ſed ut in prima perſona omnes tanto aptius complecteretur, licet primam & ſecundam perſonam ad diſtinguendos alios ab aliis antea adhibuerit, quod notandum videtur propter locum illum 1 Cor. 1. 2: *Invocantibus nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in omni loco* ἀὐτῶν τε καὶ ἡμῶν. Ubi quidam hæc pronomina ad locum referunt, ſed ſatius eſt ea ad Chriſtum referre. Nam licet dixerit apoſtolus, Domini noſtri Jeſu Chriſti, potuit tamen iterum dicere *noſtri & veſtri*, quia prius omnes fideles erat amplexus in nomine noſtri. Poſterius autem eos velut in duas partes diviſit, & unum quidem ſe cum iis, ad quos ſcribebat, conſtituit, alterum vero omnes reliquos. Sed jam ad beneficium iſtud Dei ingens explicandum accedamus.

*Convivificavit nos*, inquit, *Chriſto*, id eſt, Chriſto a mortuis in vitam, eamque immortalem vindicato, nos quoque eadem opera a more ſpirituali, id eſt peccatorum, ad vitam revocavit, quatenus ſcilicet Chriſti reſurrectio eam vim in ſe habet, ut Chriſtianos ex morte iſta peccati vindicet & eripiat; quod ſi quem non vindicat, ipſius fit obſtinata malitia, & præfracto ſcelere ac contumacia & incredulitate. Propterea tantum Dei beneficium conſiderans apoſtolus, quod tanta, tam gravia peccata noſtra toleraverit Deus, nec ſolum toleraverit, ſed etiam tantam medicinam, ſanandis animis noſtris peccatorum morbis ac morte oppreſſis, temperaverit, ac nobis propinaverit, qua nos penitus ſanavit, & quidem nullo alio fine, quam ut remiſſionem tot ſcelerum & peccatorum noſtrorum cum æterna felicitate conjunctam conſequeremur; propterea, inquam, non potuit ſe continere apoſtolus, quin erumperet in has voces, eaſque orationis curſui inſereret.

*Gratia eſtis ſervati.* Nam & ipſa ſalus, & ſalutis media, quæ Deus a nobis requirit, nimirum a peccatis ad juſtitiam converſio, ejus gratiæ imputari debet. Videtur autem hoc addidiſſe potiſſimum propter Judæos; qui operibus ſuis & ſanctitate præ cæteris gentibus turgere ac tumere ſolebant, nec facile ſe æquari cæteris hac in parte paticbantur.

Verſ. 6. *Et reſuſcitavit & collocavit in cæleſtibus.* Videtur jam de reſuſcitatione propria loqui, ut apparet ex addita ſtatim noſtra collocatione in cæleſtibus, quę jam quodammodo facta eſſe videtur, cum Chriſtus, qui noſtrum caput & dux eſt, cælum poſſideat: propterea addit, *in Chriſto Jeſu.* Chriſto Jeſu enim a mortuis vindicato & in cælum tranſlato, nos jam una eam videmur adepti, cum hac ratione certiſſimum jus & aditum ad hoc ſimul conſecuti, ac veluti intromiſſionem in cælos adepti, ſuo tempore per eundem Chriſtum æternam ac realem poſſeſſionem adepturi.

Verſ. 7. *Ut demonſtraret in ſeculis futuris.* Finis, cujus gratia Deus id fecerit, nempe, quod eorum peccatis non ſolum veniam clementiſſime ac benigniſſime mitiſſimus Deus conceſſerit, ſed etiam ut eos a peccatis avocaret, tantopere curaverit, ac tantis facinoribus perſecerit, id eum feciſſe ideo, ut venientia uſque ad mundi finem ſecula, ingens & illuſtre documentum habeant uberrimæ ac ditiſſimæ ejus gratiæ, tantam ejus benignitatem, erga tantos peccatores conſiderantes; ac propterea ad eum ſeſe convertant, illi ſe mancipent, certi ſe eandem quoque prorſus clementiam ac miſericordiam experturos. *In benignitate ſuper nos in Chriſto Ieſu*, id eſt, per eam benignitatem, qua nunc erga nos utitur per Chriſtum Jeſum.

Verſ. 8. *Gratia enim ſervati eſtis.* Divina miſericordia, ejus mera benignitate, præſertim vos Epheſii, atque ex gentibus collecti, certam ſpem ac jus æternæ ſalutis adepti eſtis.

*Per fidem.* Fidei conditione interveniente, quæ eſt divinis promiſſis ex animo aſſentiri, & eorum deſiderio divinam voluntatem facere.

*Et hoc non ex vobis, Dei hoc donum eſt.* Hæc veluti in parentheſi legenda, quaſi dicat, & hæc ipſa fides Deo accepta referenda eſt, qui eam vobis donavit, dum vobis euangelium annunciari, idque tantis documentis confirmari curavit, (perinde enim eſt ac ſi fidem vobis donaſſet) quo pacto etiam de Philippenſibus loquitur, iis donatum eſſe, non ſolum ut crederent in Chriſtum, ſed etiam, ut pro illo paterentur. Donatam illis afflictionem ſeu paſſionem dicit, quia quemadmodum ut poſſent pati conceſſerat illis Deus, ita, ut poſſent credere, dederat.

Verſ. 9. *Non ex operibus.* Opponitur verbis illis *per fidem*, quibus hæc particula proxime jungenda eſt, quaſi dicat, non meritis noſtris aut factis, quibus Deus fuerat motus aut inductus ad nos ſervandos.

*Ne quis glorietur*, ut ſibi non Deo potius acceptam ferens ſalutem.

Verſ. 10. *Ipſius factura ſumus.* Videtur his verbis cauſam reddere, cur non ex operibus ſervemur, id eſt cur non operibus noſtris Deus fuerit inductus, ut nobis ſalutem offerret, cum quicquid bonorum operum habeamus, id per Chriſtum demum in nobis produxerit. Ipſe enim eſt qui nos veluti fecit ac finxit, dum nobis fidem inſtillavit.

*Conditi in Chriſto Jeſu.* Ipſe nos creavit & novos homines effecit, dum ad Chriſtum adduxit, vel per Chriſtum ejuſque religionem.

*Super operibus bonis*, id eſt ad opera bona, eum in finem, ut multa bona opera edamus. Nam hoc modo vocula ἐπὶ dativo caſu conſtructa, interdum accipitur, ut Matth. 26. 50: ἑταῖρε ἐφ' ᾧ πάρει, & ad Philipp. 3. 12, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην.

*Quæ præparavit Deus, ut in ipſis ambulemus.* Viæ cuidam aſſimilat iſta bona opera, quam Deus veluti ſtravit, ut eam incederemus, id eſt jam ante in conſilio ſuo deſcripſit ac conſtituit ea, quæ nos facere oporteat.

Verſ. 11. *Ideo memineritis.* Expendite igitur, atque animis veſtris altiſſime defixum eſto, ex quam miſera ſorte & conditione in tam ſublimem gradum elati eſtis vos, qui quondam gentes eratis in carne. Diſtinctionem inter gentes & Judæos hac voce oſtendit, quod rebus carnalibus differant, quæ nunc Chriſti beneficio ſublatæ ſunt.

*Qui dicimini* vel *dicebamini præputium*, vel *præputiati, ab ea quæ dicitur circumciſione*, id eſt circumciſis, hoc eſt Judæis, nam illi ſoli circumciſi vocabantur, quia Abrahami erant poſteri, & divino juſſu circumcidebantur.

*In carne*, id eſt carnaliter circumciſis, circumciſione quæ fit manu.

Verſ. 12. *Quod eratis.* Epanalepſis, jam enim præceſſerat ὅτι *quod* verſu præcedenti, quaſi dicat, memineritis, inquam, quod fueritis alienati &c.

*In tempore illo ſine Chriſto*, id eſt eo tempore, quo Chriſtum nondum agnoveratis, nec ejus religionem receperatis.

*Abalienati a politia Iſraelis*, ab Iſraëlitarum republica.

*Peregrini fœderum*, nihil ad fœdera juris ac privilegii habentes, veluti illi, qui in alieno ſolo & republica verſantur, nihil juris habent ad illius reipublicæ leges ac immunitates. Fœdera autem nominat, quia duo erant fœdera: Unum cum Abrahamo & ejus poſteritate pactum, cujus ſignum erat circumciſio: Alterum per Moſen.

*Promiſſionis ſpem non habentes.* Promiſſio κατ' ἐξοχὴν vocatur promiſſio Meſſiæ, tantopere omnium prophetarum oraculis celebrata, & Iſraëlitis expectata.

*Et athei in mundo.* Non tantum iſtis omnibus, ſed ipſo Deo caruiſtis, quem non noveratis, non curabatis, & ille viciſſim vos. Poſtquam illis depinxiſſet priorem ſtatum, nunc incipit commemorare præſentem.

Verſ. 13. *Nunc vero in Chriſto Jeſu.* Id eſt nunc vero poſtquam Chriſti religionem amplexi eſtis.

*Vos qui longe eratis*, qui longe eratis remoti a republica Iſraëlis, ac cæteris rebus commemoratis.

*Facti eſtis prope*, adducti eſtis ac inſerti Dei populo.

*Per ſanguinem Chriſti*, quo ſcilicet fœdus Dei, quo omnibus gentibus remiſſio peccatorum, & vita æterna ſine diſcrimine, ceremoniiſque ſublatis, offertur; confirmatum eſt ac ſancitum.

Verſ. 14. *Ipſe enim eſt pax noſtra*, id eſt pacis noſtræ author & cauſa.

*Qui fecit utraque unum*, id eſt qui effecit, ut ex utroque populo, id eſt Judæis & gentibus, unus efficeretur populus.

*Et intergerinum parietem ſolvens.* Explicat, qua ratione unum populum effecerit, nempe ſublata cauſa, quæ utrumque populum dividebat, & inimicitiarum erat cauſa.

Propterea adjecit: *inimicitias* id eſt inimicitiarum cauſam ac proinde ipſam etiam inimicitiam.

*In corpore ſuo*, corpus ſuum morti exponendo.

Verſ. 15. *Legem mandatorum in decretis abolens.* Explicat,

plicat, quid per parietem illum intergerinum ac inimicitias intellexerit, nempe illam ceremonialem legem quæ Judæos a gentibus moribus diſcernebat.

*In decretis*, ſcilicet ſitam & conſiſtentem. Hocque addit, ut oſtenderet, ſe non de tota lege loqui, ſed de ejus parte, quæ dogmata, id eſt præcepta, non ex ipſa natura aut honeſtatis ratione hauſta, ſed a libero legiſlatoris placito pendentia continebat.

*Ut iſtos duos conderet*, ut utrumque hunc populum renovaret ac reformaret.

*In ſe ipſo*, vel per ſe, hoc eſt ſua opera, vel ſibi inſertos ac religionem ſuam amplexos.

*In unum novum hominem.* Quaſi dicat, ita ut in unum Dei populum coaleſcerent, qui novam ac eandem vivendi, Deumque colendi rationem ſequeretur.

*Faciens pacem.* Quaſi dicat, eaque ratione pacem & concordiam inter illos conſtituit. Επιμονὴ ſeu expolitio. Idem enim aliis verbis inculcat, addito tamen fine hujus rei ultimo, quaſi dicat:

Verſ. 16. *Et reconciliaret utroſque*, & in gratiam reduceret ac componeret, tum gentes, tum Judæos.

*In uno corpore*, ita ut unum corpus conſtituerent. Modum & perfectionem reconciliationis iſtius exprimit. Simili modo loquitur apoſtolus Col. 3. ỳſ. 15. *Deo.* Deus hic eſt πλῶ ᾧ, quaſi dicat, ad gloriam Dei, ad id, ut Deo ſervirent, eique ſe totos dicarent ac conſecrarent. Addit hoc, ne quis putet hanc reconciliationem contra Deum initiam, lege ejus repudiata.

*Per crucem.* Per mortem crucis, qua divinum fœdus ſancitum ac ſtabilitum fuit, & qua *inimicitiam in ipſa*, id eſt, cruce interfecit. Explicat quomodo per crucem hæc pax fuerit effecta, quia nimirum inimicitia, id eſt inimicitiarum cauſa, per Chriſti crucem ſeu mortem, ſublata fuerit. Eleganter autem ait inimicitiam fuiſſe interfectam per crucem, quemadmodum in epiſtola ad Coloſſ. ait cap. 2. 14: *Delens contrarium nobis* &c. Quidnam autem per hanc inimicitiam intelligat, dictum ſupra ỳſ. 15.

Verſ. 17. *Et veniens.* Videtur poſitum pro itaque. *Veniens* nimirum per legatos & apoſtolos ſuos.

*Annunciavit pacem.* Per pacem intelligi potius videtur felicitas illa vera, quam aliquid quod ad officium noſtrum pertineat: quatenus enim omnibus ex æquo ſumma illa felicitas annunciata fuit, cauſæ inimicitiarum omnes fuere ſublatæ.

*Vobis qui longe & iis qui prope*, id eſt tum vobis gentibus, tum Judæis.

Verſ. 18. *Quia per ipſum habemus aditum utrique.* Quia utriſque aditus ad paternam illam gratiam Dei per Chriſtum patefactus eſt, utriſque paterna Dei gratia per Chriſtum oblata eſt.

*In uno ſpiritu.* Dum eundem ſpiritualem Dei cultum ſequimur (& ſpirituali quodam vinculo continemur, quemadmodum Judaicus populus carnali vinculo continebatur:) vel etiam, dum unum ſpiritum ſanctum utrique largitur, qui de divina erga nos benignitate teſtatur. Vide Actor. 10. 47 & 11. 15. 17, & 15. 8.

Verſ. 19. *Igitur nunc non amplius eſtis hoſpites.* Ex ſuperioribus deducit, gentes, non ut quondam, terrenæ, ita nunc cæleſtis iſtius ac ſpiritualis reipublicæ hoſpites, atque ab ea alienos eſſe, ſeu ad eam non pertinere.

*Sed concives ſanctorum.* Civitatis ac Reipublicæ iſtius una cum ſanctis jus æquale habetis:

Ac *domeſtici Dei*, & ad familiam magni iſtius δεσπότου pertinentes.

Verſ. 20. *Superædificati ſuper fundamentum* &c. Innuit eos hac in parte non incerta aliqua & dubia fide, ſed ſolido plane fundamento niti, nimirum doctrina & teſtimonio apoſtolorum ac prophetarum, novi ſcilicet fœderis, qui ſecundo poſt apoſtolos loco ponuntur. Hi enim teſtabantur divinam gratiam non minus ad ipſos, quam ad Judæos pertinere. Comparat autem tacite totum hunc populum ad Chriſtum converſum, illique conjunctum & inſitum, cuidam ædificio ſeu templo, cujus fundamentum apoſtolos & prophetas, qui primi doctrinam Chriſti ſunt amplexi, eamque aliis tradiderunt, eſſe ait: fundamenti autem angularem lapidem ipſum Chriſtum: reliquos autem omnes, tum Judæos, tum gentes, ædificium ex fundamento illo aſſurgens.

Verſ. 21. Propterea addit: *In quo totum ædificium*, id eſt, in Chriſto, velut angulari lapide, reliquæ omnes partes iſtius ædificii, apta quadam ſtructura inter ſe connectuntur ac concinnantur, ut in ædificiis ſolet fieri.

*Creſcit in templum ſanctum.* Aſſurgit quotidie hoc opus ut tandem templum ſanctum efficiatur, illi naturali templo reſpondens, in quo & Deus habitet, & rite colatur. Utrumque enim in illo templo Hieroſolymitano fiebat.

*In Domino.* Repetitio eſt, ut cap. 1. 10, id eſt, in Chriſto tanquam angulari lapide.

Verſ. 22. *In quo Chriſto & vos*, id eſt, Epheſii *coædificamini in habitaculum Dei*, ut una cum cæteris Dei habitaculum ac domicilium conſtituatis.

*In ſpiritu*, ſpirituale, ſeu ratione ſpiritus: vel notatur medium, quo Deus cum hominibus conjungitur, ac in illis ſedem ac domicilium figere ſolet 1 Joh. 3. 14. 1 Cor. 3. 16.

## CAP. III.

Verſ. 1. *Hujus gratia.* Gratia hic non finem, ſed cauſam impulſivam deſignat.

*Ego Paulus devinctus Jeſu Chriſti.* Alii ſubaudiunt *ſum*, quaſi dicat *ego ſum devinctus*, ſed videtur potius ὁ δέσμιος per appoſitionem legendum, qui ſum vinctus *Ieſu Chriſti*, id eſt, ob Chriſti negotium, quod perago.

*Pro vobis gentibus*, in uſum & commodum, in bonum & utilitatem gentium, quarum ille erat apoſtolus, & cujus præconio ſalutaris fides gentium nitebatur. Propterea alibi dicit, ſe implere paſſiones Chriſti in carne ſua, pro corpore ejus, quæ eſt eccleſia. Deerat enim aliquid paſſionibus, quatenus non aperte morte ſua confirmaverat Chriſtus, gentibus ad ſalutem patere aditum, & ad novum fœdus, quem defectum Paulus gentium apoſtolus, ſuis calamitatibus & malis, ſarciebat. Vincula autem Pauli non erant carcer aliquis, ſed Romanorum civium more revinctus

erat

erat catena manu dextera ad lævam militis ipſum comitantis. Pendet adhuc oratio. Delabitur enim Paulus alio, & orationem cœptam demum 13 aut 14 verſibus reſumere videtur.

Verſ. 2. *Siquidem audiviſtis 'diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi.* Confirmaturus id quod dixerat, *pro vobis gentibus*, ſubjungit hæc verba. Οἰκονομία proprie ſignificat domus gubernationem. Sumitur autem ſæpe pro diſtributione alicujus rei familiaris, quæ fit in domo, cum paterfamilias familiæ ſuæ aliquid diſtribuit, atque ita hoc loco ſumitur, quaſi dicat: quandoquidem audiviſtis, quænam veluti portio mihi obtigerit divinę gratiæ, nempe ea, ut gentibus euangelium annunciarem. Propterea ſubjungit, *in vos*, id eſt veſtram vel ad vos ſpectantem.

Verſ. 3. *Quoniam ſecundum revelationem notum mihi fecit myſterium.* Explicat, quomodo illi hæc gratia data fuerit, nimirum, quod illi revelatum fuerit myſterium.

*Per ἀποκάλυψιν* intelligit revelationem miraculoſam ac plane divinam. Quid per myſterium intelligat, poſtea explicabit.

*Quemadmodum præfatus ſum paucis.* Hic incipit novam parentheſin & ỳſ. 4, eam finit. Quidam interpretes putant Paulum aliud quoddam ſcriptum ſuum ſignificare; quidam reſpectu ſuperiorum quæ habentur cap. 2 hæc dici putant, veriſimiliori conjectura.

Verſ. 4. *Ad quod poteſtis legentes cognoſcere.* Voces ad quod junguntur cum illis, *poteſtis cognoſcere*, non cum *legentes*, quaſi dicat ad quod veluti reſpicientes poteſtis cognoſcere, ex eo veluti metiri poteſtis. *Legentes* dum ſcilicet ea, quæ ſcripſi, legitis.

*Intelligentiam meam in myſterio Chriſti:* quantam habeam intelligentiam, id eſt quam bene quam exacte mihi notum & exploratum ſit myſterium Chriſti, ac proinde quam firmiter doctrinę meæ fides veſtra inniti debeat.

Verſ. 5. *Quod in aliis generationibus notum factum non eſt filiis hominum.* Incipit hoc explicare myſterium, & ut illud commendaret, oſtendit, quod fuerit arcanum. Myſteria enim ſunt arcani quidam & reconditi ſenſus in rebus ſacris & ad religionem ſpectantibus.

*Quemadmodum nunc revelatum eſt ſanctis apoſtolis ipſius.* Vox quemadmodum hoc loco non uſurpatur ad deſignandum modum revelationis, quaſi perfectiori aliquo modo nunc fuerit revelatum quam olim, ſed ad rem ipſam tantum ſimpliciter ſignificat apoſtolus, olim quidem notam non fuiſſe, nunc autem revelatam eſſe. Solet enim hæc vocula quemadmodum ſæpiſſime ita ſumi ut Matth. 5. ult. 1 Pet. 1. 16. Joh. 11, & 20. Sanctos vocat apoſtolos, quod peculiari ratione ſancti eſſent, & illis hoc κατ' ἐξοχὴν conveniebat.

*Et prophetis*, id eſt novi fœderis, loquitur enim de revelatione, quæ his facta fuerit. Hinc apparet apoſtolum ſuperiori capite ỳſ. 20 prophetas novi fœderis intellexiſſe.

*In ſpiritu*, id eſt per ſpiritum, ſcilicet cælitus illis datum.

Verſ. 6. *Eſſe gentes cohæredes.* Jam myſterium hoc explicat, nempe gentes eadem cum Judæis hæreditate gaudere debere, æquale jus ad hæreditatem adeundam adeptas. Videtur hæc vox *cohæredes* per ſe ſtare propter interjectum verbum *concorpores*, nec ad vocem promiſſionis referri. Non recte enim dicitur, concorpores promiſſionis.

*Et concorpores*, id eſt in unum corpus cum Judæis coalituras, ſeu coaleſcere debere ſub uno capite Chriſto.

*Et participes promiſſionis ipſius*, id eſt promiſſionem Judæis factam ad gentes quoque ex æquo pertinere.

*In Chriſto Jeſu.* Quænam ſit iſta promiſſio explicat, nempe ea quam Deus per Chriſtum Jeſum hominibus obtulit.

*Per euangelium.* Vel, quam dominus Jeſus per euangelium annunciavit; vel ſignificat modum, quo gentes participes factæ ſint promiſſionis, nempe quod illis euangelium fuerit annunciatum ex Dei voluntate ac decreto, ut ei credentes promiſſionis iſtius fierent compotes.

Verſ. 7. *Cujus factus ſum miniſter.* Id eſt euangelii præco.

*Secundum donum gratiæ Dei*, ex Dei dono ac mera ejus gratia ac liberalitate. Donum gratiæ eſt donum gratioſum. Omne quidem donum gratioſum eſt, ſed apoſtolus gratiam addit, ut ex mera gratia ſibi obtigiſſe innueret, utpote prorſus indigno tanto munere, ut poſtimodum ſubjungit:

*Quod datum eſt mihi*, ſcilicet donum.

*Secundum operationem potentiæ ipſius.* Medium oſtendit, per quod illi hoc donum reipſa fuerit datum, nimirum ſummam Dei potentiam, quæ illum tantis donis impleverit, ut hoc munus digne gerere & adminiſtrare poſſet.

Verſ. 8. *Mihi minimo omnium ſanctorum.* Indignitatem ſuam exprimit, ut Dei gratiam extolleret. Minimum autem ſanctorum ſe vocat ideo, quod Chriſti fideles tantopere fuerit perſecutus, quam etiam ob cauſam ſe primum peccatorum vocat.

*Data eſt gratia hæc.* Quaſi dicat mihi, inquam, datum eſt hoc munus & officium ex ſumma Dei gratia & benignitate. Quodnam munus?

*In gentibus læta annunciare*, ut gentibus annunciarem ſive lætum afferrem nuncium. Objectum itius annunciationis addit:

*Imperveſtigabiles divitias Chriſti*, divitem illam gratiam, quæ Chriſti doctrina continetur. Divitem vocat, vel quod plane in ſe ſit dives, id eſt copioſa, vel quod late pateat & ad plurimos ſpectet. *Imperveſtigabiles* vocat, quod nullus mortalium per ſe cognoſcere potuerit, tum gratiam hominibus exhibitam in tantum excellentem, tum non ſolum ad Judæos, ſed etiam ad gentes ex æquo eam dimanaturam.

Verſ. 9. *Illuminare omnes*, & omnibus velut facem accendere, ſeu lumen afferre, ut videre & cognoſcere poſſint:

*Quæ ſit communio myſterii abſconditi a ſæculis in Deo.* Vel quam late pateat, quam multis ſit commune, ad quam multos ſpectet decretum illud in Deo latens de ſervandis hominibus, & æterna vita donandis: vel, (ſi nolimus vocis myſterii ſignificationem mutare) quam late pateat decretum illud, de quo hactenus ſum locutus, de gentibus populo Judaico conjungendis, & una cum eo ſervandis. Poterat enim quiſpiam cogitare, Dei conſilium eſſe, ut ex gentibus hinc inde tantum aliqui decerpantur, & per euangelicam fidem Judæis conjungantur: quemadmodum & olim ſub lege proſelyti Judęis accedebant; non ut gentes tam longe lateq; per euangelium vocentur, & illis ex profeſſo ac plane ex æquo cum Judęis euangelica gratia offeratur. Hoc

enim Deum voluiſſe, nulli mortalium venire poterat in mentem, antequam tot eccleſiæ, in diverſis gentibus ac nationibus, ſine ullo diſcrimine, Pauli præcipue miniſterio, colligerentur. Hinc apoſtolus alibi, ut oſtenderet quam late hoc myſterium pateat, non ſolum Græcos, ſed etiam barbaros ac Scythas, populum omnium ferociſſimum & maxime incultum nominat. Vel denique communio ſive κοινωνία myſterii ipſum ſignificat myſterium, quod jam communicatur aliis, id eſt revelatur.

*A ſeculis*, id eſt, ab antiquis temporibus.

*In Deo*, ſoli Deo notum, qui id facere decreverat, & per prophetas prædixerat.

*Qui omnia creavit per Chriſtum Jeſum.* Qui nunc non ſolum Judæos, ſed etiam gentes reformavit ac novos ex illis homines effecit: quemadmodum alibi loquitur apoſtolus: Vetera præterierunt, ecce nova facta ſunt omnia. *Per Chriſtum Jeſum*, id eſt ejus operâ.

Verſ. 10. *Ut nota fieret nunc.* Ut hoc tempore cognoſceretur; vel finalis cauſa ſignificatur, aut tantum effectus, ut ἵνα ſignificet adeo ut.

*Principatibus, poteſtatibus in cæleſtibus*, id eſt, angelis. Dubitatur num bonis, an vero malis. Si finalem cauſam intelligas, non niſi boni intelligi debent; ſi eventum, ne ſic quidem mali recte intelligerentur. Quid enim præclari ac commemorandi in eo eſſet, quod diabolis divina ſapientia innotuerit? De bonis autem loquitur Petrus, quod deſiderent, id eſt ament ea intueri ac contemplari, quæ Deus per Chriſtum cum humano agit genere.

*Per eccleſiam*, quaſi dicat, per ea quæ circa eccleſiam fiunt.

*Multiformis ſapientia Dei.* Id eſt, dum ea conſiderant & contemplantur, quæ Deus cum eccleſia, & in eccleſia fecit, quomodo & inter quos eccleſiam collegerit (attoniti) ſtupentes divinam ſapientiam quam πολυποίκιλον vocat, quod variis in rebus (vel ut variis in rebus (vel ut variis in locis) variis in partibus ſe prodat, nunc hic nunc illic, & quocunque inciderint, nil niſi ſapientia Dei apparet (vario colore) vario habitu, prout res & materiæ ſunt diverſæ, in quibus eam Deus exercuit. Hoc ſenſu variam eruditionem vocamus, quod in variis & diverſis cernatur ac ſeſe prodat rebus ac materiis.

Verſ. 11. *Secundum propoſitum.* Amplificat myſterium illud de vocandis gentibus, vel ipſam eorum vocationem per apoſtolum factam, & oſtendit id non temere factum eſſe, ſed æterno Dei decreto, quale cum non ſoleat fieri, niſi de rebus ſummis & maximis, appareret inſigne eſſe illud, de quo Deus quid ab æterno conſultat.

*Secundum* &c. Videtur hoc referri ad verſ. 9, ut vel ad creationem referatur, vel ad illuminationem omnium gentium. Acceſſoria enim erant proxime antecedentia. Alii ad ſapientiam Dei referunt hæc verba, hoc eſt ad ejus effectum, qui fuit, vocatio gentium: quaſi dicat, qui effectus ſapientiæ Dei eſt conformis propoſito Dei æterno, vel quam ſapientiam exſeruit, prout ab æterno decreverat.

*Propoſitum*, decretum, quod Deus apud ſe conſtituit.

*Seculorum.* Genitivus pro adjectivo; per decretum, ſive propoſitum æternum.

*Fecit in Chriſto Jeſu*, id eſt, ad effectum perducere conſtituit in Chriſto. Facere pro decernere ſe aliquid facturum; vel proprie ſumitur, pro effectum dare, quaſi dicat, quod decretum ſeu propoſitum jam ad finem perduxit.

Verſ. 12. *In quo*, per quem (illo tempore, quo gentes vocatæ eſſent) *habemus libertatem & acceſſum*, id eſt, libertatem ſine metu ac confidenter ad Deum accedendi: vel ſimpliciter facultatem ac libertatem veniendi ad Deum, de quo Cap. 2. 18. *Libertas* eſt animi confidentia, qua fit ut nihil metuere cogamur.

*Per fidem*, interveniente tamen fide. Fides Chriſti, ut etiam ad Rom. 111, eſt fides a Chriſto revelata & oſtenſa.

Verſ. 13. *Ideo.* Hic poteſt finiri parentheſis, ut particula *ideo* ſit poſita per epanalepſin verſus primi verborum *hujus gratia*, quaſi dicat, ideo inquam; vel poteſt hoc referri ad proxime præcedentia, & una cum illis parentheſi adhuc includi.

*Ideo peto* &c. Quaſi dicat, quandoquidem etiam vos eſtis vocati ad regnum cælorum, ideo peto a Deo ne deficiatis, id eſt, ne animo concidatis, & dubitare incipiatis de veſtra ſalute ob afflictiones meas, qui gentium ſum apoſtolus.

*In afflictionibus.* Id eſt, propterea quod ego affligor.

*Quæ eſt gloria.* Id eſt, tantum abeſt, ut debeatis animo frangi, ut potius gaudere poſſitis, quia id in gloriam veſtram cedat. Poteſtis enim de eo gloriari, quod ego, qui vos docui euangelium, veſtri cauſa tanta patior; quia hoc cedebat ad confirmationem Epheſiorum maxime, quod Romæ iſta coram Cæſare profiteretur tantus Chriſti ſervus.

Verſ. 14. *Hujus rei gratia.* Hæc verba qui vult poteſt ad proxima referre; ſed ego crediderim, eſſe epanalepſin relata ad verſum primum.

*Genua flecto.* quaſi dicat *ſupplex* & flexis genibus venerabundus precor. Ex geſtu orationis oratio deſcribitur, ſignum pro ſignato. Aliquando hac voce tantum adoratio intelligitur.

Verſ. 15. *Ex quo*, id eſt, patre Chriſti. Non tantum Chriſtus a patre ſuo proficiſcitur, ſed etiam omnes, qui ſunt in cælis & in terra, id eſt omnes qui ad familiam cæleſtem vel terreſtrem pertinent. Illi enim tanquam patrem eum agnoſcunt & caput ſuum.

Πατριὰ. Conjunctio multorum, qui ex uno patre ortum ducunt. *Cæleſtes*, Chriſtus & angeli. *Terreſtres*, id eſt, fideles in terra ex Judæis & gentibus conflati. Et huc potiſſimum reſpicit Paulus, nec deſunt, qui putent, non diſtribuere illum familiam in eam, quæ in cælis eſt, & eam quæ in terra, ſed tantum univerſitatem loci denotare: quaſi dicat, quæ ubivis locorum eſt.

Verſ. 16. *Ut det vobis ſecundum divitias*, id eſt, ſecundum beneficentiæ ſuæ amplitudinem & ubertatem.

*Potentia corroborari*, id eſt, ut valde confirmemini.

*Per ſpiritum ſuum.* melius, ſi eſſet ipſius, ut eſt apud Ariam Montanum, id eſt, Dei.

*In interiorem hominem*, id eſt, quoad interiorem hominem, quaſi dicat non loquor de robore corporis, ſed animi, quatenus religione eſt imbutus & illuſtratus.

Verſ. 17. *Chriſtum habitare.* Chriſtus pro religione & doctrina Chriſtiana: quaſi dicat, ut firmiter credatis doctrinæ Chriſti. de officio illorum hic ſermo eſt.

Per

*Per fidem.* Vinculo fidei connexa ſit animis veſtris doctrina Chriſti.

Altera eſt *in charitate*, id eſt, ut in charitate Chriſtiana inprimis radices firmas agatis, & illi veluti inædificemini. Metaphora deſumpta ab arboribus, quæ radicibus actis firmæ ſunt. 2. a fundamentis domuum, quæ ubi ſunt, ibi firma ſunt ædificia. Commemorat autem fidem & charitatem, quæ ſunt duæ partes interni hominis. (fides eſt veluti ſolum, in quo debeant radices agi: charitas autem eſt quaſi terra, qua ſolent radices & fundamenta figi.)

Verſ. 18. *Ut poſſitis comprehendere.* Augmentum gratiæ precatur, ut ſcilicet fide & charitate præditi ulterius progrediamini in cognitione rerum divinarum.

*Cum omnibus ſanctis.* Ut & vos & omnes ſancti comprehendatis, vel ut vos gentes, ſicut & Judæi fideles poſſitis comprehendere. Poſſunt enim intelligi ſancti, qui hoc jam habebant, quod Paulus optat Epheſiis. Sed prius magis placet.

*Quæ ſit latitudo.* Non exprimit cujus rei latitudinem hic intelligat, poſſuntque ſubaudiri vel vita æterna, vel Dei gratia, vel quod mihi maxime probatur, Chriſtiana religio, eaque bona quæ hominibus in ea proponuntur. Hoc enim maximè illis optare videtur, ut credant non eſſe arctis terminis comprehenſam religionem Chriſtianam, ſed latiſſime patere, nihil tam humile, nihil tam altum, nihil tam longe diſſitum, quo illa non pertingat, hoc enim creditu erat admodum difficile. Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.

Verſ. 19. *Cognoſcere ſupereminentem charitatem Chriſti.* Cognoſcere charitatem Chriſti, id eſt, charitatem Jeſu Chriſti, quæ ſuperat cognitionem. Cauſam innuit. Charitas Chriſti, id eſt, qua a Deo per Chriſtum diligimur, quæ Dei quidem eſt, ſed quia a Chriſto nobis revelata & oblata eſt, & per eum aliquando effectu ipſo eſt exhibenda, ideo charitas vel gratia Chriſti dicitur ad Rom. I. 15, & VIII. 35. confer cum 39. Hanc autem ſubjungit amplitudini religionis Chriſtianæ, quia ejus eſt cauſa. Cur vero religio Chriſti tam late patet? quia tanta eſt, & omnem humani ingenii captum per ſe ſuperans Dei gratia, per Chriſtum hominibus revelata. Quod ſi quis hoc loco velit eſſe ſermonem, de charitate ipſius Chriſti, morte ipſius nobis conteſtata, vel mortem ipſam charitatis illius effectum, cum eo non valde pugnarim. Facit enim ea plurimum ad oſtendendam Chriſtianæ religionis & bonorum in ea oblatorum amplitudinem, ſiquidem pro omnibus hominibus mortuus eſt Chriſtus. Vide I. Tim. II. 6. 2 Cor. V. 14. Non debent autem ita verba Græca reddi, *ſupereminentem cognitionis charitatem*, nullus enim commodus erit hujuſmodi verborum ſenſus: ſed, *charitatem quæ ſuperat cognitionem*, ſeu quę ſuperat intellectum omnem, ut alibi loquitur de pace apoſtolus. De hac interpretatione verborum Græcorum vide Bezam. Significat autem Apoſtolus charitatem illam Chriſti humanum captum per ſe ſuperare, ſeu ab homine naturalibus viribus cognoſci non poſſe.

*Ut impleamini ad omnem plenitudinem Dei*, id eſt, ut impleamini omnibus donis divinis, ut nihil vobis deſit donorum, quæ a Deo proficiſcuntur, ut omnia dona accipiatis, quæ Deus ſolet conferre in homines. Εἰς pro quoad ſumi poteſt, quaſi dicat non aliis donis impleamini, quam quæ ſint vere divina, vel pro uſque ad, quemadmodum explicatum eſt.

Verſ. 20. *Illi autem.* Δοξολογία quædam additur.

*Super omnia longe abundantius.* id eſt, & plura & majori cumulo ſeu copia. Hic Deum non tantum laudat, ſed etiam ſpem facit Epheſiis, ut id quod precatur, conſequantur: quaſi dicat, etiamſi ego multa vobis precatus fuerim, tamen Deus plura & majora vobis poteſt præſtare. Potentiam commemorat ſolam, licet voluntatem etiam ſubintelligat, quia multa & magna optavit, ad quæ præſtanda viribus ſingularibus eſt opus. In potentia tacite voluntas includitur: ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ id eſt, abundantius, non tantum iis quæ petimus, ſed etiam cogitamus.

*Secundum potentiam ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν.* id eſt, per illam potentiam, cujus operationem & ſpecimen videbitis in nobis apoſtolis. Hæc addit, ut tanto facilius credant Epheſii, ſe id conſequenturos, quicquid illis precabatur apoſtolus, cum eadem & ex parte majora cernerent in apoſtolis &c.

Verſ. 21. *Ipſi gloria in eccleſia*, vel per eccleſiam, *quæ in Chriſto Jeſu*, id eſt Chriſtianam, quaſi dicat inter Chriſti fideles, id eſt, a Chriſti fidelibus id fiat: vel per Chriſtum id fiat, id eſt, ut laus illa ſit conformis doctrinæ ac religioni Chriſtianæ; vel quatenus etiam Chriſtus laudatur, eoque laudato ipſe Deus celebratur.

*In omnes generationes ſeculi ſeculorum.* Et ſi generationi in omnes generationes, id eſt, æternas ſucceſſura ſit, tamen non finiatur.

*In eccleſia*, id eſt, ut propter illa quæ fiunt in eccleſia Deo laus tribuatur.

## CAPUT IV.

### *ARGUMENTUM.*

*Altera hic incipit epiſtolæ pars, in qua apoſtolus præſcribit pietatis Chriſtianæ officia Epheſiis. Officia ſunt duplicia: Generalia & ſpecialia. Generalia, hoc eſt, quæ ad omnes Chriſtianos, cujuſcunque ſtatus ſint ac conditionis, pertinent. Explicantur potiſſimum hæc Cap. IV Cap. V uſque ad ejus fere medium. Inde ſpecialia perſequitur reliquo Cap. V & VI, quæ generali iterum præcepto de conſtantia ac fortitudine in afflictionibus propter Chriſtum, claudit. In generalibus officiis primo loco pacis ſtudium collocat, eaſque virtutes Epheſiis commendat, ſine quibus pacem inter ſe tueri fideles nequeunt.*

Verſ. 1. *Hortor vel oro.* Utroque modo reddi poteſt vox Græca Rom. XII ab initio, & alibi idem vocabulum.

*Ego vinctus in domino*, id eſt, ob negotium domini.

*Ut digne* &c. ut vivatis, quemadmodum convenit iſti vocationi. Poteſt vocatio ſumi vel pro ipſa vocatione nimirum ad regnum cælorum, vel ſumitur pro ſtatu & conditione ad quam ſumus vocati. Poſterius videtur magis quadrare. Vocationis nomen ſumitur pro accitione, ut ſic dicam, ad regnum Dei, & ejus vis eſt, quod ne quidem cogitantes & immerentes gratia ſua præverterit Deus.

Verſ. 2. *Cum omni humilitate.* Jam ſpeciatim explicat, qua in re conſiſtat, ut digne vivant vocationi, nimirum, ut cum omni humilitate & manſuetudine vivant.

*Cum omni modeſtia. Omnis* ſumitur pro perfecta & conſummata, cujus omnes partes adſint, de qua virtute in Ethica Chriſtiana. Eſt virtus quæ moderatur honorum cupiditatem.

*Manſuetudo* in ira cohibenda verſatur. Ponit virtutes, quæ inprimis ad pacem conſectandam faciunt.

*Longanimitas* eſt perfectio quædam manſuetudinis, virtus quæ diu fert offenſas.

*Suſtinentes.* Tolerantia hæc refertur ad omnes infirmos, vel in fide vel in vita.

*In fide*, cum ignorantia rerum quarundam laborant, quæ tamen ſalutem per ſe non adimat.

*In vita*, ſi ex imbecillitate adhuc labantur, præſertim novitii, qui quamvis habitus peccatorum, non enormium tamen, nondum excuſſerint, ferendi ſunt, & paulatim ad frugem reducendi.

*Alii alios.* Oſtendit, mutuam debere eſſe illam tolerantiam;

*In charitate*, per charitatem, charitate impulſi.

Verſ. 3. *Studentes*, id eſt, id agentes unice, ut conſervetis inter vos unitatem ſpiritualem, vinculo illo, quod eſt pax, quo inter vos debetis connecti &c. Niſi quis malit pacis nomine intelligere pacis ſtudium.

Unitas poteſt eſſe nexus & conjunctio Chriſtianorum: Pax vero ſtudium ſingulorum, quo nexum & unitatem illam tueri nituntur.

Verſ. 4. *Unum corpus.* Sententiæ diſcrepant: quidam exiſtimant, hic jam indicari argumenta, quibus oſtendat eos paci ſtudere debere; alii autem perfectionem pacis putant hic exprimi. Itaque alii ſubaudiunt verba, *Sicut eſt*, quaſi dicat ſicut eſt unum corpus. Alii autem, *ut ſitis* quaſi dicat ut ſitis unum corpus & unus ſpiritus. Si priori modo accipias, debet intelligi Dei conſilium, vis & efficacia potius, quam effectum, quaſi dicat, vos jam eſtis unius corporis inſtar, quaſi unum corpus. Ex omnibus enim apte in ſe compactis conſtituitur unus Dei populus. Si poſteriori modo, de effectu id intelligi debet: quaſi dicat ita ſitis conjuncti, vel ita debetis inter vos cohærere, ut unum quodammodo ſitis corpus. De qua metaphora vide 1.Cor. XII. Rom. XII.

*Unus ſpiritus.* Si priori eorum, quos diximus, modorum ſumatur, de uno ſpiritu ſancto, quo omnes regimur Chriſtiani, quique eſt inſtar animæ, hæc particula erit capienda: Si vero poſteriori modo, pro ſpiritu hominis. Sic dicitur Act.IV.32, quod credentium fuerit anima una.

*Quemadmodum etiam vocati eſtis.* Qui poſteriorem ſententiam ſequuntur, putant hic demum inchoari rationes, quibus concordiam ſuadet apoſtolus. Alii connectendum putant cum prioribus: quaſi dicat, non mirum vos unum veluti corpus conſtituere, eodemque ſpiritu a Deo donatos, cum ad eandem ſpem aut felicitatem vocati ſitis. Ἐν vel pro εἰς ſumitur, vel pro σὺν aut μετὰ cum. Senſus eſt, vocati vel ad unam ſpem, vel cum una ſpe, id eſt, ita ut una ſpes vobis fuerit propoſita. Spes vocationis ſumitur pro bono, quod ſperatur, & ad quod vocati ſumus, vel pro ipſa ſpe, quæ ex vocatione naſcitur.

*Vocati*, id eſt, acciti ad id bonum: oſtendit, non temere illos ſibi hanc ſpem fingere, ſed ab ipſo Deo excitos; debent autem omnes, qui ejuſdem felicitatis ſpem habent, pacem inter ſe colere, quique uno cœlo capi debent, in terris concorditer vivere.

Verſ. 5. *Unus Dominus.* Id eſt, communis vobis omnibus Dominus noſter Chriſtus; unius autem Domini ſubditi pacem inter ſe debent colere.

*Una fides.* Aſſenſus præſtitus doctrinæ Chriſti, vel perſuaſio de rebus divinis una dicitur, propter unitatem doctrinæ, cui aſſenſus præbetur metonymia ſubjecti, occupatio pro occupante. Nam fides, quæ eſt aſſenſus ſumitur pro doctrina illo aſſenſu apprehenſa. *Una fides*, quaſi dicat, idem creditis.

*Unum baptiſma*, id eſt, ſpirituale. Vide Socinum de aquæ baptiſmo. Si de aquæ baptiſmo accipias, unitas illa cernitur in ſcopo, quia qui baptizabatur, uni ſe doctrinæ conſecrabat. quaſi dicat, quemadmodum eſt eadem fides ita eſt & eadem fidei profeſſio; eidem doctrinæ eſtis initiati.

Verſ. 6. *Unus Deus.* Communis Deus, & quidem pater omnium.

*Qui eſt ſuper omnes*, id eſt, homines, nam de fidelibus eſt ſermo. Quanquam etiam *ſuper omnia* poteſt tolerari: id vero non tantum ad præſtantiam Dei, qua omnibus eminet, ſignificandam, ſed quod omnibus præſit, imperet, omnes regat. vel ita: *ſuper omnes* non quod ſit omnibus præſtantior (quid enim hoc ad concordiam ſuadendam) ſed quia omnium eſt rector, imperator, atque omnibus præeſt, omnes gubernat.

*Per omnes.* quaſi dicat diffuſus per omnes, & cujus providentia per omnia eccleſiæ membra patet. Sup. II. 3 de ſpiritu.

*Et in omnibus.* Reſidet in nobis per ſpiritum. Prius de ſingulari providentia capiendum eſt, poſterius de ſpiritu Dei, qui habitat in nobis.

Verſ. 7. χάρις dona ſignificat, quæ Chriſtus unicuique ea menſura, qua ſibi libuit, diſtribuit.

*Verſ.* 8. *Captivam duxit captivitatem*, id eſt, magnam captivorum turbam. Captivitas pro captivis, per metonymiam.

*Dedit dona.* In textu Hebraico eſt, *accepit dona in hominibus*, id eſt, accepit dona, *ut daret in* hominibus, id eſt poneret, Hebræorum more.

Verſ. 9. *Inferiora terræ*, partes terræ depreſſiores Deut. XXXII.22 Significatur autem ſepulchrum.

Verſ. 10. *Ut impleret omnia*, vel ut perficeret & perageret omnia, quæ perfici voluit Deus. vel potius *omnia* in neutro genere pro *omnes* in maſculino poſitum, ut donis impleret omnes.

Verſ. 11. *Apoſtolos.* Apoſtolorum munus erat fundare eccleſias & religionis Chriſtianæ principia ponere ac demonſtrare, quibus univerſa religio Chriſtiana innititur.

*Prophetæ* erant alii qui futura prædicebant: alii, quos potiſſimum intelligere videtur apoſtolus, qui exactius doctrinam Chriſti tradebant & ea quæ ad pleniorem ejus notitiam ſpectant, explicabant, ac penitiora ejus myſteria eruebant.

*Euangeliſtæ* erant apoſtolorum adjutores in prædicando euangelio, hinc euangeliſtæ dicuntur: non enim ubique apoſtoli per ſe prædicare poterant, ſed iſtis utebantur miniſtris ac delegatis ac veluti legatis: quemadmodum imperatores per legatos ſuos multa adminiſtrare ſolent, bella gerere ac perficere: euangeliſtæ autem apoſtolorum authoritate intebantur, quorum veluti perſonam referebant. Talis erat Timotheus, Titus, Philippus, Demas, & alii.

*Paſtores & doctores.* Particula & innuere videtur,

detur iſtos non fuiſſe diverſos, aut ſaltem valde ſibi vicinos & propinquos. Paſtores tamen proprie videntur eſſe illi, qui regunt, doctores, qui docent.

Καταρτισμὸν, *ſanctorum.* Vel ſancti omnes conſiderantur, tanquam unum corpus, vel quiſque ſeorſim: ſi illud, videtur κατηρτισμὸς (qui in ſe includit & omnia membra & membrorum aptam inter ſe ſtructuram ac nexum) ſanctorum in eo conſiſtere, cum ſanctis varia membra acceduut, cum plurimi ad eccleſiam aggregantur, & hoc ſpirituale corpus veluti omnibus membris integratur: ſi quiſque ſeorſim, κατηρτισμὸς in eo conſiſtit, ut quiſque omnes veluti partes ac membra tum cognitionis tum pietatis habeat, ita ut nihil illi deſit, quod ad ſpiritualem hominem conſtituendum pertineat, non ſit mutilus aut mancus, aut luxatis aut debilitatis membris.

*In opus miniſterii*, id eſt, ad miniſtrandum. Opus miniſterii eſt opus, quod eſt miniſterium. Opus autem non ſignificat hic, quod exiſtit poſt actionem, ſed ipſa eſt actio.

*Ad ædificationem corporis Chriſti.* Corpus Chriſti eſt eccleſia: quaſi dicat, ut eccleſia, ædificetur & omni ex parte abſolvatur. Ædificio eccleſiam hic comparat, ut antea corpori.

Verſ. 13. Οἱ πάντες. Quidam omnes tum Judæos, tum gentes generatim: quidam de ſolis fidelibus intelligunt, & rectius. Unitas fidei in eo conſiſtit, ut eadem credant & ſentiant in rebus ad religionem ſpectantibus, non ſolum in præcipuis, ſed etiam in multis aliis, quæ ad perfectionem religionis Chriſtianæ ſpectant.

*In menſuram ſtaturæ plenitudinis &c.* id eſt, qualis convenit Chriſto, qualem corpus hoc Chriſti myſticum requirit.

Verſ. 14. *Infantes.* Opponit viro. Ne, inquit, fluctuemus, ut illi ſolent, qui habent immaturum judicium, & circumferamur omni vento doctrinæ. Navigiis comparat homines inſtabiles & male fundatos, doctrinas vento: ne nunc hæc, nunc illa doctrina nobis arrideat, nunc hunc nunc illum ſequamur, & a veritate Chriſtiana deviemus.

*In alea hominum.* Id eſt, per aleam hominum. Seductores aleatoribus conferri videntur, qui meras callent artes & fraudes; doctrina illorum aleæ; inſtrumento illi luſorio. Quemadmodum enim alea emungere alios ſolent aleatores; ita iſti alea ſua, id eſt, doctrina veteratoria decipiunt alios, quanquam & alea pro fraudibus & artibus aleatoriis accipi poteſt, ut falſorum doctorum artes & dolos exprimat.

*In aſtutia.* Hic videtur explicare, quid per aleam ſignificet.

*Ad μεθοδίαν erroris.* Μεθοδεία aſſultus callidus & improviſus, quo verbo utitur cap. VI. verſ. 11. Oſtendit aſtutiam eo tendere, ut cum quadam veluti methodo, & per compendia homines in errorem abducantur; ſimul innuit iſtos ſeductores artem quandam & alios decipiendi methodum callere.

Verſ. 15. Ἀληθεύοντες *in charitate.* Alii explicant, veritatis cognitionem cum charitate conjungentes: ſed magis convenit ipſi verbo ἀληθεύειν, ut ad charitatem referatur, & ſenſus ſit, ſinceram charitatem habentes.

*Augeſcamus in ipſum*, id eſt quoad ipſum ſcilicet Chriſtum. Τὰ πάντα, ſubintellige κεφάλαια ut ſæpe. Ὁ χριστὸς cum verbis εἰς αὐτὸν conjungi debet, licet mutato caſu.

Verſ. 16. *Ex quo*, ſcilicet Chriſto, tanquam capite, a quo vitalis quædam virtus in totum corpus defluit, & emanat.

*Totum corpus coagmentatum*, id eſt membris apte inter ſe collocatis

*Et compactum*, & arcte cohærentibus.

*Per omnem contactum ſuppeditatur*, hominis ſcilicet, creſcit, ſeu augetur. Quaſi dicat dum ſeſe membra contingunt, & articulis invicem connectuntur, ſibi invicem alimentum & vitalem facultatem ſuppeditant. Niſi enim membra in corpore ſeſe contingerent & ſibi devincirentur, nutriri non poſſent, ſed per hunc mutuum contactum ac veluti oſcula, ſuccum ac vitam accipiunt & vegetantur. Contactum igitur ſuppeditationis vocat, quia hoc contactu membra ſibi invicem vim ſpiritumque ſuppeditent.

*Secundum efficaciam*, per efficaciam, ſcilicet ex corpore manantem.

*Augmentum corporis facit*, id eſt creſcit & ſaugetur.

*In menſura uniuſcujuſque membri.* Creſcente unoquoque membro in eam magnitudinem, quæ ipſi conveniat. Non debet enim digitus tantus eſſe, quantum caput, ſed juſtum ac ſibi convenientem, & cæteris proportione æquabili reſpondentem habere magnitudinem.

*In ædificationem ſui ipſius*, ut tandem plane perficiatur & ædificetur.

*In charitate*, vel per charitatem, vel adjuncta charitate; vel quæ ædificatio in mutuo amore poſita eſt & conſiſtit.

Verſ. 17. *Hoc igitur dico & teſtor in Domino.* Redit ad id quod dicere inſtituerat ab initio capitis. Teſtor in domino, obteſtor domini authoritate interpoſita; vel clare denuncio, ne quiſquam ſit qui ignorantiam obtendat, nomine Domini.

*In vanitate mentis ſuæ*, id eſt vaniſſimas ſuas & ſtultiſſimas cogitationes, atque animi conſilia ſecuti.

Verſ. 18. *Obtenebrati mente.* Id eſt, ignorantia rerum divinarum veluti tenebris ac caligine mentem habentes obſcuratam.

*Abalienati a vita Dei.* Per vitam Dei, vitam piam & quæ Deo placeat intelligere videtur.

*Propter callum cordis ipſorum*, quod animum plane obfirmarunt adverſus divinam veritatem, nec ea tangi poſſunt.

Verſ. 19. *Qui poſtquam dedoluerunt*, id eſt nullum in animo & conſcientia dolorem poſt varia perpetrata peccata ſentiunt, ſed animi quodam ſtupore præditi ſunt.

Ἀσέλγεια eſt vitium, quod in ſectandis carnis cupiditatibus, ſed præcipue in obſcœnis, poſitum eſt. Continet & luxuriam & laſciviam.

*In avaritia.* Plerique cum aviditate, ſed nihil prohibet, quo minus Apoſtolus aliud genus peccati adjungat, quod & inter gentes iſtas regnabat, nempe avaritiam, quam etiam capite ſequenti vſ. 5 cum impuritate conjungit.

Verſ. 20. *Chriſtum*, id eſt, religionem Chriſti.

Verſ. 21. Εἴγε, ſi modo, vel, ſiquidem.

*Et in ipſo edocti eſtis*, in ipſo, vel per ipſum, ejus operâ: vel in ipſo ſignificat, ſubjectum iſtius doctrinæ, ut cum dicimus aliquem vel in philoſophia vel in medicina edoctum eſſe: Ita hic in ipſo, id eſt, in ejus religione ac diſciplina.

*Quemadmodum eſt veritas in Jeſu.* Id eſt, ita edocti eſtis in Chriſti diſciplina & religione, quemadmodum ſe res habet, ſeu ſecundum rei veritatem; non adulteratam & vitiatam erroribus Chriſti doctrinam hauſiſtis: vel ut alii, quemadmodum ſane pro re certiſſima & exploratiſſima in religione Chriſti habetur; & ſic iſta Chriſti verba in parentheſi legenda ſunt, ſed cum reſpectu ad ſequentia non antecedentia.

Verſ. 22. *Deponere* vos, ut deponatis. Poteſt ſubaudiri verbum δεῖν. *Secundum priorem converſationem veterem hominem*, id eſt, antiquos mores & priſtinos, quales nimirum ſuperiori tempore ſectati eſtis.

Explicat enim per illa verba, *ſecundum priorem converſationem*, veterem hominem, & oſtendit, in quo ſit ſitus, ut oſtenderet, ſe non loqui de homine naturaliter conſiderato, aut etiam de quovis vitæ inſtituto, ſed tantum de illo, quod in moribus cernitur & ad actiones ſpectat.

*Qui corrumpitur*: id eſt, depravatur, & ſubinde fit deterior. De morali loquitur corruptione. Sic corrupti dicuntur mores.

*Secundum cupiditates*, id eſt a cupiditatibus, ſeu per cupiditates. Deceptionis, id eſt, deceptrices, ſeducunt enim animum, ac tenebras illi offundunt.

Verſ. 23. *Renovari*, ut renovemini.

*Spiritu mentis veſtræ*, id eſt, ſpiritu, qui mens veſtra eſt. Renovatur autem mens noſtra non ſolum cum ea cognoſcit, quæ non noverat, ſed cum vitæ conſilia ac inſtituta mutat, cum aliquis novum animum ſumit, novas ſpes, nova a prioribus plane diverſa ſequitur conſilia. Mente renovata ſequetur morum innovatio & indutio hominis novi, qui ſecundum Deum conditus eſt, id eſt, qui ſimilis Deo eſt factus, ejuſque imaginem gerit, quemadmodum etiam ab initio creatus eſt homo ad Dei imaginem ac ſimilitudinem, licet illa ſimilitudo in alia re potiſſimum conſiſteret. Eo enim videtur alludere apoſtolus, ut ex parallelo ad Coloſſenſes loco appareret Col. 3. 10. Quemadmodum igitur prima creatio hominis ad imaginem Dei facta eſt, ita & hęc ſecunda, nova novi hominis.

*In juſtitia & ſanctitate.* Explicat qua in re creatio iſta nova conſiſtat, & quæ ſit veluti forma, quæ per creationem hanc inducta eſt. Eſt enim creatio formæ inductio. *Veritatis*, id eſt, vera.

Verſ. 24. In ſpecie nunc veluti partes quaſdam ac membra veteris hominis recenſet, eaque deponere jubet, & ſic in ſpecie mutationem illam morum, de qua hactenus in genere fuerat loquutus, explicat. Primo *mendacium* vetat, mendacium autem tale intelligit præcipue, quo proximo nocetur, & quod nocendi cauſa fit.

*Sumus alii aliorum membra.* Impropria locutio. Commembra, vult dicere, ſumus unius corporis. Proximi vocem ſtricte & κατ' ἐξοχὴν accipit pro eo, qui Chriſtianæ religionis una nobiſcum eſt particeps & ejus ratione nobiſcum conjunctas.

Verſ. 25. *Iraſcimini.* Imperativus quidem eſt, ſed permittit non jubet, ideo ſtatim ſubjicit limitationem. Non raro enim ſolemus duos imperativos conjungere, quorum tamen prior permittit, non imperat revera, poſterior autem jubet ac mandat, ut in illo, *fide*, ſed cui *vide*. Sic dicimus *Idź tedy ale nie czyn tego abo owego.* Non peccat autem is, quem ira & commotio non abripit ad vindictam aut vindictæ decretum. Quod ſi res tibi ſit cum eo, cujus puniendi poteſtatem habes, ira licet uti, dummodo eam ſic regas, ne quicquam contra honeſtatem & juſtitiam facias, & non ut te vindices, ſed ut alium corrigas.

Verſ. 26, 27. *Sol ne occidat.* Jubet ut quam celerime iram animo exigamus, ne quam opportunitatem Diabolo demus nos tentandi & ad punitionem ac vindictam nos pertrahendi.

Verſ. 28. Ἵνα ἔχῃ. Ut habeat, melius ut poſſit. Nam apud Græcos ἔχειν ſæpe accipitur pro poſſe.

Verſ. 29. *Sermo putridus.* Corruptus vel inſipidus ac inſulſus, ut putrida eſſe ſolent: vel putridus ac fœtens. Neſcio enim an voluerit ad graven oris anhelitum alludere apoſtolus, quæ ex putrefactione oritur.

*Bonus* id eſt, utilis.

*Ad ædificationem neceſſitatis*, id eſt neceſſariam.

*Ut det gratiam audientibus.* Gratia vel beneficium aliquod ſignificat, vel, idq; accommodatius, jucunditatem, id eſt, qui audientium aures jucunditate quadam ac ſuavitate perfundat, ut ſit acceptus, ac gratiis veluti propitiis natus. Non vero quoſvis audientes intelligit apoſtolus, ſed eos, quibus non niſi honeſta ac pulchra placent, qui nimirum guſtum non vitiatum habent, ac purum caſtumque judicium.

Verſ. 30. *Et non contriſtate ſpiritum ſanctum.* Veluti perſonam quandam ſpiritum ſanctum introducit, quæ noſtris dictis ac factis interſit, quem contriſtamus veluti hoſpitem quendam, cauſam ponit pro effectu, id eſt, ſedibus noſtris & hoſpitio ejicimus.

*Quo obſignati eſtis.* Quo veluti nota ac ſigillo impreſſo ſignati eſtis, qua de re cap. primo dictum eſt.

Verſ. 31. *Omnis amarulentia.* Per amarulentiam vel odium atque animi acerbitas vel moroſitas & auſteritas intelligitur.

*Blaſphemia*, eſt cum alicujus famam lædimus. Convicia intelligit.

Κακία videtur de ſpeciali vitio accipi, & ſignificat omne nocumentum, quod alicui inferimus ira ducti. Vide Coloſſ. 3.

Verſ. 32. χρηστὸι opponitur ἀγρήστοις, humani; *Miſericordes in.* Miſericordia beneficiis conferendis locum habet, ut Luc. 6. 35. Sed hic de non inferendo malo accipi debet.

## CAP. V.

Verſ. 1. *Sitis igitur imitatores.* Ad ſuperiora pertinet hic verſiculus. Vult apoſtolus, ut Deum in eo, quod dixerat, imitemur, addens rationem: Quia convenit filiis, præſertim tam dilectis, parentes ſuos imitari.

Verſ. 2. *Et ambulate in charitate*, id eſt, charitatem exercete, vivite charitatem ſectantes, vivite cum charitate.

*Oblationem & victimam.* Ad commendationem Chriſti facti hæc appoſuit apoſtolus. Quibus verbis oſtendit, quam grata hæc Deo fuerit res, quod Chriſtus nos tantopere amaverit, ut mortem etiam noſtri cauſa ſubiret. Oblationes vero & victimæ Deo gratiſſimæ

tiſſimæ res cenſebantur, & ille odor, qui ex combuſtione ferebatur ad ſuperiora, vocabatur odor quietis, odor fragrantiæ. Suavitas enim odoris mire demulcet ac delectat.

Verſ. 3. Redit nunc ad enumeranda vitia, quæ a nobis abeſſe vult, duplicemque libidinem, alteram voluptatum, alteram habendi

*Ne nominetur*, inquam, inter vos, id eſt, ut ne nomen quidem ejus uſurpetis: vel tam longe a vobis abſit, ut ne nominare quidem aliquando neceſſe ſit.

*Et turpitudo.* Turpiloquium intelligit, quod vel in libidinoſis ſermonibus poſitum eſt, vel in inverecundis ac diſſolutis, cum naturalia nimis libere proferimus.

*Stultiloquium* eſt ſcurrilitas, qualis eſt morionum, qui ſtultitiam etiam ſæpe ſimulant, ut riſus & cachinnos extorqueant.

*Tacetia*, ſales honeſtiores complectitur, ſed vel nimios, vel ad ſcurrilitatem vergentes, & ad riſum excitandum, non ad humanitatem & comitatem ac ſuavitatem converſationis remiſſionemque aliquam comparatos, eoſque valde moderatos, ac ſalis inſtar & condimenti alicujus adhibitos, nec a gravitate recedentes.

*Quæ non conveniunt.* Occurrit illis, qui hæc extenuare & elevare fortaſſe vellent.

*Sed magis gratiarum actio.* Unam piis & Chriſtianis convenientis ſermonis ſpeciem commemorat, ſed totum genus intelligit.

Verſ. 5. *Venit ita*, vel venire ſolet, vel ventura eſt ira nimirum illa ultima 1 Theſſ. 1. verſ. ult.

*Filii inobedientiæ* vel incredulitatis, id eſt, inobedientiæ, vel increduli, *ut filii iræ*, id eſt, iræ obnoxii. Filii obedientiæ, quorum inobedientia veluti mater eſt. Potius tamen *increduli*, ſcilicet ii, qui Chriſti religionem amplexi non ſunt, intelligi videntur propter ſequentia verba:

Verſ. 7. *Ne ſitis participes ipſorum*, nimirum, incredulorum & infidelium, ne ſitis ſocii eorum in ſceleribus ac flagitiis.

Verſ. 8. *Eratis enim tenebræ.* Subjungit cauſam, id eſt tenebricoſi. Abſtractum poſuit pro concreto, adjunctum prædicatur de ſubjecto per metonymiam, id eſt in ſumma Dei ignorantia, quæ tenebræ animi ſunt, verſabamini.

*Nunc autem lux eſtis*, nunc autem religione Chriſti colluſtrati eſtis.

*In Domino*, vel per Dominum & ejus religionem, vel quatenus religionem Chriſti amplexi eſtis.

*Ut filii lucis ambulate*, id eſt ita vivite, ita agite, ut homines tanta luce & cognitione veritatis illuſtratos decet.

Verſ. 9. *Fructus enim ſpiritus*, vel ut alii *enim* pro porro, vel autem. *ſpiritus* pro *lucis*, ut vulgata & alia quædam exemplaria habent. Vel ſi *enim* proprie ſumitur, & cauſam ſignificet, non ad proxime præcedentia, ſed ad ea, quæ de pietate in univerſum dixerat, referendus hic erit verſiculus.

*Per ſpiritum hoc* loco intelligere videtur, vel animum divinæ voluntatis cognitione illuſtratum, vel abſtracte ipſam notitiam divinæ voluntatis, & vim ex ea in animum noſtrum manantem, qua fructus ejuſmodi producuntur. Exprimit iſtos fructus:

*In omni bonitate, juſtitia, veritate.* Vel ſpeciales virtutes per hæc verba intelligi debent, vel in univerſum pietas Chriſtiana per hæc deſcribitur. Si hoc poſterius, tum unumquodque hoc loco diverſas veluti proprietates pietatis Chriſtianæ notabit.

*Bonitas* id omne, quod honeſtum eſt & decorum. Nam *bonum* pro honeſtate ſumitur.

*Juſtitia* id, quod juſtum ac debitum. Juſtum autem eſt omne id, quod divinis legibus præſcribitur, ac jure divino ſancitur.

*Veritas* ſinceritatem quandam ac puritatem, id eſt germanam ac genuinam, non adulteratam, non mixtura aliqua vitiorum, inſinceram pietatem. Sin prius: Bonitas beneficentiam ſignificabit, Juſtitia eam virtutem, quæ in tribuendo unicuique ſuo poſita eſt, veritas, candorem & veracitatem.

Verſ. 10. *Probantes*, primo inquirentes, explorantes, deinde etiam approbantes, id quod placet Domino.

Verſ. 11. *Infructuoſis.* Infructuoſa vocat opera per μείωσιν, nam non tantum ſunt infructuoſa; ſed etiam valde noxia & pernicioſa. Similis tropus Hebr. XIII. 17. Tenebrarum, vel quæ tenebris conveniunt, vel quæ ex tenebris & ignorantia divinæ voluntatis oriuntur: vel tenebræ ipſos homines divinam voluntarem ignorantes ſignificant, ut verſ. 8.

Verſ. 12. *Potius reprehendite*, redarguite. Ita reprehendi ea vult a nobis & corripi, ut ea plane mala eſſe demonſtremus, convincamus & redarguamus. Videtur alludere ad tenebras veras, & ea quæ in tenebris fiunt, in iis enim honeſti ac decori, non tanta ſolet haberi ratio, vide Rom. XIII. Oſtendit autem facile hæc poſſe redargui & convinci, cum & nominare ea ſit turpe, in verbis ſequentibus.

Verſ. 13. *Omnia autem a luce.* Cauſam affert, cur Chriſtiani homines ea redarguere debeant, quia manifeſtantur, id eſt, eorum turpitudo apparet, cum a luce, id eſt, hominibus divina voluntate illuſtratis, reprehenduntur.

*Omne enim quod manifeſtat lux eſt*, id eſt, lucidum eſt. Cauſam affert, cur ea a luce redarguantur; quia omne quod manifeſtatur, lucidum redditur, & luce colluſtratum apparet, ac lucem veluti participat. Lucidum autem reddi nihil, niſi a luce poteſt. Quare cum nonniſi a Chriſtianis, qui veritatis luce ſunt colluſtrati, vitia illa ethnicorum redargui, & eorum turpitudo demonſtrari poſſit, conſequens eſt ut ipſi ea redarguant, *Quia a luce res* manifeſtantur, & in apertum producuntur, quæ abſente ea latent, & non apparent.

Verſ. 14. *Propterea dicit*: Sed quis? Non eſt veriſimile extitiſſe hæc verba ipſa alicubi in ſcriptura: nunc certe non extant. Sed videtur potius ſenſum earum ſententiarum, quæ hinc inde in ſcriptura continentur, expreſſiſſe apoſtolus, & ad initium cap. VI inprimis alluſiſſe. Niſi quis velit hæc verba monitionem quandam divinam eſſe, quam Deus per ſervos ſuos hominibus identidem inculcat ac intimat.

Quidnam dicit? *Excitare qui dormis*, ſomno nimirum vitiorum & ignorantiæ ſopitus, imo ſepultus.

*Et illuceſcet tibi Chriſtus*, & Chriſti doctrina, quæ veluti ſol radiat & lucet, ſtatim oculos tuos feriet: quaſi dicat, aperi ſolummodo oculos tuos, ac veternum excute, ſtatim clarum ſolis jubar videbis. Non dormiendi nunc tempus eſt, cum nox præteriit & dies lucet.

Verſ.15. *Videte igitur*, id eſt, diſpicite, date operam, ut quam accuratiſſime vos geratis, quo veſtris tum dictis tum factis aliorum vitia in ruborem detis & traducatis.

*Non ut inſipientes.* Id eſt, non ut inſipientes & imprudentes ſolent ac conſueverunt agere, qui alios corrigere nequeunt, & ipſi facillime corrumpuntur; ſed quemadmodum decet ſapientes ac prudentes.

Verſ.16. *Redimentes καιρὸν*, id eſt opportunitates & commodas occaſiones ne patiamini vobis effluere & elabi; ſed iis eſtote intenti, & cum diſpendio etiam aliquo ac rerum veſtrarum detrimento eas ſervate perituras, eoque veluti pretio earum jacturam redimite. *Quia dies ſunt mali.* Non dies proprie, ſed homines: diebus tamen malitia tribuitur, quia per malitiam tranſiguntur.

Verſ.18. *In quo eſt diſſolutio.* Hic jam ſpeciale vitium taxat, ebrietatem. Ἀσωτία eſt vita diſſoluta, vita inordinata atque confuſa, omni conſilio carens, qualis eorum eſſe ſolet, qui temulenti ſunt, & quibus rationis uſum Bacchus eripuit.

*Sed impleamini in ſpiritu.* In redundat per pleonaſmum. Spiritus hoc loco eſt vis quædam divina & veluti mentis quidam motus ac raptus, quem in nobis excitare ſolemus, cum diligenter divinam gratiam, qua nos complexus eſt, rimamur ac conſideramus, & religioſis quibuſdam cogitationibus animum implemus, ac cæleſti quodam ardore inflammamus, & alacritate vegetamus, ad laudes Deo dicendas. Opponit hanc ſpiritualem lætitiam ac veluti ebrietatem quandam illi carnali.

Verſ.19. Quam deinde conſequuntur *pſalmi, hymni, cantiones ſpirituales.* Pſalmi proprie erant cantiones, quibus inſtrumento aliquo muſico accinebant, quarum nænia poteſt eſſe materia ut ex pſalmis Davidicis patet. *Spirituales* carnalibus opponuntur & profanis, quales ſunt ebriorum. Hymni videntur fuiſſe cantiones abſque inſtrumento muſico numinis laudes prædicantes. Cantionis ſpiritualis ſunt genera. Reſpicit apoſtolus in his nominibus ad ea quæ olim fiebant, ut erant pſalmi ab hymnis diſtincti.

*In corde veſtro, domino.* Cor eſt veluti inſtrumentum quoddam muſicum, quod pulſare debemus & in illo modulari, proferentes ſonos ac verba.

Verſ.21. *Subjecti vobis ipſis*, id eſt alii aliis. *In timore Dei.* Deum hac in parte metuentes ac reſpicientes. Huic merito apte ſubtexit officium uxorum erga maritos. Jam enim incipit certarum perſonarum officia perſequi.

Verſ.22. *Sicut Domino.* Sicut eſt nota ſimilitudinis, non æqualitatis.

Verſ.23. Cauſam addit, *quia vir eſt caput uxoris*, quia vir habet imperium in uxorem, ſed imperium benignum, quale eſt capitis in membra, cum quibus ſummam conjunctionem habet, quæ ſi lædat aut inclementer tractet, ſeipſum lædit. Sui igitur rationem habere cogitur.

*Quemadmodum Chriſtus eſt caput eccleſiæ.* Quare ſicut domino vos ſubjicitis, quia eccleſiæ membra eſtis, cujus caput eſt Chriſtus; ita vos uxores ſubjicite vos viris, qui veſtrum ſunt caput.

*Et ipſe eſt ſalvator corporis.* Salvator, qui & fecerit, & faciat, & facturus ſit ea, quæ ad ſalutem, ſcilicet æternam eccleſiæ faciunt & ſpectant. Tacite viros Chriſto conferre videtur, ut & illi Chriſtum imitentur, & id quod ſaluti reſpondet, id eſt incolumitatem, vitæque commoditates ſuis uxoribus præſtent.

Verſ.24. *Sed ſicut eccleſia. Sed* pro *itaque* per enallagen particularum iſtarum, vel etiam perinde eſt ac ſi diceret: ſed ut ad rem redeam.

*Subjicit ſe Chriſto*, vel ſubjicere ſe debet, ſeu jure ipſo ſubjecta eſt, vel actu ipſo ſubjicit ſeſe, nempe illa vera & inviſibilis, quam vocant.

*Ita & uxores propriis viris*, ſcilicet ſe ſubjicere debent. Non enim de actu ipſo loquitur apoſtolus, aut laudat uxores, ſed præceptum illis dat, & quid illorum officii ſit exponit.

*In omni.* Quodcunque voluntati divinæ non repugnat; precibus tamen agere, & maritorum imperia duriora eo pacto declinare licet, dummodo preces ſint cum humilitate & obſervantia conjunctæ, & rationis aliquid habeant & marito decernendi relinquant libertatem.

Verſ.25. *Viri diligite.* Jam tradit præceptum viris, & ex eadem cum Chriſto comparatione & ſimilitudine elicit, nempe ut ament ſuas uxores, quemadmodum & Chriſtus dilexit eccleſiam, & quidem tantopere, ut ſe in mortem ejus cauſa tradiderit. Finem mortis Chriſti pro eccleſia ſuſceptæ exprimit.

Verſ.26. *Ut ipſam ſanctificaret.* Ipſam materialiter, non formaliter ſumtam, in ſenſu diviſo, ut ſcholaſtici loquuntur, non compoſito, id eſt homines omnes qui nunc eccleſiam conſtituunt, olim profanos: ut illos per veritatis cognitionem, a profano hominum vulgo ſegregaret, & ad vitæ ſanctimoniam traduceret.

Καθαρίσας poſtquam abluiſſet proprie; ſed aoriſtus præſentis habet ſignificationem: modum enim explicat, quo fuit ſanctificata.

*Lavacro aquæ.* Alludit ad morem lavandarum ſponſarum.

*In verbo.* Oſtendit, quale lavacrum hoc fuerit, nimirum id quod fit per verbum ſeu euangelium.

Verſ.27. *Ut ſiſteret eam ſibi glorioſam &c.* Glorioſam, id eſt ſplendidam, pulchram, formoſam, nitidam, quemadmodum ſponſæ ſolebant ac ſolent in gratiam ſponſorum omnibus modis ornari. Τῷ ἐκκλησίαν ſubjectum eſt, & refert pronomen ἑαυτῷ, quaſi dicat, id eſt eccleſiam.

*Non habentem maculam &c.* Explicat, quid per illud ἔνδοξον intelligat: in ſponſam enim omnium oculi converſi ſunt; unde fit, ut ſi quid turpe aut inelegans & indecorum ſit, ab omnibus reprehendatur.

Verſ.29. *Sed nutrit ac fovet eam.* Id eſt carnem, id eſt victum & amictum illi ſuppeditat.

*Quemadmodum & dominus eccleſiam* fovet ac nutrit. Ipſius curam ac benignitatem in eccleſiam exprimit.

Verſ.30. *Quia membra ſumus.* Cauſam addit, quemadmodum quis corpus ſuum alit ac fovet; ita cum nos Chriſti corpus ſimus, ab eo fovemur & alimur.

*Ex carne ipſius &c.* Alia hic videtur contineri cauſa, quod ex ipſo originem trahamus, ipſique ſimiles ſimus, ac proinde ſumme & arcte cum eo conjuncti & connexi. Alludit enim ad Evam, quæ ex coſta viri facta fuit: propterea illa conſpecta Adamus dixit caro ex carne mea, os ex oſſe meo. Non dubium eſt, quin ſpiritu divino motus hæc verba protulerit; ſed poſſunt

etiam

etiam id tantum ſignificare, quod Eva illi fuerit ſimilis. Nam in Hebræo eſt: Hac vice caro ex carne mea, & os ex oſſe meo, quaſi dicat: Antehac, cum animalia omnia luſtrarem, nihil vidi, quod mecum aliquam conjunctionem & ſimilitudinem haberet; ſed nunc plane huic acquieſco, quæ tantam mecum ſimilitudinem habet, ac ſi ex mea carne ac oſſibus nata eſſet. Laban ad Jacobum nepotem ex ſorore Geneſ. xxix. ait: Caro mea & os meum. Notatur igitur his verbis ſumma conjunctio eccleſiæ & Chriſti, quæ ex illo ortum ducat, ac ſpiritualis, ut ſic dicam, naturæ vinculo illi copulata ſit.

Verſ. 31. *Et erunt duo in carnem unam*, id eſt, ratione corporis inter ſe unientur. Vir & fœmina veluti unum corpus ſunt.

Verſ. 32. *Myſterium hoc magnum eſt.* Id eſt, magnum & eximium plane his verbis myſterium, id eſt doctrina continetur & occultatur, non ratione viri & mulieris, ſed ratione Chriſti & eccleſiæ, quod ſcilicet & Chriſtus adhæreſcat eccleſiæ, & eccleſia Chriſto, ut unus fiant ſpiritus, quemadmodum alibi ait 1 Cor. 6. 17.

Verſ. 33. *Verum tamen & vos.* id eſt, licet hæc verba myſterium contineant, ad Chriſtum & eccleſiam ſpectans: vel potius, licet tantopere extollam myſterium Chriſti & eccleſiæ conjunctionem, eamque conjunctioni conjugum præferam, nihilominus tamen jubeo ut vos viri uxores ametis ut voſmet ipſos.

## CAP. VI.

Verſ. 1. *Liberi* &c. Abſolvit unum par apoſtolus eorum, inter quos imperium verſatur, & parendi neceſſitas, id eſt, maritum & uxorem, officia eorum præſcribens. Nunc alterum par ſubjungit, ac liberos & parentes inſtituit, & primo quidem liberis præcepta dat.

*In Domino.* Horum verborum explicationem habes in epiſtola ad Coloſſ. 3. 18. Ubi, in præcepto, quod uxoribus dat apoſtolus, addit: quemadmodum convenit in Domino, quæ verba poſtmodum in liberorum officio omittit. Itaque in Domino hoc loco, eam vim habet, ac ſi diceret apoſtolus: quemadmodum decet ac convenit eos facere, qui Chriſto nomen dederunt, ejuſque ſanctiſſimam religionem profitentur.

*Obedite in Domino*, ſignificare etiam poteſt talem obedientiam, quæ cum Chriſti præceptis conveniat, id eſt, liberos non debere obedire in iis, quæ Chriſti præcepta vetant ac prohibent. Sed prior ſenſus verior eſt. Affert rationem apoſtolus:

*Hoc enim juſtum eſt.* Quæ ratio magis cum priori ſenſu convenit. Non enim id juſtum eſſe hoc loco dicit, ut Chriſto potius obediamus, quam parentibus: ſed ſimpliciter ut parentibus obediamus. Juſtum autem hoc eſſe probat allato præcepto decalogi.

Verſ. 2. *Honora patrem tuum &c.* Honor ille duabus in rebus potiſſimum conſiſtit: primo in obedientia: deinde, ut parentum, ſi opus ſit, curam habeamus illiſque proſpiciamus & vicem rependamus; quemadmodum jubet facere nepotes apoſtolus 1 Tim. 5. 4, 8. Idemque contineri docet ſervator in hoc præcepto decalogi honorandorum parentum, dum oſtendit phariſæos abrogaſſe iſtius præcepti vim: cum hominibus perſuaſerunt, illos ad ſublevandum parentes non fore obſtrictos, qui id, quod in eorum uſus converſuri erant, Deo conſecrarent. Mavult enim Deus miſericordiam quam ſacrificium: mavult pecuniam impendi in neceſſitates parentum, quam ſibi in munera, quibus non indiget. Alibi etiam ſæpe occurrit vocis iſtius τιμᾶν idem uſus, ut in illo ad Timotheum citato loco verſ. 3, 7.

Quæ ſequuntur verba, *quod eſt primum &c.* tam poſſunt in parentheſi legi, quam extra parentheſin, id eſt, ut ſequens verſiculus. *ut tibi bene ſit*, promiſſionis iſtius ſit explicatio, & ſubaudiatur vocula *nempe* poſt vocem *promiſſionis.*

*In promiſſione*, id eſt, cum promiſſione. Nam etſi poſt ſecundum præceptum addita fuerit & comminatio impiis, & promiſſio piis, ac ſervantibus divina præcepta uſque ad mille generationes, tamen hæc promiſſio non uni alicui præcepto ſeorſim, ſed omnibus fuit addita. Hoc autem eſt primum, cui ſigillatim promiſſio adjuncta eſt, ut oſtendatur præcepti iſtius magnitudo ac præſtantia. Primum autem cum promiſſione dicitur, non ratione ſequentium aliquorum ejuſmodi, (nam nulli in decalogo promiſſio aliqua ſeorſim appoſita eſt) ſed quia etiam aliis promiſſio addi potuiſſet, licet addita non fuerit. Sic ſolemus interdum dicere, primogenitum, vel primum librum ab aliquo editum, etſi forte tantum unicus ſit ab eo editus, quia alii adhuc ſequi poſſint.

Verſ. 3. Sequitur ipſa promiſſio. *Ut bene ſit tibi.* Duo promittuntur, felix vita, commodis nimirum variis affluens, & longa. Quæri poſſet, num hæc promiſſio hodie eandem vim habeat. Reſpondendum eſt, habere, quantum ratio Chriſtianæ religionis permittit. Nam iſta verba, *ſuper terram*, de terra illa Chananæa literali ſenſu accipi debent, quæ promiſſio nunc nullam vim habet. Deinde, omnes terrenæ promiſſiones, neſcio quomodo ab illis cæleſtibus amoventur, atque illorum vis quodammodo abrogatur. Dubium tamen eſſe non debet, quin Deus etiam in hac vita perſæpe pietatem in parentes compenſet.

Verſ. 4. *Et vos parentes.* Jam tranſit ad parentes, quibus duo præcipit. Primum, *Patres ne provocate ad iram liberos veſtros.* Patres nominat, ſed includit ſimul & matres, quæ blandiores eſſe ſolent in liberos, iiſque magis indulgent. Quod hic dicit παροργίζειν, in epiſtola ad Coloſſ. extulit per ἐρεθίζειν, id eſt, irritate. Irritatur autem, cum aſpere nimis ac rigide tractatur, quod multis in rebus poteſt fieri, vel quia verberibus nimium ac ſæpe mulctantur, præſertim ſi exigua aut etiam nulla de cauſa id fiat. Callum enim tandem obducunt, & excuſſis pudoris repagulis omnem authoritatem parentum proſternunt ac pedibus conculcant: vel etiam cum ſemper auſteram & contractam parentem frontem vident & intuentur, aut nil niſi convicia audiunt; vel cum parentes nimium in ſe parcos & reſtrictos experiuntur. Hæc enim omnia & alia his ſimilia excutere filiis erga parentes poſſunt amorem illum, quem ipſis natura inſevit, & vertere in odium. Nam amore carentem parentem, quid mirum eſt, ſi non amet filius? Si naturam exuere potuerit pater, quid mirum filium illam exuere? In epiſtola ad Coloſſenſes addit apoſtolus cauſam, ne, inquit, animum deſponderent, ne velut in deſperationem quandam acti, omnem obedientiam ac metum excutiant: vel etiam ne animum demittant & dejiciant ſervilem in morem.

Alterum eſt, cum addit: *Sed enutrite ipſos* &c. ſed illos educate, in tali diſciplina, quæ ſit conformis domino, ejuſque ſanctiſſimæ religioni ac doctinæ; qualem decet adhibere illos, qui Chriſtianæ religionis ſunt participes. Notandum autem eſt, apoſtolum hic potiſſimum loqui de liberis, qui nondum ſunt emancipati, id eſt, qui adhuc ſunt ſub parentum imperio, & ab iis pendent. Nam qui jam ſunt ſui juris & ſeorſim habitant, non videntur iis injuriis ita expoſiti eſſe, quæ a parentibus proficiſci poſſint, ut ii qui adhuc in paternis ædibus vivant. Jam vero quam diu liberi in parentum tutela & juriſdictione ſunt, tam diu verbum hoc enutriendi illis competere poteſt. Parentum enim opibus enutriuntur, donec eo perveniant, ut ſibi ipſis proſpicere & ſui juris eſſe queant. Quanquam voluit apoſtolus eos etiam complecti, qui teneriores ſunt, & horum potiſſimum ratione educandi verbo uſus eſt.

Verſ. 5. *Servi obedite.* Tertium par eſt, ſervorum & dominorum: Vocat dominos ſecundum carnem, ut eos a domino ſecundum ſpiritum diſcernat. Vocantur enim domini ſecundum carnem, quod in carnem non vero in animum & conſcientiam imperium habeant; quodque in eas tantum res, quæ ad carnem, id eſt, ad hanc præſentem vitam ſpectant, ejuſque commoda & uſus, imperium eorum extendatur.

*Cum metu & honore*, id eſt, anxie & ſolicite, ſumma cura, quemadmodum ii ſolent, qui aliquem valde metuunt. Metonymia cauſæ pro effectu. Eodem modo loquitur apoſtolus de Corinthiis, qui Titum cum timore ac metu ſuſceperint 2. Cor. VII. verſ. penultimo, id eſt, quod ſolicite & anxie caverint, ne ei ulla in re diſplicerent, eumque offenderent, cujus poſtmodum apud Paulum ab illo accuſarentur, ſed ſummo ſtudio operam darent, ut illi placerent. Idem etiam apoſtolus vult, ut cum timore & metu ſalutem noſtram perficiamus, id eſt, diligentiſſimo ſtudio ac cura adhibita.

*In ſimplicitate cordis*, id eſt, ſincere, uno veluti corde, non duplici. Duplex enim cor & animus in iis eſt, qui dant operam, ut exteriori quadam ſpecie placeant, animo id interim non curantes; non ſolum quia externa ſpecies cum animo non conſentit, ſed etiam quia animus ipſe veluti in partes diſtrahitur. Nam etiam exterior iſta ſpecies, ſine animo ſimulari nequit. Hoc eſt, quod Hebræi in hominibus ejuſmodi inſinceris dicunt eſſe cor & cor, id eſt, non unum cor ſed duo.

*Tanquam domino*, id eſt, eo modo, quo domino Jeſu Chriſto ſerviendum eſt, quem externa ſpecie nemo deludet, utpote qui animum ipſum ejuſque ſecretiſſimas cogitationes & conſilia rimatur.

Verſ. 6. *Non ſecundum oculorum &c.* Explicat pluribus verbis apoſtolus; quaſi dicat, non eo modo ſerviatis, quo ſolent illi, qui ad oculum ſerviunt, id eſt, qui officium tantum demum faciunt, cum dominorum præſentiam ſentiunt, & in ipſorum oculis quippiam agunt, ſed ubi dominus oculos averterit, ceſſant.

*Vt hominibus placentes*, ut ii, qui hominibus tantum placere volunt, qui de occultis non judicant, ſed tantum de rebus apertis & manifeſtis, animum ipſum & ſecretiores actiones non penetrant.

*Sed tanquam ſervi Chriſti*; ſed tanquam ii, qui Chriſto ſerviunt, qui illi ex animo placere volunt, vel tanquam ii qui Chriſto ſervitis, ſeu ejus ſervi eſtis.

*Facientes voluntatem Dei.* Ut omnem voluntatem, ita etiam hanc, quæ eſt, ut dominis ſummo ſtudio & ſincere ſerviatis. Continetur hic deſcriptio ſervorum Chriſti.

Verſ. 7. *Cum benevolentia.* Id eſt, animo in commoda dominorum ſuorum propenſo, eorumque cupido.

*Servientes domino.* Vel ſubaudiri debet particula ὡς, quæ etiam in nonnullis exemplaribus expreſſa eſt, quemadmodum in epiſtola 1 Theſ. 11. verſ. 13. vel ſimpliciter intelligendum, ſervos ipſi Chriſto ſervire, cum dominis ſuis fideliter inſerviunt, non hominibus, quemadmodum expreſſe in epiſt. ad Coloſſ. 3. ait: Scientes, quod a domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino enim Chriſto ſervitis. Ideoque hic etiam ſubjicit ſtatim:

Verſ. 8. *Scientes* &c. Unde apparet eos domino Jeſu ſervire, & ab eo præmium accepturos eſſe, cum officium ſuum ex animo faciunt, & quidem Chriſti cauſa. Dicuntur autem bonum, quod fecerunt, laturi, quia id referent, quod iſti bono ſit conveniens ac conſentaneum, quodque illi reſpondet ac quadrat, & cujus hoc bonum cauſa eſt.

*Sive ſervus* &c. Sine ullo conditionis diſcrimine. Hoc addit, ne vel ſervus animum deſpondeat, neve deſperet ob ſuam vilitatem, vel liber pœnam ſecure contemnat, ob ſuam in hac vita dignitatem.

Verſ. 9. Jam tranſit ad dominos. *& vos domini* &c. Eadem, inquit, κατ' αυτὰ, non quia proprie eadem, ſed quia condigna talibus ſervitiis. Reſpondete eorum officiis pari officio & benignitate:

*Remittentes comminationem.* Quia de comminatione in ſingulari loquitur, videtur non hoc velle, ne iis minentur, id eſt, non de actu comminandi loqui, ſed potius de minacitate quadam, hoc eſt, de ſeveritate, aſperitate, auſteritate & rigore; de quo eos remittere vult apoſtolus.

*Scientes quod & vos* &c. Scientes quod & vos dominum habeatis. Quocirca qualem vultis dominum erga vos experiri, tales vos aliis præbete. Quod ſi rigidi nimium & ſeveri fueritis in veſtros ſervos, idem vobis expectandum erit a domino veſtro.

*In cælis.* Licet in terris forte nemo ſit, qui in vos dominetur, ſed eſt in cælis omni terreno dominio major & auguſtior.

Verſ. 10. *Quod reliquum.* Denique ſeu ad extremum. Revertitur ad monita generalia, quæ ad omnes ſpectant.

*Corroboramini.* Acquirite & ſumite vires ac robur. *In domino.* Oſtendit, tum unde robur hoc mutuari & petere debeant, tum de quali robore ac viribus loquatur, ſcilicet non corporis, ſed animi, iiſque ad religionem & pietatem Chriſtianam pertinentibus. Propterea addit:

*Et in robore virium ipſius.* Robur virium, ſunt robuſtæ vires. Jubet autem apoſtolus, ut eas acquiramus ipſi, quia id in noſtra poteſtate eſt. Vires enim iſtæ acquiruntur, ex diligenti verbi divini meditatione ſeu promiſſorum divinorum,

quæ

quæ cum perpendimus, excutimus, rimamur, cæleſti quodam robore implemur. Acquiruntur precibus ardentibus & aſſiduis, acquiruntur denique vitæ pietate, qua digni efficimur, ut ſpiritum ſanctum conſequamur.

Verſ. 11. *Induite* πανοπλίαν. Alludit ad milites, quos non ſatis eſt viribus pollere, ſed etiam armari oportet ad pugnam, licet in hac armatura ſpirituales illæ vires revera conſiſtant. Πανοπλία autem eſt armatura integra, cui nihil deſit, quod ad tegendum corpus & ad feriendum hoſtem requiritur. Addit autem *Dei*, ut oſtendat, ſe de divinis & cæleſtibus armis, non de humanis ac terrenis loqui. Cauſam autem iſtius rei, id eſt, cur & vires illas & armaturam comparare debeamus, ſtatim reddit, quam poſtmodum latius explicat & exaggerat.

*Ut poſſitis ſtare*, id eſt, ut poſſitis fortiter ſuſtinere, ſeu conſiſtere adverſus μεθοδείας *diaboli*, hoc eſt ejus artes ac callidos inſultus, ejus dolos, quibus rem agit.

Verſ. 12. *Cum carne & ſanguine.* Id eſt, cum hominibus fragilibus, cum quibus ut pugnemus, tantis viribus & tali armatura non eſt opus.

*Sed adverſus principatus.* Non addit, quales, ſed ex re ſubjecta facile eſt intelligere, niſi illa verba ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ubique ſubintelligi velimus. Principatus autem ſunt primi principes & capita exercituum malorum ſpirituum. Inter quos eſt unus præcipuus, & authoritate quadam ac dignitate eximius, quemadmodum inter plures ſocios unus aliquis eminet, non qui cæteris imperet, ſed illis præeat: adeo ut reliqui omnes ejus nomine cenſeantur; ut olim Romanorum erant plures ſocii, inter quos Romani primum tenebant locum, & præcipui erant, eorumque nomine cæteri continebantur.

*Poteſtates.* Hac voce, etiamſi ſumma poteſtas ſignificari poſſit, & ſæpe ſoleat, tamen ſua natura inferiorem & a ſuperiore dependentem ſignificare poteſt, nam ejus origo eſt ab ἔξεστι, *licet*. Licentia autem a ſuperiori ſumi ſolet.

*Adverſus mundi potentes*, id eſt, mundi dominos, qui mundo imperant, licet nullo jure; ſed quia homines ultro ſeſe iis ſubjiciunt, imperium Dei invaſerunt, hominibus divinas leges excutientibus. Quia vero mundo imperant, eumque regunt, ac homines ad obediendum pronos habent, facile eos adverſum vos incitare poſſunt, & magnas in vos copias educere.

*Tenebrarum hujus ſeculi.* Per appoſitionem ad vocem mundi hæc verba legi debent, quaſi dicat, principes mundi, id eſt hominum in tenebris & ignorantiæ caligine verſantium, quales nimirum in hoc ſeculo vivunt.

*Adverſus ſpiritualia malitiæ. Spiritualia* eſt adjectivum pro ſubſtantivo, id eſt, ſpiritus malitiæ, ſeu ſpiritus malos. Genitivus enim ejuſmodi ſæpe adjectivi ſignificationem habet. Vocantur autem mali, quia etiam improbi ſunt, & libenter nocent. *In cæleſtibus*, id eſt, in ſublimioribus partibus aëris ſup. 2. 2.

Verſ. 13. *Propter hoc* ἀναλάβετε, veluti manu arripite arma, iis vos induturi ac munituri.

*In die mala*, id eſt, tempore tentationis ſeu afflictionum. Mali dies vocantur, quia nobis ſunt noxii ac moleſti.

*Ut omnibus peractis*, omnibus defuncti officiis, quæ Chriſtianos milites facere conveniebat.

*Stare*, id eſt, conſiſtere, non vertere terga, ſed campum obtinere, victoria potiri: quemadmodum ſolet victor exercitus, ſeu miles, qui depulſis, & in fugam verſis hoſtibus campo potitur, non jacet proſtratus, vel fugam capeſſit. Stare etiam pugnantium eſt aut pugnam expectantium, ut in ſequentibus, ſed hoc loco eorum qui vicerunt.

Verſ. 14. *State igitur*, id eſt, eſtote parati ad hoſtem irruentem excipiendum. Similitudo ducta eſt a militibus, qui in acie ſtant, vel etiam intra vallum, quæ altera eſt hujus vocis *ſtandi* ſignificatio. Nam verſ. 13 eſt eorum qui vicerunt. Hæc eſt militum ad pugnam capeſſendam paratorum & expeditorum, quibus nihil jam deeſt præter hoſtem.

*Præcincti lumbos in veritate.* Incipit enumerare partes iſtius panopliæ. Prima pars eſt cingulum militare. Ante omnia enim cinctura opus eſt, ut veſtes fluxæ firmiter corpori adhæreant, alioquin ejus motum impedituræ. Cingulum autem hoc eſt veritas. Particula *in* abundat. Veritas iſta ſignificare poteſt veritatis notitiam. Ad hanc enim pugnam capeſſendam & ſuſtinendam primo omnium opus eſt, ut quis in divina veritate bene ſit verſatus & exercitatus, optimeque perſpectum habeat, cujus cauſa illi tanta mala & pericula ſint adeunda. Sed ſignificare etiam hoc loco poteſt *veritas* candorem & ſinceritatem animi, qua animus præparatur ad pugnam, ut nolit veritatem diſſimulare vel abnegare. Homini enim ſincero & aperto gravius eſt animum occultare, quam quodvis ſuſtinere & pati. Aperte agit vir candidus, ſimulationis artes ignorat.

Secundum membrum panopliæ eſt, *primo thorax juſtitiæ*, qui eſt juſtitia, ſecundo omnis generis virtutes & recte facta, ex quibus recta oritur conſcientia, quæ nos mirifice confirmat in tolerandis pro veritate malis. Hinc quidam recte;

——— Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Virtutes etiam ſunt veluti murus quidam animi, qui obſtat, ne uſquam irrumpere poſſit ſatanas. Moderantur enim animi cupiditates, eaſque regunt. Qui autem cupiditates habet frenatas, is rebus adverſis parum movetur, nec ademtis iis bonis, in quæ cupiditas fertur, dejicitur; quod ſi alicubi deficit virtus, illuc facile irruet ſatanas.

Verſ. 15. Tertia pars eſt pedum munimentum, ſeu ocreæ quædam militares. *Induti pedes* ἐν ἑτοιμασίᾳ. Promptitudo eſt hoc indumentum, quæ promptitudo videtur eſſe animi alacritas ad capeſſendam pugnam, qualis in bonis militibus eſſe ſolet; quam *euangelii pacis* eſſe dicit, quia per nuncium iſtud lætum æternæ pacis, id eſt felicitatis, excitatur ſpes; adeo ut euangelium pacis ſit veluti claſſicum quoddam & tubarum concentus, ſeu ſonitus tympanorum, quo milites ad pugnam animari & excitari ſolent. Forte etiam, ut vult Muſculus, alluſerit apoſtolus ad nuncios bellorum, quibus homines militares mirifice eriguntur. Hinc cum tympana pulſantur, & delectus militum habetur, lætum nuncium id appellant, & pugnæ ſe parant, ac nomina ſua inter milites profitentur. Quemadmodum autem nuncium belli milites mundanos excitare ſolet & erigere, ita etiam nuncium hoc pacis milites Chriſtianos alacritate implere. Vel ſi quis malit hunc eſſe ſenſum, ut promptitudo iſta, qua pedes muniri debent, referatur ad annuncian-

dum

dum euangelium pacis, qui enim aliquid annunciat, venire ex aliquo loco ſolet. Hinc illud Rom. 10. 15: quam jucundi pedes annunciantium pacem. Quiſque enim Chriſtianus, cui hæc armatura præſcribitur, ſuo modo annunciat euangelium profeſſione, vita & morte ſi eſt opus; vel denique inſtructum eſſe euangelio pacis vult apoſtolus.

Verſ. 16. *Super omnia*, vel imprimis, vel inſuper, *aſſumpto clypeo fidei*. Fides hoc loco firmiſſimum aſſenſum Chriſti doctrinæ præbitum ſignificat, aut fiduciam eam, qua quis ſibi certo perſuadet Deum ſibi ad pugnam adfuturum. Fides enim hoc loco fiduciam æternæ ſalutis non ſignificat. Nam hac ratione a galea ſcutum hoc non differret. Spes enim ſalutis fiduciam iſtam in ſe continet. Uſum iſtius clypei deſcribit:

*Quo poteritis omnia tela*. Telum eſt quod è longinquo venit, ut lædat & fauciet. Tela autem iſta ignita ſunt ea omnia, quibus ſatanas animum noſtrum vulnerare vult, ſive ſint mala & afflictiones, ſive etiam varii ſcrupuli & argumenta, quibus ille nos tentat, & veritatem euangelii in dubium vocat. Extingui autem ſolet telum ignitum, cum impingitur tali materiæ, quę ignem difficulter concipit.

*Et galeam ſalutaris*. Salutare hoc loco, ut alibi etjam ſalutem ſignificat, quemadmodum cum dicitur, & videbit omnis caro ſalutare Dei. Salutem autem capiti imponere debemus, ſpe, veluti manu, acceptam. Hinc in 1 epiſt. ad Theſſal. cap. 5. 8 dicit galeam, quę eſt ſpes ſalutis. Salus igitur eſt galea, quatenus ſpe ſumitur & apprehenditur.

*Et gladium ſpiritus*, ſpiritualem, qui eſt verbum Dei, quo hoſtes & repellere & vulnerare etiam poteritis.

Verſ. 18. Quia ad militiam alluſerat, etiam ad excubias & vigilias alludere videtur, quæ ſunt in milite Chriſtiano preces. *Per omnem precationem*, id eſt, omnis precationis genere utentes: precatione precari Hebraiſmus eſt, & ſignificat intente precari, quemadmodum de Elia loquitur Iacobus cap. ultimo.

*In omni tempore*, id eſt, ſemper: non tantum certis & ſtatis temporibus, ſed qualibet hora, vel ſi fieri poteſt, quovis momento. Omne tempus autem etiam locorum delectus tollit.

*In ſpiritu*, id eſt, ex corde, ex animo, non ore tantum, ſed mente. Præterea etiam ardenter ſeu devote, & cum quadam religioſa mentis commotione, qua nos impleri etiam vult apoſtolus, ut ſupra vidimus cap. 4.

*In hoc ipſum vigilantes*, id eſt, intenti in preces, & omnes occaſiones ſtudioſe captantes, nullam prætermittentes. Similitudine ſumta ab iis, qui alicui rei invigilant, & fortaſſe etiam innuens, ut ſomno aliquid demamus, eumque ſubinde precibus interrumpamus.

*In omni perſeverantia*, nunquam defeſſi & fatigati ſeu relangueſcentes, ſed conſtantes hac in re ſitis. Solemus enim interdum de hac diligentia, quæ carni noſtræ admodum eſt moleſta & laborioſa, remittere. Magna enim animi contentione eſt opus, qua cito homines veluti gravari ac fatigari ſolent, quod ne fiat, monet apoſtolus. Quanquam & hæc perſeverantia ita accipi poteſt, ut ſignificet, nos debere Deum, veluti urgere ac illi inſiſtere, donec id quod petimus, obtineamus, etiamſi ſæpius repulſam feramus, præſertim cum videmus aliquid divinæ voluntati congruum eſſe.

*Et precationem pro omnibus ſanctis*. Quaſi dicat, non tantum preces pro vobis ipſis adhibete tanta diligentia, ardore, conſtantia, ſed etiam pro omnibus ſanctis.

Verſ. 19. 20. *Et pro me*. Nominatim autem pro me, *Pro* quo (euangelio) quod ut patefaciam & promoveam, legatione fungor catena revinctus ad manum.

Verſ. 23. *Pax fratribus*. Quia paci adjungit charitatem & fidem, videtur pax non de felicitate, ſed proprie accipienda, hoc eſt, de concordia & animorum conjunctione ac conſenſu, quæ voci *fratribus* adjuncta, pacem indicare etiam videtur. Ideo enim fratres eos nominat, ut hoc ipſo concordiam perſuadeat.

Verſ. 24. *In incorruptione*, id eſt, ſincere. Amor enim inſincerus corruptus eſt: & præterea indefinenter ac perpetuo, cum enim deſinit amor, corrumpitur; vel ſi quis velit, poterit de morum integritate ac vitæ incorruptione hæc verba accipere.

PARA-

# PARAPHRASIS

## *In Epiſtolam Pauli*

## *AD*

# EPHESIOS.

### CAPUT I.

Verſ. 1. EGo Paulus, legatus Jeſu Chriſti, Deo ita volente, iis qui Epheſi degunt per agnitionem veritatis a profano hominum vulgo ſeparatis, hoc eſt iis, qui doctrinam a domino Jeſu Chriſto promulgatam ſunt amplexi:

Verſ. 2. Vobis, inquam, gratiam ac favorem precor Dei ſummi, qui ſe patrem nobis exhibuit; & domini, noſtri Jeſu Chriſti, atque ex eo favore manantem felicitatem.

Verſ. 3. Summis laudibus evehendus eſt Deus ille altiſſimus, pater domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cumulavit nos omni genere beneficiorum ſpiritualium ad cæleſtem felicitatem ſpectantium per Chriſtum.

Verſ. 4. Quandoquidem decrevit nos eligere [vel: idq; non temere ſed convenienter æterno illi decreto ſuo,] quod antequam fundamenta mundi ab ipſo jacerentur, fecit de nobis per eundem Jeſum Chriſtum vocandis atque ſeligendis, eum in finem, ut ſancti & inculpati evaderemus, non hominum tantum judicio, ſed judicio ipſius, idque per charitatem, quę ſanctificationis iſtius compendium eſt [vel: quod quidem fecit charitate erga nos ſua impulſus.]

Verſ. 5. Quo quidem tempore ſimul nos tantæ felicitati deſtinavit, ut conſtitueret nos propter ſemetipſum: [vel: ſibimet ipſi in filios adoptare per Jeſum Chriſtum,] nulla alia re permotus quam benevola ſua voluntate atque in nos affectu.

Verſ. 6. Quanquam ad laudem glorioſam gratię illius ſuæ, qua nos acceptos ſibi fecit, [vel: amplexus eſt] per unicum dilectum filium ſuum, in quem primum affectus ille Dei, de quo dixi, ferebatur.

Verſ. 7. Per quem adepti ſumus liberationis jus, interveniente ipſius ſanguine, quo novum fœdus fuit ſancitum, hoc eſt, jus remiſſionis peccatorum omnium obtinendę, quod beneficium manavit ex uberrima ipſius in nos miſericordia.

Verſ. 8. Quam in nos copioſiſſime effudit, dum nobis veram plenamque ſapientiam atque intelligentiam largitus eſt, patefaciendo nobis arcanam ſuam voluntatem, idque non aliam ob cauſam, quam ob benevolum illum ſuum, de quo antea diximus, erga nos affectum, quem in ſe ipſo acceperat, & firmo decreto ſanxerat.

Verſ. 10. Is vero id ſibi habebat propoſitum, ut, ubi expleta eſſent tempora ab ipſo diſpoſita ac conſtituta, velut in faſciculum aliquem colligeret per Jeſum Chriſtum, tanquam communem dominum ac caput omnium qui in cælis ſunt, & qui in terris, angelos nempe ac homines, tum hos cum illis, tum hos inter ſe, per ipſum, inquam, Chriſtum:

Verſ. 11. In quo etiam nos veluti ſorte partem aliquam accepimus, & bonorum ipſius participes evaſimus, non merito, ſed ob decretum ab eo de nobis factum, qui omnia hæc ad novam hanc omnium rerum reformationem pertinentia regit ac moderatur pro arbitrio ac voluntate ſua, hoc eſt, ab ipſo Deo, ut antea diximus.

Verſ. 12. Eum in finem, ut nos qui prius quam alii in Chriſto ſpem veram collocavimus, laudi ac honori ipſi ſimus & gloriæ.

Verſ. 13. Cujus opera cum effectum eſſet, ut & vos audiretis doctrinam veritatis: [vel: per quem (Chriſtum) etiam vos Epheſii, cum audiviſſetis ſermonem illum veraciſſimum,] hoc eſt, lætum illum nuncium de ſalute vera, per quem, inquam, etiam cum credidiſſetis veluti ſigillo quodam impreſſo notati atque inſigniti eſtis, donati ſpiritu illo ſancto, olim a Deo promiſſo.

Verſ. 14. Qui eſt inſtar arrhę cujuſdam in anteceſſum nobis datę, qua de hæreditate nobis deſtinata certi reddimur, duraturus eouſque donec redimatur aliquando ab iis, quibus premitur malis, populus ille a Deo Chriſtoque acquiſitus, & magno pretio comparatus, quod ipſum quoque ad laudem ipſius glorioſam cedere debet.

Verſ. 15. Ob hoc beneficium, vel, cum ergo Deus tanta in nos contulerit beneficia. [vel: Hac de cauſa ego quoque inter alios,] cum audiviſſem de vera fide, quam doctrinę a Domino Jeſu traditę attribuiſtis, & de charitate, qua omnes a Deo ſibi conſecratos complectimini,

Verſ. 16. Non deſino pro vobis gratias agere Deo, & nominatim mentionem veſtri facere in precibus meis.

Verſ. 17. Illud unice flagitans, ut ſummus omnium rerum Dominus, qui maxime extitit Domini Jeſu benefactor, eumque ad tantum imperium evexit: [vel:

Deus ille Domini nostri Jesu Christi, hoc est, pater, gloriæ illius cælestis, nobis obventuræ [ vel: tum ipsius tum noster glorioſus,] largiatur vobis ſpiritum, qui vos ſapientes reddat, & ea vobis revelet, quæ ad cognitionem ipſius, ſeu divinæ ipſius voluntatis, pertinent.

Verſ. 18. Hoc eſt, ut mentis veſtræ oculos ita colluſtret, ut cognoſcatis, quam excellens ſit bonum illud, cujus ſpem vobis fecit, & ad quod vos vocavit, & quam glorioſa ſupra modum ſit hæreditas illa quam quis inter ſanctos obtineat: [ vel: inter ſanctos diſtribuenda.]

Verſ. 19. Ac præterea quam excellens & ſupereminens magnitudo potentiæ ipſius in nos exertæ: [ vel: exerendæ, ] exiſtimanda ex illa operatione, [ vel: impulſæ operatione validiſſimarum ipſius virium.]

Verſ. 20. Quam exercuit in Chriſto, cum eum reſuſcitavit ex mortuis, & ad dexteram ſuam in ipſis cælis collocavit.

Verſ. 21. Longe ſublimiorem quibuſcunque, qui dignitatem aliquam aut imperium habent, [ vel: quibuſvis angelis poteſtate virtute aut dominatione præditis, ] non tantum hoc tempore, verum etiam uſque ad mundi finem ſecuturo: [vel: non tantum in hoc ſeculo, quod uſque ad mundi finem futurum eſt, ſed etiam in eo, quod poſtea eſt ſecuturum: nec tantum ſublimiorem fecit ut inter omnes emineat Chriſtus, verum etiam omnia ejus pedibus ſubjecit, atque imperio ſubdidit.] [vel: non in hoc tantum mundo inferiori, ſed etiam in illo cæleſti, qui nobis futurus eſt.]

Verſ. 22. Et omnia, ſe ipſo tantum excepto, ſubjecit ipſius pedibus, & imperio ejus ſubdidit, atque inprimis eum conſtituit caput eccleſiæ, in omnibus rebus ad ipſam pertinentibus.

Verſ. 23. Hæc enim ipſius veluti corpus eſt, quod omni donorum genere complet, cujus eſt omni bonorum cæleſtium abundantia omnes implere, qui quidem ipſe Chriſtus eſt.

## CAPUT II.

Verſ. 1. NEque vero Chriſtum tantum a mortuis reſuſcitavit Deus, verum etiam vos devinctos morte delictorum ac peccatorum.

Verſ. 2. In quibus antea vitam traducebatis prout ſert vita ac conſuetudo hominum hujus mundi. [vel: perinde atque alii homines hujus mundi,] ad nutum ac voluntatem principis illius in aëre degentis, hoc eſt illius ſpiritus, qui nunc in impiis vim ſuam exerit, in iis, qui contumaces eſſe pergunt, ac doctrinam Chriſti non ſuſcipiunt.

Verſ. 3. Inter quos etiam nos Judæi omnes (ne quis forte exiſtimet ab hoc cenſu nos exemtos) aliquando fuimus verſati, ejuſdemque fuimus cum illis cenſus, cum cupiditatibus carnis atque appetitus noſtri impulſi ea perpetraremus, quæ ſuaderent cogitationes carnales ſeu ab appetita carnali. [ vel: appetitus & cogitationes improbæ.] Et licet opinione ſanctitatis meritorumque noſtrorum plerique tumeremus, nihilominus tamen eramus vere obnoxii iræ pœnæque divinæ, quemadmodum & cæteri homines.

Verſ. 4. Verum Deus cum eſſet uberrima ipſius atque ampliſſima miſericordia, ob ingentem illam charitatem, qua nos complexus eſt,

Verſ. 5. Nos, ut dicere cœperam, ſive Judæos, ſive gentes, cum devincti eſſemus morte delictorum, Chriſtum ad vitam reducendo, una quoque vita donavit (quod ſane indicio eſt ex mera benignitate vos ſervatos eſſe.)

Verſ. 6. Simul inquam vos cum ipſo tum ad vitæ pietatem, tum ad vitæ immortalis ſpem excitavit. [ vel: ſuſcitavit, & una cum ipſo in ipſis cælis collocavit Chriſto Jeſu inſertos, ac veluti in cæleſtis illius hæreditatis poſſeſſionem vos miſit.]

Verſ. 7. Eum in finem, ut hominibus, iis quæ ſequentur poſthac, ſeculis, ingentem gratiæ ſuæ amplitudinem oſtenderet, per eam benignitatem, qua erga nos utitur qui Jeſu Chriſto ſumus inſerti. [ vel: per Jeſum Chriſtum.]

Verſ. 8. Nam ex mera benignitate ſalutis ſpem ac veluti jus adepti eſtis fidei conditione interveniente (quæ ipſa quoque non vobis ipſis veſtroque ſtudio imputanda eſt ſed Deo, cujus donum eſt, quique ad eam vobis inſerendam omnia præſtitit.)

Verſ. 9. Fide, inquam, interveniente. [ vel: Ex benignitate, inquam, mera] tantum vobis bonum contigit, non ob veſtrorum operum merita: ne quis hic ſe jactet, & aliquam gloriæ partem ſibi decerpat.

Verſ. 10. Nam quod aliquid præſtamus boni, idipſum quoque Deo debemus, cujus etiam quoad religionis & pietatis negotium ſumus, per Chriſtum Jeſum ejuſque religionem reformati, ac veluti denuo creati ad bonorum operum exercitium, quæ Deus jam antea apud ſeſe conſtituit, ac nobis præſcripſit, ut in illis vitam noſtram traduceremus.

Verſ. 11. Quapropter memineritis vos, qui aliquando eratis ethnici, ſi ea ſpectes, quæ ad natales & cætera carnalia diſcrimina pertinent; qui dicebamini præputiati ab iis, qui dicuntur circumciſi, nempe in carne, quæ circumciſio manibus perficitur.

Verſ. 12. Quod, inquam, eo tempore, quo a Chriſto adhuc eratis alieni, non pertinueritis quicquam ad rempublicam Iſraëliticam, quę divina ſola tunc erat; neque ad fœdera, quæ Deus cum eo populo eorumque majoribus pepigerat, & promiſſionis illius ſingularis de Meſſia & felicitate per ipſum dandę ſpem nullam habueritis, & denique, ut uno verbo omnia complectar, abſque Deo veraque religione in mundo vixeritis.

Verſ. 13. Hæc veſtra erat olim conditio, hæc infelicitas. At nunc, poſtquam Chriſti religionem amplexi eſtis vos, qui aliquando longe aberatis ab iis, quas recenſui rebus, atque ab ipſa republica Iſraëlis, prope admiſſi eſtis ad ea omnia, interveniente cruenta morte Chriſti, qua fœdus tum iuter Deum & vos, tum & inter populos tam diverſos ſancitum eſt.

Verſ. 14. Chriſtus enim ille eſt, qui pacis inter nos mutuæ auctor eſt, qui ex utroque populo unum Dei populum conſtituit, & intergerinum illum, qui diverſos populos a ſe invicem diſjungebat, parietem, & inimicitię inter ipſos erat cauſa, per corpus ſuum carneum morti traditum, diruit.

Verſ. 15. Hoc eſt, antiquavit & abolevit legem Dei per Moyſen datam, mandata ea continentem, quę ritus præſcribebant, non ex natura rei, & ipſa honeſtatis ratione, ſed ex arbitrio legiſlatoris pendentes: ut ita duos diverſos populos, diverſis antehac utentes ſacris ac moribus, ſibi inſertos, ac religionem ſuam amplexos reformaret, quo coaleſcerent in unum,

eumque

eumque novum populum, nova ratione Deo ſervientem, conſtituta inter diſſidentes pace.

Verſ. 16. Et ſic utroſque inter ſe conciliaret in unum veluti corpus compactos: non ut pro animi ſui libitu inpoſterum viverent, ſed ut Deo certatim ſervirent. [vel: ad Dei gloriam ac cultum ei præſtandum,] idque per mortem, quam in cruce ſuſtinuit, per quam inimicitiam inter utrumque populum extinxit.

Verſ. 17. Atque ut id totum ad effectum in nobis perduceretur, per legatos ſuos ad nos quodammodo venit, & felicitatem ſempiternam annunciari curavit, tum vobis, qui longe antehac a Deo ejuſque populo aberatis, nempe gentibus; tum illis, qui erant Deo conjuncti.

Verſ. 18. Nam per Chriſtum habemus aditum ad Deum, tanquam patrem noſtrum utrique, ſive Judæi, ſive gentes, unam ſpiritualem religionem colentes, ac per eam Deo placere ſtudentes [vel: una ſpirituali religione colligati, eodemque ſpiritu a Deo donati.]

Verſ. 19. Quapropter non eſtis amplius peregrini reſpectu Dei populi, & inquilini, qui iiſdem, quibus illi privilegiis non gaudeatis, ſed eodem cum cæteris ex Judaico populo ſanctis atque fidelibus civitatis jure gaudetis, & domeſtici eſtis Dei.

Verſ. 20. Qua in re firmo nitimini fundamento, nempe apoſtolis ac prophetis, eorumque doctrina atque auctoritate, cujus fundamenti imus angularis lapis ac firmamentum eſt Jeſus Chriſtus.

Verſ. 21. Super quo totum populi divini ædificium, cujus membra apte ſunt inter ſe coagmentata, ſubinde creſcit atque aſſurgit, ut evadat templum ſanctum, ope ac cura domini Jeſu.

Verſ. 22. Super quo & vos una cum aliis fidelibus ædificamini, ſeu pars populi divini evaditis, ut in vobis Deus per ſpiritum ſuum habitet. [vel: ut ſitis habitaculum Dei ſpirituale.]

## CAPUT III.

Verſ. 1. QUandoquidem ergo tanta vobis a Deo contigit felicitas, ut in ſocietatem populi divini allegeremini, ego Paulus, qui ob negotium Jeſu Chriſti ejuſque ſanctiſſimam religionem vinctus ſum in veſtrum, hoc eſt, gentium bonum.

Verſ. 2. (Neque enim dubium mihi eſt, quin audiveritis, quo pacto Deus inter alios mihi ex ſingulari benignitate impertiverit munus, quod ad vos veſtramque utilitatem, hoc eſt, euangelium vobis annunciandum ſpectat.

Verſ. 3. Quandoquidem peculiari revelatione mihi aperuit rem illam reconditam (prout antea ſcripſi paucis verbis.)

Verſ. 4. Quæ legentes poteſtis inde animadvertere, quam plene ego habeam cognitum myſterium hoc, ſeu doctrinam ante reconditam, per Chriſtum patefactam:

Verſ. 5. Quæ præcedentibus ſeculis non innotuit hominibus, nunc autem revelata eſt ſanctis illis Chriſti apoſtolis ſeu legatis, & prophetis, hoc eſt rerum reconditarum ad Chriſti doctrinam pertinentium interpretibus, per ſpiritum ſanctum utriſque datum.

Verſ. 6. Ea vero doctrina antea inaudita hæc eſt, quod gentes extraneæ ad eandem cum populo Judaico hæreditatem pertineant, & unum cum illo corpus conſtituere debeant, ac participes fieri promiſſionis illius, quę per Chriſtum Jeſum hominibus eſt oblata per euangelium.

Verſ. 7. Ad quod annunciandum aliiſque miniſtrandum ego ſum delectus & conſtitutus ex dono Dei gratuito, mihi conceſſo per efficacem virtutem ejus, quę in munere meo vim ſuam exerit.

Verſ. 8. Mihi, inquam, qui ſum minimus inter omnes fideles ac Deo conſecratos, contigit hoc ex divina benignitate munus, ut inter omnes extraneas gentes annunciarem ac prædicarem amplitudinem illam, quam nemo ingenio ſuo perveſtigare ac perſcrutari potuit, religionis Chriſtianæ.

Verſ. 9. Et omnibus aperte oſtenderem, quam multis ſit commune, quamque late pateat myſterium illud ab antiquis temporibus, ipſoque adeo mundi initio reconditum in Deo, qui omnes homines non tantum Judæos, verum etiam gentes, quantum in ſe eſt, aut reformare ac veluti condere cœpit, aut reformavit ac denuo veluti creavit per Jeſum Chriſtum.

Verſ. 10. Ut nunc demum patefiat principibus illis & poteſtatibus, quę in cælis degunt, per ea, quę in eccleſia fiunt, multiformis illa, atque in tam variis rebus adminiſtrandis ipſius conſpicua ſapientia.

Verſ. 11. Quod Dei factum congruit: [vel: congruens propoſito ipſius æterno,] quod ad effectum jam perduxit. [vel: perducere decrevit] per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum:

Verſ. 12. Per quem liberum habemus ad Deum ejuſque gratiam acceſſum, cum plena animi ſpe atque fiducia, interveniente fide ab eodem Chriſto nobis præſcripta.

Verſ. 13. Quapropter cum hæc ita ſe habeant, rogo ac poſtulo, ne animo concidatis ob afflictiones meas, qui vere ſum apoſtolus, quas in veſtrum commodum ſuſtineo, cum eæ vobis ſint glorioſę, tantum abeſt, ut eę vos conturbare debeant.

Verſ. 14. Ut igitur ad inſtitutum ſermonem redeam, quandoquidem tanta vobis obtigit felicitas, ego flexis genibus ſupplicio patri domini noſtri Jeſu Chriſti.

Verſ. 15. Ex quo, tanquam communi patre, univerſa familia, quæ in cælis atque in terris exiſtit, originem ac nomen ſuum ducit:

Verſ. 16. Ut pro glorioſa ſua munificentia vobis largiatur, ut valde corroboremini per ipſius ſpiritum quoad interiorem hominem, ſeu quoad animum religionis ſenſu imbutum.

Verſ. 17. Ita ut Chriſtiana religio conſtanter in animis veſtris hæreat, fide aſſenſuque firmo illis infixa, utque in charitate erga alios firmas agatis radices & ſolidum jaciatis fundamentum, ne ab illa unquam dimoveamini.

Verſ. 18. Iiſque rebus inſtructi porro etiam poſſitis animo comprehendere una cum cæteris omnibus fidelibus Deoque ſanctis hominibus, quanta ſit religionis illius ac bonorum in ea comprehenſorum latitudo, longitudo, profunditas & ſublimitas, hoc eſt quanta ejus ſit amplitudo, quę neminem excludit, ſeu omnes longe lateque diſſitos capit, nihilque ſit tam ſublime, nihil tam humile, quod non attingat atque comprehendat.

Verſ. 19. Utque cognoſcatis charitatis erga nos Chriſti [vel: Dei per Chriſtum nobis exhibitæ & præſtitę:] vim tam late diffuſam, quę cognitionem humanam per ſe ſuperat, ut ita impleamini omni donorum divinorum ubertate.

Vers. 20. Illi vero, qui potens est plura his omnibus, & longe abundantius facere, quam nos vel petimus, vel animo cogitamus, pro illa virtute, cujus vim & efficaciam in nobis jam cernitis, quem Deum illum summum esse facile intelligitis, illi, inquam, tribuatur gloria in ecclesia per Christum Iesum [vel: Christo Jesu addicta] in generationes æternis seculis successuras.

## CAPUT IV.

Vers. 1. QUare cum tanta, ut superius ostendi, vobis obtigerit a Deo felicitas, ego qui vinctus sum domini nostri Jesu Christi causa oro, obsecro [vel: hortor] vos, ut vitam traducatis ita, quemadmodum convenit conditioni tam sublimi, ad quam estis divina gratia acciti.

Vers. 2. Nempe, cum omni animi modestia & mansuetudine ac longanimitate ferentes alii alios ex charitate, quam vobis invicem debetis.

Vers. 3. Atque id unice agentes, ut retineatis inter vos unitatem ac conjunctionem animi [vel: spiritualem] connexi vinculo illo, quod est pacis & concordiæ studium [vel: pax & concordia.]

Vers. 4. Quandoquidem unius corporis instar estis, Dei consilio colligati, & uno spiritu veluti anima regimini ac vegetamini: [vel: ut ita sitis unius corporis instar, & una veluti anima] prout etiam ad eandem felicitatem cujus spes vobis facta est, acciti per divinam gratiam estis.

Vers. 5. Quin etiam unus idemque vobis est dominus, eadem fides ac de rebus divinis sententia, una eademque fidei professio, quam per baptismum edidistis, [vel: unum idemque baptisma spirituale.]

Vers. 6. Unus denique & communis est Deus, qui idem pater est communis omnium, cujuscunque alioqui sint generis aut conditionis, qui idem omnibus fidelibus æque præsidet, & per omnes beneficia sua providentiamque diffundit, & in omnibus vobis habitat, atque adeo arctissime est vobiscum conjunctus.

Vers. 7. Neque vero huic conjunctioni quicquam obstare debet diversitas donorum spiritualium, quæ unicuique nostrum ex benignitate singulari contigerunt, ea mensura, qua cuique donare voluit Christus.

Vers. 8. Quod prædicere volens divinus spiritus, inquit: ascendit in altum, ipsum nempe cælum, atque instar ducis post victoriam triumphantis duxit ingentem hostium captivorum multitudinem, & distribuit dona inter homines.

Vers. 9. Verbum autem illud ascendit, quo utitur divinus spiritus, ἐμφάσει sua non caret, sed subindicat, quod antea humili loco fuerit is, de quo sermo est. Id quod in Christo contigit, cum in partes terræ inferiores descendit, ac post mortem in sepulchro fuit conditus.

Vers. 10. Idem nimirum est, qui & in tam humilem locum descendit, & qui postmodum etiam ascendit super omnes cælos, ut omnia ad salutem humanam spectantia perficeret, atque ad exitum perduceret: [vel: donis suis compleret.]

Vers. 11. Is igitur posuit ac constituit alios quidem apostolos ac præcipuos ad humanum genus legatos, alios vero prophetas, ac rerum in religione Christiana abditarum explanatores atque interpretes; alios vero euangelistas, qui apostolis in euangelio annunciando adjumento essent, & vicariam veluti illis præstarent operam; alios pastores, qui ecclesias certas regerent & gubernarent, & doctores, qui populum Christianum doctrina salutari instruerent.

Vers. 12. Hos autem omnes constituit Christus eum in finem, ut sanctorum communio instrueretur ac perficeretur, ita nempe, ut illi, quos enumeravimus, fungerentur ministerio, ad augendum tum numero, tum salutaris veritatis cognitione Christi populum, qui corporis cujusdam est instar.

Vers. 13. Et id quidem eo usque, donec omnes, qui religionem Christianam amplexi sumus, habeamus plenissimam occasionem perveniendi: [vel: perveniamus eo,] ut idem plane credamus ac sentiamus de rebus divinis, eodemque modo agnoscamus filium Dei ejusque sanctissimam religionem, & ejus ratione excrescamus in virum adultum, & pertingamus ad mensuram staturæ perfectæ, qualis quidem Christo ejusque corpori convenit, vel staturæ Christi adulti, [vel: eam mensuram ac modum staturæ Christi in membris suis veluti crescentis, quæ sit perfecta:] hoc est nihil nobis desit eorum, quæ ad religionem Christianam pertinent.

Vers. 14. Unde fiet, ut non amplius simus instar infantium, qui fluctuemus & abripi nos patiamur quavis doctrina veluti vento aliquo, quod fit per aleatorias hominum artes atque fraudes, hoc est, per astutiam, qua utuntur ad alios compendiose ac veluti per insidias in errorem abducendos.

Vers. 15. Sed potius, in charitate Christiana sincere ac candide nos gerentes, [vel: veritatem divinam arcte tenentes, juncta simul charitate,] incrementum sumamus in omnibus, ac per omnia quoad Christi disciplinam, utpote qui caput est scientiæ rerum divinarum.

Vers. 16. Ex quo veluti capite totum populi Christiani corpus apte inter se connexum ac compactum per omnes juncturas, quibus vim atque alimentum membra membris suppeditant, per efficaciam ex capite illo, hoc est Christo, fluente, pro modo ac mensura uniuscujusque membri incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius stabilimentum ac perfectionem, interveniente charitate, quæ nimirum illud præstat, ut membra alia aliis adhærescentia sibi invicem suppeditent virtutem a Christo acceptam, eaque suis donis juvent, ut pro captu ac modulo suo incrementum sumere queant.

Vers. 17. Ut igitur ad id redeam, quod initio cœperam dicere, id dicere volo, & palam testor ac denuncio Christi Domini nomine: [vel: obtestor per Dominum Jesum,] ne amplius vivatis quemadmodum reliquæ gentes extraneæ, in quorum numero vos aliquando fuistis, vivunt, ob mentis suæ vanitatem ac stultitiam.

Vers. 18. Quandoquidem intellectus ipsorum ignorantiæ tenebris obsidetur, suntque ipsi alienati animo atque aversi a vita, quam Deus præscripsit, atque unice probat, propter illam, quam dixi, ignorantiam, quæ ipsos occupavit, & animi duritiem obstinatamque contumaciam.

Vers. 19. Ob quam factum est, ut deposito dolore, quem ex malefactis conscientia solet parere, ad omnem

illius

illius ictum jam ſtupentes, mancipaverint ſe impudicitiæ ac libidini, ad exercendam quamvis turpitudinem impuramque voluptatem avidiſſime [vel una cum avaritia,] vel: cum aviditate.

Verſ. 20. At vos, cum Chriſtianam religionem edoceremini, non ita vivendum eſſe didiciſtis.

Verſ. 21. Siquidem doctrinam illam audiviſtis, eamque ita edocti eſtis, ut ſane in doctrina Jeſu Chriſti certiſſima eſt. [vel: prout ea ſe habet.]

Verſ. 22. Nempe, deponere vos debere vetus vitæ inſtitutum, quod quidem attinet ad priſtinas actiones ac mores, quod depravatur ac vitioſum redditur per cupiditates deceptices, menti nebulas offundentes, ne rectum ac honeſtum videat ac ſequatur:

Verſ. 23. Sed potius contra animum ac mentem novam ſumere vos debere, & novum vitæ inſtitutum amplecti:

Verſ. 24. Novumque adeo hominem induere, qui ad Dei voluntatem [vel: ipſius Dei ſimilitudinem] conformatus eſt, cujus natura in juſtitia & ſanctitate vera conſiſtit.

Verſ. 25. Quapropter abjicite mentiendi libidinem ac conſuetudinem, & loquimini unuſquiſque id quod verum eſt cum proximo ſuo, ſeu homine Chriſtianæ religionis ſocietate ſecum conjuncto: quandoquidem unius ejuſdemque corporis ſumus membra, adeoque alii alios non decipere, ſed potius omni ratione honeſta juvare debemus.

Verſ. 26. Quod ſi contingat vos iraſci, ne peccetis, vindictam animo decernentes, aut reipſa eam ſumentes: neque ad ſolis uſque occaſum duret iſta animi commotio.

Verſ. 27. Ne forte hoc modo detis diabolo locum, vos ad peccatum, hoc eſt vindictam adducendi.

Verſ. 28. Qui aliquando furabatur, ne furetur amplius, ſed potius laboret, & utile quippiam ac honeſtum manibus operetur: ut non modo ſeipſum alere, verum etiam habeat unde impertiat egenti. [vel: egenti impertiri aliquid poſſit.]

Verſ. 29. Nullus ſermo vitioſus ac corruptus ex ore veſtro procedat, ſed is demum, qui ſit utilis ad ædificationem ſalutaremque inſtructionem, qua alteri eſt opus ut vere ſit gratus atque acceptus audientibus. [vel: ut ita utilitatem pariat, & beneficii alicujus ſit inſtar audientibus.]

Verſ. 30. Nec committite, ut per ſermones iſtiuſmodi vitioſos offendatis, atque a vobis repellatis, ſanctum illum Dei ſpiritum, quo ita eſtis a Deo obſignati ac veluti notati, ut is ad diem uſque plenæ liberationis veſtræ vobiſcum duret.

Verſ. 31. Omnis præterea moroſitas. [vel: acerbitas animi] & excandeſcentia, quæ inſtar furoris cujuſdam eſt, & ira, vindictæ habens conſilium, & vociferatio, qualis iratorum eſſe ſolet, ac maledicentia, abſita vobis, cum omni malitia, ſeu aliis nocendi ſtudio:

Verſ. 32. Sed contra potius ſitis alii erga alios benigni ac humani, miſericordes, largoque affectu condonantes vobis mutuo injurias: quemadmodum etiam Deus per Jeſum Chriſtum vobis offenſas condonavit, earumque remiſſionem obtulit.

## CAPUT V.

Verſ. 1. QUapropter ut in aliis, ſic quoque hac in parte imitemini Deum, ut filios tantopere ab ipſo dilectos decet.

Verſ. 2. Charitatemque erga vos mutuo exercete, quemadmodum etiam Chriſtus charitatem erga nos ſuam exercuit, adeo ut ſeipſum ſalutis noſtræ cauſa acerbiſſimæ morti traderet, quæ res fuit oblationis inſtar ac victimæ Deo gratiſſimæ ac ſuaviſſimæ, ut dubitare nequaquam debeatis, vos quoque rem facturos Deo gratiſſimam, ſi eum hac in parte æmulemini.

Verſ. 3. A ſcortatione vero & impura quavis voluptate, itemque ab avaritia tam longe abſitis, ut ne nomina quidem iſtorum vitiorum inter vos audiantur; prout decet eos, qui Deo plane ſunt conſecrati, & a profano vulgo ſeparati.

Verſ. 4. Præterea vitate etiam ſermonum obſcœnitatem & ſcurrilitatem, quæ, ut aliis riſum excutiat, ſtultitiam quandam ſimulat; quin etiam jocos ac ſales, quibus alii alios ad cachinnos provocant. Hæc enim minime decent homines, præſertim Deo Chriſtoque ſacros; ſed potius ſi cujus animus exultat, gratias Deo agat, & laudes ipſius celebret.

Verſ. 5. Nam ut de ſceleribus paulo ante commemoratis aliquid adhuc dicam, illud certo ſciatis, nullum ſcortatorem, aut libidini deditum impuræque voluptati, aut avarum, qui dum divitias ſuas adorat, iiſque confidit, merito prò idololatra haberi poteſt, habere jus adeundi hæreditatem regni illius, quod Chriſtus ac Deus illius Pater poſſidet, ac hominibus ſibi parentibus impertit.

Verſ. 6. Cavete, ne quis forte contrarium vobis perſuadeat, & ſic vanis ſermonibus vos decipiat. Etenim propter hujuſmodi ſcelera iraſci ſolet Deus hominibus contumacibus, atque in incredulitate perſeverantibus, adeoque etiam eos punit.

Verſ. 7. Quare ne una cum illis participes ſitis eorundem ſcelerum, quemadmodum olim eratis.

Verſ. 8. Alia enim nunc veſtra conditio eſt. Nam aliquando quidem eratis tenebris ignorantiæ implicati: nunc autem luce cæleſtis veritatis colluſtrati eſtis, quatenus Religionem Chriſtianam eſtis amplexi, eamque tenetis, per Dominum Jeſum ſanctiſſimamque ejus religionem: quapropter ita ambulate, ut illis convenit, qui in luce verſantur.

Verſ. 9. (Porro autem fructus ſeu effectum ſpiritus Euangelici, qui idem eſt cum luce ea, qua vos colluſtratos dixi, conſiſtit in omnis generis beneficentia, juſtitia, candore bonitate, ſeu honeſtate ac juſtitia, quæ jura divina in omnibus diligenter obſervat, & ſinceritate, cui nihil admixtum eſt falſitatis vel improbitatis.)

Verſ. 10. Diligentiſſime perpendentes, quidnam Domino Jeſu probetur, ut illud in omnibus vitæ actionibus exequamini.

Verſ. 11. Quare ne quid commune habeatis cum operibus illis, quæ ex ignorantiæ tenebris oriuntur, iiſque conveniunt, [vel: quæ perpetrantur ab iis qui in ignorantiæ tenebris verſantur,] ac nullum fructum,

imo potius damnum afferunt: sed multo magis ea redarguite, & improbitatis convincite.

Vers. 12. Quod quidem admodum est facile: quandoquidem ea, quæ ab istis hominibus, qui in ignoratione religionis Christianæ versantur, occulte perpetrantur, adeo sunt fœda, ut ea etiam nominare sit turpe. Nam etsi forte honestatem & sanctitatem quandam morum præ se ferant, occulte tamen ea designant, quæ non tantum factu sed & dictu sunt turpia. Ea vero turpitudinis convincere, nulli magis convenit quam vobis:

Vers. 13. Quandoquidem ea omnia dum a luce, seu iis hominibus qui luce ista sunt colluſtrati, eamque tenebris etiam inferre possunt, redarguuntur, manifesta fiunt, eorumque turpitudo patet, nec occultari se amplius patitur. Omne enim quod manifestatur lucidum est, seu de luce participat, adeoque non nisi a luce, quæ extra Christum nulla est revera, tale effici potest.

Vers. 14. Unde in hanc sententiam Scriptura [vel: Deus in scripturis, vel spiritus ejus] dicit. Evigila, qui ignorantia ac peccatorum somno veluti sepultus jaces, & exsurge ex hac peccatorum morte. Nam statim cernes Christum tibi illuscentem.

Vers. 15. Quapropter date operam, ut caute vos in omni vita geratis, non ut insipientibus, sed ut sapientibus convenit.

Vers. 16. Et occasionem omnem, quæ se forte vobis offert ad alios a sceleribus avocandos, etiam cum rerum vestrarum detrimento aliquo captate atque arripite: quandoquidem raro ea sese offert, cum mala soleant esse tempora, & fere pessime ab hominibus conterantur.

Vers. 17. Hac igitur de causa ne sitis imprudentes, sed potius operam date, ut maxime sitis gnari voluntatis Domini Jesu Christi.

Vers. 18. Quapropter etiam vino ne inebriemini, qua in re cerni solent mores dissoluti, nec quicquam recti atque honesti agitur: sed contra potius impleamini spiritu, seu spiritualibus ac piis cogitationibus.

Vers. 19. Adhortamini alii alios, Psalmos ac hymnos in Dei Christique laudem recitantes ac decantantes, aliasque cantiones, non mundanas ac turpes, quales sunt ebriorem, sed spirituales atque ad religionem spectantes, ita ut ore quidem canatis, sed corde, tanquam egregio quodam instrumento musico, psallatis, suavissima eadem oris & animi harmonia exoriente.

Vers. 20. In laudem Domini Jesu, gratias agentes summas semper pro omnibus beneficiis Deo illi summo qui pater est, ex præscripto Domini nostri Jesu Christi.

Vers. 21. Præterea etiam alii aliis obtemperate, timore divini numinis impulsi. [Vel: quantum timor divini nominis permittit.]

Vers. 22. Verum insignitè vos uxores ita parete maritis vestris, ut ipsi Domino Jesu.

Vers. 23. Etenim maritus est caput, atque adeo Dominus ac rector uxoris, quemadmodum & Christus caput Ecclesiæ est, idemque servator est hujus mystici sui corporis.

Vers. 24. Itaque quemadmodum Ecclesia parere tenetur Christo, ita & uxores maritis suis, omnibus in rebus divinæ voluntati non adversantibus.

Vers. 25. Mariti diligite uxores vestras, quemadmodum & Christus, cum quo vos hactenus comparavi, dilexit Ecclesiam, & se ipsum pro ejus salute morti atrocissimæ tradidit.

Vers. 26. Ut nempe eam sanctam redderet, purificando eam verbo seu sermone Euangelii, tanquam lavacro quodam aquæ, quo sponsa alicui marito adducenda ablui solet.

Vers. 27. Ut ita eam Ecclesiam sibi ipsi sponsæ alicujus instar constitueret splendidam ac formosam, quæ non haberet peccati alicujus maculam aut rugam, atque aliud hujusmodi, quod deformare eam possit; sed ut esset sanctissimis moribus prædita, & irreprehensibilis.

Vers. 14. Ita, inquam, debent mariti diligere uxores suas, quemadmodum diligunt sua corpora. Etenim qui uxorem suam diligit, seipsum revera diligit.

Vers. 29. At vero nemo unquam seipsum suumve corpus odio prosequitur; sed potius alimentum illi suppeditat, & illud fovet, atque adversus injurias aëris munit: quemadmodum & Dominus Jesus, cui maritos similes esse dixi, Ecclesiam rebus ad spiritualem vitam sustentandam necessariis instruit, eamque hoc pacto alit ac fovet.

Vers. 30. Propterea quod membra sumus corporis ipsius mystici, a quo ortum spiritualem trahimus, [vel: atque ex ipso tanquam spirituali Adamo, nos qui spiritualem ejus uxorem, constituimus naturam hanc nostram trahimus Spiritualem,] ita ut, quemadmodum Eva ex ossibus & carne Adami sumta est, adeoque ei fuit arctissima cognatione devincta; sic nos qua Christiani sumus, ex Christo, qui noster servator est, ortum ducimus, [eique arctissimo veluti vinculo] ac veluti cognatione spirituali eidem sumus conjuncti, vel: atque, ut ita loquar, de carne & ossibus illius.

Vers. 31. Propter hanc tam arctam mariti & uxoris conjunctionem ait scriptura, relicturum esse virum patrem & matrem suam, & arcte adhæsurum uxori suæ; ita ut ex duobus fiat una caro, seu unum corpus.

Vers. 32. Qua verba in se continent mysterium magnum, non quod attinet ad maritum & uxorem, de quibus verba ista aperte loquuntur; sed quod attinet ad Christum & Ecclesiam, ad quorum conjunctionem summam verba hæc occulto sensu respiciunt.

Vers. 33. Veruntamen. ut ad institutam exhortationem revertar, [vel: quanquam interrea dum hæc ad Christum & Ecclesiam accommodo, & eorum inter se conjunctionem, charitatisque vinculum, mystice in illis comprehensum, extollo, nolo elevare vim verborum propriam, quæ id postulat, ut mariti proprie dicti cum uxoribus suis arctissimo nexu jungantur, sed volo potius, ut unusquisque vestrum uxorem suam diligat ut se ipsum; contra vero uxor maritum suum metuat ac revereatur.

CA-

## CAPUT VI.

Verſ. 1. VOs vero liberi obtemperate parentibus veſtris, prout convenit religioni a Domino Jeſu traditæ: id enim ut fiat, æquum eſt.

Verſ. 2. Nam Deus ita olim in decalogo præcepit: honora, ſeu obſequium omnis generis præſta tum patri tuo, tum matri tuæ. Præceptum hoc ut ſanctius obſervaretur, primum eſſe voluit Deus, cui ſeparatim annexa promiſſio, hæc nempe:

Verſ. 3. Ut proſpere tibi omnia cedant, & diu vivas in terra.

Verſ. 4. Viciſſim vos parentes, atque nominatim patres, cavete, ne liberos veſtros durius tractando, eos ad iram provocetis; ſed potius educetis eos ea utentes diſciplina & inſtitutione, quam doctrina Chriſti præcipit, quæque ejus voluntati ſit conſentanea.

Verſ. 5. Vos etiam, qui ſervi eſtis, dominis, qui in corpora veſtra poteſtatem habent, anxii, ac veluti tremebundi obtemperate; non ſimulatè, ſed animo ſimplici, ac ſincero, & perinde atque ipſi Chriſto.

Verſ. 6. Hoc eſt, non tantum illis obſequium præſtate cum ipſi adſunt præſentes, & quid agatis cernunt, quaſi id tantum ageretis, ut hominibus placeatis; ſed, ut ſervis Jeſu Chriſti convenit, ex animo præſtantes id, quod a vobis requirit Deus, & ut ita dominis veſtris miniſtretis, ut propenſo in commoda dominorum veſtrorum animo ſitis, ut ipſi Domino Jeſu, non vero ut hominibus, [vel: Domino Jeſu, huic enim revera id præſtatur obſequium, non vero ut, arbitramini, hominibus vel tantum, vel potiſſimum] qui ea, quæ oculis ſubjecta ſunt, æſtimant:

Verſ. 8. Id vobis firmiter perſuadentes, quod quiſpiam præſtiterit boni, ejus rei convenientem mercedem eum reportaturum a Domino Jeſu, ſive ſervus ſit, ſive liber, nullo perſonarum diſcrimine.

Verſ. 9. Vos etiam, qui domini eſtis, viciſſim præſtate ſervis ea, quæ tam fideli miniſterio digna ſunt, ac de ſeveritate ac minacitate, qua uti fere ſolent adverſus ſervos domini, remittite, iiſque æquitatem ſingularem præſtate, ſcientes, quod, utut hic nullum habeatis dominum, qui injurias, quas ſervis infertis, vindicare queat, habetis tamen in cælis Dominum, & quidem ejuſmodi; qui perſonarum in judicando rationem non habet, ſed factorum meritum ſolummodo reſpicit, non conſiderans, utrum quiſpiam ſit ſervus, an vero dominus ac liber.

Verſ. 10. His officiis ita ſeparatim præſcriptis, illud extremum, chariſſimi mei fratres, vos moneo omnes, ut per Dominum Jeſum & ſanctiſſimam ejus religionem confirmemini, robore animi accepto a validiſſimis ipſius, quas vobis ſuppeditat, viribus.

Verſ. 11. Et inſtar fortiſſimorum Chriſti militum induatis vos omni armorum, non humanorum, ſed divinorum genere, eum in finem, ut poſſitis invicti conſiſtere adverſus inſidioſos diaboli aſſultus atque incurſiones.

Verſ. 12. Neque enim nobis pugnandum eſt, cum hominibus carne ac ſanguine conſtantibus, adverſus quos arma humana valent; ſed cum principibus, cum iis qui poteſtatem habent, cum iis, inquam, qui huic mundo imperant, hoc eſt, hominibus in ignorantia divinæ voluntatis verſantibus, & maximam hujus mundi partem conſtituentibus, qui principes ſunt ſpiritus illi maligni in ſublimi aëre habitantes, & veluti è ſuperiori loco in nos pugnantes.

Verſ. 13. Quare, cum tam validos habeatis hoſtes, ac tantopere metuendos, corripite omnia illa arma divina, quibus vos penitus munire ac defendere poſſitis, ut hoſtibus illis tempore afflictionis variarumque calamitatum ob veritatem ingruentium queatis fortiter reſiſtere, & omnibus bonorum militum officiis functi conſiſtere, ac palmam obtinere.

Verſ. 14. Quapropter in procinctu ſtate, & quemadmodum milites *cingulo* lumbos ſuos conſtringere ſolent: ita vos ejus loco comparate ſinceritatem animi: [vel: cognitionem veritatis Euangelicæ,] loco *thoracis* vobis ſit juſtitia, ſeu omnis generis pietas.

Verſ. 15. Loco *ocrearum*, quibus milites muniunt pedes, ſit alacritas & promitudo ad pugnam & conflictum, [vel: ad annunciandum beatiſſimum de ſempiterna felicitate nuncium,] quam Euangelium, ſeu beatiſſimus ille de cœleſti pace ac felicitate nuncius, animis hominum inſerit. [vel: ſitis inſtructi Euangelio pacem ac felicitatem annunciante, ſeu Euangelii cognitione.]

Verſ. 16. Inſuper apprehendite *ſcuti* inſtar [vel: præ cæteris omnibus ſcuti vobis inſtar ſit] fiduciam [vel: aſſenſum firmum, veritati Euangelicæ adhibitum] in Deum Chriſtumque collocatam, qua poteritis non tantum excipere, verum etiam extinguere illa ignita tela, quibus vos malignus ille ſpiritus configere conabitur, hoc eſt omnia illa, ſive verba, ſive facta, reddatis irrita, quibus ſatanas vos a veritate abducere ſataget.

Verſ. 17. Porro pro *galea* vobis ſit ſpes æternæ ſalutis, quæ ſummum in ſpirituali hac armatura locum obtinere, & veluti caput Chriſtiani militis munire debet. Ac denique ut dextra ferreum ſolent tenere *gladium*, ita vos arripite gladium ſpiritualem, qui eſt verbum Dei; quo non tantum vos defendere, verum etiam argumentis inde depromptis adverſarios veſtros proſternere ac vincere poteritis.

Verſ. 18. His armis inſtructi addite præterea omne genus precum ac ſupplicationum, quibus Deum interpelletis aſſidue. Verum eas fundere debetis non frigide, ſed ferventi ſpiritu; nec demum ubi vobis prorſus vacat, ſed potius huic rei invigilate, & tempus ſomno aliiſque rebus ereptum illis impendite, magna hac in parte perſeverantia ac conſtantia uſi.

Verſ. 19. Nec pro vobis tantum orate, ſed adjungite preces etiam pro omnibus Deo conſecratis, qui ſunt Chriſtiani homines, ac nominatim pro me, qui id mihi inprimis velim a Deo impetrari, ut mihi tum, cum ad docendum os meum aperuero, oratio ſuppeditetur, quo poſſim audacter ac ſine metu [vel: ut mihi ſuggeratur & inferatur oratio eo pacto, uti os meum aperiam, atque ad homines loquar audactes, ſine ullo metu ac trepidatione, quo poſſim in tanto hominum ſplendore, ac urbis hujus celebritate, omnibus patefacere myſterium illud Euangelicum: vel: doctrinam illam reconditam, quam Euangelium promulgat.]

Verſ. 20. Cujus patefaciendi cauſa legatione fungor a Domino Jeſu mihi commiſſa, catena vinctus: ut, inquam, de myſterio hoc Euangelico ita libere atque audacter loquar, quemadmodum convenit me, qui ad illud annunciandum cælitus miſſus ſum, loqui.

Verſ. 21. Ut autem, quemadmodum ego aveo ſcire, quo loco ſint res veſtræ, ita etiam vos ſciatis, quid me fiat, quidve rerum geram, omnia iſta vobis ſignificabit Tychicus, chariſſimus noſter frater, qui in rebus ad Chriſtianam Religionem pertinentibus fidelem tum ipſi Domino, tum Eccleſiæ ejus operam præſtat:

Verſ. 22. Quem eum ipſum in finem ad vos miſi, ut ſciatis quis ſit rerum mearum ſtatus, & animos veſtros, meo fortaſſe periculo perculſos, erigat ac conſoletur.

Verſ. 23. Precor autem omnibus, qui fraternitatis Chriſtianæ vinculo connexi ſunt, pacem & concordiam inter ſe colant, ac charitate, quæ illius fons eſt, ſe invicem complectantur, atque una conſtanter doctrinæ Chriſti fidem adhibeant.

Verſ. 24. Id vero præſtet Deus ille qui Pater eſt & Dominus Jeſus Chriſtus, cujus utriuſque gratia ac favor contingat omnibus qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum integre ac conſtanter diligunt. [vel: ita diligunt, in cum effectu ſuo integritatem vitæ conjungant.] [vel: non ita ut olim mortalem ac corruptibilem, ſed nunc immortalem diligant.]

COM-

# COMMENTARIUS IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

## ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

*In hac epiſtola id agit apoſtolus, ut oſtendat, curæ ſibi eſſe ſalutem Philippenſium, eoſque hortatur ad officium hominum Chriſtianorum, monetque ut caveant ſibi a falſis doctoribus volentibus eos abducere a ſinceritate doctrinæ euangelicæ. Præterea de ſtatu ſuo eos reddit certiores. Timotheum & Epaphroditum commendat. Philippenſium factum, qui pecuniarium ſibi miſiſſent ſubſidium laudat. In primo capite, effecta ſuæ in eos charitatis effundit. Salutatione præmiſſa, tum quis ſit ipſius ſtatus, & quæ effecta vinculorum ejus, docet; tandem hortatur eos ad pietatem.*

## CAPUT I.

Verſ. 1. *Paulus & Timotheus.* Conjungit autem ſecum Timotheum hic & alibi, ubi Sylvanum ſeu Silam adjungit. In 2 epiſtola ad Corinth. cap. 1 Timotheum iterum ſecum conjungit. 1 epiſt. ad Theſſ. 1, & Sylvanum addit. In 1 Cor. 1 Soſthenem addit, ubi Timotheus non adjungitur, qui miſſus fuit ad eos, nec præſens fuit, ut patet ex ultimo capite ejuſdem epiſtolæ. *Servi*, non vulgari & communi, ſed peculiari ratione, qui unice ſeſe addixerunt euangelio Chriſti, nempe in eo prædicando. Alii tantum ſerviunt Chriſto in pietate, alia interim tractantes; illorum vitæ genus hoc erat.

*Omnibus ſanctis*, per Chriſtum ſanctificatis, & a cæteris hominibus ſeparatis, qui Chriſtianam religionem ſunt amplexi. *Philippis.* Philippi urbs Macedoniæ celebris.

*Cum epiſcopis*, id eſt non tantum vulgaribus fidelibus, ſed & epiſcopis, qui eccleſiam gubernant, quorum alii paſtores ac doctores, quanquam in iiſdem utrumque eſſe poteſt, qui inſpiciunt eccleſiam; diaconi non regunt eccleſiam, ſed miniſtrant ei in rebus carnalibus, doctores omnes videntur eſſe epiſcopi.

Verſ. 2. *Gratia vobis.* Vide alibi.

Verſ. 3. *Gratias ago Deo.* Incipit ſuum teſtari erga Philippenſes affectum, quia & gratias agit pro iis Deo, & orat, quod poſterius explicat ſtatim. Pro qua re gratias agat ὑϛ. 5 demum exprimitur, pro communione ſcilicet cœtus.

*Super omni mentione*, id eſt quoties ego veſtri memini. Beza aliter, ſed non ſat recte. Senſus eſt is, ſæpe ſum veſtri memor, & cum ſum memor, non poſſum me continere, quin id faciam.

Verſ. 4. *Semper in omni.* Hoc poſtremum in parentheſi legatur, etſi cum prioribus conſtructione cohæreat. Apparet enim Paulum tunc egiſſe gratias, cum oravit. Quoties mentionem veſtri facio, toties gratias ago. Facio autem id ſæpiſſime, quia quoties precor, tum pro omnibus vobis precor cum gaudio. Poſſunt enim ſic diſtingui verba: ſemper in omni precatione mea pro omnibus vobis cum gaudio gratias ago. Si diſtinctio Bezæ eſſet retinenda, tum non hoc Paulus faceret quod inſtituit, ſed tantum quod cum gaudio gratias ageret pro iis, non autem quoties memor eorum eſſet id faceret. Oſtendit autem precationem illam conjunctam eſſe gratiarum actioni. Vix enim hoc gaudium potuit eſſe ſine gratiarum actione pro iis, ex quibus gaudium percipiebat. Breviter, in omni præcatione mea, id eſt quando & quotieſcunque preces facio cum gaudio pro vobis precationem facio: vel ita: In omni mea precatione pro vobis ſemper cum gaudio precationem facio.

Verſ. 5. *Super communione*, pro eo quod participes una nobiſcum ſitis euangelii. *A primo die.* Hoc videtur cohærere, cum illis verbis *Gratias ago Deo.* Etſi etiam poſſunt verba cohærere cum voce communionis, magis tamen prior probatur, ut oſtendat Paulus, quod gratias ageret pro iis, ab ipſa die, qua receperant euangelium uſque ad illud tempus, quaſi dicat: Quoties ego ſum veſtri memor, gratias ago domino meo pro vobis ab illo die, ex quo recepiſtis euangelium. *In euangelium.* Vel εἰϛ pro ἐν poſitum eſt, vel, in euangelium eſt ratione euangelii.

Verſ. 6. *Confiſus.* Poteſt hoc tanquam diverſum adjungi ſuperioribus, ut nec rationis nec conditionis ſit nexus, ut dicat, gratias ago & confido: aut etiam ei cui alacriter gratias ageret, qui contuli illud. Pro invito enim beneficio, non facile eſt gratias agere alacriter.

*Confisus idipsum.* Dubium est, a referendum sit vox idipsum, ad mox sequentia, an ad superiora. Si αὐτὸ habet vim consuetam videtur addendum κατὰ: quasi dicat, perinde atque hactenus factum est, & secundum id quod hactenus vidi hoc spero, convenienter iis, quæ facta sunt a nobis: si non retinet vim, tum sensus, erit hic, quasi dicat confisus quod qui in cepit bonum opus &c.

*Opus bonum.* Id est fidem adhibitam Christi euangelio ejusque effecta, vitæ nimirum sanctimoniam. *Ad finem perducet*, id est ad mortem, quod enim ad mortem fit, censetur factum ad diem adventus domini Jesu. Medii temporis non habetur ratio, nec enim sentitur illud tempus nec ratione salutis ulla interveniet mutatio. Causa cur ita loquatur apostolus, hæc est. Primo Quia solatium exprimit, & fugit funestum ferale, propter ἐνφημίαν, ideo dicere maluit, finem quam mortem, quia mortis mentio feralis est est. Secundo. Quia non tantum singulorum voluit habere rationem, sed & universorum, ut spectaret universam ecclesiam eorum ita duraturam. Potuit enim & de eo confidere cujus bonum erat initium. Magis tamen singulorum habuit rationem, quandoquidem neque de universis desperabat.

*Diem Jesu Christi.* Dicitur dies Jesu Christi, quia tum Jesus Christus insigne opus est facturus - imo operum ipsius maxime insigne & compendium quoddam omnium suorum operum illum diem occupaturum est.

Vers. 7. *Quemadmodum æquum est.* Indicat, non injuria se ita sperare, Deum id facturum, ut essent constantes ad mortem usque. Æquum enim est, ut de vobis omnibus id sentiam & bene sperem. Disceptant in sequentibus interpretes, ubi est amphibolia, cum non constet, quod sit agens, quod patiens, an antecedens an consequens. Alii sic reddunt: *quod ego vos habeam in cordei alu*, quod *vos me habeatis* in corde, quę sententia est satis commoda, & nihil habet incommodi, sed altera commodior esse potest ex Beza: quod habeam in corde vos esse participes istius meæ gratię in vinculis meis. Secunda sententia est, quod vos me habeatis in corde, vos, inquam, qui tales estis, qui in vinculis meis estis participes: quasi dicat, ideo ego ita de vobis sentio, quia probe animo cernam vos esse participes meorum malorum, in quo est singularis gratia Dei, quia perpessum Paulum viderent, & causam, ob quam passus est, viderent, & participes etiam essent ejus afflictionis. Habere in corde, est bene meminisse & profunde cogitare. Ὀρθῶς pro εἶναι esse sive existere ponitur, ut sæpe fit. Si sumatur secundo sensu, significabit eos bene cogitasse de Paulo, & in corde eum habuisse afflictum. Bis autem posuit apostolus ὑμᾶς; itaque videtur hoc pronomen ex Hebræorum pleonasmo redundare, qui sæpe antecedentibus conjungunt affixa, quæ vocant. Sed propter multa interposita commodissime illud explicari potest per epanalepsin. Vos, inquam. Omnes autem participes erant in vinculis, in apologia, in confirmatione euangelii, quatenus ejus curam sic gesserunt, ac si ipsimet vincti & in conditione Pauli constituti fuissent. quo sensu etiam author ille ad Hebræos dicit, fideles illos participes fuisse eorum, qui Christi causa calamitates pertulerant Heb. 10. 33. χάριτος. Χάρις, divinum beneficium, vel etiam ipse divinus favor est. Per metonymiam autem transfertur etiam ad ea, quæ ex hoc favore proficiscuntur. Hoc autem loco significat afflictiones & mala seu vincula, quæ Christi causa tolerabat apostolus. Magnum enim Dei beneficium est, Christi & euangelii causa affligi. Ideoque ℣. 29 dicit apostolus, illis donatum esse, ut pro Christo paterentur. Donum hoc vocat apostolus, quod non cuivis contingit, nisi ei, quem Deus singulari favore suo complectitur. Ideo autem gratiam afflictiones suas vocat, ut eis animos adderet, se jure ex istis eorum officiis ac communione secum hanc spem & opinionem, quam supra expresserat, de iis concipere. Potuit quidem sine hac Paulus contentus fuisse prædictis, sed magis eam rem explicat, & divinum beneficium esse addit. Vel quod gratiæ nomine vult celebrari illa vincula, accusationem &c; aut etiam, quia diversæ res erant istę explicatę a gratia divina, cum in illis enunciatis per se non sit gratia. Diversa hic esse potest ratio constructionis, ut per appositionem χάριτος vox addatur, nec tamen est secundum grammaticam, sed tantum quod ad sensum attinet. Si sine appositione est constructio, ut diversa consideret illa a gratia. Non dixit autem συγχάριτα in dativo casu, ut innueret, calamitates ipsas per se gratiam non esse, sed ratione præmii tantum & mercedis, quæ iis toleratis consequatur. Illa communio vel participatio fuit in eo quod paterentur, vel potius, quod ita essent ejus memores, & curam gerebant, quasi una vincti essent.

*Defensio*, quod euangelium defendebant adversus calumnias adversariorum, & munus suum commendabant; quod etiam per confirmationem intelligi potest, ubi, & vincula, & oratio pro defendendo euangelio includitur, quod perinde erat atque si adessent juvando Paulum, quantum in se erat.

Vers. 8. *Testis enim est.* Hoc videtur ad totum, quod superius dixerat a ℣. 3 referri, nempe ad gratiarum actionem & preces, cæterum horum causa addita. Testis gnarus est, videt, & potest de eo testari, est juramentum quoddam. Subauditur, enim imprecatio. Nam qui audet Deum in re falsa citare, is quasio eum ultorem vocat.

*Testis Deus*, id est gnarus est, consequens pro antecedente.

*Quod desiderem*, quantopere ego vos diligam. Improprie desiderium pro amore, hoc enim ad rem pertinet, & respicit ad superiora. Ex amore fluit gratiarum actio & precatio. Ὡς pro ὅτι potius quod significat, quam quomodo seu quantopere, nisi significet, quantopere velim vos diligi a Christo Rom. 1. 9.

*Cupio* pro amo, tum quia amor in cupiditate quadam consistit, tum ex Hebræorum idiotismo, apud quos idem valet & verbum *chamad* quod *hithavah*. Sic sumitur 2 Cor. 9. 14, & apud Latinos authores: alioquin cupere significat; quos enim amamus, eos quodammodo cupimus, & libenter unum cum iis fieri vellemus.

*In viscеribus Jesu Christi*, id est intimo affectu, tenerrimo affectu, vel affectu isto, qui a domino Jesu præscriptus est, & illi vehementer placet, quasi dicat affectu Christiano penitus convenit hæc dilectio doctrinæ Christi & moribus ex ea profectis, & illi vehementer probatur. Magnitudinem itaque & intensionem amoris istius declarat apostolus. Solent enim Hebręi viscera seu raçhamim omnes teneriores aç velutį maternos affectus vocare.

Vers. 9. *Et hæc oro.* Si legamus in superiori versu ὡς pro ὅτι, hic versiculus refertur ad id quod dixerat: Testis est mihi Deus, tum quod vos amem, tum quod precibus

precibus meis a Deo flagitem. Præſtat tamen prior ſenſus verborum, quoad viſcera Chriſti, poſteriori, quia ſi de amore Chriſti diſſereret, hoc ad gratiarum actionem nil faceret, ac tum debuiſſet potius Dei mentionem facere, aut cum Chriſto Dei præſertim, cum antea dixerit, ſe Deo gratias agere & precari. Poſſunt verba ſic conjungi, Deus etiam teſtis eſt, quod hoc orem, pendet enim præſtantius ex eadem particula, quanquam ſimplicitati ſermonis apoſtolici hoc non contravenit.

*Ut charitas &c.* id eſt ut in dilectione fraterna magis ac magis augeamini.

*In cognitione*, id eſt cum cognitione, ut ſcilicet ſimul cum charitate creſcat cognitio. Vel *in* poſitum eſt pro cum, ita ut illis precetur incrementum in charitate pariter & cognitione: vel charitas abſtracte poſita eſt pro concreto, id eſt pro charitate præditis, tanquam ſi diceret, hoc oro ut vos, qui tanta charitate flagratis, & ea prædíti eſtis, incrementum etiam rerum divinarum capiatis. Solemus enim virtutibus aliquid precari, quod virtute præditis propter virtutes iſtas optamus & precamur. Ut ſi quis diceret, precor ut liberalitas tua divitiis & opibus abundet & affluat. Non enim id ipſi precamur liberalitati, ſed homini liberali propter liberalitatem. Cognitio hoc loco ſignificat rerum divinarum ad religionem Chriſtianam pertinentium notitiam.

*Et ſenſu omni*, id eſt perfecto, ut ſimul cognitio abundet cum charitate & ſenſu perfecto. Poſſunt etiam eadem verba conſtrui, ut optet illis, ut charitas illa in hac re abundet, ut ratione cognitionis charitatis incrementum ſumat; hoc fit, quatenus in eo, qui charitate eſt præditus creſcit cognitio. Aut ergo optat charitatem cum cognitione, aut cognitionem in charitate, ut illi qui charitatem habent cognitionem etiam acquirerent plenam. Priori ſenſu duo optat, poſteriori tantum præſtantius, alterum autem tribuit Coloſſenſibus cap. 2. 2. Verba duplicem ſenſum patiuntur, aut, ut ſubinde in fide proficiatis & gratiarum actione, aut etiam, ut per fidem vobis contingat, ut gratias agatis. Cognitio refertur ad veritatem, non enim apoſtolus aliud vult eos noſſe, quam id quod ipſe noſſet, nempe euangelium.

*Omni ſenſu.* Id eſt intelligentia, nil enim hic noſter ſenſus valet aliud Hebr. 5 14. Intelligentia non ad precationem tantum, ſed & ad diſcretionem boni a malo pertinet. Cum enim ea, de quibus ait, apoſtolus non ſint ἀισθητὰ ſed νοητὰ apparet αἰσθησις hoc loco metaphorice ſumi, ut αἰσθητήρια dicto hoc loco ad Hebræos.

Verſ. 10. *Ad probandum τὰ διαφέροντα.* Id eſt quæ diſcrepant a ſalutari cognitione veritatis & a rebus honeſtis. Breviter, quæ a vero & recto diſcrepant.

*Ut ſitis ſinceri.* Ne autem admiſceatis aliquid impuri, doctrinæ Chriſti, aut labamini alicubi, vel ne ſitis vitiis aut erroribus infecti:

*Sincerum* id eſt quod purum & defæcatum ab omni impuritate: quod ſi transferas ad cognitionem, a falſo diſcernitur, ſi ad mores, ab inhoneſto; huc utrumque poteſt referri, ne vel errent in veritate, vel in pietate deficiant.

*Et ſine offendiculo.* Quaſi dicat, ac proinde nuſquam offendatis & prolabamini, ſive errori, ſive peccato alicui tanquam palo impacti.

*In diem Chriſti.* Jam dictum de eo verſu 6.

Verſ. 11. Ita ſitis puri vel ſinceri, ut ſimul ſitis impleti, ut etiam non tantum credatis, ſed etiam ſitis repleti *fructibus juſtitiæ*, id eſt opibus ex pietate manantibus.

*Per Jeſum Chriſtum*, id eſt qui fructus per Jeſum Chriſtum fiunt, hoc eſt ex præſcripto Chriſti:

*Ad laudem &c.* Finis, niſi quis velit ita explicare, qui per Chriſtum fiunt ad gloriam Dei.

Verſ. 12. *Scire autem.* Sequitur tertia pars, in qua apoſtolus indicat, quid ſecum fiat, quique ſit vinculorum ejus effectus, ita nempe: eæ quæ mihi eveniunt calamitates, tantum abeſt ut ceſſerint ad euangelii oppreſſionem, ut potius ad ejus profectum.

*Profectum*, id eſt ut doctrina euangelii tanto magis increbeſceret & latius ſpargeretur.

Verſ. 13. *Adeo ut.* Plerique putant eſſe tranſpoſitionem verborum iſtorum in Chriſto, & debuiſſe ita poni *vincula mea in Chriſto*, & id quidem veriſimile eſt. Quod ſi quis aliud malit, ſenſus erit. Quod ego vinctus ſum manifeſtum fuit omnibus, ſed ita, quod ego id Chriſti cauſa faciam; Nam quod aliqui volunt nobis Chriſtum patefacere, id falſum eſt.

*In toto prætorio.* Aula Cæſaris.

Verſ. 14. *Et plures fratrum*, Alterum quod oriebatur ex vinculis ejus.

*Fratrum in domino*, non quoad carnem nec in Judaiſmo. *Confiſi*, quia enim præſens erat apoſtolus, & ille potuiſſet confirmare euangelium eo magis, ſi illi deficerent. Animum ex eo ſumſerant, quod cum euangelium in vinculis defenderet, & quidem animoſe, ut etiam non renuerit vincula pati, Chriſti & euangelii cauſa. Idem ῾ſ. 15 indicat.

*Plures* præſertim conſtantia ipſius nixi, animos ſumſerunt, & magis fuerunt perſuaſi de veritate euangelii.

Verſ. 15. *Nonnulli quidem.* Hic non ſatis conſtat, an diſtinguat fratres in domino, an vero hos opponat illis fratribus in domino: quaſi dicat, ſunt etiam nonnulli, qui per invidiam loquuntur, non confidentes meis vinculis, ſed odio & æmulatione mei impulſi; ſed ſunt quidam, qui ex animo idem faciant. Certum tamen eſt Paulum in verbis prioribus eos potius intellexiſſe, qui ex animo id faciebant, interea tamen veluti conſequenter cæteros incluſiſſe; & ita loquitur ut excludat quodammodo eos & includat.

*Quidam quod propter invidiam.* Non deſunt quidam, qui velint inclareſcere ex euangelii prædicatione, ne ego ſolus hic laudem habeam quod euangelium promulgem, & patiar ejus cauſa. Ἔρις æmulationem, contentionis ſtudium de honore ambitum ſignificat. Prædicabant illi euangelium, ſed ægre faciendi Paulo & eum irritandi cauſa.

*Et propter beneplacitum.* Quia beneplacitum opponit æmulationi, veriſimile eſt intelligi benevolentiam erga ſe præſertim, ut indicet, illos ſibi fuiſſe bene cupientes. Et amore impulſi volebant illum juvare in vinculis; alias recte hoc transferri poteſt ad id in quo erant occupati, ut pro bono animo ſumatur, ſincere & ſtudio promovendæ veritatis.

*Illi vero ex amore*, ſcilicet erga Paulum & ejus munus.

Verſ. 16. *Illi quidem ex contentione.* Id eſt illi quidem contentionis ſtudio ducuntur.

*Non ſincere*, id eſt, non ſincero animo. Non intelligit eos corruptam doctrinam prædicaſſe.

*Arbi-*

*Arbitrantes.* Putant enim ſe ægre mihi facturos, ſi aſſeclas habeant plures, quaſi ego id curem, aut etiam quod putaverint hac ratione cauſam Pauli, apud Cæſarem gravare, quod ſub ipſius nomine plures ad euangelium adducant, ut poſtea accuſaretur novis religionibus repleviſſe urbem. Poterant illi Chriſti doctrinam amare, Paulum odiſſe.

Verſ. 17. *Illi vero ex charitate* ſcilicet erga me, cum videant ideo me huc a Chriſto miſſum & retentum, ut eccleſiam propugnem & defendam.

*Poſitus*, id eſt deſtinatus a Chriſto.

Verſ. 18. *Quid enim.* Quaſi dicat, etiamſi alii ex contentione id faciant, nil refert, quod ad hoc negotium, quod ego ſpecto, attinet, nihilominus

*Chriſtus annunciatur*, ſive hoc ſive illo modo. At ego vehementer gaudeo quod quacunque de cauſa id fiat, Chriſtus tamen annuncietur.

*Sive prætextu*, id eſt eam ob cauſam, ob quam fieri non debet, nec eo ſtudio. Prophaſis occaſio eſt alias & cauſa procatarctica: apud Paulum ſumi ſolet pro cauſa non ſatis juſta rei bonæ, ut ſi quis Chriſtum prædicet avaritiæ cauſa 2 Tim. 2. prætextu avaritiæ. Occaſio pro cauſa non vera, quæ minime vera eſſe poterat.

*Sive veritate*, ſive ſincere ea in re ageretur.

*Chriſtus tamen prædicatur.* Apparet illos utroſque ſincere Chriſtum prædicaſſe. Nam ægre illi ſemper fuit, qui impure Chriſtum prædicabat. Ego autem hoc gaudeo, & in poſterum mihi gratum erit.

Verſ. 19. *Scio enim.* Cauſam poſteriorum verborum addit, quia id ipſum erit cauſa quædam ſalutis meæ, & in ſalutem mihi cedet, atque adjuvabit me. Nam cum aliquis triſtia patitur ita, ut inde alii occaſionem habeant prædicandæ veritatis, id ei cauſa magis, ſalutis. Quia hoc magis commendabat, apud Deum. Hoc enim notetur quod id ex Pauli conſilio fuit. Voluit enim Paulus prædicari Chriſtum. Quaſi dicat ſcio enim quod Chriſtus ex meis vinculis ſumta occaſione prædicetur in ſalutem meam:

*Per veſtram precationem*, ſi tamen accedat veſtra precatio, & ita veſtris precibus impulſus Deus & Chriſtus ſuppeditaverit mihi ſpiritum. Non enim eadem ſemper vis fuit ſpiritus domini in apoſtolis, ſed copioſior ſeu major ipſis ſuppeditabatur, ſi in loco celebri erat dicendum. Interdum dicitur Paulus plenus ſpiritu; quo maxime apud Cæſarem opus habebat, in defendendo veritatem. Hoc promittit Chriſtus apoſtolis, ne cogitate quid dicturi ſitis. *Spiritus Chriſti*, qui ab eo proficiſcitur & in ejus manibus eſt poſitus.

Verſ. 20. *Secundum exſpectationem.* Quaſi dicat, quemadmodum ego vehementer exopto, deſidero & ſpero etiam. Referri hoc poteſt ad ſuppeditationem ſpiritus Chriſti, niſi quis malit ſpem referre ad illa inferiora.

*Quod in nulla re pudefiam*, ut ſuppeditetur mihi ſpiritus Chriſti, quemadmodum ego etiam ſpero & expecto mihi id eventurum, ne pudefiam; & quemadmodum ſemper ita nunc.

*Per corpus*, id eſt per me ipſum Chriſtus prædicabitur, ſive vitam mihi produxerit Chriſtus ſive non. Probabile eſt id intelligi de eo, quod corpore ipſius futurum erat, ſed ſequentia abſterrent.

*Mihi enim vivere.* Non fruſtra tamen dicit apoſtolus *in corpore*. Credendum enim eſt, Paulum velle dicere. Chriſtum magnifice de ſe prædicatum iri. Qui in vinculis ſum & in corpore patior ſive vivam ſive moriar. In corpore enim maxime Chriſto ſerviebat.

*Sive per vitam* &c. Sive moriar.

Verſ. 21. *Mihi enim vivere.* Id eſt quia vita mea nihil aliud ſpirat niſi Chriſtum, in Chriſto tota vita mea eſt. Ergo magnifice per me prædicabitur Chriſtus dum vivam.

*Mori lucrum.* Quaſi dicat, ego libenter mortem pro Chriſto ſubibo. Ergo magnificabitur in me Chriſtus. Libenter id faciam, quia hoc lucrum erit mihi, propter lucrum libenter moriar. Jam autem dum moriar, Chriſtum morte magnificabo.

Verſ. 22. *Si vero vivere in carne.* Duplex poteſt eſſe ſententia. Alii interpretes ſubaudiunt, *contingat*. Si in carne vivere contingat, iſtud vivere mihi pariet fructum, ut operer. Poteſt & alius eſſe ſenſus: ſi vero in carne vivere mihi eſt fructus operis, hoc aberit.

*Ideo neſcio quid eligam.* Antea dixerat, mihi vivere Chriſtus; nunc dicit hæc de fructu operis.

Verſ. 23. *Teneor enim ex duobus.* Quaſi dicat ex duabus partibus premor, utrinque coarctor. Ex una parte habens cupiditatem, id eſt volens diſſolvi. A nautis ſumitur metaphora Luc. 12. 36. 2 Tim. 4. 6. Ita agit ac ſi ſtatim poſt mortem cum Chriſto futurus eſſet. Sed tamen quia medium tempus inter mortem & reſurrectionem non numeratur, ideo licuit ei ita dicere.

Verſ. 24. *Magis neceſſarium.* Multo a ſubauditur. Sed poteſt etiam ſumi pro multo melius. Melius eſſe dicit reſpectu ſui. *Manere in carne*, id eſt vivere in carnali corpore magis neceſſarium vobis.

Verſ. 25. *Et hoc confiſus.* Et quia hoc vobis magis neceſſarium & utile eſſe perſuaſus ſum, ſcio quod manebo.

*Et una*, id eſt non tantum in vita, ſed etiam vobiſcum ſum manſurus. Eraſmus participium παροῦσα pro adverbio ſumit in paraphraſi.

Ad *veſtrum profectum*, id eſt ut proficiatis in fide & gaudeatis.

Verſ. 26. *Ut gloriatio veſtra.* Videtur alium quendam finem ponere, ut illi propter Paulum, quod rurſus ad illos veniſſet, gloriarentur de Chriſto Jeſu. *In me* id eſt, per me.

*Per meam præſentiam*, quod tantum beneficium Paulo præſtitiſſet, quod ex illis vinculis præſentem eum ſtatuiſſet Philippis. Gloriari, eſt ſe felicem prædicare.

Verſ. 27. *Tantum digne.* Eſt altera pars capitis primi, qua hortatur eos in genere ad conſtantiam in religione Chriſtiana, tum in ſpecie ad afflictiones.

*Tantum digne.* Oratio quodammodo abrupta. Requirit enim aliquid replendum; ſed quicquid mihi contingat, hoc vos tantum agite digne, id eſt, prout convenit, alii explicant, prout dignum eſt euangelio. Sed apoſtolus vult eos, prout decet, qui euangelium amplectuntur, vel ut Chriſtianos decet πολιτεύεσθαι, vivere, vitam agere. Tranſit poſtea ad exhortationem ad concordiam.

*Ut ſive* &c. Priora verba ita poſſunt conjungi, ut ſive venero, videbo vos, ſive abſens fuero, audiam. Magis ad abſentem refertur animus: vel ſimpliciter ſenſus eſt: ſive eo venero & videro vos, audiam, ſive abſens fuero, itidem audiam &c.

*Quod ſtetis.* Conſtantia indicatur hoc vocabulo: quaſi dicat, vivatis conſtanter in uno ſpiritu, id eſt ita ut unus veſter animus, ſpiritus & anima, idem eſſe poſſint.

Aut

Aut per prius intellectus, per posterius voluntas significatur, quasi dicat, ut idem sentiatis & velitis, aut ut idem nolitis, idem velitis.

*Una certantes.* Hoc duobus modis accipi potest, vel ita quasi diceretur, ut una certetis cum fide euangelii, vel & omnes una certetis fide euangelii, vel ut hortetur ut illi omnes una velint certando operam dare fidei euangelii, atqua ita fides euangelii sit finis cui certando operam dare debeant, ut qui conjuncta manu certent doctrinæ Christi: vel sic quasi dicat fides euangelii habet multos adversarios, vos ergo una cum illo certate, & adversus eosdem adversarios a quibus illa oppugnatur, depugnate. Hoc sensu doctrina euangelii erit instar ejus, qui oppugnatur, & cui pugnanti opus est suppetias ferre. Tertius sensus est: Certate fide euangelii, id est per fidem euangelii. Si, duo priores sensus admittantur, fides sumi poterit pro doctrina fidei in euangelio tradita: Si ultimus, fides pro assensu qui adhibetur euangelio sumetur.

Vers. 28. *Et non terreamini.* Perseverat in metaphora, quasi dicat ne animo concidatis conterriti. A militibus aut athletis petita similitudo.

*In nullo* scilicet opere, quasi dicat, nunquam, aut nulla in re, seu nulla re: quasi dicat, quicquid fiat ab adversariis, nulla in parte istius pugnæ sit aliquis timor.

*Ab adversariis*, id est ab iis qui vos persequuntur.

*Est demonstratio*, id est illa res ostendit illos perituros.

*Vobis autem salutis*, id est vos salutem consecuturos. Ratio ejus rei redditur 2 Thessal. 1. 4, 6.

*Et hoc a Deo.* Nempe quod affligimini. Est quasi altera ratio ne terreantur illis afflictionibus, vel qua doceantur ipsis hoc cessurum ad salutem.

Vers. 29. *Siquidem vobis.* Declarat hoc ex Dei voluntate factum. Quia vobis donatum est *per Christum*, id est in negotio Christi, vel quod attinet attinet ad illud quod pro Christo fit, vel quod attinet ad ea quæ ad Christi gratiam spectant.

*Pati pro ipso.* Id est ad regnum ipsius promovendum pati, & in gratiam illius, quod opus est fidei.

*Donatum.* Oblata est nobis occasio a Deo, & campus præbitus, ostendendæ virtutis. Hinc patet, quando fides a Deo donetur.

Vers. 30. *Idem certamen.* Id est ita ut eodem modo certetis quemadmodum alioquin me vidistis certare, & nunc auditis.

*In me.* de me. Sic meditari in lege domini, id est de lege. Non observavit apostolus constructionem. Possunt etiam eadem verba conjungi cum eo quod dixerat, *ne terreantur ulla re.* Sed nihil est opus. Act. 16. 9. & deinceps patet quid viderint Philippi, quid audiverint, ex eo quod Roma, ubi patiebatur, ad eos scripserit.

## CAPUT II.

### ARGUMENTUM.

*Pergit apostolus primo hortari ad vitam piam, deinde quædam de Timotheo & Epaphrodito adjungit. Pergit autem adhortari ad fraternam charitatem, ad quam cœperat hortari supra cap. 1 vers. 22.*

Vers. 1. *Si quæ ergo consolatio.* Duobus modis vox παράκλησις verti potest, nempe *exhortatio* aut *consolatio.* Deest verbum *est.* Si sumas vocem Græcam pro adhortatione, ut Calvinus facit, vox supplenda erit, *locum habet*; si vero pro consolatione, ita explicabis, si quæ consolatio, quæ a Christo est præscripta, esse debet, seu locum habere debet.

*Si quod solatium charitatis.* Id est si quod solatium, scilicet est, vel esse debet, quod in charitate perficitur, quasi dicat, si ex charitate aliqua potest ac debet procedere consolatio. Sensus igitur, tum horum, tum præcedentium verborum est: Si Christiana religio jubet alios consolari, aut Charitas ipsa. Si pro consolatione sumatur vox παράκλησις, solatium effectus erit a duabus causis pendens, nempe a Christiana religione & charitate ipsa: nam & Christiana religio & charitas ipsa jubet solari afflictos.

*Si quæ societas*, id est si quid valet conjunctio spiritualis, quæ inter nos est. Nam conjuncti debent se mutuo solari.

*Si quæ viscera*, id est si in vobis reperitur aliquis affectus internus, & nostis alicujus misereri.

Vers. 2. *Implete.* Ostendatis omnia hæc, & illam consolationem & conjunctionem & viscera in me. Ego sum afflictus, indigus solatii, me solamini, implete meum gaudium. Gaudebat ille jam de Philippensibus, sed idem etiam vult imposterum. Impleri vult gaudium, quia deest adhuc aliquid. Apparet inter illos non satis viguisse concordiam, ideo illos monet, ut perficiant gaudium suum.

Jam porro ostendit, qua in re, *ut idem sapiatis*, in eo, inquit, ut idem spiretis, ut sitis concordes; pluribus verbis utitur ad inculcandam necessitatem & perfectionem illius concordiæ. Φρονεῖν de voluntate & desiderio usurpatur: Sic Rom. 8. 5.

*Eandem charitatem habeatis.* Mutuo affectu vobis invicem respondeatis, par in omnibus sit dilectio.

*Unanimes.* Idem velitis. (verba plura & quidem emphatica, rei perfectionem & necessitatem indicant) Deinceps ostendit quid obstet concordiæ, & proinde quid fugiendum.

Vers. 4. *Nihil*, scilicet agentes *per contentionem*, per studium contentionis, vel per æmulationem, qua alii alios vincere laborant, cedere nescii:

*Aut vanam gloriam.* Id est vanæ gloriæ studium atque amorem. Contentio rumpit charitatem, gloriæ vanæ studium parit contemptionem: qui gloriam amat, vult aliis esse superior, alios deprimit, spernit. Contentio per se concordiæ adversatur, vana gloria per accidens. Sic ad Galat. 5 vers. ult. His opponit alia.

Sed contra seu potius. *Humillitatem animi colite*, & ea impulsi, alios eminentiores vobis quisque cogitate, id est ita vos gerite erga alios, ac si eos vobis superiores judicaretis, utut vos illos donorum excellentia vincatis. In Christo id videmus, qui humilitatis fuit exemplar, is suo exemplo humilitatem docens legitur dixisse, vos vocatis me dominum & magistrum &c. *sum enim.* Itaque & agnovit suam excellentiam, & tamen se submisit, illis pedes lavando. Opinio esto vera, facta sint talia, quasi sis humilimus: Hoc etiam

ſit, quando alter cum altero non contendit, ſed cedit; honore eum prævenit, ne alter offendatur.

Verſ. 4. *Non* &c. id eſt ne quiſque id tantum ſpectet & quærat, quod ipſi placet, aut commodum videtur, ſed & quæ aliis placent. Hoc referendum inprimis ad uſum adiaphororum; ſed & ad alia; honore, verbi gratia, etſi eo digni ſimus, ne utamur ob offenſam aliorum; commodis etiam cedendum, etiam voluptati: ne alii offendantur, ut illis nos ſpoliemus aliorum cauſa. Hoc humilitatis eſt, aliis incommodo ſuo gratificari, ac ſervum ſe aliorum quaſi facere. Prudentia etiam hic adhibenda, & videndum, ex qua re majus periculum ſit; & an ex tuo facto ſit ſecutura duplex, ſibique invicem contraria offenſio, quæ majori quæ minori cum periculo ſit conjuncta. Non dicit autem apoſtolus, ut ſolu ea, quæ aliorum ſunt ſpectemus, ſed etiam ea quæ aliis placent; ut hæc conciliemus cum illis, quæ nobis placent. Rem mire librat & limitat apoſtolus. Nam prior pars hujus ſententiæ ſimpliciter fuerat elata, ita nimirum ac ſi plane non liceret ſua quærere. Sed in poſteriore parte, dictum id aliquo modo limitat, addita particula *etiam*, quæ indicat ita propemodum accipienda eſſe priora verba, ac ſi iis appoſita fuiſſet particula *tantum*. Non appoſuit tamen eam apoſtolus, ut indicaret, potius aliorum, quam noſtri ipſorum, habendam eſſe in iis, de quibus agitur, rationem.

Verſ. 5. *Hoc ſentiatis.* Exemplo Chriſti animi humilitatem, modeſtiam, & obſequendi aliis ſtudium comprobat: quaſi dicat, is ſit veſter animus, qui in Chriſto fuit, ita ſitis affecti atque animati, ita vos gerite.

Verſ. 6. *Qui in forma.* Primo oſtendit Chriſti ſummam, qua fuit præditus, excellentiam, deinde quomodo ſe demiſerit. Ut alicujus modeſtia oſtendatur, primo videatur præſtantia, & quam multa fuerint quæ ipſum potuerint impedire, quo minus ſe demitteret; deinde quantopere ſe demittat. Forma ſervi non eſt eſſentia ſubjecti illius, qui ſervus dicitur, ſed conditio. Servum autem & mancipium eſſe non eſt aliquod ſubſtantiale. Antea erat inſtar Dei; poſt inſtar ſervi. Deo nemo ſublimior; ſervo quid vilius? Μορφὴ forma ſeu ſpecies externa. Non philoſophum apoſtolus egit, vide Piſcatorem. Forma Dei conſiſtit tum in virtute divina, quæ in ipſo reſidebat miracula patrandi, & cum aliis communicandi; tum in eo quod adorabatur, non vulgari ſed divina ratione. Cæcus natus Chriſtum adorabat; ideo quia filius Dei &c.

*Non duxit rapinam.* Donum Dei eſſe ratus eſt, ideoque id ad Dei, a quo acceperat, nutum depoſuit, non ſe geſſit ut raptores; qui non deponunt rapta, ad arbitrium eorum, quibus eripuerunt. Piſcator aliter, nempe de eo qui non oſtentarit hoc tanquam prædam.

*Æqualia.* Adverbialiter ſumitur, minuiturque vis argumenti adverſariorum, æqualem neminem eſſe Deo præter Deum. Quod argumentum in ipſos retorqueri poteſt. Sed Græca ſignificant non *æqualem eſſe*, ſed *æqualiter eſſe*, hoc eſt *æqualiter ſeſe habere* aut ſeſe gerere Deo, referturque ad aliquam qualitatem, non ad naturam; & ſignificat, quomodo quis ſe gerat. Sed legatur ſane, ut volunt, tamen æqualitas erit non abſoluta, ſed ratione rei certæ, ut Matth. 20. 12, feciſti eos nobis æquales, cum tamen in pretio tantum fuerit æqualitas. Præterea æqualitas, in vulgari loquendi ratione, non ſumitur exquiſite pro omnimoda æqualitate, ſed tantum in ea re, in qua æqualitas illa ſpectatur. Æqualitas in miraculorum patratione, & virtute, in ipſo reſidente, tum in eo, qui cultu divino celebratur, conſiſtit, uti diximus Joh. cap. 5. ubi explicat & æqualitatem illam & inæqualitatem: Hucuſque operatur pater &c.

Verſ. 7. *Sed ſeipſum exinanivit*, ſeſe veluti privavit ea Dei forma, dum non uſus eſt virtute & majeſtate ſua, *forma ſervi* ſumta pro conditione.

*In ſimilitudine hominum*, id eſt hominibus vulgaribus ſimilis. Sic Samſon loquitur Judic. 16. ℣ſ. 7; & Pſalmo 82: moriemini ut homines. Ita ſe geſſit Chriſtus, ac ſi nihil habuiſſet ſuper homines egregii.

*Et habitu.* Explicat idem aliis verbis. Externis nempe actionibus, & illis quæ patiebatur, fuit ut alius homo.

Verſ. 8. *Humiliavit.* Explicat ulterius humilitatem Chriſti;

*Uſque ad mortem crucis.* Quaſi dicat non vulgarem, ſed ignominioſiſſimam ac crudeliſſimam.

Verſ. 9. *Propterea.* Hactenus exemplum modeſtiæ atque humilitatis nobis exhibuit, nunc etiam fructum oſtendit, ut tanto magis nobis humilitatem commendet. Illud enim non ſufficit ad commendationem.

*Superexaltavit.* Quaſi dicat ex illo humili loco eum in ſummam ſublimitatem evexit; eſt hypotipoſis quædam. *Nomen.* Non de appellatione aliqua loquitur: nulla enim fuit tam excellens appellatio, quæ ipſi in terris non ſervierit, ſed de dignitate & imperio. Nominis autem voce iſta deſcribuntur, quia illuſtre ſolet eſſe nomen eorum, qui in dignitate ſunt & imperio. Sic ad Hebræos 1: quo excellentius præ angelis ſortitus eſt nomen, nempe ſummam dignitatem & ſummum imperium.

Verſ. 10. *In nomine*, id eſt propter nomen, id eſt dignitatem. *Jeſu.* Jeſus Chriſtus perſonam denotat, quaſi dicat ut ob nomen, quod adeptus eſt Jeſus, id eſt ob dignitatem iſtam, omne genu cæleſtium &c. flectatur. Papiſtæ & alii putant materialiter ſumendam vocem Jeſu, quaſi explicetur vox nomen.

*Omne genu flectat*, ſcilicet ſeſe, vel flectatur, paſſive, ut 1 Cor. 5: ubi (ſe) convertit ad dominum. Sic Rom. 14. verſ. 11: Vivo ego, quia mihi flectetur; ad quem locum Paulus alludit. Verba hujuſmodi reciproce uſurpantur, converto, flecto, exerceo & alia ſimilia, de quibus Beza. Genua flectere, eſt adorare, aut honorem exhibere, Metonymica locutio. Sumitur ſignum honoris pro honore, ſed ſimul etiam eſt metaphora a rebus terrenis ad divinas: vel ſynecdoche, ſpeciei pro genere. Matth. 8. 2 dicitur leproſus adoraſſe Chriſtum. Marc. 1. ℣ſ. 40 genua flexiſſe. Luc. 5. ℣ſ. 12 in faciem cecidiſſe. Si licet illum adorare, etiam genua flectere licet iis qui ea habent.

*Cæleſtium*, non genubus, quia non habent, ſed animo. Hoc facit ad comprobandam adorationem Chriſti Jeſu. Sed & ratio dictat imperium mereri honorem; & divinum quidem, divinum, humanum vero & civile civilem.

*Terreſtrium*, quæ ſunt in terra, hoc eſt hominum viventium.

*Subterreſtrium*, quę ſunt ſub terra, ut ſunt mortui, qui nunc

qui nunc ſunt ſub terra, ex vulgari opinione, indulſit aliquid apoſtolus elegantiæ ac concinnitati diviſionis. Iſti autem maxime intelliguntur, qui alioqui agnituri ſunt bonitatem Chriſti & potentiam. Hoc autem fiet, quando ad tribunal Chriſti adſtabunt, quo locus ad Rom. 14 pertinet. Etſi enim de Deo ſermo ſit; in Chriſto tamen Deo honor exhibebitur. Cæleſtes ſemper Deo honorem exhibent, & in terra fere omnes, dum agnoſcunt illius imperium & poteſtatem. Quod ad Chriſtum attinet, cæleſtes ab ejus aſcenſione id faciunt; Terreſtres, prout agnoſcunt illius imperium. Mortui tum cum ſunt agnituri. Non mortui te laudadabunt domine, dicit David. Adoratio iſta conſiſtit in demiſſione animi, qua cum reverentia agnoſcimus alicujus imperium, & ad omnia nos illi ſubmittimus, tum etiam temporis quum habile ad hoc corpus habebimus.

Sequitur apud apoſtolum profeſſio nominis & celebratio Chriſti.

Verſ. 11. *Et omnis lingua*, proprie de hominibus quod dominus ſit Jeſus, hoc eſt illud nomen ſummum. Dominus, id eſt ille unicus, cæleſtis, qui omnibus in cælo & in terra imperat. Vix arbitror hic angelos intelligi, quanquam haud nego illis quoque hæc verba accommodari poſſe, non ſecus ac ſuperiora.

*Dominus*, ſubaudi, *ſit* Rom. 10. Si confeſſus fueris ore tuo dominum, ſcilicet dominum Jeſum; idem vult ut credamus & ore profiteamur, ſed diverſa ratione; id explicat. (Nota apoſtoli ſemper præſupponunt ei, qui credat Jeſum eſſe Chriſtum, ſalutarem Chriſti doctrinam, nempe ejus præcepta & promiſſa nota eſſe aut fore, quo poſito, qui credit Jeſum eſſe dominum, is ex Deo naſcetur ac ſervabitur.) Summus Chriſti titulus, quod ſit dominus, quod ei nomen ſuper omne nomen donatum.

*Ad gloriam Dei patris.* Gloriam divini nominis eſſe finem domini Jeſu hinc patet. Omnia Deus propter ſe fecit. Non intelligi hic dominium independens patet ex eo, quod gloriam Dei patris, finem ejus ſtatuat. Ex hac ergo profeſſione, quod Chriſtus ſit dominus, ipſe Chriſtus quidem gloriam habebit, ſed tamen id in gloriam Dei patris redundabit, eam potiſſimum ob cauſam, quod tantam poteſtatem Chriſto dedit.

Verſ. 12. *Quare dilecti.* Cum ita præiverit nobis dominus Jeſus in demiſſione & obedientia Deo præſtita, & tantum præmium ſit conſecutus: vos etiam Deo obedite, & coram eo vos demittite, & ipſius cauſa, etiam ipſius ſervis parete; latius extendit demiſſionem, ut omnem obedientiam includat.

*Semper obediſtis.* Nempe Deo & Chriſto, & proinde & nobis & noſtris monitis. Poteſt etiam vox *quare* referri ad illa cap. 1, ubi monuit, ut digne ambulent euangelio; ipſorum exemplo illos ad bonum hortatur. Non enim decet a recto curſu quemque diſcedere.

*Non tamen*, ſcilicet ita operemini; quanquam etiam ad præcedentia eadem verba poſſint referri, nempe ad id quod ſemper obedierint. Sed rectius referuntur ad ſequentia. Non tantum obedite, ut præſente me deceret, ſed magis in abſentia.

*Salutem operari*, id eſt agere ea, quæ ad ſalutem adipiſcendam ſpectant.

*Cum timore*, anxii, diligentes, ac ſoliciti, verentes, ne ſalute forte excidatis, ac pœnas æternas incurratis.

Verſ. 13. *Deus enim.* Quaſi dicat quia etſi nos abſimus, & non ſint ii, qui vos hortentur, eſt tamen Deus, qui vobis præeſt. Hortatur enim eos, ut in abſentia ſua ſint diligentiores in ſalute ſua curanda. Etſi inquit, nos abſumus, Deus tamen vobis regendis præeſt. Ne hominum habetote rationem, Dei eſt habenda ratio. Magis objectioni occurrit, quam rationem reddit, quaſi dicat, non debetis cogitare; nunc apoſtolus non animadvertit, quid rerum geramus; Adeſt enim vobis interea Deus, dum nos abſumus: ne temere quicquam agatis in abſentia noſtra. Alii ita nectunt: quia jam ſufficientia media habetis ad ſalutem, debetis etiam ex veſtra parte facere omnia; Deus agit quod ejus eſt. Inultum non relinquet Deus, ſi vos velitis vobis ipſis deeſſe. Tertia connexionis ratio nimirum ut ad humilitatem tantum prior adhortatio valeat, quaſi dicat, ſitis humiles, non enim vos eſtis authores bonorum operum quæ exercetis, Deus operatur hæc omnia. Eſt nimis reſtricta iſta ratio; cum ſuperior adhortatio plura omnino in ſe videatur hic comprehendere.

*Timore & tremor* Epheſ. 6. 5 etiam in dominorum abſentia requiritur. Alludit ad id, quod dominis ſervi debent, ideo prior ſenſus magis placet. Non debetis, quaſi ad oculum tantum ſervire, ſed etiam Dei rationem habere.

*Operatur ut velitis* ſcilicet aliquid boni facere. Operatur actum voluntatis. Id facit dum revelat ac confirmat ſuam voluntatem, & promiſſa proponit, quæ nemo ſpernere poteſt. Summum bonum pro labore exiguo: facultas in vobis eſt, ſeu potentia volendi; actus ut ſit opus eſt, ut ſint quę vos moveant. Movent autem inprimis promiſſa. Sed in iis requiritur, tum ut res ſint certæ, tum etiam ut præſtantes. Si voluntatis potentia deeſt nobis, non debebat apoſtolus monere, ut operentur cum timore & tremore. Paulus dicit ſe pro iis orare Deum, ut id in illis efficiat. Notandum eſt, ubi oratur Deus ut quid faciat, ſemper Deum agere ita ut Deum decet; non extorquere obedientiam ab invitis. Non enim eſſet hic cultus. Honor non eſt, qui ab invitis extorquetur. Ita Deus operatur, ut ſponte & libera voluntate aliquid faciamus. Facit id dum proponit præmia. Juvat autem voluntatem & beneficiis aliis Qui vult, in illo effectus eſt facilis. Idem facit per pœnas, adhortationes &c.

*Pro beneplacito.* Latina verba hunc videntur ſenſum exhibere. Non veſtro merito, ſed ſola ſua voluntate adactus. Sed vocabulum ὑπὲρ aliud denotat. Quare videtur hic eſſe ſenſus: Deus ideo id facit, ut benignam ſuam voluntatem de ſalute veſtra ad exitum perducat, non ſibi ſtudens, ſed veſtro commodo. Alii hoc ita explicant, quaſi dicat ut id fiat, quod ipſi placet, ut idem ſit ſenſus, qui illorum verborum Coloſſ. 1. 9, 10: ad omnem placentiam, id eſt ut in omnibus placeatis.

Verſ. 14. *Omnia facite.* Jam ſpecialior ſequitur adhortatio ad pietatem, quamvis non valde ſpecialis.

*Omnia facite.* Hoc cum timore & tremore convenit. Maxime hic commendat officium Chriſtianorum, ut obediant ſuis paſtoribus, qui Dei nomine eis imperant. Apparet illos non ſatis ſuis epiſcopis fuiſſe obſecutos. Deum tamen adjicit, quia eatenus tantum eis obtemperandum, quatenus Dei nomine imperant. Inde in timore Dei aliis obſequi jubemur Epheſ. 5. & ab obedientia aliis præſtanda diſcedit Petrus 1 Pet. 5, ad obedientiam Deo exhibendam, ſeu ad humilitatem, qua ſub potentem Dei manum nos demittimus.

Verſ. 15. *Ut ſitis*, nimirum ſi faciatis ea quę jubemini, idque alacriter. Sitis irreprehenſibiles, omnia faciendo,

& quidem sine murmure. Sic eritis irreprehensibiles; *In medio nationis pravæ.* Totus enim mundus plenus est impiis hominibus. Decet autem homines separatos ab improbis, singularem pietatem sectari, ut non tantum in confessione pateat eorum ab aliis diversitas, sed etiam in moribus.

*In quibus*, id est inter quos homines perversos.

*Lucetis*, nempe quia veritatem divinam habebant, & in omnium oculis erant; quia erant ex tenebris eruti in lucem veritatis, ut statim addit.

*Sermonem.* Altera similitudo huic conformis. Vos sermonem vitæ tanquam lucernam in vobis sustinetis. Erant quasi candelabrum, aut locus sublimior, in quo lumen esset repositum, ut aliis luceret.

*Sermo vitæ*, id est vivificus sermo, qui vitæ consequendæ æternæ rationem monstrat. Illi ergo erant tanquam candelabrum, *sermo vitæ* quasi lumen. Verbum φαίνεσθε reddi potest, tum *lucetis* tum *lucete.* Locus utramque versionem patitur. Luminaria enim erant & sic lucebant Philippenses, quia sermonem vitalem hominibus præferebant. Si posteriori modo reddas *lucete*, sensus erit, pietate vestra, & bonis operibus sitis aliis conspicui.

*Tanquam luminaria.* Quasi dicat: estis enim luminaria ratione doctrinæ. Idem faciatis in vita & moribus.

*Ad gloriationem*, id est ut gloriari possim in diem Christi, id est qua utar usque ad diem domini Jesu; vel qua utar in die domini Jesu. Lucete, inquam, ad gloriationem meam, ut ego inde glorier in adventu Christi. Aut etiam *lucetis*, quod pertinet ad gloriationem meam.

*Quod non in vanum.* Id ostendit me jure gloriari posse, qui non in vanum cucurrerim, si vos a me ad Christum perducti, ad ipsius etiam præscriptum vitam composueritis.

Vers. 17. *Sed etsi libor.* Non satis patet, quomodo hæc cum superioribus nectantur. Attamen sensus est, quasi dicat, non tantum antea vestri causa laboravi, sed etiam nunc ita sum propensus in vestram salutem, ut non detrectem libari & victima fieri, ut vos in fide retineam; quin etiam ea re sim gavisus.

*Libari* pro cædi, victimam fieri.

*Super victima* ut ego fidem vestram victimæ instar Deo offeram. Simili ratione loquitur Paulus ad Rom. 15. 16.

*Oblatio fidei*, quatenus efficiebat, ut crederent & fide firmi starent. Hæc enim erat quasi victima Deo & hoc quæsivit Paulus per immolationem. Si etiam contingat hoc, inquit Paulus, gaudebo ego, & quidem *vobiscum*, qui istius beneficii fietis participes; vobis potissimum ea de re gratulabor.

Vers. 18. *Idem autem.* Propter eandem rem vos gaudium capiatis, id est quod ego vestri causa tantum paratus sim facere, congratulari Paulo de eo animo debebant, quod tam alacriter Deo serviret, ipsorum salutem tantopere amaret ac curaret. Vult illos congratulari sibi de hoc animo.

Vers. 19. *Spero autem*, id est me domini Jesu beneficio spero assecuturum, ut Timotheum, quam citissime mittam.

*Et recreer*, ut gaudium habeam in meis afflictionibus. Sperabat enim eum læta allaturum.

Vers. 20. *Neminem*, qui ejusdem sit animi & voluntatis mecum.

*Qui germane*, qui tam solicite sit curaturus ea, quæ ad salutem vestram pertinent; aut qui eo plane animo, quo ego, curarurus sit ea, quæ ad statum ecclesiæ vestræ salutarem spectant.

Vers. 21. *Omnes enim* &c. Non curant diligenter ea, quę ad negotium Christi pertinent. Itaque si alios mitterem, negotiarentur interea forte aut lucellum quærerent, hoc enim est sua quęrere. Non loquitur de re illicita prorsus, sed indecora ei, qui eam facit. Non est gratus Deo, qui suum negotium agit missus ad aliorum salutem curandam.

Vers. 22. *Probationem ejus* γινώσκετε. vel in imperativo, vel in indicativo, quasi dicat: inde videte ejus experimentum in pietate, vel etiam nostis eum, qualis sit in negotiis domini. Δοκιμὴ experimentum est.

*Quia tanquam patri filius*, quia, inquit, ita mecum laboravit in prædicando euangelio, quemadmodum filius cum patre ageret. Ambiguum est. Nam non constat, an id dicere velit Paulus, Timotheum sibi serviisse; an vero una secum Christo in euangelio. Videtur utrumque indicare voluisse, nimirum quod benevolo, & ut ita dicam, filiali affectu Paulo servierit, & una cum ipso Paulo servierit Christo in negotio euangelii, quemadmodum filius patrem solet adjuvare. Filius enim probus multos in se labores suscipit. Hinc agnoscite, ipsius pietatem & studium in promovendo religionis negotio.

Vers. 23. *Hunc igitur spero.* Ubi cognovero, quid mecum sit futurum, utrum moriendum sit, an liberandus sim, an diutius detinendus. *Spero*, non omnino pollicetur, sed ad illos se venturum tantum sperat.

Vers. 25. *Necessarium* &c. Jam ostendit, se per Epaphroditum illos invisere, & rationem reddit, cur non una cum Timotheo eum mittere maluerit. Commendat eum, quod frater & cooperarius Pauli & commilito, qui & varia pericula una cum Paulo sustinuerit, non tantum laborarit.

*Apostolum*, id est legatum. *& ministrum*, qui detulit ad me ea, quæ sufficerent indigentiæ meæ. Pecuniam enim ab eis collatam attulit.

Vers. 26. *Quandoquidem.* Quia ille tanto vestri desiderio tenebatur & affligebatur, quod sciebat vos audivisse de adversa ipsius valetudine; adeoque de ipso vehementer fuisse solicitos, quæ res ipsum vicissim solicitum habuit, eaque de causa quamprimum ad vos redire voluit, ut vos adventu suo recrearet. Apparet Philippenses illum ut magnum virum amasse. Ideo desiderabat illos suo adventu recreare.

Vers. 27. *Nam & ægrotavit.* Quasi dicat non fuit rumor vanus de ipsius invaletudine.

*Verum Deus misertus.* Causa pro effectu, id est ipsum valetudini restituit, in quo dicit se Deum respexisse. Satis afflictus fuit vinculis & morbo. Gravius adhuc fuisset, si obiisset.

Vers. 28. *Studiosius*, id est tanto magis in eo laboravi, ut eum mitterem.

*Ut videretis.* Tanto celerius eum nisi, ut vos ipsum videretis iterum & gauderetis videndo illum incolumem, & ego minus angerer. Eo enim pergavisurus erat Paulus quia Philippenses Epaphroditum viderent, & sic solicitudine liberarentur. Hoc tanto magis optabat Paulus, quia per ipsum.

Vers. 29. *Recipite*, excipite advenientem. *In domino*, quemadmodum decet Christianos, prout dignum est Christiana religione.

*Cum omni gaudio.* Explicat aliqua ratione, quomodo in domino debeant eum excipere.

*Tales* qualis est Epaphroditus, cur autem hoc?

Vers. 30. *Quia propter* &cid. est ut opus perageret, &

rem

rem perficeret, quæ Chriſto eſſet valde grata, & non ad privatum aliquod negotium ſpectaret, quod nunquam ſuſcepiſſet, niſi Chriſti cauſa.

*Vſque ad mortem*, id eſt vicinus factus fuit morti, periculoſum, & valetudini noxium iter ſuſceperat. Multis enim diſcriminibus, & maris & hominum vitam objicere eum neceſſe fuit. παραβολευσάμενος, non habita ratione ſuæ animæ, parvi eam pendens.

*Anima* pro vita temporaria. Saluti enim ſuæ æternæ tantum conſuluit. Neglectum animæ & vitę indicat, idque conſilio quod non tantum factum, dum iter emoliretur, ſed eo ipſo etiam quod Romam Paulo pecuniam adferret. Poterat inviſus eſſe Neroni & hoſtibus Pauli, quia cum Paulo ſocietatem coleret. *Ut impleret*, id eſt ut præſtaret id, quod vos præſtare debebatis, propter abſentiam autem non poteratis.

*Ille ſupplevit.* Jam me viſitavit & pecuniam dedit. Implevit ergo defectum officii a vobis mihi præſtandi.

## CAPUT III.

Verſ. 1. Τὸ λοιπόν. Hinc apparet apoſtolum hanc epiſtolam iſto præcepto concludere voluiſſe. Ideo ſeq. capite ad illud redit.

*Eadem ſcribere vobis.* Reſpectu ſequentium hæc dicit apoſtolus, ut apparet ex eo, quod dicat: Vobis vero tutum, id eſt ad veſtræ ſalutis ſecuritatem id pertinet; ſeu ut ſalus veſtra tanto magis ſit in tuto oſtenſo vobis, quid inprimis cavere debeatis.

Verſ. 2. *Videte canes*, id eſt circumſpicite & obſervate canes iſtos, ut ab iis vobis cavere poſſitis. Sic Rom. 16. 17. Quanquam ſimpliciter *videte* pro cavete accipi poteſt. Canes vocat iſtos falſos doctores, ob ſimilitudinem, eamque duplicem, tum quia impudenter allatrarent & morderent veram doctrinam ejuſque doctores ac profeſſores, tum quia ignari & inertes alieno cibo caudam jactantes & aſſentantes inhiarent. Unde infra dicit, illos eſſe inimicos crucis Chriſti, ventrem eſſe illorum Deum ℣ſ. 18, 19. *Malos operarios.* Si dicas, eos eſſe non otioſos, nec gratis alienum cibum captare, cum laborent in aliis docendis; fatebor illos agere quidem & operari aliquid, ſed mala.

*Videte concisionem.* Abſtractum pro concreto, non concidentes, ſed conciſos, quemadmodum ſequentis verſiculi oppoſitio requirit. Cum ait apoſtolus, *nos ſumus circumciſio.* Non enim dicit nos non circumcidimus eccleſiam, ſed circumciſi ſumus. Circumciſionem autem illam carnalem, quæ ſpirituali deſtituta eſt, conciſionem vocat, quaſi dicat malam ſectionem. Eſt enim κατατομή, ſectio mala, ſeu non illo in loco quo eſſe debebat, nec talis qualis eſſe debebat in epiſtola ad Rom. 2. 25. Non minus recte dici poteſt, ob eandem cauſam περιτομὴ verti in κατατομήν.

Verſ. 3. *Nos enim ſumus circumciſio.* Id eſt circumciſi. Chriſtus dicitur fuiſſe miniſter circumciſionis, hoc eſt circumciſorum Rom. 15. Sic Rom. 4. Galat. 2 & alibi, & hoc capite paulo poſt ℣ſ. 4. *Qui ſpiritu Deo ſervimus*, id eſt ſpirituali, non carnali ratione, animo & actionibus ex animo erumpentibus, nec iis rebus, quæ in carne & cum carne ab externa aliqua cauſa fiunt.

*Gloriamur in Chriſto.* Gloriamur, quod Chriſt religionem fuerimus amplexi, & remiſſionem peccatorum ac juſtificationem gratuitam ſine operibus per fidem in ipſum conſecuti.

*Non in carne fidentes*, id eſt non in rebus carnalibus, quæ olim aliquid valebant, fiduciam collocantes.

Verſ. 4. Et ne quis putaret apoſtolum, carnalia iſta elevare & extenuare, quod ipſe met illis eſſet deſtitutus, ſubjungit: *Quanquam ego.* Non quod revera iſtis rebus fideret, ſed quod haberet iſta omnia, quibus alii fidunt, ſeu, quod haberet fidendi cauſam ac materiam, ſi fidere iſtis rebus liceret, ut adverſarii opinabantur. Effectum ponit pro cauſa per metonymiam.

℣ſ. 5. *Hebræus ex Hebræis.* Quaſi dicat. Non Helleniſta, nec ex Helleniſtis natus, ſed ex illis qui antiquam gentis noſtræ linguam conſtanter retinuerunt, eoque ipſo ſe germanos Iſraëlitas eſſe oſtenderunt. Apparet enim Judæos alios fuiſſe Hebræos alios Helleniſtas Act. 6. 1. Et Hebræorum fuiſſe majorem dignitatem ac prærogativam, quia Helleniſtæ in aliam nationem degeneraverint, & Græcam linguam maternam ſibi fecerint. Hebræi autem nunquam majorum linguam deſeruerunt. Ex talibus igitur parentibus ortum ſe eſſe dicit Paulus, talemque eum quales fuerant parentes.

Verſ. 6. *Irreprehenſibilis.* Secundum legem literali ſenſu acceptam, adjuncto beneficio expiationis; idque ab ineunte ætate, quemadmodum lex requirebat.

Verſ. 7 *Sed quæ mihi* &c. Hic jam ſuo exemplo oſtendit, in rebus iſtis, quæ olim ſub lege magno erant in pretio, gloriandum non eſſe. Dicit iſta ſibi lucro fuiſſe, quia ex vi legis ac diſciplinæ Moſaicę magnam afferebant utilitatem, & hominem Deo gratum acceptumque reddebant.

*Hæc duxi*, ζημίαν. Non ſignificat rem noxiam & detrimentoſam, ſed potius damnum, hoc eſt rei alicujus utilis amiſſionem & jacturam. Illa igitur damnum duxit apoſtolus, quomodo mercatores imminente naufragio, ut vitam redimant, merces ſuas damnum ducunt, id eſt judicant illas eſſe perdendas, & in mare abjiciendas; illarum jacturam eſſe faciendam, ac proinde eas in mare devolvunt ac præcipitant, & ſeſe iis privant. Non aliter etiam apoſtolus, ſimul atque illi Chriſtianæ religionis jubar illuxit, hæc omnia perdenda & abjicienda eſſe cenſuit, ut tanto & tam ingenti bono potiretur.

Verſ. 8. Ἀλλὰ μενοῦνγε. Ne quis putaret apoſtolum, hæc inconſulto quodam & temerario animi impetu, & calore feciſſe, ac legis diſciplinam deſeruiſſe, & tanta bona, quę conſecutus erat, perdenda duxiſſe, ideo addit, ſe etiamnum ea in re conſtantem eſſe, & omnia prorſus (quod verbum ſuperiori dicto addidit) perdenda ducere.

*Propter excellens* &c. Neutrum adjectivum pro ſubſtantivo poſitum, pro excellentia ſeu præſtantia. Non ſimpliciter dixit, propter cognitionem, ſed propter præſtantiam cognitionis, ut oſtenderet, optimo conſilio ſe rebus illis valedixiſſe, & æs auro permutaſſe, illiſque deſertis & abjectis, ſe longe majus bonum & excellentius conſecutum eſſe, quę eſt Chriſti Jeſu domini noſtri cognitio, id eſt ſanctiſſimæ ejus religionis, quę mirum in modum præſtans eſt, quod circa præſtantiſſima objecta verſetur, quę ſunt divina voluntas, quia immenſa illa & ingentia promiſſa, ac diviniſſima continet præcepta.

*Propter quem omnia ἐζημιώθην.* Paſſivum ponitur pro reciproco. Non ab alio iſtis omnibus ſum privatus & ſpoliatus, ſed ipſe me iis omnibus propter Chriſtum dominum meum privavi, & ea ultro abjeci. Quæri poteſt, quomodo apoſtolus iſtis rebus ſeipſum mulctaverit, cum id fieri per naturam non potuerit. Nam nec circumciſus eſſe deſierat, nec Iſraelita, nec Benjamita, nec Hebræus ex Hebræis, (phariſaicam quidem diſciplinam deſeruerat) & illud manebat quod eccleſiam perſecutus fuerat, quod irreprehenſibilis ſecundum legis diſciplinam erat. Eatenus igitur hæc omnia perdiderat vel abjecerat apoſtolus, quod eam religionem eſſet amplexus, in qua hæc omnia, ne tantillum quidem valebant, & perinde erat, ea habuiſſe & non habuiſſe. Quemadmodum ſi quis in eccleſia pontificia conſtitutus, ad magnos honores & titulos perveniſſet, ac variis illic muneribus eſſet perfunctus, agnita autem poſtmodum veritate Chriſti eccleſiæ ſe adjungeret & aggregaret, illi harum omnium rerum jactura facienda eſſet, cum earum nullus ſit in Chriſti eccleſia uſus, nullum pretium. Tam cara igitur, ut ſic dicam, pignora abjecit apoſtolus, ut eorum bonorum, quæ Chriſtus attulit foret particeps; adeo ſe humiliavit, & ad Chriſti pedes abjecit, ut iſta omnia, quarum vix media parte alii mirifice ſe efferre ac tumere ſolebant, pro perdendis duceret. Vel quia apoſtolus dixerat, ſe iſtarum rerum jacturam feciſſe, iiſve mulctatum eſſe, poterat videri eas adhuc per ſe magnifacere. Jactura enim non eſt, niſi rei alicujus pretioſæ: ideo per correctionem quandam addit, ſi eas pro quiſquiliis habere, eamque non tam jacturam fuiſſe, quam quiſquiliarum aut ſordium abjectionem.

*Et duco ſordes.* Sed inquiet aliquis, fortaſſis tibi dolet, quod tantarum rerum jacturam feceris, & omnem earum fructum amiſeris? Nequaquam. Sordes ac quiſquilias hæc omnia duco, quarum abjectione tantum abeſt ut doleant homines, ut potius lætentur, quod eas ejecerint. Non duco iſta omnia eo loco, quo mercatores merces ſuas, quas ſi contingat, ut vitæ conſervandæ cauſa in mare projiciant, earum jacturam doleant ac conſervatas vellent. Sordes ſunt quiſquiliæ, & omnia, quorum jactura Chriſtum ejuſque ſanctiſſimam religionem lucramur. Hoc ſanctum lucrum abunde compenſabit id quicquid, ut eam conſequamur, impendi poteſt.

Verſ. 9. *Et inveniar* &c. Ut ipſi, id eſt Chriſto inſitus per fidem inveniar ſeu deprehendar, judicer atque æſtimer, a Deo ſcilicet, non meam juſtitiam ex lege habens, id eſt ut non ſecundum meam juſtitiam, ſive illam, quam vi legis conſecutus fueram, tracter, ſed potius illa veluti exutus ac carens, oculis Dei appaream. Per juſtitiam iſtam intelligi poteſt juſtificatio illa, quæ ex legis obſervatioue oriebatur. Siquidem & in membro oppoſito, quod ſubjicit mox apoſtolus, per juſtitiam intelligi juſtificatio debet. Sed nihil prohibet, quo minus ipſam illam Pauli juſtitiam intelligamus, quam ſuperius ſibi attribuerat, cum diceret, ſe irreprehenſibilem fuiſſe, ſi ejus juſtitia ad legis normam exigatur. Juſtitia enim iſta cauſa erat juſtificationis, ac propterea opponi poteſt juſtificationi ex fide. Ideo, inquit Paulus, Chriſtum ejuſque religionem amplexus ſum, ne ſecundum illam juſtitiam meam, quæ legi conformis eſt, vel ex legis obſervatione oritur, a Deo tracter, ſed potius, ut ejus vi penitus abolita & expuncta aliam quandam juſtitiam conſequar.

*Sed eam quæ eſt per fidem Chriſti.* Loco illius juſtitiæ legalis conſequor juſtitiam, id eſt juſtificationem, quæ non ex legis obſervatione, ſed ex fide in Chriſtum hominibus contingit. Illa juſtitia requirit in omnibus æqualem ac perpetuam obedientiam. Hæc vero per fidem non in omnibus æqualem, ſed in diverſis diverſam, pro ingeniorum, naturæ, educationis, ac conditionis varietate, nec perpetuam ab ineunte ætate, dummodo ſit vera, etiamſi fuerit, ut loquuntur, ſera, & multa ac graviſſima peccata eam fuerint antegreſſa, ac præterea juſtificatio iſta legalis, qualem Paulus fuerat conſequutus, temporarium tantum habebat fructum.

*Per fidem.* Ex fide igitur maluit apoſtolus juſtificari, quam ex lege; tum quia per naturam fieri poterat, ut in aliquod ejuſmodi peccatum alioquin prolaberetur, cujus ſub lege nulla eſſet venia, tum quod illa juſtificatio, quæ ex legis ſecundum ſenſum externum ac literalem acceptæ obſervatione ſequebatur, nihil aliud in ſe continebat, quam immunitatem a pœnis in lege expreſſis, & præmii ſimiliter in lege expreſſi adeptionem, hoc eſt, hujus vitæ. At juſtitia per fidem Jeſu Chriſti, æternæ mortis amotionem, & ſempiternæ illius ac cæleſtis vitæ adeptionem includit. Erat igitur cauſa, cur nollet Paulus ex legali illa ſua juſtitia juſtus pronunciari & ſecundum eam tractari, ſed veluti ea penitus caruiſſet, ex fide Jeſu Chriſti juſtificari mallet.

*Quæ ex Deo juſtitiam.* Juſtitiam *ex Deo* opponit juſtitiæ ſuæ. Sic in epiſt. ad Rom. cap. 10 3 Dei juſtitiæ opponit propriam Judæorum juſtitiam. Juſtificatio enim, quam per fidem conſequimur, plane eſt ex Deo, utpote quæ ejus miſericordia ac benignitate mera, non ex noſtris meritis, non ex vi operum noſtrorum pendeat ac proficiſcatur.

*Super fide.* Ex Deo quidem eſt, & liberaliſſima ejus voluntate, ſed præſtita conditione fidei. Fidem autem Chriſti vocat, quia Chriſtus eam præſcripſit, vel etiam, quia in Chriſto defigitur, & in eum, tanquam objectum ſuum, tendit.

Verſ. 10. *Ut cognoſcam ipſum.* Non videntur verba hæc cum præteritis, ſed cum ſuperioribus connectenda, licet tale bonum ac commodum includant, quod cum juſtificatione illa conjunctum atque connexum ſit. Quare videntur ita ſuperioribus conjungi: Hæc omnia perdidi ac pro ſordibus duco, ut Chriſtum cognoſcam. Vox *cognoſcendi* propter ſequentia verba, nempe *communionem afflictionum Chriſti*, non videtur proprie accipienda eſſe. Quod ſi proprie accipi deberet, reſpectu iſtius communionis ſaltem non poſſet. *Cognoſcere* aliquando accipitur pro experiri, & re aliqua (ſi bona ſit) perfrui. Ut cum dicitur de Chriſto Epheſ. 5, 3, *qui cognoverit dolores*, id eſt expertus fuerit ac ſenſerit. Sic hoc loco *ut cognoſcam ipſum*, id eſt ut ipſum atque ejus beneficia quæ nobis attulit experiar ac ſentiam.

*Et virtutem reſurrectionis.* Virtus ſeu vis reſurrectionis eſt duplex: primo quod certiſſimam ſpem vitæ æternæ nobis ingeneret, & jus ejus adeundæ nobis largiatur 1 Pet. cap. 1. verſ. 3; deinde quod nos è morte & ſepulchro peccatorum eruat, & ad vitam novam agendam traducat, ac Chriſti reſurrectioni conformet. Epheſ. 2, ab initio. Hanc igitur vim in ſe ut experiretur apoſtolus, ideo legem & ea

quæ

quæ per legem conſequutus fuerat abjecit ac deſeruit.

*Et communionem paſſionum.* Ipſam communionem ac ſocietatem in afflictionibus cum Chriſto tanti æſtimat Paulus, ut pro ea cuncta illa, quibus ſub lege tumere ac gloriari poterat pro ſtercoribus ducat.

*Conformatus.* Societatem ignominioſæ ac violentæ etiam mortis iſtis omnibus longe præfert. Explicat communionem illam paſſionum ita, ut aliquo modo augeat & perfectionem ejus rei ſummumque apicem exprimat. Verum quia hoc paradoxon videri poterat, ideo addit, quo fine hæc omnia faciat, cur, inquam, Chriſtianam religionem, deſerta lege, ac omnibus illis quibus ſub lege niti ac gloriari poterat, amplexus ſit, vim reſurrectionis Chriſti experiri voluerit, & denique calamitatum ipſius ac mortis truculentæ particeps ac ſocius eſſe.

Verſ. 11. *Si quo modo.* Reſurrectionis a mortuis cauſa hæc omnia fecit apoſtolus, quæ nemini niſi in Chriſto contingit. καταντᾶν eſt pervenire ad locum ex adverſo ſitum. Reſurrectio a mortuis eſt terminus ad quem. Huc tendebat, huc ferebatur apoſtolus. Tendebat autem per hæc media quæ proxime explicuit. Verba autem iſta, *ſi quo*, non dubitantis revera ſunt (nam alioquin dubitaſſet apoſtolus ſe per illa media reſurrectionem conſecuturum) ſed omni ſtudio connitentis, & bonum illud ad quod connititur vehementer deſiderantis; licet interim tacite ſignificet iſtud bonum tale eſſe, ut quis illo excidere poſſit, nempe quia maximis laboribus ac ſtudio paretur. Hinc autem apparet, reſurrectionem ſub lege, quod ad ſenſum literalem attinet, non fuiſſe promiſſam. Nam ſi promiſſa & fœdere ſancita fuiſſet, nihil erat opus, ut lege deſerta Chriſtum amplecterentur, Judæi præſertim illi, qui legem ſecundum literalem ſenſum acceptam penitus obſervaſſent. Nec enim Deo integrum fuiſſet pactum ac fœdus reſcindere.

Verſ. 12. *Non quod jam acceperim.* Si ipſa verba ſpectes, videtur eſſe occupatio objectionis. Verum hoc paulo difficilius oſtendere, quomodo hæc objectio locum habeat, quia in prioribus verbis non eſt cauſa data objectionis, ideo alii verba tranſponunt ſic: *quia nondum accepi.* Si autem eſt objectionis occupatio, hic erit ſenſus: quod hactenus dixi, omnia me projeciſſe, quæ antea pro lucro habui, non ideo dixi, quaſi jam apprehenderim, ſeu per id ipſum jam præmii mihi propoſiti fuerim factus particeps, adeo ut nihil amplius conſequendi cauſa faciendum mihi reſtet, ſed adhuc occurro. Non eſt ergo in proxime præcedentibus occaſio objectionis movendæ, ſed in tota oratione præcedente. Quia enim de ſe prædicaverat adeo multa, poterat aliquis cogitare apoſtolum jam illud quod quæſierat adeptum, & jactura ſola priſtinorum bonorum nova redemiſſe, & nihil amplius eum in hunc finem facere debere. Ideo dicit:

*Non quod jam acceperim* ſcilicet præmium, vel apprehenderim, ſcilicet metam: (Cœpit enim metaphoram ab iis, qui in ſtadio currunt, ductam.

*Si quomodo perveniam.* Poteſt etiam ſubaudiri nomen reſurrectionis mortuorum, ſed tamen potius eſt prius. Certum enim erat reſurrectionem mortuorum eum nondum accepiſſe. Si tamen iſta ſubintelligatur, phraſis accipienda erit improprie, & ille dicitur eam accepiſſe, & ei manum veluti injeciſſe, qui eſt in eo ſtatu poſitus, ut omnia perfecerit, pertinentia ad reſurrectionem, nec amplius quicquam ei ſit reſurrectionis cauſa faciendum. Similis enim eſt illi, qui manu metam, aut brabeum ſibi ſuſpenſum apprehendit. Hoc autem potuiſſet aliquis de apoſtolo, ut diximus, cogitare, nihil amplius ei eſſe faciendum reſurrectionis adipiſcendæ cauſa. Alii ſic verba ea accipiunt (Oſtorodius, Smalcius) quaſi dicat non quod jam accepiſſem, id eſt, antea in Judaiſmo præmium, & poſtea reliquerim ſponte mea, & Chriſto adhæſerim.

Sed ſequentia: *perſequor autem ut comprehendam* &c. ut ego exiſtimo, non ſuadent hunc ſenſum. Nam loquitur de præſenti tempore, *Jam* non tempus denotat in Judaiſmo tranſactum, ſed in Chriſtianiſmo.

*Aut jam perfectus.* Perfectio quid ſit, videndum; præſertim quia dicitur ℣. 15: *Quotquot ergo perfecti ſumus.* Neceſſe eſt aliter atque aliter ſumi, niſi illa ſola de Judaiſmo accipiatur. Intelligenda eſt perfectio reſpectu felicitatis, & certitudinis ſpei de præmio conſequendo, quaſi dicat: nondum ego eo loco ſum, ut jam immortalitate ſim donandus, quomodo ad Heb. 12, juſti illi ad quos acceſſerant Hebræi ℣. 23. *Perfecti* non qui immortalitatem fuiſſent aſſecuti, ſed qui in eo ſtatu verſarentur, ut eos certo maneat. Perfectio ſumitur pro immortalitate ipſa, vel alioquin pro certo futura, Hebr. xi. ℣. ult. vox perfectionis ſumitur de ipſo actu; hic de jure ad eam & certitudinem ejus conſequendam. Senſus eſt: Quod in eo ſtatu verſer, ut mihi immortalitas omnino ſit danda, & mihi nemo eam adimere poſſit. Hebr. 5. 9 vox perfectionis ſumitur pro immortalitate, & ad Hebr. 2, ut & cap. 7. Ubi tamen interpretes reddunt *conſecrati*, metaphora, ſumta ab illis ſacerdotibus, qui initiati primum, poſtea conſecrabantur. Poteſt etiam perfectio pietatis hic intelligi non intenſionis, ſed extenſionis. Intenſionis eſt, in qua graduum habetur ratio, non temporis; extenſionis, in qua temporis ſpacium conſideratur: quaſi dicat, non quod apprehenderim metam, & ad finem ſtadii ac curriculi mihi propoſiti pervenerim. Notandum, objectionem ſumi ex præcedentibus; reſponſionem autem ad objectionem eſſe confirmationem proxime præcedentium. Quaſi dicat: ego tanta feci & facio, ut ad reſurrectionem perveniam, at non ideo dixi tanta me feciſſe Chriſti cauſa, quaſi jam nihil reſtet faciendum, imo nondum perveni.

*Perſequor autem*, id eſt, verum adhuc perſequor, adhuc curro, curſu inſequor, & celeri gradu contendo, id agens,

*An forte*, id eſt ſi qua ratione. Id experiri volens, num aliqua ratione poſſem comprehendere. Hoc autem faciebat in pietate ſibi præſcripta pergens. Conatum ſuum indicat voculis ἐφ' ᾧ, *in quo*; alii vertunt per *quatenus* vel *propterea*, quod magis placet, maſculino, *vel ad quod*, *quem in finem*, ego contendo ut comprehendam. Quid autem dicet aliquis, non id, ad quod ego etiam apprehenſus ſum, nempe illud præmium, ad quod capeſſendum me dominus Jeſus veluti è medio curſu abripuit 1 Theſſ. 4. 7. *in ſanctificationem*, id eſt, ut ſanctitatem ſectemur. Sic ad Galat. 5. *ad libertatem vocati eſtis.* Ubi vox ἐπὶ cum dativo conſtructa habetur. Sic Matth. 26. 50. Pulchra verbi

ejuſdem repetitio & collocatio. Apprehenſus dicitur Paulus, quia cum diverſa via curreret, aliorſum Chriſtus eum apprehendit, & viam & metam ei oſtendit aliam. Apprehendit enim dominus Jeſus, & retraxit.

Verſ. 13. Idem quod hactenus dixerat, poſt repetit: *Ego me ipſum.* Ego nondum apprehendi, reſtant adhuc plura facienda.

Verſ. 14. *Unum* ſcilicet *ago*: In hoc uno ſum:

*Illa quæ retro*, id eſt illa quæ hactenus egi, oblivioni propemodum trado, id eſt, ita me gero ac ſi oblitus eſſem. Ut ei qui ad brabeum currit, non eſt impedimento iter quod emenſus eſt, ſed ejus propemodum obliviſcitur; ſic apoſtolus ſemper erat ſolicitus de eo, quod reſtabat pietatis officio. Qui de Judaiſmo volunt intelligi ſuperiora, nolunt iſtorum Judaicorum illum oblitum. Dicit ſe quaſi pronum in anteriorem partem ſeſe extendere. Curſus eſt & deſiderium præmii, currentes in ſtadio inclinant ad metam.

Κατὰ σκοπὸν, *ſecundum metam.* Wedle Kreſu, id eſt, recta ad ſcopum feror, quemadmodum ſcopus oſtendit, ita curſum dirigo, (recta linea, omnium breviſſima) hoc eſt, non ago aliena, ſed tantum illa, quæ ad ſcopum illum faciunt.

*Ad brabeum.* Finem actionis denotat. Videtur eo reſpicere quod præmia curſoribus deſtinata ſoleant interdum metæ appendi.

*Superne*, id eſt, ad brabeum illud, ad quod cælitus ſum vocatus; quod mihi cum vocarer fuit propoſitum. Vocatio eſt, cum aliquis ad bonum aliquod, de quo non cogitarat, & quo fuit indignus, amplectendum accitur. Supernam autem vocat vocationem, quia è cælis fuit vocatus, & ſingulari modo. Poteſt enim hic innui ſingularis illius vocatio. Quanquam omnium Chriſtianorum vocatio eſt de cælo.

*Et in Chriſto Jeſu*, id eſt, facta per Jeſum Chriſtum.

Verſ. 15. *Quotquot ergo perfecti.* Perfecti ſumuntur pro adultis, ut 1 Cor. 14: quotquot in Chriſto non ſumus infantes, ſed pleniore cognitione veritatis donati.

*Id ſentiamus*, id eſt, id curemus, ut omnibus relictis præmium aſſequamur. Poteſt hoc ad illa pertinere, quæ ſupra dixit de iis, quæ ſecundum carnem habuit, a ſe Chriſti cauſa ſpretis, ut & ſequentia verba, quæ urgent illi, qui volunt perpetuo apoſtolum ad Judaiſmum reſpicere.

*Si quid aliud*, id eſt, ſi adhuc illa carnalia curatis, Deus vobis veritatem oſtendet, nempe vel, quod per ſpiritum ſuum illis id ſit revelaturus, & excitaturus aliquos, qui eis id præſtent, vel, quod maxime placet, quod ipſi hoc eſſent agnituri ex religione Chriſtiana, etſi Deus nihil ea in re ageret amplius quam egerit; ſed tamen quia effectus ex prioribus quæ a Deo in ipſos profecta fuerant eſſet conſecutus, etiam ipſa hæc res Deo adſcribitur.

Verſ. 16. *Verum* Quaſi dicat, & ſi aliud ſentiatis, vel dum id fiat quod dixi, tamen quatenus jam eandem cognitionem aſſecuti ſumus, eadem regula vivendi utamur. Quouſque in doctrina conſentimus, eo uſque etiam vita & moribus conſentiamus. Conſenſus autem erat inter eos, in iis, quæ ad pietatem Chriſtianam omnino ſunt neceſſaria.

*Idem ſentire*, ſimus & concordes. Sufficiunt enim illa ad concordiam, in quibus convenimus. In vita pia inter nos conveniat. In diverſis ſententiis nos feramus, conſentiamus inter nos illo vinculo colligati, quod ea quæ ad ſalutem omnino ſunt neceſſaria omnes amplectimur.

Verſ. 17. *Imitatores mei.* Coimitatores Græce, quaſi dicat, omnes ſimul imitemini nos, & eos, qui eodem modo ambulant. Cæteros ne ſectemini.

*Et ſpeculamini*, id eſt, mei ſimiles ſpectate. Me pro exemplari quodam & typo ponite, & ſi quem mei ſimilem in vita deprehenderitis eundem imitemini.

Verſ. 18. *Multi autem ambulant.* Ideo dixi vos debere animadvertere diligenter, quos imitemini. Nam multi ambulant, inimici crucis Chriſti, id eſt, ita ut appareat illos eſſe inimicos crucis Chriſti, & ut pateat illorum Deum eſſe ventrem.

*Ut ſæpe dixi.* Reſpicit ad id; idem ſcribere vobis mihi non eſt moleſtum.

*Flens* cum lachrymis. Apparet Paulo cordi fuiſſe ſalutem Philippenſium, præſertim cum videret eos corrumpi ab aliis. Salus aliorum & gloria Dei, eum zelo implebat.

*Inimici crucis Chriſti*, id eſt, quos offendunt iſta, quæ dominus Jeſus morte ſua confirmavit, & ſtabilire voluit. Hoc autem fuit, quod abrogavit ceremonias; Itemque debeamus pati etiam duriſſima & ignominioſiſſima. Id enim vel inprimis crux ejus docet. Quare per crucem Chriſti ſignificatur id quod Chriſtus maxime novum præcepit ac crucis morte confirmavit. Illi autem maxime ceremonias urgebant, quod cultui ſpirituali repugnabant, nolebantque perſecutiones pati juſtitiæ cauſa. Vide, Gal. 3. 1. confer cum fine cap. 2. cap. 6. 12 & 14.

Verſ. 19. *Quorum finis interitus*, quaſi dicat, non ad ſalutem progrediuntur, ſed ad interitum.

*Quorum Deus venter.* Qui omnia adventrem & voluptates carnales referunt, qui ventri ſerviunt tanquam Deo. De vita eorum inprimis loquitur.

*Gloria in pudore*, vel qui gloriantur in eo, cujus ipſos pudere debet, alii enim deſpumant ſuas nequitias. Jud. epiſt. ℣. 13: Fluctus maris deſpumantes ſuas turpitudines, ut fluctus maris, qui ſordes ſuas deſpumant. Sic in cap. gloriaris in malitia. Poteſt etiam alluſiſſe ad circumciſionem, quæ in pudendo erat illorum membro, quaſi dicat, gloria illorum maxima ſita eſt in re pudenda. Terrena ſapiunt, ſpirant, curant, amant.

Verſ. 20. *Noſtra enim converſatio.* Quia hic redditur ratio ſuperiorum, dubium eſt, an hoc ad proxime dicta, an ad ſuperiora referendum ſit, ubi dixit, ut ſe imitarentur. Quaſi dicat, non illos imitemini, ſed nos, qui ſumus municipes cæli, & ut cælorum civibus dignum eſt, nos gerimus. Et ſi ſic accipiatur vox πολίτευμα, ſignificabit converſationem. Quemadmodum fit cap. 1 ad Philipp. ℣. 17; Act. 23. 1; vitamque Chriſtianorum hic deſcribit apoſtolus, nempe, ut ita ſe gerant, ut municipes cæli decet, ut animos & actiones conforment cæleſti vocationi. Πολίτευμα dici poteſt etiam de illo qui præeſt in civitate, & qui in civitate aliquid agit, & civis munia obit, ſeu exequitur munus, quod cuivis bono civi incumbit. Et ſi eo modo ſumatur, opponetur terrena ſpirantibus, & ratio quidem ſuperiorum reddetur, proxime vero præcedentia per oppoſitionem illuſtrantur.

ſtrantur. Nam falſos illos doctores ſibi oppoſuerat; nunc moribus illorum opponit ſuos. Si ad proxima hæ voces referantur ſenſus erit: Ideo hoc illis vitio duco, quod terrena ſapiant, quia noſtra civilis converſatio eſt cæleſtis, vel civitatis noſtræ jus & uſus eſt in cælis. πολίτευμα poteſt accipi pro politia, vel etiam pro civili converſatione, in qua & felicitatis noſtræ & officii actionumque noſtrarum & harum inprimis habetur ratio. Ἡμῶν ſi ſumatur priori ſenſu, ſtricte ſumitur pro illis, quos imitandos antea dixerat apoſtolus. Si autem poſteriori ſenſu, tum ſumetur generalius pro omnibus Chriſtianis.

Eſt *in cælis*, id eſt, conſentanea cælis & conformis.

*Ex quo etiam* ſcilicet loco. His verbis confirmat præcedentia, ubi aſſeruit noſtrum πολίτευμα eſſe in cælis, quia inde ſervatorem expectamus. Progreditur & oſtendit, quomodo Chriſtiani ex hac vita in cælum debeant transferri, cum indicat non tantum venturum è cælis Chriſtum, ſed etiam addit:

*Qui transformabit* &c. Ubi etiam rationem tacite indicat, cur non debeamus ventri ſervire; quia non debet a nobis curari quod periturum eſt. Vide 1 Cor. 6. 13. Servatorem nominat Chriſtum, quia deſcribit faſtigium officii ſervatoris. In illis enim quæ ſequuntur conſiſtit potiſſimum ſalus noſtra.

*Expectamus*, proprie ſumi debet, quod eum magno cum deſiderio præſtolamur.

Verſ. 21. *Qui transformabit*. Id eſt, mutabit, ita apoſtoli loquuntur, ac ſi externa tantum corporis facies & forma eſſet mutanda. Reſpicit autem maxime ad gloriam & humilitatem, quæ videntur externa eſſe.

*Corpus humilitatis*, id eſt humile, pro vili & ſubjecto variis calamitatibus. In 1 Cor. 15. 42, & ſeqq. aliquot verbis iſta vilitas exprimitur.

*Ita ut fiat*. Comprobat aliquo modo apoſtolus id quod dixerat, fore, ut Chriſtus corpora noſtra vilia glorioſo ſuo corpori reddat conformia ſeu ſimilia. Nempe quia vis atque efficacia ejus tanta eſt, ut ſibi ipſi omnia ſubjicere poſſit, ac proinde etiam mortem. Nam pars ultima ſubjectionis omnium rerum in tranſmutatione corporum noſtrorum conſiſtit. Tum enim mors ultimus hoſtis, delebitur. Ita loquitur apoſtolus, ac ſi Chriſtiani omnes tum victuri eſſent, non autem quidam mortui, quidam vivi reperiendi ſint. Vox enim *transformationis* vivis proprie competit, non autem mortuis. Quemadmodum etiam vox mutationis, qua tamen apoſtolus interdum utitur generatim tam de iis, qui vivi reperientur, quam de mortuis, qui immortales reſurgent 1 Cor. 15. 51. Poſtea dicit de tranſmutatione, quæ mortuis non competit ꝟſ. 52: Nam reſurgent incorruptibiles.

## CAPUT IV.

### *ARGUMENTUM.*

*In hoc capite jam adjungit quaſdam exhortationes ad vitam piam ſpectantes. Deinde oſtendit ſibi gratum fuiſſe munus; quod accepit ab illis per Epaphroditum, & ejus rei occaſione quaſdam objectiones occupat. Tandem ſalutationes annectit.*

Verſ. 1. QUapropter. Quaſi dicat: Itaque ut ad rem redeam aut eam concludam. Videtur vocula iſta eſſe hoc loco particula connectendi. Si tamen quis velit eſſe reductionis particulam, ſenſus erit: Cum ea ſit reſpublica noſtra, conſtantes eſtote in iis quæ nobis hæc religio proponit.

*Fratres deſiderati*, hoc eſt, chariſſimi, quo pacto nos quempiam exoptatum, vel exoptatiſſimum dicimus, quaſi dicat, quem quis merito ſibi optare debeat. Gradus amoris ſummus & perfectus, cum quis aliquem ita diligit, ut ſe eo vehementer oblectet, eum deſideret.

*Gaudium*. Metonymice: pro gaudii cauſa.

*Corona*, id eſt, qui honori mihi eſtis, tum quod ego lucrifecerim vos, tum quod pie vivatis, idque mihi ſummo eſt honori. Magni eſt momenti, quod aliquis ad veritatem alterum adduxerit; at ſi idem pie vivat, tum demum honori eſt ei, qui id præſtitit. Alludit ad coronas victoribus dari ſolitas. Quemadmodum corona alicui olim erat honori; ſic illi, quia Pauli gloriam augebant.

*Ita*. Quemadmodum hactenus dixi, ut non patiamini vos abduci a via recta, conſtanter retinentes ſalutarem doctrinam Chriſti, pie vivatis.

*State etiam dilecti*. Iterum repetit amoris nomen, ut eo magis oſtendat, quantopere illos diligat, quemadmodum hactenus feciſtis. (vel poteſt etiam vox iſta accipi ita, ac ſi dicatur, ita ſtate in domino, quemadmodum nunc ſtatis.) Eſtote in Chriſtiana religione eo modo conſtantes.

Verſ. 2. *Euodian*. Apparet has fœminas fuiſſe in illa eccleſia præſtantes, & ſuper alias eminentes, in quarum concordia multum ſitum erat. Fieri poteſt, ut vel pauperes ſuſtentarent, vel etiam miniſtros alerent. Egregiam & operam poterant præſtitiſſe eccleſiæ, ſi fuerunt diaconiſſæ. Apparet autem illas in negotio euangelii miniſtraſſe Paulo.

*Hortor illas in domino* &c. ut concordes ſint in religione Chriſtiana, aut ob Chriſtianam religionem, qua ſunt inter ſe devinctæ, animis conſpirent. Nonnulli volunt *adhortor* jungi cum *in domino*, quæ ſententia non eſt abſona.

Verſ. 3. *Certe rogo*, alii habent *& rogo*.

*Socie germane* (Conjugem Pauli etiam ex veteribus nonnulli denotari volunt.) Quaſi dicat, præterea rogo te, qui es verus & genuinus ſocius meus, & qui veluti jugum unum mecum trahis. Quod poteſt intelligi de inſigni fratre, qui cæteris præfuerit, & quidem præclare; qui illam eccleſiam rexerit. Quia eum non nominat, apparet ſatis fuiſſe notabilem, & apparuiſſe quinam fuerit. Alii tamen, quia vocabula ferunt, ut fœminino genere poſſint efferri, putant Pauli conjugem denotari, præſertim quia cum fœminis junxerit, & præcedentibus & ſequentibus verbis. Sed nihil vetat, quo minus commemoret inter mulieres viros, ut facit. Sed locus 1 Cor. 7. 7, 8 videtur huic ſententiæ obſtare. Græca vox ſignificat *conjugem* ac *comparem*, qui unum eundemque laborem ferunt. Vox ducta a jugo vel a conjungendo, quia eas vult eſſe concordes in re

ligione, vult ut conſpirent in hoc negotio tractando. Vult ergo ut ille tanquam ſocius verus, non adulterinus, non nomine tenus opitularetur illis in negotio euangelii.

*Quæ in euangelio*, multum laborarunt in negotio euangelii, id eſt, multos labores exantlaverunt, & pericula ſubierunt.

*Una cum Clemente.* Hoc poteſt conjungi vel cum proxime antecedentibus: quaſi dicat, quæ mecum & cum Clemente laborarunt. Vel etiam juva illas, & Clemens idem faciat. Prius magis probatur. (De eo Clemente dicunt, eum fuiſſe epiſcopum ſecundum Romanum. Dicitur Clemens Romanus, ad differentiam Alexandrini. Linus autem dicitur fuiſſe primus Romanus epiſcopus, de quo alibi.)

Quia addit *cooperarios*, prior ſententia magis placet, nam non eſt credibile, eas ibidem manſiſſe, eccleſiam forte foverunt, in ædibus ſuis, & viam ad alios lucrifaciendos munierunt aliis illæ fœminæ.

*Quorum nomina* id eſt, qui operarii mei non perdiderunt oleum & operam, ſed deſtinavit illis Deus dare vitam æternam, non ſecus ac ſi nomina illorum libro alicui inſcripſiſſet memoriæ cauſa, ut eos donet vita æterna. Metaphora ducta a pugillaribus, quibus nomina, quorum homines volunt meminiſſe, inſcribunt. Quod ſolet fieri etiam a regibus, qui nomina eorum, quos donare volunt, codicillis inſcribunt. De libro vitę in apocalypſi cap. 20, ubi alterius libri fit mentio, diſtincti ab illis libris, in quibus facta hominum etiam malorum fuerunt ſcripta. Dicitur liber vitę, quia ibi notantur vita æterna donandi. De Moſe dicitur, quod voluerit deleri de libro vitę. Veriſimile eſt eſſe locutum Deum de libro in quo notarit illos, quibus donaturus eſſet illam æternam vitam felicem, & quos etiam in poſteritate ipſorum eſſet beaturus. Indicatur enim, quod alios Iſraëlitas voluerit delere de libro vitę. Vide Exod. 32, ubi libri Dei fit mentio; ibi apparet eos deletos, qui peccarunt ipſi, quod & alii ibidem erant ſcripti; quod illi ſcripti fuerint, in libro vitæ æternæ, nec ſuadet quippiam, nec ratio permittit.

Verſ. 4. Revertitur ad ſuperiorem illam adhortationem in cap. ſuperiori, quaſi dicat: Etſi vobis multi labores & pericula ſint exantlanda, tamen ne patiamini vobis eripi hoc gaudium *in Domino*, id eſt Chriſtianum, religioni Chriſtianæ conforme.

*Gaudete* Ne quis putet hæc mihi incogitanti excidiſſe, iterum dico: Sed quia potuit quis dicere, multa nobis eveniunt triſtia; dicit:

Verſ. 5. *Modeſtia* aut *æquitas.* De æquanimitate ſeu æquitate animi videtur loqui, id eſt, moderatione, qua adverſam fortunam placide ferimus. Detis operam ne animo nimis dejiciamini. Alii volunt, ut æquitate utamur erga eos qui nos perſequuntur. Prius videtur loco magis conſentaneum, etſi illius nullum exemplum in ſacris literis reperiatur. Cernitur etiam æquitas eadem in ſecundis, ne quis animo efferatur. Cauſa eſt:

*Dominus prope eſt*, id eſt, Chriſtus, quia præfixus eſt articulus. Quaſi dicat, quia Chriſtus auxilium vobis eſt laturus. Habetis præſentem & faventem Chriſtum; vel etiam, quia adventus Chriſti inſtat, qui finem allaturus eſt omnibus malis. Jam ante fores eſt, nam ad adventum domini tantum intereſt temporis, quantum ad mortem noſtram. Poſterior ſenſus videtur genuinus.

Verſ. 6. *Nulla de re ſoliciti ſitis.* Non quod debeant omni cura eſſe vacui, ſed quod ea cura vacare debeant, quæ animum agit & torquet, quæ cum dubitatione de divino auxilio eſt conjuncta, ſeu cum ἀλυσιτελίᾳ, quæ a tranquillitate & moderatione abducit hominem.

*In omni*, vel neutrius vel maſculini generis eſt, ut dicatur vel de re vel de tempore. Ἐν παντὶ ſcilicet πράγματι, vel καιρῷ aut χρόνῳ. Nam ad δέησιν vel προσευχὴν referri non poteſt, quia hæc ſunt generis fœminini.

*Sed* quaſi dicat, ſi quid ejuſmodi eveniat, quod angere queat animum; en aliud medium ad arcenda mala, & amolienda, idque duplex. Prius erat in ipſis, nempe moderatio animi. Alterum preces, quarum effectus a Deo pendet. Differunt preces ab orationibus. Προσευχὴ eſt bona optare δέησις deprecari malum.

*Cum gratiarum actione.* Cum plura bona Deus homini dederit, quam immmittit mala, non debemus in adverſis beneficentiæ dominicæ oblivíſci. Eſt hoc illius medii, hoc eſt, precum adjumentum & ornamentum. Gratiores Deo ſunt preces, quibus gratiarum actio eſt adjuncta.

*Petitiones veſtræ innoteſcant*, id eſt, commendate Deo negotia veſtra, ſeu quæ deſideratis, perinde agentes ac ſi Deus ignoraret, vel eſt metaphora vel metonymia. Metaphora a poſtulatoribus humanis, ubi oramus quæ alius ignorat, vel metonymia effecti; notificatio pro commemoratione. *Apud Deum*, id eſt, coram Deo commemoretis.

Verſ. 7. *Et pax Dei.* Id eſt, ſi ita egeritis tum pax Dei cuſtodiet &c. Preces illas a fructu vel fine commendat. Pax Dei, felicitas a Deo proveniens, & gaudium quoddam ſingulare. Felicitas ſingularis non humana, quæ ne animo quidem concipi poteſt. Non admodum liquet, utrum intelligat illud gaudium, quod homines ſentiunt, dum in terris degunt, an ipſam felicitatem cæleſtem æternamque, quatenus tamen firma ſpe concipitur. Eodem tamen res recidit. Gaudium enim & pax iſta eſt beata immortalitas, quam ſpe concipimus ex verbo Dei, & inſtinctu ſpiritus ſancti, qui ſpem noſtram adjuvat. *Cuſtodiet*, id eſt, non permittet, ut quicquam velitis vel cogitetis, quod non ſit conſentaneum doctrinæ Chriſti, ſed ut cum illa omnia conveniant faciet. Cuſtodit, quatenus non permittit, ut is, qui gaudium habet ex ſpe immortalitatis ad malum declinet, quo ſibi adimat hoc bonum.

Verſ. 8. *Quod reliquum eſt* &c. Concludit breviter iſtas admonitiones: quaſi dicat, ut breviter omnia comprehendam, multa paucis.

*Vera* id eſt, veritati conſentanea. Hæc ad linguam pertinent.

Σεμνὰ. Id eſt, gravitati conſentanea. Hoc ſpectatur in rebus externis. Opponuntur hæc levitati, quæ

quæ ſeſe ludibrio exponit, autoritatem minuit, quam gravitas retinet.

*Juſta.* Ut ab omni injuſtitia abſitis.

*Caſta.* Libidini opponuntur quæ caſtitati conſentanea.

*Amabilia*, quæ ſunt humanitati & comitati conſentanea, quæ grata & accepta ſunt aliis: opponuntur auſteritati & moroſitati.

*Bonæ famæ.* Quæ honeſtum alicui nomen pariunt. Si quid eſt a quo non licet diſcedere, per conſuetudinem illud retinendum honeſtæ famæ cauſa. Et lucrum & commodum fugiendum, etiamſi conſcientia admittat ſi famam lædat.

*Si qua virtus*, quod eſt decorum, honeſtum, & virtutis nomen meretur.

*Laus*, ut ſunt inſignia inter honeſte facta.

*Cogitate*, id eſt, animis volvite, ut illa amplectamini & exequamini.

Verſ. 9. *Quæ & didiciſtis*, quæ alioquin cum vos docerem, percepiſtis. Explicata hæc ſunt vobis.

*Accepiſtis*, id eſt, approbaſtis, & judicaſtis recipienda.

*Audiviſtis*, intellige non ex me, ſed de me.

*Et vidiſtis*, de me abſente ea audiviſtis, in me præſente vidiſtis ſupra cap. 1. Qualia vidiſtis in me & nunc auditis de me.

*Hæc facite.* Non tantum animo volvite, ſed etiam agite.

*Et Deus pacis*, id eſt ille, qui omnis felicitatis eſt author, & a quo ea pendet.

*Erit vobiſcum.* Favore vos ſuo non dedignabitur, donabit felicitatem, felices vos reddet. Hactenus potiſſima capitis pars. In altera parte capitis prædicat Philippenſium in ſe beneficium, ita tamen ut oſtendat, ſe non tam ſua, quam illorum cauſa eo gaudere.

Verſ. 10. *Gaviſus ſum in domino valde.* Quaſi dicat, vehementer quidem, ſed non mundano gaudio nec carnali, qnale eſt, cum quis ob commodum carnale de accepta pecunia gaudet. Ortum quidem hoc gaudium eſt ex pecunia, ſed tamen non ideo gaudeo, quod miſeria mea ſublata ſit, ſed potius quod virtutis veſtræ fuerit indicium & cauſa felicitatis veſtrę. Erat hoc gaudium Chriſtianum ac ſpirituale.

*Quod reviruiſtis* &c. quod cum videamini per tempus ſat emarcuiſſe, quod attinet ad curam de me habendam, mihique proſpiciendum, nunc iterum ad priſtinam de me ſolicitudinem redieritis. Nam apparet eos antea ipſi miſiſſe pecuniam, poſt intermiſiſſe, & tandem ad priſtinam Pauli curam rediiſſe. Corrigit tamen aliquo modo ac lenit dicti aſpereritatem apoſtolus.

*Super quo*, quanquam ea de re eratis ſolliciti: quaſi dicat, non adimo vobis ſolicitudinem de me; non depoſuiſtis eam, ſed opportunitate deſtituti fuiſtis, non habuiſtis occaſionem. Alii ita explicant, Adverſa vobis erant tempora, ipſi egeſtate laborabatis. Sed prior explicatio nobis magis probatur. Videbatur antea indicare illos languiſſe in ſuo erga ipſum ſtudio; ſed ſe corrigit, dum docet, id de effectu curæ intelligendum, non de cura ipſa. Jam occurrit tacitæ objectioni, ne quis illorum exiſtimaret ipſum inopia fuiſſe fractum. Dicit igitur:

Verſ. 11. *Non ſecundum penuriam.* Quaſi dicat, non hæc dico reſpectu penuriæ, quaſi illa mihi fuerit tam gravis, ut nunc gaudeam ob miſſum ſubſidium ac inopiæ meæ levamen.

*Ego enim didici.* Non fuit mihi gravis mea paupertas neque me dejecit, ut iniquo animo eſſem. Ego enim aſſuetus ſum, & ita me compoſui, ut contentus ſim quavis fortuna. Quapropter gaudium meum non eſt ex accepto beneficio ob penuriam ortum. Nam ubi non eſt magnus dolor ob penuriam, ibi quoque non eſt magnum gaudium ex copia.

Verſ. 12. *Novi.* Hoc amplius illuſtrat; novi paupertatem ferre. *Novi* id eſt, poſſum & ſoleo id facere: ita ſum compoſitus, ut ſatis facile id poſſim facere. *Humiliari*, eſt pauperem eſſe, penuriam pati.

*Et abundare novi*, id eſt tamen me gerere ſcio ut ſoleo in copia ac abundantia rerum poſitus.

*In omni & in omnibus*, id eſt, quovis tempore & in omnibus rebus ac quovis negotio. *Μεμύημαι*, id eſt, edoctus ſum ſaturari, id eſt cum habeo quod ſatis eſt, vel plus quam ſatis eſt, novi me recte gerere, ne ſcilicet luxuriem. Novi etiam famem patienter ferre. Idem quod antea dixerat, aliis verbis explicat. Sed quæret quis, unde iſta tibi animi moderatio?

Verſ. 13. *Omnia poſſum.* Quæ ſunt ardua & difficilia hominibus factu, & mihi aliquo pacto occurrere poſſint. Difficile eſt moderate quamvis fortunam ferre; ſecundis non efferri, adverſis non deprimi.

*In Chriſto*, partim quia Chriſtus vi religionis ſuæ id eum docuit; partim quia Chriſtus ei ſuppeditavit vires per ſpiritum ſuum pro re nata; quo pacto ſupra dixit, quod per preces illorum ſpiritum Chriſti conſecuturus eſſet. Ne autem Philippenſes dolerent, ſe miſiſſe Paulo pecuniam, quia hactenus videbatur extenuaſſe beneficium ratione inopiæ, neve putarent eum contempſiſſe, dicit:

Verſ. 14. *Veruntamen* vos bene feciſtis. Hæc quæ modo dico, non ideo dico quaſi bene non feceritis.

*Communicaſtis.* Plerique ita ſumunt, quod meæ afflictionis participes facti eſtis. Condolet enim qui ſuccurrit, quia ſentit quam ægre ſit illi. Vel ita poteſt accipi, ac ſi dixiſſet: quod omnes afflicto communicaſtis, ſeu largiti eſtis, non quod afflictionum participes eſſent; ita ℣. 15. Senſus ergo eſt, una communicaſtis afflictioni, id eſt afflicto.

Verſ. 15. *Noſtis autem vos.* Videtur non ad proxima ſed ad ſuperiora reſpicere, quaſi dicat, paupertatem mihi non fuiſſe gravem, inde poteſtis colligere, quod ſcitis etiam vos, non tantum ex eo quod ab initio euangelii, cum cœpi gentibus prædicare, vel vobis Philippenſibus, non captarim nec acceperim munera. De Pauli prædicatione intellige euangelii initium; idque ut videtur de eo, quo cœpit Philippis & in Macedonia prædicare (in Macedonia erat urbs Philippi & quidem in finibus) *Cum egreſſus ſum, nulla eccleſia mihi ſuppeditavit.* Inde apparet me non captare munera.

*Quod datum* &c. Alludit ad tabulas dati & accepti, quibus ſolent talia inſcribi. Sed cur tantum addit ad rationem dati & accepti? Videtur tantum eſſe illuſtratio dationis vel acceptionis pecuniæ, quaſi dicat nulla eccleſia mihi dedit quicquam ita ut in tabulas accepti aut dati id referendum eſſet. Vel limitatio hæc eſt dationis illius: quaſi dicat, nulla eccleſia mihi tale quid ſuppeditavit, quod poſſit debeatque referri in tabulas dat

& accepti. Si quid forte datum fuit, non dignum fuit quod notaretur, quod in tabulas referretur.

Verſ. 16. *Quia etiamſi Theſſalonicæ & ſemel & bis* &c. Quia ſcilicet etiam cum Theſſalonicæ eſſem; miſerunt ſemel atque iterum, id eſt, aliquoties. Theſſalonica alias erat metropolis totius Macedoniæ, Philippis autem non tam opulenta urbs erat. Hoc ergo dicit, vos miſiſtis etiam eo, ubi inter ditiores vivebam. Maluit Paulus accipere ab hominibus pauperioribus, qui liberali & promto animo darent, quam a divitibus, qui alias ſunt moroſi, quod minor erat ſuſpicio avaritiæ ac cupiditatis, ſi ab illis acciperet quam ab aliis.

Verſ. 17. *Non quæro*, id eſt, non ideo dico, ut vos mihi etiam donetis poſtea; ſed potius ſpecto illum fructum, qui ſubinde ad vos redundat.

*Ad rationem veſtram.* Ut inde rationibus illis, in quibus notatur quid a vobis acceperim ſubinde accedat, ut Deus multa quę vobis reddat ibi notata reperiat; ut liber rationum, quæ mihi vobiſcum intercedunt, creſcat: ego enim volo quod Deus vobis perſoluturus eſt.

Verſ. 18. Poſtea veluti Apocham ſcribit: *Ego recepi omnia.* Bene mihi ſunt omnia reddita. Ἀπέχω eſt verbum Juriſconſultorum.

*Abundo.* Non tantum meæ neceſſitati ſuccurriſtis, ſed etiam ſupra neceſſitatem redundat.

*Impletus ſum acceptis.* Mea inopia ex omni parte impleta eſt. Prædicat porro beneficium, ita ut appareat habiturum id apud Deum remunerationem.

*Odorem*, id eſt, quod donum a beneficentia veſtra profectum, eſt odor Deo gratiſſimus & ſuaviſſimus, qualis ab hoſtiis ſolebat aut credebatur proficiſci.

*Oblatio.* Oblationes ita Deo erant acceptæ, ut hominibus tamen ideo bene cuperet. Oblatio eſt rei conſecratæ repræſentatio coram Deo cum certis ceremoniis. Sanguis & adeps potiſſimum offerebantur Deo, quanquam & alia, ut far, oleum, placentæ, id eſt, quæ in ara ſolebant comburi, & ex illis erat odor Deo ſuavis.

Verſ. 19. *Deus autem meus.* Id eſt, ille Deus quem & ego colo, & qui in me eſt benignus, qui me diligit, & cui proinde gratum eſt, quod mihi exhibetur. *Implebit.* Eſt promiſſio potius quam votum, id eſt ſuppeditabit vobis omnia neceſſaria, & indigentiam veſtram explebit.

*Secundum divitias ſuas*, id eſt, pro ſua immenſa benignitate.

*In gloria.* Abundanter etiam, quia id futurum ſit ad gloriam Dei, & cum ea erit conjunctum.

*In Chriſto Jeſu.* id eſt, per Jeſum Chriſtum. Loquitur autem ambigue, ita ut non ſatis appareat, quorſum hæc verba *in Chriſto Jeſu* ſpectent. Videri poteſt ea ideo adidiſſe, ut magis ſpiritualia notet. Niſi quis ita velit intelligere, quaſi dicat cujus rei ſpem concipio ex Chriſto Jeſu.

Verſ. 20. *Deo autem.* Deo ex omnibus hujuſmodi rebus cedat gloria.

Verſ. 21. *Salutate omnem ſanctum.* Quemvis Chriſtianum.

*In Chriſto.* Qui per Chriſtum eſt ſanctificatus, & ea ratione ſegregatus ab aliis. Vel in Chriſto, prout dignum eſt Chriſto Jeſu. Vox in Chriſto Jeſu, poteſt vel ad ſalutationem referri, vel ad ſanctos.

Verſ. 22. *Maxime ex familia.* Hos imprimis commemorat, quia iſti vel maxime diligebant Philippenſes, vel quod inſigni commemorari merebantur, ut intelligerent quod ex imperatoris familia etiam quidam amplexi ſunt religionem Chriſtianam. Nam ſupra cap. 2 dixit, manifeſta fuiſſe facta ſua vincula in Chriſto, etiam in toto prætorio.

PARA-

# PARAPHRASIS
# EPISTOLÆ
## AD
# PHILIPPENSES.

### CAPUT I.

Verſ. 1. EGo Paulus & Timotheus, qui in euangelio prædicando Jeſu Chriſto ſervimus, vobis omnibus qui Philippis degitis, per Chriſtum ejuſque religionem a profano hominum vulgo ſeparatis, Deoque conſecratis, una cum epiſcopis ſeu ſenioribus, qui vos regunt ac docent, & Diaconis, qui in rebus ad hanc vitam pertinentibus vobis miniſtrant.

Verſ. 2. Vobis, inquam, omnibus precamur favorem Dei illius ſummi, qui paterno nos affectu complectitur, & Jeſu Chriſti, domini noſti, indeque manantem felicitatem.

Verſ. 3. Ego Paulus gratias ago Deo, cujus favorem ſingulariter experior, quemque ego nunc colo, quotieſcunque veſtri recordor: recordor autem ſæpiſſime:

Verſ. 4. Et quidem quotieſcunque Deum oro, pro vobis omnibus ſingulari quodam cum gaudio animique alacritate eidem ſupplico.

Verſ. 5. Gratias, inquam, ago Deo, pro tanto ipſius beneficio, quod vos quoque una nobiſcum facti fueritis participes euangelii, idque facio jam inde ab ea die, ex qua primum euangelium fuiſtis amplexi, nec ceſſo ad hodiernum uſque diem:

Verſ. 6. Præſertim quia ea ſpes me tenet fore, ut is qui in vobis opus hoc bonum cœpit, voſque ad fidem euangelio adhibendam perduxit, id etiam ad finem perducat, voſque in fide conſtantes efficiat, uſque ad illum diem, quo Dominus Jeſus venturus, orbemque judicaturus eſt, ſeu uſque ad finem vitæ, cum quo adventus domini Jeſu Chriſti veluti conjungitur, ubi fide jam non amplius nobis erit opus, ſed fidei ſuccedet præmium.

Verſ. 7. Et ſane æquum eſt, ut ita de vobis omnibus ſentiam, itaque bene ſperem, propterea quod mei memores ſitis vos, cum vincula hæc patior, & defendo confirmoque doctrinam Chriſti, a me prædicatam, adeoque omnes una mecum eſtis participes beneficii illius divini, quod mihi hac in parte contigit, quod Chriſti cauſa hæc patior & facio: [vel: quod animo probe teneam ac conſiderem, vos beneficii illius divini, quod mihi contigit, dum in vincula conjectus euangelium a me prædicatum defendo ac confirmo, vos, inquam, omnes participes eſſe:] utpote qui non tantum mihi condoluiſtis, verum etiam ſubſidio in hac afflictione fuiſtis.

Verſ. 8. Neque vero quiſquam mirari debet, me tantopere meum erga vos affectum, qui me ad gratias Deo pro vobis agendas, ac preces ad ipſum fundendas incitet, prædicare, non ſunt iſta vana, & ad benevolentiam veſtram mihi conciliandam conficta. Etenim Deus ipſe optime novit, quem teſtem hic invoco, me intimo affectu, ſingularique amore, qui Chriſto Jeſu vere ſit dignus, ejuſque religioni conſentaneus, vos complecti.

Verſ. 9. Idque aſſiduis precibus ab ipſo flagitare, ut vos, qui fraterna charitate jam eſtis præditi, proficiatis etiam in veritatis divinæ cognitione [vel: fraterna illa, qua jam præditi eſtis, charitas, majus ſubinde capiat incrementum,] atque una etiam doctrinæ euangelii cognitio atque intelligentia ejuſmodi,

Verſ. 10. Qua poſſitis inter plura quæ vobis proponuntur, ea, quæ optima ſunt, antegreſſa dijudicatione & exploratione approbare atque deligere, [vel: qua poſſitis ea, quæ a ſalutari doctrina diſcrepant, explorare ac diſcernere,] ut ita ab omni erroris admixtione ſitis vacui atque immunes, neque uſpiam, ſive in doctrina, ſive in vita, impingatis atque labamini, uſque ad vitæ finem, cum quo dies, quo dominus Jeſus apparaturus, ac mundum judicaturus eſt, quodammodo conjungitur:

Verſ. 11. Sed contra potius vita veſtra plena ſit recte factis a juſtitia ac pietate manantibus, ſeu ejuſmodi, quæ per Jeſum Chriſtum ſunt præſcripta, ad divini nominis gloriam laudemque.

Verſ. 12. Scire autem vos volo, fratres dilecti, tantum abeſſe ut ea quæ mihi eveniunt mala ac triſtia, curſum euangelii impedierint, ut potius effecerint, quo magis illud innoteſceret, & latius ſpargeretur:

Verſ. 13. Ita quidem, ut innotuerit tum iis qui in Cæſaris aula degunt, tum cæteris omnibus qui Romæ vivunt, me religionis Chriſti cauſa vinctum hic attineri.

Verſ. 14. Et plerique fratrum, fratrum inquam qui ob communem nobiſcum Chriſti religionem [vel: & complures ex iis, qui una eandem nobiſcum Chriſti religionem] profitentur, eo confiſi, quod ego euangelii defendendi cauſa hic vinctus ſim, animum ſumant, vereque cum audacia doctrinam Chriſti prædicent, ac de ea cum aliis loquantur.

Verſ. 15. Non deſunt quidem aliqui, qui invidia adverſum me, & contentionis ſtudio impulſi id faciant: ſed contra etiam non deſunt, qui benevolo erga me affectu, meique in labore mihi demandato adjuvandi ſtudio, Chriſti religionem prædicent.

Verſ. 16. Alii, inquam, mecum contendendi meique irritandi ſtudio Chriſtianam religionem promulgant, animo non ſincero, arbitrantes ſe hoc pacto poſſe mihi vincto, & jam afflicto efflictionem addere, quia nimirum alio illi modo, quam ego hactenus faciam, religionem Chriſtianam annuntient, legis ceremonias cum ea conjungentes, quas ego obſervatu haudquaquam neceſſarias eſſe contendo [vel: quaſi nempe ægre ſim laturus, alios quoque Chriſtum annunciare, & gloriam hanc mihi præripere:]

Verſ. 17. Alii vero id faciunt charitate erga me impulſi, cum ſciant me ideo in vinculis hic Dei voluntate detineri, ut doctrinam euangelicam defendam, ejuſque certitudinem omnibus demonſtrem.

Verſ. 18. Non eſt quidem illud probandum, quod priores illi non eo quo decebat animo doctrinam Chriſti prædicent; ſed quid faciendum? cum nihilominus doctrina Chriſti tum hoc, tum illo modo, hoc eſt, tum ſub ſpecie ac prætextu aſſerendi honoris divini, ac ſtudii ſalutis humanæ, tum ſincero candidoque animo promulgetur. Et certe ob id ipſum gaudeo, mihique gratulor, atque impoſterum etiam gaviſurus ſum.

Verſ. 19. Novi enim, id quoque, cum ob afflictiones meas meamque in illis conſtantiam id fiat, mihi apud Deum adjumento fore ad ſalutem, felicitatemque ſempiternam conſequendi, præſertim ſi veſtra pro me apud Chriſtum interceſſerit precatio, indeque fiat, ut mihi ſubminiſtretur ſpiritus ille divinus, qui a domino Jeſu Chriſto in nos proficiſci ſolet:

Verſ. 20. Id quod ego vehementer deſidero atque expecto, futurumque ſpero, ut ſpiritu iſto a domino Jeſu confirmatus, nulla unquam in re, nulloque tempore erubeſcam, ſed intrepide illius cauſam agam, itaque fiat, ut quemadmodum hactenus ſemper, ita etiam hoc afflictionis meæ tempore, illuſtris admodum fiat Chriſtus per me in corpore vincula ferentem, ſive me diutius velit vivere, ac mortem mihi nunc imminentem effugere, ſive eam me nunc velit ſubire.

Verſ. 21. Etenim vita mea univerſa unum ſpectat Chriſtum, in ejuſque gloria ac regno promovendo omnes vitæ meæ actiones ſunt occupatæ, ut non poſſit non illuſtris per me fieri Chriſtus, ſi me diutius velit vivere: mors vero, præſertim ipſius cauſa, proque ipſius gloria perferenda, mihi lucrum atque inſigne commodum eſſet allatura, adeo ut eam non poſſim non alacriter ſubire, eoque pacto nomen ipſius illuſtre reddere.

Verſ. 22. At vero ſi, ut dixi, ex vita mea eum capturus ſum fructum, ut multum adhuc operer in iis quæ ad negotium Chriſti pertinent, ideo haud ſcio utrum mortem, an vero vitam eligere debeam.

Verſ. 23. Etenim utrinque urgeor, & in diverſas partes diſtrahor; ſiquidem ex una parte vehementer cupio ex hac vita migrare ad Chriſtum, ut cum illo vivam (hoc enim mihi ipſi eſſet longe melius & utilius;)

Verſ. 24. Sed ex altera parte video, magis eſſe vobis veſtrique ſimilibus, quos adhuc erudire poſſim, neceſſarium, ut in hac mortali vita diutius permaneam.

Verſ. 25. Et quia ita plane ſum perſuaſus, vitam meam vobis adeo eſſe neceſſariam, inde colligo me in hac vita diutius manſurum, & quidem ita, ut vobiſcum omnibus ſim futurus, atque inter vos verſaturus, ut ita in fide per me proficiatis, indeque gaudium ſingulare capiatis.

Verſ. 26. Unde fiet, ut ex Jeſu Chriſti benignitate veſtra de me gloriatio incrementum ſumat, vel: ut gloriatio veſtra de me, gloriatio, inquam, non ex carnalibus cauſis orta, ſed Chriſtiana, incrementum ſumat. [vel: ut magis adhuc gloriari poſſitis de Jeſu Chriſto ejuſque benignitate in me vobis exhibita,] ubi iterum ad vos ipſius ope venero.

Verſ. 27. Verum quicquid de me fiat, id unum a vobis enixe peto, ut vitam agatis euangelicæ doctrinæ uſquequaque convenientem, ac tam ſancta profeſſione dignam, ut ſive è vinculis liberatus venero & coram vos videam. [vel: coram vobis videro,] ſive hic abſens, id interim audiam, vos ita adhæreſcere doctrinæ Chriſti, ut animis ac voluntatibus ſitis inter vos mutuo conjunctiſſimi, atque adeo unus ſit veſter ſpiritus, unaque anima, voſque una cum doctrina euangelica de fide, quæ per varias difficultates eluctatur, & cum adverſariis ſuis quodammodo certat, ipſi quoque decertetis & auxiliares manus præbeatis. Vel: ad retinendam fidem, quam euangelio adhibuiſtis ſubnixi atque armati, [vel: conjuncta veluti manu certare pro doctrina de fide, quam euangelium præſcribit,]

Verſ. 28. Nec ab ea ulla in parte deterreri ab adverſariis veſtris eorumque inſultibus: quod illorum factum, quod nempe vos inſectentur, & tam acriter oppugnent, argumentum eſt atque indicium, ipſis quidem, quod perituri ſint, tanquam veritatis ejuſque profeſſorum hoſtes; vobis vero, quod ſalutem, cujus cauſa calamitates iſtas ſuſtinetis, ſitis conſecuturi. Neque enim temere fit, quod his adverſariorum inſultibus atque injuriis ſitis expoſiti; ſed Dei id fit conſilio, ac benevola illius erga vos voluntate.

Verſ. 29. Etenim benignitati illius hoc imputandum eſt, & pro dono ipſius habendum, quod ad Chriſti gloriam vobis contigerit [vel: quantum attinet ad ea, quæ ad Chriſti negotium regnumque ſpectant, vobis contigerit,] ut non tantum occaſionem haberetis ac facultatem pleniſſimam in ipſum credendi, verum etiam pro ipſius nomine ac gloria patiendi, atque ita pro veritate divina certandi, qua in re eadem veſtra eſt conditio quæ mea. Sic enim me aliquando in urbe veſtra certantem, ac calamitates Chriſti cauſa ferentem oculis veſtris vidiſtis, & nunc certare me abſentes auditis.

## CAPUT II.

Verſ. 1. ITaque ut in exhortatione ſuperius inſtituta pergam, ſi quid apud vos valet admo-

admonitio Christianæ religioni consentanea, vel Christi nomine facta. [vel: si qua est consolatio, quam Christi religio aliis, præsertim ejusdem religionis consortibus, præbere jubet (ut sane est)] si quod est solatium, ad quod afflictis hominibus præbendum charitas incitat, huc refer; si quid valet conjunctio spiritualis quæ inter nos est, ut sane valere debet; si denique qui sunt affectus, quibus in afflictionibus amicorum tanguntur homines, & commiserationes, quibus ipso naturæ sensu ducimur ad erigendos homines afflictos,

Vers. 2. Id totum mihi afflicto, & de vobis optime merito, nunc præstate, & gaudium, quod ex vobis jam magna ex parte capio, penitus implete ac perficite: quod quidem eo fiet pacto, si concordes fueritis, & idem plane spiraveritis, pari vos invicem amore prosequentes, animo conjuncti, atque ut dixi, unum idemque spirantes.

Vers. 3. Adeoque nihil feceritis studio contentionis, aut ambitione, vanæque gloriæ amore ducti, quæ res concordiæ vehementer obstat; sed potius ex animi modestia ac demissione ita vos gesseritis alii erga alios, itaque vobis invicem cesseritis & obsequuti fueritis, ac si alium quisque superiorem ac præstantiorem sese duceret.

Vers. 4. Id vero fiet, si illud imprimis agetis, ut non tantum id quisque spectet ac quærat, quod sibi placet, sed etiam, idque multo magis, id quod alteri probatur, atque ad ejus ædificationem pertinet, ita ut, si non possit re alioqui licita perfrui nisi alium offendat, ipsi potius quam sibi indulgeat ac gratificetur.

Vers. 5. Ejusmodi autem animus ac voluntas in vobis esse debet, qualis in ipso Jesu Christo, salutis nostræ duce, manifeste apparuit:

Vers. 6. Cujus quanta fuerit demissio videte. Is cum Deo illi summo esset similimus, & ejus majestatem ac potentiam nobis repræsentaret virtute infinitorum miraculorum, quam cum aliis etiam communicabat; & veneratione, quæ ab hominibus ob tantam potestatem ipsi deferebatur, hanc suam cum Deo æqualitatem ac similitudinem non pro spolio hostibus detracto habuit, &, ut victores triumphatoresque solent, ostentavit: [vel: non retinuit mordicus, quemadmodum prædam solent raptores:]

Vers. 7. Sed, cum eam divinæ gratiæ in totum referret acceptam, ad Dei etiam arbitrium eam deposuit, & servo ac mancipio, hoc est, omnium vilissimo homini evasit similis, ejusque conditionem ac statum subiit, dum se vinciri, flagellis cædi ac conspui passus est, ac in rebus hujusmodi similis plane evasit aliis vulgaribus hominibus.

Vers. 8. Et vitæ statu actionibusque externis talis fuit compertus, qualis quisquam est è vulgo hominum: nec illud tantum, verum etiam adeo se ex tanta sublimitate demisit, ut cum ipsum vellet Deus mortem subire, ei obsequeretur, & ferret mortem, non quamvis, sed eam quæ omnium erat ignominiosissima ac truculentissima, nempe crucis.

Vers. 9. Quam ob causam vicissim etiam Deus, cum ex tanta sublimitate se demisisset ad tantam humilitatem, eum in summam sublimitatem extulit, hoc est, donavit ei dignitatem atque imperium, quod omne aliud imperium ac dignitatem longe superat.

Vers. 10. Ut ob imperium dignitatemque illam, quam Jesus Christus ex gratia divina accepit, ipsum adorent, ac coram illo procumbant omnes cælestes spiritus, & homines in terra degentes, quin etiam dæmones ii, qui in sub terraneis specubus degunt [vel: ii, qui nunc sub terra conditi aliquando resurgent, ac divinam Christi majestatem oculis cernent.]

Vers. 11. Utque propterea sive in cælis sive supra terram, sive sub terra nunc degentes. [vel: omnes] ore ac lingua confiteantur, Jesum Christum esse Dominum, divinique imperii consortem, profiteantur, inquam, sed ad laudem ac gloriam Dei, hoc est, patris, qui ad tantam majestatem Christum evexit, & ad quem ultimo omnis rei hujus gloria redundare merito debet.

Vers. 12. Quapropter charissimi mei fratres, cum tantus sit demissionis atque obedientiæ fructus, vos, quemadmodum hactenus semper mihi, vel potius ipsi Deo Christoque obedivistis, ac salutaribus monitis paruistis, ita etiam nunc quoque obedite, & non tantum ea cura ac sollicitudine qua tum usi estis cum apud vos degerem, sed etiam cum a vobis nunc absim, multo majori in salutis vestræ negotium incumbite, eaque facite, quæ ad illam consequendam spectant.

Vers. 13. Suppetunt enim vobis omnia, quæ ad eam rem sunt necessaria, ut excusari nemo queat eorum, qui fuerit negligentior. Deus enim vobis ipse omnia ad eam rem adminicula suppeditat, & vi euangelicæ doctrinæ efficit, ut & velitis ea quæ sunt salutaria, & reipsa faciatis, [vel: Tantum enim abest, ut propterea quia ipse non adsim, & vitam moresque vestros non inspiciam ac regam, remissiores ac securiores esse debeatis, ut potius majori sollicitudine, ut dixi, in salutis vestræ negotio vobis sit utendum: quandoquidem non humanum aliquid est, quod agitis, nec homini hac in parte obsequimini; sed, utut nos absimus, Deus est qui vobis præsidet, & salutis vestræ negotium gubernat, divinisque suis promissis ac monitis efficit in vobis, ut & velitis facere id, quod ad salutem est necessarium, & opere ipso exequamini,] eum tantum in finem, ut benevolam suam de vestra felicitate voluntatem ad exitum perducat, non quod merita vestra id postulent, aut ipsius tantopere intersit.

Vers. 14. Ad eam vero obedientiam, quam a vobis postulo, ac solicitudinem timoremque, quem in perficiendo salutis negotio adhibendum esse docui, illud quoque pertinet, ut omnia, quæ vestri sunt officii, & a pastoribus vestris forte vobis injunguntur, exequamini alacriter, non obmurmurantes, non obloquentes, ut servi immorigeri solent, non disceptantes ac contendentes cum iis, qui monita salutaria vobis inculcant, &, quid vobis sit faciendum, præcipiunt:

Vers. 15. Ut ita omni ex parte sitis irreprehensibiles, atque ab omni labe immunes, sitisque non tantum professione, sed etiam reipsa Dei filii, quos patri suo tum similes, tum obsequentes esse decet, in quibus culpari nihil queat, præsertim cum vivatis in medio hominum improborum ac perversorum, inter quos lucetis, omniumque oculis estis expositi, tanquam mundi quædam luminaria astraque lucidissima; siquidem sermonem & doctrinam euangelii vivific m sustinetis, atque omnium hominum oculis veluti prætenditis ac conspiendam præbetis,

[vel: pietate veſtra ita vos velim ſplendere, ut lumina quædam totius orbis:]

Verſ. 16. Quandoquidem doctrinam, ſalvificam & rationem æternæ vitæ conſequendæ monſtrantem tenetis, ac univerſi orbis oculis exhibetis, ut id mihi cedat in materiam gloriationis in adventu domini Jeſu Chriſti, apud quem laudi mihi erit, quod non fruſtra ita cucurrerim, nec irritus fuerit meus labor, quem euangelio prædicando vobiſque erudiendis impendi.

Verſ. 17. Qua in re ita perſiſto, ut etiamſi tandem futurum ſit, ut ego ipſe, dum in eo ſum, ut vos ad fidem euangelio adhibendam ac conſtanter retinendam adducam, eamque fidem veſtram inſtar victimæ cujuſdam Deo offeram, eoque pacto Deo miniſtrem, ipſemet immoler ac macter, nihilominus gaviſurus ſim, & vobis, quorum commodo id fiat, gratulaturus, tantum abeſt, ut mihi ea res dolorem ſit paritura.

Verſ. 18. Quapropter eodem modo etiam vos gaudere de tanta felicitate debetis, & non dolere, mihi tam triſtia contingere, ſed potius ea de re mihi gratulari.

[Cætera deſiderantur]

## CAPUT III.

Verſ. 1. QUod ſupereſt, fratres mei dilecti, id vos moneo, ut perpetua fruamini lætitia, non mundana quidem illa, qualis eſt hominum hujus ſeculi, aut ex rebus ullis terrenis ac carnalibus orta; ſed Chriſtiana, & ſanctiſſimæ domini Jeſu diſciplinæ conſentanea, ex eaque ortum ducente, ob ſpem immortalitatis in ea propoſitæ. Addo præterea illud, quod licet antehac vobis non ſemel dixerim, tamen nunc ſcribendo repetere non erit mihi grave, vobis autem ad evitanda animæ ac ſalutis veſtræ pericula utile ac ſalutare.

Verſ. 2. Nempe, ut caveatis falſo illos doctores, qui inſtar canum ſalutarem ac puram euangelii doctrinam impudenter allatrant, eoſque mordent ac inſectantur qui eam proponunt, contraque cibi ac ventris ſui cauſa, his a quibus aliquid ſperant, abblandiuntur. Cavete, inquam, homines iſtos; qui ſi forte dicant, ſe labore ſuo mereri, ut a vobis alantur, & varia capiant munera, mali ſunt operarii, ut non modo nullo ſint digni præmio, ſed etiam digni, ob operam ad vos ſeducendos collocatam, odio. Cavete eos, qui ſe circumciſos eſſe gloriantur, & ea ſe potiſſimum ratione aliis commendant, tanquam veros Dei cultores, legemque ceremonialem urgent: non tamen vere circumciſi dici merentur, ſed cum vera cordis circumciſione deſtituantur, conciſi potius aut male ſecti, merentur appellari.

Verſ. 3. Etenim nos vere ſumus circumciſi, & ſic vere Dei populo inſerti, quotquot cultum Deo exhibemus ſpiritualem, eumque ad animum, non ad carnem, qualis eſt ceremonialis ille, ſpectantem, & gloriamur de religione a Chriſto Jeſu nobis tradita, gratiaque divina, quæ in ea eſt comprehenſa; non vero in ulla re carnali fiduciam ac ſpem ſalutis ponimus.

Verſ. 4. Neque vero hæc eo dico, quaſi ipſemet rebus hujuſmodi ad carnem pertinentibus, quibus illi ſeſe jactant, caream, & propterea iſta tantopere elevem; ſed certo potius rectoque animi judicio ac firmis rationibus inductus ea nihili eſtimo: quandoquidem ſi quid illis rebus eſſet tribuendum, ego ſane haberem ſatis amplam fidendi materiam. Certe, ſi quiſquam eſt alius, qui videatur habere cauſam rebus iſtis carnalibus fidendi, ac de iis gloriandi, ego habeo, atque adeo etiam amplius, quam quiſquam alius.

Verſ. 5. Etenim ego circumciſus ſum octavo die, quemadmodum Deus juſſerat: genus duco ex Iſraële, Judaici populi progenitore: ortus ſum ex tribu Benjamin, quæ una fuit ex illis duabus, quæ regibus Davidici generis ſemper adhæſit, & puriorem Dei cultum, quam decem reliquæ tribus a Davidis ſtirpe ſegregatæ, fovit, in cujus territorio locus divino cultui conſecratus ſitus eſt, quæ una cum tribu Juda ſola poſt captivitatem Babylonicam in patrium ſolum reducta eſt; præterea non ex illorum Judæorum ſum numero, qui Helleniſtæ vocantur; quod Græco idiomate utantur, ſed ex illorum, qui Hebræi dicuntur, quod Hebræo, hoc eſt, patrio, & majorum noſtrorum ſermone utantur, neque id ideo, quod linguam eam in ſchola demum didicerim, ſed quod ex Hebræis ortus ſim, atque adeo ex hujuſmodi majoribus ac parentibus natus, qui linguam hanc originis priſcæ teſſeram retinuerunt. Quod vero attinet ad legalem diſciplinam, Phariſaicam, quæ omnium exquiſitiſſima ac præſtantiſſima habetur, & ſanctimoniæ laude præ cæteris excellit, ſecutus ſum ſectam.

Verſ. 6. Si ſpectes zelum & fervorem in patria lege, inſtitutiſque meæ ſectæ imbuendis, ego eccleſiam Chriſti, quæ aliam a legali diſciplina religionem introducebat, & priſtinam paulatim convellere videbatur, perſequebar: ſi denique ſpectes juſtitiam ſeu vitæ integritatem, atque inde conſequentem juſtificationem, legis præſcripto conſentaneam, ita me geſſi, ut irreprehenſibilis eſſem, & nullius criminis poſſem convinci.

Verſ. 7. Sed hæc omnia, quæ ego tunc pro inſigni lucro & incomparabili theſauro habebam, poſtea luce cæleſtis veritatis colluſtratus judicavi talia eſſe, quorum jacturam propter Chriſtianam religionem ac beneficia, quæ ea nobis affert, merito ac lubens facere deberem.

Verſ. 8. Neque vero tunc tantum, repentino quodam animi affectu abreptus, ita judicavi, aut nunc ejus me rei pœnitet, ſed in eadem animi ſententia adhuc perſiſto, & adhuc ita judicio, omnia iſta merito eſſe abjicienda propter ſummam excellentiam longe iſta omnia ſuperantem cognitionis Jeſu Chriſti domini mei, ſeu rerum iſtarum, quas Jeſus Chriſtus nobis patefecit: cujus cauſa ego omnia a me enumerata projeci, eorumque, ſi quis eſſe poterat, fructu meipſum privavi, atque adhuc judico illas quiſquilias eſſe & ſtercora, ut Chriſtum, ſeu ſanctiſſimam ejus religionem, & ea, quæ nobis attulit, bona, tam vilis rei jactura (ſi modo quiſquiliarum poteſt eſſe jactura) lucrifaciam.

Verſ. 9. Et religionem illius amplexus ita æſtimer ac judicer a Deo, ac ſi non haberem juſtitiam illam meam legalem, ſeu juſtificationem, quam legi parendo ex ejus promiſſo videbar conſecutus, ſed ut is, qui habeam juſtificationem eam, quam adipiſcimur per fidem,

fidem, quam Jeſus Chriſtus nobis præſcripſit ac tradidit, illam, inquam, juſtificationem, quæ non ex hominum merito, ſed ex Deo ejuſque ſumma benignitate pendet, nec iis qui opera habeant, legemque ſemper per omnia impleverint, ſed qui fidem habeant, ac ſub ſpe promiſſorum divinorum pro viribus Deo pareant, licet ante ſæpe ac graviſſime peccaverint, & nunc quoque nonnunquam labantur, contingit.

Verſ. 10. Cum quo ſimul conjunctum eſt, ut Chriſtum ſeu ejus religionem non cognitione tantum, ſed reipſa potius atque experimento cognoſcam ſentiamque, inprimis vero vim efficaciamque reſurrectionis, quæ & ſpem ejuſdem reſurrectionis beatæ in nobis gignit, & ad vitæ novitatem nos excitat; nec reſurrectionis tantum vim, quæ non poteſt non eſſe & videri omnibus læta, ſed etiam ut particeps fiam afflictionum, quas Chriſtus pertulit, eique, mortis ipſius tam truculentæ & ignominioſæ ratione, conformis efficiar.

Verſ. 11. Quod totum ideo deſidero, ut ſtadium hoc pietatis decurrens, pertingam aliquando ad optatam illam metam, vel potius brabeum, quod eſt reſurrectio ex mortuis, &, quam hoc nomine complector, immortalitas.

Verſ. 12. Neque vero ideo dixi, me tot tantaque Chriſti & ſalutis ab eo promiſſæ conſequendæ cauſa projeciſſe, ac pro nihilo reputaſſe, ut ſignificarem me omnia jam feciſſe, quæ eum ad finem ſpectant, atque adeo jam metam ipſam apprehendiſſe, & brabeo mihi propoſita veluti manum injeciſſe, haudquaquam: ſed adhuc in ſtadio hoc pietatis curro, & ad præmium iſtud contendo, ſummo conatu id agens, ut apprehendam id, ad quod perſequendum Jeſus Chriſtus me veluti ex medio vitæ priſtinæ curſu retraxit, & manu ſua comprehenſum revocavit.

Verſ. 13. Fratres mei, iterum hoc vobis confirmo, utut non pauca hactenus Chriſti cauſa me feciſſe videatis, unde quiſpiam ſuſpicari forte poſſet, nihil mihi ſupereſſe laboris, me tamen haudquaquam apud me ſtatuere, me jam apprehendiſſe metam, aut ipſum brabeum, ſeu omnia peregiſſe, quæ ad id aliquando reipſa adipiſcendum factu ſunt neceſſaria.

Verſ. 14. Id unum potius ago, ut eorum quæ a tergo ſunt, quæque Chriſti cauſa hactenus feci, veluti obliviſcar, ita ut non patiar ea mihi quicquam ad reliquum itineris emetiendum obſtare: contra vero quemadmodum ii qui in ſtadio currunt, prono corpore ad ulteriora ſeſe protendunt atque inclinant, ita etiam ego ea quæ adhuc facienda mihi reſtant, ſemper cogito, atque ad ea anhelo. Hoc, inquam, animo præditus, rectà, dirigente me ſcopo mihi præfixo, contendo ac curro ab brabeum iſtud, ad quod cælitus ſum vocatus atque accitus a Deo per Jeſum Chriſtum.

Verſ. 15. Quotquot ergo noſtrum ſunt, qui perfectiorem rerum divinarum notitiam adepti ſumus, & in doctrina Chriſti veluti adolevimus ac viri evaſimus, hoc ipſum etiam, quod ego me hactenus facere docui, ſentiamus ac ſpiremus. Quod ſi vos aliquid adhuc fortaſſe aliud cenſetis, & præter ea quæ Chriſtus tradidit aliquid adhuc rebus iſtis carnalibus, quæ ego me abjeciſſe ac proculaſſe dixi, tribuitis, ea quoque in parte Deus vobis veritatem tandem, ut ſpero, aperiet atque oſtendet, nil præter ea quæ Chriſtus nobis præſcripſit, apud eum quicquam valere.

Verſ. 16. Veruntamen interea dum id faciat, id nobis faciendum incumbit, ut quouſque jam conſentimus, & in cognitione doctrinæ Chriſti utrique progreſſi ſumus, eouſque etiam eandem ſequamur vitæ regulam ac normam, ac inter nos conſpiremus, animiſque ſimus concordes, nec patiamur levem iſtam in cæteris rebus diſcrepantiam, quæ inter nos eſt, unitati ac concordiæ fraternæ obſtare.

Verſ. 17. Quemadmodum autem jam antea monui, ut idem quod ego facio, ii quoque faciant qui perfectiorem rerum divinarum cognitionem ſunt adepti, ita nunc vos omnes hortor, chariſſimi fratres, ut me velitis imitari, & diligenter circumſpicere ac intueri eos qui eodem modo vivunt quo me videtis vivere, quem inſtar exemplaris alicujus hac in parte habetis.

Verſ. 18. Id vero eam ob cauſam tam diligenter moneo ac inculco, quia multi, qui ſeſe doctores jactant, ita vivunt, ut, quemadmodum vobis ſæpe dixi, & nunc etiam cum lacrymis, quas ſollicitudo de veſtra ſalute mihi exprimit, dico, appareat, eos crucem Chriſti, eamque vivendi rationem, quam ignominioſa hæc Chriſti mors nobis confirmat, atque inprimis afflictiones & perſecutiones, quas nobis ferendas eſſe ducis noſtri exemplum in cruce propoſitum clariſſime docet, odiſſe.

Verſ. 19. Eorumque vitæ finem fore æternum exitium, cum ventri ſuo tantum ſerviant, eumque pro Deo quodam habeant, voluptatibus carnalibus gulæque ſuæ addicti; & ſumma illorum gloria, quam jactant, conſiſtat in re pudenda, ſeu circumciſis genitalibus, [vel: ac de rebus factiſque turpibus, quorum ipſos pudere deberet, glorientur;] nil denique aliud ſapiant ac ſpirent, quam terrena, de nulla re minus quam de cæleſtibus ſolliciti.

Verſ. 20. Ideo vero nos imitandos dixi, hos vero homines fugiendos, quia nos non ut illi terram ſapimus, ſed ut municipes cælorum nos gerimus: [vel: At nos haud quaquam rebus terrenis addicti eſſe debemus, ſed in cælo verſari, & ea quæ loco iſti ſunt convenientia agere] ſiquidem ibi reſpublica noſtra eſt ubi jus civitatis habemus; quandoquidem ex eo loco exſpectamus Jeſum Chriſtum ſervatorem noſtrum, ibi hactenus, ut nobis exemplo ſit, degentem, qui poſtmodum etiam nos aptos reddet, ut beatas illas ſedes incolamus. [vel: At vero nos ut cælorum municipes nos gerimus, ibi felicitatem noſtram, ibique ſedem ſtabilem eſſe ſcientes, ſiquidem ibi etiam degit nunc caput noſtrum, hoc eſt, ſervator noſter dominus noſter Jeſus Chriſtus, quem exinde venturum ſperamus, magnoque cum deſiderio expectamus.]

Verſ. 21. Is vero ubi advenerit, adeo immutabit ac transformabit corpora noſtra, ut quæ nunc ſunt adeo vilia atque abjecta, fiant conformia glorioſo ipſius atque incorruptibili corpori. Id quod præſtabit ea virtute atque efficacia, quæ in ipſo tanta eſt, ut poſſit ſibi reipſa ſubjicere non tantum res quaſdam imbecilliores, ſed etiam omnes; adeoque hoſtes ſuos potentiſſimos, quorum ultimus mors eſt, in nobis delere atque extinguere: quod fiet immortalitate nobis donata, per quam apti fiemus, ut cæleſtem noſtram patriam una cum ipſo incolamus.

## CAPUT IV.

Vers. 1. QUapropter, cum tanta nos maneat felicitas, charissimi atque exoptatissimi fratres, qui mihi & gaudio & honori estis singulari, mihi, qui vos viros tam probos ac pios Christo lucrifecerit, ita quemadmodum hactenus cœpistis in Christiana religione porro perstate, ac constanter perseverate, charissimi mei.

Vers. 2. Peculiariter autem moneo atque obsecro Euodiam & Syntychen fœminas quę inter alias eminent, ut inter se concordes sint, quemadmodnm disciplinâ Domini Jesu dignum est. [vel: ut in negotio Domini penitus conspirent, ac sese mutuo adjuvent.

Vers. 3. Quin etiam te rogo, quem hactenus germanum plane ac verum laborum socium sum expertus, ut auxilium feras in rebus ad Christi negotium pertinentibus fœminis a me commemoratis, quæ in euangelio promovendo magnos mecum labores exantlarunt, certaminaque ac pericula sustinuerunt, atque una cum Clemente & cæteris in eodem Christi negotio cooperariis meis, quorum labores ac pietatem adeo non tradidit oblivioni Deus, ut eos vita æterna donare decreverit, eorumve non secus meminerit, ac si ipsorum nomina in librum quendam retulisset, in quo eos consignare soleat, quibus æternam illam felicitatem destinat.

Vers. 4. Id vero omnes in universum moneo, ut perpetuo gaudeatis, non ex rebus carnalibus, ut homines hujus seculi solent, sed gaudio potius Christiano ac spirituali, quod ex spe immortalis vitæ, quam euangelium vobis inserit, nascitur. Ac ne quis forte putet, mihi hoc temere excidisse, quod vos, qui affligimini, gaudere jubeam, iterum hoc dico ac pronuncio, gaudete eo quo dixi gaudio.

Vers. 5. Quod si afflictiones vos urgent ac premunt, & gaudium hoc animis vestris excutere conantur, animi æquitate ac moderatione in iis ferendis utamini, ita ut omnes videant, quam patienter omnia mala ferre noritis. Ideo vero æquo animo tolerare omnia debetis, quod non diuturna ea sunt futura: Christus enim vobis opem cito est laturus, & auxilium ipsius præsto est. [vel, Christus enim, qui adventu suo iis finem est impositurus, non longe abest, sed mox est adventurus.] Et quantulum restat temporis usque ad Domini adventum!

Vers. 6. Nulla ergo sollicitudo animique anxietas, ex rebus adversis orta, gaudium illud vestrum spirituale, quod vobis præcepi, turbet: sed si quid est quod vos sollicitos habere posset, id Deo benignissimo vestro patri commendate, & assiduis precibus cum gratiarum actione, cujus ne in adversis quidem oblivisci debetis, conjunctis usi, ipsi exponite quid velitis ac postuletis.

Vers. 7. Quibus ex rebus eum consequemini fructum, ut felicitas illa divina, quæ intelligentiam humanam prorsus superat, nec mente ullius mortalis concipi potest, vos adversus omnia animæ pericula ita communiat, ut nil vel velitis ac desideretis, vel cogitetis, nisi quod consentaneum est Christianæ religioni.

Vers. 8. Denique ut finem jam monendi faciam, & multa pacis complectar, fratres charissimi, quæcunque veritati, quæcunque honestati ac gravitati sunt consentanea, quæcunque justa, quæcunque casta, quæcunque humanitati ac comitati conveniunt, atque ad amicitiam aliorum parandam ac retinendam accommodata sunt, quæcunque famam honestam apud alios conciliant, si quæ est virtus, si quid est laudabile, id semper meditamini, & animo proponite.

Vers. 9. Neque vero ea vobis sunt nova atque hactenus incognita, siquidem ea a me fuistis edocti, eaque recepistis atque approbastis; neque sermone tantum ea audivistis a me explicari, verum etiam exemplo meo eadem fuistis edocti. Etenim partim de me absente audivistis, hæc omnia a me diligenter observari; partim etiam, cum apud vos viverem, oculis vestris ea in me vidistis ac conspexistis. Hæc ergo & vos factis exprimite, unde hunc consequemini fructum, ut Deus ille summus, qui felicitatis omnis auctor est, vobis adsit propitius, & præsenti favore vos complectatur.

Vers. 10. Gavisus vero sum vehementer, non quidem eo modo quo vulgus hominum solet, quod lucro mirum in modum capitur, sed gaudio Christiano homine digno, quod tandem aliquando resumseritis pristinam illam vestram de me sollicitudinem ac curam, quæ aliquantulum videbatur elanguisse; non quidem in animis vestris, sed ratione operis ac fructus, qui inde manare debebat. Fateor enim, vos fuisse de me sollicitos, sed oportunitate mihi aliquid mittendi destituebamini.

Vers. 11. Quod vero dixi, me tantopere gavisum, quod curam mei denuo susceperitis, id non dixi penuriæ meæ, qua laboravi, ratione habita, quasi ea mihi fuerit admodum gravis, adeoque nunc tam gratum, eam ope vestra fuisse sublevatam. Ego enim ita me composui atque assuefeci, ut quæcunque mihi sors obtigerit, ea sim contentus.

Vers. 12. Novi eo quo decet pacto rerum angustiam ac penuriam ferre, novi etiam in rerum copia atque affluentia recte me gerere, ita nempe, ut nec illa dejiciar, nec hac efferar, aut ad luxum ea abutar, quodcunque incidat tempus, quicquid denique fiat, ita in potestate animum habeo, ut meminerim & eo quo decet modo saturari, ac rerum abundantia frui, & famem pati inopiamque tolerare.

Vers. 13. Omnia, inquam, ejusmodi, & si quæ sunt alia, cæteroquin ardua ac difficilia, quę mihi vel facienda vel ferenda incumbunt, præstare possum, non meis quidem subnixus viribus, sed iis quas Christus, qui me perpetuo confirmat, suppeditat.

Vers. 14. Etsi vero hactenus ostenderim, paupertatem mihi meam non fuisse gravem, adeoque mea causa non adeo fuisse lætatum subsidio mihi a vobis transmisso, nihilominus tamen recte feciſtis, quod mihi afflicto volueritis aliquid rerum vestrarum largiri atque subministrare, [vel: quod hoc pacto volueritis participes fieri mearum afflictionum, & eas mihi minuendo, earum portionem aliquam in vos recipere.]

Vers. 15. Non est autem ignota vobis continentia mea, sed vos quoque Philippenses nostis, quod, cum ab initio vobis cum reliquis hinc inde gentibus euangelium prædicarem, cum nimirum è Macedonia sum egressus, nulla mihi ecclesia quicquam suppeditarit, quod a me in tabulas dati & accepti referri mereretur [vel: esset referendum,] præter vos solos.

Vers. 16.

Verſ. 16. Qui etiam cum Theſſalonicæ eſſem, urbe alias opulentiſſima, & Macedoniæ metropoli, ſemel atque iterum in uſus meos neceſſarios pecuniam mihi miſiſtis.

Verſ. 17. Quæ non ideo commemoro ac prædico, quod requiram a vobis munus aliquod, & donum per ſe ipſum ſpectem: haudquaquam: ſed eum muneris fructum ſpecto, qui faciat, ut in tabulas illas, in quas ea refero quæ a vobis accepi, quæque vobis Deus ſit redditurus, ſubinde plura ſint adſcribenda, atque adeo uberior vos maneat apud Deum remuneratio.

Verſ. 18. Quod vero attinet ad ea quæ nunc mihi miſiſtis, omnia recte accepi, & non tantum penuriam nunc amplius non patior, ſed etiam abundo; penitus ſum ſatiatus, poſtquam accepi ab Epaphrodito ea quæ miſiſtis. Quod quidem munus adeo Deo eſt gratum, ut ei ſit inſtar ſuaviſſim cujuſdam odoris, & victimæ admodum acceptæ, ipſique vehementer placentis, adeo ut non poſſit non apud ipſum facti hujus præmium vos manere.

Verſ. 19. Quemadmodum autem vos inopiam meam expleviſtis munificentia veſtra, ita viciſſim Deus, qui me amat ac curat, quemque ego viciſſim ſummo ſtudio colo, indigentiam, ſi qua erit, veſtram per Jeſum Chriſtum explebit, omniaque vobis ſuppeditabit neceſſaria, pro glorioſa illa ſua beneficentia, qua per Jeſum Chriſtum erga nos utitur vel: [pro divite ſua beneficentia, quæ res conjuncta erit cum eximia illius gloria.]

Verſ. 20. Deo vero illi ſummo qui pater noſter eſt, reddatur gloria in ſecula infinita. Amen.

Verſ. 21. Salute, Chriſtianorum in morem, quemvis per agnitionem divinæ veritatis a profano hominum vulgo ſeparatum ac Deo conſecratum. Salutate omnes eos qui per Jeſum Chriſtum ſanctificati, & cognitione ejus a profano vulgo ſunt ſeparati.

Verſ. 22. Salutant vos fratres qui mecum ſunt, nec tantum hi, verum etiam omnes cæteri Chriſtiani, ſeu per agnitionem Chriſti ab aliis ſegregati, atque imprimis ii qui ex ipſius Imperatoris ſunt familia, ejuſque domeſtici.

Verſ. 23. Dominus noſter Jeſus Chriſtus favore ſuo vos omnes complectatur. Amen.

# COMMENTARIUS IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

## CAPUT I.

Verſ. 1. *PEr voluntatem Dei.* Id eſt Deo volente ac conſentiente, vel per eam cauſam efficientem eamque principalem, declarat quæ eſt Dei voluntas ac decretum, ſive quia quicquid Chriſtianis facit Deus id vult ac facit: (Chriſti enim voluntas cum Dei voluntate conſpirat) ſive etiam, quia Deus id jam olim decreverit ac conſtituerit, ut Paulus apoſtolus inter gentes munere apoſtolorum fungeretur. Nam ſi Johannes ad munus illud præcurſorium deſtinatus ac decreto divino natus fuit, cur non etiam idem Paulo eveniſſe dici queat? cum Pauli munus illo munere longe fuerit ſublimius ac præſtantius. Propterea ipſe dicit, ſe ex utero matris ſegregatum (nimirum ad hoc munus) fuiſſe, non quidem decreto abſoluto & prorſus immutabili, ſed conditionato. Nam ſi Paulus veritati divinæ animo præfacto ac maligno, ac ſciens prudens reſtitiſſet, non eſt credendum eum nihilominus hoc munus fuiſſe conſecuturum. Nam quibus hominibus Deus remiſſionem peccatorum denegavit, quomodo apoſtolatus munere eos dignaretur? Denegavit autem eis, qui peccant adverſum ſpiritum ſanctum: peccat autem is, qui divinam veritatem ſciens prudens non ſolum mendacium vocat, ſed etiam exſtirpare conatur, & profeſſores ejus capitali hoſtilique odio proſequitur & perſequitur, eoſque blaſphemare cogit. Similiter ſi apoſtolus vocanti Chriſto parere recuſaſſet, quod illi utique liberum erat, munere iſto ſibi deſtinato excidiſſet. Decreta enim ejuſmodi conditionem aliquam præſupponunt, quæ ex ex libera hominum voluntate pendet ac proficiſcitur. Sic Deus elegiſſe nos dicitur ac diſtinaſſe ad ſalutem, etiam ante orbem conditum, ſed præſuppoſita conditione ab arbitrii noſtri libertate pendente. Particula autem hæc *per*, licet ſua natura mediam cauſam declaret, hic tamen potius de principali uſurpatur. Utroque autem ſenſu ſimul uſurpata fuiſſe videtur in eadem materia ad Galat. 1, ubi *per Jeſum Chriſtum* opponitur illi *per hominem*, iſtis verbis *per Deum patrem* opponitur *ab hominibus*. Solet autem apoſtolus libenter divinæ voluntatis, cum ſe apoſtolum Chriſti vocat, meminiſſe, ne quis ſuſpicetur, eum Deo adverſari, quod ceremonias olim a Deo ſancitas ac conſecratas, non ſolum non urgeret, ſed ſæpe etiam oppugnaret. Quemadmodum in hac quoque epiſtola fit, & doctrinam a lege admodum diverſam promulgaret.

Verſ. 2. *Fidelibus fratribus* &c. In epiſtola ad Epheſios habet *Fidelibus in Chriſto*. Videtur autem *in Chriſto Jeſu* utrique huic voci ſubjeciſſe. ut & de quali fide, & de quali fraternitate loquatur, exprimeret, nimirum de Chriſtiana.

Verſ. 3. *Deo & patri.* Deus videtur abſolute poni; Pater autem domini noſtri Jeſu Chriſti per exegiſin, quaſi dicat Deo, qui eſt pater domini noſtri Jeſu Chriſti.

*Gratias agimus* &c *orantes.* Preces enim gratiarum actionem includunt, ut apud Lucam cap. 18, ibant duo ut precarentur, Phariſæus & publicanus, oratione ſola gratiarum actio continetur, nulla petitionis facta mentione: hoc loco tamen apud Paulum utrumque continetur. Semper autem orare ſe dicit apoſtolus, non quod plane ſemper, id eſt ſingulis momentis id faceret, ſed quod diligens ac aſſiduus in ea eſſet. Sic dicimus aliquem ſemper ſtudere, ſemper legere, ſine intermiſſione quippiam facere, nempe quod diligens ea in re ſit & aſſiduus. De precibus autem id fere dici ſolet, quia ad eas jugis occaſio ſuppetit, quæ non tam ſuppetit aliis virtutibus: orare enim fere ſingulis momentis poſſumus, quicquid ſive animo ſive manu agimus precibus interrumpi poteſt.

Verſ. 4. *Fidem veſtram* &c *In Chriſto Jeſu.* Non videtur hoc loco ſignificare in Chriſtum Jeſum, ſed eſt fidei iſtius deſcriptio, quod ſit fides ea quæ pro objecto ſuo habet Chriſti doctrinam & diſciplinam, quaſi dicat fidem doctrinæ Chriſti adhibitam, vel per Chriſtum traditam.

*Charitatem in omnes ſanctos.* Charitatem eam, quæ tendit & dirigitur, non in natos ac propinquos, vel etiam vicinos noſtros, ſed in quoſvis fideles ſeu Chriſtianos. De tali charitate loquitur, quæ eo ſolummodo nomine præſtetur, quo quis eſt ſanctus, ſeu Chriſti diſcipulus & religionis ejus profeſſor. Nam qui hoc nomine amat, is vere Chriſtiana charitate præditus eſt; quiſquis tandem fuerit modo Chriſtianus ſit, ad charitatem illi ſufficit: multi enim ſunt, qui non tam Chriſtianos, quam amicos, propinquos, gentiles, vicinos, natos ac familiares ſuos amant.

Verſ. 5. *Propter ſpem.* Cauſa efficiens iſtius charitatis (hoc prioribus verbis connectendum) quam apparet

non in ſolis verbis, imo ne in effectu quidem ſolo poſitam fuiſſe, ſed in ipſo, effectu quæ ſcilicet liberalitatem aliquam, aut hoſpitalitatem aliquam, charitatis officia erga ſanctos, exercuiſſent. *Spes* hoc loco ſumitur pro bono & felicitate ſperata & ſperanda, ſi quæ jure aliquo ſperari debet, ac ſperatur. Ideo enim ſpes ſæpe ab apoſtolo vocatur beata illa immortalitas, quia eam non ſolum ſperemus, ſed optimo jure ſperemus ac ſperare debeamus, utpote quæ certiſſimis promiſſis ac fulcris nitatur.

*Repoſitum* autem bonum iſtud dicit, quia velut aſſervetur ac cuſtodiatur, ne nobis pereat, ſed aliquando nobis detur. Hoc ſenſu dicit Petrus, hæreditatem illam incorruptibilem pro nobis cuſtodiri. Quemadmodum autem ſpes eſt duplex, ita etiam repoſitio duplex. Spes una eſt, quæ oritur ex promiſſione divina, conditione ea ſub qua promiſſio eſt facta, nondum præſtita, ſed præſtanda demum. Altera oritur præſtita jam conditione illa. Hæc certior, illa incertior, quod ad nos ipſos attinet, ſimiliter & repoſitio. De poſteriori repoſitione loquitur apoſtolus 2 Tim. 4. 8.

*In cælis*, ut & locum felicitatis noſtræ deſignet, & ſimul oſtendat quod pereximio & tuto loco ſpes iſta ſeu bonum nobis promiſſum, nobis aſſervetur: eo, nempe ubi eſt Chriſtus ait, nec fures ſuffodere ac furari, nec tinea poteſt arrodere &c.

*Quam antea audiviſtis*, id eſt ſuperiori tempore. *In ſermone veritatis.* In ſermone, qui eſt veritas, nempe κατ' ἐξοχὴν, vel etiam in ſermone veraciſſimo. Quis autem ſit iſte ſermo, declarat, addita voce *euangelii*, ille nimirum ſermo euangelicus.

Verſ. 6. Commendat hunc ſermonem: *Qui adeſt inter vos*, qui ad vos etiam pervenit, ad vos uſque pertigit.

*Quemadmodum & in toto mundo.* Παντὶ pro ὅλῳ, omni pro toto. Qua in re commendat euangelium, quod tam brevi tempore per totum fere orbem fuerit propagatum. Ἐν autem vidtur hic omnino poſitum pro εἰς. Ita enim ſenſus loci, & ſuperior particula εἰς ὑμᾶς, cui opponitur ἐν παντὶ κόσμῳ poſtulat.

*Et eſt fructificans.* Altera commendatio, quod vel creſcat pluribus quotidie accedentibus, vel potius homines reformet, regeneret, & toto terrarum orbe plurimos virtutum fructus afferat.

*Cognoviſtis gratiam Dei.* Nempe eam, qualis in euangelio annunciatur, quod Deus velit peccata remittere, & vitam æternam in Chriſtum credentibus donare.

*In veritate*, id eſt vere. Atteſtatur Paulus hoc verbo, quod vere illis & incorrupte Chriſti doctrina fuerit tradita, ne vero putarent ſe falſo aliquid edoctos fuiſſe, quod non ab ipſo apoſtolo, ſed ab aliis, de quorum authoritate, aut infallibili rerum divinarum ſcientia dubitari poterat, edocti fuiſſent.

Verſ. 7. *Quemadmodum & didiciſtis.* Quemadmodum ſane didiciſtis ab Epaphra.

*Conſervo meo.* Non vulgari ratione, quemadmodum omnes fideles ſunt conſervi, ſed peculiari, in annunciando nimirum & propagando euangelio, ab eo qui nihil aliud curet, quam quod euangelium propagetur. *Pro vobis*, id eſt in uſum & commodum veſtrum.

Verſ. 8. *Charitatem in ſpiritu*, id eſt ſpiritualem non carnalem, qualem ℣. 4 deſcripſerat, quæ a carnali differt carnalibus efficitis, carnalis enim oritur ex re aliqua carnali, ſeu ad carnem & ad hanc vitam pertinente, Spiritualis ex cauſis ſpiritualibus, ex conſortio & conjunctione in religionem Chriſtianam.

Verſ. 9. *Propter hoc & nos*, id eſt veſtra fides & charitas in ſpiritu eſt cauſa impulſiva cur & nos indeſinenter oramus. Vocula & non ideo videtur addita, ut ſignificet alios etiam fuiſſe qui idem facerent, ſed perinde eſt ac ſi diceret apoſtolus, vos fidem & charitatem habetis, nos viciſſim pro vobis oramus. Sæpe enim hæc particula non rem cum re ſimpliciter comparat, ſed prioritatem orationis ſequentis cum antecedente, præſertim cum poſterior ex priori aliqua ratione pendet ac deducitur. Vide Piſcat. in Luc. 1. 35.

*Vt impleamini cognitione.* Alii accuſativum pro ablativo poſitum putant per Enallagen. Sed poſſunt hæc ita conſtitui, *ut impleamini in omni*, id eſt omni ſimplicitate, redundat *in*.

*Sapientia & intelligentia ſpirituali:* verba autem *cognitionem voluntatis ipſius*, ſapientiam hanc limitabunt. De ea nempe ſapientia apoſtolum loqui oſtendens, quæ ad divinæ voluntatis cognitionem pertinet, ita ut ſubaudiatur vocula καὶ, quæ ſolet ſæpe ſupprimi: ut Epheſ. 4. 15. Sapientia autem & intelligentia Synonyma videntur eſſe. Si quis ſubtilius hæc diſtinguere velit, ſapientia erit cognitio, notitia ſolida quidem, non tamen exquiſita, verum ad ſalutem noſtram pertinens. Σύνεσις autem ſolet definiri facultas judicandi de conſiliis alienis, cum quis non tantum alicujus decreta ſimpliciter habet cognita, ſed etiam præterea novit conſiliorum iſtorum cauſas, originem, progreſſus, & finem, quam ſapienter & appoſite cuncta fuerint decreta & deſtinata. Spiritualem autem vocat, ut carnali opponeretur.

Verſ. 10. Περιπατῆσαι. Digne domino, finis iſtius ſapientiæ eſt vita pia & Chriſto digna, talis qualis ejus nomini, honori ac dignitati conveniat & congruat.

*In omni opere bono fructificantes.* Fructum ferentes, qui eſt omne bonum opus: quemadmodum dicimus, hunc hortem omnis generis fructus ferre; ita Chriſtianus omnis generis, id eſt omnis boni operis fructum ferre debet.

*Et creſcentes in cognitione Dei.* Mutuo ſe iſta conſequuntur. Creſcente notitia divinæ veritatis, creſcit pietas, & hac creſcente, creſcit viciſſim illa. Sed videntur hæc verba eo ſenſu ab apoſtolo fuiſſe edita, ut ſignificaret quomodo illos vellet creſcere & augeſcere in divinæ voluntatis notitia, nimirum, ea demum ratione, ut omnis generis pietatem exerceant. Is enim vere Deum novit, ac in ejus cognitione proficit, qui ſancte & inculpate vivit, quaſi dicat: nolo ut animum tantum contemplatione rerum divinarum paſcatis, ſed ut voluntatem excolatis, atque ea demum ratione in cognitione divina augeſcatis. Activam illis ſive practicam, non theoreticam & ſpeculativam cognitionem inculcat.

Verſ. 11. Porro conſtantiam illis in omnibus afflictionibus precatur, *robur gloriæ ipſius.* Pronomen *ipſius* cum nomine *robur* non cum voce gloriæ connectendum eſt. Robur autem gloriæ eſt robur gloriosum, quod ſpiritus ſanctus eſt ad Epheſ. cap. 3. ℣. 16, & reliqua omnia quibus roboramur & fulcimur in ſuſtinendis calamitatibus, qualia ſunt arma illa ſpiritualia, ad Epheſ. 6.

*In omnem patientiam.* Ad perferendas omnis generis calamitates.

*Et longanimitatem.* Plus eſt longanimitas quam patientia, hæc enim diuturnitatem ac conſtantiam illi addit.

Cum

*Cum gaudio*, adhuc plus eſt, adeo ut gradibus quibuſdam aſcendere videatur apoſtolus ad tolerantiæ faſtigium.

Verſ. 12. Τῷ ἱκανώσαντι. Qui dignos nos reddit. Nam ita ſolet vox ἱκανὸς accipi, ut cum dicit Lucas de Johanne; non ſum ἱκανὸς ſolvere calceamenta Chriſti. *Sors ſanctorum* eſt illa cæleſtis hæreditas, cujus partem ut acciperemus, dignos nos fecit Deus. Sors enim idcirco dicitur, quod ſorte dividi ſoleat hæreditas.

*In luce.* Quidam ad ſortem hoc referunt, ut indicetur ejus præſtantia & locus. Sed probabilius eſt cauſam mediam denotari, per quam id factum fuerit, nimirum per lucem euangelicam, qua ii de quibus ſermo eſt, fuerint colluſtrati.

Verſ. 13. *Poteſtate tenebrarum.* Poteſtatis vox aliquando perſonam poteſtate præditam, aliquando ipſum imperium deſignat, ſeu aliquando concrete aliquando abſtracte accipitur: illo modo vox *poteſtatis* ſignificat diabolum, qui eſt princeps tenebrarum, hoc vero modo accepta poteſtatis voce, tenebræ accipienda erunt de diabolo, ut ἐξουσία opponatur τῇ βασιλείᾳ, & tenebræ opponantur filio Dei. Sic Luc. 22. 53. Quod ſi quis tamen velit apoſtolum per proſopopœiam quandam loqui de ignorantia divinæ voluntatis, & impietate, quæ veræ ſunt tenebræ, iiſque imperium quoddam & dominium tribuere ex quo Deus nos vindicavit per lucem euangelii ſui, per nos licet.

*In regnum*, id eſt effecit, ut ſubditi fieremus Chriſti.

*Filii dilectionis ſui.* Filii dilectiſſimi. Nam vox ἰδίᾳ αὐτοῦ non cum ἀγάπης ſed cum αὐτοῦ jungenda eſt. Similem locutionem habuimus ℣ſ. 11. Philip. 3. 21: σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, ubi vox ἡμῶν, ad σῶμα referri debet. Et σῶμα τῆς δόξης αὐτοῦ, ubi vox αὐτοῦ, ad vocem σώματι referenda eſt.

℣ſ. 14. De verſu 14 vide in epiſtola ad Epheſ. cap. 1. 7.

℣ſ. 15. *Qui eſt imago Dei.* Dum Dei beneficia enumerat, intexit Chriſti, per quem ea nobis contigerunt, commendationem. In ea ulterius hic pervehitur, ut dignitate ſumma ac plane divina Chriſti præſtantia demonſtrata, tacite eos hortetur, quo præcipue collimat apoſtolus, ad conſtantiam in ejus religione ac doctrina. Imago autem Dei Chriſtus dicitur, quod quemadmodum hominem imago exprimit & repræſentat, ſic Chriſtus Deum repreſentavit, non ratione perſonæ aut eſſentiæ, ſed ratione voluntatis ejus: voluit enim apoſtolus his verbis declarare, quomodo per Chriſtum remiſſionem peccatorum ſimus adepti, nempe ea ratione, qua Dei ea de re voluntatem nobis expreſſerit, eamque Dei nomine nobis annunciaverit, & ſanguine ſuo obſignaverit ac ſanxerit: hinc enim oritur nobis jus remiſſionis iſtius conſequendę. Nihil enim aliud apoſtolus hac phraſi ſignificare voluit, quam id quod iiſdem, quibus hic verſ. 14 utitur verbis, in epiſtola ad Epheſios ſubjicit: *notum faciens vobis myſterium voluntatis ſuæ.* Propterea ergo Chriſtus imago Dei dicitur, quia nobis notum fecerit myſterium voluntatis. Maluit autem apoſtolus ipſam Chriſti & Dei perſonam nominare, non vero illius qui doctrinam aut ipſius voluntatem notam fecit, ut tanto aptius ad rem quæ imagine delineatur ac depingitur, & ad ipſam imaginem (utraque vero aliquid per ſe ſubſiſtens eſt, & perſonis plerumque competit imagine repræſentari) poſſet alludere. Hinc eſt, quod dicat Chriſtus Philippo: *Qui me videt, videt patrem meum* Joh. 14. 9. Chriſtum enim de divina voluntate loqui res ipſa indicat, cum nemo divinam Chriſti naturam unquam viderit, aut videre potuerit, & verba quæ mox ſubjicit, *Verba*, inquit, *quæ loquor vobis, a me ipſo non loquor, ſed pater in me habitans ipſe facit opera*, poſteriori itidem ad Corinthios epiſtola cap. 4. 3. Chriſtus eodem ſenſu imago Dei dicitur, quod per ejus euangelium divina voluntas nobis fuerit expreſſa & revelata ℣ſ. 4, & author epiſtolæ ad Hebræos, Chriſtum radium quendam divinę glorię, & characterem hypoſtaſeos ipſius Dei nominat, non aliam ob cauſam, quam quod veluti radius aliquis corpus lucidum, aut character ſeu typus Archetypum, ſic Chriſtum Deum expreſſit.

*Inconſpicui.* Cauſam indicat apoſtolus, cur imagine quadam opus fuerit ad Deum videndum, nempe ideo, quod conſpici, id eſt ab hominibus adiri, audiri, Deus nequeat. Quomodo autem Deus inconſpicuus per Chriſtum fuerit repreſentatus & expreſſus hominibus, declaravit Johannes, cum ait: *Deum nemo vidit unquam, filius, qui eſt in ſinu patris ipſe enarravit nobis.* Enarrando ergo exprimitur. Enarravit autem Chriſtus non eſſentiam divinam, aut perſonam, ſed voluntatem. Deum autem videre, ſignificare, ipſummet adire, & ex ejus ipſius ore, ut ita dicam, audire, apparet ex Chriſti verbis Joh. 6. 45, 46. Poſtquam enim Chriſtus dixiſſet omnes a Deo edoctos iri, idque veluti explicans addidiſſet, omnis ergo qui audit a patre & diſcit, venit ad me, veluti per correctionem quandam, ne forte quiſpiam cogitaret, Chriſtum affirmare, fore, ut homines Deum, tanquam diſcipuli magiſtrum adeant, audiantque, ſubjungit: *Non quod patrem quis viderit*, id eſt adierit, & ex ore ejus aliquid didicerit & acceperit, neminem enim talem eſſe præter ſe ſolum, ut ſtatim ſubjicit; ubi εἰ μὴ poſitum eſt pro ἀλλά, ut & in aliis nonnullis locis.

*Primogenitus omnis creaturæ.* Effunditur apoſtolus in laudes domini Jeſu, pergens in commemoratione ejus dignitatis ac præſtantiæ: quo fine jam dictum eſt. Voluit enim Chriſtum tacite opponere angelis, per quos legem olim Deus dederat, quorum præſtantia magnam legi conciliabat authoritatem, qua, ut apparet, permoti Coloſſenſes, legem magni faciebant. Itidem etiam author ad Hebræos epiſtolæ, Chriſtum cum angelis comparavit, ut ejus dignitate ac majeſtate, qua angelos longe ſuperat, oſtenſa, euangelii inconcuſſam conciliaret auctoritatem. Piſcator hanc vocem πρωτότοκος non vult ad generationem ex eſſentia divina accommodari, ut nec poteſt, cum primogenitus ratione aliorum fratrum dicatur, ſi non genitorum, ſaltem eorum qui poſſint gigni, & ait, πρῶτος cum participio modo poſitum, cum ſubſtantivo genitivi caſus conſtructum, non habere eam ſignificationem ac ſi cum πρωτότοκος componatur. Cum igitur Chriſtus dicitur eſſe primogenitus omnis creaturæ, per creaturam non intelligitur creatura vetus ſed nova; nam alioquin Chriſtus ab apoſtolo vetus creatura ſtatueretur; ſiquidem primogenitus eſt ex ordine & numero earum rerum, quarum dicitur primogenitus. Eſt autem nova creatio nihil aliud, quam mutatio quædam ſeu renovatio & reformatio, ſeu potius prętер formam eſſentialem eſt quędam novæ formæ introductio (quam vel ſola privatio antecedit, ut in Chriſto, vel contrarium, ut in reliquis omnibus.) nova igitur creatura dicitur id eſſe, quod hac ratione, mutatum, renovatum, ac reformatum eſt. Hujus creaturæ Chriſtus eſt primogenitus, id eſt omnium primus a Deo creatus, ab ipſo Deus initium

fecit

fecit in condendis iſtis novis creaturis : Unde in Apocalypſi dicitur principium creaturæ Dei. Sed dicet aliquis, apoſtolum non dicere *primo creatus* omnis creaturæ, *ſed primogenitus*. Reſpondeo, duplicem ob cauſam ſic locutum eſſe apoſtolum ; primo ut oſtenderet hanc creationem Chriſti fuiſſe tam perfectam, ut per eam Chriſtus Deo ſimilis evaſerit, ac propterea ejus filius factus fuerit, unde generationis nomine hæc creatio exprimi merito debuerit. (generatio enim ad Deum relata, ſub creatione merito continetur, tanquam ſub genere ſpecies : nam creare eſt formam inducere. Maluit autem apoſtolus ſpeciem pro genere commemorare ob dictam cauſam.) Altera cauſa eſt, quod voluerit apoſtolus hoc ipſo nomine docere, Chriſtum non ſolum tempore cæteras creaturas antecedere, ſed & dignitate ac præſtantia : alludit enim ad primogenitos, quorum Deus ſub lege magnam præ cæteris prærogativam eſſe voluit. Primogenitus enim filius cæteris aliquo modo dominabatur, & ſolus duas paternorum bonorum capeſſebat partes. Iſta autem Chriſti generatio eo continetur, quod eum Deus ſibi ſimillimum fecerit, ſanctitate, ſapientia, poteſtate & immortalitate. Nec tamen eſt neceſſe, quia Chriſtus primogenitus dicitur, ut credamus fore ullum alium, qui Chriſto futurus ſit omni ratione ſimilis (nullus enim illi ſimilis evaſit in imperio & poteſtate) ſed ſufficit ad id, ut Chriſtus primogenitus reſpectu aliorum dicatur, ut illi generati etiam dici quant, licet non perfecte. Verum dicet aliquis, cur ergo apoſtolus non nominat eum primogenitum omnium fratrum, ſed omnis creaturæ? Reſponſio eſt in promtu, qua in nonnullis creaturis, ut in angelis, non fuerit talis mutatio facta, quæ generatio dici potuerit, id eſt per quam angeli filii Dei facti fuerint. Sed mutatio hæc, quæ facta fuit, generatim creationis nomine deſignari potuit.

Verſ. 16. Oſtendit porro apoſtolus Chriſtum primo, id eſt ante reliquas creaturas omnes conditum fuiſſe, utpote cum in ipſo ſeu per ipſum omnes fuerint conditæ ſeu creatæ, quocirca neceſſe eſt, ut illos tempore anteceſſerit. Primo autem in genere aſſerit, omnia per Chriſtum ſeu in Chriſto eſſe creata. Deinde iſtam cretionem ratione ſubjectorum dividit ac diſtinguit. Ait igitur ; *Quoniam in ipſo creata ſunt* &c. Creatio iſta ex eo proficiſcitur, quod Chriſtus omnium iſtorum dominus abſolutus & rex conſtitutus eſt.

Sed quæri poteſt, quomodo per Chriſtum dici poſſit hæc mutatio ſeu creatio & renovatio facta eſſe, ſiquidem hac ratione Chriſtus in creando nihil egit?

Reſponderi poteſt dupliciter : Primo, *in aliquo vel per aliquem* fieri aliquid latiſſime ſumi poteſt, nec tamen tantum cauſam aut medium ejuſmodi, qua ipſemet proprie aliquid agat, ſignificare, ſed in aliquo vel per aliquem & id fieri optimo jure dici poteſt, quod quacunque ratione ad aliquid efficiendum intervenit, ſic dicitur quiſpiam per aliquem in calamitatem conjectus ideo, quod ille verbi cauſa mortuus fuerit, vel etiam bonorum ſuorum jacturam fuerit paſſus, non quod ille quidpiam in calamitate hac afficienda revera egerit, ſed quod ex illius vel morte vel damno hæc calamitas fuerit conſecuta. Sic quia ex Chriſti exaltatione, & divino, quod accepit, imperio, conſecuta eſt hæc angelorum hominumque reformatio ac renovatio, per illum & in illo facta eſſe dicitur, ſeu illi creati, id eſt renovati dicuntur. Secunda ratio in ſequentibus eſt expreſſa, quod huc referri debet. Eſt autem hæc magna mutatio, ob quam merito creati, ſeu novæ quædam creaturæ facti dicuntur angeli, non tantum vulgares, ſed & præcipui illi ac primi, quod non ſolum, ut olim, illi uni Deo rerum omnium conditori, ſed nunc etiam filio ejus Jeſu Chriſto pareant, eum adorent, ac venerentur. In eo enim iſtam angelorum creationem conſiſtere docet epiſtola ad Epheſios, in qua ſparſim dixit apoſtolus, quod hic in faſciculum quendam collegit, ubi inter alia huc pertinentia dixit : Quem (id eſt Chriſtum) collocavit in dextera ſua in cæleſtibus, longe ſupra omnem principatum & poteſtatem & potentiam, & dominationem &c. Norunt enim omnes hanc ad Coloſſenſes epiſtolam eſſe illius compendium quoddam, magnamque inter utrumque eſſe convenientiam, quod etiam in hoc ipſo loco cernitur; ℣ſ. 14 reſpondet Epheſ. 5. ℣ſ. 7. & 15 reſpondet ibi 8, 9; & ℣ſ. 16 & 20 reſpondet 10. (In quo per verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι complectitur apoſtolus univerſam hanc creationem novam, quæ duabus in rebus conſiſtit; primum, quod omnia Jeſu Chriſto, tanquam regi ac domino ſuo cæleſti ac divino pareant, atque hac ratione ad caput unum, id eſt dominum unum ſpectent ac referantur : ſecundo, quod inter ſeſe vinculo quodam & ſocietate connectantur, quæ res ex priore illa pendet ac conſequitur. Utrumque autem iſtorum per ἀνακεφαλαίωσιν iſtam aperte ſignificari poteſt. Ideoque cap. 3. 9 creationis vocabulo uſus eſt apoſtolus) ; ℣ſ. autem 11 epiſtolæ ad Epheſios & conſequenter reſpondent parti ℣ſ. 16, in qua de cæleſtium creatione agitur, ℣ſ. 19, 21 reſpondet; ℣ſ. 18, reſpondet ℣ſ. 22. Præterea ideo per Chriſtum dicuntur creati angeli, quod Chriſtus etiam revera aliquid in iis renovarit ac reformavit. Non enim dubium eſſe poteſt, quin nova quædam munera ac officia illis injunxerit : novum enim regnum, quale eſt eccleſia, quæ Chriſti regnum eſt, novam adminiſtrationem ac regimen requirebat. Angelorum autem dominus propter eccleſiam Chriſtus effectus eſt, ut ejus commodis pleniſſime ac perfectiſſime conſulere poſſet. Emittuntur enim angeli propter eos qui debent hæreditario jure ſalutem conſequi Hebr. 1. ult. Dum ergo Chriſtus illis nova officia, nova miniſteria, ad regnum ſuum tutandum & gubernandum præſcribit ; eos creaſſe ac reformaſſe optimo jure dicitur. Itaque fieri poteſt, ut is angelus qui regnum aliquod, aut regimen ſibi commiſſum habuit, vel eccleſiam aut unum ex fidelibus, id ſit Chriſti juſſu. Ipſe enim ait; Angelos eos, qui perpetuo videant faciem patris ſui, hoc eſt præcipuos (ſimilitudine ducta ab aulis regum in quibus aulici præcipui coram regis vultu adſtare ſolent) parvulorum, id eſt fidelium, curam habere ac gerere. Per omnia autem iſta, quæ ſunt in cælis & in terris, non intelligere apoſtolum niſi res intellectu & ratione præditas, tum ſpecialis eorum enumeratio indicat, tum id, quod iſtas ipſas res inferius reconciliatas fuiſſe dicat. Cujus capaces non ſunt res mente & intellectu deſtitutæ, ſed ſolæ intelligentes.

*Viſibilia & inviſibilia.* Alio modo, eodem tamen ſenſu res iſtas creatas diſtinguit. Per viſibilia enim intelligit terreſtria, per inviſibilia cæleſtia. Quæ ſint autem inviſibilia iſta, in ſpecie connumeratis exemplis præcipuis oſtendit apoſtolus :

*Sive throni ſive dominationes.* Videtur eſſe bimembris tantum, non autem revera quadrimembris diviſio, ita ut thronis & dominationibus reſpondeant principatus

patus & poteſtates, cujus diviſionis ſimile videtur eſſe „ exemplum 1 Cor. 14. 6. Quid vobis, inquit, prodero, „ ſi vobis non fuero locutus, aut in revelatione, aut in „ cognitione, aut in prophetia, aut in doctrina? Revelatio non alia ratione a cognitione diſtingui videtur, quam quod hæc ſtudio & inquiſitione paretur, illa ſine ullo noſtro labore ac prævia indagatione cælitus nobis pateſcat. Itaque revelationi prophetia reſpondebit, cognitioni autem doctrina. Docemus enim ea quæ ipſi didicimus & quæ per revelationem accepimus, magis proprio nomine prophetando tradimus. Quod ſi quis velit hic apoſtolum non tantum de angelis, ſed etiam de hominibus, non quatenus ſunt eccleſiæ membra, (nam hac de re poſt agit) ſed ſimpliciter conſideratis loqui, quemadmodum ille, quem huic ſimilem eſſe diximus: epiſtolæ ad Epheſios locus indicare videtur, & huic ſententiæ favere, videntur throni & dominationes de hominibus eorumque poteſtate accipiendi eſſe; principatus autem & poteſtates de angelis. Nam hoc ſemper iſtis vocibus deſignat apoſtolus, illud vero alibi nuſpiam. *In ipſum condita ſunt*, id eſt ad ejus gloriam & laudem. Cauſa finalis hac locutione deſignari ſolet, ut ℣. 28.

Verſ. 17. *Et ipſe eſt ante omnes.* Particula & videtur habere vim particulæ concluſivæ igitur, ut etiam alibi ſæpe. Nam cur alias id adderet? Jam enim hoc dixerat, cum eum & primogenitum vocaverat, idque confirmaverat, cum dixit: per eum & in eum cuncta creata eſſe, ac condita. Quod ſi dicas concluſionem hanc eſſe rationis præcedentis, ſatis concinna erit verborum connexio. Recte enim id quod antea propoſitum fuerat, ratione allata iterum concluditur, eique alia deinde annectuntur.

*Ante omnes* autem vel *omnia*, eſt Chriſtus, quatenus ſunt, nova creatura. Solet autem ſimpliciter de aliquo in ſacris literis quidpiam dici & affirmari, quod tamen illi non niſi ſecundum certas qualitates aut accidentia convenit, ut in hac ipſa creationis vel creaturæ voce evenit. Creati enim dicuntur illis in ſacris literis, qui moribus antiquis, vel priſtinis depoſitis, novam vivendi rationem iniverunt. Sic regenerari, ſic mori, vel crucifigi dicimur, & novi homines fieri. Eodem modo dicitur hic de iſtis omnibus, quod Chriſtus ante eos ſit, non habita ratione eſſentiæ, & perſonæ, ſed habita ratione earum qualitatum, quæ eas novas creaturas conſtituunt.

*Et omnia in ipſo.* Quemadmodum omnia creavit, ſic eadem conſervat, intellige ſimiliter, quatenus ſunt novæ creaturæ. Nam cujus eſt creare ac condere, ejuſdem etiam eſt conſervare, & ſua providentia ac viribus efficere, ut conſiſtant ac perſtent. Jam ad terreſtria ſeu viſibilia tranſit, & oſtendit, eccleſiam quoque a Chriſto conditam & creatam eſſe, quatenus idem Chriſtus caput ejus evaſit.

Verſ. 18. *Et ipſe eſt caput.* Ut metaphora capitis ſit plena, non tantum Chriſti in eccleſiam imperium ac poteſtatem, denotari ſtatuendum eſt, ſed etiam certam ejus qualitatem, nempe quod ſit benignum, beneficium & in eccleſiæ commodum, utilitatem ac ſalutem redundans. Tale enim eſt dominium capitis in corpus.

*Corporis eccleſiæ.* Poteſt vox eccleſiæ per appoſitionem legi, poteſt etiam eodem ſenſu manente alterum ab altero regi, & ſic corpus eccleſiæ ſignificare corpus, quod eſt eccleſia.

*Qui eſt principium.* Vox ἀρχὴ ſumi poteſt pro ἀπαρχὴ ut in epiſtola 1 Cor. 15, quod veluti declarare volens apoſtolus inſivit vocem πρωτότοκος primogeniti, quaſi dicat principium, hoc eſt primogenitus. Cujus autem rei principium & primogenitus ſit declarat, addens:

*Ex mortuis.* Quemadmodum in epiſtola ad Corinthios primitias eorum qui obdormierunt, Chriſtum nominat. Primogenitus autem ex mortuis vocatur, qui primus ex omnibus mortuis ad vitam immortalem pervenerit, atque hac ratione ex morte veluti genitus a Deo fuerit.

*Ut ſiat in omnibus ipſe* &c. Dubium eſt an hæc verba ad ſuperiora omnia referri debeant, an tantum ad proxima.

*In omnibus autem*, vel ad perſonas referri debet, vel ad res in quibus vera aliqua felicitas & dignitas ſita ſit: ſi ad perſonas, eaſque non ſolum terreſtres, id eſt homines, ſed etiam cæleſtes, id eſt angelos, hæc verba ad ſuperiora omnia referentur.

*Et in omnibus* erit *in omnes.* Sic ſimiliter ad res, cum proximis verbis apte cohærebunt, ut ſit ſenſus: Chriſtum ante omnes ex morte immortalitatem conſecutum, ut in omnibus rebus ad felicitatem dignitatemque ſpectantibus, ac proinde etiam immortalitatis adeptione primas partes ferret, & præ cæteris prærogativam haberet.

Verſ. 19. *Quia in ipſo complacuit.* Iſtorum verborum duplex afferri ſenſus poteſt. Prior eſt, complacuiſſe Deo, & illi ſic viſum eſſe, ut per Chriſtum, ſeu in Chriſto (divino nimirum imperio & poteſtate in omnia ei conceſſo) omnem plenitudinem, id eſt res univerſas inhabitaret, hoc eſt regeret, gubernaret, moderaretur, & hac ratione, veluti præſentem ſeſe oſtenderet & exhiberet.

Ratio autem, cur verbum κατοικῆσαι ad Deum referatur eſt triplex. Prima (quod hæc verba non admodum apte cum ſuperioribus cohærebunt, ſi vero hunc ſenſum ſequamur aptiſſime.) Quia verbum, unumquodque, quod cum verbo εὐδόκησε conjungitur, actionem illius ipſius deſignat, cui complacentia iſta tribuitur. Vide inter alia 1 Cor. 1. 21. 2 Cor. 5. 8, nec uſpiam in ſacris literis aliter, qua de re conſulantur concordantiæ.

Secunda, quod ſequenti verſiculo verbum ἀποκαταλλάξαι cum verbo iſto εὐδόκησε cohæret, & de Deo effertur ac illi tribuitur.

πλήρωμα autem univerſitatem ſignificare commode poteſt, (præcipue autem eccleſiam Epheſ. 1. ℣. ult.) cum univerſitati nihil deſit, ſed perfectum quippiam ſit, ac veluti plenum. Eo ſenſu loquitur alibi apoſtolus, donec plenitudo gentium fuerit ingreſſa. Ubi plenitudo univerſitatem ſignificat, ſed ad gentes reſtrictam propter vocem gentium.

Tertia ratio adducetur paulo poſt, ubi alterum horum verborum ſenſum explicuerimus; qui quidem hic eſt: complacuiſſe Deo, ut in Chriſto Jeſu habitaret omnis plenitudo divinorum donorum, quæcunque in homines a Deo derivari poſſunt, & inprimis cognitio perfectiſſima divinæ voluntatis. Hoc ſenſu dicit Johannes, Chriſtum fuiſſe plenum gratiæ & veritatis Joh. 14. 16, & ex ejus plenitudine omnes hauſiſſe, & infra cap. 2. 9, dicitur in Chriſto habitare omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Sed (ut tertiam jam ſuperioris explicationem addamus) annon potuit plenitudo iſta inhabitare in Chriſto, etſi ſuperiora illi non convenirent? Quomodo igitur illa Chriſto convenire debeant, quod

plenitudo in eo habitare debuit: niſi forte dicamus, plenitudinem iſtam ita debuiſſe in Chriſto habitare, ut ex ea exundaret ac derivaretur in reliquos omnes etiam quidem ipſo Chriſto ea in re agente atque operante, id eſt divinis donis homines afficiendo. Sed prior explicatio minus eſt coacta, quod magis apparet ex ℣. 20.

Verſ. 20. *Et per illum.* Altera ſpecies creationis iſtius, quæ in rerum omnium inter ſe conciliatione conſiſtit.

*In ſe ipſum*, id eſt ad ſuam laudem ac gloriam. Reduxit autem Deus in gratiam omnia ac reconciliavit, ut hinc gloriam ac laudem conſequeretur. Alioquin hæc eſſet conjuratio, & potius conſpiratio quam reconciliatio. Non loquitur autem apoſtolus de reconciliatione rerum cum Deo: nam cæleſtia, id eſt angeli, nunquam ab eo diſſeſſerant, (angelos intellige bonos, nam quod ad malos attinet, nunquam cum Deo in gratiam redierunt) & tamen non terreſtria ſolum, ſed etiam cæleſtia in ſe ipſum reconciliaſſe Deus dicitur.

*Pacefacta* &c. Hæc verba veluti in parentheſi legi debent. Explicat enim quomodo reconciliaverit, nempe pace conſtituta. Reconciliatio enim in pace conſtituenda inter diſſidentes conſiſtit. Dum autem per ſanguinem pacem hanc factam dicit, alludit ad veterem morem fœderum ſanciendorum, quibus diſſidentes partes in gratiam redibant, vel amicitiam inter ſe inibant, quæ ſanguine pecudum ſanciebantur ac firmabantur. Hinc jam pax conſequebatur certa & ſolida. Sic Chriſti ſanguine fuſo, & divino cum hominibus fœdere ſancito, & angeli animum erga homines inimicum depoſuerunt, cum Deum illis viderent amiciſſimum, & homines inter ſeſe in unum coaluerunt, cum viderent, neminem a fœdere divino excludi, ſed omnes in eo comprehendi.

*Per ipſum.* Per ipſum, inquam, reconciliatio iſta facta eſt, ſanguine ejus, ſeu morte cruenta interveniente. non per ſolam mortem, ſed multo magis per id quod Chriſtus, communis omnium rex ac dominus fuerit conſtitutus, ſeu quod Deus per ipſum omnes inhabitet, id eſt regat atque gubernet, & gratiam ſuam in omnes diffundat. Hinc apparet aptiſme hunc quoque verſiculum cohærere cum priore illo ſenſu verſiculi 19.

Verſ. 21. *Et vos quondam* &c. Continetur iſtis verbis alia reconciliationis ſpecies, hominum nimirum cum Deo. Applicat autem beneficium hoc quod ad omnes homines generatim ſpectat, ad Coloſſenſes in particulari, ut ſæpe fit, propter majorem orationis efficaciam. Non eſt autem neceſſe ut credamus apoſtolum de eadem reconciliationis ſpecie agere in hoc verſu, de qua egit ſuperiori, propter voces *& vos*, quaſi beneficium generale antea expreſſum, in particulari ad Coloſſenſes accommodaret. Potuit enim aliam reconciliationis ſpeciem priori ſpeciei ſubjungere, eamque Coloſſenſibus in ſpecie applicare. Sic cap. XI. 12, 13, cum dixiſſet Chriſtum a Deo ex mortuis fuiſſe reſuſcitatum: *Et vos*, inquit, *cum eſſetis mortui una cum ipſo reſuſcitavit*, unam ſpeciem reſurrectionis, nempe metaphoricam ſubjunxit alteri ſpeciei, id eſt veræ, & propriæ dictæ reſurrectioni. Atque hæc & illa reſurrectio æquivoce dicuntur: utraque autem iſta reconciliatio univoce & ſub eodem genere continetur, & ſubjectis tantum diſtinguitur.

*Inimicos mente.* Non id vult apoſtolus, quanquam id verba præ ſe ferant, eos Deum proprie fuiſſe animo averſatos, idque illorum fuiſſe conſilium, ut cum Deo bella gererent, (Deum ignorabant, ad adeoque eum proprie odiſſe non poterant) ſed eos res ejuſmodi cogitaſſe, ac data opera perpetraſſe, quæ Deo adverſantur ac ſummopere diſplicent, & licet conſilio inimici non eſſent, inimici tamen erant & re, & opere. Quid quod contra propriam conſcientiam hæc faciebant, at qui conſcientiæ reluctatur, ipſi Deo refragari cenſendus eſt, & illi bellum indicere: conſcientiam enim & judicium recte ac honeſte factorum hominibus Deus indidit, ut vel hoc fræno eos contineret, quod qui excutiunt, & effectibus atque cupiditatibus feruntur, in ipſum Deum injurii ſunt & contumelioſi. Explicat quænam fuerit iſta inimicitica & quanam in repoſita.

*In operibus illis malis.* Hæc qui exercet inimicus eſt & hoſtis Dei.

Verſ. 22. *Nunc vero reconciliavit.* Videlicet *vos.* Particula *vero* vel redundat, vel in ſuperioribus ſubaudienda eſt particula quidem μέν, quaſi dixiſſet:

Et vos erat is quidem abalienati quondam &c, *nunc vero conciliavit.* Reconciliavit ſcilicet ſibi, id eſt effecit ut animum hoſtilem, id eſt impietatem omnem, & opera mala abjeceritis.

Cauſam mediam reconciliationis iſtius exprimit: *per corpus carnis ipſius.* Per corpus Chriſti carneum, non myſticum, cujus paulo ante fecerat mentionem & mox facit. Sed quomodo per corpus reconciliati ſumus?

*Per mortem.* Dum mori traditus fuit. Morte enim Chriſti Deus novum fœdus pepigit ac ſanxit, qui nobis ingentia offert promiſſa, ſub conditione pie ac inculpate in poſterum vivendi.

*Ut conſtitueret nos ſanctos* &c. Verba hæc, tum de ipſa vitæ ſanctimonia intelligi poſſunt, tum de juſtificatione & a peccatis noſtris abſolutione.

*Coram ſe.* Referri poteſt tum ad proxima adjectiva ſanctos & inculpatos, quaſi dicat vere ſanctos, non hominum, ſed ſuo judicio: tum ad verbum *conſtitueret.*

Verſ. 23. *Si permanſeritis.* Niſi enim in fide conſtanter permanſeritis, omnia cadent in irritum. Explicans hoc ſubjungit:

*Non dimoti a ſpe.* Hoc enim eſt in fide ſtabilem ac firmum eſſe, non tranſverſum agi aut moveri a ſpe euangelii, id eſt ab ea ſpe quam ex euangelio hauſimus ac concepimus, qua nobis ſummum illud bonum offertur & a Deo promittitur.

*Quod audiviſtis.* Quaſi dicat non eſt neceſſe, ut vobis hanc ſpem euangelii explicem, ſiquidem illud audiviſtis, optime vobis notum eſt iſtud euangelium, quodnam & quantum bonum in eo ſit comprehenſum.

*Quod prædicatum eſt in omni creatura.* Commendatio eſt euangelii, quod volente Deo tam longe lateque propagatum fuerit, non ut olim lex, quæ anguſtis, intra unius gentis terminos, continebatur limitibus, aut philoſophicæ diſciplinæ, quæ pauciſſimis ſemper fuere cognitæ. Per creaturam intelligit certam ejus ſpeciem, nempe rationalem, eamque non omnem, ſed ſolos homines. Hoc modo etiam loquitur Chriſtus apud Marcum cap. 16. 1: *Prædicate euangelium omni creaturæ.* Eſt enim in his verbis ſynecdoche, cum quadam hyperbole conjuncta.

*Cujus ego Paulus.* Quaſi dicat: ne putetis hoc temere factum eſſe, aut humana aliqua curioſitate, nec nolente, nec mandante Deo. Ego Paulus apoſtolus, quem noſtis, qui nunc divino munere ſum a Deo miniſter euangelii conſtitutus, ut illud omnibus gentibus annunciem:

Verſ. 24. *Nunc lætor* &c. Subaudiendum eſt pronomen re-

relativum *qui*, Qui nunc lætor. Sed hoc pronomen creberrime apud Hebræos omittitur. Similem ellipſin habes Jacobi 1. 18. Continetur autem his verbis confirmatio ejus rei, quod Paulus divino juſſu ac voluntate gentibus euangelium annunciavit. Siquidem afflictiones in quas ob hanc cauſam incidit, magna animi lætitia ferebat. Niſi malis hoc tanquam prioris rei effectum ſubjici: quaſi dicat, qui cum ob eam cauſam nunc gaudeo me affligi. *Pro vobis* id eſt gentibus ut Epheſ. 3. 1. addit, in veſtrum bonum ac commodum.

*Et viciſſim ſuſtinens impleo.* Explicare videtur, quomodo pro gentibus afflictiones ſuſtineret, nimirum, quia veluti perſonam Chriſti ſuſtinens, dum patiebatur & affligebatur, id quod Chriſti afflictionibus aliquo modo deerat, implebat, quatenus nimirum annunciando euangelium, & gentibus, & ſine ullis legis ceremoniis; ejus cauſa multas, eaſque graviſſimas calamitates & mala incurrebat, atque hac ratione oſtendebat, ad gentes quoque a lege Moſaica & ceremoniis alienas, euangelii gratiam pertinere, quod quia Chriſtus aperte non fecit, nec euangelium aliis præter Judæos annunciavit, nec ceremonias legis abrogavit dum in terris ageret, propterea aliquid morti & afflictionibus ejus, quod ad eorum fructum & effectum attinet, defuiſſe videtur, quem defectum apoſtolus & ejus legatus qui Chriſti ea in re perſonam ſuſtinebat, abunde compenſavit; palamque per ejus afflictiones univerſo mundo conſtitit, Deum non ſolum Judæos, ſed etiam gentes ſine operibus legis & ceremoniis ſola, in Chriſtum fide, velle ſervare.

Verſ. 24. *Secundum diſpenſationem Dei.* Per diſpenſationem, quia per ſynecdochen omnem conſtitutionem ſæpe ſignificare ſolet, intelligit non ſolum ordinationem, ſed ejus effectum, nempe munus & officium, ſeu gratiam illam, quæ in munere apoſtolico conſiſtebat; quod vox οἰκονομία, quæ muneri ac gratiæ illi magis competit, oſtendit. In epiſtola ad Epheſ. 3 diſpenſationem cum gratia conjunxit: alibi ſolius gratię meminit Rom. 15, 15, hic vero ſolius diſpenſationis.

*In vos.* Vel in bonum & uſum veſtrum, vel eodem fere manente ſenſu, *ad vos*, ſcilicet ſpectantem, ut notet eos, quibus hac ſua gratia ſervire debuerit, nimirum gentes. *Implere ſermonem* &c. Sermo Dei prædicationem euangelii hoc loco ſignificat, quemadmodum Rom. 15. 19 Euangelium, pro euangelii prædicatione ſumitur: impletur autem euangelium vel ſermo Dei, hoc eſt ejus prædicatio, cum latiſſime diffunditur ac ſpargitur, & ex anguſtis limitibus & terminis in immenſa ſpatia perfertur ac propagatur, (licet ante hæc veluti in imo fundo manens extremis oris exundat) ſed tum demum abſolvitur ac perficitur euangelii prædicatio, cum ad omnes ejus notitia pervenit. Hic illius eſt terminus & ultimus perfectionis gradus.

Verſ. 26. *Myſterium illud.* Per appoſitionem declarat, qualis ſit iſte ſermo, & ſimul etiam tacitæ objectioni occurrit, cur Deus multis ante ſeculis euangelium prædicandum non curaverit. Myſterium vocat, quia abſconditum fuiſſe ſtatim declarat: Myſterium enim dicitur id quod eſt abſconditum & occultum ad religionem ſpectans. Myſterium autem hoc verſiculo non tantum ipſam doctrinam euangelii per ſe ſumtam includit, ſed etiam ejus certam qualitatem, id eſt quæ non ad unam aliquam gentem ac nationem, ſed ad omnes in univerſum.

*A generationibus.* Ex quo homines eſſe cœperunt.

*Nunc vero*, νυνὶ δὲ ἐφανερώθη, vel hic dicere debebat φανερώθεν, ſeu φανερωθὲν, vel ante ὃ ἀπεκρύβη. Sed tam accuratam ſermonis, ubi ſenſus manifeſtus eſt, rationem apoſtolus non habet. *Sanctis ipſius.* Non omnibus ſed certis (de primo vide Epheſ. 3. 5) per hoc autem reliquis omnibus.

Verſ. 27. *Quibus voluit Deus.* Non videntur ad diſtinctionem ſanctorum ab aliis hæc verba addita, ſed potius ad explicationem cauſæ, cur illis notum factum fuerit myſterium, nempe, quia Deus voluerit id illis notum fieri.

*Quæ divitiæ gloriæ*, id eſt gloriæ, ingentes, magnæ: *Myſterii hujus.* Myſterium hic ipſam per ſe doctrinam euangelii de hominibus per fidem in Chriſtum ſervandis ſignificat. Divitiæ autem glorioſæ myſterii iſtius in eo conſiſtunt, quod non ad unam gentem Judæorum, ſed ad omnes pertineat doctrina ipſa euangelii: propterea addit:

*In gentibus*, id eſt ratione gentium, quæ non intra unius regni terminos, ſed per totum terrarum orbem funduntur.

*Qui eſt Chriſtus*, ὅς ἐστι Χριστὸς. Ὅς ad myſterium refert genere maſculino, propter conſequens maſculini generis: quaſi dicat, ratione, inquam, veſtri, vobis gentibus annunciata & a vobis recepta.

*Spe gloriæ.* Quaſi dicat: unde ſpes illa glorioſa vel gloria æterna manat, (Chriſtianæ religionis potiſſimam ac præcipuam partem nominat) ſpem nimirum illam gloriæ illius futuræ, quæ gentibus per Chriſti doctrinam contigerat.

Verſ. 28. *Omnem hominem.* Non Judæum tantum, ſed ſine diſcrimine omnes cujuſcunque nationis ac conditionis.

*In omni ſapientia.* Accipi poteſt de ſapientia, qua docendo utebatur apoſtolus, qua docetur, vel quæ docet.

*Hominem perfectum in Chriſto* &c. Id eſt perfectum Chriſtianum, ſeu perfectum ratione Chriſtianæ religionis, in Chriſtiana religione ac diſciplina.

Verſ. 29. *Id quod & laboro. Et* pro *ſane*, ut verſ. 2, vel pro *adhuc, etiam, num*; vel laboro ſeu ἀγωνίζομαι aliquid amplius ſignificat quam ſuperiora, quod declarare etiam videtur, vox ſequens ἀγωνιζόμενον, id eſt, omni conatu & ſtudio id perſequens, id urgens, ut cap. XI. 1.

*Secundum efficaciam.* Secundum illam vim ac robur Chriſti, quæ operatur in me, quæ ſeſe in me exſerit, per varia ſua effecta. *In potentia*, id eſt potenter.

## CAPUT II.

Verſ. 1. *Volens vos.* Exemplo, id quod dixerat, confirmat & illuſtrat, nempe, ſe certare, id eſt omni ope niti, ut omnem hominem perfectum redderet in Chriſto Jeſu. Volo autem eſt pro *velim*, ut alibi ſæpe, inter alia 1 Cor. 7. 7.

*Quantum certamen.* Quantopere ſim ſollicitus, quantopere laborem, quantum enitar ac contendam.

Περὶ ὑμῶν, de vobis vel pro vobis, veſtræ ſalutis ac commodi cauſa.

*Quotquot non viderunt.* Singulariter pro iſtis erat ſollicitus apoſtolus: majorem enim habebat ejus rei cauſam: nam facilius iſti poterant labefactari, & ab agnita veritate abduci qui apoſtolum non viderant, & ex eo ipſo virtutem non didicerant, nec oculis uſurpaverant ea, quæ ille ad confirmationem veritatis divinæ adhibebat.

Verſ. *Ut conſolentur*. Effectus ponitur pro cauſa, quæ eſt confirmatio in agnita veritate. Magnam enim conſolationem conſequitur, qui ſeſe in via ſalutis eſſe probe novit; quemadmodum contra, qui nutat & dubius animi pendet, ignarus an ſalutis viam teneat, metuens ne in devios abeat errores, magnam animi ſentit conturbationem. Hoc loco autem conſtituti videntur fuiſſe Coloſſenſes, pſeudodidaſcalis animos eorum verberantibus, & legis jugum imponere illis volentibus. Conſolatio etiam hæc oritur ex pleniore & exactiore divinę veritatis ac religionis Chriſtianę cognitione: qui enim eam exactius novit ac tenet, ac ſecreta ejus rimatur, mirifica afficitur lætitia, & ob hoc ipſum in ea redditur certior ac confirmatior.

Συμβιβασθέντων. Alter finis & utilitas compactio cordium in charitate, id eſt per charitatem, charitas enim corda compingit ac veluti unum facit ex multis. Unum cor & una anima fuiſſe dicitur eorum, qui primi in Chriſtum crediderunt. *Et in omnes divitias*. Subintellige proveniant. πληροφορία autem eſt pleniſſima certitudo. Metaphora ſumta a navigiis, quæ plenis velis ferantur. πληροφορία eſt plena laboratio vel curſus, cum ſcilicet nihil deeſt ad rei certitudinem. Omnes autem divitiæ τῆς πληροφορίας ſunt abundantiſſima & copioſiſſima πληροφορίας. Σύνεσις ſeu cognitio ſumitur κατ' ἐξοχὴν pro cognitione rerum divinarum in Chriſti doctrina comprehenſarum. Vult igitnr apoſtolus, ut earum rerum quas in Chriſtiana religione didicerant, perfectiſſimam ac pleniſſimam confirmationem ac certitudinem conſequantur.

*In cognitione myſterii*. Non videtur hic diverſum quidpiam velle dicere apoſtolus, ſed diverſis verbis eandem rem exprimere, quod indicare videtur omiſſione particulæ conjunctivæ *&*. Utitur autem apoſtolus voce ἐπιγνώσεως, que perfectiorem ac pleniorem cognitionem ſignificat. Quanquam prioribus verbis magis certitudinem ſeu confirmationem rerum cognitarum exprimit apoſtolus: In his vero magis ipſam cognitionem ac notitiam. Sed hæc duo ab invicem divelli nequeunt. Scientia enim & cognitio non in nuda contemplatione ac opinione conſiſtit, ſed certis ac ſolidis argumentis nixa eſt.

Per *myſterium* intelligitur doctrina myſtica, id eſt abſcondita & abſtruſa, nimirum euangelica. Vocatur autem myſterium Dei, vel quia Deus, & illius author & promulgator eſt, vel quia circa Deum ejuſque voluntatem occupatur. Et patris voci non additus articulus, indicat patrem hunc a Deo non eſſe diverſum, ſed eundem, & perinde eſt ac ſi dictum fuiſſet, Dei, qui pater eſt. *Et Chriſti*. Articulus voci Chriſti additus, Chriſtum ut a patre, ſic a Deo diverſum ac diſtinctum eſſe demonſtrat.

Verſ. 3. *In quo*. Longe commodius ad myſterium, quam ad Chriſtum hoc refertur, cum de illo principaliter agatur. Dicit igitur apoſtolus in myſterio id eſt in Chriſtiana religione ac doctrina contineri id quod ad ſapientiam & cognitionem, id eſt rerum divinarum ac cæleſtium notitiam ſpectat. Sapientia enim & cognitio κατ' ἐξοχὴν ſumi debet, id eſt de earum rerum cognitione, quæ ad veram felicitatem, ejuſque conſequendæ rationem ac modum pertinent. Dicit autem non theſaurum aut theſauros, ſed *omnes theſauros*, ut indicet omne quicquid ad univerſam Dei notitiam ſpectat illic contineri.

Verſ. 4. *Hoc vero dico*. Iſta verba ad proxime dicta referri poſſunt, & ita etiam accipi, ut explicatio ſint 2 verſiculi, ut Galat. 3.17, quaſi dicat: id vero eſt quod dicere volo, ſeu huc ſpectat mea oratio.

Verſ. 5. *Etſi enim corpore*. His verbis continetur occupatio. Poterat enim aliquis cogitare, quomodo tantam ſollicitudinem pro nobis gerere ac contendere potes, cum abſis, & a nobis ſejunctus ſis. Reſpondet apoſtolus, ſe corpore quidem abeſſe, ſed ſpiritu, id eſt animo ac mente illis adeſſe. Quod veluti confirmaturus ſubjungit.

*Gaudens & video*. Hebraiſmus eſt, quaſi dicat gaudens cum video & cognoſco.

*Veſtrum ordinem*, id eſt ordinatam vitam ad Chriſti leges & normam exactam; vel etiam gaudens ut videam, quemadmodum de Abrahamo dictum legimus, gaviſus eſt ut videret diem meum Joh. 8.

Verſ. 6. *Accepiſtis Chriſtum* &c. Chriſti doctrinam, Chriſtus pro doctrina, vel etiam ratione doctrinæ, ſeu quatenus doctrinam & religionem tradidit, conſideratur. *In ipſo ambulate*. Id eſt eum in ratione cultus divini ſequimini, eum recte teneatis: magis ad res eas quibus divinus cultus peragitur referendum videtur, quam ad mores & actiones vitæ.

Verſ. 7, *Quemadmodi edocti iſtis*. Ab Epaphra ſcilicet. Vult ut conſtantes fiant in fide Chriſtiana, ſecundum eam normam & doctrinam, quæ illis fuit tradita, ne ab ea deflectant, nec doctrinas aliquas recipiant, quæ cum illa norma ac ratione non congruant. *Abundantes in ipſa* &c. vel, abundantes in gratiarum actione per fidem.

Verſ. 8. Συλαγωγῶν. Συλαγωγεῖν eſt prædam abducere, captivum ducere. Monet igitur apoſtolus, ut darent operam, ne ab aliquo capiantur, inſtar prædę alicujus, & abigantur ac rapiantur in diverſa caſtra.

*Per philoſophiam*. Quod fieret, ſi quis philoſophiæ veliet acquieſcere, ac crederet ſe beatitudinem veram per eam conſequi poſſe. Philoſophia enim non ſolum eſt imperfecta, ſed etiam in multis rebus eſt erronea. Sic Ariſtoteles in contemplatione ſummam collocavit felicitatem, ac beatitudinem ponit in actione civilium virtutum. Sed virtutes iſtas non recte definivit. Magnanimitatem ita deſcripſit, ut ſuperbiam redoleat, non ut magnanimus illic libenter ſit, ubi aliquis eſt illo ſuperior. Fortitudo etiam illa bellica præcipuum in virtutum ordine locum tenet. Divitias etiam & opes ad felicitatem requiri aſſerit. Recte quidem Ariſtoteles felicitatem aliquam humanam & terrenam definivit, & fortaſſis hæc ratio eſſet optima, ſi divinitus nobis aliquid melius non fuiſſet revelatum. Itaque alio fine conſtituto, alia & media conſtituere eſt neceſſe, & aliter de virtutibus Chriſtianus ſentit, aliter philoſophiam, doctrinæ patefactione deſtitutam, ſentire neceſſe eſt.

*Et vanam deceptionem* &c. Omnis deceptio eſt vana, perpetuum deceptionis epitheton. Deceptio autem vocatur, quod probabilibus & ſpecie veri alludentibus argumentis nitatur: vana tamen, quia non veris nec ſolidis: Generalius eſt hoc quam illud prius. Per philoſophiam ſignificat id omne quod diverſum quidpiam ſuadet præter Chriſti religionem ac doctrinam.

*Secundum elementa mundi*, id eſt mundi rudimenta ac tyrocinia, quibus mundus altioribus diſciplinis quodammodo præparatus fuit, quæ rudimenta præcipue legem ſignificant. Sed Philoſophicas etiam diſciplinas ſignificare poſſunt.

*Et non ſecundum Chriſtum*, id eſt ejus diſciplinam ac do-

ac doctrinam omnium exactiſſimam & abſolutiſſimam.

Verſ. 9. *Quia in ipſo.* Cauſam affert, cur diligenter ſibi cavere debeant, ne a Chriſti religione diverſi abeant, & veluti in diverſum rapiantur, & cur dixerit: *Et non ſecundum Chriſtum?* Eo ipſo doctrinas cæteras diſciplinaſque reprehendens. *Quia in Chriſto*, id eſt ejus doctrina, vel etiam in ipſo ratione doctrinæ ſuæ conſiderato, habitat omnis plenitudo divinæ voluntatis. Θεότητος, quæ vox hoc tantum loco reperitur, idem ſignificat quod Θεῦ, abſtractum pro concreto, plenitudo Deitatis idem eſt, quod plenitudo Dei, de qua plenitudine in epiſtola ad Epheſios ait apoſtolus, ut impleamini in omnem plenitudinem. Dei plenitudo autem eſt plenitudo divinæ voluntatis. Nam Deus ſæpe ſumitur pro voluntate Dei, ſubjectum pro adjuncto, vel etiam ſubjectum ratione adjuncti ſui ſumitur & conſideratur; ut in his apoſtoli verbis. *Chriſtus* nunc pro perſona ſumitur, nunc pro doctrina, ratione doctrinæ ſumta. *Corporaliter* ſignificat vere, ſolide ac realiter, non per umbras & ſimulachra ut olim ſub lege, vide ℣. 17. Non poteſt autem Θεότης ipſam divinam eſſentiam, vel Deum ratione eſſentiæ ſuæ conſideratum, ſignificare, quia plenitudo partibus & perfectioni opponitur. Divina autem eſſentia nullas habet partes. Quemadmodum enim in epiſtola ad Epheſios vult nos impleri in omnem plenitudinem Dei, ita hic ſtatim ſubjungit.

Verſ. 10. *Et eſtis* &c. Quemadmodum Johannes ait; ex plenitudine ejus nos omnes accepimus. *Qui eſt caput.* Quaſi dicat, quod ſi legem ideo in pretio habetis, quod angelorum miniſterio fuerit lata ac tradita, quanto magis Chriſti doctrinam & ejus euangelium, cum Chriſtus ſit angelorum omnium dominus & caput. Ideo etiam author ad Hebræos cap. 1. 2 Chriſtum angelis prætulit, ut ejus doctrinæ authoritatem aſſereret.

Verſ. 10. *In quo & circumciſi* &c. Quod ſi quis circumciſionem requirit, eſtis & vos circumciſi, habetis & vos regnum populi divini, ſi quem forte movet, quod circumciſio ſuerit ſignum populi Dei. Sed circumciſio veſtra eſt non manu facta, non terrena, ſed cæleſtis ac divina, manu factum enim ſolet cæleſti opponi 1 Cor. 5. & in epiſt. ad Hebr. 9. 24. *Corpus peccatorum*, id eſt peccata, ſic corpus diei pro die Geneſ. 7. 13. Peccata carnis vocantur, quia carnis opera ſunt, quaſi dicat carnalia.

Verſ. 12. *Conſepulti ipſi* &c. Quia nimirum per baptiſmum, ſeu baptiſmum ſuſcipientes, profeſſi eſtis, & baptiſmo adumbraſtis vos cum Chriſto ſepeliri velle. Sepulturam accipit pro morte, conſequens pro antecedente. Profeſſionis autem iſtius cauſa eſt, quod Chriſti religio hanc vim omnino habeat, ut ejuſmodi effectus producat.

*In quo & reſuſcitati.* In quo videtur aptiſſime ad baptiſmum referri poſſe, quo ut ſepultura, ita etiam reſurrectio adumbratur, quaſi dicat: per quem baptiſmum ſimiliter profeſſi eſtis & adumbraſtis, velle vos jam cum Chriſto reſurgere.

Reſurrectio autem iſta fit per fidem. *Per fidem* τῆς ἐνεργείας τ Θεῦ vel ſignificat fidem quam Deus eſt operatus dum Chriſtum a mortuis reſuſcitavit, quam dum in reſuſcitando Chriſto operatur, nos quoque una reſuſcitavit: vel ſignificat fidem, cujus objectum eſt efficacia illa Dei, quam in Chriſto reſuſcitando exſeruit, quæ amplectitur hanc efficaciam. Nam qui credit Chriſtum a mortuis eſſe reſuſcitatum, cauſam habet ex qua cætera omnia quæ ad ſalutem requiruntur, derivantur.

Verſ. 13. *Præputio carnis.* Præputium carnis ſunt peccata. Quemadmodum enim præputium eſt in corpore, ita præputium hoc metaphoricum eſt in carne, id eſt in appetitu. Præputiis autem comparantur peccata, quia præputium pro re impura etiam habebatur, & eorum propria qui a Dei populo eſſent alieni.

Verſ. 14. Χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν. Chirographum quo obſtringebamur placitis, ſeu ad ſervanda iſta placita, non leges ceremoniales. Placita vero nominantur, quod non naturali nitantur honeſtate, ſed imperantis voluntate & arbitrio, licet unumquodque habuerit cauſam aliquam, cujus fuerit juſſu hoc inſtitutum, ſed non eam cauſam, qua fiat ut qui id non obſervaverit, contra honeſtum & decorum per ſe peccet. Chrographum videtur ſumi pro ipſa obligatione, per metonymiam: chirographo enim obligamur ad aliquid præſtandum. Tenebantur enim Judæi eas leges obſervare, tum quod Deus juſſiſſet, tum quod proprius eorum conſenſus ad ea ſervanda acceſſerat. Hanc obligationem Deus delevit, expunxit.

*Contrarium* autem ipſis fuiſſe dicitur, quia admodum erat oneroſum, & pœnam in tranſgreſſores ſecum trahebat.

*Affigens ipſum cruci.* Illud ut creditores ſolent, cum chirographum abolent, perforant & pertrudunt ac invalidum reddunt. Unde id quoque per mortem Chriſti ac crucem, qua novum fœdus, in quo nulla ceremoniarum eſt mentio, ſuit ſancitum, & vetus abrogatum & antiquatum, non ſecus, ac ſi id una cum Chriſto cruci affixiſſet ac perforaſſet.

Verſ. 15. *Exuens principatus.* Debellatos illos malos angelos dicit, & quidem ita, ut ſuis opibus, ſuo regno fuerint exuti, & capti ac publice oſtentati, & veluti in triumpho ducti. Commemorare autem iſtud videtur apoſtolus, ut quanta tyrannide gentes, in quibus diabolus regnabat, liberatæ fuerint, oſtenderet. Judæi quidem a jugo ceremoniarum, gentes autem a jugo variarum ſuperſtitionum, quas diabolus illis obtrudebat, & ab ipſius tyrannide per Chriſtum vindicatæ fuere. Quo ſignificatur malis iſtis ſpiritibus omnem vim & imperium, quo hominibus nocebant, ademtum eſſe. Ἐν αὐτῷ vel Chriſto, vel σταυρῷ. Inter alios autem modos quo eis hæc poteſtas adempta fuit, is etiam eſſe videtur, quos lex illa de ceremoniis fuerit abrogata, qua ſtante, cum multa adverſus eam committi eſſe neceſſe, fiebat, ut diabolus in puniendis & affligendis hominibus vim ſuam exerceret. Hinc tot erant obſeſſi Chriſti tempore, quæ calamites, ut & aliæ multæ, per Chriſti euangelium ab hominibus depulſæ ſuere, Diabolo tantas occaſiones & aditus ad homines affligendos & inclementer tractandos non habente. Niſi ſequentia viderentur obſtare, viderentur iſta verba de exutione principatuum intelligenda eſſe, de ademptione imperii ac ac poteſtatis ingentis, qua eas antea ſpiritus mali premebant, Chriſtus illas eis tanquam ſpolia quædam detraxit.

Verſ. 16. *Nemo vos igitur* &c. Cum igitur iſta præcepta ceremonialia ſint abrogata, nemo ſibi id juris ſumat & vendicet, ut nos ſecundum hæc præcepta judicet ac damnet, quod ea non obſervetis. Quod ſi quis judicaverit, judicium ejus aut ſententia damnatoria nulla eſt.

*In parte feſti*, id eſt reſpectu ſeu ratione feſti: per feſta intelligit feſta illa ſolennia paſcatis, primitiarum & & tabernaculorum. Σαββάτων pluralis numerus pro ſingulari, ut τοῖς σάββασιν.)

Verſ. 18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω. Βραβεύειν, eſt de

brabeo ſeu præmio certaminis judicium aut ſententiam ferre, illud alicui vel adjudicando, vel ab eo abjudicando; καταβραβεύειν autem eſt alicui injuriam ea in re facere, brabeum alicui inique & pro libidine adimere, ſeu aliquem eo indignum immerito pronunciare. Hoc autem faciebant illi, qui ob non ſervatas legis ceremonias, tanquam ſi certaminis arbitri atque judices conſtituti eſſent, Chriſtianos damnabant, & brabeo illo æternæ ſalutis indignos pronunciabant.

Θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Θελεῖν reſpondet Hebraico *chaphetz*, quod ſæpe non ſolum cum accuſativo, ſed etiam cum nomine interveniente particula, *ki* conſtituitur, & ſignificat in aliqua re acquieſcere, illam rem amare, in illa totum eſſe, in eam ſtudio ferri, ut Matth. 27. 43, ſi vult eum, id eſt Deus. Verba ex Pſalmo 22. 9 ſumta. Græci autem non dicunt θελεῖ αὐτὸν, ſed Hebraiſmus eſt *chaphetz* velle, id eſt amare: ſic θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν, id eſt qui amant in ſtolis ambulare ut Matth. 23. ℣ſ. 6. Marc. 12. 38 dicitur: ſic hoc loco θελεῖν ἐν ταπεινοφροσύνῃ eſt humilitati ſtudere, in illa acquieſcere, eam amare. Humilitas autem hoc loco non animi humilitatem, quæ inſignis eſt virtus, ſignificat; ſed eam, quæ in rebus externis ſita eſt, utpote abſtinentia a cibis, aut etiam corporis cultu & habitu.

Καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων. Religio angelorum, vel ſignificat religionem quandam angelicam, qualem iſti putabant hanc quæ in rerum iſtarum externarum obſervatione conſiſtit, quod crederent, ipſos angelos ab iſtiuſmodi rebus abhorrere, & cum in terris verſantur eas non contingere; cui egregie convenit id quod ſequitur:

*Quam non vidit in eam ſe ingerens.* Vel religionem quæ angelis exhibetur, vel denique religionem per angelos traditam, qualis erat Moſaica iſta & legalis, & hoc fortaſſis tutiſſimum eſt. Nam priorem illam fuiſſe a quopiam traditam, nullum extat indicium. Ἐμβατεύειν eſt pedem in aliqua re ponere, id eſt ſeſe ingerere in aliquam rem. Dicit igitur, iſtos judices, qui brabeum pro arbitrio ſuo adjudicant, in eas res ſeſe ingerere & inſerere, quas non intelligunt. *Videre* enim (ut & aliæ actiones ſenſuum) Hebraice ſignificat intelligere. Non enim intelligebant ceremonialia iſta non in perpetuum eſſe lata ac ſancita. Non intelligebant veram ſanctimoniam & juſtitiam eis non contineri: non intelligebant, in illis obſervandis communi ædificationi ab hominibus vere piis conſuli, non alicui neceſſitati.

*Fruſtra inflatus.* Arrogantiam ipſorum & vanitatem perſtringit. Inflatos illos eſſe dicit, id eſt tumidos & turgentes opinione majoris cujuſdam ſanctitatis. Sed hoc *fruſtra*, id eſt vanus hic eſt ipſorum flatus, & nil niſi tumor, & vana opinio.

*Mentem carnis* vocat mentem carnalem. Mens iſta carnalis eſt veluti flatus, quo tument iſti. Opinione enim ſanctitatis turgent, quæ opinio non a ſpiritu ſed a carne originem habet. Carnis enim eſt ſibi ipſi placere & alios præ ſe contemnere, & indignos æterna vita pronunciare.

Verſ. 19. *Et non tenens caput.* Non quod plane Chriſtum & ejus religionem rejiceret, ſed quod ab ejus doctrina in multis diſſideret, adeoque ea in parte & capiti, id eſt Chriſto non adhæreſceret.

Ἐξ οὗ. Debebat dicere ἐξ ἧς in fœminino, ſed quia ad Chriſtum, qui caput iſtud eſt, reſpexit, dixit in maſculino ἐξ οὗ per σύνεσιν.

*Omne corpus ſuppeditatum* &c. id eſt toti corpori vis quædam vivifica ac ſalutaris ex capite ſuppeditatur, & in illud dimanat.

*Et compactum.* Similis videtur eſſe locutio illi, *gaudens & videns* ℣ſ. 5, id eſt cum gaudens video: ita hic, ſuppeditatur copori vis iſta, eo quod compactum ſit, & invicem membra cohæreant.

Propterea ait: *per commiſſuras & connexus.* Iſta ſuppeditatio omnibus membris fit, per membrorum commiſſuras & mutuum contactum, dum membra ſe invicem oſculis contingunt & nutriunt. Commiſſuræ autem iſtæ ſunt vincula, quibus Chriſtiani inter ſe veluti unius corporis membra conjuncti ſunt, tum fraterna charitas, tum aliorum indigentia, aliorum affluentia, ratione divinorum donorum. Hinc fit, ut corpus hoc creſcat.

*Augmentem Dei*, eſt augmentum ſeu incrementum divinum, quod carnali opponitur, id eſt augmentum in rebus ſpiritualibus & ad Deum ſpectantibus.

Verſ. 20. *Si igitur mortui.* Dixerat illos ℣ſ. 12 cum Chriſto eſſe mortuos, id eſt priori vita & actionibus, prioribus diſciplinis & religioni, ſeu *elementis mundi*, id eſt diſciplinæ illi, qua mundus adhuc rudis informabatur & tyrocinia ſua deponebat.

*Mortui ſunt*, id eſt deſeruerunt iſta omnia, morte Chriſti & illius vi adacti, quæ tanta eſt, ut omnes quicunque eam cognoſcunt, adigantur ad deſerenda vitæ priora conſilia & inſtituta, & ad mancipandum ſeſe uni Chriſto: verba enim *cum Chriſto* non tantum ſimilitudinem ſignificant, quæ ratione mortis Coloſſenſibus cum Chriſto interceſſerit, atque adhuc intercedit, ſed ſimul etiam indicat cauſam cur illi fuerint mortui *etiam mundi* fuiſſe mortem Chriſti:

*Quid tanquam viventes?* Cur non ſecus tanquam illi quibus cum Chriſto nihil eſt commercii, qui Chriſtum & ejus mortis vim non agnoverunt, ſed mundi rudimentis adhuc impliciti ſunt, ac ſi pars mundi adhuc eſſetis, placitis iſtis operam datis.

Verſ. 21. Μὴ ἅψῃ. Placita iſta commemorat. Ἅπτεσθαι quod proprie de manus prehenſione dicitur, ad ipſum cibi manu prehenſi eſum ex conſequenti refertur. Hoc loco per gradus paulatim aſcendit, minus enim eſt guſtare quam edere, rurſus minus adhuc attingere, quam guſtare.

Verſ. 12. *Quæ omnia ſunt* &c. Varia eſſe docet hæc placita apoſtolus, quibus ciborum quorundam uſus prohibetur, utpote quod omnia iſta eum in finem a Deo ſint condita ut corrumpantur & quidem uſu ipſo. Uſus autem is qui rem corrumpit, ſeu qui in rei corruptione conſiſtit ἀπόχρησις vocatur, qualis eſt verbi gratia ciborum uſus, vel illarum rerum ex quibus cibi conficiuntur, quibus cum utimur eas corrumpimus. Dicit igitur apoſtolus hæc omnia eo fine eſſe condita a Deo, ut iis utamur; idque non ulla alia ratione, quam ea corrumpendo & conſumendo. Secundum præcepta, vel cum verbo διδασκαλίας hæc verba conjungi debent. Vel per appoſitionem quandam legi, ſeu potius argumentum alterum continent, quo apoſtolus docet eos placitis iſtiuſmodi adſtringi non debere, utpote ab hominibus non a Dei auctoritate, poſtquam ea Deus abrogavit, pendentibus.

Verſ. 23. *Quæ omnia rationem.* Vox *rationis* hoc loco eo ſenſu accipi videtur quo vervi gratia dicimus, univerſam philoſophiæ rationem in eo conſiſtere: nonnihil tamen præceptis iſtis tribuere videtur apoſtolus & concedere illa aliquam rationem ſapientiæ habere, aliquid

de natu

de natura ſapientię participare, primo cum ſe in iis voluntarius quidam cultus (religio) cernatur, dum ſeſe illis rudimentis religionis & divini cultus cauſa ſubjiciunt. Secundo cum in iis humiliatio quædam corporis ſit. Tertio cum rerum iſtarum obſervatione non parcatur, ſed illud durius habetur.

*Non in honore aliquo*, id eſt, non cum aliqua cura (τιμὴ enim curam ſæpe ſignificat) quæ in eo conſiſtit, ut caro infarciatur, ſeu expleatur.

## CAPUT III.

Verſ. 1. *Si igitur reſurrexiſtis.* Dixerat ſuperiori capite ℣ſ. 12, 18, eos una cum Chriſto revixiſſe ac reſurrexiſſe ex morte quadam ſpirituali, nunc idem ſumit argumentum, ut eas ad vitam novam ac cæleſtem exhortetur. Quemadmodum autem paulo ante ex morte qua una cum Chriſto fideles moriuntur, argumentum duxerat, ita hic ex reſurrectione. Reſurgere autem cum Chriſto eſt, quemadmodum Chriſtus ad novam glorioſamque vitam eſt ex morte revocatus, ita etiam nos vi reſurrectionis iſtius ad novam vitæ rationem traducimur, veteri animo & inſtitutis depoſitis, & nova vitæ conſilia irire, animo ac ſpiritu, qui antea erat mortuus, reviviſcere.

*Quæ ſurſum ſunt* &c. Quod per ea quæ ſurſum ſunt, primo & potiſſimum intelligi debent bona illa cæleſtia, ad quæ vocati ſumus, deinde etiam illi felicitati cæleſti conformis vivendi ratio, quæ tum peccatis, tum ceremoniali illi obedientiæ opponitur. Nam quemadmodum ad cæleſtem felicitatem, ſic etiam ad cæleſtem ac ſublimem vivendi rationem & modum vocati ſumus. Unde paulo poſt ℣ſ. 5 opponit his membra quæ ſunt ſuper terram. Alludit autem hic ad aſcenſionem Chriſti, quæ reſurrectionem ipſius eſt conſecuta. Quaſi dicat, quemadmodum Chriſtus in vitam revocatus non manſit in terris, ſed in cælos aſcendit, ita etiam vos una cum ipſo reſuſcitati, non in terris hærete, ſed animo in cælum aſcendite, & felicitatem vivendique rationem conſentaneam agite & conſequi ſtudete.

Verſ. 2. *Superna cogitate.* In illis toti ſitis, hæc perpetuo animo volvite, hæc ſpirate, in iſtis omnes cogitationes ac curas defigite, hoc enim eſt φρονεῖν apud apoſtolum.

*Non quæ ſunt* &c. Non terrena bona, terrenam felicitatem, non terrenæ felicitatis conſequendæ rationem ac modum, qualis olim in lege erat propoſitus, & a Philoſophis aliis hominibus traditus (qui cum cæleſtem felicitatem ignorarent, ſolam terrenam ſcirent) hominibus non illius conſequendæ modum ac rationem tradiderunt. Nam peccata, quæ rerum terrenarum occaſione & amore ab hominibus perpetrantur mortui eſtis.

Verſ. 3. *Mortui eſtis.* Ut jam dictum eſt, mortui peccato, mortui omnibus doctrinis & diſciplinis Philoſophorum, ut ſoli Chriſto viveretis.

*Et vitæ veſtra.* Vitam amiſiſtis, intellige hanc terrenam, quæ peccatis traducitur, ſed illa omiſſa nihilominus etiam habetis, ſed *quæ abſcondita eſt.* Quæ vita primo de illa futura & beata accipi debet, deinde etiam de vita ſancta ſecundum Chriſti præcepta inſtituta, quæ etſi ab hominibus videatur, quia tamen eius dignitas ac præſtantia non apparet, abſcondita etiam dici poteſt. Homines autem mundani vitam piam miſeram eſſe putant, & eius exitum calamitatem quandam, ut in libro ſapientiæ introducuntur loquentes; ſed aliquando apparebit ac conſpicua fiet, cum nimirum quantam felicitatem ſuis ſectatoribus afferat, omnes videbunt. Dicitur autem *Chriſtus in Deo eſſe abſconditus*, quia apud Deum & divino conſilio ac voluntate abſconditus eſt. Noſtra autem vita cum illo abſcondita dicitur, tum quia ipſe eſt vita noſtra, ut ſtatim loquitur apoſtolus, (itaque illo abſcondito vitam quoque noſtram abſcondi neceſſe eſt) tum quia tam diu divina voluntate vita noſtra latebit apud Deum, quamdiu illic latebit Chriſtus.

Verſ. 4. *Apparebitis.* Gloriam ponit pro vita. Dicere enim debebat, tunc etiam vita veſtra apparebit; ſed ut eam tanto magis commendaret, eamque nobis obventuram oſtenderet, maluit dicere nos apparituros, idque in gloria, glorioſos. Vita enim illa ſempiterna ſumma cum gloria, ut ſit conjuncta, neceſſe eſt.

Verſ. 5. *Mortificate* igitur &c. Antea dixerat, mortui eſtis: hic dicit mortificate, quia illic loquebatur de eo quod vera religio Chriſtiana in illis eſſe poterat & debebat; hic autem id revera eſt, & id ad tanto præmio illis propoſito, hortatur.

*Membra veſtra.* Per membra non ipſa membra intelligit, ſed peccata quæ membris perpetrantur. Membra autem ea vocat, ut illis tanto elegantius mortificationem accommodet. Mortificantur autem peccata, cum vitantur ac omittuntur, eorumque radices ac fibræ ex animis exſcinduntur. Peccata autem membra eodem modo vocantur, *quo vetus homo*, quem jubemur exuere, crucifigere, mortificare. Homo autem ex membris eſt compoſitus.

Verſ. 6. *Quæ ſunt ſuper terram*, id eſt terrena πάθη. Videtur impuritatem eorum, qui patiuntur venerem mulierum more, ſignificare; hinc pathici & molles vocantur. Cupiditas mala eam quæ in libidines impuras fertur, ſignificat. Computari enim hæc duo peccata cum impuritate debere & in eadem claſſe collocari, ex epiſtola ad Epheſios patet, ubi ſub impuritate tanquam generali cuncta comprehenſa dicuntur.

Verſ. 7. *In quibus & vos* &c. Id eſt, ea exercuiſtis.

*Cum viveretis in iis.* Vel cum viveretis inter homines terrenos, Chriſto nondum cognito: vel potius vox οἷς refertur ad peccata antea commemorata, quaſi dicat: cum vita veſtra nihil aliud quam peccata iſtiuſmodi ſpiraret & peccandi quodam ſpiritu, qui inſtar animæ ac vitæ veſtræ erat, duceremini; quæ vis eſt veluti vita quædam, ex qua facta vitioſa manant & oriuntur. Quo ſenſu in contrarium Galat. v. ℣ſ. penult. dicit apoſtolus: *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & incedamus*, ſi in nobis eſt ſpiritualis quædam vita ſeu vis & facultas ſancte vivendi, eam factis & operibus demonſtremus. Vita enim actionibus & operibus demonſtrari ſolet. Dicit igitur, cum viveretis in eis, tacite innuens eos vitam hanc, id eſt, peccandi vim ac facultatem amiſiſſe & mortuos eſſe.

Verſ. 8. *Deponite iram.* Ira ea quæ in ſe vindictam habet, nobis penitus interdicitur, eſtque affectus iraſcendi ab animo noſtro comprobatus.

Diſtinguitur autem ab ea θυμὸς quod hic omne conſilium & rationem eripiat, illa rationem & conſilium

aliquo modo adhibeat, propterea hæc terribilior, illa innocentior.

Κακία autem est affectuum istorum effectus, ultio seu vindicta, sive in verbis, sive in factis posita.

Vers. 9. *Ne mentiamini*, vel in damnum & detrimentum aliorum, sive commodorum, sive famæ, vel etiam alias, cum alter alteri quid narratis.

*Exuentes veterem.* Quia vim hoc loco ab actionibus distinguit, significabit animum & consilium seu vitæ institutum pristinum, ipsumque animi habitum.

Vers. 10. *Quæ renovatur.* Cognitio videtur esse posita pro medio quo renovatio ista fiat, nempe per cognitionem. Εἰς positum pro κατὰ vel etiam pro ἐν eodem sensu. Abstinuit autem a vocula κατὰ, fortassis quia statim hanc vocem erat usurpaturus. Κατ' εἰκόνα &c. secundum imaginem conditoris. Deus dicitur novi hominis conditor, tum quia ipse præscripsit hanc vivendi rationem, quæ novum hominem constituit, tum quia vires subministrat ita vivendi.

Vers. 11. *Neque Græcus* &c. In qua vivendi ratione non spectatur ullum nationum, ceremoniarum, conditionis, sexus discrimen.

*Sed omnia in omnibus Christus*, id est, sed in omnibus hominibus, cujusque tandem sint nationis & conditionis, Christus seu ejus religio est omnia. Hæc facit utramque paginam, hæc est fac totum, ut ita loquar, hoc est, hæc sola a Deo spectatur, non item cætera quę dicta sunt; ob hanc solam Deus homines gratos habet, & æterna felicitate donaturus est. Hoc si adsit, adsunt omnia. Hocsi si absit, licet omnia adessent, nihil est eorum, quę hominibus Dei gratiam ac favorem conciliare possunt.

Vers. 12. *Induite igitur* &c. Dixerat in genere, ut novum hominem induerent, nunc in specie & veluti in partibus hominem hunc novum explicat.

*Tanquam electi.* Causam hæc verba continent ac tacite complectuntur, propter quam his virtutibus præditi esse debent.

*Electi Dei, sancti.* Tum seorsim ac sejunctim sumi possunt, quasi dicat, electi a Deo & sancti; tum sic accipi, ac si significarent electi a Deo ad sanctitatem, ut vocatus apostolus, pro vocatus ad apostolatum.

Χρηστότης significat hoc loco benignitatem ut Luc. 6. 35, magis quam humanitatem seu comitatem & suavitatem in moribus, eleganterque subjungitur misericordiæ.

*Humilitatem.* Ut humiliter admodum de nobis sentiamus, nec divinis donis efferamur, aliosque non tantum non contemnamus, sed etiam factis præferamus nobis ipsis, quod fiet, si non detrectemus ulla, vilissima etiam in eorum gratiam & commodum ministeria.

Subjungit *mansuetudinem.* Virtutem in ira moderanda occupatam, quæ humilitatis veluti filia quædam est (quemadmodum ira superbiæ) nec sine humilitate datur. Nam qui superbi sunt & fastu pleni, facile se contemni ac sperni putant, nec ullas, vel minimas injurias ferre ac concoquere possunt, & quia alios præ se contemnunt facile etiam bilem suam in eos despumant.

*Longanimitas* etiamsi in mansuetudine aliquo modo contineatur, maluit tamen eam apostolus expresse nominare, & mansuetudinem ea ratione extendere, ut doceret, nos non tantum injurias sine vindicta ferre debere, sed etiam diu admodum. Nam quæ mansuetudo facit in singulis actibus, hoc longanimitas in multis ac frequentibus. Longanimitas præterea non ad privatas tantum offensas refertur, sed ad publicas etiam extenditur, magis quam mansuetudo, propterea subjungit,

Vers. 13. *Tolerantes vos.* Quod non tantum privatim sed etiam publice locum habet. Tolerare autem est non statim ad vindictam & pœnam, aut ad renunciationem fraternitatis prorumpere, cum fueris, quocunque tantum modo, læsus & offensus.

*Et condonantes ἑαυτοῖς*, pro ἀλλήλοις, familiare apostolo, (plus autem est hoc, quam illud quod præcesserit: nam qui tolerat alterum, juri suo non protinus renunciat, sed qui injuriam condonat, juri suo ad eam vindicandam renunciat) quanquam probabile est, apostolum in his verbis modum, quo alii alios tolerare debeant, exponere. Quemadmodum & Christus vel tanquam propheta, qui Dei nomine remissionem peccatorum nobis obtulit, & suo sanguine sanxit, & jus ad eam repetendam nobis etiam dedit, vel tanquam rex, qui nobis ad se conversis, omnia peccata condonavit & in gratiam recepit. *Sic & vos.* Jam erat plena apostoli oratio, maluit tamen id quod jam dixerat repetere, ut fidelibus hanc virtutem inculcaret.

Vers. 17. *Sub omnibus*, id est, ad hæc, seu præter hæc omnia *Charitatem quæ est vinculum perfectissimum*, vinculum perfectissimum, quo hominum animi stricte ac validissime inter se conjunguntur ac constringuntur. Ideo statim ad pacem omnes hortatur.

Vers. 15. *Et pax Dei.* Pax sive concordia, hoc est illius amor ac studium, quam Dei pacem vocat, quia Deo maxime placet, & est secundum ipsius voluntatem. Hinc etiam ipse vocatur Deus pacis.

*Regnet in cordibus.* Vestra corda possideat, ac illis imperet, in sui obsequium trahat. De verbo βραβεύω, quo utitur apostolus vide supra.

*In quam & vocati.* Ad quam pacem vocati estis, aliique aliorum membra sub uno capite Christo, vel ita, ut unum debeatis constituere corpus. Perfectionem aut modum pacis, ad quam vocati fuerant, videtur exprimere.

*Et grati estote.* Gratiarum actionem Colossensibus inculcat apostolus cap. 1. 12. cap. 2. 7. cap. 3. 17. cap. 4. 2. Gratias agere illos vult, cum pro omnibus divinis donis, quæ per Christum fuerunt consecuti, tum in hoc loco propterea, quod in unum corpus cum fidelibus Dei coaluerint, sine ullo gentium ac conditionum discrimine.

Vers. 16. *Sermo Christi.* Occasione gratiarum actionis hortatur eos ad profectum in Christi disciplina. Nam quanto quisque in ea versatior est, quanto melius, exactius, profundius eam novit ac rimatur, tanto etiam Deo gratias agere ac nomen ejus celebrare melius & ardentius novit ac potest. Hinc subjungit, ut se invicem doceant atque exhortentur, *psalmis ac carminibus*, in eam rem compositis ac confectis. Apparet moris fuisse, ut carmina & hymni a Christianis componerentur in Dei Christique laudem, & postea publice recitarentur, iisque auditores fuisse erectos atque excitatos. Habent autem vim quandam peculiarem

liarem carmina in numeros digeſta, & verborum quodam pondere animum ferientia. Hinc 10. cap. 1. ad Trajanum. Plinius de Chriſtianis ſentit, illos ſolitos fuiſſe carmen aliquod Chriſto dicere, fortaſſis dicendi verbo non uſurus, ſi ceciniſſent. Quanquam illo perſecutionis tempore cum clam convenirent, probabile eſt eos a cantu abſtinuiſſe, prodidiſſent enim ſeſe.

*Pſalmi* ſunt cantiones, quæ una cum inſtrumento aliquo Muſico cani ſolebant, materiâ etiam latius patent quam hymni, qui laudes numinis continebant, Pſalmi autem & preces & gratiarum actiones, & multa ad virtutem & officia ac felicitatem hominum ſpectantia continere poſſunt.

*Cantiones ſpirituales.* Generale eſt. Spirituales autem cantiones vocantur ad diſtinctionem profanarum & mundanarum cantionum.

*In gratia canentes*, id eſt, ſuaviter, jucunde.

*In corde veſtro.* Sine hoc enim nulla cantio Deo & Chriſto ſuavis eſt. Propterea addit τῷ κυρίῳ, iſque non non ut alii homines, externo aliquo cultu, ſed interno delectatur.

Verſ. 17. *Et omne quodcunque.* Non ſolum canere in laudem Chriſti debetis, ſed etiam omnia tum facta tum dicta ad laudem ipſius dirigere.

*Omnia in nomine Chriſti.* Non ſolum Chriſti voluntati congrue ac conformiter, ſed etiam ea intentione ac conſilio, ut Chriſto pareamus ac placeamus: omnia cum reſpectu ad Chriſtum fieri ac dici a nobis debent.

*Per Chriſtum Deo* gratias agere, eſt ſecundum Chriſti præſcriptum atque ut ipſi pareatur id facere.

Verſ. 18. *Uxores ſubditæ eſtote viris in domino.* Quemadmodum eſt conſentaneum Chriſtianæ religioni, & iis qui eam amplectuntur, vel ratione Chriſtianæ religionis.

Verſ. 19. *Viri* μὴ πικραίνεσθε. Ne ſitis acerbi, aſperi, duri in illas ſermone aut factis; ne ſitis moroſi, iracundi, difficiles.

Verſ. 20. Εὐάρεστον τῷ κυρίῳ. Acceptam Chriſto.

Verſ. 21. Ἵνα μὴ ἀθυμῶσιν. Ne animum deſpondeant, ne deſperent, animoque averſo parentum perſpecto, deſperata conſilia ineant, ne ad deſperationem adigantur, quia non ſperent ſe id quod æquum eſſe putant a parentibus habituros.

Verſ. 22. *Secundum carnem*, qui in corpus veſtrum imperium habent: qui carnali ratione dominantur, diſtinguit a domino ſpirituali.

Ἐν ὀφθαλμοδουλείαις. Non tantum in præſentia ſerviatis eis, quaſi id agatis ut favorem eorum promereamini, ſed *ut Deo*, qui videt omnia.

*In ſimplicitate*, id eſt animo ſincero, ex animo non fraudulento.

*Metuentes Deum.* Id eſt, ad Deum reſpicientes, qui videt & rependet omnia.

Verſ. 23. *Et omnem.* Quaſi dicat: itaque quicquid feceritis ex animo facite, tanquam domino, non ſecus atque ſi domino Jeſu ſerviretis non hominibus, quaſi dicat, præcipue in eo domino ſerviatis non hominibus.

Verſ. 24. *A domino accipietis retributionem.* Chriſtus id ſibi ipſi patietur imputari, præſertim quia ipſe præcepit, mercedem a domino Jeſu referetis, etiamſi a dominis veſtris carnalibus nullum referatis, qui vos hæredes non inſtituent; ſed dominus Jeſus vos hæredes faciet ſuorum bonorum, ac ſempiternæ illius felicitatis, cæteris ſepoſitis, domino Jeſu hac in parte ſervitis, qui id præcepit.

*Qui autem injuriam facit.* Et ad dominos & ad ſervos refertur, id eſt quilibet id reportabit quod ei convenit, dignum facto præmium.

Non eſt ἀδικοπροσωπολημψία. Et domini & ſervi iniquitas non erit impunis. Neque enim in judicando Chriſtus qualitatem ullam perſonarum externam reſpiciet ſeu conditionem, nec domini dignitas, nec ſervi vilitas vel pœnæ vel præmio obſtabit.

## CAPUT IV.

Verſ. 1. *VOs domini juſtitiam & æquitatem* &c. Quod dignum eſt opera illa ſervorum, id illis præſtate, convenientem victum, cultum & alia præmia ſervitii, tum ut remittatis minas, ſcientes eſſe arbitrum actionum veſtrarum, qui & vos propter injurias ſervis illatas ſit puniturus.

Verſ. 2. *In precatione.* Aſſidui ſitis in precatione & vigilate in ipſa, id eſt, ipſi invigilate, quemadmodum aliquis dicitur invigilare literis. *Vt precemur* tempus captandum, quaſi dicat, tanto ſtudio incumbentes precationi, ut aliquod tempus etiam ſomno adimatis.

*In gratiarum actione*, id eſt, cum gratiarum actione.

Verſ. 3, *Orantes ſimul*, ut & ad Epheſios. Sed ille locus eſt obſcurior, hic manifeſtior. Inſigniter pro me orate. Ex hoc loco apparet ad Epheſ. 6. 18, verba illa ἐν παντὶ προσευχῇ uſque ad illa καὶ ὑπὲρ, de precibus illis intelligi debere quas pro ſe fundere debebant Epheſii.

*Vt Deus aperiat*, id eſt, id inprimis orate ut occaſionem aptiſſimam nobis det loquendi de myſterio Chriſti, id eſt, patefaciendi euangelium, quod eſt dodoctrina myſtica a Chriſto patefacta & circa eum verſans.

*Propter quod*, id eſt patefaciendum & promulgandum &c.

Verſ. 4. *Vt oportet*, id eſt quemadmodum convenit, animo divino ac vultu intrepido. A domino ſibi poſtulat impetrari, ut & occaſionem habeat ut audacter ea de re loquatur, tanquam de re cum certiſſima, tum maxime inſigni.

Verſ. 5. *In ſapientia*, id eſt, ſapienter verſemini cum eis qui ſunt extra eccleſiam, præſertim ut alios lucrifaciatis, nec ab eis depravemini. Sciatia vos illis accommodare, cogitandum quid deceat, quid aptum loco, quid perſonæ. De prudentia loquitur & quidem Chriſtiana.

*Tempus redimentes*, id eſt, occaſionem captantes cum veſtrarum rerum aliqua jactura. Vide ad Epheſ. 5.

Verſ. 6. *Sermo veſter ſit cum gratia*, id eſt, gratioſus, ſuavis, non ſit talis qui poſſit irritare homines, ſed illis ſit acceptus.

*Sale conditus.* Explicat illud. Sale prudentiæ nos vult aſpergere ſermonum, nimirum ne offendatur aliquis. Prudenter inſtituatur ſermo, ut & proſit & delectet, ſalubriter ſit gratus ſermo.

*In gratia*, id eſt, ſuaviter, ſit ſalubris ſuavitas.

*Vt ſciatis.* Ut diligenter cogitetis quomodo ſit reſpondendum, vel potius, ut intelligenter ſeu ſapienter

unicuique

unicuique reſpondeatis, quemadmodum opus eſt & decet. Scire non eſt finis, etſi inſtar finis proponatur.

Verſ. 7. *Quæ ad me*, id eſt, quid mecum fiat, quæ ad me ſpectant. *Fidelis miniſter*. Quod miniſtravit eccleſiis (fortaſſe & Paulo). *Conſervus in domino*, id eſt, in rebus ad dominum pertinentibus. Non vulgare agit ſervitium, negotium Chriſti agit mecum.

Verſ. 8. *Miſi*. Ut ſciat quid vobiſcum fiat, & denunciando, quid mecum fiat & euangelio, conſoletur corda veſtra.

Verſ. 9. *Oneſimo fideli*. Qui credidit in dominum Jeſum, & qui fidelem fraternitatem ſervet.

*Ex nobis*. Vel quia inde ortus eſſet, vel quod è Philemonis familia, ibidem degentis, eſſet.

Verſ. 10. *De quo accepiſtis* &c. Per mimeſin mandatum repetit & præceptum exprimit, verbaque mandati recitat. Mandatum præceptionem ab eo gratam, qui autoritatem habet, ſignificat.

Οἱ ὄντες ἐκ περιτομῆς. Judæi genere. Hi ſoli, id eſt, qui ſoli etiam una mecum laborant, in opere euangelii, una mecum promovent regnum Dei, qui in afflictionibus mihi fuerunt gaudio.

Verſ. 12. *Epaphras*. De eo ſupra. *Ex vobis*, id eſt ex veſtro numero.

*Semper certans*, id eſt, qui ſemper ardenter orat pro vobis ſumma animi contentione.

*Ut ſtetis* &c. Ut conſtantes ſitis ac perfecti, ratione cognitionis veritatis. *Impleti in omni voluntate Dei*, id eſt, eo omni quod Deus vult: quaſi dicat, ut in perfecta cognitione veritatis conſtantes ſitis, pleniſque eo quod Deus vult. *In omni voluntate*. Dubium eſt an ad ſolam cognitionem divinæ voluntatis, an & ad ipſa facta divinæ voluntati congrua referri hæc verba debeant, fortaſſis tutiſſimum ad utrumque referre.

Verſ. 13. *Teſtor*, id eſt, teſtimonium præbeo, quod fervide vos amet & de vobis admodum ſit ſollicitus, deque iis qui Laodiceæ & Hierapoli vivunt.

Verſ. 17. *Vide miniſterium*. Cura tuum miniſterium diligenter, id ſcilicet miniſterium quod a Deo accepiſti eccleſiaſticum. *Ut impleas*, illud exequaris illi ſatisfacias.

Verſ. 18. *Salutatio mea*, quaſi dicat, ſaluto vos ego Paulus, manu propria. *Memores ſitis*, cogitate de meis vinculis ſeu de me vincto.

PARA-

# PARAPHRASIS

## *Epiſtolæ Pauli ad*

# COLOSSENSES.

### CAPUT I.

Verſ. 1. EGo Paulus legatus Jeſu Chriſti, ita volente Deo, & Timotheus veſter ob communem religionem frater,

Verſ. 2. Vobis, qui Coloſſis degitis, per veritatis agnitionem a profano hominum vulgo ſeparatis, ac Deo conſecratis, hoc eſt doctrinam Jeſu Chriſti amplexis, eamque ob cauſam fratribus noſtris, gratiam ac favorem Dei illius ſummi, qui ſe patrem noſtrum conſtituit, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, atque ex eo favore manantem felicitatem precamur.

Verſ. 3. Gratias veſtro nomine agimus Deo, qui Pater eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti, in orationibus noſtris, quas ad ipſum pro vobis aſſidue fundimus:

Verſ. 4. Poſteaquam audivimus vos doctrinam Jeſu Chriſti recepiſſe, ac charitatem exercere, quod fidei veſtræ argumentum eſt, erga omnes ejuſdem religionis conſortes, Deo Chriſtoque conſecratos.

Verſ. 5. Id enim a vobis fit non terrenum aliquod ob commodum cauſamve; ſed ob præmium, [vel: propter ſpem illius boni,] quod in cælis vobis eſt repoſitum atque a Deo deſtinatum; de quo edocti fueratis ex prædicatione illa veriſſima, hoc eſt Euangelio:

Verſ. 6. Quod ad vos quoque pertigit, quemadmodum etiam brevi tempore in univerſo mundo ſparſum eſt, nec tantum ſparſum eſt, verum etiam fructum fert eximium, omnis generis pietatis ac bonorum operum: quemadmodum etiam in vobis ipſis [vel: inter vos ipſos] fructum ejuſmodi profert, ab eo ipſo tempore, ex quo audiviſtis atque agnoviſtis gratiam Dei, quæ in Euangelio offertur, veriſſime: [vel: doctrinam illam, quæ cum ſummum Dei in humanum genus favorem explicet, jure gratiæ nomen meretur,] [vel: benigniſſimam illam Dei voluntatem veriſſime vobis prædicatam] veriſſime inquam:

Verſ. 7. Quia eo modo edocti eſtis ab Epaphra chariſſimo noſtro in Euangelii prædicatione conſervo, qui (ne forte de ipſius fide dubitetis, aut vos ab eo deceptos ſuſpicemini) eſt fidelis ac ſedulus Chriſti miniſter in iis rebus quæ ad veſtram ſalutem ſpectant.

Verſ. 8. Qui idem nobis ſignificavit ſpiritualem illam veſtram charitatem, ſeu ex religione manantem, qua fit, ut omnes ejuſmodi religionis conſortes diligatis.

Verſ. 9. Quapropter cum iſta tam præclara de vobis audiverimus, nos quoque officio noſtro deeſſe noluimus, ſed ab eo ſtatim tempore, ex quo iſta accepimus, non deſiimus, nec adhuc deſinimus pro vobis Deum orare, & ab eo petere, ut vos impleat, quod attinet ad cognitionem voluntatis ſuæ, perfecta ſapientia & intelligentia, non rerum humanarum, aut ad carnem pertinentium, ſed ſpiritualium. [Vel: cognitione voluntatis ſuæ, ita ut perfecta præditi ſitis ſapientia, & rerum ſpiritualium divinarumque cognitione.]

Verſ. 10. Id vero non eum in finem ut iſta tantum ſciatis, ſed potius ut iſta cognitione adjuti, ita vivatis quemadmodum dignum eſt Domino Jeſu Chriſto, ejuſque ſanctiſſima religione, adeoque in omnibus ipſi placeatis, omniumque bonorum operum fructum proferentes, eo pacto oſtendatis, vos proficere in cognitione divinæ voluntatis. [Vel: indeque rurſus hunc capiatis fructum, ut in cognitione rerum divinarum incrementum capiatis.

Verſ. 11. Utque omni virtute ac robore Dei glorioſo atque inſigni, penitus in religione Chriſtiana confirmemini, adeo ut mala omnia, ubi opus fuerit, ferre ſitis parati, idque quam diutiſſime, non ad tempus aliquod; ſed non triſtes atque gementes, verum cum gaudio.

Verſ. 12. Utque de felicitate veſtra vobis gratulantes, gratias agatis benigniſſimo illi Deo ac vere patri, qui nos omnes tanto favore dignatus eſt, ut nos admitteret, imo advocaret ad capiendam partem hæreditatis illius ſanctis deſtinatam, dum nos luce veritatis ſuæ colluſtravit.

Verſ. 13. Noſque eo pacto eripuit ex poteſtate atque imperio ſatanæ, ignorantiæ & impietatis principis, & traduxit nos in Eccleſiam, in qua regnat filius ipſius dilectiſſimus. [vel: ex imperio ignorantiæ atque impietatis qua eramus oppreſſi, & ſubjecit nos imperio filii ſui dilectiſſimi.

Verſ. 14. Per quem adepti ſumus hoc quoque inſigne ac plane ſingulare beneficium, interveniente morte ipſius cruenta, qua novum fœdus inter nos & Deum per eum fuit ſancitum, nempe redemtionem a mortis æternæ ſervitute, remiſſione peccatorum obtinendam.

Verſ. 15. Quandoquidem in ipſo, veluti in viva quadam imagine, Deus nobis per ſe inviſibilis, ejuſque benigniſſima de ſalute noſtra voluntas, abſtruſa olim ac recondita nobis fuit patefacta atque oſtenſa; idemque eſt primogenitus, atque adeo princeps inter res omnes intelligentia præditas, a Deo nunc renovatas, ac veluti denuo creatas.

Verſ. 16. Etenim per ipſum, cum fuit conſtitutus caput ac Dominus omnium, reformatæ, atque in alium veluti ſtatum traductæ ſunt res illæ, quas dixi, omnes, ſive in cælis, ſive in terris, ſive, inquam, nobis viſibiles ſint, ſive inviſibiles, ac ſenſibus noſtris haud ſubjectæ, hoc eſt & homines & Angeli, & in cælis quidem non vulgares tantum Angeli, ſed etiam cæterorum omnium præcipui, ſive in thronis collocati potentiam inſignem habent, ſive dominatu aliquo alio præditi ſint, ſive principatu, ſive poteſtate, quocun-

que, inquam, nomine, quacunque sint dignitate, omnes qui in cælis degunt, & per ipsum sunt reformati, & in ipsius honorem ac gloriam.

Vers. 17. Ipse vero Christus est ante res istas omnes, quatenus sunt novæ creaturæ, eæque omnes ipsius potentia ac virtute, in eo statu, in quem sunt jam traductæ, conservantur ac retinentur.

Vers. 18. Quemadmodum autem res cælestes intellectu præditæ eatenus imprimis sunt per ipsum reformatæ, quatenus ipsarum Dominus ac caput evasit, ita non minus res terrestres, id est ipsi homines, cum singulari quadam ratione caput est constitutus corporis mystici, hoc est, Ecclesiæ, ex omnis generis hominibus, tanquam membris quibusdam, constantis: & eatenus quoque initium, ac sui ordinis primus est, quatenus principio est ex mortuis ad immortalem vitam genitus: ut ita inter omnes ipse primas teneret, atque omnibus, ut dignitate, ita etiam tempore antecederet. [vel: in omnibus rebus, in quibus cælestem ac divinam quampiam cernere licet felicitatem.]

Vers. 19. Hoc vero ideo factum est, quia Deo illi summo visum est, per eum ad tantam sublimitatem evectum, in tota illa rerum cælestium ac terrestrium universitate veluti habitare: & in eam imperium providentiamque suam infundere, & per ipsum illa ratione beneficiorum divinorum ubertatem in alios demum derivare. [Vel: ut in ipso primo veluti habitaret, ac tanquam in thesauro quodam reposita esset, omnis divinorum beneficiorum ubertas, per ipsum in alios demum derivanda, atque imprimis voluntatis divinæ cognitio.]

Vers. 20. Atque inprimis voluntatis divinæ cognitione inter sese conciliare, verum in suam gloriam atque honorem, pace constituta, & veluti fœdere percusso per fusionem sanguinis ipsius, quæ in cruce peracta est; per ipsum, inquam, Christum visum est ipsi reconciliare inter se res omnes intelligentia præditas, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cælis, hoc est tum Angelos cum hominibus, tum homines, hoc est Judæos & gentes inter sese.

Vers. 21. Quemadmodum autem Deus per Christum reconciliavit creaturas inter sese, ita etiam vos, qui aliquando ab eo eratis alieni, & inimico adversus ipsum animo, cum opera improba, atque ab ipsius voluntate abhorrentia patraretis, nunc secum ipso reconciliavit, atque amicos sibi fecit,

Vers. 22. Per ejusdem Christi corpus carneum, dum illud in mortem tradidit, & suum hac ratione erga vos amorem apertissime probavit. Id vero fecit eum in finem, ut vos redderet sanctos, & omni culpa ac reprehensione vacantes, non hominum, sed suo ipsius judicio.

Vers. 23. Quod quidem fiet, si constanter ac firmiter in doctrina Christi permanseritis, nec patiemini vos dimoveri a spe supremæ illius felicitatis, quam accepistis ex doctrina Euangelica, quæ non tantum apud vos, sed etiam apud omnes orbis nationes, quæ sub cælo degunt, promulgata est, mea porissimum opera, cui hoc officium ac ministerium fuit a Deo demandatum.

Vers. 24. Cujus rei ego nunc plenam facio fidem, dum cum gaudio persero afflictiones, quas ob vestrum, omniumque adeo gentilium commodum ac salutem persero, & hoc pacto veluti suppleo id quod deest afflictionibus Christi, quatenus ex iis non adeo clare patet, ad gentes etiam Euangelium, eaque bona, quæ in illo hominibus a Deo offeruntur pertinere. Suppleo, inquam, id in mea hac carne in qua vincula persero, in utilitatem ac salutem corporis ipsius Christi mystici, quod est Ecclesia:

Vers. 25. Cui ego hoc officii debeo, quandoquidem ejus constitutus sum minister in rebus ad salutem pertinentibus, ita disponente atque constituente Deo, qui mihi hoc dedit muneris ad vos gentes, ut prædicem hoc Euangelium ab ipso profectum, atque a Christo inceptum absolvam, atque ad eos omnes perferam, ad quos pervenire debet.

Vers. 26. Quod quidem Euangelium est doctrina mystica, quam Deus ab æternis temporibus, ex quo homines esse cœperunt, in sese abscondidit, ac nemini patefecit, nunc vero revelavit hominibus sibi penitus consecratis:

Vers. 27. Quibus hoc etiam nominatim voluit patefacere, quam insignis sit amplitudo doctrinæ hujus mysticæ, quamque late pateat, cum non solum Judæis, ut lex Mosaica, verum etiam inter omnes gentes sit annuncianda. Ea vero doctrina nulla est alia, quam religio a Christo primum patefacta, ex quo spes illa ampliſſima ac diviniſſima pendet.

Vers. 28. Ne quis fortasse credat, nos, qui Euangelium primi inter gentes annunciavimus, novam doctrinam annunciare, & novæ nos constituere religionis authores, quod longe aliter se habet: siquidem nos nil aliud quam Christum ejusque sanctissimam religionem prædicamus, admonentes non unius gentis, sed omnium nationum homines, eosque erudientes in omni sapientia spirituali, [vel: summa cum sapientia a Deo nobis data,] ut ita eos omnes efficiamus perfectos Christianos, seu perfecta divinæ voluntatis per Christum Jesum revelatæ cognitione præditos.

Vers. 29. Quam sane in rem non ante tantum laboravi, sed & nunc omnes intendo nervos, & contendo, non meis viribus nixus, sed vi atque efficacia ipsius, quæ scilicet se in me ac muneris mei functione potenter admodum exerit, ac vires mihi ad tantum munus cum fructu administrandum suppeditat.

## CAPUT II.

Vers. 1. NEque vero frustra dico, me tantopere laborare, ac summa animi attentione in id incumbere, ut omnium hominum saluti prosim. Etenim velim, vos fratres, scire quantopere laborem, ac solicitus sim de vobis & de illis qui Laodiceæ vivunt, Christo addictis, atque adeo de omnibus qui me præsentem nunquam viderunt, quosque adeo ipsemet coram non edocui:

Vers. 2. Tum ut gaudium ac solatium capiant illorum animi, eo pacto ut salutarem veritatem sese amplexos, ac in felicitatis sempiternæ via constitutos esse sentiant; tum ut charitatis vinculo arctissime inter se colligantur, qui fructus veritatis est potissimus, ac ptopterea ut ita proficiant in veritatis cognitione, ut tum certissime ac firmissime sint persuasi de iis quæ intelligunt, tum ut penitus intelligant doctrinam illam mysticam, atq; superioribus seculis absconditam, a Deo, qui Pater noster est, per Christum revelatam.

Vers. 3. In qua continetur quicquid est sapientiæ ac scientiæ ad res divinas pertinentis, ita ut nihil sit opus quicquam illorum, quæ ad religionem pertinent, aliunde petere.

Vers. 4. Hoc vero eam ob causam dico, ne quis vos elo-

eloquentia ſua, ac oratione ad perſuadendum egregie comparata, decipiat, atque a doctrina Chriſti abducat.

Verſ. 5. Neque vero eſt quod quis putet, me, quia a vobis abſim, de vobis etiam parum cogitare, parumque eſſe ſolicitum. Etenim licet corpore a vobis abſim, animo tamen vobiſcum verſor, & vehementiſſime gaudeo, cum video atque intelligo, [vel: cum gaudio expectans ut videam] vos recte atque ordine vivere, & firmiter in Chriſtum credere, ejuſque doctrinæ conſtanter adhærere.

Verſ. 6. Quare, quemadmodum recepiſtis Jeſu Chriſti, Domini illius cæleſtis, doctrinam, ita etiam ſecundum eam vitam veſtram inſtituite, ac Deum colite;

Verſ. 7. Actis in ea firmis radicibus, & ei tanquam firmiſſimo cuidam fundamento valide innixi, hoc eſt, firma eam fide amplexi, eo modo explicatam, quo pacto eam fuiſtis a viris divinis edocti; (recte enim ab iis edocti eſtis) atque in ea fide majores ſubinde greſſus facientes, gratias Deo, qui eam vobis revelaverit, atque ita ad ſupremam felicitatem iter vobis oſtenderit, agite. [Vel: Inde vere hic redundet fructus, ut Deo, qui eam vobis inſeruerit, gratias ſubinde agatis.]

Verſ. 8. Itaq; diligenter cavete, ne quis forte vos in caſſes ſuos pertrahat, & inſtar prædæ cujuſdam vos abducat per Philoſophiam, tanquam ea perfectam ſolidamq; ſapientiam in ſe contineat, & rectam verę felicitatis adipiſcendæ rationem commonſtret: quæ tamen, quatenus id profitetur, nil niſi vana eſt deceptio, ac diſciplina nugatoria: ne item alius vos abripiat, præcepta vobis tradens, non a Deo, ſed ab hominibus inventa, & legales illas ceremonias, quibus Deus humanum genus adhuc rude, & veluti in pueritia conſtitutum, tanquam primis religionis elementis ac tyrociniis erudiit, quaſi earum obſervatione ſalutem conſequi debeamus, omiſſo interim Chriſto, & ſanctiſſima ipſius diſciplina.

Verſ. 9. In qua tantum perfectiſſima Dei voluntas ſolide atque expreſſe, non umbratili aliqua delineatione, ut in lege, continetur.

Verſ. 10. Unde etiam vos per ipſum ejuſque doctrinam plenam rerum divinarum notitiam adepti eſtis, ſeu, ut adipiſcamini, facultatem habetis ampliſſimam, per ipſum, inquam, qui eſt caput ac princeps omnium Angelorum, non vulgarium tantum, ſed etiam eorum, qui principatum aut poteſtatem aliquam habent: ne quis forte ideo legem Moſaicam doctrinæ Chriſti præferat, & ad illam vos pertrahere conetur, quod ea ſit Angelorum miniſterio interveniente tradita: cum hæc religio, quam vos nunc eſtis amplexi, a Domino ac principe Angelorum ſit tradita, ideoque Legi longe præferenda.

Verſ. 11. Ac ne quis forte circumciſionem in vobis deſideret, quæ populi divini ſymbolum fuit a Deo conſtitutum, eamque vobis neceſſariam eſſe urgeat, eam quoque per Chriſtum ejuſque religionem eſtis adepti, quanquam circumſionem, non ut legalis illa erat, manu peractam, qualis non niſi carnalis, externa terrenaque eſt, ſed ſpiritualis ac divina virtute facta quæ non conſiſtit in pelliculæ virilis membri abſciſſione ac detractione; ſed in exutione ac depoſitione univerſi corporis peccatorum carnalium: quæ circumciſio non Moſaica illa eſt, ſed Chriſtiana, Chriſto vere digna:

Verſ. 12. Hoc vero, ab initio ſtatim, cum religionem Chriſtianorum amplecteremini, eſtis profeſſi, & vi religionis hujus fieri a vobis & poſſe & debere oſtendiſtis, cum aquæ immerſi eaque obruti indicaſtis, quemadmodum Chriſtus mortuus ſepultuſque eſt, ita etiam vos ſepeliri, atque etiam, (quod hujus eſt antecedens) mori velle, hoc eſt, priſtinæ vivendi rationi penitus renunciare. Præterea in eodem baptiſmo, cum ex aquis denuo emergeretis, & veluti ex ſepulchro reſurgeretis, profeſſi eſtis, quemadmodum Chriſtus ad vitam novam ac glorioſam reſurrexit, ita etiam vos novam ac præclaram vivendi rationem inchoaturos, ſimilem ei vitæ, quam Chriſtus nunc vivit: quod quidem perficitur vi illius fidei, quam in vobis opereratus eſt Deus, cum Chriſtum ex mortuis ad ſempiternam glorioſamque vitam reſuſcitavit: cujus rei ſane effectus in vobis apparet.

Verſ. 13. Nam cum vos cum omni ſenſu ac vita ſpirituali eſſetis deſtituti, ac Deo plane mortui, [vel: ac morti æternæ deſtinati,] propterea quod peccatis eſſetis immerſi, & (quod eorum eſt, qui a populo divino ſunt ſejuncti atque ab eo alieni) præputium quaſi illud animis veſtris adhæreſceret, quod eſt carnalis affectus, atque ab eo manantia opera, ad vitam ſpiritualem, & immortalitatis ſpem eo ipſo revocarit Deus, quod Chriſtum a morte in vitam reduxit, eo inſuper addito beneficio, quod omnia illa quæ antea commiſeratis delicta, benigniſſime vobis condonaverit, eorumque remiſſionem obtulerit:

Verſ. 14. Quin etiam aboleverit eam, quæ nobis Judæis vehementer oberat, & graviter nos premebat, obligationem, & veluti chirographum, quo obſtricti eramus legibus ceremonialibus; non ex rei natura, ipſaque honeſtatis ratione, ſed ex Dei arbitrio ac libera voluntate pendentibus, id quod Deus jam ſuſtulit, è medio, & quemadmodum creditores perforare atque diſcindere ſolent chirographa, quæ irrita eſſe volunt, ita Deus chirographum iſtud noſtrum, de quo diximus, cruci Chriſti quodammodo affixit, atque, ut ita dicam, perforavit: quandoquidem Chriſto cruci affixo, & ſic novo fœdere ſancito, illud irritum eſſe, & neminem poſterum obligare oſtendit.

Verſ. 15. Præterea ſpiritus illos malos, qui principatum aliquem imperiumque habent, hoſtes nempe ſuos, exarmavit, ac ſpolia illis detraxit, [vel: poteſtate illis erepta, homines ob neglectas ceremonias tam ſæpe tamque graviter, ut antea fieri ſolebat, affligendi] vindicato ab ipſorum tyrannide humano genere, cujus pars maxima gentes ſunt, in quas imperium ſuum maxime exercebant, eaſque veluti captivas tenebant; atque ita exutos hoſtes noſtros tanquam in ſpectaculo traduxit, & publice omnibus devinctos oſtentavit, triumpho de illis per Chriſtum acto.

Verſ. 16. Quapropter nemo audeat vos damnare, aut vos quicquam curetis ſi quis vos damnet ratione cibi & potus, quod nimirum eo cibi aut potus genere utamini, quod Lex interdixit, ſed neque etiam ratione Feſti alicujus a vobis neglecti, aut novilunii atque ſabbatorum, Judæis olim præceptorum.

Verſ. 17. Ea enim omnia umbræ quædam fuerunt ad imaginem rerum ſecuturarum, & jam exhibitarum: quandoquidem corpus, ſeu res ipſæ, per umbras illas deſignatæ, in Chriſtiana religione, quam vos amplexi eſtis, continentur, adeo ut umbris illis non ſit opus.

Verſ. 18. Nemo inquam, eorum, qui ſibi forte placent in modeſtia quadam externa, ac corporis abjectione, & cultu ſeu religioſa obſervatione earum rerum, quæ per Angelos aliquando fuerint traditæ, velut

agonothetæ sibi partes sumens, præmio pietatis vos indignos judicet, ea nempe de causa, quod easdem vos non observetis, eoque pacto sese ingerat rebus quas nunquam didicit: siquidem tam inique de rebus ad cultum divinum spectantibus judicet, nec cui vel adjudicandum, vel adimendum sit præmium pietatis, novit, ideoque frustra sibi sumat spiritus, atque a mente sua carnali, & nil nisi terrena spectante, est inflatus, seque propterea quod ista observet, supra alios effert.

Vers. 19. Cum tamen interea Christum, qui omnium Dei cultorum caput est, ejusque doctrinam non teneat, ex quo tamen totum Ecclesiæ Deique cultorum corpus, interveniente omnium membrorum apta aractaque inter se conjunctione, vim atque efficaciam cælestem accipit, & tum cum ipso capite, tum inter se valide compactum, augmentum capit, augmentum, inquam, non tale, quale est corporis humani, hoc est naturale ac carnale, sed divinum ac cæleste, quod in pietatis ac veritatis cælestis profectu consistit. Illius autem efficaciæ participes non sunt, qui capiti illi firmiter non adhærent, & a corpore hoc sunt sejuncti.

Vers. 20. Quare, ut ad institutum redeam, si quemadmodum Christus mortuus est, ita vos quoque, vi veritatis illius a vobis agnitæ, mortui estis ac liberati a ceremoniis, quæ rudimenta fuerunt humani generis, & elementa prima religionis, qua mundum Deus voluit ad sublimiora veluti manuducere, cur adhuc patimini ita vos adstringi decretis & legibus ceremonialibus, tanquam adhuc vitam illam pristinam retineretis, & in mundo illo rudi, cui ceremoniæ illæ fuerant traditæ, versaremini?

Vers. 21. Hujusmodi sunt decreta illa, quæ vestri magistri vobis subinde inculcant, dum inquiunt: ne contrectaveris, neve gustaveris, ne denique attigeris.

Vers. 22. Sed quasnam res? eas nimirum, quæ omnes sunt in eum finem a Deo productæ, ut usu absumantur ac corrumpantur: [vel: ut usu ejusmodi qua res consumuntur tandem pereant,] quæ decreta consentanea sunt præceptis & doctrinis hominum, & iis tantum, postquam divina authoritate ceremoniæ abrogatæ sunt, nituntur.

Vers. 23. Interim haud eo inficias, ea cæteroquin sapientiæ aliqua ex parte esse consentanea, quatenus spontaneum quendam cultum præscribunt, & humilitatem seu abjectionem quandam sui ipsius, qua fit ut corpori non parcatur, idque non curetur, eive ita indulgeatur, ut caro satietur ac farciatur.

## CAPUT III.

Vers. 1. ITaque sicut antea diximus, quemadmodum Christus a mortuis resuscitatus est, ita & vos vi ejus rei ad vitam spiritualem estis revocati, [vel: professi estis vos vitam inchoaturos novam] in eo quoque Christum imitemini, ut quemadmodum ille è mortuis resuscitatus in terris his non substitit, sed in cælum ascendit, ubi nunc ad dextram Dei residens, & illius nomine omnia gubernans perpetuo habitat, ita etiam vos, relictis terrenis curis ac cogitationibus, animum ad cælestia erigatis, & bona eo loco vobis reposita, vivendique rationem loco accommodatam unice consectemini.

Vers. 2. Cælestia, inquam, penitus sapite ac spirate, non terrestria:

Vers. 3. Quandoquidem vitam hanc terrenam ac carnalem reliquistis, [vel: professi estis vos morituros, ac vitam hanc terrenam carnalemque relicturos,] eoque pacto ad Christi similitudinem, vi mortis ab ipso toleratæ, & ipsi mortui estis, adeoque vita vestra non amplius hujusmodi est, ut oculis hujus mundi pateat: sed quemadmodum Christus ipse apud Deum in cælis degit, hominum oculis inconspicuus, & in ipso veluti, qui ipsum in cælis vult degere, occultatur; ita etiam vita vestra, hoc est, tum immortalis illa, tum pia, apud ipsum Deum, qui eam vobis destinavit, & in Christi manibus posuit, hanc vero solus æstimat, occultatur, & ab hominum oculis semovetur.

Vers. 4. At vero ubi apparuerit Christus, in quo vita vestra reposita est, & a quo ea pendet, tunc etiam vos una cum ipso glorioſi apparebitis, atque ita vita vestra, ejusque dignitas ac præstantia, quæ nunc latet, sese conspiciendam præbebit, vobis immortalitate, quæ pietatis præmium est, donatis.

Vers. 5. Quapropter, quod vi religionis, quam amplexi estis, facere debetis, ac debere vos agnoscitis, facite, & perimite peccata in membris vestris degentia, & eorum opera ac ministerio peragi solita; nimirum scortationem, inpuram libidinem, masculorum concubitum, obscœnam pathicorum mollitiem, cupiditatem voluptatum hujusmodi obscœnarum, & avaritiam, quæ cum auro confidat, & vitam suam in divitiis positam credat, pro idololatria merito habetur, utpote divitias pro numine quodam habens ac venerans.

Vers. 6. Propter hæc enim peccata aliaque similia Deus gravissime solet irasci hominibus, [vel: gravissime puniturus est homines] in incredulitate perseverantibus, & veritatem Euangelii recipere nolentibus.

Vers. 7. Ea vos quoque aliquando patrare consuevistis, cum adhuc vitam viveretis carnalem ac peccatricem. [vel: cum inter homines istos versaremini.]

Vers. 8. Verum, cum nunc alia sit vitæ vestræ ratio, postquam Euangelii lumine colluſtrati estis, deponere atque abjicere debetis omnia ista scelera, ac non modo ista quæ enumerata sunt, verum etiam cætera iis similia, verbi gratia, iram, quæ vindictæ habet consilium ac decretum; excandescentiam, quæ cum animum totum occupet, consilium nullum admittit, estque instar furoris, brevitate temporis ab eo distincta; præterea malitiam, quæ in ipsa vindicta cernitur, aliisque nocet; & cum ea conjunctam maledicentiam, seu conviciandi libidinem; obscœnitatem quoque sermonis; caventes, ne quid hujusmodi ex ore vestro unquam audiatur.

Vers. 9. Ne etiam quisquam mendacio suo vel imponat alteri, vel alio quovis modo noceat. Hoc, inquam, pacto, veterem illum hominem, hoc est, pristinum animi habitum, actionesque inde proficiscentes, deponite.

Vers. 10. Contra vero assumite atque induite mentem novam, novamque vivendi rationem, quam quidem assequemini vi cognitionis veritatis cælestis, qua ita reformatur vita hominis, ut similis reddatur Deo, qui ipsum ad novam hanc vivendi rationem produxit:

Vers. 11. In qua non spectatur utrum aliquis sit Græcus, hoc est gentilis, aut Judæus utrum sit circumcisus aut præputiatus, utrum Barbarus aliquis atque incultus Scytha, nec denique utrum servus an liber, nulla, inquam, discriminum istorum habetur ratio; sed in omnibus personis, cujuscunque sive nationis, sive conditionis, sive ordinis, cujuscunque denique religionis antea fuerint, tantum spectatur ea vivendi

vendi ac Deum colendi ratio, quam Chriſtus præſcripſit, hæc complectitur omnia ea quæ in nova hac creatura ſpectantur atque a Deo remunerantur.

Verſ. 12. Quapropter amplectimini, quemadmodum decet eos quos ex hominibus elegit Deus, & a profano vulgo ex ſingulari charitate ſelegit, ac ſibi conſecravit, amplectimini, inquam, atque exercete intimam erga afflictos miſericordiam, benignitatem item, humanitatemque ſingularem, modeſtiam inſuper, ſeu animi demiſſionem, manſuetudinem ſeu lenitatem, ac longanimitatem injurias moleſtiaſque diu patientem.

Verſ. 13. Ea ratione ferte alios ac tolerate, & condonate vobis invicem injurias quas forte ab aliis accepiſtis, ob quas habetis juſtam de aliis conquerendi cauſam: quemadmoduw & Chriſtus veſtra vobis delicta Dei nomine condonavit, & jus liberationis a pœna conceſſit, ita etiam vos, inquam, agite, ac mutuo injurias remittite.

Verſ. 14. Inſuper etiam charitatem ac dilectionem, quæ animos hominum penitus colligat atque unit, animis veſtris inſerite.

Verſ. 15. Studiumque concordiæ a Deo præſcriptum, eique longe gratiſſimum, quod ex charitate naſcitur, animis veſtris imperet, & inſtar brabeotæ affectus omnes coerceat: cum ad pacem eam inter vos mutuo colendam fueritis a Deo per euangelium vocati, ita quidem, ut conſtitueretis unum veluti corpus, atque inſtar membrorum inter vos colligaremini. Illud denique addite, quod Deo debetis, & gratiarum actione Dei nomen invocantes, qui vos per Chriſtum affecit beneficiis, voſque ad populi ſui corpus admiſit, celebrate.

Verſ. 16. Quod ut tanto rectius Deoque dignius facere queatis, operam date, ut quam pleniſſimam doctrinæ Chriſti cognitionem adipiſcamini, eamque firmiter retineatis, ita ut plena rerum divinarum ſcientia, quæ vera ſapientia eſt, ſitis præditi, eaque adjuti doceatis & moneatis alii alios, atque ad religionem pictatemque excitetis, tum aliis rationibus, tum inprimis & pſalmis, ſeu carminibus, res divinas atque ad religionem pertinentes ſublimiori orationis genere explicantibus; & hymnis, quibus divinæ laudes canuntur ac prædicantur; cantionibus, inquam, non profanis ac carnalibus, ſed ſpiritualibus ac religioſis, ita ut ſuaviter canatis non ore tantum, ſed etiam, idque multo magis, corde atque animo, in Domini Jeſu honorem.

Verſ. 17. Ad cujus præſcriptum non tantum iſta, quæ dixi, conformanda ſunt, ſed etiam quicquid ſive dixeritis, ſive opere aliquo alio feceritis, id debetis facere ſecundum ipſius juſſum ac mandatum, atque inprimis illud, ut ex ipſius præſcripto Deo illi ſummo, qui pater eſt & ipſius & noſter, gratias agatis, ac pro beneficiis acceptis laudes ei reddatis.

Cætera paraphraſi vix indigent, præſertim cum in epiſtola ad Epheſios ea fuerint explicata copioſius.

## CAPUT IV.

Verſ. 1. VIde epiſtolam ad Epheſios.

Verſ. 2. Precibus aſſidue operam date, iiſque invigilate, ſed ita, ut gratiarum actionem cum iis conjungatis.

Verſ. 3. Neque vero pro vobis ipſis tantum, ſed etiam pro aliis orare debetis, & ſimul etiam pro me, ut Deus mihi tum occaſionem præbeat ad euangelium prædicandum, & myſticam illam doctrinam Chriſti promulgandam, cujus rei cauſa hic vinctus detineor;

Verſ. 4. Tum vero etiam, ut ita euangelium prædicem, eaque cum animi perſeverantia, qua me illud prædicare decet.

Verſ. 5. Id quoque monendi eſtis, ut prudentia ſingulari utamini, quando cum hominibus extraneis atque a veritate alienis verſamini, ut occaſionem, quæ ſe vobis offert, ad eos commonefaciendos, ac Chriſto lucrifaciendos, ſtudioſe captetis, & cum rerum etiam veſtrarum aliquo detrimento arripiatis, eaque utamini.

Verſ. 6. Ad eam vero prudentiam, qua vos uti volo, hoc etiam inprimis pertinet, ut linguæ diligentem habeatis rationem, operamque detis ut ſermo veſter ſit ſuavis, & ob utilitatem, quam audientibus afferat, gratus atque acceptus, ac prudentia, veluti ſale, qui cibos ſalubriter jucundos efficit, conditus, ut ſcienter unicuilibet reſpondeatis prout decet.

Cætera paraphraſi vix indigent.

# PETRUS MORKOVIUS
## à MORSKOUW.

### *Christiano Lectori S.*

OFferrimus tibi Christiane Lector Commentarium in utramque apostoli Pauli ad Thessalonicenses epistolam, a nobis è prælectionibus προφέτου illius Johannis Crellii Franci elucubratum: utinam tanto tuo fructu & emolumento, quanto studio, & animi in te propensione nostra. Materiæ certe in qua primum vires præeunte illo nunquam satis laudato viro nostras experire voluimus, is est genius, ut tanto magis unumquemque allicere & trahere ad se debeat, quanto acrioribus ille se stimulis ad veræ pietatis orbitam inoffenso pede calcandam agitari sentit. Tametsi enim non ea hic seges est abstrusiorum illorum Christianæ religiones mysteriorum, nos in sacratissima ipsius adyta introducentium, qualem in aliis hujus apostoli scriptis conspicias; at illorum quæ solidæ pietati & constantiæ in religione commendandæ & fovendæ faciunt, ideoque istis minime cedunt, proventus longe uberrimus. Ita divinus iste gentium doctor, qui verum nobis Christianum sermonis sui penicillo depinxit alibi; hic in exempli quasi quodam speculo, vivam & spirantem ejus imaginem spectandam proposuit; quodque præstare cæli candidatum debere docuit alibi, id etiam posse, hic luculentissime demonstravit. Animaturus nimirum Thessalonicenses ad constantiam in religione Christiana, seu ad παῤῥησίαν & *gloriationem*, (ut divinus ille author ad Hebræos loquitur) *spei usque ad finem firmam retinendam*, ea cum de sua & inter illos conversatione, & in illos voluntate, tum de illorum vicissim & in se animo, & in religionem Christianam affectu prædicat, quæ & pastorem nobis undequaque absolutum exhibent, & auditorem. Nam quid in illo pastore desideres amplius, qui non ut caput referat unctius, aut plausum mereatur, & se assignet famæ, sed ut gloriæ Dei, & hominum saluti velificetur, curam suscipit gregis, eoque nihil quod salutare putat, reticet, sed candide, sed ex animo oracula divina pandit, ac ut a veritate prædicanda nullis periculis absterretur, ita prædicationem suam tanta sanctitate & morum integritate fulcit, ut omnem caluminatori aditum, ad se præcludat, potiusque cum summa sua molestia & labore de jure suo remittat multum, quam offensionis ansam præbeat aliquam; eorum vero quos gubernat amore ardeat tanto, ut & præsentes non secus atque nutrix mater solet, foveat, & absentium desiderio teneatur incredibili, pro iis oret, & gratias agat indesinenter, nullam rationem implendi defectus illorum fidei prætermittat, illos coronam suæ gloriationis, spem, gaudium suum esse credat,

se denique animamque suam usibus eorum impendere, & devovere sit paratus! Atqui hæc omnia in se a Thessalonicensibus conspecta, non illorum solum, sed ipsius etiam Dei, qui intimorum mentis nostræ recessuum arbiter & inspector est, testimonio comprobat apostolus. Jam quid ad justam veri Christiani staturam desit ei, qui veritatem circumtonantibus undique periculorum procellis, imo cum persecutione ipsa, & tanta alacritate, ac animi robore receperit, ut non credentium tantum circa se omnium exemplar, sed ipsius etiam Christi apostolorumque in eo æmulus ac imitator esset, & tanta constantia tantaque fiducia ac spe profiteretur, ut velut per ipsas afflictiones fides in Deum crescceret, & spes ac patientia radices altius ageret, omnes circumstrepentis satanæ turbines impavidus & imperterritus frangeret; charitate vero, quæ legis perfunctio & veri Christiani character est certissimus, tam ardenti, tam nulla hypocriseos & privati quæstus ærugine infuscata, cum in omnes in universum, tum in singulos privatim ferretur, ut eam a natura hausisse, imo a Deo ipso didicisse videretur! aut si quid tandem tam generosæ, tam cælesti, imo tam Deo suo plenæ defuerit animæ, quis non videt, vel non tanti id esse momenti ut de summa spei suæ periclitari propterea possit, vel certe, qualis qualis ille defectus fuerit, tam in proclivi esse illum complere, atque imber quando pluit. Atque horum omnium laudem Thessalonicensibus suis non modio neque trimodio, sed horreo, quod ajunt ipso, hic admetitur apostolus; adeo ut non tam novam aliquam eis virtutem per istas epistolas inserere voluisse, quam ne ob afflictionum magnitudinem de studio remitterent, & tempore in cursu languescerent timuisse, atque ideo ut ad cœpti tanto cum omnium plausu & admurmuratione curriculi calcem, se ipsos quotidie votaque de se concepta superantes properare vellent, orationis suæ velut quodam classico impulisse & animasse videatur. Et hinc sunt illæ tam liberali manu in eos congestæ, totiesque repetitæ laudes; hinc tam effusa Pauli de suo in illos & illorum in se animo prædicatio, hinc denique tot tam crebra, tamque ardenter pro iis concepta vota, ut vix aliquid hujus simile in reliquis apostoli hujus epistolis animadvertas. Quanquam sunt & aliæ harum epistolarum dotes, illis vel peculiares, vel certe cum pauciissimis communes. Nam ubi, si epistolas ad Corinthios excipias, sive de mysterio resurrectionis nostræ, sive de animadversione ecclesiastica plenius tractatur & uberius? Atqui ut illud est prora quod ajunt & puppis fidei spesque nostræ; ita hæc unicum ordinis in ecclesia conservandi remedium, & instrumentum. Jam de apostasia adventum Christi ad judicium anteceſſura, revelandoque illo homine peccati, & quod jam tum iniquitatis perageretur mysterium, in omnibus hujus apostoli, ne dicam omnium scriptis altissimum silentium. Nam etsi S. Johannes in epistolis suis innuat, in apocalypsi vero etiam pluribus nonnulla persequatur, harum tamen epistolarum verba, lucem illis omnibus fœnerantur: absque quibus omnes hic velut in illuni nocte erraremus, & horrendis illis scopulis tot Christianorum ossibus albis, conscientiæ navis allidenda foret: quos nunc ista signa, licet tecte propter temporum

rationem

rationem ab apoſtolo poſita, candido & veræ pietatis amore flagranti oculo intuentibus, ſine periculo, divina ope invocata, prætervehi haud ita operoſum. Sed quid ego harum epiſtolarum decora, culpa detero potius ingenii, quam meritis exorno laudibus; cum longe plus ipſa lectio & venerationis ſit ipſis allatura & præconii, quam quantum ego ullis verborum apparatibus conſequi poſſim? Ad commentarium venio; de quo malumus tuum judicium expectare, quam noſtrum; quod hic facile cæcutire poteſt, apponere; & præterea, res eſt experimenti, non verborum. Hoc tantum de illo in præſentiarum tibi videtur indicandum, rem fere hic eſſe a Crellio, verba vero a nobis, & ea quidem non omnia. Erat videlicet in more magno illi Theologo, viva tantum voce auditoribus ſuis in evolutione & explicatione ſcriptorum apoſtolicorum ſine ullo ſcripto præire: qua ratione cum iſtarum quoque epiſtolarum interpretationem aggrederetur, author ipſe mihi fuit, ut ſcripto iſta, propter & memoriæ ſubſidium, & aliorum qui lectionibus iſtis non intereſſent emolumentum conſignare vellem: parui ego libenter, tam juſta & non cum aliorum tantum verum meo etiam ipſius ſingulari fructu conjuncta imperanti: cumque ita quæ tum ex illius differentis ore hauriebam in chartam conjicerem, quædam etiam quæ non dicta videbantur, de meo, ſenſus illius expiſcandi gratia adderem, tradebam illi recognoſcenda: quæ ille poſtea ad ſuum arbitrium finxit & refinxit, multis inductis, nonnullis etiam de ſuo additis. Inprimis vero illa in poſteriori epiſtola cap. 3. a verſ. 6 ad finem uſque omnia ſunt plane illius. Nam cum in his, doctrinæ de excommunicatione, in qua multi cæcutiunt plenius pertractandæ, campus mihi aperiri videretur, nixus ego an abuſus dicam facilitate, & in omnes de quolibet bene merendi partes accincta propenſione viri, ſpatium tantum nudum & ſine literis in charta reliqueram, addito, velle me, ut iſtam materiam ſuis ipſe verbis pro ut ipſi videretur pertractandam ſuſciperet. Nec detrectavit ille, qui omnibus cuperet eſſe omnia, & ſuo ipſe ſtylo prout ambiveram omnia perſequutus eſt; addito tamen, tam plenam doctrinæ de excommunicatione tractationem non hujus eſſe loci, & velle poſtmodum Ethicæ ſuæ recognitæ inſeri, quæ commentationis hujus pomœria excedere viderentur. Verum ut ipſum commentarium ſcribebam ego, & recognoſcebat ille, non fine edendi; ita nec iſta poſtquam tradiderat mihi, aut ille in manus reſumpſit unquam, aut ego vel in minimis mutare fas mihi putavi; exceptis tamen iis quæ temporibus condonanda videbantur. Quæ tibi Lector, tam multis a me memorantur, ut ſi minus forte tibi in hoc commentario arriſerint omnia, ſpeque forſitan tua minora fuerint viſa, æquior ſis, cum illi qui facem prætulit nobis, nec tamen morte præventus, ita ut par erat, rudem hanc & informem carunculam relambere potuit, tum vero nobis ipſis, quibus religio fuit, aut addere aliquid poſtipſius recognitionem, ne cornicum oculos configere diceremur, aut cum tamdiu Ethices illius editio differatur, omittere quæ ille hic de excommunicatione utiliſſime adjecerat. Inde videlicet nec ſtylus ubique decurrit æquabiliter, & nonnulla

pendere, nec satis ubique adstricta videntur. Nam quod non attollatur & humi plerumque serpat, id nec excusandum videtur; cum rem nobis non verba proposita haberemus, & genus istud scriptionis, lautitias illas elegantiarum, si non respuat, ambiat certe ac desideret minime. Quod superest, si in his, quæ tuo candore nixa lucem aspicere non erubescunt, aliquid quod sit ad palatum tuum inveneris, pro iis Deo optimo maximo, cujus gloriæ omnis nostra desudat opera, gratias agito, pro nobis ardenter ad eundem suspiria mittens, ut vitam nobis & otium largiatur, quo alia generis hujus quæ domi affecta habemus, recognoscere & tecum communicare possimus. Dominus autem dirigat cor tuum in charitatem Dei, & expectationem sui. Vale. 3 Maii Anno Christi 1636.

COM-

# COMMENTARIUS
## *In I. Epiſtolam Pauli Apoſtoli*
## *AD*
# THESSALONICENSES

### *ARGUMENTUM EPISTOLÆ.*

QUum (a) Theſſalonicenſes (b) perſecutionem a civibus ſuis paterentur ob euangelium, quod per divi Pauli prædicationem tanta cum alacritate receperant, & conſtantia profitebantur, ut exemplo eſſent omnibus in Macedonia & Achaia credentibus; Apoſtolus veritus, ne ſub afflictionis onere fatiſcerent, & per impoſtores ab illo qui tentat ſeducti, a religione Chriſtiana reſilirent, in eo quidem initio erat ſemel & iterum, ut ipſe illos inviſeret; ſed cum id præſtare non poſſet, Timotheum, ſuum in euangelio illis prædicando ſocium, ad illos miſerat, ut ſtatum illorum propius inſpiceret, & ad afflictiones illas infracto animo perferendas animaret. A quo deinde ad ſe reverſo, cum nihil illos afflictionibus illis moveri, & in fide erga Deum ac charitate erga ſe invicem permanere cognoviſſet, hinc ſcribendi ad illos occaſionem arripit, a qua præterita eorum in recipiendo euangelio alacritate, qua præſenti in eo firmiter retinendo conſtantia collaudata, ad illos ulterius confirmandos, & uberius in iis quæ maxime illos ſcire intererat, inſtruendos progreditur. (c) Eſt igitur hac epiſtola apoſtolo propoſitum incitare Theſſalonicenſes, primum ad conſtantiam in fide, & perſeverantiam in patientia: deinde ad pietatem Chriſtianis hominibus dignam. Verum prius via quodammodo obliqua præſtatur: neque enim hortationem ad fidei ac patientiæ conſtantiam aperte proponit, ſed velut molles aditus quærens, & ſenſim ſine ſenſu animis illorum irrepere, & quod cupiebat inſinuare volens, ſuum erga eos ſtudium prædicat, iis rebus partim excitatum, partim oſtenſum ac demonſtratum, quarum commemoratio magnam vim habere poterat ad Theſſalonicenſium animos in fide confirmandos, & ad patientiam impellendos. (d) Tum deinde varia pietatis officia præſcribit, inſerens doctrinam de reſurrectione mortuorum; Chriſtique ad judicium adventu; ut huic velut fundamento ſtructura pietatis innixa tanto ſurgeret felicius; cum præſertim appareat inter Theſſalonicenſes non defuiſſe, qui ea de re non ſatis recte eſſent inſtructi, vel potius non ſatis recte ſentirent. (e) Et ad hæc duo ſumma capita, vel (ſi ea quæ de reſurrectione fidelium deque adventu Chriſti ad judicium dicuntur, pro peculiari parte numerare velis) ad hæc tria revocari poteſt tota iſta epiſtola: extra quæ, ut in aliis epiſtolis aſſolet, ponitur *Exordium*, in quo nomen authoris a quo, & eccleſiæ ad quam ſcripta eſt iſta epiſtola, una cum voto ſive ſalutatione, quæ epiſtolis præmitti ſolet, exprimitur, & *Epilogus* ſalutatione ac voto claudens epiſtolam.

(a) Occaſio Epiſtolæ. (b) *Theſſalonicenſium perſequutio. ut aſſequatur, primo eos commendat, ut ſe illis inſinuet. reſurrectione piorum interſerens.* (c) *Scopus confirmatio, & ad pietatem cohortatio. Quæ* (d) *Deinde varia pietatis officia præſcribit, doctrinam de* (e) Partes epiſtolæ.

## CAPUT I.

### *ARGUMENTUM.*

**Poſt exordium epiſtolæ benevolentiam Theſſalonicenſium captat, ſui erga eos amoris, tum effecta, tum cauſas aperiens.* * Partes capitis duæ.

Verſ. 1. PAulus. (a) Nomen eſt autoris epiſtolæ, ſeu ut vulgo vocant, moris noſtri habita ratione, ſubſcriptio.

(a) 1 Exordium Epiſtolæ.

(b) Adjungit autem ſibi *Silvanum & Timotheum*, approbatores eorum quæ ſcriberet, quos magnam apud Theſſalonicenſes authoritatem habuiſſe certum eſt, quia comites fuerant, atque etiamnum erant Pauli, ac laborum quos euangelii propagandi cauſa ſuſcipiebat ſocii, & in ipſis Theſſalonicenſibus ad Chriſtum convertendis, inque iis erudiendis ac confirmandis una cum Paulo, & poſt ipſum, ſedulam collocaverunt operam: ut partim ex Actis, partim ex hac ipſa epiſtola conſtat. Præterquam quod eorum pietas Theſſalo-

(b) *Cur ſibi adjungat Sylvanum & Timotheum.*

nicenſibus ſatis perſpecta, & apoſtoli erga illos affectus ac charitas plane paterna, eos Theſſalonicenſibus vehementer commendare poſſet. (a) Quæ cauſa etiam inter alias eſſe potuit, cur uſitatum ſibi in aliis epiſtolis apoſtoli titulum, hoc loco apponere neglexerit, ne videlicet illis apoſtolorum nomen negare videretur, qui ſi aliis non erant apoſtoli, Theſſalonicenſibus videri poterant, apud quos exiſtimationem eorum, non tantum non minuere, ſed etiam augere cupiebat apoſtolus. (b) Sylvanum vero hunc eundem eſſe, quem Silam Lucas in Actis vocat, oſtenderunt ante nos alii, nomine Hebraico in Romanam terminationem flexo. Ut enim ipſum imperium tunc in orbe potentiſſimum fuit, ita nomina quoque Romana majus aliarum gentium & linguarum nominibus pondus habuiſſe, iiſve illuſtriora fuiſſe credibile eſt.

*Eccleſiæ Theſſalonicenſium.* Id eſt congregationi ſanctorum fidelium, quæ eſt Theſſalonicæ. Inſcriptio, ſeu nomen eorum, ad quos ſcripta epiſtola.

*In Deo patre & domino Jeſu Chriſto.* Vel cujus Deus pater & dominus Jeſus author eſt, ut ἐν ſit poſitum pro ἀπό: vel, quæ Deo, qui pater eſt, & domino, qui Jeſus Chriſtus eſt, conjuncta & conſecrata eſt, quæque non aliam ob cauſam unita & collecta eſt, quam Dei patris dominique Jeſu Chriſti colendi cauſa. Nota autem, cum abſolute Deus vocatur pater, relationem fere haberi ad nos, qui in Chriſtum credimus, niſi aperte ad dominum Jeſum ſuperius nominatum referatur, aut ipſe dominus patrem eum abſolute vocet.

*Gratia vobis & pax.* Id eſt favor, ac benevolentia, & ex ea flueus omnigena felicitas.

*A Deo patre noſtro.* Tanquam cauſa prima.

*Et domino Jeſu Chriſto.* Tanquam media & ſecunda. Eſt ſalutatio ſeu votum, de quo abunde dictum alibi.

Verſ. 2. *Gratias agimus.* (c) Incipit prima epiſtolæ ſeu tractationis præcipuæ, & altera capitis pars, in qua benevolentiam Theſſalonicenſibus ab apoſtolo captari diximus, indicatione ſui erga eos amoris: (d) Cujus hic cum effectum, ex quo quantus eſſet facile cognoſcere poterant, tum cauſas, quæ illum peperiſſent, exprimit. Effectum amoris erga Theſſalonicenſes Paulini, ex quo illius magnitudo facile perſpici poſſet, hoc erat, quod Deo gratias ageret, *ſemper*, id eſt quotieſcunque ad preces privatas præſertim, accederet, vel ſubinde, ac quam ſæpiſſime.

*Pro omnibus vobis.* (e) Id eſt pro integra veſtra eccleſia, non pro certis tantum pietate inter vos eminentoribus, aut aliquam ob cauſam mihi privatim charioribus. Nam ſingulos nominatim recenſuiſſe, nec erat neceſſe, nec forte poſſibile.

*Mentionem veſtri facientes.* Id eſt vos nominatim veſtramque eccleſiam *in precibus* meis commemorans. (f) Apparet autem hinc non ſolum aſſiduitas Pauli in precibus, ſed & pervigil ad Deum, pro iis, quos Chriſto lucrifecerat, interpellatio. Nam in compluribus, ut vidimus, epiſtolis, id de ſeipſo teſtatur 1 Cor. 1. 4. Eph. 1. 16. Philip. 1. 3 &c. Coloſſ. 2. 1, & Rom. 1. 8. Quodſi, ut ex epiſtola ad Coloſſenſes apparet, pro iis etiam orabat & gratias agebat, quos ne viderat quidem, quanto magis excubat pro ſalute eorum, quos ipſe plantaverat?

Verſ. 3. *Indeſinenter memores.* Id eſt nunquam ex animo memoriam ejicientes, ſemperque ante oculos habentes. (g) Deſcendit ad cauſas, quæ hunc affectum in ſe producerent, quas ponit duplices; inſignes videlicet illorum virtutes, & ingens Dei in ipſos collatum beneficium. (h) Ac virtutes quidem (ut ita dicamus cardinales) commemorat tres, etſi cum tertia quartam quoque inſinuet. Quarum prima eſt:

*Memores veſtri operis fidei.* Quæ verba dupliciter explicari poſſunt: vel ita: memores veſtri illius tam præclari operis ac facinoris, quod edidiſtis, cum fidem adhibuiſtis doctrinæ Chriſti, eamque recipiſtis, tanta cum alacritate animi, tanta cum fortitudine, tam intrepide, cum omnes remoras & obſtacula perrumpentes, contemptiſque omnibus periculis, quæ vobis imminebant. fidem in dominum Jeſum complexi eſtis: ut vox *fidei* ſit genitivus ſpeciei. Vel ita: memores *veſtri operis*, id eſt animoſæ illius profeſſionis, ex fide, quam domino dederatis, in corde veſtro ei aſſentientes, proficiſcentis, cum videlicet nihil morati hoſtium euangelii perverſitatem, & ex ea imminens vobis præſentiſſimum diſcrimen, palam vos eſſe Chriſtianos eſtis profeſſi. Ut voce *operis*, profeſſionem fidei primam appellet, quæ operoſa erat, propter circumſtantia undique pericula, religionis Chriſti ſectatoribus; ut ſit genitivus cauſæ. Res eodem redit, ſed prior explicatio videtur eſſe accommodatior.

(k) Altera virtus, *& laboris charitatis*: id eſt, charitatis laborioſæ: vel, laboris illius ex charitate veſtra erga ſanctos proficiſcentis; dum videlicet nulli nec ſumptui nec operæ parcitis, omnique in eo contentione virium elaboratis, quo charitatem veſtram erga ſanctos exerceatis, illorumque uſibus ſerviatis. Genitivus cauſæ. Vox *laboris*, indicat non otioſam aut ſegnem erga proximos Theſſalonicenſium charitatem fuiſſe, ſed efficacem, ſed ardentem, & nihil arduum fratrum cauſa detrectantem. Quod etiam clarius exprimere videtur apoſtolus infra cap. 4 verſ. 9, 10.

(l) Tertia virtus, *& ſuſtinentiæ ſpei*: id eſt & veſtræ in afflictionibus, cum ſumma animi æquitate patientiæ, ac perſeverantiæ, ex immortalis vitæ ſpe, quam animo fovetis, ortæ.

(m) Atque hæc eſt illa quarta virtus, *ſpes* puta immortalitatis firma & inconcuſſa, in Deo ac Chriſto collocata, quæ animos ipſis fecerat, ut (quemadmodum inferius hanc ipſorum virtutem quodammodo explicans ait,) cum gaudio afflictiones illas propter euangelium perferrent & ſuſtinerent. Iterum genitivus cauſæ. *Domini noſtri Jeſu Chriſti*, id eſt ſpei illius, cujus author & conciliator ac veluti fundamentum eſt Dominus Jeſus: unde & *ſpes* noſtra dicitur 1 Tim. 1 verſ. 1.

*Ante Deum & Patrem noſtrum.* (n) Verba iſta vel ita accipi poſſunt, ut referantur ad remotius, vocem videlicet *mentionem facientes* ſeu *memores*, ſitque transpoſitio: vel ut referantur ad propius nominatas virtutes, quas ab illis dicit exeri in conſpectu Dei, id eſt, Deo velut earum arbitro, eaſque inſpectante & approbante, non ſimulate, non ficte, ſed vere & re ipſa.

(a) Cur *apoſtoli* titulum hic non appoſuerit. (b) *Sylvanus* idem qui Silas. (c) *Altera pars capitis.* (d) *Magnitudo amoris Pauli in Theſſalonicenſes.* (e) *Gratias Deo pro iis agendis expreſſa.* (f) *Pauli pro iis quos Chriſto lucrifecerat in precibus aſſiduitas.*

(g) *Ejus cauſæ.* (h) *Primæ virtutes Theſſalonicenſium.* (k) 1 *Fides.* 2 *Charitas eaque laboriosa.* (l) 3 *Patientia.* (m) 4 *Spes immortalitatis firma.* (n) *Chriſtus cur ſpes noſtra dicitur.*

Verſ. 4. *Scientes.* Id eſt ut qui ſciamus. (a) Altera gratiarum actionis pro Theſſalonicenſibus Paulinæ cauſa, & quidem magis propria quam illa ſuperior, collatum videlicet in eos inſigne Dei beneficium; ideoque illam ſine ulla nota quæ aliam eſſe innuat adjungit. Ut illa prior occaſionem tantum gratiarum actioni præbuerit, hæc vero propria ipſius cauſa ſit. Regitur enim vox εἰδότες a ſuperioribus, & refertur ad vocem ηὐχαριστοῦμεν. Quam tamen ita tractat, ut non ſolum quantum in eos Dei beneficium redundarit exprimat, ſed etiam quam dignos ſe illo oſtenderint indicet, atque ita fuſius eorum laudes a quibuſdam ex iis virtutibus ductas perſequitur, quas ſuperius ſtrictim & conciſe attigerat; quaſi diceret. (b) Indeſinentis autem iſtius meæ pro vobis gratiarum Deo actionis cauſa eſt, inſigne illud Dei beneficium, quod in capita veſtra effudit. cum vos è reliquorum hominum cenſu ſegregatos ad ſe pertraheret; veſtraque in eo ſequacitas, & ea probitas animi, qua non indignos tanto munere vos fuiſſe ſatis abunde declaraſtis, & adhuc declaratis.

*Fratres dilecti.* (c) Serviunt hæ voces captandæ benevolentiæ, de quibus alibi: cum quibus alii jungunt ſubſequentia verba, a *Deo*, ut ſenſus ſit, utpote quibus, (fratres a Deo unice dilecti, ſcilicet quos Deus habet chariſſimos:) optime cognitum & exploratum eſt, qualis fuerit electio veſtra. Sic *ſcire electionem* eorum, erit ſcire qualis ſit aut fuerit electio ipſorum. Alii vero, inter quos Beza, verba iſta *a Deo* jungunt cum ſequentibus *electionem veſtram*; ut ſenſus ſit, ut qui ſciamus a Deo profectam eſſe electionem veſtram, ſeu a Deo vos electos eſſe. Vide Act. 16. 10. Priori interpretationi favet locus ſimilis, in 2 ad eoſdem Theſſalonicenſes cap. 2. 13, ubi eſt *fratres dilecti* (ἠγαπημένοι) a domino: favet ipſa vox ἠγαπημένοι, pro qua alias videretur poſiturus fuiſſe vocem ἀγαπητοί; favent & ſequentia. Nam paulo durior eſt illa connexio verborum, ὑπὸ Θεῷ τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν *a Deo electionem veſtram*; Et vox ipſa electionis tacite includit Deum authorem, ita ut ſi conſtet aliquos fuiſſe electos, non ſit neceſſe inſuper docere eorum electionem eſſe a Deo profectam. Adde, quod in ſequentibus non tantum exponuntur ea, quæ docent Deum fuiſſe electionis ipſorum authorem, ſed etiam quam prompte ipſi quoque Deo paruerint, & ſic eligenti Deo fuerint obſequuti: quod longe melius quadrabit, ſi priori modo connectas verba, & ita accipias, quaſi dictum ſit; Scientes, fratres a Deo dilecti, qualiſnam electio veſtra (quæ a Deo eſt) extiterit, videlicet eximia & ſingularis, in qua non obſcura, & divinæ erga vos benignitatis argumenta, veſtræ erga Deum pietatis documenta eluxerint. (d) Jam electionis voce infirmior illa, ut quidem illam vocare ſolemus, intelligitur, quæ revera cum vocatione idem eſt: niſi quod illa innuit ex reliquorum cenſu iſtos (e) qui eliguntur eximi, quod vocatio non inſinuat. Hoc ſenſu electi ſeu vocati ſunt ii, qui doctrinam Chriſti ſunt amplexi, & ad ejus præſcriptum ſeſe componere cogitant. Hoc igitur vult Paulus; ad gratias Deo pro iis aſſidue agendas ſe impelli, partim illo ſingulari Dei opt. Max. in eos beneficio, quod iis euangelium annunciari curarit, eoſque ad ſempiternam vitam invitarit, variiſque modis effecerit, ut oblatam ab ipſo gratiam amplecterentur; partim eximiis quæ tum in illis exſplenduerunt, virtutibus; quod, utrumque in ſequentibus declarabitur.

Verſ. 5. *Quia.* Si Bezæ interpretationem ſequamur, rationem reddit ejus quod verſiculo præcedente dixerat, hoc eſt oſtendit eorum electionem a Deo revera fuiſſe profectam; ſi vero priorem retineamus interpretationem, quam nobis magis diximus probari, illuſtrat tantum dicta, & explicat qualiſnam fuerit illa electio. Idque tum ex (f) parte Dei, tum ex parte ipſorum Theſſalonicenſium. Quibus interſerit quædam ad ipſorum qui Dei in ea miniſtri fuerunt perſonam pertinentia; ut ita omni ex parte dignam eſſe rem oſtendat, pro qua Deo gratias ſemper agat. Ex quo tacite colligi vult apoſtolus, ut ſemel datam Chriſto fidem ſervent ad extremum conſtantiſſime, nec ob ea ullis deinceps afflictionum acerbitatibus dimoveri ſe patiantur. Qui enim conveniret deſerere fidem ad quam divinitus eſſent perducti, & quæ tot a Deo argumentis eſſet comprobata? quam turpe eſſet a virtute ac pietate ſua degenerare, & religionem, quam certiſſimis argumentis convicti, ſumma cum alacritate animique fortitudine receperint, abjicere.

*Euangelium meum.* (Id eſt prædicatio mea euangelii apud vos.

*Non fuit ad vos in ſermone tantum.* Id eſt non conſtitit intra ſola verba, quibus doctrinam Chriſti vobis explicabamus, & ad eam capeſſendam vos hortabamur.

*Sed & in virtute.* 1 Sed ad prædicationem adjunximus etiam ſtupenda miracula, quæ ad ejus veritatem demonſtrandam, Deus per nos inter vos operabatur. Rom. 15. 19 vocat potentiam ſignorum, vide & 1 Cor. 2. 4, 5, & 4. 20. Quanquam in his poſterioribus locis, præter potentiam miraculorum amplius quid intelligi poteſt, videlicet ſapientia cælitus infuſa, & doctrinæ ſoliditas, ac quidam veluti nervi.

*Et in ſpiritu ſancto.* (h) Duplici ratione id accipi poteſt, vel de divino ſpiritu in ipſis apoſtolis, hoc eſt in Paulo & ſociis ejus ſeſe exſerente, tunc cum euangelium Theſſalonicenſibus annunciarent. Solebat enim interdum, ut in Actis non uno in loco legimus (vide Act. cap. 2. tot cap. 4. 2. cap. 5, 6, &c) divinus eos (i) ſpiritus quodammodo invadere, eoſque penitus occupare, ut non ipſi, ſed ſpiritus divinus linguam eorum regeret, & tum ſententias, tum verba illis ſuppeditaret, ac ſimul animos eorum ita accenderet, ut in mediis licet periculis, animi fortitudo, dicendi libertas, & in promulgando euangelio alacritas in iis conſpiceretur; omnibuſque appareret divino quodam eos afflatu duci; vel intelligi poteſt divinus ſpiritus, in ipſos Theſſalonicenſes, per impoſitionem manuum apoſtolicarum effuſus, poſtquam doctrinam Chriſti receperant, vel ſaltem in eorum aliquos qui primi doctrinam Chriſti eſſent amplexi; unde & ipſi credentes fuerunt in fide confirmati, & alii quoque ad eam amplectendam excitati: quaſi dicat, quibus acceſſit & illud viſibile (etſi nec inviſibile excludendum ſit) ſpiritus ſancti in vos collati donum, quod varios eoſque mirabiles & ſtu-

(a) *Gratiarum actionum Pauli pro Theſſalonicenſibus cauſa altera eaque potior.* (b) *Beneficium divinum in illos, cum vocarentur, collatum.* (c) *Vocum* fratres dilecti a Deo *duplex conſtructio.* (d) Electio infirmior. (e) Vocati qui.

(f) *Finis ob quem iſtud beneficium commemorat.* (g) *Quantum autem fuerit, apparuit primo in perſona prædicantium.* (h) Prædicatio Pauli *ſpiritu ſancto* quomodo. (i) *Spiritus ſanctus apoſtolos prædicantes invadebat, & linguam eorum regebat.* (k) *Spiritus ſanctus donum viſibile in primitiva eccleſia fidelibus generatim omnibus dari ſolitum.*

pendos

pendos in vobis pariebat effectus. (a) Scimus enim in primitiva eccleſia dari ſolitum ſpiritus ſanctus donum, generatim omnibus doctrinæ Chriſti aſſentientibus. Unde & author divinus epiſtolæ ad Hebr. cap. 2 ℣ſ. 4 ait, Deum euangelii ſui prædicationem conteſtatum *ſignis & portentis, & varus virtutibus, & ſpiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam volantatem:* de quo etiam 1 Cor. 12 diſſerit apoſtolus.

*Et in πληροφορίᾳ* multa, id eſt *plena perſuaſione*, alii *plena certitudine*, id eſt & in omnibus iis, quæcunque ad euangelii certitudinem omni ex parte oſtendendam faciebant. Ea autem fuerunt, cum illa animoſitas Pauli, ejuſque ſociorum in prædicando euangelio, propter quod paulo ante afflicti fuiſſent Philippis (quod ipſe explicat cap. 2. 2.) tum vero vitæ integritas, de qua eodem cap. 5. 10. Huc autem ipſum reſpexiſſe indicant ſequentia verba, cum ſtatim addit:

*Sicut ſcitis quales fuerimus.* Id eſt, id vero ita eſſe, nec me quicquam hic comminiſci, vel vos ipſi luculentiſſimi nobis teſtes eſſe poteſtis, ut qui ſciatis, quæ quantaque fecerimus, quales nos Deus vobis exhibuerit, & quomodo ipſi quoque nos geſſerimus.

*In vobis.* Id eſt inter vos, *propter vos*, id eſt idque nullam aliam ob cauſam, quam, ut vobis veſtræque ſaluti prodeſſemus, vos videlicet ad amplectendam euangelii doctrinam pertrahendo. Videntur enim hæc verba referri ad totum id quod eodem hoc verſiculo præceſſerat, nempe ad patrationem miraculorum, ad oſtenſionem aut effuſionem ſpiritus ſancti & cætera argumenta quæ per apoſtolum ejuſque comites ac laborum ſocios fuerunt Theſſalonicenſibus exhibita, ut fides doctrinæ Chriſti fieret, & porro ipſi Theſſalonicenſes ad eam recipiendam adducerentur. Nam ſi ad mores tantum & vitam ipſorum apoſtolorum id velis referre, declarabitur tantum proxima hujus verſiculi particula, nimirum & *in certitudine multa*. Sed prius eſt credibilius.

Verſ. 6. *Et nos* id eſt. (b) Sed nec vos tanto Dei beneficio indignos eſſe vos oſtendiſtis, aut id quod veſtrarum erat partium, ulla ex parte neglexiſtis.

Quandoquidem *imitatores noſtri facti eſtis.* (c) mei videlicet, Sylvani, & Timothei, qui vobis euangelium prædicavimus.

*Et domini.* Videlicet Jeſu Chriſti, qui doctrinæ iſtius dux & anteſignanus eſt. Senſim ad illorum commendationem delabitur, illudque paulo fuſius perſequitur, quod initio paulo brevius expreſſerat.

Verſ. 3. (d) Accipe autem id non de imitatione in latiſſimo ſignificatu, reſpectu omnium virtutum & vitæ integritatis in genere, quomodo alibi imitatores eſſe jubemur Chriſti & apoſtolorum 1 Cor. 4. 17. xi. 1. Eph. 5. 1. Philip. 3. 17: ſed in certa tantum virtute: ad quam apoſtolum reſpexiſſe indicant ſubſequentia verba, quibus explicat quanam in re imitatores cum ſui, tum Chriſti facti eſſent.

*Excipientes verbum ſeu ſermonem in tribulatione multa.* Id eſt (e) doctrinam euangelicam (quæ iſtud verbum ſeu ſermo eſt) amplectentes cum multis afflictionibus; quatenus videlicet in præſens periculum ſe conjiciebant, imo ſtatim & perſecutionem patiebantur ob editam profeſſionem ſuam, qua Chriſti religionem ſeſe amplecti, eumque ſe pro domino ſuo agnoſcere teſtabantur. Vide Act. 17. 5 & ſeq. *Tribulationem* autem vocat *multam*, vel ſimpliciter quatenus varia paterentur ob Chriſti nomen, vel (f) πολλῇ voce pro *magna* uſurpata, ut 2 Cor. 3. 12. vii. 4. viii. 8, 22. Epheſ. 2. 4. Philem. ℣ſ. 8 & alibi ſæpe. Cæterum imitatio iſta Chriſti & apoſtolorum non in ipſa receptionis ratione conſiſtit, quaſi perinde atque Theſſalonicenſes Chriſtus etiam aut Paulus recipiens doctrinam, afflictionem aliquam pateretur, ſed in ſola afflictionum pro veritate patientia; quod ſicut olim Chriſtus, apoſtoli autem ad eum uſque diem illas ſuſtinerent, ita & illi. Non contentus autem dixiſſe quod euangelium receperint cum tribulatione, & quidem multa ſeu magna, aſcendit altius.

*Cum gaudio.* (g) Id eſt nihil animo dejecti, propterea quod ſimul atque ad iſtam doctrinam acceſſiſtis, imo ut accederetis, patiendum vobis erat, ſed læti, alacres, & exultantes; Ad Coloſſ. 1. 11 tres veluti gradus iſtius divinæ virtutis conſtituit, tolerantiam, longanimitatem, & denique gaudium. (h) 1. Et ſane quidem magna virtus eſt pati aliquid propter nomen domini, præſertim ſtatim, ſimulatque doctrinam hanc receperis, & necdum ad ejus adyta penitus acceſſeris & penetraveris: 2. major ſi diutius & conſtantius patiaris: 3. maxima, ſi non ſolum id non facias gemens, aut fortunæ ob id tuæ iratus & reluctanter, ſed cum lætitia ac gaudio, felicem etiam te reputans eo nomine.

*Spiritus ſancti.* (i) Id eſt quod gaudium creabatur in vobis & excitabatur a ſpiritu ſancto in cordibus veſtris habitante; quanquam non ſine veſtra opera ac ſtudio. (k) Scintillæ enim eſt ſimilis; quæ ut vim ſuam exerat, & excitatione per flabellum, & materiæ aggeſtione indiget; ſic etiam ille qui Spiritus ſancti ope adjuvari ac corrobari vult, neceſſe eſt aptum ſe huic divino igni præbeat, & ut Paulus ad Timotheum ſcribens loquitur 2 Tim. 1. 6, exſuſcitet donum ac vim in ſe latentem, quæ ita excitata mirabiles effectus in pectore producit, paritque id gaudium, de quo hic Paulus ait.

Verſ. 7. *Ita ut facti ſitis forma ſeu exemplaria omnibus credentibus.* Intendit amplius commendationem fortitudinis & tolerantiæ ipſorum, eamque ab effectu eximio illuſtrat; quaſi dicat, quæ quidem animoſitas & patientia veſtra adeo fuit excellens, eximia, (l) adeoque conſpicua extitit, ut omnes fideles a vobis exempla capiant, voſque ſibi tanquam exemplar quoddam proponant ad quod ipſi ſeſe componere debeant. Quanquanquam ita extendi hæc verba poſſint, ut intelligamus cæteros in Macedonia & Achaia fideles, non tantum poſtquam jam fidem eſſent amplexi, eorum conſtantiam & patientiam ſibi propoſuiſſe imitandam; ſed etiam ad fidem ipſam, propoſito licet periculo, recipiendam, eorum exemplo incitatos fuiſſe, quemadmodum ſequentia videntur indicare.

*In Macedonia.* Cujus caput Theſſalonica.

Et *Achaia.* Quæ contermina Macedoniæ, poteſtque per Synecdochen ſumi pro tota Græcia.

Verſ. 8. *A vobis enim.* (m) Explicat & illuſtrat

(a) *Spiritus ſancti donum viſibile in primitiva eccleſia fidelibus generatim omnibus dari ſolitum.* (b) *Deinde in perſona Theſſalonicenſium.* (c) *Iterum adeos fuſius laudandos delabitur.* (d) Theſſalonicenſes Chriſti & apoſtoli imitatores. (e) *Quod euangelium receperint. 1 cum multis afflictionibus.*

(f) Vox πολλῇ pro *magna.* (g) 2 *Cum alacritate.* (h) Patientiæ propter nomen domini, gradus tres. (i) *Qua proficeſcebatur a ſpiritu ſancto.* (k) *Spiritus ſanctus* ſcintillæ ſimilis. (l) 3 *Adeo ut eſſent credentibus exemplaria.* (m) *Quomodo?*

quomo-

quomodo facti ſint exemplaria omnibus credentibus; quia, inquit, *a vobis perſonuit ſermo Domini*, doctrina nempe Euangelica. Quæ *Domini* dicitur, (*a*) quia a Domino primum in terras allata & promulgata eſt, & ejuſdem juſſu atque ope poſtmodum ab Apoſtolis per orbem fuit divulgata. Id eſt, a vobis diſſeminata eſt fama, & ubique percrebuit, eſſe quandam novam & eximiam doctrinam, quam tanto animi ardore ac robore Theſſalonicenſes, viri ob loci celebritatem non obſcuri, & magni nominis, receperint, nec ab ea ſe ullis periculorum & afflictionum minis & acerbitatibus abſtrahi ſint paſſi. Abillis autem ait ſermonem Domini perſonuiſſe, licet prius Philippis prædicatum eſſet Euangelium, & aſſenſum inveniſſet, quia forte & pauciores iſti fuerant, & non ita conſpicui ut Theſſalonicenſes, quorum ut illuſtri loco poſitorum, exemplum, longe majorem procul dubio ad alios in ſocietatem trahendos vim habere poterat.

*Non ſolum in Macedonia & Achaia*, quæ viciniores ſunt, *ſed & in omni loco*. Puta quo fama nominis veſtri pervenit, eodem etiam rumor de doctrina Euangelica pervenit. Ita univerſalis locutio reſtringenda; niſi hyperbolen ſubeſſe malimus. Credibile autem eſt longe lateque dimanaſſe famam de fide Theſſalonicenſium, & paſſim non ſine admiratione & narratum & auditum fuiſſe, novam eos quandam religionem amplexos fuiſſe. Fuit enim urbs illa non tantum totius Macedoniæ præcipua atque opulentiſſima, ſed ſimul etiam, prout hodieque eſt, emporium celeberrimum, quo ex omnibus terrarum partibus, magnus ſubinde fieret hominum confluxus.

*Fides veſtra quæ ad Deum exiit*. Ad omnium quicunque vos norunt aures, fama de fide veſtra, quam in Deo collocaſtis, aſſenſum videlicet doctrinæ Euangelicæ præbendo, permanavit:

*Ut non ſit neceſſe nobis loqui quicquam*. id eſt, adeo ut non ſit opus a nobis, qui horum omnium oculati teſtes fuimus, quicquam cuiquam tanquam novum & inauditum indicari; ita omnes omnia probe norunt.

verſ. 9. *Ipſi enim*. Proxime dicta confirmat, ut ſimul declaret ea quæ verſ. 5 & 6 ſuperius dixerat. Vocula autem *ipſi*, vel reſpicit credentes, v. 7 nominatos, vel per Syntheſin (ſenſum videlicet non conſtructionem attendendo) refertur ad illa verba *in omni loco*; ut voce *ipſorum* intelligat homines illa loca incolentes; maxime tamen fideles. Quaſi dicat: ipſi enim locorum quæ nominavi incolæ, ad quos rei hujus fama permanavit,

*De nobis annunciant*. Ultro de nobis prædicant, & paſſim narrant.

*Qualem introitum habuerimus ad vos*. Id eſt, qualis noſtra inter vos prædicatio fuerit: quamque non ſolum audacter & animoſe, ſumma animi conſtantia ac robore, doctrinam Euangelii cum ad vos veniſſemus prædicavimus, ſed etiam quibus miraculis eam confirmavimus, & quibus modis vos ad fidem illi præbendam permoverimus. Reſpicit ad ea quæ verſu 5 dixerat. Hæc autem de induſtria interſerit Apoſtolus, ut ad alterum caput tranſeundi occaſionem ſibi faciat, quo omiſſis illis miraculis, quibus non tam ipſe, quam Deus ac Chriſtus doctrinam ſuam inter Theſſalonicenſes comprobabat, commemorat ſuas quoque virtutes, quibus doctrinam ſuam Theſſalonicenſibus plurimum commendaverat. Nam miraculorum, rerumque plane divinitus ad comprobandam Chriſti doctrinam factarum, ſat aperta mentio jam fuerat v. 5. Quid vero ipſemet Apoſtolus una cum laborum ſociis, ex ſua quoque parte ad commendandam ac comprobandam ſuam (quæ Chriſti erat) doctrinam fecerit, leviter tantum atque obſcure fuerat indicatum; exponitur autem clare capitis ſecundi parte prima, ad quam hoc loco aditum ſibi ſtruit. Hujus enim dicti explicandi illuſtrandique cauſa, caput ſecundum annectit: ut hic vinculum dici poſſit contineri, quo caput ſecundum ſuperiori ſermoni annectitur.

*Et quod converſi eſtis ad Deum*. Id eſt, & quam non fuerit noſter ad vos adventus & ſuſceptus inter vos labor, vanus atque irritus, ſed fructum in vobis ingentem pepererit; de quo ſuperius verſ. 6 & ſeq. dixerat: (*a*) hic autem eum velut pugillo includens, totam converſionis rationem, & religionis Chriſtianæ ſummam, aliquot verbis aperit, & quidem ita, ut ipſa hac deſcriptione factum ipſorum inſigniter commendetur, ac porro ipſi ad conſtantiam in re tam præclara excitentur. Quia vero converſio eſt in melius mutatio, & omnis mutatio eſt a termino, ut ajunt, a quo, ad terminum ad quem, utrumque hic exprimit Apoſtolus, & quæ religionis Chriſtianæ natura ſit edocet.

(*b*) Terminum a quo exprimit, dum ait, *ab idolis*. Id eſt, tum ab imaginibus, quæ proprie idola dicuntur, tum ab iis numinibus quibus illæ ponuntur, quorumque quaſi ſignificativæ ſunt; ut non excludantur etiam Dæmones, quatenus (cum illa numina cerebri revera humani figmentum eſſent, nec in rerum natura extarent) pro illis ſeſe ſiſtebant, & in cultum illorum Deorum quos hominibus obtrudebant, ipſi ſuccedebant.

(*c*) Terminum ad quem exprimit, dum ait, *ad Deum*. Illum nempe qui Pater eſt, ut ex ſeqq. intelligitur. (*d*) quem ſtatim deſcribit, duos fines converſiones ad Deum exprimens.

Prior eſt: *Ut ſerviretis Deo vivo & vero*. Id eſt, ut pro eo, quod antea res mortuas, puta imagines, & fictas colebatis, illarum obſequiis penitus addicti, (*e*) nunc vos totos Deo manciparetis, qui & vivus eſt, quo differt proprie ab imaginibus ſenſu omni deſtitutis, & *verus*, id eſt, qui ut revera eſt, ita eſt id quod eſſe dicitur; quo diſtat ab illis fictitiis numinibus, quæ nomine tantum, & non re erant. Unde ſacra ſcriptura ſaxa & ligna coli ab Ethnicis pro diis aſſeverat, quia revera illa quorum ſignificatrices erant imagines, in rerum natura non extabant. Nota autem vocem (*f*) δουλεύειν loco λατρεύειν uſurpari, cum de religioſo cultu loquatur qui Deo competat: qua ratione de Galatis dicitur ἐδουλεύσατε iis qui non eſſent natura Dii.

verſ. 10. *Et expectaretis filium ejus*. Alter finis iſtius converſionis ad Dum, Fides videlicet in Dominum Jeſum, filium Dei vivi & veri: (*g*) quæ eſt religionis Chriſtianæ differentia ſpecifica, qua Chriſtiani a Judæis ut ſuperiori, ab Ethnicis diſtinguuntur. Ponitur autem hic pars pro toto; nempe pro univerſa in Dominum Jeſum fiducia.

*Expectatio ejus adventus*. (*h*) Quæ obtemperationem ſacroſanctis ejus mandatis ex ſe parit. Notum enim eſt ex Euangelica doctrina, eum in finem venturum eſſe Chriſtum, ut unicuique reddat ſecundum opera ejus, & piis quidem tam æternam largiatur,

(a) *Euangelium cur dicitur, domini.*

(a) *Tota converſionis Theſſ. ratio, & Chriſtianæ religionis ſumma.* (b) *Terminus a quo.* (c) *Terminus ad quem.* (d) *Fines converſionis duo.* (e) *Deus cur dicatur vivus, & verus.* (f) δουλεύειν *pro* λατρεύειν. (g) *Chriſtianæ religionis differentia ſpecifica.* (h) *Expectatio adventus Chriſti parit pietatem.*

impios ignis æterni supplicio afficiat. At qui hoc ex animo credit, & expectat, eum necesse est, & pro Domino ac Rege suo Christum agnoscere, & ei penitus confidere, mandatisque ejus obtemperare.

*De cœlis.* Cum videlicet advenit extremo die, vivos mortuosque judicaturus. Significat Christum in cælis nunc degere, ibique regnare.

*Quem suscitavit ex mortuis.* Nempe ille Deus vivus, cujus filius ipse est Christus. Unde intelligitur Christum a Patre suo esse a mortuis suscitatum, quemadmodum & Gal. 5. 1 expresse scribitur. Antequam proprio ipsum nomine insigniat, dupliciter describit, & ut a Patre distinguat, (a) eum filium vocat, & ut certitudinem religionis Christianæ insinuet, cum a Deo resuscitatum ex mortuis esse dicit illum, qui prima ipsius in terris semina jecit. Est enim resuscitatio Christi, cum illis præsertim quæ illam consequuta sunt juncta, ejus quam per Christum in Deo habemus fidei spei que certissimum fundamentum. Tandem eum nominat *Jesum.* Quem iterum describit ab effectu, sed qui causa est cur adventus ejus a Thessalonicensibus expectetur, & ab omnibus fidelibus expectari debeat.

*Liberantem nos ab ira ventura.* Id est, qui nos liberaturus est a pœna peccatorum nostrorum, ob quæ in iram Dei incurreramus. Pœna, inquam, quam in adventu suo irrogaturus est iis, qui ipsi non obedierunt, hoc est, supplicio ignis æternoque interitu. (b) *Iræ* vocem pro *pœna*, causam videlicet pro effectu poni, habes exempla Rom. 1. vers. 18. cap. 2. vers. 9. XIII. 5 & alibi. Jam ἐρόμενον & ἐρχόμενος præsentia pro futuris ponuntur, propter certitudinem, more sacris literis usitato: quanquam id alias quoque in voce ἔρχεσθαι nulla habita ratione certitudinis, sacris literis familiare est. Ex hac autem conversionis Thessalonicensium descriptione patet, quam præclarum hoc ipsorum factum fuerit, quamque felix hæc religionis mutatio extiterit: unde porro consequitur, ipsos in eo quod cœperant debere constanter perseverare, pessimeque facturos ac sibi consulturos si pedem referrent. Etenim quis non videt optime factum, quod ab inanimis idolis, & a falsis fictisque numinibus, ad Deum vivum verumque se converterint, & illis relictis hujus sese cultui atque obsequio penitus addixerint? Quam vero stultum, quamque impium foret, Deo vivo ac vero deserto, ad inania simulachra, ac numina commentitia reverti? Deinde, quis non cernit recte eos amplexos Christum, ejusque sanctissimam religionem, & in eo fiduciam suam collocasse: cum eum & filium Dei esse, & a Deo a mortuis excitatum, & nunc in cælis vivere ac regere, & inde aliquando ad judicium venturum, certis argumentis deprehenderint; præsertim cum tantum ab ipso bonum sint obtenturi, ut aliquando ab ignis supplicio sempiternoque interitu ab eo liberentur. Quanta vero stultitia atque adeo insania foret, eum denuo deserere, & se in eorum numerum recipere, quibus ultimum illud ac maxime horrendum supplicium est irrogaturus?

(a) *Cur hic resuscitationis Christi meminit.* (b) *Ita Dei*, pro pœna.

## CAPUT II.

### ARGUMENTUM

*Hujus capitis tres sunt partes: In prima uberius explicat, & confirmat id, quod superiori capite vers. 5 & 9 breviter de suo ad Thessalonicenses ingressu, & ratione inter ipsos vivendi indicaverat. Docet enim quomodo se inter Thessalonicenses gesserit, quoque animi robore, sinceritate, & denique contentione Euangelium illis prædicarit. In secunda ingenuam illorum in Euangelio recipiendo alacritatem, suæ in docendo fidei diligentiæ egregie respondentem, & quæ cum illa conjuncta erat, afflictionum patientiam, denuo commendat, usque ad vers. 17. In tertia excusat sese, cur ad eos, uti status ipsorum, ac salutis ratio in tam gravibus afflictionibus postulare videbatur, non venerit; idque non defectu voluntatis, aut amoris ac studii erga illos sui, sed ob impedimenta sibi a Sathana objecta, factum fuisse docet.*

Vers. 1. *Ipsi enim scitis.* (c) Indicavimus jam paulo ante, hoc caput cum priore ita connecti, ut quod superioris cap. vers. 5, de sua inter Thessalonicenses conversatione innuerat, hic apertius, & quasi per partes declaret, quæ vero asseruerat vers. 9 confirmet; quasi dicat. (d) Et recte quidem, cum Macedones & Achæi omnes, tum omnes etiam illi ad quos fama hujus rei pervenit, ista commemorant, nec quicquam in ea re fama in majus, ut solet, auxit: sive nostras qui vobis Euangelium prædicavimus, sive vestras, qui illud amplexi estis, personas spectes.

Ac nos quidem quod attinet, *ipsi scitis.* Vestram ipsorum appello memoriam, vos ipsos in testimonium advoco, cum probe noritis *introitum nostrum ad vos.* Id est quomodo nos gesserimus inter vos, toto illo tempore quo apud vos degentes, Euanglium vobis annunciavimus, ab illo usque tempore, quo oppidum vestrum fumus ingressi:

*Quia*, vel *quod non vanus fuit*: scilicet introitus. Id est, quod commoratio nostra inter vos, Euangeliique prædicatio, non fuerit vacua illis argumentis, quæ vobis veritatem doctrinæ, quam prædicabamus, persuadere, & vos ad illam amplectendam pertrahere poterant, ac proinde nec effectu etiam ac eventu optato caruerit. Non fuit, inquam, vanus, sive consideres efficaciam respectu prædicantium, sive successum respectu audientium. Ad prius, ut sequentia verba indicant, potius respexisse videtur, effectum pro causa ponens; sed tamen ita, ut nec ipse effectus, quod ex secunda capitis parte apparebit; excludatur; ut veluti consulto hac voce usus videatur Apostolus, quæ utrique sensui faveat, unius propositionis vinculo, quæ postea in duas veluti partes dispescitur, membra capitis duo connectere volens.

vers. 2. *Sed ante passi.* Probat id, quod antecedenti versiculo asseruerat, non caruisse videlicet prædicationem suam iis argumentis, quæ doctrinæ ipsius

(c) *Nexus capitis hujus cum priori.* (d) *Prima capitis pars ad vers. 14 conversationem inter Thessalonicenses Pauli commendant.* (e) *Ab iis virtutibus, quæ in illo conspectæ certitudinem illius doctrinæ demonstrabant.*

certitu-

certitudinem ob oculos ponere, & Theſſalonicenſes ad eam amplectendam allicere poterant. (a) Quæ quidem argumenta ita producit, ut unum ex alio velut deducens, & alterum in alterius patrocinium advocans, inter ſe devinciat, & rationem quandam ex iis conficiat, dum videlicet ſemper poſterius a priori pendens, novum quid illi adjicit. (b) In fronte autem collocat fortitudinem, & invictum in annunciando Euangelio animi robur, ut quæ longe maximam vim ad eorum mentes expugnandas habuerit; dum ſcilicet viderent Paulum cum ſuis comitibus, nec illis quas Philippis proxime pertulerant afflictionibus fractos, nec inſtantibus Theſſalonicæ periculis deterritos, in prædicando publice Euangelio conſtantiſſime perſeveraſſe. Erat enim evidens argumentum fidei ac ſinceritatis ipſorum in doctrina Chriſti promulganda, & ea illos ſuſpicione apud cordatos liberare facile poterat, quaſi aliquid fingere, aut commenta ſua aliis obtrudere vellent, quemadmodum & ſequentia oſtendunt. Cauſſam enim procreantem iſtius fortitudinis ſubjicit, nempe ſinceritatem ſuam animique candorem, ut ſuo loco apparebit.

*Sed ante paſſi, & contumeliis affecti.* Id eſt, ſed licet & paulo antequam pedem Theſſalonicam intulimus, multa eo ipſo tantum nomine quod Euangelium prædicaſſemus paſſi, multiſque contumeliis affecti adeo eſſemus, ut ipſa tam recentis calamitatis recordatio, nos ab urgendo propoſito deducere facile poſſet.

*Sicut ſcitis Philippis.* Id eſt, quod non eſt neceſſe vobis fuſius referre, cum ipſimet optime ſciatis, quæ nobis contigerint Philippis, ejuſdem regionis urbe. Vide Act. 16. 12 & ſeqq.

*Libertate uſi fuimus.* Id eſt. nihilominus tamen adeo confidenter & intrepide apud vos egimus, ut animum noſtrum ſupra omnia ejuſmodi mala eſſe, omnibus appareret.

*In Deo noſtro.* Id eſt, freti auxilio Dei, cujus ſervi ſumus, cujuſque negotium egimus. Vel, Deo ipſo animum nobis ac robur inſpirante.

*Loqui apud vos Euangelium Dei.* Id eſt, ut prædicaremus vobis Euangelium, cujus cum authorem Deum ipſum eſſe ſciremus, promotorem etiam futurum non dubitabamus.

*In multo certamine.* Licet multos graveſque haberemus adverſarios, cum quibus eſſet decertandum, & ſtatim multa nobis patienda eſſe, ac longe graviora inſtare liquido videremus.

verſ. 3. *Nam exhortatio noſtra.* (c) Expreſſurus cauſſam illius fortitudinis, quæ fuit Fides & Sinceritas in prædicando, primo ejus contraria, quæ illam fortitudinem infringere poterant, removet; quaſi dicat: Non ſolum enim de fundamento, cui hæc doctrina, quam propagari cupiebamus, niteretur, luculentiſſime perſuaſi, ſed nobismetipſis optimè conſcii eramus; ut quorum *exhortatio*, qua videlet vos ad renunciandum idolis & peccatis, (d) doctrinam autem cæleſtem, & quæ illius eſt anima, pietatem, capeſſendam incitabamus.

*Non ex impoſtura.* Scilicet proficiſcebatur, quaſi ſcilicet imponendi ſtudio obtruderemus vobis ea, quæ aliter ſeſe habere ſciremus, aut etiam ipſi conſinxiſſemus. (e) Impoſtura duplex eſt, una, cum quis in fraudem ipſe inductus ab alio, falſum, quod verum eſſe credit, alteri perſuadere nititur. Altera cum quis aliquid a ſe confictum, quodque falſum eſſe optime novit, pro vero alteri obtrudit: & hic proprie imponit, adeoque impoſtor eſt, quod hic a ſe amolitur Apoſtolus. Nam de priore ſuſpicio eſſe vix poterat. Neceſſe enim fuiſſet Paulum multa confinxiſſe, ſi falſa fuiſſent quæ docebat; nimirum ſe a Chriſto tam admirabili ratione fuiſſe converſum, & Euangelium prædicare, ac nominatim ad gentes extraneas ire juſſum. Hoc enim non aliunde accipere poterat, ſed ipſummet confinxiſſe neceſſe fuiſſet, ſi aliter ſe res habuiſſet.

*Neque ex immunditia.* (f) Id eſt, neque proficiſcebatur ex animo ſordibus & ærugine cupiditatis alicujus infecto, avaritiæ puta, & ambitionis; ut explicare videtur ipſe verſ. 5 & 6. Etſi id ad voluptates etiam extendant alii, quarum cupiditas vitioſa, impuritas ſolet appellati. Sed quia de re ſanctiſſima, Euangelii nimirum prædicatione agebat, quæ aliis etiam affectibus vehementer contaminatur ac polluitur, videtur nomen hoc latius extendiſſe.

*Neque in dolo.* *In* pro *cum* id eſt, (g) ſed neque in modo vobiſcum agendi, ulla fraude doloque uſi ſumus. (h) Sinceritatem ſuam & fidem in prædicando Euangelio indicat, quæ tribus his violatur, ſi aut conficta quis pro veris venditet, & hoc impoſturam vocavit: aut vera quidem prædicet, ſed non honeſta aliqua cauſſa, puta bono proximi; ſed propria cupiditate impulſus: aut denique ſi in ipſa verorum prædicatione fucum aliquem adhibeat, & in modo agendi fraudem uſurpet, atque ita honeſtæ prædicationis cauſſæ fuci aliquid admiſceat.

verſ. 4. *Sed ſicut probati ſumus a Deo.* (i) Remotis a prædicatione ſua vitiis candori & ſinceritati contrariis, quandam ipſius ſinceritatis deſcriptionem per oppoſitionem ſubjicit, & quidem ita ut duplex ſimul ſinceritatis illius argumentum afferat. Quorum prius valde conciſe proponit, hujus verſiculi initio. Senſus eſt, quaſi dicat; ſed quem animum ſe in nobis inveniſſe Deus oſtendit, cum nobis exploratis, & receſſibus mentium noſtrarum inſpectis, Euangelii prædicandi munus nobis concredidit (neque enim hominibus callidis & fraudulentis, aut non ſatis candidis, tam ſanctum munus committeret,) eundem etiam ſervamus, & in prædicando Euangelio tum apud vos adhibuimus, tum ad hunc uſq; diem adhibemus. Vel. Quam ſinceritatem in nobis vidit, & concredendo Euangelio ſe reperiſſe oſtendit Deus, eam in prædicando uſurpamus.

*Non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra.* (k) Alterum ſinceritatis illius argumentum: q. d. ita loquimur, ut illos facere par eſt, qui non id agunt ut hominum gratiam acupentur, ſed ut Dei ſibi favorem concilient; hunc enim nos unice quærimus. Novimus autem probe, nobis, ſi Deo velimus placere, & ejus gratia potiri, omnino neceſſe eſſe, ut candide ac ſincere agamus, non aliud verbis aut factis externis ſimulemus, aliud pectore clauſum habeamus; quandoquidem ſcimus Deum, animi etiam noſtri cogitata, intimoſque pectoris noſtri receſſus explorare, atque inſpicere, & ex illis judicium de nobis facere. Hæc ergo cogitatio nos perpetuo impellit ut ſincere ac candide loquamur.

(a) *Quo artificio hic producta.* (b) *Earum prima Fortitudo in prædicando & invictum animi robur.* (c) *Cauſa fortitudinis iſtius, altera Pauli virtus Fides & ſinceritas in prædicando.* (d) *Apparuit enim alienum fuiſſe ab imponendi ſtudio.* (e) *Impoſtura duplex.*

(f) *Et ab omni cupiditatis ærugine* (g) *Denique fraude ac dolo.* (h) *Fides in prædicando triplicitur violatur.* (i) *Quem eum candorem, quem ipſe Deus concredendo Apoſtolat illi ineſſe oſtendit, ſemper uſurpavit.* (k) *Deo placere ſtudendo, non hominum gratiam aucupando.*

verſ. 5. *Neque enim aliquando.* Ex re atque effectu ipſo probat Apoſtolus id quod proximo verſiculo aſſeruerat, nempe candide ac ſincere ſe in Euangelio prædicando fuiſſe verſatum, & iis ſe caruiſſe vitiis quæ verſiculo 3 a ſe removerat, ſinceritati contrariis. Quod ſi ad illud ſolum quod verſiculo præcedente dixerat Apoſtolus, ſe non id agere ut hominibus placeat, comprobandum, hæc verba referre volueris; non multum pugnabimus. Ita autem id probare cenſendus erit, ut removeat a ſe tum modum agendi quo animi hominum pignerantur, tum cauſas propter quas eorum favor captari ſolet. Illud præſtat in his verbis:

*Neque enim aliquando in ſermone adulationis facti fuimus.* Id eſt, (a) neque enim unquam vobis ſupparaſitati, aut eo ſermone ad vos uſi ſumus, qui aſſentationem aliquam redoleret. Sed eadem etiam verba oſtendunt, eum nullo dolo, nulla fraude atque aſtutia, ut verſ. 3 dixerat, fuiſſe uſum:

*Sicut ſcitis.* Id eſt, (b) id quod ita ſe habere, vos ipſi luculentiſſimi nobis teſtes eſſe poteſtis. Meminerant enim nunquam Apoſtolum eos præter meritum laudare, aut ad ipſorum peccata vitiaque connivere ſolitum, ſed ea libere reprehendiſſe, & eos qui meruerant, nullo perſonarum diſcrimine, verbis caſtigaſſe. Rationem ab ipſorummet teſtimonio petitam, ideoque apud ipſos longe firmiſſimam, adjicit. Hoc vero, nempe ut cauſas propter quas favor hominum captari ſolet, removeat, in ſequentibus præſtat. Quod quia duas partes habet, cum favor hominum vel corradendarum opum, vel etiam ambitionis ſtudio colligi ſoleat; utriuſque ſuſpicionem ſeparatim a ſe removet, & eadem opera id probat quod verſu 3 aſſeruerat, hortationem doctrinamque ſuam, non profectam eſſe ex impuritate, ſeu affectu aliquo turpi, & a muneris Apoſtolici ac doctrinæ Euangelicæ ſanctitate abhorrenti.

*Neque in prætextu avaritiæ.* Id eſt, (c) neque verbi divini prædicatione ad noſtra privata incrementa, remque augendam ſumus abuſi, ut ſub ſpecioſo religionis ac ſalutis veſtræ prætextu, avaritiam noſtram expleremus, ſenſimque in animos veſtros irrepentes, nummis vos emungeremus.

*Deus teſtis.* Id eſt, (d) Cujus rei Deum ipſum, qui cordium ſcrutator eſt, teſtem advoco. (e) Avaritiæ ſuſpicionem amolitur juramento, cum adulationis crimen ſolo ipſorum teſtimonio repuliſſet, quia hoc, ut manifeſtius, ab aliis quoque facile deprehendi poteſt, illud vero multas latebras & ſinuoſos anfractus habet. Quare juramento ſe purgat, ne qua in alicujus forte animo ſuſpicio hæreat, utut Apoſtolus non poſſit avaritiæ convinci, non tamen protinus ab ea immunem eſſe.

verſ. 6. *Nec quærens ex hominibus gloriam.* Id eſt, (f) ſed neque etiam gloriam ex eo nobis ullam venabamur. Ne quis forte ita nos avaritiæ crimine liberet, ut tanquam ventoſæ gloriæ ancillariolos, os populi mereri & volitare per ora virum, cupiviſſe inſimulet.

Addit, *Neque a vobis, neque ab aliis.* Id eſt, a nullo penitus; ne quis & hic cavillari poſſet; non reſpexiſſe quidem Apoſtolum ad Theſſalonicenſes, quo nomen ſibi apud illos illuſtre compararet, reſpexiſſe tamen ad alios, a quibus propterea ſummis laudum encomiis celebrari poſſet, quod in ſuam ſententiam Theſſalonicenſes tam celebris urbis incolas pertraxiſſet.

verſ. 7. *Cum poſſemus in pondere eſſe.* Ἐν βάρει εἶναι, (g) Vetus interpres, *oneri eſſe*: quam lectionem retinet & propugnat Beza, ita tamen ut imprudens ad illam quæ nobis veriſimilior videtur, ſenſim delabatur; cum ait ἐν βάρει, huc refero, quod cum ſuo jure uti potuiſſent, ſicut in Epiſtola utraque ad Corinth. Paulus teſtatur, & Eccleſiarum ſumptu vivere, ſuis tamen manibus victum quæſiviſſent, manifeſto ſane argumento, ſe ab omni tum avaritia, tum ambitione maxime eſſe alienos. Atqui id ſine indicatione authoritatis & poteſtatis Apoſtolorum fieri non poterat; id quod vocibus *oneri eſſe* minime innuitur, ut quæ ſolum alicujus in erogandis ſumptibus, ut ita dicam gravamen ob oculos ponant: Rectius itaque ἐν βάρει εἶναι interpretabimur *in pondere eſſe*: quaſi dicat, licet enim poſſemus pro authoritate & poteſtate noſtra vobiſcum agere, & jure noſtro vobis præcipere, ut nos propriis ſumptibus ſuſtentaretis. Ut ita vocula iſta utrique membro verſus antecedentis opponatur, confirmetque id quod ultimo loco gloriam ſe ex hominibus non quæſiviſſe dixerat. Quo illum omnino reſpexiſſe antitheſis ipſa ſequentium indicat.

*Ut Chriſti Apoſtoli.* Id eſt, tanquam ii, qui ſumus legati ejus qui veſter Dominus eſt, eoque ſummo honore digni; digni qui veſtris ſumptibus, ſine ullo noſtro labore ac moleſtia aleremur, ac liberaliter ſuſtentaremur.

verſ. 7. *Sed facti ſumus lenes in medio veſtrum.* (h) In his verbis tertiam ſibi virtutem tribuit, quam Theſſalonicenſibus probarit, nimirum lenitatem ac humanitatem, (i) quæ ſi vera eſt, a modeſtia ſejungi non poteſt, ſed eam quodammodo in ſe includit. Quæ cauſa eſt cur eam opponat iis factis, quæ, ſi vitioſæ ſint, ad arrogantiam aut ambitionem ſpectant. Itaque modeſtiam illis potius, quam manſuetudinem videtur opponere debuiſſe. Sed quia Apoſtolus veluti catenam quandam, ut antea diximus, nectere voluit, maluit virtutem modeſtiæ vicinam, & cum ea arctiſſimo vinculo nexam, factis illis opponere; ut ita non uni virtuti immoraretur, ſed ab alia ad aliam ſubinde tranſiret. Senſus verborum eſt: Sed nullo ſupercilio, nulla verborum acrimonia, & aſperitate, quæ arrogantiæ ſpeciem præbere poſſet, ſumus inter vos uſi, multumque de noſtro jure remittentes, in iis etiam rebus, lenitatem, manſuetudinem, humanitatem noſtram vobis approbare ſtuduimus, in quibus minime vobis obſtricti eramus: ut omnem a nobis ambitionis ſuſpicionem amoliremur, ac manſuetudine potius, comitate, & demiſſione, animos veſtros nobis conciliaremus, quam authoritate premeremus, juriſque noſtri ſtricta uſurpatione, vos a nobis abalienaremus.

*Tanquam ſi nutrix foveat ſuos ipſius filios.* Id eſt, (k) ita comiter, ita blande vobiſcum agentes, atque ſolet mater nutrix cum prole ſua agere, quæ viliſſima ac admodum ſordida miniſteria prolis ſuæ cauſa non dedignatur; nec ſua, ſed ea quæ fœtus ſui ſunt quærit, ſoli ejus fomentationi, & alimentis unice intenta. Illuſtrat quod ſuperius dixerat, a ſimili, & auget menſuram lenitatis ſuæ, ponens eam quæ in matribus erga proprios fœtus conſpicitur. Nutricis enim nomine, non fœmina nutriendo infanti mercede conducta, aut pretio empta, ſed mater infantem alens ſignificari videtur.

(a) *Ut qui nulli Theſſalonicenſium ſupparaſitatus eſt.* (b) *Ipſis etiam teſtibus.* (c) *Nec enim prædicatione ad avaritiam abuſus.* (d) *Deo ipſo teſte.* (e) *Cur Paulus avaritiæ ſuſpicionem juramento a ſe amoliatur,* (f) *Nec gloriam ex ea venabatur a quoquam.*

(g) *Unde nec pro poteſtate ſua victum ab illis exegit.* (h) *Tertia Pauli virtus, lenitas ac humanitas.* (i) *Vera humanitas modeſtiam in ſe includit.* (k) *Paulus cum Theſſalonicenſibus egit ut agere ſolet mater cum prole ſua.*

verſ 8. *Ita cupidi veſtri.ie.* veſtris uſibus & incrementis ita addicti. (a) Quartam his verbis ſibi virtutem adſcribit, Charitatem videlicet erga Theſſalonicenſes ardentem: quæ cauſa quoque fuit illius, qua erga eoſdem uſum ſe fuiſſe verſu præcedenti dixit, lenitatis, ac modeſtæ comitatis. Comprobat autem id quod de ſua erga illos charitate ac ſtudio dixerat, ab effectu, per collationem imparium,

Dum ait, *avebamus tradere vobis non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam noſtras ipſorum animas.* i. e. ut parati eſſemus, non Euangelium ſolum, quod nobis Deus concredidit, quodque ipſius proprie donum & beneficium eſt, vobis tradere, hoc eſt ejus cognitione vos imbuere; ſed noſmetipſos vitamque noſtram vobis emolumentiſque veſtris penitus devovere & conſecrare, ſeu vitæ etiam noſtræ jactura veſtris uſibus, ſalutique veſtræ ſervire.

*Quoniam chari nobis facti eſtis.* i.e. quia eximio in vos amore flagravimus, voſque egregie charos animo noſtro habuimus. Cauſam proxime nominati effectus aperit.

verſ. 9. *Memores enim eſtis.* (b) Cum ea, quæ ultimo loco dixerat, tum etiam notiora, (non enim eſt inſolens Paulo ut unica vocula γὰρ non proxima tantum confirmet, ſed etiam ad ſuperiora reſpiciat,) comprobat ab effectis, laboribus videlicet ſuis: atque ita quintam præcedentibus virtutem annectit, nimirum laborum tolerantiam, & in munere fungendo diligentiam. Quod ipſum rurſus primo ipſorum teſtimonio roborat, dum ait *memores eſtis*: deinde ipſos labores ſuos exprimit, eoſque duplicis generis, ſed utroſque Theſſalonicenſium gratia ſuſceptos. (c) Alii enim manuum erant, alii animi ac linguæ, hoc eſt labores docendi ac prædicandi Euangelii.

Priores ita exprimit, ut eorum ſimul gravitatem oſtendat, dum non contentus una voce *laboris*, addit *& fatigationis*, (d) quod priori ſignificantius eſt: nam poteſt eſſe labor ſine fatigatione ac laſſitudine, (e) deinde & aſſiduitatem, cum ait:

*Nocte enim & die operantes.* Id eſt, ſine intermiſſione; Non quidem quaſi nunquam interjungerent, & a labore requieſcerent, quod erat impoſſibile; ſed quod quicquid ſupereſſet a prædicandi Euangelii labore, ac neceſſaria quiete, viriumque refectione temporis, id totum labori huic impenderent, ut quo ſeipſos ſuſtentarent & victum ſibi proſpicerent.

*Ad non gravandum quemquam veſtrum.* Id eſt ne cuiquam veſtrum moleſti eſſemus, nec a quoquam ſumptum ad vitam ſuſtentandam neceſſarium exigere cogeremur. Cauſam exprimit cur illis laboribus tantopere eſſent intenti; quia, ut mox explicat, gratis Euangelium ipſis prædicare voluerunt. Alterum igitur laboris genus adjicit.

*Prædicavimus in vos Euangelium* εἰς ὑμᾶς vel *vobis.* Per Hebraiſmum, qui Lamed & Beth inter ſe non raro permutat. Beth autem præfixum, pro ratione ac circumſtantia locorum, nunc per ἐν, nunc per εἰς efferunt Græci. vel *apud vos* εἰς pro ἐν poſito, ut ſupra cap. 1. 5. & Hebr. 2. 3. 1. Pet. 1. 25.

verſ. 10. *Vos teſtes, & Deus.* (h) Hucuſque ſpeciales quaſdam ipſorum virtutes recenſuit Apoſtolus, quibus doctrinam ac prædicationem ſuam apud Theſſal. commendarit, & efficacem reddiderit; nunc omnia illa velut in faſciculum colligens, in tota ſua vita & actionibus univerſis nihil ejuſmodi apparuiſſe oſtendit, quod prædicationis, ut ita dicam, luminibus quoquomodo obſtrueret, ejuſque curſum remoraretur, & non potius eam vehementer commendaret, ac curſum ejus promoveret. Idque oſtendit argumento a duplici, ipſorum videlicet, & Dei teſtimonio petito, quaſi dicat: Quid multa? vel in ſumma, ut rem in pauca conferam, nec argumenta plura conquiram; vos ipſos, & ne qua ſuſpicio forte in vobis hæreat, ipſum etiam Deum, qui abditiſſima quæque cernit, teſtem omni exceptione majorem citare poſſum.

Scitis enim vos, novit optime ille cordium ſcrutator Deus, *ut ſancte*, id eſt (i) quam nos geſſerimus religioſe, quam & ſermo noſter, & facta omnia, ſummum cultum & reverentiam divini numinis ſpirarint, palamque noſtra omnia ſtudia & conatus illius honori & gloriæ unice dicatos & conſecratos eſſe teſtata fuerint.

*Et juſte*, id eſt (k) integre, honeſte. Juſtitia enim hæc, qua ſe uſum fuiſſe Apoſtolus indicat, (ut ſæpe alias,) pro integritate, ac honeſtate vitæ in univerſum ſumi videtur. Quanquam nil prohibet, quo minus de juſtitia particulari, ut vocant, ea vox ſumatur: quaſi dicat, omnibus, ſcilicet proximis, ſuum cuique tribuendo, neminem ulla injuria afficiendo, imo unicuique quantum in nobis erat commodando; quanquam hoc poſtremum ad benignitatem potius ſpectat.

*Et inculpate vobis credentibus.* (l) Conſequens hoc eſt priorum. Qui enim ſancte ac juſte vivit, is etiam vivit inculpate. quaſi dicat: nihil prorſus in ſermonibus aut actionibus noſtris apparuit, quod veſtram etiam qui credidiſtis, ac proinde majorem notiam recti & pravi tenetis, nedum extraneorum ullam reprehenſionem merito incurrere poſſet; ſed eam ſemper orbitam preſſimus, ita mores noſtros, ad ejus quam prædicavimus doctrinæ amuſſim exegimus, ut nihil in nobis culpare habentes, exempla a nobis tutiſſime capere poſſetis.

verſ. 11. *Sicut ſcitis.* I.e. Prout & hoc etiam ſcitis. Oſtendit Apoſtolus, ita eos vitæ ipſius teſtes eſſe quemadmodum fideliſſimæ inſtitutionis, & diligentiſſimæ animarum ipſorum curæ.

Quam ita ſibi tribuit, ut effuſum in illos amorem ſtudiumque ſuum, quod uberius verſu 8 declaraverat, repetat, (m) *quo modo unumquenque veſtrum ſicut pater filios ſuos hortantes vos* ſcil. eramus, vel fuimus. Ellipſis verbi ſubſtantivi, vel Hebraiſmus, quo participium ponitur pro verbo, ſeu indicativo. Pronomen autem *vos* redundat: præceſſerat enim *unumquemque veſtrum.* Significat autem his verbis, ſe paternam plane pro ſalute Theſſalonicenſium curam geſſiſſe, & paterno amore, affectu, ac ſollicitudine, eos non tantum generatim omnes nunc monuiſſe, nunc ſolatum fuiſſe, ſed etiam ſingulos cum opus eſſe videret nominatim; & in ipſis monitionibus, verbis quoque uſum eſſe paternum plane affectum ſpirantibus. Effecta autem paterni ſui in illos affectus, ac piæ pro ſalute ipſorum ſollicitudinis, duo exprimere videtur; quanquam eorum alterum duobus verbis deſcribitur, quorum alterum altero eſt ἐμφατικώτερον.

Prius eſt *hortari*, quod poſtea exprimitur ſignificantiori, ac prægnantiori verbo *obteſtari*,

(a) *Quinta virtus Pauli charitas ardens erga Theſſal.* (b) *Quinta virtus Pauli, laborum Tolerantia & in obeundo munere diligentia.* (c) *Labores Pauli in Theſſalon. gratiam.* (d) *Alii manuum quoque graves.* (e) *Et aſſidui.* (f) *Cur ſuſcepti.* (g) *Prædicatio Euangelii.* (h) *Dicta duplici, videl. ipſorum & Dei teſtimonio, comprobat.* (i) *nempe quod ſancte* (k) *Juſte.* (l) *Et inculpate coram credentibus vixerit.* (m) *Paternam pro Theſſalonic. ſollicitudinem exprimens.* (n) 1. *Hortando.* 2 *Obteſtando.*

quod fervorem quendam ac ſtudium Apoſtoli, quod in adhortando adhibuerit, exprimit: ſignificat autem, origine inſpecta, teſtibus adhitis aliquem monere aut rogare: (a) ſed ſumitur ſimpliciter pro graviter hortari, aut enixe rogare.

Poſterius eſt *conſolari*. (b) Cum enim veritatis cauſa affligerentur, etiam conſolandi erant, & hac ipſa ratione ad patientiam ac conſtantiam animandi atque excitandi. Quanquam vox Græca παραμυθούμενοι etiam adhortationem ſignificare ſolet; quo pacto eandem rem tribus vocibus deſcriberet, eo ipſo ſuum in ea re ſtudium ac diligentiam expreſſurus. Et ſane, quia ea vox inter duas alias eſt poſita, adhortandi vim ac ſignificationem quandam habentes, non ſatis congruere videtur, ut eæ, voce aliam ſignificationem habente, dirimantur. Sed tamen, ſi & ſtatum Theſſalonicenſium, quidque ſalus eorum, cum hæc ipſorum eſſet conditio, requiſierit, & quid paternus Apoſtoli erga eos affectus flagitarit, conſideres, (c) *conſolandi* vox ſatis commode interſeritur; præſertim cum ipſa quoque conſolatio monendi vim haberet, ne ob afflictiones deficerent a fide, aut de ejus ſtudio remitterent.

*Ad ambulare vos*. I. e. ut vitam traduceretis (phraſi Hebræis, ut alibi notavimus uſitata,)

*Digne Deo*. (d) Prout dignus eſt Deus; ut ſcil. in honorem ejus vita veſtra cedat, & prout digna eſt iſta vocatio, qua vos vocavit. Utrunque enim conciſa hæc loquendi ratio denotat: ut nimirum & ad Deum ex factis noſtris honor redeat, tanto ejus beneficio dignus, & vita noſtra reſpondeat huic ſtatui ac conditioni noſtræ, ſitque illi felicitati conveniens, ad quam vocatione divina nobis aditus aperitur. Finem anxiæ de illis curæ ſuæ exprimit; qui porro ulteriorem reſpicit, quem ſatis expreſſit deſcriptione Dei propoſito ipſius valde appoſita.

Ea enim rationem exprimit, ob quam illi vitam digne Deo traducere debeant, nempe quia *vocavit vos in ſuum ipſius Regnum & gloriam*. i. e. qui vobis obtulit non rem aliquam levem, aut minime tanta vitæ integritate dignam, (e) ſed id quod ipſius eſt, quodque ſummum apud ipſum eſt; regnum videlicet & gloriam ſuam, quibus participatio illa naturæ divinæ, & vita æterna, cum cœleſtium bonorum affluentia & ſumma gloria conjuncta deſcribitur. Regnum enim pro beatiſſimo habetur ſtatu.

*Gloria* (f) autem glorioſiſſimum ſtatum ac conditionem hic denotat. Quæcunque autem Apoſtolus hucuſque de ſe dixit, eo ſpectant, ut ipſius tum perſonæ, tum doctrinæ ſua conſtet apud Theſſalonicenſes authoritas, nec ullis ii ſe machinis ab eo dimoveri patiantur.

v. 13. *Propter hoc*. (g) Tranſit Apoſtolus ad ſecundam capitis hujus partem, oſtenditque ex Theſſalonicenſium etiam parte non fuiſſe vanum, neque ſucceſſu ſuo caruiſſe, ſuum ad illos introitum, ipſorumque alacritatem in recipienda veritate, fidei, ac diligentiæ ipſius, quam in Euangelio ipſis prædicando adhibuerit, egregie reſpondiſſe. Qua quidem in re ipſorum Theſſalonicenſium inſignis commendatio continetur. Vocula *propter hoc*, ſignificat in præcedentibus cauſam contineri, ob quam gratias Deo agat, licet ea non contentus aliam adjiciat, cum ait:

*Quoniam accipientes* &c. Duas enim ſibi cauſas eſſe indicat, quæ ſe ad gratias agendas impellant, (i) quarum prior in ipſo ſit aut fuerit, poſterior in Theſſalonicenſibus. Quæ quidem poſterior ſimul materia erat atque argumentum gratiarum actionis. Priorem jam explicuit, indefeſſum videlicet & pertinax in iis Deo mancipandis ſtudium. Tanto enim charior unaquæque res nobis eſſe ſolet, tantoque acrius ad gratias Deo pro ea, ſi voto noſtro reſpondet, agendum excitamur, quanto majori nobis impendio conſtat. Poſterior eſt ipſorum in Euangelio alacriter & animoſe amplectendo ingenuitas.

*Et nos*. Vocula &, aut comparandi notat eſt, quaſi dicat: Non ſolum vos, ſed & nos; aut tantum res diverſas connectendi; paritatem veritatis ſuperiorum cum poſterioribus indicans, ut Col. 1. 9.

*Gratias agimus Deo indefinenter*. (k) Scil. pro vobis, de quo ſupra vidimus cap. 1. 3. Laudaturus eos, initio affectum quendam in ſe, cum ex labore circa illos ſuſcepto, tum vero ex illorum virtutibus ortum exprimit, qui & affectus in eos Paulini ingens erat documentum, & ipſi eorum commendationi pondus addebat. Ut enim egregie charos Paulo neceſſe eſt fuiſſe eos, pro quibus ille Deo gratias ageret indefinenter, ita nec vulgares, ſed excellentes eorum virtutes, quibus ad tam jugem gratiarum actionem excitaretur: quaſi dicat, quanto autem acrius vobis Chriſto conſecrandis inſudavi, & quanto majori virium contentione in id connixus ſum, tanto majori perfundor lætitia, tam felicem in vobis ſucceſſum animadvertens, adeo ut ſemper mihi in ore ſitis, quoties Deo meo adgeniculor, gratiaſque pro vobis agam ſine intermiſſione.

*Quoniam acoipientes verbum anditus a nobis*. Verbum *accipientes*, (l) Græce παραλαβόντες, vel nihil aliud hoc loco ſignificat quam edoceri, erudiri, quo pacto *tradere & accipere* ſunt correlata. (vide 1 Cor. 11. 23.) (m) vel ſignificat aſſenſum præbere & amplecti. Neque enim huicpoſteriori interpretationi obſtat, quod ſequitur δεξάμενοι excepiſtis, ſeu recepiſtis, in quo aſſenſus ille continetur. Nam non ſimpliciter ibi dicitur eos recepiſſe ſermonem illum, ſed additur:

*Non ut ſermonem hominum, ſed Dei*. Quaſi dicat, cum doctrinam illam amplexi fuiſtis, & aſſenſum ei præbuiſtis, non amplexi fuiſtis ut hominum inventum, ſed ut doctrinam divinitus profectam.

*Verbum* vel *ſermonem auditus*, (n) vocat doctrinam, quam ex ore loquentis Pauli auribus ſuis hauſiſſent. *Dei* i. e. quod verbum ſeu ſermo eſt Dei, hunc authorem habet. *Excepiſtis non (ut) verbum hominum*. i. e. non ita illud recepiſtis atque ſolent recipi humana inventa & commenta, ſeu non quaſi humanum aliquid, ac ideo minus curandum, eſtis amplexi. In Græco deeſt particula ὡς, (o) (ut 2. Pet. 3. 4. Pſal. 11. 1. xiv. 4. xxii. 14. lxviii. 18. Oſeæ 7. 5.)

*Sed ſicut vere eſt verbum* Dei. i. e. Sed tanquam verbum Dei, quemadmodum etiam revera verbum Dei eſt. (p) Receperant autem doctrinam Euangelicam

(a) *Obteſtari proprie quid ſit.* (b) *Conſolando.* (c) *Conſolatio monendi vim habet.* (d) *Ut digne Deo ambularent.* (e) *Propter ſummum illius in ipſos beneficium.* (f) *Obtinet enim eis regnum.* (g) *Et gloriam.* (h) *Altera capitis pars, qua Theſſalonic. in recipienda Euangelii doctrina alacritatem Pauli laboribus reſpondiſſe docetur.*

(i) *Nexus ejus cum parte prima.* (k) *Quæ tanta fuit, ut gratias Deo Paulus ageret pro illis.* (l) *Accipere pro edoceri.* (m) *Receperant quippe Euangelium, non ut ſermonem hominum.* (n) *Verbum auditus.* (o) *Exempla ubi deeſt particula, ὡς* (p) *Sed tanquam verbum Dei.*

ut

ut divinam, quia, ut in ſeqq. dicetur, ab ea recipienda nullis periculis, (a) nullis afflictionibus paſſi ſunt ſe abſterreri; ſed omnia alacri animo doctinæ illius cauſa ſuſtinenda ſibi judicarunt, ac re ipſa etiam ſuſtinuerunt; ut verſiculo ſequenti declarabitur: Hoc enim nequaquam feciſſent, niſi doctrinam illam divinitus profectam fuiſſe judicaſſent. Nam cur, ſi hominum inventa eſſe putaſſent, in tantum diſcrimen tantaſque anguſtias ſe conjeciſſent. Illud ergo dum fecerunt, ſermonem illum ut divinum ſeſe amplecti clariſſime ſunt teſtati. Illorum autem ſive factum, ſive de doctrina hac judicium, comprobat, dum ſubjicit.

*Qui & operatur in vobis.* Pronomen relativum *qui*, vel *ad ſermonem*, vel ad *Deum* proxime nominatum referri poteſt. Si ad ſermonem Dei referatur, effectus ex illa, tanta eum alacritate, fortitudine, ac patientia, verbi divini receptione proficiſcens exprimetur; ut ex ſuavitate fructus facti eorum præſtantia tanto magis eluceſcat, quaſi dicat: Cujus quidem facti veſtri rationem vel ex ipſo effectu animadvertere poteſtis, quem in vobis operatur verbum Dei, nempe virtutibus iis, quæ in vobis poſt agnitam veritatem reſplenduerunt, & ad hanc uſque diem conſpiciuntur. Niſi malis ſtatuere, Apoſtolum ex effectu probare, eos doctrinam ſuam non ut humanam, ſed ut divinam recepiſſe, quia uberrimos in iis pietatis ac virtutis fructus proferat; quos non proferret, ſi eam non ut divinum, ſed ut humanum quoddam inventum recepiſſent. Sed haud ſcio, an ſatius ſit de ipſo Deo, cujus proxime fuerat facta mentio, id accipere, ut ex hoc effectu, Deum revera ſermonis illius authorem eſſe, intelligatur. Duo enim in proximis verbis aſſeruerat Apoſtolus. Primum eſt, Theſſalonicenſes doctrinam a ſe prædicatam, ut divinam recepiſſe. Alterum eam doctrinam revera etiam divinam eſſe; quod poſterius pertinet ad approbationem prioris, ſeu ad oſtendendum Theſſalonicenſes minime falſos, aut judicio lapſos fuiſſe, cum doctrinam illam divinam eſſe judicarunt, & ut talem receperunt. Hoc igitur poſterius, tanquam acceſſorium, breviter ac veluti in tranſitu comprobat, Deum, cujus ille ſermo vel doctrina ſit, ab effectu deſcribens; quaſi dicat, qui Deus variis Spiritus ſui donis, quibus vos copioſe donavit, & quorum vis ſeſe in vobis aſſidue exerit, ſe iſtius, quam recepiſtis, doctrinæ authorem eſſe, luculentiſſime vobis oſtendit & demonſtrat. Prius autem, quod principale hoc loco eſt, fuſius demonſtrat in ſequentibus, ubi ex afflictionibus, quas doctrinæ illius cauſa pertulerant, eam illos ut divinam recepiſſe demonſtrat.

v. 14. *Vos enim imitatores facti eſtis.* (c) Rationem, ut diximus, ejus quod de Theſſalonicenſibus aſſeruerat, affert ab effectu, quem illuſtrat a ſimili. Supra cap. 1. 2. 6 eos cum Chriſto, & ſecum contulerat, ipſos imitatores ſui, & Chriſti fuiſſe aſſerens; nunc eos cum Eccleſiis in Judæa exiſtentibus confert, ejuſdem patientiæ, & afflictionum tolerantiæ nomine.

(d) *Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu.* i. e. quæ ad Chriſtum Jeſum pertinent, eique addictæ & conſecratæ ſunt, ut cap. 1, ad diſtinctionem Synagoge Judaicæ, quæ Dei etiam Eccleſia ſuo tempore fuit, ſed non Chriſti; quaſi dicat, illarum Eccleſiarum, quæ ita illi Deo vero adhærent, eumque venerantur, ut ſimul Filium ejus Dominum Jeſum agnoſcant, in eum credant, cumque colant.

*Quia eadem paſſi eſtis.* (e) Eadem, ſive genere, ſive ſpecie: id eſt, illis ſimilia; ſive etiam prorſus talia.

*A propriis contribulibus.* i. e ab ejuſdem ſive linguæ, ſive nationis hominibus.

*Sicut & ipſi a Judæis.* (f) Nempe infidelibus, qui interdum nominatim Judæi appellantur, ad diſtinctionem Chriſti diſcipulorum, quod apud D. Johannem eſt frequens. Vide etiam 1 Cor. 1. 22, 23, 24. x. 32.

v. 15. *Qui & Dominum.* (g) Quia mirari poterant Theſſalonicenſes, qui fieret, ut Judæi, qui Dei & legis ipſius notitiam haberent, eo improbitatis progrederentur, ut homines Chriſtianos, quorum religio nil niſi meram ſpiret pietatem, perſequerentur; alia adhuc addit majora iſti, quod commemorarat, eorum facto cæteroqui ſimilia, quæ admirationem illam quodammodo tollunt, & minime mirandum eſſe docent, Judæos eo impietatis ac crudelitatis progreſſos, ut Chriſti diſcipulos perſequantur, cum majora etiam fuerint auſi.

Nam, inquit, *& Dominum* ipſum, (h) nempe Jeſum, ipſum Chriſtianorum Regem ac magiſtrum, Dominum illum gloriæ, principemque ſalutis *occiderunt*; quid mirum igitur ſi membra etiam ſervoſque ejus perſequantur? Ac ne quis cogitaret, hoc ab iis forte ideo factum, quia fraudem aliquam ac dolum, in ipſo ejuſque doctrina deprehendiſſent.

Addit Apoſtolus, *& proprios Prophetas*, (i) quos ipſi pro legatis Dei agnoſcunt, quorumque memoriam venerantur, & monumenta iis extruunt, ſcripta exoſculantur, & pro divinis habent. (k) Quod auget improbitatem eorum, cum nullam hic excuſationem ſceleri ſuo prætexere poſſint. Intelligenda autem hæc ſunt non de iiſdem perſonis ſeu individuis, ſed de eodem genere ſeu populo. Neque enim iidem Judæi, ſeu eædem plane perſonæ fuerunt, quæ Chriſtum, & quæ Prophetas occiderunt: ſed idem hominum genus, ſeu ejuſdem gentis homines. Similes loquendi modi non raro in Sacris litteris occurrunt. Et huic quidem plane geminus extat in verbis Chriſti Matth. 23. 34. Vide Joh. 6. 32. Act. 3. 22. ex Deut. 18. 1 Cor. 15. 52, & infra hac eadem Epiſtola ad Theſſalonicenſes cap. 4. 17. Plura exempla vide apud Soci: contra Palæologum, cum diſputat de verbo *Audiſtis* cap. 5 Matthæi aliquoties repetito.

*Et nos perſequentibus.* i. e. quin & nos, legatos Chriſti, licet tot ſignorum miraculorumque teſtimoniis conſpicuos, oderunt & perſequuntur.

Amplius, & (l) *Deo non placent.* i. e. imo nec Deum quidem ipſum curant, neque quomodo ejus gratiam promereantur elaborant. Non de eo enim videtur loqui, quommodo erga ipſos affectus ſit Deus, ſed quomodo illi erga ipſum ſint animati, ut & antecedentia, & conſequentia oſtendunt, in quibus non quid Judæis fiat, ſed quid ii faciant exprimitur.

*Et omnibus hominibus adverſantur.* (m) i. e. & omnium

(a) *Quomodo id intelligendum.* (b) *Quod judicium illorum Deus ſpiritu ſuo illis infuſo approbavit.* (c) *Illi vero patientia ſua manifeſtarunt.* (d) *Judaicarum in eo Eccleſiarum imitatores.*

(e) *Eadem videlicet a ſuis paſſi.* (f) *Quæ ille a Judæis incredulis.* (g) *Quos talia patrare non mirum.* (h) *Quia & ipſum Chriſtum.* (i) *Imo proprios etiam Prophetas occiderunt, licet ſcripta eorum exoſculentur.* (k) Scriptura ſolet individuis & perſonis attribuere, quod eidem generi ſeu populo competit. (l) *Et Apoſtolos perſequebantur.* (m) *Denique nec Deum curant.*

mnium hominum in ſe odium provocant, non ſtudiis & amicitia, ſed inimicitiis & ſimultatibus cum illis certantes, & odioſis factis eos irritantes, ac adverſus ſe concitantes, quaſi dicat: Et ut tem in pauca conferam; nec Domini favorem ambiunt, & homninum ſtudia factis ſuis prorſus à ſe abalienant. Tales igitur cum ſint, taliaque cùm non in Dominum ſolùm, noſque ipſius legatos, ſed in ſuoſmet etiam prophetas deſignarint; quid mirum ſi improbitatis ſuæ virus in alios Chriſti ſectatores evomant.

verſ. 16. *Prohibentes nos gentibus loqui ut ſerventur.* Id eſt, (*a*) qui ægerrimè id ferunt, neque patiuntur nos gentibus extraneis id annuciare, quo patefiat illis aditus ad ſalutem, atque illos hortari, ut amplectantur iſtam doctrinam, cujus vi atque ope ſalutem poſtea, ſi ipſi conſtanter abhæſerint, conſequantur. Ab effectu ſpeciali, & valde quidem inſigni oſtendit quod aſſeruerat, illos adverſari omnibus hominibus, de quo vide Act: cap 13. 45, 50. XIV. 4. & d. & verſ. 19. cap: 19. verſ. 19. cap: 22. verſ. 21, 22, & nominatim etiam cap: 17. verſ. 4, 5. & d. ubi quid in ipſæ Theſſalonicenſium urbe contigerit narratur. In vocibus iſtis *ut ſerventur*, eſt metonymia effĉti, pro, loqui ut amplectantur doctrinam, per quam poſtea ſerventur.

*Ad implendum ſua peccata ſemper.* (*b*) Id eſt, ut adimpleant, quemadmodum ſolent, menſuram peccatorum ſuorum; ne quid illis de ſumma improbitatis ſuæ deſit. Verba hæc non finem denotant quem ipſi haberent ſibi propoſitum, (*c*) ſed effectum qui ſponte ex illorum improbitate conſequeretur, licet illi id minimè cogitarent. Similis loquendi modus notatur ab interpretibus Gen: 15. 16: *Nondum completæ ſunt iniquitates Amorrheorum*, & Matth: 23. 32, *& vos implete menſuram* (intellige impietatis, aut crudelitatis) *patrum veſtrorum*. quaſi dicat: id quod adhuc deeſt patrum impietati aut crudelitati, ut in ſupplicium erumpat, addite, ut ita in vos impietatis illius pœna effundatur, nec differatur amplius rebus jam maturis.

*Prævenit autem ſuper illos ira in finem.* (*d*) Id eſt, ſed non ſinet hanc tantam eorum improbitatem impunitam Deus: quia imminet illis, imò jam illos occupavit indignatio Dei, quæ ſuper illos manſura eſt.

*In finem.* Id eſt, (*e*) indeſinenter perpetuò, ut Lucæ 18. 5. Reſpondet id Hebræo *Lanetſach*, ut eſt ab interprætibus quibuſdam notatum. Id enim verti ſolet à Græcis εἰς τέλος. vide Pſalm: 13. 1. XLIV. 23: XXIV. 1. Vide & Syr. 10. 15, & ibidem Druſium. Adjicit hæc verba, ne impunè laturos hanc ſuam malitiam Judæos arbitrarentur; ut ita omnem hac de re ſiniſteriùs cogitandi, & exinde vel de providentia divina, vel de veritate doctrinæ Chriſti, quam Judæi tamdiu impunè infeſtent, dubitandi, anſam præcidat; quemadmodum & 2. Theſſ: 1. 6 *Juſtum eſſe apud Deum* ait *retribuere tribulantibus eos tribulrtionem* &c.

v. 17 *Nos autem fratres.* (*f*) Tertia capitis pars, in qua ſuum erga eos ſtudium declarat, (*g*) ex ardentiſſimo ipſos videndi deſiderio. Quod primò exprimit, deinde cur illud ad exitum non perduxerit, aperit: & denique cauſam ipſius explicat. (*h*) Ad deſiderii autem iſtius mentionem per prolepſin & occupationem quandam deſcendere videtur. Nam quia poterant ipſi objicere: Tu verò interea quid cogitaſti; forte de (*i*) nobis ſecurus fuiſti, nec te quicquam tanta anguſtia noſtra afficiebat, aut quiquam animo ob tuum à nobis diſceſſum commovebare? Me verò, inquit Paulus, maximoperè id afficiebat, & vehementiſſimè hæc diſtracti noſtri angebat.

*Nos autem fratres.* Quaſi dicat, & his quidem veſter fuit ſtatus.

Nos autem *poſtquam orbati fuimus vobis.* Hoc eſt ſeparati ac diſjuncti à vobis, atque ita non ſecus ac parentes diſtracti, liberis, aut iis privati, orbi quodammodo facti. Verbo illo *orbati* ſignificat (*k*) quam moleſta ſibi ſit ac fuerit hæc à Theſſalonicenſibus diſtractio, & perinde eà ſe affici indicat, ac parentes ſolent liberis orbati: quod ipſum argumento illis eſſe poterat, quantoperè ab ipſo diligerentur, quové loco apud ipſum eſſent, nempè liberorum chariſſimorum loco. *Ad tempus horæ.* Id eſt, ad tempus breve: quaſi dicat; paulò poſt quàm à vobis diſceſſimus, cùm per exiguum tempus veſtro conſpectu caruiſſemus. Facit hoc ad exaggerandum Apoſtoli erga Theſſalonicenſes amorem. Significat enim, non tum demum, cùm jam diu ab illis abfuiſſet, illorum reviſendorum deſiderium ſubiiſſe, & ut ad eos redire poſſet ſe laboraſſe; ſed paulò poſtquàm ab illis diſceſſiſſet. Valdè charos Paulo fuiſſe eos apparet, quorum videndorum deſiderium tam citò illum invaſerit, & ut re ipſa ad eos redire cogitaret effecerit. Nam quæ non ita chara ſunt, eorum abſentiam diutiùs ferre poſſumus, eorumque reviſendorum deſiderium lentè ac tardè ſolet ſubire.

*Aſpectu* ſeu *facie, non corde.* (*l*) Et hoc Pauli erga Theſſalonicenſes affectum illuſtrat ac commendat: limitat enim id quod dixerat, ſe illis fuiſſe orbatum, & oſtendit corpore quidem ſe ab illis ſejunctum fuiſſe, ſed non animo, quaſi dicat; Et orbati quidem ſumus vobis aſpectu tantùm, quia nimirum ora veſtra contueri non licuit, at non animo ac cogitatione. Animo enim vobis ſemper adfui, & vos mihi; ſemper vos pectore circumtuli, atque adhuc circumfero. Perpetuò enim de vobis cogitavi, & de vobis ſollicitus fui. Continetur in his verbis cauſa ſeqq: hoc eſt deſiderii ac ſtudii Paulini, Theſſalonicenſes reviſendi, cum quadam prolepſi. Poterant enim cogitare, Paulum poſtquam corpore diſceſſiſſet, animo etiam diſceſſiſſe, & ſui memoriam depoſuiſſe. (*m*) Reſpondet igitur, non ideò animo excidiſtis, quia ab oculis fuiſtis amoti, neque cum conſpectu veſtro veſtri etiam memoriam depoſui, ut ab illis fit, in quorum animis affectus amoris nondum altas egit radices: ſed abſens etiam veſtri perpetuò fui memor.

*Abundantiùs ſtuduimus faciem veſtram videre.* Quaſi dicat, tantum abeſt, ut diſceſſus ille meus atque à vobis ſeparatio affectum erga vos meum vel extinxerit, vel minuerit, ut etiam auxerit. Tantò enim magis fui accenſus ut vos reviſere cogitarem, & re ipſa conarer.

*In multo deſiderio.* Id eſt, magno cum deſiderio, ſeu magno deſiderio inflammatus atque impulſus: quaſi dicat, tantò majori cupiditate flagravi veſtri videndi,

(a) *Unde nec Euangelium gentibus anunciari patiuntur ſalutem ipſis invidentes.* (b) *Ut menſuram ſuæ improbitatis impleant.* (c) *Implere peccata quid?* (d) *Sed non ferent iſta impunè.* (e) *Voces in finem* quid ſignificent (f) *Tertia capitis pars.* (g) *Ardentiſſimum eos inviſendi ſtudium, & cauſam cur adexitum non fuerit perductum aperiens.* (h) *Nexus cum ſuperioribus.*

(k) *Simulae enim ab iis abiit, ita ſe affici ſenſit atque parentes cum liberis orbantur.* (l) *Et aſpectu ab illis ſejunctus, animo præſens illis fuit.* (m) *Unde tantò majori inviſendorum eorum ſtudio flagravit.*

ac porro operam tanto majorem dedi, ut ad vos redire poſſem.

v. 18. *Quapropter voluimus venire ad vos.* (a) Exprimitur hic effectus illius deſiderii, cujus proxime facta fuerat mentio, cum objectionis occupatione. Effectus eſt voluntas, hoc eſt conſilium ac conatus ad Theſſalonicenſes eundi.

Quem magis illuſtrat Apoſtolus, dum de ſe nominatim ait, ſe *ſemel atque iterum*, hoc eſt, aliquoties id voluiſſe, conatumve eſſe. Id quod affectum Pauli erga Theſſalonicenſes eximium arguit. Sed quia dicere poterant Theſſalonicenſes: Cur ergo non veniſti? Si redire ad nos ſerio voluiſſes, conatuſve eſſes, etiam rediiſſes. Reſpondet Paulus, non voluntatis defectu id factum, ſed quia venire ob impedimenta ſibi a Sathana objecta non potuerit.

Ait enim, (b) *& impedivit nos Sathanas. Et*, pro *ſed* ut alibi ſæpe. (c) Impedivit autem Sathanas, vel quia pericula objecit varia, inter quæ procul dubio fuit & illud Berrheæ a Judæis Theſſalonicenſibus ipſi creatum, quod niſi interveniſſet, potuiſſet ad Theſſalonicenſes cum in propinqua eſſet urbe, facile redire; vel quia alibi faceſſivit Paulo negotium, excitando homines improbos, cum quibus depugnandum eſſet Paulo, ne forte fideles quos alibi collegerat ſeducerent aut corrumperent. Quare quoties Paulum in eo eſſe videbat ut Theſſalonicenſes reviſeret, eoſque in fide confirmaret, animaretque, toties ei remoram aliquam injecit, & conatum ejus impedivit. Deus autem talia non ſemper impedit, (qui & Sathanæ, & hominum improbitati locum relictum eſſe voluit, nec vim illis penitus inferre decrevit,) & fidei, patientiæ, conſtantiæ piorum, hac ratione exercendæ, campum relinquit aut aperit.

verſ. 19. *Quæ eſt enim noſtra ſpes aut gaudium.* (d) Cauſum adfert impulſivam illius ſuæ voluntatis, hoc eſt conſilii ac conatus ad Theſſalonicenſes redeundi, & hac ratione proxime dicta confirmat, ac pluſquam verſimile facit, non voluntatis, ſed facultatis atque opportunitatis, defectu factum eſſe, quod ad illos non venerit.

(e) Cauſa autem hæc eſt, quia illi ſint ipſius *ſpes, gaudium, ac corona gloriationis.* Dicuntur autem hæc per Metonymiam effecti de Theſſalonicenſibus, ultimum ſimul etiam per Metaphoram.

*Spes.* Id eſt, ii ob quos præmium laborum meorum, quos in prædicando Euangelio exantlo, à Domino Jeſu ſperare merito poſſum, atque adeo ſpero. Cur enim non ſperaret a Domino præmium, quod tot homines, tam probos, quorum in fide amplectenda tanta extitiſſet alacritas, fortitudo, patientia, ipſe lucri fecerit, eumque in finem tanta ſuſtinuerit certamina, tam gravia adierit pericula, tot labores ſuſceperit, tot devorarit moleſtias.

(f) *Gaudium.* Id eſt, ii qui mihi gaudium adfertis, quorum fides, pietas, patientia, ac conſtantia, ſummam mihi ſubinde adfert lætitiam. Vide infra cap. 3 verſ. 7, 9. Quanquam etiam eatenus gaudium ipſius cenſeri poterant, quia gaudio ipſi olim eſſent futuri in Domini adventu, ſiquidem propter eos præmio eſſet a Domino donandus, ut modo diximus.

(a) *Et in eo, ut illos reviſeret, aliquoties erat.* (b) *Sed impedivit Sathanas.* (c) *quomodo.* (d) *Nec immerito id tentavit.* (e) *Erant enim Theſſalonicenſes Pauli ſpes.* (f) *Et gaudium.*

(h) *Corona gloriationis.* Id eſt, in cauſa eritis ut coroner a Chriſto, & præmium tam amplum conſequar, ut de eo maximopere gloriari poſſim: vel laudi mihi, honori, & gloriæ, & nunc eſtis, & olim eſtis futuri; adeo ut non ſecus de vobis gloriari poſſim quam victor de corona ſolet, imo multo magis, majorique jure, quam quiſquam de corona. Alludit ad præmia victorum, quibus corona ſeu ſertum dabatur; quæ res magno illis honori erat, non exiguam illis gloriandi materiem videbatur præbere. Non ſimpliciter autem affirmat Apoſtolus Theſſalonicenſes eſſe ſuam ſpem, gaudium, coronam gloriationis; ſed ait, *Nonne & vos*, ne alios fideles, Theſſalonicenſibus ſimiles, quos itidem lucratus eſſet Domino, excludere videretur; ideo ait: *Et* ſeu *etiam vos:* quaſi dicat; vos quoque inter cæteros. Quanquam ſequenti verſiculo id ſimpliciter aſſerit non; quod excludi velit cæteros, & ſolos Theſſalonicenſes eo loco habeat; ſed ſimpliciter, quod tales eos eſſe cenſeat, vel inter primos eſſe exiſtimet.

Deinde addit eodem verſiculo 19. (i) *Ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, ſeu *in conſpectu Domini noſtri Jeſu Chriſti eſtis, in adventu ejus.* Quaſi dicat; non apud homines tantum mihi eſtis honori ac laudi, ac porro gaudii materiam mihi præbetis, ſed etiam apud ipſum Dominum Jeſum: idque non tantum nunc, ſed etiam, idque inprimis, cum veniet judicatum vivos & mortuos, unicuique daturus ſecundum ipſius opera. Tunc, inquam, laudi mihi eritis, cum propter vos corona illa gloriæ, hoc eſt, immortalis vitæ, ſingulariſque dignitatis præmio, donabor; tunc materiam gaudii ampliſſimam mihi præbebitis. Itaque tacita quædam hic eſt amplificatio rei, a comparatis imparibus. Magnum putatur laudem habere apud homines, ſed longe ſine ulla comparatione majus eſt, laudem ac gloriam conſequi apud Chriſtum, cœleſtem Regem, atque adeo apud ipſum Deum, & quidem tum cum decretorius ille dies veniet, quo præmia cuique pro factis digna perſolventur, cum ſummæ Regis illius majeſtas apparebit, cum tam illuſtris eſt futura ſpectatorum corona, cum preſentes aderunt univerſæ legiones Angelorum & piorum hominum tot myriades. Ex quo etiam liquet, quam charos neceſſe fuerit eſſe Apoſtolo Theſſalonicenſes, ac porro quam credibile fuerit, magno eum ipſorum videndorum deſiderio flagraſſe, & ad eos redire non ſemel conſtituiſſe, nec denique a conſilio deſtiturum fuiſſe, niſi fuiſſet impeditus.

verſ. 20. *Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.* Vim præcedentis interrogationis exprimit, atque ita eandem ſententiam cum aſſeveratione repetit. Senſus verborum ex prædentibus patet, quaſi dicat: Ita loquor, quia vos vel inter primos eſtis, qui mihi & ſunt, & olim futuri ſunt honori, apud Dominum Jeſum, in ipſius adventu, ac proinde inſignem mihi voluptatem ac lætitiam & nunc pariunt, & porro etiam parituri ſunt. In hac autem commendatione Theſſalonicenſium, latet argumentum valde efficax, ad permovendos eorum animos, ut quemadmodum cœperant, pergant in Chriſtiana religione profitenda ac tuenda, neu ſpem Apoſtoli fallant, & qui gaudio ac honori hucuſque

(h) *Corona gloriationis.* (i) *Coram Domino Jeſu, idque ultimo die.*

fuerant, & porro futuri videbantur, dolorem ipsi, pedem referentes, afferant, remque eo deducant, ut eorum pudere ipsum sit necesse.

## CAPUT III.

### ARGUMENTUM.

*Pergit in sui erga Thessalonicenses studii testificatione. Nam primum refert Timotheum à se missum, ut eos viseret, & quid illis fieret cognosceret. Deinde summa se affectum lætitia, cum Timotheus de eorum in fide constantia & amore erga Paulum, nuncium referret, tantoque majori se videndorum illorum desiderio accensum. Denique votum adjicit, singularis erga eos benevolentiæ plenum.*

Vers. 1. *Ideo non amplius.* (a) Prima capitis particula usque ad vers. 6 porrigitur, ubi de missione ad illos Timothei acturus, (b) primo causam ejus efficientem indicat, atque ita simul id, quod de suo ad eos veniendi desiderio, sub finem superioris capitis asserverat, comprobat. Deinde personam missi commendat. Denique finem missionis indicat, quæ itidem eidem assertioni probandæ, suoque erga ipsos studio declarando faciunt.

*Ideo non amplius sustinentes.* (c) Scilicet desiderium videndi vestri: quasi dicat: Tam alte igitur pectori meo cum insideatis, ut gloriam vos gaudiumque meum putem, nec vero voti mei ob Sathanæ impedimenta compos fieri possem; ideo cum jam desiderio videndi vestri essem impar, nec illud ferre amplius possem, de eo leniendo ac mitigando cogitare cœpi, & cum ipsemet proficisci non possem, me velut alterum, Timotheum, ad vos visendos ablegavi.

*Optimum duximus soli Athenis relinqui.* Maluique solus Athenis remanere, licet id magna cum molestia mea conjunctum esset, dummodo aliqua ratione incitatissimæ vos videndi voluntati meæ ati[illegible]cere possem. Significat Apostolus suum se commodum Thessalonicensium commodis postposuisse. Ægrè enim comitis charissimi, atque adeo Filii sui opera carebat, & eum a se divelli grave erat, præsertim cum tam celebrem urbem esset ingressus, ubi laborum sociis indigere vel inprimis videbatur. Sed maluit seipsum tam jucundo Timothei convictu ejusque ministerio fraudare, quam suo erga Thessalonicenses affectui non satisfacere, quemadmodum ex sequentibus plenius intelligetur. Nota, quod de seipso loquens plurali numero utatur. Neque enim est quod putes, eum de se ac Sila loqui. Silam enim, cujus initio mentionem fecit, ipsi tum non adfuisse apparet ex cap: 18 vers. 5. Act. ubi Silas & Timotheus, dicuntur ad Paulum Corinthum demum venisse; de quo Timothei adventu loqui videtur infra vers. 6.

vers. 2. *Et misimus Timotheum fratrem nostrum.* Id est, qui nobis unice dilectus est, & tanquam alter ego: charus autem & dilectus, quia dignus.

Ideo addit: *& ministrum Dei, & cooperatorem nostrum in Euangelio.* (d) Ut authoritatem ipsi conciliet, simulque ex dignitate ipsius personæ factum suum commendet, suique in eos studii ardorem insinuet: quod licet sibi unice charus, & maxime accommodus, imo necessarius ob laborum societatem fuerit; maluerit tamen illo ad tempus carere, dummodo affectum erga illos suum testaretur, illorumque necessitati consuleret.

*Ministrum* autem *Dei* vocat, non ea ratione, qua omnes Christiani servi Dei sunt; sed peculiari, & iis propria, qui præsunt Ecclesiæ, & prædicando Euangelio, ac gloriæ divinæ propagandæ unice incumbunt. Quo & non vulgarem ipsum esse fratrem ostendere vult, & singulari suo amore dignum.

Id quod amplius adhuc indicat, cum suum in prædicatione Euangelii *socium* vocat. (e) Euangelium [illegible]im hic sumitur pro prædicatione Euangelii, ut Rom: 1. 9, & xv. 19. 1. Cor: 9. 14: imo & hac ipsa Epistola cap: 1 vers. 5, & alibi sæpe.

*Ad vos stabiliendos & exhortandos super fide vestra.* (f) Finem missionis Timothei exprimit, qui erat, (g) ut ipsos ad constantiam in ea quod semel fuerant professi, & invictum animi robur in afflictionibus hortaretur, atque ita eos in fide, quam Christo semel dederant, confirmaret, & in iis, quæ ad eam sartam tectam ipsis conservandam pertinerent, instrueret. Alii legunt *super fide nostra*, eo sensu: super iis, quæ ad fidem, quæ mihi vobiscum est communis, pertinent.

vers. 3. *Ut nemo commoveatur ob afflictiones istas.* Id est, (h) ne quisquam vestrum turbetur, aut animo concidat, & sive de deserenda prorsus, sive etiam de dissimulanda religione Christiana cogitet, ob tantas afflictiones, quas eo nomine perferre cogimini. Finem præcedenti versiculo expressum, uberius explicat, causamque cur de eo cogitaverit, indicat.

*Ipsi enim scitis.* Narrationi rationem ipsorum confirmationi servientem interserit; quasi dicat: Quod quidem, etiamsi tandem Timotheum non misissem, minime vos turbare debebat, neque adeo nunc turbare debet, ut qui habeatis exploratum:

*Quod in hoc positi sumus.* Id est, (i) quod ea sit conditio omnium nostrum, quicunque Christo nomen dedimus, ejusque sacratissime militiæ adscribi voluimus, & ea Dei, qui hujus religionis author est, voluntas, ut per varias afflictiones & angustias, ad cœlestis gloriæ culmen enitamur. (k) Est autem hæc Dei voluntas non absoluta; quasi scilicet ille homines malos esse velit, qui negotium postea nobis facessant, (ita enim author foret peccati) sed ex hypothesi, seu suppositione, ut loquuntur, quia videlicet existentem in mundo afflictionum causam, nempe malitiam improborum, cujus ipsi sibi causa sunt, nolit semper coërcere, & penitus reprimere: sed aliquando habenis improbitati ipsorum quodammodo laxatis,

(a) *Prima capitis pars, ad vers. 6.* (b) *Causa missionis Thessalonicæ Timotheum impellens.* (c) *Nexus cum superioribus.*

(d) *Commendatio missi.* (e) Euangelium pro *prædicatione Euangelii.* (f) *Finis missionis.* (g) *1. ut eos Timotheus ad constantiam hortaretur.* (h) *Ne ob afflictiones animo concidirent.* (i) *Scientes eam esse Dei voluntatem.* (k) *quomodo id intelligendum?*

fideles

fideles ſuos, ipſorum fidei explorandæ, ſuæ vero gloriæ demonſtrandæ cauſa, ab iis nonnunquam affligi, ac vexari velit; licet interim imbecillitatis virium ipſorum reſpectum habeat, neque ipſis ultra quam ferre poſſint, oneris imponi ſinat.

verſ. 4. *Etenim cum apud vos eſſemus.* Sciviſſe illos jam ante, hanc eſſe conditionem fidelium, ac proinde non debuiſſe tanquam re nova inopinato accidente commoveri, oſtendit, & ſua prædicatione, & ipſo ſtatim ſubſequente eventu: quaſi dicat. Simulac enim vos ac doctrinam Euangelii prædicatione noſtra incitare cœpimus, illud etiam prædiximus, fore ut affligeremur, tum nos qui illud prædicaremus, tum vos qui illud amplexi fuiſtis.

*Quod & evenit.* Id eſt, nec defuit prædictioni eventus.

*Et noſtis.* Quod ſcilicet & nos ipſi, & multi inter vos, adverſa Euangelii cauſa ſuſtinuerint.

verſ. 5. *Propter hoc & ego non amplius ſuſtinens,* (a) Deſiderium ſcilicet cognoſcendi, quo ſtatu res veſtræ, ratione habita religionis, eſſent. Vocala διὰ τοῦτο, vel ad proxime præcedentia reſpicit, afflictionem nempe, quam ob Euangelii doctrinam perferrent; vel ad remotiora, deſiderium videlicet eos videndi; ut per Epanalepſin repetat ea, quæ verſiculo primo dicere cœperat, quaſi dicat: Propterea, inquam, miſi eum, *ut cognoſcerem fidem veſtram.* Alium miſſionis Theſſalonicam Timothei finem exprimit, qui ipſum magis Paulum reſpiciebat, ſicut ille prior Theſſalonicenſes. Is autem erat, ut per illum certior fieri poſſet de illorum ſtatu ratione fidei ac religionis.

Cui ſtatim ſubjicit cauſam, qua ad id impulſus fuerit, *ne forte tentaverit vos.* Id eſt, (b) metuens, ne per abſentiam meam, aliorumque mei ſimilium, qui vos confirmare, atque animare potuiſſent, in fraudem vos aliquam induxerit, & tentatione ſua in vobis aliquid profecerit, ut videlicet vos de ſtatu veſtro dimoverit, voſque a fide abſtraxerit. Vox *tentaverit* hoc loco prægnans eſt, nec ſolum Sathanæ impetum & aſſultum, ſed etiam effectum & ſucceſſum ſignificat, ut Matthæi 6. 13 in precatione Dominica, ubi ſignificat, ne permittas ut Sathanæ vi aut fraude, a fide aut pietate abducamur, & Gal. 6. 1.

*Is qui tentat.* (c) Id eſt, Sathanas, cujus id eſt artificium & unica cura, ut homines tentet, & circumveniat. Πειράζων pro πειρασὴς Hebraico more poſitum, ut Matth. 4. 3.

*Et in vanum fiat labor noſter.* Id eſt, atque fruſtranei eſſent labores noſtri, quos in perducendis vobis ad Chriſtum ſubiimus.

verſ. 6. *Nuper autem veniente Timotheo ad nos a vobis.* (d) Veniente ſcilicet Corinthum, ut ex Actis apparet. Eſt alterum capitis hujus membrum, quo, quid conſequutum ſit miſſionem illam Timothi, explicat. Id autem eſt, lætus de ipſorum in fide conſtantia & memoria Pauli nuncius, qui ingenti ipſum gaudio replevit, & deſiderium ipſorum videndi in ipſo vehementius accendit.

*Et annunciante nobis fidem.* Quaſi dicat, cum nobis retuliſſet, vos in fide adhuc perſiſtere, ac religionem Chriſtianam, quam ſemel eſtis amplexi, conſtanter ſequi ac profiteri. *Et charitatem veſtram,* nempe erga proximum, de qua cap. 1, ubi laborem charitatis illis tribuit, quam inferius cap. 4 verſ. 9 & 10, adhuc luculentius commendabit.

*Et quia habetis memoriam noſtri.* (e) Id, eſt cum illud quoque nobis retuliſſet, non effluxiſſe me ex animo veſtro, ſed vivere atque vigere apud vos memoriam mei, adeoque vos mei mentionem facere.

*Eamque bonam.* Id eſt, honorifica vos mentione me ipſum, vitæ rationem, laborſque meos inter vos ſuſceptos, proſequi. *Semper.* Id eſt, identidem quomodo me inter vos geſſerim, quomodoque in me vos animati ſitis commomorando.

*Deſiderantes nos videre.* Id eſt, ita vos mei mimini ſſe, meive mentionem facere ſolere, ut ſimul ſignificetis, vehementi vos deſiderio teneri videndi mei, & meo colloquio ac conſuetudine fruendi.

*Sicut & nos vos.* Id eſt, non ſecus atque ego ardeo incredibili deſiderio videndi veſtri. Vel: Qua quidem in re paria mecum facitis, qui idem ardentiſſime exoptem. Subinde aliquid de ſuo erga ipſos ſtudio interjicit, ut tanto magis illlorum ſeſe animis inſinuet.

verſ. 7. *Propter hoc conſolati ſumus fratres.* (f) Id eſt, qui quidem Timothei nuncius, longe maximum mihi ſolatium attulit. *vobis* In Id eſt, propter vos. *In omni tribulatione & neceſſitate noſtra.* Id eſt, cum in magnis tum calamitatibus verſaremur, multaque adverſa Euangelii cauſa pateremur; quaſi dicat; adeo me nuncius tam lætus exhilaravit, ut omnem dolorem & moleſtiam, ex afflictione & anguſtia qua undique premebar proficiſcentem, ſi non penitus ſuſtulerit & extinxerit, maximam certe partem lenierit & mitigaverit.

Vocibus iſtis duabus, *tribulatione & neceſſitate,* una eademque res intelligi poteſt: ita ut poſterior augendi vim quandam habeat, eaſque in afflictionibus anguſtias inſinuet, quibus fiat ut quid conſilii capias, & quo te verras, penitus ignores, ſitque idem quod πτοχωσία, quam 2. Cor. 6 verſ. 4 diſtinguit ab ἀνάγκαις; quæ illo loco anguſtiam in rebus ad victum neceſſariis ſignificant, ut cap. 12 verſ. 10, quod cap. 11 verſ. 27, famis & ſitis nomine (quo in loco neceſſitatum iſtarum non fecit mentionem) expreſſiſſe videtur. Quæ etiam ſignificatio hic locum habere poteſt, ſi duo omnino diverſa his vocibus exprimi malis. Videtur autem præcipue reſpicere ad illa de quibus legimus Act: 18 verſ. 12.

*Per veſtram fidem.* Id eſt, propter veſtram fidem. Fidei vocem in latiori quam paulo antè ſignificatione ſumit, ut charitatem etiam complectatur.

verſ. 8. *Quoniam nunc vivimus.* Id eſt, (g) id enim nos reficit ac recreat, adeo ut nunc vere nobis vivere, & quaſi a limine mortis, in hanc vitam revocari & reſtitui videamur. vel: Id enim eſt, quod ipſam vitam nobis reddat vitalem, omnemque adeo vim mœroris deleat, atque abſtergat. Genus dicendi figuratum, in repentini, ejuſq maximi inter afflictiones gaudii affluxu, uſurpari ſolitum. Cujus exemplum habes Johan: cap: 14 verſ. 19, *quia ego vivo, & vos vivetis.*

(a) 2. *ut de illorum ſtatu quoad fidem cognoſceret.* (b) *Verebatur enim ne per ſuam abſentiam Sathan eos ſeduceret.* (c) *Ejus deſcriptio* (d) *Altera capitis portic. ad verſ.* 12. *Lætus de ipſorum conſtantia nuncius.*

*Et memoria Pauli apud ipſos.* (f) *Quæ adeo Paulum in ſummis tunc afflictionibus conſtitutum exhilararunt.* (g) *Ut vel idipſum vitam ipſius redderet vitalem.*

Ver-

Verbum enim *vivetis*, non ad futuram tantum, ut forte videri poſſet, ſed hanc etiam vitam reſpicit, reſpectu cujus de ſummo gaudio, & quod æquale quodammodo ſit ejus felicitati qui poſtliminio quaſi ad vitam redeat, accipiendum videtur Pſal. 22. verſ. 27 *Vivet cor eorum in ſeculum.* Id eſt, animus eorum exhilarabitur, & lætitia perenni recreabitur.

*Si vos ſtatis.* Id eſt, (a) quandoquidem vos firmi & robuſti atque conſtantes eſtis.

*In Domino.* Id eſt, quod attinet ad Dominum, conſtanter videlicet doctrinæ ac religioni ab ipſo traditæ adhærentes. Vocula (b) *ſi* non ſemper rem dubiam ſignificat, ſed ſæpe etiam de rebus certiſſimis uſurpatur. Vide 1. Cor. 15. verſ. 12, & ſeqq: quanquam fere id evenit in argumentationibus hypotheticis ut vocant. Poſſet autem & propriam vim ſuam obtinere, ut id vitam ſuam, ſummamque adeo lætitiam dicat eſſet abſolute, ſi illi conſtanter in fide Chriſto data permaneant; niſi obſtaret vocula *nunc*, quæ præſentis temporis nota eſt, & aperte ad id quod ſignificaverat Timotheus reſpicit.

verſ. 9. *Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis.* Id eſt, (c) tanta enim eſt gaudii vis ac magnitudo, ut nullas poſſimus condignas gratias reperire, quas Deo agamus pro tanta lætitia, quod in nos ex vobis, veſtraque conſtantia & fide, quæ ipſius gratiæ & auxilio imputanda eſt, exuberavit. Ab effectu fidem facit ei, quod *ſe vivere*, id eſt, ſummopere ex illorum in fide perſeverantia, lætari dixerat.

*In omni gaudio*, vel *ſuper omni gaudio.* Id eſt, (d) pro ſummo gaudio, *omne* ponit pro eo, quod eſt magnum, omnibus ſuis partibus abſolutum. *Propter vos.* Id eſt, veſtra cauſa, eas in vobis dotes, donaque Dei conſpicientes.

*Ante Deum noſtrum.* Idque non ſimulate & coram hominibus tantum, ſed vere & coram ipſo etiam Deo, qui eam gaudii noſtri magnitudinem videt.

verſ. 10. *Nocte ac die.* (e) Redit iterum ad exaggerationem deſiderii ſui, de quo ſub finem ſuperioris capitis apertius diſſeruerat, & cujus mentionem paulo ante verſ. 6 fecerat, ut tanto magis ſtudii amoriſque in eos ſui ardorem, iis teſtatum faciat. Et hic eſt alter effectus læti illius nuncii, de Theſſalonicenſibus a Timotheo allati, cum priori ita nexus, ut ex illo velut efflorescat. Magnitudinem autem deſiderii iſtius cenſeri vult ex precum, quas eo nomine ad Deum funderet, aſſiduitate.

*Nocte ac die.* Id eſt, (f) aſſidue, ſine intermiſſione, quamque frequentiſſime, ſeu quoties Deum meum precibus adeo, toties id facio. Facio vero id & nocte & die: ſermo proverbialis, ſed qui ſingularem aſſiduitatem ſignificet. Addit autem ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ δεόμενοι. Id eſt, admodum abundanter, ſeu vehementer, atque ardenter orantes: ut non moris tantum cauſa, non frigide id ſe facere oſtendat; ſed ex animo, junctumque eſſe aſſiduitati ardorem, adeo ut veluti quotidie creſceret, & incrementum ſui caperet orationis fervor.

*Ad videndum veſtram faciem.* Finis & objectum prædicationis. *Et complere defectiones fidei veſtræ.* Id eſt, (g) ut quod fidei veſtræ, propter præproperum a vobis diſceſſum meum deeſſe neceſſe eſt, id præſentia mea impleam; uberiore videlicet vos earum rerum notitia imbuendo, de quibus tum non niſi carptim cogebar ob temporis anguſtiam dicere; & ſi qua vobis exciderunt, in memoriam revocando, aut ſi quæ intellexiſtis, manifeſtius declarando. His autem verbis effectus ac finis exponitur prioris, nempe viſitationis Theſſalonicenſium, & ſic cauſſa indicatur, quæ ipſum impellat, ut & videre eos tantopere cupiat, & Deum tam fervide oret, ut id ſibi beneficii præſtet. Cauſam autem eſſe ſignificat, non ſuam, ſed ipſorum Theſſalonicenſium utilitatem ac commodum, ipſis admodum neceſſarium. Ideo autem hunc ejus rei fontem aperit Paulus, ut inde illius erga ſe amorem perſpiciant Theſſalonicenſes, utque corum animos ſibi penitus devinciat & obliget; quaſi dicat: Aveo vero tantopere vos videre, non ut oculos tantum meos conſpectu veſtro mihi longe cupidiſſimo paſcam, neque mei ipſius cauſa, aut ob carnalem aliquem reſpectum: ſed propter voſmet ipſos, ut vos erudiam, ut veſtræ ſaluti, in qua omnes ſpes veſtræ ſitæ ſunt, proſim & conſulam.

verſ. 11. *Ipſe autem.* (h) Voto ſecundam hujus capitis particulam claudit, quo deſiderii ſui, de quo hucuſque locutus eſt, compotem ſe fieri exoptat; quaſi dicat: Ego quidem ita opto ac voveo, itaque Deum oro; Deus autem ac Chriſtus, in cujus manu eſt diſpoſitio noſtrorum cona conatuum & intentionum, eventum præſtet, & votis meis benignus annuat, felicemque conſilio huic meo ſucceſſum largiatur.

*Et pater noſter.* Id eſt, qui Pater noſter eſt. Qui titulus cum ardentiſſimi in nos amoris divini nota ſit, ſpem facit, fore ut Deus vota impleat, & quæ filii ipſius tam ardentibus precibus ab ipſo flagitant, præſtet.

*Et dominus noſter.* Id eſt, & ille qui a patre ſuo in nos imperium accepit, & cui gubernatio ac cura Eccleſiæ, rerumque ad eam pertinentium, nominatim a Deo eſt commiſſa, nempe

*Jeſus Chriſtus.* Verba enim hæc prioribus per appoſitionem addita.

*Dirigat viam noſtram ad vos.* Id eſt, ſecundet, expediat, impedimenta omnia amoliatur, Sathanæ conatus, qui mihi hucuſque obſtiterunt, reprimat, meum vero conſilium aura divini favoris ſui promoveat, & me vobis ſalvis incolumen ſiſtat. Inſigne ut curæ & providentiæ circa nos Domini Jeſu argumentum, ita invocati ipſius exemplum. (i) Votum enim ejuſmodi, quod eum, a quo aliquid voveo, audire ſum perſuaſus, precationis vim habet, atque adeo ipſa, licet indirecta, precatio eſt.

verſ. 12. *Vos autem.* (k) Studii in eos ſui teſtificationem voto alio claudit, quo comprecatur ipſis omnia ſecundum ſpiritum fauſta & proſpera, quam tertiam hujus capitis partem eſſe diximus: in qua etiam aditum ſibi ad eorum officia explicanda facit. quaſi dicat: Hoc quidem eſt deſiderium meum, quod utinam Deus impleat benedictione ſua.

(a) *quod conſtantes eſſent.* (b) ſi *pro* quoniam. (c) *Unde & gratias Deo ardentiſſimas agebat propterea.* (d) Omne *pro* perfecto. (e) *Orans nocte & die, ut eos videre poſſet* (f) Pauli in precibus aſſiduitas

(g) *Ad complendum defectum illorum fidei.* (h) *Et nunc a Deo & Chriſto vovet, ut viam ipſius dirigat.* (i) Votum precationis vim habet. *Tertia capitis pars, votum, quo comprecatur iis omnia ſecundum ſpiritum proſpera.*

Sed

Sed interim dum id fiat, vobis unice opto & comprecor, ut vos *Dominus*, nempe Jesus Christus; ut ex articulo & superiori etiam versiculo patet *multiplicet*: id est (a) augeat & cumulet, *& abundare faciat charitate invicem*, id est, faxit ut in dies magis ac magis proficiatis, & exuberetis in charitate.

*Et erga vos invicem.* Qui Thessalonicæ fraterno inter vos vinculo per Christum copulati estis.

*Et in omnes.* Quicunque tandem illi sint, sive fratres, hoc est, Christiani, sive extranei, nec sacra vobiscum communia habentes, ut sunt gentiles, & Judæi.

*Quemadmodum & nos in vos.* Ut videlicet eo proximorum fratrumque amore flagretis, quo ego flagro adversus vos. Illorum erga alios charitatis mensuram suum erga ipsos amorem ponit, ut eorum animos sibi penitus pigneret, ac devinciat, insinuataque sui erga eos affectus exundantia, ad paria facienda provocet. Ita nullam occasionem prætermittere videmus Apostolum, quin suum erga illos studium atque affectum eximium testetur.

vers. 13. *Ad confirmanda vestra corda.* (b) Finem voti exprimit, vel potius pergit ulterius in enumeratione eorum, quæ ipsis precetur: *ut corda vestra*, id est, vos ipsos, animos spirituque vestros *confirmet*, id est, roboret, viresque vobis largiatur.

*Inculpata in sanctitate.* Quo possitis ita vitam moresque vestros componere, ut sitis irreprehensibiles; utpote sanctitate præditi, seu ideo quia sanctitate præditi sitis, omnique crimine, quod maculam aliquam vobis aspergere possit, vacetis.

*Ante Deum & Patrem nostrum.* Idque non tantum in oculis hominum, qui & facile decipi possunt, nec sunt nostri judices; sed coram ipso Deo, qui Pater noster est, sed talis qui sine prosopolepsia judicat, secundum uniuscujusque opus, cujusque oculorum aciem nemo effugere potest.

*In adventum Domini nostri.* Vel, ut usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi sitis inculpati, seu ad mortem, quæ cum adventu illo quodam modo conjungitur, nosque ante tribunal Christi sistit: vel potius, ut tum appareatis inculpati, quando maxime interest vestra inculpatos apparere, nempe in extremo iudicio, cum retribuet unicuique secundum opera ipsius. Ut non solum exprimat a quo precetur; sed etiam quid, & quam perfecte, quemque in finem cupiat id illis evenire. *In adventu Domini nostri Jesu Christi.* Id est, suo. (c) Antecedens pro relativo, Hebræorum more, ut paulo ante vers. 9, *cum omnibus sanctis ejus*, nempe Angelis. Ita posteriori Epist. cap. 1 vers. 9 ait *in revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus.* Judas autem vers. 14: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis.* (d) Auget porro spiritualibus bonis fideles suos, & confirmat corda eorum inculpata in sanctitate Dominus Jesus, non si ipsi interea otientur, & in utramque aurem securi dormiant; sed si ipsi etiam adnitantur, & quantum possunt, vires suas extendant, ac sedulo, ut inculpate coram Deo vivant, elaborent. Et videtur sane Apostolus, votum hoc pro Thessalonicensibus concipiens, divinæ opis quasi quadam pollicitatione eos ad dirigenda brachia contra torrentem peccatorum incitare voluisse. (e) Præstat autem hæc Dominus Jesus sua ex parte, cum & uberiori fideles suos rerum divinarum notitia complet, & vires adversus omnes Sathanæ insultus subministrat, variaque media, quibus corroborentur, porrigit: idque vel Spiritus sancti sui afflatu, vel servorum suorum ad id excitatorum opera; cum sæpe sufficiat unus vir cœlesti sapientia instructus, & divino spiritu præditus, uti ad salutare lumen, vel innumeris in illuni errorum nocte vagantibus præferendum, ita etiam ad eosdem pleniori veritatis notitia instruendos, gressusque eorum ad pietatis tramitem dirigendos, & in ejus semita retinendos ac stabiliendos.

(a) 1. *Ut charitate abundent.* (b) 2. *Ut corroborentur a Domino Jesu, quo sint irreprehensibiles.* (c) Antecedens pro relativo. (d) *Id tamen præstat Dominus non sine opera nostra.*

## CAPUT IV.

### ARGUMENTUM

*In altera Epistolæ hujus parte, quæ ab hoc capite incipit, primo hortatur Thessalonicenses ad officia pietatis, tum in genere, tum in specie: Deinde subjungit doctrinam de resurrectione mortuorum, quæ fundamentum est pietatis Christianæ. Et hæ sunt capitis etiam hujus partes.*

*Reliquum ergo*: (f) Prima capitis hujus pars ad vers. 13 porrigitur. In qua hortatur eos ad varia pietatis officia, quæ ipsis tacite sub finem capitis superioris insinuaverat, ea ipsis a Domino Jesu optando, quorum compotes, nisi & ipsi manum admoverent operi, fieri non poterant.

Connexionem horum cum prioribus innuit particula *reliquum*, quasi dicat: [g] Hæc igitur cum ita se habeant, nec ullum possit esse dubium vos a Deo per nos ad cœleste regnum esse vocatos, vosque tam alacriter doctrinam nostram amplexi, superatis tot tantisque ob eam causam calamitatibus, in ea constanter ad hanc usque diem persistatis; id superest, ut in cæteris quoque officium ita faciatis, quo pietatem vestram Deo in dies magis magisque approbetis. Vel, si hæc cum proximis tantum connecti censeas; postquam vobis Domini Jesu auxilium ad pietatem colendam necessarium sum precatus, minime dubitans id vobis præstitum iri; nil jam restat aliud, quam ut vos ipsos quoque rogem ac moneam, ut vos quoque quod vestrarum est partium sedulo faciatis, neu officio vestro ullatenus desitis, sed divinæ opi, conatu ac contentione virium subserviatis. [h] Hortatur autem eos tum in genere, ut in ea quam ipsis non obscure tribuit integritate vitæ proficiant, tum in specie ad certas quasdam pietatis partes.

Ut vero id quod intendit, tanto facilius effectum reddat, [i] *Rogamus* ait, *vos, & hortamur.* Demissionem amantis, cum auctoritate præcipientis jungit. Rogare enim est demittentis sese, & blanditiis quodammodo quod vult obtinere cupientis; hortari autem, authoritatem quandam usurpantis. Rogamus igitur, inquit, tanquam ii, qui vobis optime cupimus, & ingentem inde lætitiam capimus, cum vos nostra opera ad Euangelicam veritatem perducti officium facitis.

(e) *Quomodo.* (f) *Prima capitis pars ad vers. 13.* (g) *Nexus cum superioribus.* (h) *Varia pietatis officia parte prima prescripturus.* (i) *Rogat.*

Hortamur autem tanquam ii qui jus vos monendi, vobiſque præcipiendi habemus, idque *in Domino Jeſu*, id eſt, authoritate & nomine Domine Jeſu, vel quod ad doctrinam & religionem Domini Jeſu attinet.

*Quemadmodum recepiſtis.* (a) Trajectio quædam eſt, quia vocula *ut*, quæ præcedere debebat, in fine verſiculi ſequitur. Senſum haud male expreſſit vetus interpres: *ut quemadmodum accepiſtis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſicut & ambulatis, ut abundetis magis.* Vult videlicet ut in pietate, quam illis ſuperius ex parte tribui vidimus, cum laborem charitatis illis adſcribit cap. 1 verſ. 3, majores indies profectus faciant.

Ait vero, *quemadmodum accepiſtis a nobis.* Id eſt, quemadmodum a nobis didiciſtis, & ex ore noſtro hauſiſtis. (b) Accipere traditionis correlatum eſt. Menſuram illorum vitæ & morum, vult eſſe ſuam doctrinam, non illorum opinionem.

*Quomodo oporteat vos ambulare.* Id eſt, quomodo debeatis vitam inſtituere. Hebraiſmus notus eſt.

*Et placere Deo.* Inſtituere, inquam, ita, ut Dei favorem vobis conciliare, & in illius gratiam vos inſinuare poſſitis. (c) Finis actionum vitæ noſtræ eſt, ut placeamus Deo: quo verò pacto id conſequi poſſimus, ex iis quæ nobis Apoſtoli tradiderunt, diſcimus.

*Ut abundetis magis.* Id eſt, ut non modo de priſtino pietatis ſtudio nihil remittatis, ſed etiam enitamini, ut in pietate quotidie creſcatis, & longe cumulatius id, quod hucuſque feciſtis præſtetis.

verſ. 2. *Scitis enim.* Confirmat id quod dixerat, *accepiſſe illos a ſe quomodo oporteat ambulare*, eoſque ipſos teſtes quodammodo appellat; ſimul autem oſtendit non poſſe eos ignorantiam hic aliquam prætendere; ſiquidem ipſi probe ſciant, quænam præcepta ipſis fuerint data, quibus virtutis ac pietatis officia continerentur.

*Quæ præcepta dederimus vobis.* Id eſt, quænam vobis præſcripſerimus & injunxerimus.

*Per Dominum Jeſum.* Id eſt, authoritate non noſtra propria, ſed Domini Jeſu, cujus ſervi ſumus, cujuſque nomine legationem iſtam obimus. Sic eadem verba ſumuntur 2 Theſſal. 3. 12.

verſ. 3. *Hæc enim eſt voluntas Dei.* Id eſt, (d) id enim vult, & exigit a vobis Deus. Voluntas pro objecto voluntatis. Vocula γὰρ, ſervit declarationi. Declarat enim Apoſtolus, quænam ſint illa præcepta, quæ Theſſalonicenſibus dederit, ac porrò quomodo eos ambulare ſeu vivere oportere docuerit.

Declarat autem id primo generaliter, (e) ſi vocem ἁγιασμὸν *ſanctificationis*, ita late ſumamus, ut omnem virtutum complexum ſuo ambitu coerceat, eam vitæ puritatem ſignificans, ut ab omni peccati labe puri & immunes ſimus. Quo pacto ea, quæ ſequuntur, ſpecies erunt hujus ſanctificationis; quaſi dicat; Non aliud, (ut breviter quæ jam ante dixi, repetam) a vobis exigit Deus: nec ulla alia, qua in ipſius gratiam irrepere queatis, eſt via, quam ut vosmetipſos integros & illibatos ab omni vitiorum impuritate conſervetis, vitamque coram Deo in ſanctitate traducatis, cujus inter alia hæ etiam ſunt partes, ut ſcortationem & injuriam fugiatis, in fraterna vero charitate indies proficiatis, & ab ambitione ac rerum alinarum cura alieni; laboribus quiete incumbatis. Hæc enim quatuor ſunt illa ſpecialia; ad quæ illos in ſequentibus hortatur Apoſtolus.

Quod ſi voce (f) *ſanctitatis*, ſola tantum caſtitas intelligatur, ut alii volunt, & inferius hæc eadem vox repetita poſtulare videtur, (g) dicendum erit Apoſtolum rectè ad enumerationem ſpecialium officiorum, declarandæ tantum generalis hortationis cauſa, deſcendere.

(h) Quo ſenſu verba ſequentia *abſtinere vos a fornicatione*, explicatio erunt ejus, quod ſanctitatis nomine appellaverat. Sed prior ſententia longe veriſimilior eſt. Cum enim nomine *voluntatis Dei* ſignificet Apoſtolus quicquid Deus a nobis poſtulat, fierique vult, non eſt veriſimile, Apoſtolum dicere voluntatem Dei eſſe ſolam caſtitatem. (i) Porro quod ad proxime ſequentia verba attinet; fornicatio adeo late hoc loco extenditur, ut adulterium & impuritatem ac omnem laſciviam, animumque adeo impudicum complectatur: omnia enim iſta ſanctitati adverſantur, & hominem cœno pejus inquinant. Et hoc eſt primum e ſpecialibus, ad quæ hortatur Theſſalonicenſes, pietatis officiis. (k) Quod primo loco poſuit, tum quia ipſius contrarium res per ſe eſt longe turpiſſima, & ſanctitati, quæ in puritate conſiſtit, maxime adverſa, atque inimica, tum quia illud vitium adeo fuit illo ſeculo inter gentes vulgare, ut ne in vitiorum quidem cenſu poneretur, & a Chriſtianorum vulgo, ut ex Actis (l) Apoſtolicis, & Epiſtola ad Cor. priori patet, inter adiaphora cenſeretur.

verſ. 4. *Scire unumquemque.* Declarat manifeſte quid ſibi illo præcepto velit, & quo uſque pomœria illius extendat.

*Suum ipſius vas poſſidere in ſanctificatione & honore.* Id eſt, cum ſanctificatione ſeu caſtitate; quaſi dicat: ut unuſquiſque corpus ſuum, quo tanquam inſtrumento quodam animus noſter, ſeu mavis nos ipſi utimur, conſervet purum, ne quicquam eo deſignet quo ſe polluat, (m) atque ita & ſe ipſum, corpuſque adeo ſuum dehoneſtet, & ignominiæ maculam ei aſpergat. Nam cum totum hoc voluptatum genus aliquid impuri trahat, tum vero ſi extra limites conjugii, imbecillitati humanæ conceſſos, libido evagetur, non tantum per ſe turpis eſt, adeoque hominem coram Deo conſpurcat, ſed & dedecore atque ignominia peculiari afficit. Unde *honor* hoc loco cum caſtitate conjungitur, & ſcortationi opponitur, & Rom. 1 verſ. 24 & 26, dicuntur homines ignominia affeciſſe corpora ſua impuritate: & cupiditates impuræ appellantur πάθη ἀτιμίας, affectus ſeu cupiditates ignominioſæ. Huc facit & illud Heb. 13. 4.

(n) *Vas* pro inſtrumento ſumi familiare eſt ſacris ſcriptoribus. Vide Gen. 17 verſ. 3. & cap. 49 verſ. 5. Judic. 18. 11. 2. Paralip. 23. 7. Eſaiæ 13. 5. Pſalm. 7. 14. Sed locus 1. Sam. 21. 5 huic noſtro ſimillimus eſt: nam & ibi vas pro corpore ſumi videtur: quanquam & ſtrictius ſumere poſſis, pro iis, quæ generationi deſtinata honeſtè hoc nomine deſignantur. Jam vox *Scire* practicam hic ſcientiam notat. quaſi dicat: ut quiſque ſummo ſtudio corpus ſuum ſervet, caſtum atque ab omni libidine illibatum.

(a) *Primo in genere ut nimirum ſervent, quæ ab ipſo didicerant.* (b) Accipere *traditiones correlatum.* (c) *Finis actionum noſtrarum quis, & quomodo conſequendas.* (d) Voluntas *pro* objecto voluntatis. (e) *Vocis* ἁγιασμῶ, *ſignificatio latior.*

[f] *Strictior.* [g] *Deinde in ſpecie.* [h] 1. *Ut fugiant fornicationem.* [i] *Cujus hoc loco ſignificatio lateſſima.* [k] *Cur eam primo loco poſuit.* [l] *Vide Act. cap.* 14. 1 *Cor. cap.* 6, [m] *Eſt vero omnium voluptatum fœdiſſima.*

verſ. 5.

verſ. 5. *Non in paſſione deſiderii.* Μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, *non in affectu cupiditatis.* Id eſt, affectu, qui eſt cupiditas. Genitivus ſpeciei. Cupiditatis autem voce eam, quæ voluptatis impuræ eſt incentiva, intelligit. *In*, poſuit pro *cum*, ut verſiculo præcedente, *in ſanctificatione & honore.* (a) Porro videntur hæc verba regi a ſuperioribus, & a contrario illuſtrari, quid ſit *vas poſſidere in ſanctitate & honore*, id videlicet, ut alieniſſimi ſimus ab illo belluino affectu, quo homines cæco impetu in venerem rapiuntur, & licet a flagitio ipſo, ob occaſionis aut facultatis defectum, aliave impedimenta temperant, ipſam tamen cupiditatem animo fovent, & illa ſemet titillant ac oblectant.

*Sicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Id eſt, quod faciunt gentes, quibus non affulſit veri Dei notitia, id inquam eſt gentium quodammodo proprium, qui vera Dei cognitione deſtituuntur, quem quia vos noſtis ejuſque voluntas nobis docentibus probe vobis cognita & explorata eſt, ideo diſſimiles illorum hac in parte eſſe debetis. Diſſimilitudo ſtatus ac conditionis, diſſimilia quoque facta ac mores poſtulat. (b) Vocula τὸν abundat, ut alias ſæpe: ſatis enim erat dicere, *Sicut gentes.*

verſ. 6. *Non opprimere & circumvenire*, Conjunguntur hæc cum illis, *abſtinere*, verſ. 2, *ſcire*, verſ. 4 per aſyndeton, ita ut pendeant, una cum illis, ex verbis verſ. 3: *hæc enim eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, & ad ſanctificationem illam explicandam ſpectent. (c) Eſt enim hic alterum e ſpecialibus officiis, quo ab injuria alteri & præſertim fratri, inferenda arcemur. Ὑπερβαίνειν proprie *ſupergredi* ſignificat. Cum enim omne jus commutativum in æqualitate conſiſtat, requiratque ut tantundem reddat alter quantum accepit, & contra; qui in contractu, quem cum aliquo habet, ut emptione, venditione, ſocietate negotiatoria, plus de lucro ſibi ſumit quam alter, ſeu illi tribuit, ut Ariſtoteles ait, minus, ſibi autem plus ſumit, illum velut ſuperare & ſupergredi videtur, & eum πλεονεκτεῖν ſeu defraudare dicitur, *in negotio* puta συναλλακτικῷ ſeu contractu. Nam quod alii πράγματος voce fornicationem intelligi putant, & πλεονεξίαν thori interpretantur, ut ſit ſermo de adulterio; id nec vox πράγματος, nec verbum πλεονεκτεῖν ferre videtur. Quod enim illi locum adferunt Eph. 4 verſ. 19, ubi vocem πλεονεξίας hoc ſignificatu uſurpaverit Apoſtolus, id nullo negotio refelli poteſt. Nihil enim vetat ibi Apoſtolum vocem πλεονεξίας proprie uſurpaſſe, & impuritati conjunxiſſe, tanquam vitium æque late atque illud inter Ethnicos patens, & illis æque atque illud uſitatum ac familiare. Id quod etiam alibi eum feciſſe, hanc procul dubio ob cauſam, quam modo diximus, deprehendere licet. Vide. Rom. 1. 29, ſi vox πονηρία, ut (d) nonnullis placet, ſuppoſititia eſt: & 1 Cor. 6 verſ. 9 & 10, inprimis autem Epheſ. 5 v. 5, & Col. 3 verſ. 5, quibus in locis etiam ratio eadem plane quæ hic adjicitur. De argumento quo illi ad ſententiam ſuam adſtruendam utantur, ex voce ἀκαθαρσίας & ἁγιασμῷ petito, mox dicetur.

(e) *Fratrem ſuum.* Non quod liceat extraneum circumvenire, ſed quia maxime dedeceat, ita cum eo agere, qui ob communem ex Deo nativitatem arctiſſimo fraternitatis vinculo tecum ſit devinctus. (f) Eſt enim juſtitia ſocietatis, & conjunctionis vinculum ac cuſtos, tantoque accuratior ejus habenda eſt ratio, quanto major eſt ſocietas, & conjunctio arctior. At cum quo arctior ſocietatis nexus eſſe poteſt, atque cum eo, qui uno tecum gaudeat patre? Vide 1 Cor. 6. 8.

*Quoniam vindex Dominus de omnibus his.* Id eſt, (h) hæc vero vitia ideo deteſtari, & ab iis abſtinere debetis, quia Dominus Jeſus ſevere animadverſurus eſt, vel animadvertere ſolet in eos, quicunque his ſceleribus ſeſe contaminaverint, mandatumque ipſius his in rebus ſpreverint. Ratio ſumta ab effectu admodum damnoſo, pœna videlicet gravi irroganda iis, qui virtutum ſuperiorum ſepta tranſilire fuerint auſi. Eſt vero iſta ratio, non poſterioris tantum hujus officii, licet ei proxime annexa eſt, ſed etiam prioris. Id quod & ex plurali numero, cum ait *de omnibus his*, conſpicitur, & maxime ex verſiculo 7, cujus verba prima fronte ad prius tantum reſpicere videntur. Unde etiam occaſionem ſumſerunt nonnulli, ad unum genus officii referendi omnia, quæ hucuſque diſſeruit Apoſtolus. Vocula περὶ ſervit objecto.

*Vindex eſt de omnibus his.* Id eſt, omnia iſta flagitia ulciſcitur.

*Sicut & prædiximus vobis.* Id eſt, id quod non nunc demum vobis indicavimus, ne quis forte ignorantiam prætendere audeat, aut etiam ſibi non eſſe dictum a nobis queratur; ſed initio ſtatim id prædiximus vobis.

Imo *& teſtificati ſumus.* Id eſt, vel obteſtati, Deo quaſi teſte advocato, vel ſimpliciter *conteſtati ſumus*, id eſt, identidem ingeminavimus, repetiimus, urſimus, adeo ut voſmet ipſi teſtes locupletiſſimi ſermonum noſtrorum eſſe poſſitis. Faciunt hæc non tantum tollendæ illi objectioni, quam inſinuavimus, ſed etiam neceſſitati horum monitorum oſtendendæ; ut videlicet tantopere ea inculcari videntes, non parum, ſed plurimum in iis eſſe ſitum crederent.

verſ. 7. *Non enim vocavit nos Deus.* (h) Vel cauſam hic reddit Apoſtolus, cur tam diligenter ea jam antea inculcaverit, & porro etiam cur a Theſſalonicenſibus monita hæc tam ſedulo ſint, obſervanda, & peccata de quibus hucuſque actum tam ſtudioſe cavenda, vel futurum vindicem Dominum, ut verſiculo præcedenti aſſeruerat, probat ex natura vocationis noſtræ, quaſi dicat: Non enim ea lege & conditione vocati ſumus a Deo, ut impuritatem exerceremus, ſed ut ab omnibus vitiorum inquinamentis puri ſimus. (i) Ἀκαθαρσίας vox perſæpe iis tantum ab Apoſtolo tribuitur, quæ circa voluptates venereas verſantur. Latius tamen patere & ad ipſam avaritiam extendi poſſe, vel ex ſecundo hujus Epiſtolæ capite verſ. 3 liquet.

*Sed in ſanctificatione.* Id eſt, in ſanctificationem, ſeu ea conditione ut ſanctificationem ſectaremur, id eſt, vitæ puritatem & innocentiam. Sic eadem vox ſumitur Hebr. 12. 17. Quare & ex his vocibus, quæ natura ſua latius porriguntur, fruſtra præceptum verſ. 6, ad libidinem vagam, & inordinatam torquetur. De Particula (k) ἐπὶ diximus Galat. 5. 13. ſignificat hoc loco finem, & ponitur pro εἰς, vel, quod ſi rem ſpectes, eodem recidit, conditionem qua vocati ſumus.

verſ. 8. *Itaque hoc rejiciens.* Novam quandam ex præcedentibus rationem elicit, qua Theſſalonices a vitiis antea memoratis abducere conatur, cum qua-

(a) Vas poſſidere in ſanctitate & honore *quid?* (b) Vocula τὸν abundat. (c) 2. *Ne in contractibus quenquam defraudent.* (d) *Vide* Bezam. (e) *Inprimis autem fratrem.* (f) *Juſtitia ſocietatis vinculum.*

[g] *Ratio monitorum pœna gravis in tranſgreſſores.* [h] *Quod liqnet & ex vocationis noſtræ natura.* [i] *ἀκαθαρσία quam late ſumatur.* [k] ἐπὶ *pro* εἰς. [l] *Et quæ peccata illa Deum ipſum feriant.*

dam prolepſi. Quia enim nimis communia & trita erant inter Ethnicos hæc duo vitia, a quibus hic dehortatur Theſſalonicenſes; ideo ne cogitarent, non adeo magnum periculum eſſe, ſi monita hæc negligantur, pondus illis addit, & oſtendit, quàm graviter illi peccent, qui præcepta hæc contemnant, & iis ſuſque deque habitis, peccata illa deſignent, à quibus eos eſſet dehortatus. Rationem autem petit ex hujuſmodi contemptus effectu quodam, ejuſque vero ac præcipuo, ſeu mavis ultimo objecto, in quod contumelia hæc redundet. Deducit vero ipſam ex iis verbis, quibus aſſeruerat, hac eos conditione eſſe vocatos, nempe a Deo, ut omni impuritate abdicata, ſanctè viverent; quaſi dicat: Talis igitur cùm ſit vocatio veſtra, ſeu, cum tali ſitis conditione a Deo ipſo per nos vocati; nemo veſtrum cogitare audeat, hæc mandata, tanquam à me, hoc eſt ab homine profecta, violari poſſe.

Sed ſciat, quòd quicunque illa rejicit, & ſpernit, libidinibus & injuriæ aliis inferendæ fibulam laxans, *non hominem rejicit*. Id eſt, non me tantum ille qui homo ſum rejicit, & ſpernit, nec in me tantum delinquit, ut ſcilicet in me, tanquam præcipuo ultimove objecto terminetur iſtud peccatum,

*Sed Deum*. Id eſt, ſed porrigitur ulterius, & aſcendit iſtud delictum altius, ipſumque adeo Deum ferit, in eum omnis illa redundat contumelia: ut jam nullam amplius cauſam dubitandi de eo habeatis, quod Dominum ultorem horum futurum aſſerui.

*Et dantem ſpiritum ſuum ſanctum in nobis*. Id eſt, (a) cujus rei documentum, capere poteſtis ex eo, quod in nos effudit ſpiritum ſuum ſanctum, quo inſpirante, impellente, dictante, hæc præcepta vobis tradidimus, atque etiamnum tradimus, & mentem divinam aperimus. Rationem conſequentiæ, cur videlicet qui Apoſtolicâ præcepta ſpernit, Deum ipſum ſpernat, adducita cauſa præceptorum Apoſtolicorum efficiente, Spiritu S. in illorum pectoribus inhabitante, qui manifeſtiſſimis ſeſe in iis exerebat indiciis ac documentis, ita ut dubitare non poſſent Theſſalonieenſes, quæ Apoſtolus aſſereret, ejus impulſu dicere. Quanquam nihil prohibet, hoc argumentum ita accipere, ut non tam a cauſa efficiente præceptorum Apoſtolicorum ductum cenſeatur, quam ab effectu Dei, Apoſtolorum autem adjuncto, ex quo apparet, Apoſtolos Dei ipſius legatos eſſe, & non ſuo, ſed Dei nomine loqui ac præcipere, quicquid præcipiant. Spiritus enim Sanctus in illis habitans, & in iis ſeſe manifeſtiſſime exſerens, erat apartum muneris atque authoritatis ipſorum ſigillum, ac veluti nota illis a Deo impreſſa, ex qua conſtaret eos eſſe viros divinos, Deive legatos. Alii legunt, *dantem Spiritum S. in vobis*, ſenſu ejuſmodi; Id vero vel ex ipſa collatione in vos Spiritus S. animadvertere poteſtis: qui cum in confirmationem doctrinæ, vobis a nobis prædicatæ, datus ſit; inde liquidum eſt, noſtra præcepta non noſtra eſſe, ſed illius potius, qui ea ſpiritu ſuo confirmavit, ac proinde contemptum eorum, in ipſum ultimo ac præcipuo redundare.

verſ. 9. *De charitate autem fraternitatis*. Id eſt, de eo autem ut fratres, qui ſunt ejuſdem vobiſcum religionis, ac cœleſtis vocationis conſortes, ametis. (b) Tertium e ſpecialibus præceptum, de charitate erga fratres, quod per quandam præteritionem tractat Apoſtolus, ut non tam ad eam nunc demum amplectendam hortetur, quam laudem ejus ipſis prolixe tribuens, ad progreſſus in ea faciendos, blande invitet.

*Non opus habetis ſcribere vobis*. Id eſt, non eſt neceſſe ut vobis ſcribam, tanquam admonitionis hac in parte egentibus. Verba hæc ita laudem hujus virtutis tribuere videntur Theſſalonicenſibus, ut non obſcure indicent in cæteris, quas illis hucuſque commendavit, virtutibus, plus illis deeſſe; quia nimirum, ut dictum eſt, vitia illis contraria tunc fuerunt omnium Gentilium morbi quidam epidemici.

*Ipſi enim vos a Deo docti eſtis*. (c) Rationem ſuperioris verſiculi affert, a cauſis per diſſentanea elatis; quaſi dicat; jam ante enim Deus effecit, ut virtutem hanc diſceretis, & eam vobis omnino colendam eſſe probe agnoſceretis. Deus operam hanc in parte meam antevertit, eo veluti magiſtro eſtis uſi, ut meis monitis jam amplius indigere non videamini. Non eſt autem credibile, ita eos a Deo edoctos fuiſſe, ut nulla a Paulo apud eos verſante præcepta de charitate in fratres exercenda acciperent. Qui enim res tam neceſſaria, tam eximia, quam Chriſtianæ religionis animam non immerito dixeris, reticeri a tanto hujus religionis magiſtro potuit? Sed intelligendum eſt, non opus fuiſſe ut multa hac de re Paulus diceret, eoſque ad hanc virtutem vehementius incitaret; quia nimirum ob rectum, quo erant præditi, judicium & inſignem animi probitatem, ipſi facile animadverterent, omnino convenire, ut qui tam ſanctam Chriſti doctrinam eſſent amplexi, & ad eandem in cælis felicitatem à Deo vocati, ac viam ad eam tendentem una ingreſſi, ſe mutuo amarent & quibus poſſent officiis proſequerentur. Et hoc eſſe videtur quod (d) Θεοδίδακτος appellat: Θεοδίδακτοι enim illi recte dicuntur, qui animo ſunt ita probo, atque ad virtutem propenſo, ut vel nemine prorſus, vel prope nemine hominum monente, quid ſui ſit officii videant, velut Deo ipſo interius eos erudiente, & occulta quadam vi id illis perſuadente. Facit hoc ad intelligendum illud Chriſti Joh. 6. 45, *Et erunt omnes docibiles Dei*. Simulac enim Chriſtus adveniens voluntatem divinam hominibus revelare cœpit, ii qui eſſent animo improbo, ab eo velut a petra ſcandali & ſcopulo aliquo reſilierunt, illi vero qui probo eſſent animo, ſine ulla cunctatione ipſam ſunt amplexi, ut quaſi ab ipſo Deo, & occulta quadam vi, propter animi ſui probitatem eſſent tracti. Hanc ergo animi probitatem, quod ad charitatem attinet, Theſſalonicenſibus tribuit hic Apoſtolus, ita illos ad eam propenſos fuiſſe indicans, ut velut ab ipſo Deo eam didiciſſe viderentur.

verſ. 10. *Etenim facitis illud*. Ipſos θεοδιδάκτους eſſe probat ab effectu, ea videlicet charitate, quam re ipſa exhiberent omnibus fratribus in Macedonia exiſtentibus, illis nimirum omnibus, cum quibus, ob locorum vicinitatem, commercium aliquod habere ſolerent. Siquidem ipſi in Macedoniæ metropoli vivebant.

*Rogamus autem vos fratres abundare magis*. Id eſt, hoc tamen interim non tam monemus, quam incitatam in id ſponte voluntatem veſtram videntes, pro eo, quo vos proſequimur, amore, vos obſecramus, ut in eo ipſo, quod bene facitis, indies progredi, & vos ipſos ſuperare velitis. Correctio quædam eſt, qua calcar currentibus addit.

(a) *Cur, qui Apoſtolica præcepta ſpernit, Deum ſpernat*. (b) *Ut ea charitate erga fratres proficiant indies*.

(c) *Cujus laudem ita illis tribuit, ut velut a Deo docti eam videantur*. (d) θεοδίδακτοι *qui*,

verſ. 11.

verſ. 11. *Et contendere.* (a) Quartum e ſpecialibus præceptum, ad quietæ vitæ ſtudium, cujus aſſequendæ medium oſtendit, curioſitatis & otii fugam. Hæc enim duo plurimum quietem noſtram turbare ſolent, multiſque nos curis ac difficultatibus implicare, ſi aut in aliena inquiramus, reſpiciſve ad nos non pertinentibus nos ingeramus, aut rerum ad victum neceſſariarum inopia laboremus.

*Et contendere quiete agere.* Id eſt, ſtudioſe curetis, & in id ſedulo incumbatis, ut dum alii ſe ſpeſque ſuas ambitione donant, vos vitam quietam & tranquillam agatis, a turbis, a litibus negotiiſque forenſibus, quoad ejus fieri poteſt, recedentes, & velut intra voſmetipſos ſecedentes. Hæc vos ambiatis, huc curam ac laborem veſtrum convertatis, quaſi hic honorum veſtrorum ſumma eſſet ſita. Ad ambitioſorum enim & gloriam conſectantium ſtudia, & prenſationes, alluſiſſe Apoſtolum, indicare videtur vox φιλοτιμεῖσθαι, quæ proprie ſignificat honoris conſequendi gratia eniti: ut tacita quædam ſit inter ambitionem aliorum, turbis ac negotiis, a quibus abeſſe poſſent, ultro ſe ingerentium, & ſtudium Theſſalonicenſium in quiete ſectanda, comparatio ſimul quædam & contentio. (b) Quanquam & alias hoc voce utitur Apoſtolus, pro ſedulo eniti & ſtudioſe elaborare Rom. 15. 20.

*Et agere propria.* Id eſt, ut veſtrum negotium curetis, alienis rebus vos minime immiſcentes, neve alienorum curioſi ſcrutatores ſitis. Hæc enim vitæ quietem, ut diximus, turbant, & varias nobis curas conciunt. Et hoc eſt unum exmediis ad vitam quietam ducentibus.

(c) Alterum eſt, *& operari propriis manibus veſtris.* Quod etiam ab ipſa πολυπραγμοσύνη avocat, ut ex illo Terentiano ſene apparet, ait: *Nimirumne eſt abs re tua otii tibi, aliena ut cures, eaque nihil quæ ad te attinent?* Vult ergo Apoſtolus, ut manibus ipſi ſuis victum ſibi acquirant, præſertim ii, quos res anguſta domi premeret, ne otio, & (d) torpore marcidi, aliis negotium faceſſant, in illorum res, ut fere ſolent deſides, inquirendo, aut ad extraneorum opem confugere neceſſe habeant, ut in ſequentibus dicetur. Idem præceptum copioſius tractatur 2. Epiſt: cap: 3 verſ. 10, 11, 12. Ex quo loco cauſa ejus tradendi apparet. Dicit enim ibi Apoſtolus, audire ſe, eſſe inter ipſos nonnullos otioſos, rebus inanibus occupatos, quam famam apparet jam tum quoque ad apoſtoli aures perveniſſe. Quare eos monet, ut labori incumbant honeſto, nec aliis ſint moleſti, victum videlicet ab illis emendicando, quem propria induſtria optime poſſent ſibi comparare.

*Sicut vobis præcepimus.* Id eſt, quemadmodum etiam antea cum apud vos eſſemus, vos monuimus, ac vobis injunximus. Dum antehac ſe dicit præcepiſſe Apoſtolus, tum ne ignorantiam quis prætexere audeat, occurrit; tum vero neceſſitatem præceptorum indicat; ut qui non videatur fuiſſe res exigui momenti tam ſerio, idque ſæpius inculcaturus

verſ. 12. (e) *Ut ambuletis honeſte ad eos qui foris ſunt.* Præceptum ſuum comprobt, à fine, ſeu potius effectu. Senſus eſt: ut vitam tranſigatis decenter, & cum cum quadam veluti dignitate, ratione inprimis habita extraneorum, ſeu a doctrina Euangelica & Eccleſia alienorum; ne nimirum illis voſmetipſos contemnendos quodammodo ac vilipendendos propinctis, ſi ad illorum opem confugere cogamini. Huc enim Apoſtolum proprie reſpicere, oſtendunt ſequentia: Quanquam alias, & ratio ipſa, & verba ita ſunt comparata, ut latius extendi queant, & nominatim ad ea, quæ proxime anteceſſerunt, de vitando πολυπραγμοσύνῃ, & rerum alienarum cura; quaſi dicat Apoſtolus: ut ita vos geratis, ut homines a fide alieni cernentes vos nec ambitionis vento agitari, & ab alienarum rerum cura alienos veſtrum negotium curare, & propiis manibus victum vobis acquirere, nec alienæ opis indigere, vos & admirentur, & nullam occaſionem vos vilipendendi, aut verbis detrahendi habeant. Sed prius, ut diximus, Apoſtoli menti magis eſt conſentaneum. Sequitur enim explicandi quodammodo gratia:

*Et nullo opus habeatis.* Vox *nullo*, ad homines extraneos videtur hoc loco proprie pertinere; quaſi dicat: ita nimirum ut nullius extranei ope indigeatis, nec ad eorum auxilium, vitæ ſuſtentandæ cauſa, confugere cogamini, qua in re conſiſtit τὸ ἔνσχημον ſeu honeſtem illud, de quo modo dixi, eave nititur. Etenim qui ad alienam opem confugit egeſtate adactus, is ei ſe ſubmittit, & occaſionem illi præbet ſe contemnendi, & ſibi inſultandi, atque exprobrandi, hominibus præſertim impotentis animi, & alienis a Chriſti religione, quod ſine ipſorum ope vivere non poſſit. Quod ſi ob ignaviam etiam Chriſtianorum id accidat, cauſa illis præbetur tanto major, ut ipſis in probrum id vertant.

verſ. 13. *Non volumus autem vos ignorare.* (f) Altera capitis pars, in qua doctrinam de piorum reſurrectione, de qua non ſatis fuerant Theſſalonicenſes inſtructi, proponit, collocans illam in medio præceptorum ad pietatem ducentium, quia illa ſit velut fundamentum, cui pietas noſtra innitatur, & nihil nos ad eam potentius incitare poſſit, atque vitæ futuræ ſpes. (g) Ad hunc autẽ locũ doctrinã illã potiſſimum videtur reſervaſſe, quia traditurus adhuc erat præceptum de ſobrietate ac vigilantia, quę virtutum omnium Chriſtianarum veluti cuſtos eſt. Hujus vero fundamentum quoddam eſt ſpes, & expectatio adventus Chriſti, mortuos reſuſcitaturi, & una cum illis etiam ſuperſtites pios ad ſe collecturi, atque in cælum delaturi, cujus adventus tempus ignotum eſſe velit. Quare Apoſtolus ignorantiam Theſſalonicenſium circa reſurrectionem mortuorum erudiens, rem totam illis breviter explicat, & effectis adventus Chriſti hoc capite expoſitis, initio ſequentis capitis de tempore illius nonnihil addit, hoc eſt, id nobis ignotum eſſe aſſerit, & hac ratione præceptum de ſobritate ac vigilantia ſubjicit huic fundamento ſuperſtructum, atque ita ad interruptum præceptorum curſum revertitur. Reliquo igitur hoc capite Theſſalonicenſes de reſurrectione melius inſtructurus, initio rẽ, de qua ſit acturus, proponit: deinde eam explicat ſimul & comprobat: tum tacitæ illorum cogitationi occurrens, totã rationem, qua omnes pii olim, ſive mortui, ſive vivi, ſint ad ſupremam felicitatem perducendi, uberius declarat. Tandem finem hujus doctrinæ in ipſa propoſitione poſitum monito incluſum repetit. (h) Propoſitionem autem inchoat verbis ſibi uſitatiis, cum de re locuturus eſt, illis, ad quos ſcribit ſcitu vel neceſſaria, vel ſaltem utili, ut 1. Cor: 10. 1. XII. 1. 2. Cor. 1. 8.

(a) *Ut quietæ vitæ ſtudeant.* (b) *Quæ paratur fuga curioſitatis.* (c) *Et otii.* (d) *Deſides enim curioſi.* (e) *Ratio præcepti a fine, ne ad extraneorum opem ob inopiam confugere coacti, illorum ſe contemptui & inſultationi exponant.*

(f) *Altera pars capitis, doctrinam de reſurrectione adeoque ſummæ felicitate piorum continens.* (g) *cur hoc loco tradatur* (h) 1. *Eam tracturus, initio rem proponit.*

*De iis qui obdormierunt.* Id eſt, (*a*) Nolo autem vos in ignorantia verſari eorum, quæ pertinent ad ſtatum ac conditionem eorum, qui fide Domino Jeſu ad extremum vitæ halitum ſervata mortui ſunt: Ii enim in ſacris litteris Novi Fœderis obdormiviſſe dicuntur, qui mortui ſunt in Domino, metaphora pleniori, quia non ſecus e morte, atque e ſomno in vitam revocabuntur. Etſi enim in Veteris Fœderis ſcriptis, impiis quoque morientibus idem verbum tribuitur, id tamen fit tantum propter ἐυφημίαν metaphora dilutiori.

*Ut non contriſtemini.* Id eſt, (*b*) ne ita ob eorum obitum animo afficiamini, itaque eos lugeatis, tanquam actum de illis eſſet. Gravius enim mortem hominis chari eum ferre neceſſe eſt, qui eum periiſſe jam exiſtimat, quam qui ſcit, eum haudquaquam periiſſe, ſed certam melioris vitæ ſpem ei ſupereſſe. Quanquam & ſua cauſa triſtari poterant Theſſalonicenſes, ne & ipſi morte abrepti perirent. Qui enim pios mortuos periiſſe putat, de ſeipſo, præſertim cum mortem ſibi imminere videt, non poteſt non eſſe ſollitus

*Ut & reliqui.* (*c*) Scilicet gentiles, *qui ſpem non habent.* Sibi videlicet a Deo factam, ut Tit: 3. 7, cui ſcilicet tuto innitantur. Cauſam finalem in his verbis, *ut non contriſtemini*, affert, qua ad doctrinam hanc de reſurrectione tractanda fuerit invitatus. Verſimile autem eſt, Theſſalonicenſes, cum audirent Chriſtianos in adventu Domini Jeſu præmia reportaturos, ſæpiuſque illis inculcaretur, perpetuo eos ad adventum illum paratos eſſe debere; id ipſis adhuc ſuperſtitibus futurum animo præſumpſiſſe: quod etiam nonnullos iis perſuadere conatos, ex ſecunda Epiſtola conſtat. Unde cum interim viderent, alios Chriſtianos, & ſibi forte ſanguine junctos, mori; & propter illos mœrore conficiebantur, infelices eos eſſe æſtimantes, quia una cum cæteris mortalibus periiſſent: & ſibiipſis procul dubio metuebant, ac propterea in ſummo animi angore & cruciatu erant, ne eos ante adventum Domini mors occuparet.

verſ. 14. *Si enim credimus.* (*d*) Rem ipſam explicat, & argumento a reſurrectione Chriſti ſumpto futuram eorum, qui obdormierant, reſurrectionem probat. Argumentum ex loco parium ductum eſt: vult quippe dicere: ſi Chriſtus, cum eſſet mortuus, reſurrexit, ii etiam, qui membra ipſius ſunt, licet moriantur, reſurgent. Atqui prius verum, ergo & poſterius. Porro oratio Apoſtoli verbis ἀνακόλουθος eſt. Ratio enim connexionis aliud requirere videbatur conſequens, ex iſto Apoſtoli antecedente aptum. Ita nempe videtur concludere debuiſſe: Si credimus, quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit; etiam credere debemus, quod Deus eos, qui dormiunt, per Jeſum adducet cum eo. At conſequens ab Apoſtolo expreſſum, *ſic & eos qui obdormierunt per Jeſum, ducet cum eo*, hujuſmodi revera requirebat antecedens; quemadmodum Jeſus mortuus eſt & reſurrexit: Non autem iſtud quod hic ponitur: *Si credimus, quod Jeſus mortuus eſt & reſurrexit.* Sed nimirum conciſa hac loquendi ratione voluit ſimul & antecedentis ipſius, in quo tota vis argumenti ſita eſt, manifeſtam apud ipſos veritatem exprimere, & conſequentiæ ſimul rationem oſtendere. Ac illud quidem voce *credimus*, hoc vero vocula Οὕτω *ſic*, quæ ſimilitudinis ac paritatis inter noſtram & Domini reſurrectionem nota eſt, præſtitit: ita ut in hac enunciatione Paulina tacite includantur rationis ſubſidia, ſeu antecedentis & conſequentiæ probatio. quaſi dicat: Si enim verum eſt, quod Chriſtus, cum eſſet mortuus, reſurrexit, ut ſane verum eſſe omnes, qui Chriſti nomen profitentur, voſque una nobiſcum certiſſimis argumentis convicti creditis; etiam illud verum eſt, quod Chriſtiani, etiamſi moriantur, reſurgant: Si quidem par eſt hujus & illius ratio, itaque ſunt hæc inter ſe connexa, ut illud verum eſſe non poſſit, niſi etiam hoc ſit. In antecedente autem iſtius propoſitionis hoc amplius eſt obſervandum, in vocibus *mortuus eſt & reſurrexit*, eſſe ἐνδιάδυο, pro, *cum eſſet mortuus reſurrexit:* quæ loquendi ratio frequens eſt ſacris ſcriptoribus. Neque enim Apoſtolus duo voluit reſurrectionis noſtræ argumenta adferre, mortem Chriſti, & ipſius reſurrectionem: ſed reſurrectionem tantum, morte tanquam neceſſario antecedente illuſtratam. In conſequente vero cauſa reſurrectionis efficiens, quam non expreſſerat in antecedente, nominatur; nempe Deus.

Vocibus vero *qui obdormierunt per Ieſum*, deſcriptio Chriſtianorum continetur, & voce *Ieſu*, Metonymice doctrina ſeu religio ab ipſo tradita intelligitur. quaſi dicat: qui obdormierunt in religione Chriſtiana: ut idem ſit *per Ieſum*, & *in Ieſu*, ſeu *cum Ieſu*, ejuſve religione. Nam *per* pro *cum* uſurpari, frequens eſt. Vide Rom: 2. 27: IV. 11: XIV. 20: 2. Cor: 3. 11. Quemadmodum autem Chriſti nomen pro ejus religione non raro ſumitur, ita & nomen Jeſu nonnunquam. Vide Epheſ: 4. 21.

*Ducet cum eo.* Id eſt, quemadmodum illum reduxit, puta ex mortuis, ita reducet & ipſos. Hæc enim eſt vis hujus loquendi rationis *cum eo*, ut oſtenditur (*e*) alibi. Vide inter alia Rom: 8. 32. Videtur autem vox ſimplex ἄξει poſita pro ἀνάξει, qua voce in eadem materia utitur alibi ſcriptura, ut Hebr: 13. 20. Rom: 10. 3. Niſi quis malit poſitum pro προσάξει, aut συνάξει, qua ratione ſenſus eſſet: Deum eos, qui in Chriſto obdormierunt, ſimul cum Chriſto ipſo ad ſe adducturum, vel congregaturum; ſed prior ſententia veriſimilior eſt.

verſ. 15. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini.* Id eſt, hoc enim vobis aſſevero & confirmo, non meis, quæ forte in dubium vocare quiſpiam auderet, ſed ipſius Domini Jeſu verbis, tanquam ſi ex ore ipſius Chriſti id audiretis, ego enim id ab ipſo audivi. Vocula *in* redundat: Deſcendit ad uberiorem totius hujus myſterii explicationem, & primo quidem dictis ſuis authoritatem verbis jam explicatis conciliat. Deinde iterum tacitæ illorum cogitationi ocurrens, quia nihilominus putare poſſent infeliciores eſſe eſſe mortuos, quam futuri ſint quos vivos inveniet adventus Domini; ne id quidem dici poſſe oſtendit, quia vivi minime in præmio accipiendo priores iis qui obdormierunt, futuri ſunt.

*Quia*, vel potius, *quod nos viventes relicti in adventum Domini.* Id eſt, quod illi quicunque vixerint uſque ad adventum Domini, ſive ego, ſive vos, ſive quicunque tandem futuri ſunt, quibus viventibus adveniet Dominus Jeſus. Neque enim in prima perſona

(a) *Quod ſit de iis acturus, qui ſunt in Domino mortui.* (b) 2 *Finis hujus tractationis, ne animo contriſtentur.* (c) *Ut gentiles qui ſunt ſine ſpe.* (d) 3. *Reſurrectionis noſtræ certitudo ex reſurrectione Chriſti.*

(e) *Vide lib. I. de Uno Deo Patre Sect. 3. c. 8. pag. 441. 442.*

ideo

ideo hæc effert, quod perſuaſus omnino ſit, aut ſe, aut illos Theſſalonicenſes, ad adventum uſque Chriſti victuros ſed cum utrique tum temporis adhuc viverent, ſe quoque illi hominum generi accenſent, quos in adventu ſuo deprehendet Chriſtus: ſeu ut clarius rem exprimamus, vocibus illis, *nos viventes*, non ſpeciem aut individua hæc, hoc eſt ſe ipſum, & Theſſalonicenſes, alioſque Chriſtianos eo ipſo, quo hæc ſcribebat, tempore viventes intelligit, ſed genus, ſeu homines ejuſdem generis, hoc eſt, Chriſtianos viventes, e quorum numero ipſe una cum Theſſalonicenſibus tum temporis erat. Solet enim ſcriptura ſacra, non ſemel vocibus *nos*, *vos*, ac ſimilibus, non quidem illa ipſa individua quæ loquuntur, aut ad quæ ſermo ſit, denotare, ſed idem individuorum genus, ſeu ejuſdem generis ſingularia. Vide inter alia multa Jud. 2. 1, 9: 1. Sam. 17. 8. & Act: 7 verſ. 53. Vide quoque Socinum contra Palæologum part. 1. cap: 4 pag: 76 & ſequen: edit: ſecundæ.

*Relicti in adventum Domini.* Id eſt, ſuperſtites uſque ad adventum Domini. Nam εἰς poſitum eſt pro μέχρι.

*Non præveniemus eos, qui obdormierunt.* Id eſt, non prius accipiemus, ſeu non accipient ii, qui tum vixerint, præmium, quam mortui: imo ut in eo Chriſtiani vivi mortuis quodammodo ſuperiores erunt, quod mortem non guſtabunt, ita mortui priores quodammodo in acceptione præmii futuri ſunt. Dico quodam modo, quia tamen non prorſus & omnino poſteriores illis vivi futuri ſunt, ut ex ſequentibus apparebit, ubi de modo & ordine ad felicitatem pios, tum vivos, tum mortuos perducendi plenius agetur.

verſ. 16. *Quoniam ipſe Dominus.* Confirmat quod antecedente verſiculo aſſeruerat, & ſimul totam reſurrectionis, atque adeo præmii fidelibus dandi rationem aperit. Primo enim ipſum præmii datorem exprimit, deinde quæ præparatio, quique acceſſus ad tantum opus ſit futurus exprimens, majeſtatem hujus brabeutæ depingit. Tertio demum ordinem & modum, quo in præmio unicuique aſſignando ſit uſurus explicat.

*Ipſe Dominus.* Nempe Jeſus Chriſtus. Hic enim eſt judex vivorum & mortuorum a Deo conſtitutus. Vocula *ipſe* non eſt otioſa, ſed hanc vim habet, ut ſignificet, non per alios hæc perfecturum eſſe Chriſtum, ſed ipſummet e cælo, ubi tanquam in regia nunc habitat, deſcenſurum ad opus tantum, quo nullum cogitari poteſt illuſtrius, perficiendum: ut ita omnibus pateat, per ipſum tantam nobis a Deo felicitatem dari, utque illius majeſtas etiam illis pateat, qui ipſum antea contempſerant, aut etiam, ut ſcriptura loquitur, confixerant; atque ita cernant, jure ſe impietatis ſuæ pœnas nunc dare, & ab illo, quem ſcelerate vel in ipſiuſmet corpore, vel in membris myſtici corporis confixerant, ſe nunc confici & mactari.

*Deſcendet de cœlo.* Hęc præparatio & acceſſus eſt ad tantum opus, deſcenſus de cœlo, in quo nunc degit ad dexteram patris conſidens, in mediam hanc aëris regionem, ut ex verſ. 17 apparet: in quo cum dicuntur fideles in occurſum Domini in aëra raptum iri, non obſcure aſſeritur Dominum in ipſam uſque terram non deſcenſurum, ſed in aëre cum ſuo cœleſti comitatu ſubſtiturum: deſcendet autem illo ultimo die, quem pater conſtituit, ut juſte judicet orbem terrarum, per virum quem definiit, fide palam facta omnibus, illo a mortuis exercitato, quemadmodum aſſeritur Act: 17 verſ. 31.

*In hortationis clamore, in voce Archangeli, & in tuba Dei. In* pro *cum*, ut alibi ſæpe, id eſt, cum læta & ingenti cœleſtis exercitus ſui acclamatione, & veluti triumphantium oratione, cui præibit Archangelus, unus videlet e præcipuis militiæ cæleſtis ductoribus, voce ſua, quæ erit inſtar ſonoræ cujuſdam, & inter homines inuſitatæ, ac Deo ipſo dignæ tubæ. Pertinet id ad majeſtatem adventus Domini, ſeu mavis ipſius Domini advenientis demonſtrandum, de qua plura legimus alibi, & inprimis Matth: 24 verſ. 31. Vox κελευσματικὸν ovantibus propria, vel etiam nautis, qui ſublato clamore ſeſe incitant, ut uno eodemque impetu remis incumbentes navem impelant, præſertim ubi portum ingrediuntur. Ita tum videlicet cæleſtis illæ exercitus, ſedibus ſuis, à Duce ſuo, ſummum gloriæ ſuæ faſtigium impoſituro, & majeſtatem univerſis terrarum populis oſtenſuro, excitus, mutua ſemet acclamatione, velut ad properandum, & juſſa ejus exequendum cohortabitur, vel potius certiſſima jam ſpe triumphum mox ſequuturum præſumens ovabit. Porro tubæ nomine non videtur quid diverſum ab illa Archangeli voce intelligendum; quam etſi hic diſtinctæ a tuba commemoret, in priori tamen ad Corinth: cap: 15, ubi etiam totam hujus myſterii rationem pleniſſime perſequitur, ſolius tubæ meminit: quam vocat *Dei tubam*, ad diſtinctionem humanarum tubarum, quia non quali duces aut reges terreni utuntur, ſed quæ nemini niſi Deo, aut primum à Deo locum tenenti, & ejus perſonam ſuſtinenti, convenit.

*Tubam*, hoc eſt Tubæ ſonum, vocat illam Archangeli vocem, quia tubæ ſono erit ſimilis. ſonora, clara, penetrans, & digna tanto duce ac rege. Eſt ergo in tubæ nomine metaphora cum metonymia conjuncta. Accommodabit Chriſtus adventus ſui tam illuſtris rationem humano quodammodo ingenio ac conſuetudini. Solent enim duces, cum exercitibus præſertim, ac copiis advenientes, itemque Reges cum magno comitatu locum aliquem ingredientes, tubarum ſono adventum ſuum ſignificare, & populum velut ad ſpectaculum evocare, aut convocare: ſic Deus olim vel potius Angelus, Dei nomine legem laturus, cum ſono tubæ in montem Sinai deſcendit: quia ut ſummus rerum Monarcha, & ut Rex populi Iſraelitici, majeſtate venerandus advenit, & ea ratione populum velut ad ſpectaculum convocavit, & ad legem audiendam excitavit, qua de re vide Exod: 19. 16. & Hebr: 12. 19.

*Et mortui in Chriſto.* Id eſt, qui mortui ſunt religionem Chriſtianam conſtanter profitentes, & ei ad extremum uſque ſpiritum adhærentes.

*Reſurgent primum.* Id eſt, prius illi à mortuis excitabuntur, quam præmium reddatur illis, quos vivos adventus Domini reperiet: reſurgent autem incorruptibiles, ut teſtatur idem Apoſtolus 1. Cor: 15 verſ. 52. Explicat id, vel potius probat, quod aſſeruerat, viventes minime in accipiendo præmio præventuros eos qui obdormiverunt; cum contra potius futurum ſit, ut pii qui obdormiverant, prius reſurgant, quam immutentur vivi. Quare mortuos eatenus feliciores viventibus futuros innuit, nedum ut quiſquam illos infelices eſſe autumare debeat, & propter eos nimium, ut Theſſalonicenſes feciſſe apparet, afflictari.

verſ. 17. *Deinde nos viventes relicti.* Id eſt, tum demum poſtquam illi fuerint reſuſcitati, nos etiam, ſeu ii, quos vivos adventus Domini invenerit,

*Simul cum illis rapiemur.* Tres veluti gradus in præmio fidelibus reddendo conſtituit: in quorum primo mortui vivos antevertent: in duobus reliquis cum illis plane conjungentur. Primus gradus erit mortuorum quidem reſuſcitatio, viventium autem immutatio. Sed viventium mutatio conjungetur cum altero felicitatis gradu, nempe cum raptu ipſorum in aërem. Dum enim una cum piis reſuſcitatis abripientur in nubibus, immutabuntur, & corpore glorioſo induentur, ac immortales evadent. Ait igitur. *Simul cum illis,* jam nimirum reſuſcitatis.

*Rapiemur in nubibus.* Quæ tanquam vehiculum quoddam erunt, quo ſubvehamur in altum, quæ ſubvexerunt etiam Dominum, imo in quibus ipſe Dominus quoque veniet.

Rapiemur autem *in occurſum Domini in aëra.* Ut Domino occurramus, qui tum in aëre ſubſiſtet, nos velut expectans, ut teterrimo hoſtium noſtrorum jugo exempti ad illum veniamus.

Tertius atque ultimum gradus felicitatis noſtræ exprimitur illis verbis, *Et ſic ſemper cum Domino erimus.* Deducemur enim inde in cæleſtia, in quibus nunc habitat, palatia, ubi vita nunquã finienda, omnibuſque delitiis & voluptatibus plena fruemur. Neque enim aër ſedes noſtra eſt, ſed cælum illud unde Chriſtum ſervatorem exſpectamus ubi noſtra eſt republica Phil. 3. 20. Vide etiã Joh. 12. 26. XIV. 2, 3. XVII. 24. Summã autẽ hac tota in re videmus Dei æquitatem; Nam quia pii vita functi infeliciores videntur eſſe vivis; mors enim ſine dolore non advenit, & non immerito terrorem omnibus incutit: (unde cupiebat Paulus *non exui*, hoc nimirum mortali corpore, ſed *ſuperindui*, corpore nimirum immortali, ut abſorberetur mortale ab illa vita 2. Cor: 5. 4) ideo prærogativa illis aliqua reſpectu viventium concedetur in adeunda felicitate futura. Siquidem prius reſurgent incorruptibiles, quam vivi incorruptibilitatem induant, & hoc pacto illis compenſabitur infelicitas illa, ac dolor, quem in ſubeunda morte ſuſtinuerunt. Hac porro ratione vivis jam æquati, in cæteris felicitatis gradibus illos non antevertent, ſed pari, ut ita dicam, paſſu, cum illis ad ſupremum felicitatis faſtigium progredientur. Simul illi ad Chriſtum in aërem rapientur, ſimul illun aſpicient, ſimul ab illo in cæleſtes beataſque ſedes deducentur, & ad Dei conſpectum admittentur, una cum illis æternum victuri.

verſ. 18. *Itaque conſolamini alii alios in verbis iſtis.* Id eſt, iſta ergo doctrina, quam jam vobis propoſui, nimium vobis mœrorem excutite, quem capitis ex mortibus aliorum fidelium, præſertim amicorum, & ſanguine vobis, aliave neceſſitudine junctorum, & metum quoque ac ſollicitudinem, ſi quæ vos coquit, dum horretis ne ante adventum Domini mors aliquem veſtrum præveniat.

## CAPUT V.

### ARGUMENTUM

*Capitis hujus partes ſunt tres. Initio de incertitudine temporis adventus Domini diſſerit. Deinde ad adhortationes ad pietatis officia redit. Tandẽ poſt votum & admonitiones ſpecialiores, Epiſtolam familiari ſibi ſalutatione concludit.*

Verſ. 1. *De temporibus autem.* (a) Quia de reſurrectione fidelium diſſerens, dixerat ipſum Dominum Jeſum e cælis venturum, ut & mortuos reſuſcitatos, & vivos ad ſe tranſlatos, ad ſuprema gaudia perducat: (b) de adventus autem illius tempore nihil prorſus definierat; ne & hic ſuſpenſi eſſent, aut erronea aliqua cognitatione illaquearentur, de eo etiam aliquid adjiciendum putavit. Itaque & affinitate materiæ huc Apoſtolus fuit invitatus, & ea ratione de qua ſuperius diximus, quod hoc pacto commodiorem aptioremque habiturus eſſet tranſitum, ſeu mavis reditum ad cætera pietatis officia explicanda, ac nominatim ad vigilantiam Theſſalonicenſibus commendandam. Ut enim ſpes adventus Domini Jeſu eſt fortiſſimum ad perſuadendam pietatem argumentum, ita illius incertitudo, ad excutiendum torporem, & procraſtinationem; ingenerandam autem vigilantiam & indefeſſum pietatis ſtudium. Ita igitur hujus doctrinæ tractationem moderatur, ut ſenſim ab uno ad aliud tranſiliens, fundamentum prius ſequentium adhortationum ſtructuræ ponat, deinde iis quæ conſtituerat, alia ſuperædificet. quaſi dicat: Modum quidem & ordinem, quo ad felicitatem ſupremam tum mortui, tum vivi ſint perducendi, aperui vobis, & in adventu demum Domini totum id futurum indicavi. Verum de illius ipſius tempore, ejuſque articulo, puta anno, menſe, die, nihil addo, neque enim opus eſt, ut ea de re quicquam ad vos ſcribatur.

verſ. 2. *Ipſi enim accurate ſcitis.* Id eſt, (c) ipſi enim probe cognitum & exploratum habetis, ſtatimque ab initio id a me didiciſtis. Superiorem aſſertionem confirmat ex adjuncto, incertitudine videlicet adventus Domini: quam deſcribit a ſimili:

*Quia* ſeu *quod, dies Domini.* Dies videlicet judicii ille ultimus, & decretorius, quo Chriſtus veniet jura ſatorum daturus.

*(d) Sicut fur in nocte, ita veniet.* Id eſt, ita improviſus & inexpectatus, præterque omnium ſpem & cogitationem ingruet, atque fur noctu venire ſolet: quamque increta eſt hora & momentum furis noctu venientis; (aucupari autem ſolet id tempus fur, quo minime omnium expectetur aut ſentiatur) tam eſt incerta hora & momentum adventus domini Jeſu. (e) Vox enim *in nocte*, non determinatio eſt temporis adventus Chriſti, ſeu non jungi debet cum *die Domini*, quaſi innueret, noctu venturum Dominum, ut quidam ariolantur; ſed cum proxime præcedenti voce *furis*: ut ſenſus ſit; ſicut fur noctu ita venire ſolet, (nocturnum enim tempus furtis eſt accommodatiſſimum, & a furibus potiſſimum captari ſolet) ne hora & momentum adventus ejus præſciatur: ita & adventus Domini improviſe homines opprimet. Id quod ex verbis ipſius Domini hac eadem ſimilitudine utentis manifeſtiſſime conſpicitur Matth. 24. 43. Luc. 12. 39. Quanquam & ex Apoſtoli verbis, eorumq; poſitu, res ſatis hoc loco patet. Nam ſi voces *in nocte*, deberent jungi cum *die Domini*, non cum nomine *furis*; non debuiſſet ſubjici particula *ſic* ante verbum *veniet*: ſed ſimpliciter dicendum fuiſſet: dies Domini ut fur noctu veniet. Sed de hoc plus ſatis. Eadem ſimilitudine utitur. Et

(a) *Nexus cum ſuperioribus.* (b) *Pars capitis prima ad verſ. 6, incertum tempus Chriſti ad judicium adventus docens.* (c) *Quia dies ille Domini improviſus ingruet.* (d) *Ut fur noctu ſolet.* (e) Voces *in nocte* quomodo accipiendæ.

Petrus

Petrus 2. Epheſ: 3 verſ. 10. & Apoc. 3. 3. & 16. 15. quibus duobus locis Chriſtus ſeipſum furi advenienti, habita nimirum ratione incerti temporis, comparat. (a) Ex locis autem illis omnibus cauſa ſatis intelligitur, ob quam Deus incertos nos eſſe voluerit de tempore adventus illius definito; nempe ut ſemper parati eſſemus & intenti, nunquam ſecuri, ac proinde ſemper noſmet in officio contineremus, nec quicquam de pietatis ſtudio unquam remitteremus.

verſ. 2 *Cum enim dixerint.* Aſſertionem ſuam demonſtrat, hoc eſt, oſtendit ita adventurum illum diem atque fur noctu venit. (b) Ut enim ille tum maxime advenire ſolet, cum homines maxime ſecuros & ſomno ſolutos eſſe putat: ita cum *dixerint*, puta impii, vel homines generatim omnes, quia generatim omnes impii ſunt futuri,

*Pax ſecuritas.* Id eſt, cùm minime ſperabunt, imo cum maxime ſecuri erunt, & vel omnino non futurum, (quales homines extituros indicat Petrus) vel adhuc longe abeſſe adventum Domini, atque ideo nil mali ſibi imminere putabunt.

(c) *Tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* Id eſt, tum illos opprimet adventus Domini, qui illis perniciem & interitum adferet, nempe pœnam atque interitum. Pro cauſa, nempe adventu Domini, ponit, ſeu mavis, una cum effectu cauſam intelligi vult. Satis enim ex re ſubjecta apparet, de illo interitu hic ſermonem eſſe, quem Domini adventus impiis adferet. Sub tempus autem ultimi judicii, (d) maxime ſecuros, & nimium ſibi blandientes futuros homines impios, docet ipſe Dominus Matth. 24. 37. Etſi autem ſimpliciter dictum fuerit diem Domini inſtar furis adventurum; ſignificat tamen Apoſtolus, id reſpectu impiorum revera intelligendum eſſe, ſeu illorum tantum reſpectu rem illam vim eſſe habituram. Nam licet adeo incertum ſit adventus Chriſti tempus, adeoque improviſo ſit adfuturus Chriſtus, ut fur noctu: ob perpetuam tamen piorum vigilantiam fiet, ut illis non videatur fuiſſe improviſus, nec opprimat inexpectato. Quemadmodum enim fur nunquam circumſpecto patrifamilias improviſus advenit, ut ipſum incautum opprimat, nec operæ pretium adventu ſuo facit, niſi ubi ædes negligentis & ſecuri patrisfamilias invaſit, ita & hic eveniet.

*Sicut dolor in utero habentis.* (e) Alia ſimilitudine idem illuſtrat; & in hac quidem ſimilitudine duo ſunt, quæ in priori deſunt. Alterum eſt, quod prægnanti certus inſtet partus, licet tempus ſit incertum: Furis autem adventus prorſus incertus eſt, poteſt etiam nunquam advenire. Alterum eſt, quod certi iique graves prægnantem dolores maneant; quemadmodum certus imminet impiis in adventu Chriſti cruciatus atque interitus.

*Et non effugient.* Scil. interitum. (f) Additum id ad certitudinem pœnæ, quæ maneat impios indicandam, ſimulque inter hujus ſeculi pœnas, quas multi ſæpe impii effugiunt, & illius diſcrimen inſinuandum.

(a) Cur tempus adventus Domini ignorare nos voluerit Deus (b) *Cum minime ſperabitur.* (c) *Repente impios opprimet.* (d) *qui cum erunt maxime ſecuri,* (e) *Atque prægnantem, dum partus tempus non dum adeſſe putat, dolores invadunt.* (f) *Nec effugient interitum. ut ſolent aliquando temporales pœnas* (g) *Theſſalonicenſes tamen & piis omnibus minime id metuendum.*

verſ. 4. *Vos autem fratres.* (h) Occurrit tacitæ piorum cogitationi. Poterant enim Theſſalonicenſes denunciatione tam inſperati adventus, certiſſimum hominibus incautis exitium allaturi, perterrefieri, atque ita ſibi etiam metuere. Liberat igitur ipſos hoc metu Apoſtolus, in eadem metaphora perſiſtendo, quaſi dicat: Et hoc quidem impiis metuendum eſt, vobis vero minime, ſi modo ſtatui ac conditioni veſtræ convenienter vos geratis.

*Non eſtis in tenebris.* Id eſt, (i) Non enim verſamini in caligine ignorantia voluntatis divinæ, quæ homines ſecuros & oſcitantes reddit.

*Ut dies vos tanquam fur comprehendat.* Id eſt, ut in hac ignorantiæ tanquam nocte, dies ille ultimus, adventus videlicet Domini, tanquam fur inopinato vos opprimat. Ubi dies & lux eſt, ibi nox & tenebræ non ſunt. Apud vos dies eſt, quia eſtis illuſtrati luce veritatis Euangelicæ. Quare nox apud vos eſſe non poteſt. Quad ſi nox eſſe non poteſt, non eſt quod vobis metuatis, ne vos Chriſtus inopinantes tanquam fur noctu adveniens opprimat. Removit initio ſecuritatem, nunc removet etiam nimium metum.

verſ. 5. *Omnes vos filii lucis eſtis, & filii diei.* (k) Idem hic eſt *lux & dies:* lux enim tantum diem efficit, ſeu conſtituit. Senſus eſt: omnes enim vos participes eſtis lucis & diei: (l) nam filium eſſe rei alicujus, phraſi Hebraica, eſt participem eſſe alicujus rei ad eamve pertinere. Sic filium eſſe regni, filium thalami, eſt ad regnum aut thalamum pertinere, Matth. 8. 12. IX. 15, & ejus aliqua ratione participem eſſe. Filium eſſe incredulitatis ſeu inobedientiæ, Epheſ: 2. 2. eſt eſſe inobedientem, adeoque inobedientiæ participem. (m) Participes autem lucis dicit, quia cognitione veritatis divinæ erant imbuti, quæ illa lux eſt, ut apparet ex loco Eph: 5 verſ. 8, 9. Oſtendit his verbis Theſſalonicenſes *non eſſe in tenebris*, a contrario, quod ſimul eſt adjunctum Theſſalonicenſium, nempe cognitione voluntatis divinæ.

*Non ſumus noctis neque tenebrarum*, ſcilicet filii. (n) Illuſtrat id quod dixerat, à contrario. Loco ejus autem quod antea in ſecunda perſona dixerat, *omnes vos filii lucis eſtis*, nunc in prima perſona loquitur; *non ſumus noctis* &c. ut & ſe, & cæteros omnes eandem Chriſti religionem profitentes comprehendat, & eandem omnium hac in parte rationem eſſe oſtendat; forte etiam propterea, quia ſubjuncturus eſt dehortationem a ſecuritate, & adhortationem ad vigilantiam ac ſobrietatem. Mollior autem eſt adhortatio in prima perſona concepta, cum is qui hortatur ſe quoque ipſum includere videtur.

verſ. 6. *Nempe igitur.* (o) Superiori argumento ſuperſtruit jam adhortationes ſuas. Argumentum eſt ex loco diſſentaneorum, ſi prædicatum reſpicias; ſi autem ſubjectum, ex loco adjunctorum. Inprimis autem, in eadem metaphora perſiſtens, dehortatur eos ab oſcitantia & ſecuritate.

*Non dormiamus ſicut & reliqui.* Id eſt, ne ſimus ſecuri & oſcitantes, ne in negotio religionis, ac ſalutis dormitemus, ſicut faciunt illi, qui voluntatis divinæ ſunt expertes, & in Cimmeriis ignorantiæ tenebris verſantur. Tranſlatio eſt a corpore ad animum; vel ex

(h) *Quia non ſunt in tenebris ignorantiæ, quæ ſecuros facit.* (i) *Sed ſunt filii lucis.* (k) *Filium eſſe rei alicujus quid ſit?* (l) *Theſſalonicenſes cur filii lucis.* (m) Tertiam perſonam cur in primam mutet. (n) *Pars capitis altera ad verſ. 23.* (o) *Quo adhortatur eos primo in genere ad vigilantiam.*

vulgato adagio, quo qui ſecurus eſt, in utramque aurum dormire dicitur. Particula (a) *καὶ* comparationi ſerviens quodammmodo redundat, ut & cap: 4 verſ. 5, 13.

*Sed vigilemus.* Simus circumſpecti, officio noſtro unice intenti, etiam atque etiam providentes, ne dies Domini nos incautos opprimat, quantoque certius, quam aliquis pater familias furem, venturum ſcimus diem Domini, horam autem adventus ipſius omnino ignoramus, tanto magis omnem veternum mentis excutiamus, ne dormientibus obrepat.

*Et ſobrii (b) ſimus.* Id id, ab immoderato potus uſu abſtineamus. Altera virtus jam ſpecialior, quæ inſtrumentum eſt, imo mater quædam prioris. Ut enim in corpore ebrietas immoderati ſomni, ſobrietas vigilantiæ cauſa eſt, & ad illam tum acquirendam certiſſimum medium; ita & in animo. Conſer cum hoc loco illud Chriſti Luc: 21. 34. & 1. Petr: 4 7.

verſ. 7. *Qui enim dormiunt, noctu dormiunt, & qui inebriantur, noctu inebriantur.* (c) Id eſt, Nam qui ſomno indulgere, & ebritati vacare ſolent, noctu id facere conſueverunt. Eſt major propoſitio rationis Apoſtolicæ, cujus aſſumptio & præceſſit, verſ. 5. & ſequitur mox in parte verſ. 8. Concluſio verſ. 4 præceſſit. (d) Ratio huic mundi ſenio, ſicut & illa D. Petri Act: 2. verſ. 15 (ad ruborem depravati ſeculi noſtri) non foret accomodata: Sed quicquid hodie fiat, illud certum eſt tam fœdam eſſe ebrietatem, ut merito lucem fugere debeat, ac proinde nullum ibi habere locum ubi perpetuo dies, perpetuo lux eſt. (e) Nihil autem hujus argumenti firmitati obſtat, quod Apoſtolus *luci* ac *diei* improprie ſic dictæ, hoc eſt cognitioni veritatis, opponat noctem propriè ſic dictam. Cum enim ait, *Nam qui dormiunt, noctu dormiunt* &c, noctis nomen proprie ſumit. Robori, inquam, argumenti id nihil detrahit, orationi autem elegantiæ plurimum addit. Nam tacita hic latet comparatio. Nam ſi luci aut diei proprie dictæ non convenit ſomnus proprie dictus, nec ebrietas; multo minus convenit ſomnolentia in re pietatis ac ſalutis, luci ſeu diei improprie dictæ, hoc eſt, ei tempori quo veritatis luce ſumus colluſtrati: ſimiliter nec ebrietas huic tempori convenit.

verſ. 8. *Nos autem diei exiſtentes filii, ſobrii ſimus.* Vox *νήφωμεν* generalis eſt, & tam vigilantiæ, quam ſobrietati ſignificandæ ſervit. Repetit fundamentum totius hujus ſuæ ratiocinationis, ut tanto felicius reliqua quæ intendit ſuperſtruat, annectens finem hujus ipſius vigilantiæ & ſobrietatis, (f) quo continetur adhortatio brevis & nervoſa ad omnia Chriſtianorum officia. Tranſit autem ſenſim ad aliam metaphoram, vigilantiam iſtam, de qua hucuſque dixerat, ad certam ſpeciem reſtringendo, (g) nempe eam quæ militum eſt, rationemque qua eam obire debeant explicat.

*Induti thoracem fidei.* Id eſt, (h) vigilate autem ita armati & muniti, atque ſolent ii qui hoſtes ſibi imminere ſciunt, cum ſciatis vitam veſtram eſſe militiam, & inprimis induite thoracem, id eſt, pectus veſtrum munite, ne facile ad ictus hoſtium pateat.

*Thoracem fidei & charitatis.* Id eſt, thoracem, qui eſt fides ac charitas, ſeu quod eodem redit, fide ac charitate conſtat. Genitivus eſt ſpeciei, ſi fides ac charitas junctim ſumatur: nam alias partes ſunt illius thoracis. Sic Eph: 6 dicitur thorax juſtitiæ, ſcutum fidei, id eſt, thorax qui eſt juſtitia, ſcutum quod eſt fides.

Prior ergo (h) hujus thoracis pars eſt, *Fides.* Firmiſſimus doctrinæ Euangelicæ aſſenſus; ne videlicet quicquam animo dubitationis & hæſitationis de illa foveatis; ſed de illius veritate & certitudine perſuaſi, ab illa nullis hujus mundi minis, nullis calamitatibus, vos abduci & abſterreri patiami. Ad Epheſos ſcuto fidem comparat; ſed ſibi paulo fuſius atque accuratius *παντοπλίαν* Chriſtianam perſequitur: quanquam ſcuti eadem quodammodo quæ thoraris partes ſunt, ut videlicet ictum a pectore repellat.

Poſterior thoracis hujus pars eſt *charitas* (i) videlicet erga proximum. Quam ita quidem late hic ſumit, ut omnia præter fidem & ſpem officia noſtra, per Synechdochen ſpeciei in ſe complectatur, quo pacto ſumitur & alibi 1. Cor: 13. ult. Gal: 5. 6. 1. Joh: 3 verſ. 22.

*Et galeam ſpem ſalutis.* (k) Poſtquam munivit pectus, munire etiam jubet caput, jubetque ei aptare galeam, quæ eſt *ſpes ſalutis*; (l) non quidem illa, quæ præmium potius eſt pietatis, ex recta conſcientia manans; ſed quæ oritur ex aſſenſu doctrinæ Euangelicæ præſtito, quæque inter fidem & charitatem, hic ab Apoſtolo nominatam, intercurrit, ita ut illius ſit conſequens, hujus vero cauſa procreans, ac conſervans, quo pacto ſumitur 1. Cor. 13 verſ. ult. Col. 1. 5: quanquam ibi metonymice pro re ſperata ſumitur; & (m) ſupra cap: 1. 3. Conſiſtit autem in eo, ut quis immortalem ſibi vitam, ſi Deo conſtanter paruerit, datum iri firmiter perſuadeat, ſummoque ad eam deſiderio feratur. Quanquam pro ipſo deſiderio ſalutis, qua tibi datum iri certo confidas, ſi Deo ad extremum uſque paruerit, ſumi poteſt.

verſ. 9. *Quoniam.* (n) His verbis ita ultimum adhortationis membrum, de capienda videlicet galea ſpei ſalutis, comprobare videtur, ut toti ſimul adhortationi robur addat; hoc eſt ad vigilantiam illam nos excitet de qua hucuſque fuerat loquutus, quæ excubias ſpirituales, nobis fide ac ſpe ſalutis armatis, agendas, complectitur. Quanquam nihil prohibet, Apoſtolum ſimul etiam ad ſuperiora oculum intendiſſe; quibus nimium piis metum eximere voluit, inde ortum, quod improviſo adventu ſuo Chriſtus & incautos oppreſſurus, & exitium ſit allaturus iis quos ſecuros deprehenderit: Inde enim ſibi quoque ac ſuæ ſaluti metuere poterant. Hunc igitur metum hic ita temperat Apoſtolus, ut oſtendat alium longe illorum ac hominum impiorum ſtatum ac conditionem eſſe, adeo ut, modo ſibi ipſis deeſſe nolint, interitum poſſint effugere. Et hæc cauſa eſt, cur ſpem, licet media inter fidem & charitatem intercurrat, ultimo loco poſuit; ut ſit illa hoc loco velut quoddam ſuperiorum cum inferioribus vinculum. (o) Ratio autem ſumta eſt a fine, quem Deus ſibi habuit propoſitum, ſive in ſuo de Chriſtianis vocandis conſilio, ſive in ipſo facto & vocatione.

(a) *καὶ abundat.* (b) *Subjungens ſpecialem virtutem ſobrietatem.* (c) *Ratio utriuſque adhortationis.* (d) *Hoc mundi ſenio minus plauſibilis.* (e) *Firma tamen.* (f) *Vigilantia Chriſtianorum qualis.* (g) *Obeunda in armis.* (h) *Debent enim pectus munire thorace; cujus partes duæ.*

(h) *Prior thoracis Chriſtiani pars Fides.* (i) *Poſterior pars Charitas.* (k) *Caput autem muniendum galea, quæ eſt* Spes ſalutis. (l) *Ea duplex.* (m) *Qualis hic intelligenda.* (n) *Cur caput muniendum.* (o) *Quia Chriſtianos vocando Deus non pœnæ deſtinavit.*

Verba

Verba enim iſta, *non poſuit nos Deus in iram*, tam ita poſſunt accipi, non id fuit conſilium Dei, non id Deus intendit & ſibi propoſuit de Chriſtianis, ut eos puniret ac perderet: quam (& quidem melius) ita; non ideò nos vocavit, atque in hoc ſtatu, ut nempe ejus doctrinæ aſſentiremur, velut poſuit ac collocavit, ut nos perderet, & exitii pœnam, quam commeriti eramus, nobis irrogaret. *Ira* pro pœna ſeu ſupplicio & quidem ultimo atque æterno, cauſa nempe pro effectu ponitur.

*Sed in (a) acquiſitionem ſalutis.* Id eſt ſed ut acquireremus ſalutem, nempe illam æternem, quam D. Petrus 1.pet:1.20 animarum vocat. Senſus eſt, quaſi dicat: Ideo vero ſalutis ſpem, tanquam galeam capiti veſtro imponere, & in adventum Domini, quo ea vobis afferetur, intenti vigilare debetis, thorace fidei ac charitatis induti, nec fracti metu, nec ſecuritatis ſomno velit ſopiti; quia non id in conſilio ſuo, quod olim de Chriſtianis fecit, conſtituit, neque id porro cum nos per Euangelii doctrinam ad ſe vocaret, & in eo quo nunc ſumus ſtatu collocaret, ſpectavit Deus, ut nos in ira ſua perderet, & in exitium præcipitaret: ſed potius ut ſalutem ex ejus miſericordia conſequeremur. Quod ipſum ut metum, ita ſecuritatem etiam & torporem ac veternum ſpiritualem excutere unicuique debet; cum ſciamus, in noſtra jam eſſe manuut exitium effugiamus, eam eſſe conditionem noſtram, ut ſalutem conſequi poſſimus, modo advigilare velimus. Jure autem Apoſtolus aſſeruit, Deum non poſuiſſe nos in iram, ſeu ut nos perderet, ſed in acquiſitionem ſalutis: quia ipſa vocationis noſtræ ratio, ſeu promiſſa Euangelica, illuſtribus documentis confirmata, id clariſſime comprobant, uti ex ſequentibus aliqua ratione (b) intelligetur.

*Per Dominum Jeſum Chriſtum.* Id eſt & ea via, quam Dominus Jeſus Chriſtus præſcripſit ac oſtendit, & vi promiſſionum, quas ille primus nobis a Deo attulit, & denique ejus miſericordia, potentia, ope interveniente. Mediam ſalutis noſtræ cauſam ſubjicit, ut aditum ſibi ſternat ad comprobationem ejus, quod de conſilio & intentione Dei, ratione habita ſtatus noſtri, vel, ſi mavis, de ſtatu, in quo nos per Chriſtum collocavit, aſſeruerat.

verſ. 10. *Qui mortuus eſt pro nobis.* (c) Id eſt, qui noſtra cauſa mortem oppetiit, ut videlicet nos mortis ſervitute ereptos, in veram vitæ libertatem aſſereret. Deſcriptio eſt Domini Jeſu ab effectu, quo comprobatur, tale eſſe Dei de nobis conſilium, talem conditionem noſtram, qualem verſu ſuperiori dixerat. (d) Mors enim Chriſti pro nobis ſuſcepta, medium eſt noſtræ ab interitu liberationi, ac ſalutis acquiſitioni, deſtinatum, & ejuſdem certiſſimum pignus. Ut ergo præcedenti capite ex Chriſti reſurrectione ſpei noſtræ firmamentum petiit; ita nunc ex more. (e) Porro cum ſacræ literæ dicunt, Chriſtum eſſe pro nobis, ſeu noſtræ ſalutis cauſa mortuum, id duas præcipue partes habet, prior eſt, quatenus morte ſua nobis plenum jus ad remiſſionem peccatorum acquiſivit, dum promiſſa Novi Fœderis de remiſſione peccatorum ac vita ſempiterna ſanxit, poſterior, quatenus per ſanguinis fuſionem in cælum ingreſſus poteſtatem ac munus nos a pœnis peccatorum liberandi, & exitio ereptos ſalute æterna donandi, eſt adeptus.

(a) *Sed ſalutis* (b) *Idque per Dominum Jeſum.* (c) *Quod & mors ipſius demonſtrat.* (d) *Quam pro nobis ſuſcepit.* (e) *Quomodo id intelligendum.*

*Ut ſive vigilemus ſive dormiamus.* (f) Finem mortis Chriſti uberius expreſſurus, ſtatum noſtrum per diſtributionem ita deſcribit, ut ſignificet neutrum ſaluti noſtræ, modo ſpirituales illas vigilias ſeu excubias, de quibus antea dixerat, agamus, obſuturum. Qua in re objectionem tacitam diluit, ut paulo poſt intelligetur, ubi verba ipſa explicuerimus. Poſſunt autem ea tam proprie accipi de ſomno & vigilia, quam improprie de vita & morte: ut ſenſus ſit; Ideo Chriſtus noſtra cauſa mortem ſubiit, ut ſive adventus illius nos vivos, ſive mortuos, vel ſive vigilantes, ſive dormientes invenerit:

*Simul cum illo vivamus.* (g) Id eſt, non ſecus atque ille vivit, vitam nempe beatam ac ſempiternam vivamus, ut cap: 4 verſ. 14 oſtendimus. (h) Non eſt autem abſurdum, (i) utrumque ſenſum conjungi; cum videatur Apoſtolus, alludere volens ad ſomnum illum & vigiliam, de qua ſuperius loquutus eſt, conſulto ejuſmodi vocibus uſus eſſe, quæ ad omnem vitæ noſtræ ſtatum referri & accommodari poſſent: ut oſtenderet, in quocunque tandem ſtatu nos adventus Chriſti repertus eſſet, ſive viventes, ſive mortuos, ſive dormientes, nihil nobis metuendum eſſe, ſi modo illum, de quo nos ſuperius monuit, ſomnum excuſſerimus, vigiliam vero intenderimus. Occurrere enim videtur tacitæ cuidam objectioni, metuique piorum. Potuiſſet enim quiſpiam cogitare: ſi, ut interitum effugiamus vigilare nos oportet, quid nobis fiet, ſi dormientibus nobis evenerit Chriſtus, aut etiam jam mortis ſopore oppreſſis? Neque enim naturæ noſtræ fert imbecillitas, ut corpore perpetuo vigilemus, & aliquando non obdormiſcamus. Huic objectioni hoc loco occurrit Apoſtolus, dum in utroque ſtatu ſalutem nos conſequi poſſe docet, & hoc pacto ſignificat, cum vigilare nos antea juſſit, & ſomnum excutere, ſi interitum in adventu Domini effugere velimus; non de ejuſmodi vigilantia loquutum, quæ ſomnum naturæ noſtræ refocillandæ neceſſarium excludat, nec ſomnum illum naturalem, aut ſoporem mortis nobis noxium fore, ſed ſomnum ſecuritatis ac negligentiæ in re pietatis, ſomnum peccatorum. Hunc ſi excuſſerimus, nil nobis obfuturum, vel illum corporis ſomnum, vel ſoporem mortis, etiamſi nos hoc illove ſomno oppreſſos Chriſtus deprehenderet.

(k) Affertur & tertia hujus loci explicatio, qua priora verba, nimirum vigilandi & dormiendi, de ſomno & vigilia proprie dicta accipiuntur, *vivere* autem *cum Chriſto*, non de vita immortali, ſed de vitæ pietate; quaſi dicat: ut, ſive dormiamus, vitam noſtram componamus & traducucamus, atque Chriſtus olim vixit & nunc vivit, id eſt, ut eum imitemur, ipſique ſimiles integritate ac ſanctitate vitæ ſimus. Id quod reſpectu vigiliæ planum eſt. Reſpectu vero ſomni explicari ſolet ita, nimirum religioſi ad ſomnum etiam accedamus, non tantum precibus nos Deo commendantes, ſed jam jam in ſomnum ituri religionis pleni ſimus; ut hanc velut ſcintillam ignis ſpiritualis ſomni favilla ad tempus ſepeliat (quemadmodum circumſpectis patribus familias cubitum ſe conferentibus moris eſt) ſtatim ubi evigilaverit, leni ſtatu excitan-

(f) *Finis propter quem pro nobis Chriſtus mortuus.* (g) *Ut ſimul cum illo vivamus.* (h) *Quomodo id intelligendum.* (i) *Senſus duo recepti.* (k) *Tertius repudiatus.*

dam. (a) Verum hæc interpretatio coactior videtur, & concionanti potius, quam Apoſtolicæ intentioni apta. Satis enim apparet Apoſtolum in his verbis ſpem ſalutis noſtræ, de qua hucuſque diſſeruerat, confirmare voluiſſe. Iſta vero interpretatio ad ſecuritatem tantum excutiendam pertinet, quaſi ſignificat Apoſtolus tantum a nobis pietatis ſtudium requiri, ut ne ſomnus quidem noſter ea prorſus vacare debeat. Id quod metum potius, quam ſpem excitat.

verſ. 11. *Ideo hortamini alii alios.* (b) Ex ſuperioribus novam adhortationem educit, quaſi dicat: Cum igitur tam læta ſit conditio veſtra, qui Chriſto nomen deſtiſtis, nolite vobiſmet ipſis deſſe: (c) ſed ſubinde & vobis ipſis, & aliis omnem veternum animo excutientes, mutuo vos ad iter pietatis ſtrenue & inoffenſo pede decurrendum adhortemini, vel (d) *conſolamini alii alios*, ne videlicet metu frangantur. Nam & ita vox παρακαλεῖτε verti poteſt, ut ſit velut repetitio ejus quod ſub finem cap: 4 dixerat; quandoquidem ſpem ſalutis noſtræ uberius nunc confirmavit, morte quoque Chriſti velut in ſubſidium vocata: cum capite præcedente reſurrectionem revera tantum urſiſſet, mortem autem non niſi reſurrectionis gratia commemoraſſet.

*Et ædificate unus unum.* Id eſt, (e) inſtruite; qua mentem interiori rerum divinarum notitia imbuendo, qua voluntatem ad pietatem ſtudioſe capeſſendam flectendo & impellendo; & quidem ſubinde aliquid huic ſtructuræ adjiciendo, donec faſtigium operi imponatur; ut ratio metaphoræ iſtius poſtulat.

*Sicut & facitis.* (f) Id eſt, quod etiam facitis. Adhortationi laudem ſubjungit, ut calcar currentibus addat, & ſimul ſuſpicioni eorum occurat, (g) ne forte exiſtiment hanc adhortationem eſſe tacitam officii intermiſſi ac negligentiæ exprobrationem.

verſ. 12. *Rogamus autem vos fratres.* (h) Nova adhortatio, & ex ſpecialibus hoc capite propoſitis ſecunda, honorem & curam paſtorum: quam blande proponit, obſecrans potius quam admonens, ut ipſa hac ejus lenitate, tanto citius animis eorum illaberetur: præſertim quia apud eos, qui huic rei nondum aſſueverant, videri poterat officium hoc ſervitutem aliquam reſipere. Quia vero velut novam adhortationis telam orditur, ideo illos compellat *fratres.*

*Ut noritis*, id eſt, ut conſideretis, & ante oculos habeatis laborem ipſorum, & quid ipſi agant diligenter expendatis. Niſi cum quibuſdam malis verbum *noſſe* per metonymiam accipere, pro colere ac debita reverentia proſequi.

(i) *Qui laborant in vobis.* Id eſt, inter vos. Laborant autem, vosdocendo ac monendo, ut paulo poſt ait. Presbyteros intelligit ac paſtores, quorum officium deſcribit.

*Et præſunt vobis in Domino.* Id eſt, qui vobis in iis quæ ad Dominum pertinent, quæ ad religionis negotium ſpectant, præſunt, Eccleſiæque gubernacula tenent. Cujus autem generis ſint labores iſtorum explicat.

*Et admonent vos.* Id eſt, veſtri vos officii ſubinde admonent, a vitiis avocant, ad virtutes cohortantur. Quanquam hoc nomine comprehendenda eſt etiam aliorum Chriſtianæ religiones capitum, ſeu ſententiarum, quibus pietas Chriſtiana ſuperſtruitur, explicatio: omnia enim hæc ad νουθεσίαν ſeu admonitionem tandem ſpectant.

verſ. 13. *Et ducatis illos ſuper ex abundanti in charitate.* (k) Hic eſt effectus ac finis ejus, quod antea dixerat, ut *noritis eos.* Duplici autem modo id poteſt explicari; vel, & æſtimetis ſtatuatiſque eos præ cæteris & ſupra omnes charitate veſtra eſſe digniſſimos, atque omne genus honoris & obſequii ipſis deferatis, rebuſque ac neceſſitatibus eorum præ cæteris proſpiciatis; ut charitas ſit id, quo illos admodum dignos judicare ſeu æſtimare debeant. Vel, ut eos præ cæteris æſtimetis, & honore ſummo proſequamini, ex charitate, ſeu charitate erga eos impulſi atque inflammati, ut charitas ſit cauſa efficiens honoris illis exhibendi.

*Propter opus illorum.* Id eſt, (l) propter illorum munus & functionem, cauſam ſubjicit admonitionis, ſeu mavis rei ipſius quam ſenioribus præſtare jubet. *Opus* pro functione Joh. 17. 4. 1. Cor. 16. 10. 1. Tim. 3. 1.

*Pacem habete in vobis ipſis.* Id eſt, (m) inter vos autem mutuo pacem & concordiam colite. Tertium officium ſpeciale.

verſ. 14. *Rogamus autem vos fratres.* (n) Quarta adhortatio ſpecialis, quadruplex officium continens, ad aliorum utilitatem atque ædificationem ſpectans, ex charitate erga illos manans. Officia enim illa diverſa & varia eſſe debent, pro diverſitate & varietate ſubjectorum, ut videlicet uniuſcujuſque ſaluti, prout cuique opus eſt, conſulatur.

Et primum quidem inquit, *Monete inordinatos.* (o) Id eſt, eos qui a via pietatis aberrant, (p) nec eam, quam debeant, officiorum orbitam premunt, ſalutaribus monitis veſtris in viam reducite, & ut pietatis tramiti inſiſtere velint admonete, cum delictorum gravitate ac turpitudine, & pœnarum quæ ipſos maneant, acerbitate, tum præmii, ſi recte ſe geſſerint, præſtantia ob oculos poſita.

Deinde (q) *conſolamini puſillanimes.* Id eſt, (r) cum iis qui vel ob ante actæ vitæ peccata ac ſcelera, vel etiam ob præſentes infirmitates & lapſus, animum erigere non poſſunt, aut ſpem ſibi gratiæ divinæ ac ſalutis ſempiternæ, indignitatem ſuam expendentes, facere non audent; (s) (quod cum aliis non raro contingit, tum ſæpius iis, qui morti ſunt vicini, eamque prope ante oculos verſari cernunt) vel ob afflictionum, quibus propter nomen Domini premuntur, acerbitatem animo ſunt abjecto & puſillo: (t) cum iis, inquam, ita agite, ut conſolationibus veſtris animos eorum erigatis; miſericordiam videlicet & fidelitatem Domini illis ob oculos ponendo, propter quam ille peccata quidem, qualiacunque tandem fecerint, ſit ipſis remiſſurus, ſi pro virili ea vitaverint, & ſi quid impoſterum etiam reſtiterit temporis, id ſecundum mandata Domini tranſigentes, integritate ſua expiaverint; in afflictionibus vero, ſi modo ſeſe ipſi penitus commiſerint, minime eos ſit deſerturus, & vel finem afflictionibus allaturus, vel levamen adhibiturus, vel vires ad eas fortiter perferendas ſubminiſtraturus.

(a) *Concionatori potius convenit, quam intentioni Apoſtoli.* (b) *Altera generalis hortatio.* (c) *Ut ſe mutuo ſive admoneant,* (d) *ſive conſolentur;* (e) *Et inſtruant.* (f) *Cujus rei laudem eis tribuit.* [g] *Quare?* [h] *Adhortatio ſpecialis altera ad curam Paſtorum.* [i] *Quos tripliciter deſcribit.*

[k] *Qualis & quanta ea.* [l] *Quare?* [m] Opus *pro* functione. [n] *Adhortatio ſpecialis tertia ad concordiam.* [o] *Quarta adhortatio ſpecialis quadripartita.* [p] 1. *monere inordinatos.* [q] Inordinati *qui.* [r] 2. *Conſolari puſillos.* [s] *Qui tales?* [t] *Quando maxime.* [v] *Quomodo.*

Tertio (a) *Sustinere infirmos.* Id est, (b) eos vero, qui ob exilem rerum divinarum notitiam, in rebus fundamenta salutis non subvertentibus errant, neque exactam religionis habent notitiam, tolerate: (c) non statim videlicet illos rejiciendo, aut usurpatione libertatis Christianæ a vobis abalienando, & propter exactiorem, qua estis præditi, rerum cælestium notitiam, contemnendo; sed potius de jure vestro in illorum gratiam remittendo, & iis vos accommodando, atque ita eos sensim ad cognitionem rerum exactiorem perducendo. Debemus enim, qui firmi sumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non placere nobis ipsis, ut ait Apostolus Rom. 15. 1. Vide & cap. 14. 21, & 1 Cor. 8. 9. (d) Posses infirmorum nomine etiam illos intelligere, qui in pietatis stadio decurrere conati, sæpius tamen ex imbecillitate aliqua labuntur. (e) Sed credibilius est, illos hic intelligi, quos locis dictis, vel *infirmos* simpliciter, vel infirmos fide appellat. Qui vero pietatis habita ratione infirmi sunt, ii sequenti præcepto comprehendi possunt.

Denique (f) *Longanimes estote ad* vel *erga omnes.* Præceptum hoc, licet ad privatam lenitatem ac mansuetudinem, qua nimirum uti debemus erga eos qui nos privatim læserunt, referri possit; credibile est, illud vel magis, vel certe non minus, ad publicam, ut ita dicam, lenitatem ac mansuetudinem pertinere, (g) qua uti debent fideles erga eos, qui licet in ipsos privatim non deliquerint, in Dei tamen honorem Ecclesiæque integritatem aut famam peccant: itemque in eos, qui errores forte suos pertinacius defendunt. Itaque per vocem *omnes* Christiani omnes potissimum videntur intelligendi. Nam de privata mansuetudine erga eos, qui nos ipsos læserunt, sequens præceptum loquitur. Nisi dicere velis, sequens præceptum huic declarando atque amplificando subnecti.

vers. 15. *Videte, ne quis.* (h) Adhortatio ad mansuetudinis & lenitatis studium, ac curam, ratione effectuum ejus virtutis habita. Ita vero hæc verba concepta sunt, ut tam eam curam quæ alios, quam eam quæ nos ipsos etiam respiciat, in se complectantur. *Videte*, id est, (i) etiam atque etiam curate (verbum id ad necessitatem, vel simul etiam difficultatem quandam rei quam præcipit indicandam, additum) (k) ne quis inter vos reperiatur, qui malum pro malo reddat. Monet videlicet, ut quisque ab hoc vitio sibi caveat, & ne alii forte ei indulgeant, provideat.

*Malum pro malo reddat.* Id est, injuriam ulciscatur, pro dolore dolorem, pro damno damnum reponens. De vindicta loquitur, privatos alloquens, (l) non tantum ea quam ipsi privatim repetant de iis a quibus sunt læsi, sed etiam ea quam per magistratum repetere queant. Non tamen ut tollat pœnam, quæ a magistratu ipso boni ordinis causa irrogetur, læso licet minime instigante, neque etiam ut privatos arceat a legitima suorum per magistratum repetitione: aliud enim est restitutionem damni requirere; aliud pœnam: præsertim si ita compensationem damni moderetur, ut, quantum in te est, caveas, ne is qui te læsit, pœnam incurrat.

Addit vero *alicui*, (m) id est, cuicunque, sive frater sit, sive extraneus: ut affectui libenter hic effugia quærenti frenos imponat, ne quis ad certum tantum genus hominum id præceptum adstringat, aliterque ibi cum extraneis, & aliter cum fratribus (quod etiam hodie nonnulli vellent) hac ipsa in re agendum esse existimet: id quod ex oppositæ antithesi clarius elucescit.

(n) *Sed bonum semper sectamini.* Id est, sed quoties vobis ab aliquo illata fuerit injuria, pro eo, quod alii vindictam quærunt, vos (ut alibi ait, Rom. 12. ult.) bonitate vestra malitiam illorum vincite. *Bonum* accipitur hic respective, ut loquuntur, pro utili, quod scilicet alteri bonum sit, seu, ut nonnulli vertunt interpretes, pro ipsa beneficentia.

*Et in vos mutuo.* Seu in vos, aut erga vos mutuo, qui estis vinculo Christianitatis copulati.

*Et in omnes.* (o) Cujuscunque tandem sint status, conditionis, ac religionis. Quasi dicat: etiam in extraneos, & a Christiana Religione alienos, ubi vos læserint, beneficentiam exerceatis. Vult ergo Apostolus mansuetudinem ita a nobis exerceri, ut etiam beneficentiam exerceamus, & tam longe abesse a vindictæ cupiditate, ut ejus contrarium etiam faciamus.

vers. 16. *Semper.* (p) Sequuntur tres numero adhortationes ejusdem generis, ad ea videlicet officia ducentes, quæ pietatem in strictiori significatione, hoc est, religionem cultumque divinum respiciunt: quanquam eorum primum ad ipsos quoque fideles spectat.

Id vero est, (q) *semper gaudete.* Gaudio videlicet non carnali, seu ex carnali causa proficiscente; sed spirituali, (r) quod videlicet inprimis ex spe immortalitatis, nobis per Christum a Deo factæ, proveniat. De hoc gaudio loquitur idem Apostolus Rom. 12. 12 Phil. 4 vers. 4.

Vult autem isto gaudio Thessalonicenses gaudere, (s) *semper.* Id est, omni tempore, tam rebus prospere & ad voluntatem fluentibus, quod quidem sponte videtur provenire, in animo felicitatis salutisque suæ recto æstimatore; quam in afflictionibus & calamitatibus, & præsertim si ejusmodi incidant tempora, quibus omnia adversus eos conspirare, & velut classicum canere videantur: ut videlicet in maximis etiam angustiis & angoribus constituti sese erigant, nec quantumlibet gravissimis & acerbissimis casibus ita a mœrore opprimi se patiantur, ut animum demittant, & se tristitiæ penitus dedant, atque ita gaudium istud spirituale amittant; sed potius tanquam palma, tanto acrius contra ea nitantur, & gaudii istius cœlestis vi omnia, quæ ipsos premunt onera excutiant & disjiciant, (t) In quo quidem casu, fatendum est, eclipsin velut quandam & deliquium istius gaudii posse contingere, (u) non quidem illam totalem, sed tamen talem, ob quam minus vires suas explicet, & cælesti subsidio ad eas refovendas & recreandas egeat. Ita quantum in Christianis tum supererit spei, misericordiæ & benignitatis divinæ, beatæque immortalitatis, qua se tum sustentent, & recreent, tantum supererit istius gaudii.

vers. 17. *Indesinenter orate.* (x) Alterum præceptum, de precum assiduitate. *Indesinenter*, id est, quam creberrime, quam frequentissime. (y) Illa enim dicimur

(a) 3 *Sustinere infirmos.* (b) *Ii qui.* (c) *Quomodo tolerandi.* (d) *Alia infirmorum significatio.* (e) *Sed non hoc hujus.* (f) 4 *Longanimitas erga omnes.* (g) *Quid ea?* (h) *Quinta adhortatio ad officia, cum sumus ab aliquo læsi.* (i) *Quam diligenter ea observanda.* (k) *Vindicta hic fugienda.* (l) *Quomodo.*

(m) *Quam late id extendendum.* (n) *Pro ea, beneficentia sectanda.* (o) *Erga omnes.* (p) 6 *Adhortatio ad tria officia, cultum divinum respicientia.* (q) 1 *Gaudium spirituale.* (r) *Unde id oritur.* (s) *Gaudendum autem omni tempore.* (t) *Et si posset hic eclipsis intervenire.* (u) *Non tamen totalis.* (x) 2 *In precibus assiduitas.* (y) *Quomodo id id intelligendum.*

indesinenter agere, quæ quam creberrime facimus, & quibus dediti intentique sumus, licet etiam aliquando in iis, natura rei ita ferente, interjungere cogamur. Quanquam & alia quadam ratione jubemur semper orare, & non segnescere, ne videlicet animum despondeamus, & ab oratione cessemus, si non statim, in re quam patefactæ a Deo voluntati consonam esse novimus, exaudiamur: sed potius tanto magis preces intendamus, acriusque instemus, scientes, Dominum quandoque non quia preces nostras spernat, opem denegare, sed probandæ fidei nostræ tantum differre. Et de hac in precibus assiduitate loquitur ipse Dominus Luc. 18. 1.

verſ. 18. *In omni gratias agite.* (a) Tertium præceptum. *In omni*, scilicet tempore: ad tempus enim illum potius respicere, quam ad objectum, cum antecedentia præcepta indicant, tum vero quia in malis ac suppliciis non est proprie gratiarum actioni locus, nisi forte per accidens, quatenus utilitatem aliquam nobis afferre possunt. (b) Quanquam ad Ephesios utrumque conjungit Apostolus cap. 5 verſ. 20, sensu quem hic innuimus, ibi vero luculentius explicuimus.

(c) *Hæc enim est voluntas Dei.* Id est, id enim vult Deus, ut supra cap. 4 verſ. 5.

*In Christo Jesu.* Id est, in Religione Christi Jesu, vel, per Jesum Christum tradita. *In vos.* Id est, respectu vestri, vel ad vos spectans: Breviter, hoc a vobis requirit Deus. Ratio cum hujus ultimi, tum priorum etiam duorum præceptorum.

verſ. 19. *Spiritum ne extinguite.* (d) Sequuntur tria alia præcepta, spectantia ad officia in rebus de donis spiritualibus, præsertim quæ in aliis appareant. (e) Quorum primum est, ne *spiritus* id est, afflatus divinos, & dona ex divina efficacia proficiscentia *extinguant*, sive in se; tum oscitantia, tum vitæ impuritate; sive in aliis (nam huc potius respicere videtur) conatibus videlicet illorum obstando, illos spernendo. (f) Fit enim sæpe, ut etiamsi quis maximo Dei dono sit præditus, si videat sua dicta nihili fieri, & se nihil promovere, adeoque contra torrentem brachia dirigere, velut oppressus animum despondeat, & ab eo, quod cœperat, desistat: ex quo tandem & illud consequitur, ut ipsum etiam donum, ubi tanquam ignis velut quodam flatu non excitatur, paulatim desinat & extinguatur.

verſ. 20. *Prophetias ne nihili facite.* (g) Alterum hujus generis præceptum, priori velut subserviens, eique subjectum. In specie enim, & exemplo quodam declarat, quod generaliter dixerat, quasi dicat: Inprimis vero *Prophetias*, id est, si quis se Prophetam esse professus fuerit, qui Deo inspirante ac patefaciente, abstrusa in Religione Christiana mysteria pandere atque explicare possit.

*Ne nihili facite.* Id est, ne contemnite, ne statim rejicite: ita enim spiritum extinguetis, atque ab optimo persæpe conatu eum, qui dono aliquo divino præditus est, absterrebitis; sicut ex contrario, ubi quis locum industriæ videt, non libenter celat ea, quibus ipsum Deus ornavit.

verſ. 21. *Omnia explorantes.* (h) Tertium præceptum, quo occurrit tacitæ illorum cogitationi & objectioni. Poterant enim dicere: Vis igitur nos statim assentiri, simulac quis spiritus afflatum & Prophetiæ donum præ se ferens nobis aliquid obtrudere cœperit? Minime vero, inquit Apostolus. Nec ideo ab uno extremorum vos avoco, ut in alterum pertraham; sed mediam quandam viam vos insistere volo; ut non statim omnia rejicere, sic nec statim cæco quodam impetu approbare debetis. Sed quicquid vobis fuerit oblatum & propositum, explorate, & rationes ejus excutite. (i) Explorate vero, ad Lydium veritatis illius, quam professi estis, quamque a nobis didicistis, lapidem.

Illudque tandem quod (k) *bonum est*, id est, rectum & veritati consonum, *tenete.* Ita scilicet & a periculosa credulitate vobis cavebitis, & spiritum non extinguetis. (l) Præceptum hoc non Apostoli tantum temporibus unice necessarium, quibus complures impostores, prophetiæ & spiritus donum jactabant, periculum vero erat, illa ut statim recipere, ita & statim rejicere, ob ingentium in Ecclesia donorum copiam; sed nostris etiam: partim quidem, ne protinus tanquam fanaticum, aut hæreticum damnemus ac repudiemus, si quid a quopiam proferatur de rebus divinis, antea nobis inauditum; partim vero etiam, ne temere credamus, sed examine diligenti instituto, rejiciamus falsa, vera ac salutaria retineamus.

verſ. 22. *Ab omni.* (m) Ultima adhortatio, quæ velut in summam omnia pietatis officia colligere videtur. Quasi dicat: Breviter, ut uno verbo dicam, *Ab omni specie mali abstinete.* Id est, vel ab omni eo, quod licet malum revera non sit, tale tamen esse videatur; nedum ab eo quod revera malum est: (quod tamen si res per se honesta est, tum tantum locum habet, ubi vel metus est scandali, vel spes majoris ædificationis) vel etiam,

*Ab omni specie mali.* (n) Id est, ab omni eo, quodcunque malum est, quamcunque formam aut speciem habeat, ab omni genere malitiæ; ut *species* idem sit Apostolo, quod forma: Quamcunque faciem & formam improbitas induerit, qualis qualis tandem fuerit, ab ea abstinete.

verſ. 23. *Ipse autem Deus.* (o) Tertia capitis pars, cujus sunt tria membra. Nam primo votum magnificum ponit, deinde monita quædam specialiora interserit, (p) tandem usitata sibi formula, seu voto Epistolam concludit. Et quod ad votum quidem prius attinet, non tantum illud verbis amplissimis expressit, sed spem etiam iis non ambiguam, futurum certo quod vovebat, fecit; quasi dicat: (q) & hæc quidem ego vobis præcipio, vosque proinde pro virili exsequi ea studere debetis, sed Deus ipse conatum utrinque nostrum, opera sua adjuvet, & ad eam vos sanctitatem, ad quam vos exstimulo, perducat.

Vocat autem eum, *Deum pacis*, hoc est, authorem pacis ac felicitatis omnis. (r) Duplici enim ratione Deus appellatur *Deus pacis*, vel quia concordiæ est author, eaque vehementer delectatur: vel quia est felicitatis omnis author. Utrumque enim vox *Pacis* significat. Priori modo sumitur 1 Cor. 14. 33. Posteriori modo sæpius in hujusmodi votis, ubi non nominatim pax, seu concordia optatur fidelibus, sed simpliciter id, quod ad felicitatem eorum pertineat, ut & hoc loco accidit. Descriptiones enim hujusmodi accommodatæ solent esse rei qua de sermo est.

(a) 3 *Gratiarum omni tempore actio.* (b) *Et de omnibus.* (c) *Ratio omnium istorum trium.* (d) *Adhortatio septima ad officia tria quoad dona in aliis conspecta.* (e) 1. *Ne Spiritus extinguant.* (f) *Quomodo id fiat.* (g) 2. *Prophetias ne nihili faciant.* (h) 3. *Omnia explorent.* (i) *Quomodo?* (k) *Bonum vero teneant.* (l) *Precepti hujus necessitas.* (m) *Octava adhortatio generalis, ut ab omni specie mali abstineant.* (n) *Species mali h. l. quid?* (o) *Tertia extitis pars: Ejus membra tria.* (p) 1 *Votum magnificum.* (q) *Nexus cum superioribus.* (r) Deum cur vocet Deum pacis.

Summa

quam illis optat, eſt *ſanctificet vos totos*, Græce ὁλοτελεῖς. [a] quaſi dicat, omni ex parte, ac plane ſanctos atque inculpatos vos reddat, auxilium nempe vobis eam ad rem ferendo. * Neque enim ita ſanctificat homines Deus, ut eorum ipſorum opera & conatus excludatur. Hoc autem votum poſtea declarat, maxime habita ratione illius perfectionis, quam ſignificaverat voce ὁλοτελεῖς. Ea enim duplex eſt, partim quidem habita ratione partium ſubjecti, ſeu hominum ſanctificandorum: partim habita ratione ipſius qualitatis, hoc eſt ſanctitatis in ſubjectum illud introducendæ.

Ait enim, *& integer veſter ſpiritus, & anima, & corpus, inculpate in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.* [b] Hominem in tres diſtribuit partes: *in ſpiritum*, hoc eſt intellectum ac mentem, qua Deum, cœleſtia, honeſta conſideramus, ac cognoſcimus.

*Animam*, hoc eſt, voluntatem (ſic ſumitur cum jubemur ex tota anima Deum diligere) quanquam hic appetitum quem voluntas dirigit, cum ea conjungere poſſumus, vel potius debemus,

[c] *Et corpus*, ſeu corporis membra, quibus ſententiam mentis, ac voluntatis decreta exequimur.

Vult autem ut [d] *integer* ſpiritus, anima, corpus, inculpata ſerventur: ne qua pars iſtarum rerum ſanctitate vacet.

Sanctitas autem illa exprimitur, dum dicitur, *ut inculpate ſervetur*:

Ejus perfectio, ac plenitudo quædam, dum additur, *in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Inculpata enim in adventu præſertim Jeſu Chriſti eſſe ea non poſſunt, niſi ſint ſancta. Quod enim eſt ſanctum, culpari non poteſt; quod ſanctum non eſt, culpa non vacat. [e] Inculpatus autem eſt integer ſpiritus, cum mens atque intellectus noſter omni vacat errore, qui ipſum polluere, atque inquinare aliqua ratione poſſet. Talis autem error foret, qui pietatem aliqua ex parte tolleret, aut labefactaret: ut ſi quis quidpiam præceptis Chriſti adverſum ſtatueret, aut quod ſpem futuræ vitæ, qua omnis Chriſtiani hominis pietas nititur, ſubverteret. [f] Anima ſeu voluntas inculpata eſt, cum nihil ſtatuit, nihil deſiderat, quam quod divinis mandatis eſt conſentaneum, & in pietatem ac ſalutem toto impetu fertur. [g] Corpus denique inculpatum eſt, cum nihil aliud facit, nec quicquam membrorum miniſterio exequitur, niſi quod cum iiſdem Dei ac Chriſti mandatis convenit.

Vult autem ea omnia ſervari *inculpate in adventu Chriſti.* [h] Ita enim cohærere videntur verba, ut ſignificetur vera ac ſolida ſanctitas, non ficta, & ſpecie tantum pietatis hominum oculis imponens: non etiam mutila, quæ in adventu Chriſti in que ipſius judicio conſiſtere, & nos inculpatos præſtare non poſſit; ſed talis, quæ coram ipſo Chriſto olim, cum judicabit mundum, & unicuique pro operibus reddet mercedem, inculpatos nos præſtet, hoc eſt in cauſa ſit, ut ab omni ſupplicio immunes, in regnum cœleſte admittamur. Non arbitramur ergo ἐν hic poſitum pro εἰς, & hoc rurſus pro μέχρι, quaſi dicat, *uſque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ut nonnulli cenſent, & ſic verba hæc cum ſequenti verbo *ſervetur* conjungunt, quaſi Apoſtolus durationem iſtius ſanctitatis eo pacto exprimat. Quanquam nihilominus eam durationem his verbis involutam arbitramur. Nam dum ait *conſervetur*, non tantum partes illas hominis inculpatas ſanctaſve ſemel effici, ſed eam ſanctitatem conſtanter a Deo foveri cupit, eamque fixam ac ſtabilem eſſe optat: Deinde cum vult, ut ea ſerventur *inculpate in adventu Chriſti*, hoc eſt ita, ut in adventu Chriſti culpari nequeant; ſimul indicat ad adventum Chriſti uſque, vel ſaltem uſque ad mortem, ea inculpate ſervari debere. Si enim ante illud tempus inculpata eſſe deſinant, in adventu Chriſti inculpata non erunt. Eo ipſo autem dum adventus Chriſti fit mentio, inſinuatur animis neceſſitas atque utilitas ejus ſanctitatis, quam Theſſalonicenſibus optat Apoſtolus. Quandoquidem notum erat omnibus Chriſtianis, Chriſtum in adventu ſuo orbem univerſum judicaturum, & cuique pro operibus juſtam mercedem redditurum. Quare & neceſſe eſt in adventu illo inculpatum reperiri, & fructum ea res habitura eſt incomparabilem.

verſ. 24. Voto expreſſo, ſpem quoque facit Theſſalonicenſibus Apoſtolus, fore ut, quod ipſis optaverat, conſequantur, dum ſubjicit: *Fidelis qui vocat vos, qui etiam faciet.* Ubi & cauſam exponit, unde effectus voti ſui manaturus ſit, & unde tanti boni ſpem ac fiduciam capere illi merito poſſint, deinde & ipſum effectum ſubjungit.

Cauſa eſt, *Dei*, qui Theſſalonicenſes ad ſuum regnum ac gloriam vocaverat, *fides.* Hoc eſt conſtantia in ſervandis promiſſis, omnibuſque illis præſtandis, quæ promiſſionibus ipſius, aut gratiæ hominibus oblatæ, ſunt conſentanea. Quare cum & promiſſa Dei, & gratia Theſſalonicenſibus oblata poſtulet, ut quatenus vires ipſorum deficiant, ope illos ſua atque auxilio fulciat, ut ſancti atque inculpati in adventu Domini Jeſu ſerventur: fides quoque Dei poſtulat, ut id præſtet. Quare nihil dubitandum eſt, Deum auxilium illis laturum, ad ſanctitatem omni ex parte, conſtanterque colendam. Deſcribit autem Deum, nomine non expreſſo, dum ait, *qui vocat*, aut per Enallagen temporum, *vocavit vos*, ut ſignificet, quænam ſit, aut unde pendeat illa obligatio Dei, ad auxilium illis, ut omni ex parte inculpati evadant, ferendum. Comprehenditur enim ea in vocatione à Deo profecta, aut ex ea pendet. Etenim vocat nos Deus, cum nos ad cœleſte regnum capeſſendum invitat, & aparte declarat, cupere ſe, ut regnum illud aliquando re ipſa obtineamus, ea nimirum via, quam nobis per Chriſtum præſcripſit. Id vero dum facit Deus, ſignificat ſe nos vehementer diligere, omniaque quæ ad ſalutem noſtram ſunt neceſſaria, in quibus vires noſtræ deficiunt, facere paratum eſſe. Nam alias, quod verbis offerret, re ipſa negare videretur, ſi, cum viam ad cœlum præſcripſerit, quam nobis ipſis relicti, & ope ipſius deſtituti, emetiri non poſſimus, nos poſtmodum deſtitueret. Quare vel ipſa hæc ad cœleſte regnum vocatio tacitam quandam complectitur Dei obligationem, ac eu tu mavis promiſſionem, quæ poſtulet, ut auxilium ferat ad ſanctitatem conſtanter colendam: ſed extant etiam aperta Dei promiſſa vocationi huic annexa, quibus Deus ſpiritu ſe nos ſuo corroboraturum, & in pietatis curſu nos adjuturum pollicetur.

[a] *Summa voti ut eos Deus ſanctos reddat.* * Quomodo id Deus præſtat. [b] *Et totos quoad 1 Spiritum* [c] 2. *Animam.* [d] 3. *Corpus* [e] *Et perfecte.* [f] *Spiritus veſter quando inculpatus.* [g] *Anima quando inculpata* [h] *Corpus quomodo.* [i] *Inculpate ſervari* corpus, animam, ſpiritum, *in adventu Chriſti* quid ſit?

Effectum ſubjicit, *qui etiam faciet*. Particula *etiam* comparationi parium ſervit, & ſignificat, quemadmodum verum eſt, Deum, qui nos vocavit, fidelem eſſe; ita & illud, facturum eſſe eum id, quod antea Theſſalonicenſibus precatus fuerit, hoc eſt, eos ſanctificaturum totos.

verſ. 25. *Fratres orate pro nobis.* [a] Sequuntur nunc alia quædam monita, quæ privata dicere poſſis: [b] quorum primum eſt, ut pro ſe Deum orent, ut nimirum, quemadmodum in ſecunda ad eoſdem Epiſtola cap. 3 ſcribit, *ſermo Domini currat, & glorificetur, quemadmodum etiam apud ipſos, & ut eruatur*, tum ipſe, tum alii laborum ſocii, *ab abſurdis & malis hominibus*, ut, quemadmodum ſcribit ad Eph. cap. 6. 19: *Ipſi detur ſermo in apertione oris ipſius, in libertate, ut patefaciat myſterium Euangelii:* ut liberetur a periculis, ut oſtium fidei aperiat Deus, & occaſionem largiatur commodam Euangelium prædicandi, ut victoriam de ejus hoſtibus largiatur. Vide etiam Rom. 15. 30, & 2 Cor. 1. 10, 11. Phil. 1. 19.

[c] verſ. 26. *Salutate fratres omnes in oſculo ſancto.* Hoc eſt meis verbis, oſculo addito, non profano, ſed ſancto, ac Chriſtiano, ſeu ex charitate Chriſtiana profecto, ſalutate omnes fratres. Præceptum hoc eſt ſecundum, ad eos pertinens, qui Epiſtolam primi eſſent accepturi, ac lecturi, nempe, ut conſentaneum eſt, ſeniores; quemadmodum & ſequens præceptum. Id autem eſt.

verſ. 27. *Adjuro vos*, [per] *Dominum, ut legatur Epiſtola omnibus ſanctis fratribus.* [d] Graviter illos obteſtatur, Domino Jeſu Chriſto veluti teſte advocato, & quodammodo etiam vindice, ſi ſecus faxint, ut qui primi Epiſtolam hanc acceperint, legerintve, eam ne ſupprimant, aut ſibi ſolis rerum in ea ſcriptarum notitiam reſervent, cæteris vel nihil de iis ſignificantes, vel quantum ſibi videatur; ſed ut univerſo fidelium cœtui eam prælegant, aut prælegi curent; quandoquidem in illis ea continentur, quæ omnibus ſcitu erant neceſſaria, ita ut ſalutis omnium intereſſet ea cognoſcere.

*Sanctos* [e] vocat fratres, quod eſſent cognitione veritatis a profano hominum vulgo ſegregati, ac Deo conſecrati. Similis loquendi modus eſt Hebr. 3. 1.

verſ. 28. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti.* De hoc voto, quo Epiſtola clauditur, dictum eſt alibi.

[a] 11 *Monita privata.* [b] *Primum ut pro Apoſtolo orent.* [c] *Alterum, ut omnes nomine ipſius ſaluteni in oſculo ſancto.*

[d] *Tertium, ut legatur Epiſtola omnibus.* [e] *Cur eos vocet* Sanctos. [f] 111. *Epilogus.*

# IN POSTERIOREM D. PAULI AD THESSALONICENSES EPISTOLAM.

## ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

PRæcipuus hujus Epiſtolæ ſcopus eſt, confirmare Theſſalonicenſium fidem, & eos tum ad progreſſum in cæteris virtutibus Chriſtianis, tum vero inprimis ad conſtantiam in patientia ac tolerantia afflictionum ob Chriſti nomen perferendarum, excitare. Hoc autem ut conſequatur, eorum fidem, charitatem, ſed patientiam maxime, atque omnium fuſiſſime commendat: deque his virtutibus ipſis gratulatur, ſui erga illos ſtudii atque affectus argumenta ubique interſpergens, ut orationem hoc pacto velut animet, & ad eorum pectora tum conſolanda, tum ad conſtantiam permovenda, efficaciorem reddat. Deinde, quia nunnulli inter eos reperiebantur, qui jamjam adventum Domini, de quo ſuperiori Epiſtola diſſeruerat, inſtare dicerent, hunc etiam errorem animis eorum eximit, cum alia quædam, tum Antichriſti adventum diem illum anteceſſurum, prædicens. Tandem ad præcepta, & cohortationes ad varia pietatis officia, more ſuo deſcendit. Tres igitur ſunt hujus Epiſtolæ partes: quarum ſingulæ, ſingulis capitibus continentur. Præter hæc (ut in aliis etiam Epiſtolis vidimus) ponitur Exordium, & Epilogus.

## CAPUT I.

### ARGUMENTUM.

*(a) Salutatis in exordio, more ſuo, Theſſalonicenſibus, virtutes nonnullas ipſorum commendat, omnium autem fuſiſſime patientiam, ut ad eam illos tanto magis exſtimulet; tandemque voto ſuum erga eos ſtudium exprimit. (b) Ita tria ſunt capitis membra.*

(a) Prima Epiſtolæ pars hoc capite continetur.
(b) Capitis membra tria.

Verſ. 1 & 2. PAulus, &c. (a) Prima capitis pars, ſeu exordium Epiſtolæ, verſiculis duobus comprehenſum; de quo quid ad priorem Epiſtolam dixerimus, vide. Iiſdem enim plane verbis conceptum eſt.

verſ. 3. *Gratias agere debemus.* (b) Incipit ipſa Epiſtola, & alia capitis pars: in qua gratulatur Theſſalonicenſibus, de quibuſdam eorum virtutibus, commendans inprimis eos a fide & charitate, fundamentis & fontibus omnium pietatis officiorum: quarum magnitudinem & perfectionem a duplici in ſe ex illis orto effectu arguit. Prior eſt gratiarum actio, ut aſſidua, ita ipſorum merito, vel potius divinæ erga eos benignitati, unde pietas eorum profluxit, debita.

(a) 1. *Exordium.* (b) 2. *Commendaturus Theſſaloniſenſibus gratias pro iis ſe Deo agere aſſerit.*

Ait enim: *Gratias agere debemus Deo, ſemper pro vobis, fratres*, quaſi dicat: gratias, prout quidem debemus, agimus pro vobis ſemper. Vel & debemus agere gratias, & porro reipſa agimus. Non magis enim his verbis voluit expreſſum, quid officii ſui hac in parte eſſet, quam quid re ipſa faceret; cujus facti quia ratio ipſi conſtabat, meritoque id ab eo fiebat, ideo exprimere id volens, conciſa hac loquendi ratione uſus eſt.

Quanquam id ipſum denuo mox his verbis expreſſit, *ita ut dignum eſt.* Id eſt, ſicut ſane decet ac convenit a nobis fieri, ſeu, æquum eſt ut fiat. Itaque alterutrum harum vocum, nempe aut hæ poſteriores, aut illa ὀφείλομεν, redundat.

*Quoniam ſuperaugeſcit fides veſtra.* Id eſt, (c) quoniam majora ſubinde incrementa ſumit, ſeu vehementer creſcit, ſive aſſenſus veſter Euangelicæ doctrinæ adhibitus, ſive fiducia in Deum ac Chriſtum ex aſſenſu illo manans: ita, ut tum in eorum, quæ ſemel

(c) *Ideoque tum propter fidem ipſorum.*

recipistis veritate magis ac magis corroboremini, tum in fiducia erga Deum quotidie crescatis: spei videlicet vestræ anchoram in omnipotentiæ, misericordiæ, & providentiæ ejus oceanum profundissime per Christum demittentes, una gratiarum actionis Paulinæ causa, virtusque Thessalonicensium prior à Deo profecta, ex qua illos commendat.

Altera causa, & posterior virtus; [a] *Et abundat charitas.* Id est, & charitas vestra erga proximum, non est tenuis, non manca, sed absoluta, & bonorum fructuum copia exuberans. *Uniuscujusque* id est, in unoquoque vestrum. Ut illud ad intensionem, ita hoc ad extensionem, ut ita dicam, charitatis, utrumque autem ad insignem Thessalonicensium commendationem, & divinæ erga eos beneficentiæ laudem spectat: quod & tam eximia esset illorum charitas, & tanta virtutis laus non esset quibusdam tantum inter eos peculiaris, sed communis omnibus.

Ideoque his verbis non contentus, insuper addit vocem *omnium*, dum ait, *uniuscujusque omnium vestrum.* Quæ licet videatur redundare; non est tamen prorsus otiosa. Apertius enim ostendit, quam late hæc virtus ejusque incrementa in Ecclesia Thessalonicensium pateant. Significat quippe, non alicui tantum inter ipsos ordini hominumve generi eam esse propriam; sed toti Ecclesiæ esse communem: non in senioribus tantum, verbi gratia; sed & in auditorum vulgo conspici.

*In invicem.* Id est erga vos mutuo. De charitate loquitur qua Christiani Christianos, & quidem ob id ipsum quod Christiani essent, prosequerentur. Porro generalibus fidei & charitatis vocibus videtur per quandam synecdochen complecti voluisse omnia pietatis officia.

vers. 4. *Ut nos ipsi in vobis gloriemur.* Id est, quæ quidem laus vestra tam illustris & eximia est, ut nos etiam ipsi gloriemur de vobis. *In* hoc loco denotat objectum, ut & Rom. 5. 3, 11, quemadmodum est ab aliis notatum.

*In Ecclesiis Dei.* Id est, coram cœtibus omnium fidelium. Ecclesias enim Christianas intelligit, quibus solis sub Novo Fœdere is titulus convenit. Alter effectus, manans ex virtutibus Thessalonicensium, & cum illorum magnitudinem, tum ipsorum Thessalonicensium commendationem augens. Nec enim vulgare quid & protritum, sed eximium & excellens sit oportet, omniumque adeo vulgarium laudum titulos supergressum, de quo tautus Apostolus cum sociis tantopore glorietur.

*Pro patientia vestra & fide vestra.* Id est, de patientia & fide vestra, ὑπὲρ pro περὶ, ut 2. Cor. 1. 7, 8 & alibi in eadem Epistola sæpius. Explicat quid sit illud, de quo dixerat se gloriari in illis, seu mavis quatenus, cujusve rei respectu de iis glorietur, quæque sit illius gloriationis materia atque argumentum, fides nempe & patientia illorum. [c] Fidei vocem in alterutra significationum paulo ante explicatarum sumit, patientiam tanquam ipsis custodem cum illa collocat, & in locum charitatis superius nominatæ substituit, tum quod illa maxime illustre esset illorum fidei documentum, magisque cæteris, præsertim longe dissitis, quam ipsa charitas, conspicua: tum quia de illa pluriqus dicturus, & ad constantiam in ipsa Thessalonicenses inprimis animaturus esset.

[d] *In omnibus persecutionibus & tribulationibus quas sustinetis*, nempe propter doctrinæ Euangelicæ professionem. Ad eas enim tantum (ut & sequentia indicant) afflictiones proprie respicit.

vers. 5. *Indicium certum.* Hic jam longius excurrit in patientiæ ipsorum, ad cujus constantiam eos præcipue excitare atque animare constituit, laudem & commendationem. [e] Hæc enim virtus fidei ac porro etiam salutis custos est, eaque Thessalonicenses maximopere indigebant, cum veritatis Euangelicæ causa, ab adversariis gravissime premerentur. Commendat autem eam ab affectis revera duobus, quamvis si verborum structuram spectes, unus tantum esse videatur, quia prior, qui hujus seculi est, respicit posteriorem, ut in quo tota vis sita est, futuro demum seculo implendum. Porro in verbis est solœcophanes: per appositionem enim Dativo θλίψεσι *afflictionibus* jungitur ἔνδειγμα *indicium* seu demonstratio; [f] sed Hebræorum more potest subaudiri relativum *quæ* vel *quod*, & ellipsi aliis quoque linguis usitata verbum *sunt* vel *est*. Unde nonnulli interpretes sic orationem supplent: *quæ res manifestum est indicium.* Id est, luculentum documentum. *justi judicii Dei.* Id est, illius quod olim juste decreturus est de vobis Deus.

*Ut digni* [g] *habeamini vos regno Dei.* Explicat quale de ipsis futurum sit Dei judicium, cujus indicium sunt afflictiones, quas patiantur. Quasi dicat: talis nimirum judicii Dei, ut digni ab ipso censeamini, seu pro dignis reputemini, qui regno & gloria ipsius potiamini. Non enim de ejusmodi dignitate loquitur, quam Deus in nobis sit effecturus eatenus, ut virtutem in nobis producat hoc præmio dignam: sed, ut pro summa sua erga nos benignitate, ac secundum promissa sua liberalissima, virtutem ac patientiam nostram tanto præmio dignetur. Hanc ejusdem vocis καταξιωθῆναι significationem habes Luc. 21. 36. Excludit hæc vox meritum proprie dictum. Censeri igitur & reputari dignum regno illo cœlesti, est præcipuus patentiæ fructus. Cui accedit alter, illius veluti prodromus, habere certum quoddam atque indubitatum tantæ felicitatis tantæque mercedis augumentum. Id quod unumquemque animare debet, ut omnia acerba propter nomen divinum perferat & obduret, memor quod hic dolor sit sibi profuturus olim. Vocula εἰς, non tam finem hoc loco significat, quam effectum potius illius judicii divini, quod justum appellavit.

*Pro quo & partimini.* Id est, propter quod, videlicet regnum Dei, seu cujus consequendi gratia etiam sustinetis has afflictiones. Vel causam insinuat, cur illi digni reputandi sint regno Dei, quia illius gratia patienter tolerent calamitates varias ac graves: vel significat, ipsorum consilio ac desiderio eventum non defore: consequuturos eos quod quærant, & cujus causa tam acerba patiantur. Pati eos, ut regno Dei potiantur, proinde etiam certo fore, ut potiantur: [h] vocis ὑπὲρ finem denotantis clarissimum exemplum.

[i] vers. 6. *Siquidem justum est apud Deum.* Id est, Dei judicio ac sententia. Effectum superius expressum confirmat, ab adjuncta justitia seu æquitate, & quidem ejusmodi, ob quam fieri nequeat, quin

(a) *Tum propter charitatem.* (b) *Quæ tantæ in Thessal. fuerunt, ut de illis gloriaretur Apostolus in Ecclesia.* (c) *Quin & de patientia illorum.*

[d] *In omnibus persecutionibus.* [e] Patientiæ locus. [f] *Quæ documentum sint certum.* [g] *Quod sint digni regno Dei reputandi.* [h] Vox ὑπὲρ finem denotat. [i] *Quia justum est apud Deum, ut qui pios affligant, ipsi ab eo affligantur.*

bonum

bonum illud, cujus ſpem fecerat Theſſalonicenſibus, iis re ipſa obveniat. *Juſtum* enim hoc loco dicitur id, quod ut fiat æquum eſt, ſeu quod æquitas ac rectitudo poſtulat, ſive ob ipſius rei naturam, ſive ob decretum aut effatum Dei irrevocabile. Simul autem iſtud effectum illuſtrat a contrario. Non ſolum enim quid piis & afflictis, ſed etiam quid impiis, & pios Chriſti ſervos affligentibus eventurum ſit docet.

*Retribuere tribulantibus vos tribulationem.* Id eſt, ut ii qui affligunt vos & perſequuntur, propterea quod Chriſto adhæreatis, reddat, quam ſua iſta crudelitate merentur, pœnam & afflictionem. Intelligendum nimirum (*a*) niſi reſipiſcant, & ab hac crudelitate deſiſtentes, ipſi potius ob Chriſti nomen omnia perpeti ſint parati. Nam hujuſmodi conditionem eſſe ſubaudiendam, & tam benigne interpretandam eſſe hujus decreti divini ſeveritatem, tum alia multa Novi inprimis Fœderis dicta ac promiſſa, tum exemplum Pauli ipſius evidentiſſime docet: de quo vide 1. Tim. 1. Ab uno contrariorum incipit hoc loco Apoſtolus, eo nimirum judicii divinii effectu, qui impios manet, & deſinit in altero, eo videlicet, qui piis deſtinatus eſt, propter quos hic univerſus ſermo ſuſceptus eſt.

verſ. 7. *Et vobis afflictis relaxationem.* Id eſt, (*b*) Vobis autem, qui ab illis affligimini, liberationem ab omnibus calamitatibus, & requiem illius æterni & nunquam ceſſaturi gaudii, mercedis veluti loco reddere, æquum eſt. ἀνὴ poſitum pro ἀλλὰ vel Ν. Effectus poſterior ex patientia in perſecutione profluens, & cauſa conſtantiæ, animique in afflictionibus invicti. Dicit autem juſtum eſſe apud Deum, ut Theſſalonicenſibus cœleſtis regni cauſa tanta patientibus, hæc requies detur; (*c*) non quod patientia ipſorum tantam felicitatem proprie loquendo mereatur: (quæ enim finiti eſt ad infinitum proportio?) ſed quod Deus ad hoc præmium piis perſolvendum promiſſione ac fœdere ſeſe obſtrinxerit. Hunc vero judicii divini effectum illuſtrat primum a ſimili, ſeu mavis a pari, cum ait *nobiſcum*. Id eſt, mecum & cum aliis mihi ſimilibus, qui itidem Chriſti cauſa affligimur: qua in re latet argumentum, quo comprobatur effectus ille lætus, ad Theſſalonicenſes olim ex ipſorum patientia rediturus. Nam quemadmodum Paulo afflictiones Chriſti cauſa patienti Deus daturus eſt præmium hujus tolerantiæ ac conſtantiæ, relaxionem nimirum & requiem ab omnibus moleſtiis; ita & Theſſalonicenſibus.

Deinde eundem effectum illuſtrat ab adjuncta temporis circumſtantia, cum ait: *in revelatione.* Id eſt, (*d*) illuſtri ac conſpicuo adventu *Jeſu Chriſti.* Quam rem amplificaturus revelationem ſeu adventum hunc uberius deſcribit, & ejus majeſtatem eleganter depingit, ut ita Theſſalonicenſes, non modo quando præmium hoc accepturi ſint, & contra impii ipſos affligentes pœnas ſint daturi, intelligant, ſed etiam per quem, & quo pacto. Adventum ergo illum Chriſti deſcribit primum a loco, unde ſit (*e*) venturus, nimirum, *e cœlo*, ubi ad hunc uſque diem ad Dei dexteram ſedens, omnibuſque rebus imperans, ac ſalutis noſtræ curam gerens, habitat ac reſidet, deſcenſurus inde in hunc aërem, ad judicium vivorum & mortuorum, uti 1 Theſſ. 4 videmus. Pertinet hoc ipſum ad majeſtatem judicis illius demonſtrandam, quod e cœlis ſit proditurus, ut pote non terrenus, ſed divinus judex, qui ipſius Dei perſonam in judicando ſuſtineat. Quanquam ſimul etiam indicatur locus noſtræ quietis ac felicitatis; ut intelligitur ex Phil. 3. 20, 21.

Deinde adventum illum Chriſti deſcribit atque illuſtrat ab adjuncto itidem inſigni, (*f*) *cum angelis virtutis* ſeu *potentiæ ſuæ* ſeu mavis *ſuis.* Id eſt, cum angelis ſuis potentibus, robore ac viribus inſigniter pollentibus. Unde fortes robore dicuntur pſalmo 103. Genitivus eſt adjuncti, & Hebraiſmus, dum genitivus pro adjectivo ponitur, & pronomen αὐτῶ magis cum remotiori *angelis*, quam cum proximo *potentiæ* cohæret: imo, ſi ſenſum ſpectes, non cum hoc, ſed cum illo jungitur. De hoc Angelorum comitatu & miniſterio vide etiam Matth. 24.

verſ. 8. Tertio illuſtrat adventum illum ab effectu duplici; qui quidem eſt effectus ipſius Chriſti advenientis, in eoque judicii ab eo tum exercendi ratio, ac porro ipſum quoque Dei judicium, cujus verſ. 5 & 6 facta eſt mentio conſiſtit. Prior effectus (*g*) eſt pœna impiorum, *in igni flammæ dantis vindictam.* Id eſt, qui vindictam ſumet, ſeu puniet, igni flammante. Non enim hæc verba (*h*) *in igni flammæ*, ut quidam putant, ad priora referenda, revelationem videl. de cœlo, quaſi majeſtatis exaggerandæ cauſa addantur, dicaturque Chriſtum de cœlo cum ignis flamma venturum, (quanquam id eo ſenſu ferri poſſit, ſi intelligatur eum ita venturum, ut ignis flammam quodammodo ſecum adferat, ſeu impiis adveniens immittat) ſed ad poſteriora, ut modum pœnæ impiis irrogandæ exprimant, de quo legimus Matth. 13. 42. Vox *in* poſita eſt pro *per*, ſeu mavis ex Hebraiſmo poſita, in Græco redundat. Modum enim ſeu medium pœnæ infligendæ denotat.

Porro *dare vindictam* Græciſmus eſt, aut potius Hebraiſmus, pro quo Latinis dicitur ſumere vindictam. Vindicta vero hic nihil aliud eſt quam pœna.

*Iis qui non noverunt Deum.* (*i*) Deſcribit homines puniendos ab adjuncto, ſeu mavis effectu. Ignorantia enim hæc ita illis ineſt, ut eorum culpa inſit. Meritum pœnæ hac deſcriptione exprimit, & tacite vult oſtendere, eos jure hoc ſupplicium luituros; quaſi dicat: qui cum poſſent Deum ita cognoſcere, ut illius voluntati & arbitrio ſeſe penitus dederent, habentes occaſionem, & audientes prædicationem Euangelii; ad cognitionem tamen Dei animum non adjecerunt, neque porro illi ſeſe penitus addicere & mancipare voluerunt. Non enim ita generaliter hæc vox poni videtur, ut ad illos etiam extendi dedeat, qui ut nulla penitus Dei notitia prædita ſunt, ita nullam ad eum conoſcendum occaſionem habuerunt. Quod etiam ſequentia verba demonſtrare videntur, quæ explicationis ergo ſubjicit Apoſtolus.

*Et non obedientibus Euangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quaſi dicat: hoc eſt, iis, ſeu, qui ſunt illi, qui oblatum ſibi Euangelium recipere noluerunt, aut licet forte receperint, ab eo tamen vel penitus per apoſtaſiam reſilierint, vel ſaltem vita & moribus ſuis diſſentiunt, ita ut licet ipſi non erubeſcant Euange-

(a) *Niſi reſipiſcant* (b) *Quid vero affligantur, requiem æternæ vitæ accipiant.* (c) *Non quidem quaſi id proprie patientia mereatur, ſed quia Deus id promiſit.* (d) *Utrumque in adventu Chriſti fiet.* (e) *Qui deſcendet e cœlo.*

(f) *Cum Angelis potentiæ.* (g) Cur ita appellantur. (h) *Ut vindictam ſumat de malis* (i) *In igni flammante.* (k) *Qui & quales ii.*

ilum, illud tamen ipsos erubescat. Verum hic ii potissimum videntur intelligi, qui Euangelium recipere noluerunt, sed id contumaciter repudiarunt.

verſ. 9. *Qui pœnas luent exitium æternum.* Id est, (*a*) Qui exitii æterni pœna mulctabuntur. Magnitudinem pœnæ exprimit, cujus versiculo superiori modum attigerat.

(*b*) *A facie Domini.* Id est, a Domino, cujus decreto, sententia, ac jussu, illis ista pœna irrogabitur. Hypallage est Hebræa. Causam enim illam efficientem, quæ pœnam illam & effectum deductura sit, emphatice & cum majestatis Christi regalis insinuatione exprimit; quod videl. a facie, seu ab ore ipsius, tanquam regis ac judicis cœlestis, decretum istius pœnæ proditurum, & glorioſis viribus ipsius executioni mandandum sit, a facie enim Domini ideo id futurum dici videtur, quia sententia ore judicis prolata velut a facie ejus prodire videtur. Sic Psalmo 17. 2 ait David: *a facie tua jus meum prodeat:* hoc est, tu ore veluti tuo pronuncia sententiam de me justam, jus atque innocentiam meam tuo decreto asſere. (*c*) Quanquam alias a facie alicujus, phrasi Hebraica, idem est quod ab aliquo, ut indicant inter alia loca ista Deut. 20. 19. Psalmo 17. 2. 1 Paral. 29. 12. Esaiæ 57. 16. Dan. 2. 18. & 7. 26. Itaque *a facie Domini*, simpliciter accipi potest, quasi dicat *a Domino.* Quidam modum pœnæ impiis infligendæ his verbis exprimi putant: quasi dicat, *expulsi a facie Domini*, seu ita abjecti, ut illis faciem Domini intueri, aut coram ipso versari non liceat, sed ab eo procul disjuncti pœnas luant.

verſ. 10. *Cum venerit glorificari in sanctis suis.* Id est, (*d*) illo, inquam, tempore, quo veniet ut quam glorioſus sit, vel laudem ac gloriam insignem referat, ex eo, quod sanctis suis, hoc est, fidelibus suis præstiturus est; cum præmium illorum virtutibus, & inprimis patientiæ, ex promisso debitum conferet. Idem tempus judicii Domini illustrat ab effectu, superiori contrario, atque ita ad fideles, propter quos in hunc sermonem descenderat, paulatim redit, quo tanto melius sequentia cum antecedentibus connectere possit.

(*e*) Glorificandus autem dicitur in die judicii *in sanctis* Dominus, quia tum maxime illius splendor ac majestas, tum vera ac solida gloria apparebit, & laus ei maxima ab omnibus tribuetur, cum suos omnes in vitam revocabit, eosque immortales & vere glorioſos ac beatos efficiet, quin omnes etiam, qui a condito orbe in Deo fidem suam collocaverant, in possessionem æternæ illius hæreditatis introducet.

*Et admirabilis fieri in omnibus credentibus.* Id est, ut eum in suis fidelibus potentiæ & imperii sui effectum exserat, quæ summam ipsi admirationem apud omnes conciliet. Maximam enim omnium admirationem excitabit beatissimus ille status ac gloria, ad quam omnes, qui in illum crediderint, tum temporis perducet. Auget id, quod superius dixerat, amplitudinem gloriæ Domini, quæ tum sese exeret, exaggerando.

(*Quia creditum est testimonium nostrum, super vos* vel *apud vos.*) Verba hæc in parenthesi ponenda, hiatusque velut quidam (quia concise prolata sunt, nec prima facie, quid illis velit apparet) explendus. quasi dicat: Et inter illos etiam in vobis, quia & vos in credentium numero estis, ut qui credideritis *testimonio nostro.* Id est, illi sermoni seu doctrinæ de qua testimonium perhibuimus inter vos. Sub genere enim, hoc est *omnibus credentibus* quorum fecerat mentionem, etiam speciem inserest Thessalonicenses ad quos & de quibus hic præcipue tam, hoc sermo est, quorumque causa hæc omnia dicuntur, tacite vult comprehendi. *In die illo.* Id est, extremi judicii. Verba hæc addenda post parenthesin, & jungenda verbo *admirabilis fieri*, quasi dicat: nempe in die illo. Dies ponitur pro tempore.

verſ. 11. *In quod* seu cujus rei gratia *etiam oramus semper pro vobis.* Id est, quod quidem, ut vobis eveniat, oramus creberrime: (*f*) Ultima hæc est capitis pars, in qua postquam eos ad constantiam in patientia satis animavit, votum etiam suum subjungit, quo id illis re ipsa obvenire cupit, quo eos in officio, & præcipue perseverantia in afflictionibus continere voluit. Quod quidem Apostoli votum, & benevolentiæ singularis contestatio, ad eos consolandos animandosque vim haud exiguam habere poterat: quasi dicat: Cujus quidem tam illustris & augusti boni, ut vos etiam compotes fiatis, & in numero istorum, in quibus glorificabitur & admirabilis apparebit Dominus, censeamini, adeo vobis voveo & opto, ut vos ad id quod vocarum est partium ducens, cœleste insuper vobis auxilium implorem, interpellemque pro vobis identidem.

*Ut vos dignetur vocatione Deus noster.* (*g*) Vel, ut id in vobis præstet & efficiat, ut digne vos geratis vocationi vestræ, seu ut eos decet, qui ad tantam felicitatem sunt vocati; vel (quod magis probamus) ut vos dignos censeat eo, ad quod vos vocavit, nempe resurrectionis & immortalitatis bono, voce *vocationis* pro ejus objecto, hoc est, re ad quam vocati essent, per metonymiam adjuncti, ut ab aliis est annotatum, usurpata. Ut tacite simul duo velut argumenta includat, quibus ipsos voti istius haud ægrè compotes fieri posse verisimile reddit. Quorum unum est in *vocationis* nomine, quia videlicet Deus id ipsis bonum sponte obtulerit, & promiserit. Alterum in voce *Deus noster*, quia vocavit is, qui eos vocavit, & a quo illis ista voveat, *Deus noster*, id est, benefactor noster est is, qui se nobis tam propitium, tam faventem, nostrique tantopere amantem exhibuit. Esse enim Deum alicujus, est esse ipsius benefactorem, ipsumque singulari amore ac benevolentiæ complecti.

Et (*h*) *impleat omnem bonam voluntatem* seu *beneplacitum bonitatis.* Id est, ad finem in vobis perducat illam insignem beneficentiam suam, ex libero ejus beneplacito manantem: vel beneplacitum suum ex mera benignitate profectum. Explicat idem quod paulo ante aliis verbis dixerat. Vox ἀγαθωσύνης nomini εὐδοκίας seu *beneplaciti* subjecta, ut jam innuimus, potest dupliciter accipi: vel pro genitivo causæ efficientis, ut scilicet significet benignitatem divinam, unde beneplacitum illud, seu decretum divinum liberrimum, amoris ac benevolentiæ in homines plenum, quo salutem illis æternam destinavit, profectum fuit: vel progenitivo

[a] *Magnitudo illorum pœnæ.* [b] Vocibus *a facie Domini* quid significetur? [c] A facie alicujus fieri *quid sit.* [d] *Puniuntur autem die ultimo.* [e] *Quando glorificabitur Dominus in sanctis suis.*

(f) *Tertia capitis pars Votum.* (g) *Ut Deus eos dignetur vocatione.* (h) *Et ad finem perducat suam beneficentiam ex beneplacito libero profectam.*

effecti;

effecti; quo pacto ſignificabit effectum beneficentiæ, ſeu benignitatem in ipſo effectu conſiſtentem; quæ quidem ab εὐδοκία ſeu beneplacito ipſius liberrimoque decreto pendet. Uſurpatur vox ἀγαθωσύνης pro beneficentia ab Apoſtolo Gal. 5. 22. Eph. 5. 9.

(a) *Et opus fidei.* Scilicet impleat, hoc eſt, opus totum fidei in Chriſtum, ac religionis, in vobis cœptum, ad exitum perducat. Fides enim hoc loco per ſynechdochen metonymicam totum religionis ac pietatis Chriſti, ut loqui ſolemus, negotium complecti videtur: ut iterum ſit genitivus ſpeciei: quaſi dicat; opus ſeu negotium id, quod eſt fides. Quanquam interim non pugnamus, quo minus ſtrictius ac magis proprie ſumatur pro ſola fide; quaſi dicat: atque adeo in ipſa iſta fide, quæ tot tantiſque ærumnis & afflictionibus vobis conſtat, quæque medium eſt ad illam felicitatem ducens, confirmet, ac corroboret: ne ſub onere ipſarum afflictionum fatiſcentes, animo concidatis; ſed viribus illius animati, inconcuſſo animi robore, afflictiones iſtas perferatis, fidemque Domino ad extremum integram & illibatam in patientia ſervetis. Non multo aliter *opus fidei* ſumptum fuit cap. 1 prioris Epiſtolæ verſ. 2 pro fide magno certamine parta ſuſceptave Non ſolum ipſis vovet a Deo finem ipſum, hoc eſt, beatitatem ſempiternam, ſed etiam medium quod ad illã ducit. (b) Præſtat autem id Deus cum non ſolum metes noſtras ſermonis Euangelii luce magis magiſque in lie colluſtrat, promiſſorumque ſuorum amplitudinem mentibus noſtris oſtendit, & tum hac ipſa ratione, tum aliis beneficiis nos ſibi devincit, & media varia augendæ fidei noſtræ ſervientia ſubminiſtrat, ſed etiam ſpiritus ſui gratia nos confirmat. & iſto auxilio cœleſti nos cum contra carnis & mundi, tum ipſius denique Satanæ impetus munit & ſuffulcit.

*In potentia.* Id eſt, cum potentia, ſeu potenter, aut per potentiam. Jungenda eſt hæc particula cum verbo *impleat:* quaſi dicat. Deus iſtud efficiat potentia veribuſque ſuis.

verſ. 12. *Ut glorificetur.* (c) Cauſam finalem voti ſeu rei quam illis optabat, ſubjicit, quæ ipſum ad preces hujuſmodi pro illi fundendas, idque quod jam diximus, illis vovendum impellat. Ea vero duplex eſt, prior, quæ reſpicit caput noſtrum glorioſum, nempe Chriſtum, poſterior, quæ nos ipſos. Et illa quidem hujus ſeculi magis propria eſt, hæc vera potius futuri.

Eſt vero illa in his verbis, (d) *Ut glorificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis.* Id eſt, ut per vos veſtramque in fide, pietate, ac patientia conſtantiam, nomen Domini fiat illuſtre, ipſeque dignis majeſtate ſua laudibus & honoribus concelebretur ab omnibus, qui maſculum hunc & malis infractum ſpiritum, adeoque integram vitam veſtram, ad vere honeſtatis amuſſim exactam, propius inſpexerint; animadvertentes inde veritatem ac vim Chriſtianæ religionis, quæ hujus tantæ conſtantiæ ac pietatis ſit cauſa. *In vobis.* Idem valet quod per vos, aut propter vos, quod eodem recidit: propter ea quæ vobis cernuntur, ut paulo ſuperius verſu 10, & Gal. 1. 24.

Hæc eſt *& vos in illo.* Id eſt, (e) & vos viciſſim per illum glorificemini, cum ex hujus vitæ mortiſque ergaſtulo liberatos in libertatem cœleſtis regni ſui transferet, & corporis hujus exuviis detractis glorioſo corpori ſuo conſimiles reddet.

*Secundum gratiam Dei noſtri.* Id eſt, id quod eventurum eſt non ex noſtro merito, ſed ex gratia ac benignitate Dei, qui tantum nobis bonum, (f) ex mero gratuitoque favore obtulit ac promiſit. Refertur hoc ad proxime præcedentia, hoc eſt, ad glorificationem Chriſti in nobis, quam in immortalitate ac felicitate cœleſti nobis danda conſiſtere diximus. Ideo autem hoc adjeciſſe videtur, quia proxime ante nomen Domini Jeſu, in illis ſeu per illos glorificandum eſſe dixerat, & huic glorificationi, quæ ab illis proficiſci debeat, glorificationem ipſorum a Chriſto profecturam ſubjecerat, tanquam illius præmium ac mercedem. Verendum enim erat, ne forte gloriam, quæ a ſe in Domium Jeſum proficiſcatur, hanc glorificationem ſeu ſalutem proprie mereri exiſtimarent. Quare hæc verba addit, ut oſtendat glorificationem illam noſtram ex pura gratia & miſericordia in nos Dei profecturam; de quo docuimus alibi.

Adjungit autem gratiæ Dei gratiam etiam Domini Jeſu, dum ait, *& Domini Jeſu Chriſti.* Expectamus enim, ut Judas ait, miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti ad vitam æternam. Cum enim ille Dominus ſit immortalitatis conſtitutus, & in ipſius manibus ſalus omnium hominum ſit poſita, ut vivificet quem vult, ab ipſius quoque gratia felicitas noſtra ſempiterna pendet.

## CAPUT II.

### *ARGUMENTUM.*

(g) *Hoc capite ſecunda hujus Epiſtolæ pars continetur.* (h) *In qua primo errorem de tempore adventus Domini inter illos ſpargi cœptum refutat; non prius illum adfuturum indicans, quam Apoſtaſia in Eccleſiam fuerit invecta, & Antichriſtus tyrannidem in ipſa occupaverit. Cujus hic & ingenium ſeu mores ac facta, & finem ſeu eventum deſcribit. Deinde, tum conſolatione adverſus malum iſtud, ſeu nimium mali illius ingruentis metum ipſos præmuniens: tum ad conſtantiam admonens, in voto deſinit.*

Verſ. 1. *Rogamus autem vos fratres.* (i) Prima capitis hujus pars extenditur ad verſ. 13. Cujus ſunt duo membra. Nam prius errorem inter illos de jamjam inſtantis adventus Domini tempore diſſeminari cœptum confutat. Deinde, quod ſit illum præceſſura generalis quædam defectio, indicat; atque inde occaſione ſumpta, de Antichriſto, illius defectionis capite ac principe, diſſerit. Refutat autem errorem illum, ſublatis fundamentis, quibus niti videbatur, ſeu rationibus, quæ prætexebantur, convulſis.

(a) *Et opus fidei impleat.* (b) *Quomodo hæc Deus præſtet.* (c) *Finis Voti.* (d) 1. *Glorificatio Domini Jeſu.* (e) 2. *Glorificatio piorum.*

(f) *Ex gratuito Dei favore profecta.* (g) *Secunda Epiſtolæ pars.* (h) *Capitis partes duæ.* (i) *Prima pars cap: errorem de tempore adventus D. confutans.*

*Rogamus autem vos.* (a) Quia magni momenti res erat, & erroris istius admissio ruinam fidei ipsorum minabatur, ideo & compellat ipsos, & admonitionis genere blandissimo, atque ad persuadendum (consideratis utrorumque personis) potentissimo, ipsos aggreditur. (b) Sane enim si hunc errorem imbibissent, & pro Apostolica doctrina recepissent, & vere postea rem aliter habere animadvertissent; facile de veritate totius religionis Christianæ dubitare, ac tandem ut falsam penitus abjicere, atque ad Ethnicismum relabi potuissent.

*Per adventum Domini nostri Jesu Christi.* Vel potius, de adventu Domini nostri Jesu Christi, seu quod attinet ad adventum. ὑπὲρ pro περὶ, ut supra cap. 1 vers. 4, quem locum vide.

*Et nostræ congregationis ad ipsum.* Vel potius, & de nostra congregatione, seu quod ad ad nostram congregationem attinet, de qua egit superius Epistola priori cap. 4. 13. Subjunxit autem hujus mentionem adventui Christi, consolationis ergo; (c) ut ostenderet adventum illum Christi longe exoptatissimum & desideratissimum esse, ut Thessalonicensibus, ita omnibus Christianis; quandoquidem tum temporis omnes omnium temporum ac locorum homines pii sint ad Christum aggregandi, ut ab eo ad cœlestia gaudia deducantur.

vers. 2. *Ut non cito moveamini a mente*, (d) seu *sensu.* Id est, ne tam cito, cum videlicet a nostris adhuc sermonibus caletis, aliud vobis persuaderi patiamini, vosque abduci ab eo, quod semel a nobis edocti, sentire ac statuere cœpistis, quod semel animo fuistis amplexi.

Voces autem illæ *ut non cito*, non eo spectant, quasi significare velit Apostolus, licere illis aliquando a sententia ex ipsius ore ac doctrina hausta discedere, modo id non fiat cito: sed pertinet ad rei indignitatem exaggerandam, & ad ostendendam levitatem, quæ in hujusmodi sententiæ mutatione cernatur. Q. d. ne dimoveri vos patiamini a sententia, præsertim (ut a vobis fieri aliqua ratione video, vel ne fiat vereor) tam cito. A vera sententia abduci, semper turpe est; sed cito abduci, turpissimum. Similem locum habes Gal. 1. 6. Apparet autem hinc, non multo post abitum Apostoli a Thessalonicensibus, irrepsisse impostores, qui contrarium doctrinæ Apostolicæ de tempore adventus Domini urgerent, illisque persuadere niterentur.

*Neque terreamini.* Terror hic ac mentis perturbatio, vel inde oriri poterat, quod contraria eis, quæ semel audierant ac crediderant, sub speciosis titulis obtrudi viderent, atque ita de certitudine ac veritate doctrinæ quam imbiberant, dubitare quodammodo cogerentur; (e) vel inde, quod licet adventus Domini summam consolationem fidelibus adferat, fieri tamen vix posset, quin ipsius propinquitas terrorem incutiat, iis præsertim qui nondum sunt satis ad eum parati, nec usquequaque sibi bene conscii: quia ut piis felicitatem summam, ita impiis extremum supplicum atque infelicitatem adferet: ut taceam, res admodum terribiles, quemadmodum Christus prædixit, eum proxime antegressuras.

(a) *Quid adeo noxius ut ruinam fidei Thessalonicensibus minaretur.* (b) *Ideoque illum evulsurus blande & potenter ipsos aggrediatur.* (c) Adventus Christi piis desideratissimus (d) *Ratio monitionis Apostolicæ ab absurdo.* (e) Adventus Christi cur & quibus terribilis.

*Neque per spiritum.* Id est, (f) neque si quis à spiritu sancto id sibi revelatum inspiratumque dicat. *Neque per sermonem.* Id est, neque si nos id dixisse docuisseque quispiam asserat, & velut ex ore nostro exceptum confirmet. *Neque per Epistolam.* Id est, neque si vel Epistolam, tanquam a nobis ad vos, aut etiam aliorum scriptam ostentet, & hac ratione id vobis persuadere conetur. Tollit omnia istius erroris præsidia ac firmamenta, quibus illum impostores quidam adstruere nitebantur, ne vana earum rerum specie moverentur Thessalonicenses, seque à vera sententia abduci paterentur. Apparet impostores illos divinam authoritatem suis sermonibus prætexuisse, atque nonnullos quidem Spiritus Sancti afflatum & revelationem jactasse, alios & impudentissime Apostolorum ea de re sermones aut Epistolas a se confictas ostentasse. (g) Viderint hic quam lubrico nitantur fundamento, qui traditionibus per manus acceptis tantum in religionis negotio tribuunt, ut eas cum illis, quæ ab Apostolis scripto consignata esse, nec ipsi diffitentur, non solum componere, sed etiam aliqua ratione illis anteponere audeant, & sacram scripturam ad illarum normam intelligendam esse contendant. Ecce vixdum digresso a Thessalonicensibus Apostolo, vivente adhuc certe, ex quo fraudem cito detectum iri facile subodorari poterant, ausi tamen sunt quidem Spiritum Sanctum, alii vero sermones traditionesque Apostolicas, nonnulli etiam Epistolas ipsius ad homines illaqueandos, fingere & venditare: Et nunc post tot non annorum tantum, sed etiam seculorum decursum, tanti scilicet fiet a cordato, traditionum nullo scripto fide digno conprehensarum authoritas, ut contra illam ne hiscere quidem audeat? Quid enim, si aut multis post Apostolorum abitum seculis pleræque illarum pullularint? aut ipsorum Apostolorum ætate, ab hoc hominum genere, quod hic notat Apostolus, in Ecclesiam intrusæ, & postmodum in illa confirmatæ fuerint? Certe cum hic videamus fuisse, qui ipsorum Apostolorum tempore talia auderent, qua eum jure accusare poterit, qui vereatur ne id in aliis quoque factum fuerit. In aliis sane jam tum quoque factum fuisse, id satis ostendit, quod Apostolus paulo post dicet, jam tum, cum hæc scriberet, mysterium iniquitatis operatum fusse; id est, jam tum Antichristum in Ecclesiæ visceribus conceptum fuisse. Quanquam præterea omnem illud dubitationem eximit, quod videamus traditiones illas contrarias esse iis, quæ vere Apostolica esse inter omnes convenit, hoc est, iis, quæ literis ab Apostolis prodita omnes agnoscunt. Sed de his alibi.

*Quasi instet dies Christi.* (h) Id est, Quasi præ foribus sit adventus Domini, jamjam adsuturus, maximeque vicinus. *Diem* pro tempore posuit, ut 1. Thess. 5. 2 monuimus. Hic est ille pestilens error, quam Thessalonicensium animis eximit, sublatis illius tibicinibus, quibus ipsum sui patroni fulcire tentabant.

vers. 3. *Ne quis vos seducat ullo modo.* Id est, Cavete ne quis ullo prorsus, quicunque tandem sit, modo vobis imponat, & mox venturum Dominum persuadeat. Alterum hic incipit primæ partis membrum. Eandem enim propositionem repetit iterum, ut tanto

(f) *Modi, quibus impostores veventibus Apostolis sua somnia hominibus obtrudebant, tres.* (g) Traditionum, quas vocant, & verbi non scripti fundamentutum quam lubricum. (h) *Error autem fuit ille, quod putarent præ foribus esse adventum Domini.*

altius

altius eam eorum animis infigat, ſimulque remotiorem eſſe, quam illi ariolabantur, adventum Domini, probat ex eo, quod ipſum neceſſario eſſet anteceſſurum, id vero eſt Apoſtaſia: (a) cujus caput ac Patronus & promotor eſt Antichriſtus ille magnus.

*Quoniam niſi venerit.* Oratio Elliptica; quæ dupliciter impleri poteſt. vel ita.

*Quoniam non inſtabit*, Scilicetad ventus Domini. *Niſi venerit diſceſſio primum*, Ut periodum videlicet inchoet; vel ut ſuperius inchoatam continuet, ita, *ne quis vos ſeducat ullo modo*, quod venturus ſit dies Domini *niſi venerit diſceſſio primum:* Senſus eodem redit. Vult videlicet oſtendere, non prius Chriſtum ad judicium illud extremum adventurum, quam facta fuerit Apoſtaſia, hancque illum omnino præceſſuram. (b) Apoſtaſiæ autem ſeu diſceſſionis voce intelligitur generalis quædam orbis, qui Chriſtum pro rege & Domino ſuo agnoſcebat, ab ipſo defectio, ſive craſſior illa, qua jugo Chriſti penitus excuſſo ejus religio aperte deſeritur, & alia in ipſius locum ſubſtituitur, qualem videas Machometanis; ſive aliquanto ſubtilior, qua prioris Domini, Chriſti videlicet nomine retento, hoſtis ipſius imperium revera agnoſcitur, & ſub religionis Chriſtianæ titulo ac ſpecie alia ipſi adverſa colitur. Conſiſtit autem in eorum dogmatum aſſertione, quæ fundamentum noſtræ ſalutis ſubvertant, eaque tum cultus divini, tum vitæ ratione, quæ legibus a Chriſto traditis repugnat: (c) Non reſpexiſſe autem Apoſtolum ad illam craſſiorem, & id ſuadere videtur, quod caput illius deſcribens, in templo ipſum Dei ſeſſurum dicat: hoc vero nonniſi improprie de Machomete dici poteſt, cum is non animo tantum, ſed caſtris etiam ipſis ab Eccleſia diſſideat, ab eaque penitus ſeceſſerit. Ut taceam ea quæ de adventu Antichriſti hic ab Apoſtolo dicuntur, ad hunc vix accommodari poſſe, qui armis potius & tyrannide deliria ſua promovit, quam ſignis & prodigiis, quæ tanta a Pſeudochriſtis & Pſeudoprophetis, (iſtius puta ſatellitibus, vel potius ipſo) editum iri ipſe Dominus aſſeveravit, ut in errorem inducerentur, ſi fieri poſſet, & electi: quale certe nihil a Machomete editum legimus, etſi nonnulla, ſed redicula & leviuſcula, attentarit. (d) Non debet tamen & Machometes hinc penitus excludi, utpote, qui id quod Antichriſti ſpiritus in Eccleſia aliquanto occultius majorique arte cœpit, apertius poſtea in certis Chriſtiani orbis partibus perfecit. Corrupta enim jam Chriſti doctrina ab Antichriſti partim prodromis, (quos jam ſua ætate fuiſſe queritur Divus Joannes) partim aſſeclis, & ſincero Dei cultu ex Eccleſia ſublato, legibuſque Chriſti procultatis, Machometi velut janua ad Eccleſias Orientis aperta fuit, & robur ipſius impoſturis ad leves alioquin Orientalium animos a Chriſto penitus abducendos additum, adeo ut omnes ipſius ſucceſſus iſti jure adſcribi non tantum poſſint, ſed etiam debeant.

*Et revelatus fuerit.* (e) Id eſt, & aperte extiterit, ac ſe mundo conſpiciendum exhibuerit. (f) Revelari enim in ſacris litteris id dicitur, quod licet antea quidem aliqua ratione fuerit, ſed tectum & quaſi in ſuis cauſis latens, in apertum prodit, & ſe omnibus conſpiciendum præbet. Et certe jam tum jactis iſtius defectionis ſeminibus, & furtim in Eccleſiam irrepentibus erroris nefarii ſentibus, fuiſſe intra ſuas cauſas magnum illum Antichriſtum dici poteſt: cum jam ipſius ſpiritum in mundo extare, & præcurſores eſſe, conqueratur Apoſtolus 1 Joh. 2. 18. IV. 3. 2. Joh. 7.

Porro in deſcribendo iſtius defectionis capite, ita procedit Apoſtolus, ut primo generaliter, qualenam illud futurum eſſet, & quis finis illum maneat, indicet. Secundo, ſpecialius illum, ab adjunctis ſeu moribus depingit. Tum, tempus illius tyrannidis inſinuat. Quarto, exitium illius deſcrit. Quinto, artes quibus imperium ſuum ſtabiliturus & propagaturus eſſet, aperit. Denique cauſam quæ orbem in illius tyrannidem deductura eſſet, indicat. (g) Generalis tum morum tum eventus illius delineatio eſt; illorum quidem in his verbis, *Homo peccati.* Id eſt, peccati mancipium, omnium peccatorum genere pollutus & contaminatus. Hujus vero iſtis, (h) *ille filius perditionis.* Id eſt, qui eſt exitio deſtinatus, quem eventus triſtiſſimi exitii manet: qua ratione & Judas *filius perditionis* dicitur. Joh: 17. 12. Quem Antichriſti eventum prædicit & Daniel cap. 7. 26 ſub typo ejus Epiphane. Voce vero eadem, in deſcribendo falſorum doctorum qui in Eccleſia eſſent orituri, ſupplicio, utitur Petrus 2 Epiſt. 2. 3, quos ad hanc damnationem deſcriptos eſſe ait Judas verſ. 4. (i) Cæterum caput iſtius Apoſtaſiæ, & principem, ſeu Antichriſtum, tanquam unam aliquam perſonam deſcribit: non quod omnino velit Antichriſtum unum aliquem ſingularemque hominem futurum, ut nonnulli ariolantur, & ex iſta loquendi ratione, ac inprimis articuli ſæpius repetiti vi, concludi debere putant: (k) ſed quia uno decedente, alter in alterius locum ſucceſſurus, & unum omnium regimen, idemque regiminis ſcopus futurus eſſet, & unius inſtar omnes cenſeri non immerito poſſent. (l) Qua ratione videmus a Daniele Propheta quatuor regna ſeu Monarchias vocari quatuor reges cap. 7 verſ. 17. confer verſ. 23, 24: & Græcorum imperium, vel potius eorum imperatores, tanquam unum quendam conſiderari, licet multi eſſent, aliique aliis continua ſerie ſuccederent Dan. 8. 21, ubi ait hircum caprarum eſſe regem Græcorum, & poſtea tamen de cornu, quod erat inter oculos illius, ait illum eſſe Regem primum: aperte vocem *regis* aliter & aliter uſurpans, & poſterius quidem certam perſonam, nempe Alexandrum, prius vero Monarchiam Græcorum, ſeu mavis ordinem regum, qui monarchiam illam tenuerunt, intelligens. Eundem vocis uſum deprehendere licet & Apoc. 17. 10 & ſeqq. Quin & ille locus Moſis Deut. 18. 15, *Prophetam e medio tui, e medio fratrum tuorum, ut ego ſum ſuſcitabit tibi Jehova Deus tuus*, etſi ſenſu myſtico de certa perſona, Chriſto videlicet, intelligendus eſt, ſenſu tamen litterali ad quemlibet Prophetam legitimum referri, & de illo, ut antecedentium & conſequentium circumſtantiæ indicant, accipi poteſt & debet. Idem deprehendes etiam in voce *Pontificis*, Hebr. 9. 7, 25. XIII. 11 in voce *mendacis*, & *Antichriſti*, & *ſeductoris* 1 Joh. 2. 22. 2. Joh. 7. Quibus in locis, nominibus illis eſt in Græco præfixus articulus: ut facile cuivis pateat, falſum eſſe quod vulgo aſſeritur, articulum illum individui certi notam eſſe. Vide etiam Matth. 12. 35. XIX. 19.

(a) *Apoſtolus vero oſtendit Apoſtaſiam præceſſuram.* (b) *Apoſtaſiæ nomine quid intelligatur?* (c) *Non reſpexit Apoſtolus ad Machometem primario.* (d) *Licet nec ille penitus hinc ſit excludendus.* (e) *Apoſtaſiæ caput Antichriſtus.* (f) Revelari in S. L. quid dicatur?

(g) *Antichriſtus homo peccati* (h) *filius perditionis.* (i) Voce Antichriſti *non ſignificatur una perſona.* (k) *Cur tanquam una perſona in S. L. introducatur.* (l) *Exempla ſimilis loquutionis.*

verſ. 4.

vers. 4. *Qui adversatur.* (a) Nempe Christo, qui Ecclesiæ caput & Dominus est; unde & Antichristus dicitur. Hic jam ulterius ipsum ab adjunctis, moribus videlicet, describit, & quasi vivis depingit coloribus. (b) Quorum primum est, quod sit Christo velut e diametro oppositus, eique contrarius. Dupliciter autem aliquis oppositus & contrarius esse alicui potest, vel aperte, id est, tam ore quam corde factisque ipsis, vel occultius; ut licet ore ipsi blandiatur, animo tamen ac factis ab illo sit aversus. Quod autem occultius quis facit, adeo non excusat, ut aggravet potius augeatque hostilitatis crimen; cum tanto nocentior tantoque abominabilior hostis sit, quanto ob hypocrisin & fictæ benevolentiæ simulationem tectior est, & quanto facilius minus cautis amicitiæ specie imponere potest. (c) Quicquid igitur aliquis lingua Christum pro Domino suo agnoscat, ipsiusque in terris negotium se promovere simulet; si modo ostendi potest, illum plurima, quæ ad majestatem Christi convellendam spectant, facere, dum videlicet dominium sibi atque imperium in Christi subditos eorumque conscientias arrogat, & decreta ipsius rescindendo, imperium ipsius quantum in se est convellit atque abrogat, & sua in illorum locum substituendo, ad eam reverentiam atque honorem, quem Christo debent omnes, sibi præstandum adigit; hostis utique est & adversarius Christi, & quidem tanto gravior, quanto magis odii erga ipsum sui, virus fictæ reverentiæ velo celare nititur.

*Et effertur supra omnem, qui dicitur Deus.* Id est, (d) & sese effert supra omnem cuicunque is titulus competit ut Deus vocetur. Vetus interpres legit *supra omne quod*, sensu eodem. Alterum hoc est ex Antichristi adjunctis, immanis ipsius superbia; quam Apostolus tantam futuram ait, ut sese supra omnes omnino homines, & Reges, & Monarchas, angelos, ipsumque adeo Dei filium, ejusque Patrem elaturus esset. Ii enim sunt qui isto titulo gaudent. Quod velut melius explicaturus, addit, *aut numen*, Græce σέβασμα, id est, cuicunque cultus aliquis, etiam religiosus, & humano major competit. Concretum de homine, sed qui inter Ethnicos numinis haberet opinionem, nimirum de Cæsare seu Imperatore Romano, usurpat Lucas Act. 28. vers. 26. Ac supra omnes homines titulo isto a Deo ipso condecoratos extollit seipsum, qui se nulli omnino homini subesse, a nemine judicari posse, adeoque supra jus omne se esse credit. Deum ipsum ejusque filium, ac consequenter administratorios illos spiritus quod attinet, id ex collatione prophetiæ Danielis de Antiocho Epiphane, ad quem locum videtur hic Apostolus respexisse, conjici haud difficulter potest. (e) Nam de Antiocho Antichristi typo dicitur Daniel. 8. vers. 11, 25, *eum* etiam usque *ad Principem fortitudinis*, hoc est, ad ipsum Deum altissimum *pervenisse*, seu *contra eum surrexisse*, *& ab eo tulisse juge sacrificium*, *& dejecisse locum sanctificationis ejus:* quo ipso sane supra eum se, quantum in se fuit, extulit, & veluti victor spolia ei in terris detraxit. Unde dicitur cap. XI. 36, eo nimirum loco, ad quem satis aperte hic alludit Apostolus, *faciet secundum voluntatem suam & elevabitur, & magnificabitur adversus omnem Deum, & adversus Deum Deorum loquetur magnifica.* Quocirca, si aliquem, cui reliquæ hic ab Apostolo enumeratæ Antichristi notæ conveniant, doceri possit, juge sacrificium, hoc est, verum ac sincerum Dei cultum sustulisse, idolatria in ejus locum substituta, veram ejus Ecclesiam, locum sanctificationis divinæ evertisse, leges divinas suis stabilitis abrogasse: quis non videt, de eo jure dici posse, quod se etiam supra Deum altissimum in terris, quantum in se fuit, extulerit.

*Ita ut ipse in templo Dei.* Id est, (g) in Ecclesia: Hæc enim est templum Dei, ut patet ex 1 Cor. 3. 16, & VI. 19. Ut supervacua sit illa subtilitas in voce ναῷ argutantium, & de templo aliquo materiali vocem istam accipientium. Licet autem Ecclesia illa, in qua Antichristus præsidet, Ecclesia vere adeoque templum Dei non sit, ideo nihilominus templum Dei dicitur, vel quod antea templum Dei revera fuerit, (retinent enim res sæpe nomina, eo ob quod illa fuerat sortita, mutato, ut Matth. 21. 31, & XXVI. 6 in voce *leprosi*, & Joh. 9. 17.) vel quod adhuc nomen Ecclesiæ & sic templi Dei sibi usurpet. Ea positio est probabilis, ut Marc. 2. 1. Act. 23. 11, nisi ita verba malis vertere, ut se in templum Dei collocet.

*Tanquam Deus sedeat.* Id est, id sibi jus & eam potestatem usurpando, quæ solius Dei est. Locum in quo Antichristus sedem suam fixurus esset, indicat, ut simul summum ipsius superbiæ culmen exprimat.

Quam etiam uberius explicat, cum addit, (g) *ostendens seipsum quod sit Deus.* Sive titulos Deo proprios sibi usurpando, sive, rem illis expressam ad se trahendo: exempli gratia, si quis regis regum in suos subditos jus adeo sibi vendicet, ut etiamsi infinitas animas secum in infernum traheret, nemo ei debeat dicere, quid facis? aut in se summum utriusque potestatis, tam secularis videlicet quam spiritualis, apicem esse credat, aut se posse mutare quadrata rotundis, per administros suos orbi persuadere velit.

vers. 5. *Non meministis.* Insituæ de Anchristo narrationi interserit hujus versiculi verba, ut fidem dictis suis conciliet, simulque eos perstringat tacite, qui eorum non satis memores se fuisse ostenderent, dum aures præbuerint iis, qui diem Domini jamjam instare docebant. Quasi dicat: hæc vero omnia non nunc demum vobis dico, ne quis aut errori suo ignorantiam prætexat, aut in dubium ista, quasi nunc demum ad sententiam de vicino adventus Christi tempore evertendam conficta, vocare audeat. Ipsi enim meminisse potestis, me, cum adhuc vobiscum versarer, Christianæ religionis capita ac mysteria vobis traderem atque explicarem, ista etiam inter alia vobis indicasse.

vers. 6. *Et nunc obstaculum*, (h) vel potius id, quod obstat seu retinet, cohibet, (in Græco enim est participium τὸ κατέχον) *scitis.* Id est, quin & illud estis à me edocti, quid sit in causa, quominus ille statim veniat, quidque ipsius adventum remoretur. In vocibus est trajectio quædam. Non enim vocula *nunc* verbum *scitis* respicit; quasi nunc demum id illos rescisse dicat Apostolus, sed potius vocem *obstaculum*, seu id *quod obstat:* ut illos id etiam scire asserat, quod obstet ac impediat, quominus hoc ipso tempore quo hæc scribat, aut quamdiu illi vivant, Antichristus compareat.

[a] *Specialior Antichristi ab ejus moribus descriptio.* [b] 1. *Christo contrarius.* [c] *Hostis tanto gravior, quanto tectior.* [d] *Antichristus effertur supra omne quod dicitur Deus.* [e] *Antiochus Epiphanes* typus Antichristi.

[f] *Antichristi sedes templum Dei* quomodo. [g] *Ostendet se ipsum esse Deum* [h] *Adeoque scire quid ipsius adventum remoretur.*

*Obſtans* igitur *nunc*, eſt quod nunc obſtat. Occurrit autem hic tacitæ objectioni aut cogitationi Theſſalonicenſium. Poterant enim dicere: Cur ergo non apparet Antichriſtus ille? Reſpondet Apoſtolus, eſſe adhuc aliquid quod obſtet quominus in apertum prodire poſſit, quod ipſi non ignorent; nondum adeſſe tempus quo ille emergere debeat; tum id fore, ubi obſtaculum ipſis notum, fuerit ſublatum. Eo ipſo autem ſimul tacite cogitandum relinquit Apoſtolus Theſſalonicenſibus, quid de tempore adventus ipſius Chriſti ſentire debeant. Si enim nondum advenerat tempus adventus Antichriſti, & impedimentum adhuc ei obſtabat, quod non admodum cito videbatur amovendum, facile inde poterant colligere, non adeo vicinum eſſe adventum ipſius Chriſti, qui Antichriſti demum adventum, atque Apoſtaſiam per illum orbi invehendam, debeat ſubſequi, eamque tollere.

*Ut reveletur.* Id eſt, manifeſte exiſtat atque appareat.

*Suo ipſius tempore.* Id eſt, (*a*) tempore ad id deſtinato; non quod Deus illius adventum per ſe ac ſimpliciter procuraverit, ideoque tempus ipſius adventus præciſe definierit; ſed quia cauſis ipſius jam in genere humano exiſtentibus, ipſoque in ipſius Eccleſiæ viſceribus concepto, & velut latente, ita rem moderatus ſit, ut tum demum ipſum prodire & caput ſuum efferre voluerit, cum omnia ipſius adventui propter hominum improbitatem parata ac matura eſſent, & orbis jam ſatis habuiſſet temporis atque occaſionis, ut veritatem Euangelicam incorruptam ſuſciperet, ac porro, cum eam impie ſpreviſſet, dignus eſſet qui in mendacia atque errores ab Antichriſto induceretur.

verſ. 7. *Nam myſterium iniquitatis jam operatur.* (*b*) In Græco eſt trajectio quædam. Vox enim *iniquitatis* a nomine *myſterii*, cum quo jungitur ſenſu, dirempta eſt. id eſt: Impius Antichriſti dominatus, ſeu Apoſtaſia per eum penitus introducenda ac firmanda, jam per viſcera Eccleſiæ latenter ſerpit, viruſque illius occulte ſe ipſi inſinuat: jam ejus ſemina jacta ſunt, ſeque exſerere paulatim incipiunt. Pergens in temporis, quo patefieri debebat Antichriſtus, inſinuatione, illuſtrat & confirmat præcedentia, occurrens cogitationi ex ſuperioris verſiculi aſſertione ſuborienti. Quia enim dixerat eſſe aliquid, quod Antichriſtum cohibeat, ut ſuo tempore reveletur, poterat aliquis cogitare: num ergo Antichriſtus jam extat? Neque enim id dicitur cohiberi, quod nullo pacto eſt, ſed quod aliqua ſaltem ratione extat, & progredi ulterius nititur. Cui rei & revelandi verbum favet, quo Apoſtolus de Antichriſto eſt uſus. Quare Apoſtolus reſpondet, ita omnino ſe rem habere. Antichriſtianæ impietatis ſemina jam extare, & fundamenta ſecuturæ Apoſtaſiæ Satanam in Eccleſia occulte moliri. Eo ipſo autem monet tacite Theſſalonicenſes, ne ſint ſecuri, neve exiſtiment, quia nunc ob certum impedimentum emergere non poſſit, ſua tempora ab illius impietatis contagione prorſus fore immunia, & ſibi nihil ab eo eſſe metuendum periculi; ſed ſibi caveant, ſcientes jam malum illud in Eccleſiæ viſceribus occulte ſerpere, & Antichriſtum, ejuſve impietatem jam veluti conceptam intus latere, tum in lucem proditurum, ubi obſtaculum fuerit amotum.

Agebat enim jam tum Satanas ſuum in Eccleſia negotium, *myſteriumque iniquitatis.* Id eſt, iniquitas myſtica ſeu occulta, & vulgo ignota, nec cuiquam niſi patefaciente Dei ſpiritu cognita, *tum etiam operabatur.* Id eſt, (*c*) ſeſe exerebat, ſed clam, unde myſterium dicitur. Quod vero de obſtaculo dixerat ſuperius, id repetit, & rem ipſam indicat, ſed ita tecte, ut inſinuet potius tacite, & in memoriam revocet, quod coram apertius ipſis dixerat, & verſiculo ſuperiori illos ſcire aſſeruerat.

Ait enim. *Solum obſtans ſeu tenens nunc, donec e medio fiat.* Tenentis ſeu ejus qui obſtat, vel retineat aut cohibeat nomine, idem intelligit, quod ſuperius obſtaculi, ſeu ejus quod obſtet nomine expreſſerat, quaſi dicat: Et tamdiu quidem nefarius ille latebit, neque caput ſuum efferet:

*Donec fiat e medio.* Id eſt, tollatur & aboleatur:

*Qui nunc tenet.* Id eſt, qui nunc ei obſtat quominus emergere poſſit. Verum quisnam ille ſit, non exprimit; ſed illis, tanquam jam antea ea de re edoctis, memoria repetendum relinquit. Quisnam vero ille κατέχων fuerit, qui conatus Antichriſti moraretur, de eo duplex eſt inter eruditos ſententia. (*d*) Putant enim quidam, illius nomine Apoſtolos ipſos intelligi, qui quamdiu ſupereſſent, non poterat negotium Satanæ ita ſuccedere, ut palam & aperte doctrinam Chriſti doctrinæ contrariam in Eccleſiam inveheret; ſed ſi quid ejuſmodi fuerit, id tamen clam, & ſub ipſorum prætextu ab hominibus nequam intruderetur. Et verum id quidem eſt, ſi rem ipſam reſpicias, ipſos etiam Apoſtolos maxime Satanæ conatibus impedimento fuiſſe, neque tam audacter impoſtores illos ſeſe ipſis opponere auſos fuiſſe. Quanquam nonnullos etiam aperte illis ſeſe oppoſuiſſe, ex ipſorum Apoſtolorum ſcriptis conſtat, & quidem eos, qui Antichriſti prodromi cenſeri debebant, quique Antichriſtiano ſpiritu afflati, viam ei præparabant, ut ex Johanne intelligitur 1 Joh. 2. 18, 22. 2 Joh. 7. Sed tamen plurimos authoritas Apoſtolorum cohibuit, qui illis vita defunctis caput ſuſtulerunt, ut teſtatur (*e*) Egeſippus, vir Apoſtolicis temporibus proximus: & Apoſtolus ipſe ſenioribus Eccleſiæ Epheſinæ prædixit, ut Actor. 20 legimus. (*f*) Verum enimvero non videtur eo Apoſtolus hoc loco reſpexiſſe. Quorſum enim ita obſcure loqueretur, ſi ſe & ſuos in Apoſtolatu ſocios intelligeret? cur non rem tantam aperte, & ſine circuitione aut verborum involucris explicaret. Aſſentimur igitur aliorum ſententiæ, qui (*g*) κατέχοντος nomen denotare putant Imperatorem Romanum Ethnicum; ſeu potius Imperatores Ethnicos; qui quamdiu habenas imperii moderarentur, tamdiu in cavernis ſuis ſerpens iſte deliteſcere cogebatur, nec emergere ad tantum potentiæ faſtigium poterat. Quin & illud dici poteſt, quamdiu Roma Imperatorum ſedes fuit, tamdiu ad ſummum imperii culmen aſcendere Antichriſtum, licet in Eccleſia jam excluſum atque in lucem editum, non potuiſſe; ita, ut ſi verba hæc Apoſtoli accipere velis de ultima dominatus Antichriſtiani perfectione, jure dicere poſſis, imperium hic vetus intelligi, ab Ethnicis imperatoribus conſtitutum, ipſoſque adeo imperatores, qui in veterum illorum potentiam ſucceſſerunt.

verſ. 8. *Et tunc revelabitur.* Id eſt, & tunc palam exiſtet, tunc emerget, & ſe conſpiciendum omnibus præbebit.

[a] *Cujus tempus definitum.* [b] *Et vivente jam Apoſtolo ipſius virus occulte ſe Eccleſiæ viſceribus inſinuabat.*

[c] *Averte rem geſſerunt impedimento ſublato* [d] *Per quod & Apoſtolis fimul eſſe gi poſſent* [e] 2 *Joh.* 7. 1 *Joh.* 2. 18, 22 [f] *Hiſtor. Eccl. lib.* 3. *cap.* 26. [g] *Non tamen id reſcivit Apoſtolus.* [i] *Qui* obſtantis *nomine videtur Imperatores Ethnicos intellexiſſe.*

*Impius ille.* (*a*) In Græco est ἄνομος proprie *exlex*; quia videlicet nullis legibus subesse, nullius imperio coerceri velit, sed omnia divina humanaque jura proculcet, suoque unius arbitrio subjiciat. (*b*) Tempus illius conspicuæ in Ecclesia existentiæ & imperii exprimitur, dequo quid sentiamus, versiculo superiori diximus. Ortu illius descripto, & tempore ejus rei indicato, etiam exitum seu interitum exprimit, quod quartum esse diximus eorum, quæ in hac Antichristi descriptione ab Apostolo explicantur. In descriptione autem hujus interitus ita progreditur, ut & authorem illius exprimat, qui est Dominus Jesus, & modum quo sit ab eo perimendus, nempe jussu ac robore ipsius, & denique tempus, quo id futurum sit, aperiat.

(*c*) Quem *Dominus*. Nempe Jesus (quod etiam vulgata addit, sed in Græcis codicibus non est vox Jesu) *perdet*, seu abolebit.

(*d*) *Spiritu oris sui.* Id est, potenti jussu ac decreto suo. [*e*] Est enim hic antropopathia seu metaphora ab hominibus potentibus desumpta, aliquid fieri jubentibus, quod effectui a ministris statim detur, ita ut ipsa propemodum voce ac spiritu seu halitu, (qua voce hic Piscator in Germanico utitur) rem conficere videatur. Sic sumitur spiritus oris Domini Psal. 33 vs. 9. quasi dicat: simulac halitum oris emisit, constitit omnis ornatus cœlorum, omnes stellæ instar exercitus exstiterunt. Vide Vatabl. Esaiæ cap. 11 vers. 4, (ad quem locum hic, ut omnes doctiores interpretes animadverterunt, respicit Apostolus) de Christo juste judicaturo dicitur.

*Percutiet terram virga oris sui.* Hoc est, justo suo decreto ac sententia, quam ore proferet, tanquam virga percutiet, & pœnam irrogabit orbi impio. *Et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Hoc est, simulac halitum oris emittet, sententiam pronuncians, & pœnam decernens, cum perdet. Et hic est ille gladius anceps, qui progreditur ex ore ejus, qui percutit gentes Apoc. 1. 26. 11. 16. XIX. 15.

[*f*] *Et illustri adventu suo abolebit.* Id est, radicitus exstirpabit, cum venerit ad reddendum unicuique secundum opera sua. Quem adventum *illustrem* vocat, quia tum maxima ipsius majestas & potentia conspicietur, omniumque sese oculis inferet. Veniet quippe cum omnibus angelis potentiæ suæ, in nubibus, multis illustribus sui adventus signis præmissis. [*g*] Patet hinc non debere ejusmodi ruinam Antichristi ante Christi adventum sperari, ut ille penitus tollatur, nullosque sui sectatores habeat, cum illustri demum adventu Christi dicat abolendum. Sed nimirum, ut aliquandiu jam conceptus latuit, & occulte tantum negotium suum promovit, & jam in lucem editus, non protinus ad summum potentiæ apicem pervenit, nec statim tantam, quantam postea, in conscientias hominum tyrannidem exercuit: ita ad eas iterum incitas redigetur, ut ista, qua nunc terribilis & intolerandus est, authoritate & potentia exutus, etsi aliquos sui cultores retineat, a plerisque tamen pro impostore agnoscatur, (hectica laboranti similis, qui vivat quidem, & aliquando etiam vires & sanitatem se recuperare, morbo autem relevari putet, interim tamen sensim conficiatur & absumatur,) donec decretorius ille adventus Domini dies venerit, quo penitus emoriatur, & supplicio ignis sempiterni conficiatur.

[a] *Antichristus exlex*, cur? [b] *Antichristi interitus.* [c] *A quo.* [d] *Quomodo.* [e] Spiritus oris Christi quid? [f] *quando.* [g] *Antichristus ad Christi adventum duraturus* quomodo.

vers. 9. *Cujus est adventus.* Quintum in hac Antichristi descriptione. Indicat enim hic Apostolus quibus artibus tantam corruptionem in Ecclesiam Christi invecturus, eamque sibi potentiam sit stabilituaus. Poterant enim Thessalonicenses tantam Antichristi impietatem, sceleriscque importunitatem ac magnitudinem ex Apostolo audientes cogitare, qui fieri possit, ut tam sceleratus homo in Ecclesiam Christi tanta veritatis luce collustratam irrepat, & fidelium animis obrepat, seque ita illis venditet, ut ab eo non protinus abhorreant atque resiliant, & tanquam monstrum quoddam horrendum fugiant. Quare ut dubitationem atque admirationem iis demat, ostendit quibus artibus sibi tantam authoritatem sit in ecclesia etiam ipsa, apud homines Christo initiatos, conciliaturus, & ad tantum potentiæ fastigium ascensurus.

Et primo quidem indicat unde vires sit habiturus, quibus subnixus rem tantam aggressurus sit, cum ait adventum ipsius fore *secundum operationem Satanæ.* [*h*] Quasi dicat: nec vero mirari quisquam debet, illum rem tantam perfecturum; adventus enim ipsius causa erit operatio Satanæ, vel, erit conjunctus cum operatione Satanæ; ipse Satanas una cum ipso operi manum admovebit, ejusque viribus & auxilio fretus Anrichristus emerget, caputque efferet. Notandum est hoc loco, relativum *Cujus* non referri ad subjectum proximum, quod est *Dominus* seu Christus, sed ad remotius, quod est *Antichristus.* Idem sit inter alia loca etiam 2 Joh. 7, qui locus cum de Antichristis agat, huic est prope geminus. [*i*] Deinde in specie explicat Apostolus rationes & media, quibus res suas promoturus sit Antichristus, seu quænam & qualis illa Satanæ operatio futura sit.

In fronte autem collocat verba *in omni virtute.* Id est, cum omni virtute seu potentia. *In* ponitur pro *cum*, quanquam alii pro *per* positum malunt. Indicat Apostolus, potentia ipsum ac viribus Satanæ hac in re usurum, & viribus quidem longe maximis. Unde non simpliciter dicit adventum ipsius futurum in potentia, sed cum ejusmodi additione *in omni*, ut significet, vires Satanam suas omnes explicaturum, & Antichristo impertiturum; quicquid potentiæ habeat eo conversurum, ut Antichristum ejusque conatus adjuvet, & imperium ejus promoveat. Vox enim omnis accomodate ad materiam subjectam est accipienda, & restringenda ad eas vires, quæ a Satana suppeditari homini possint.

Quo autem pacto hac tanta potentia, qua eum Satanas sit instructurus, usurus sit Antichristus ad homines seducendos ac sibi subjiciendos, statim subjicit Apostolus, dum ait: *& signis* [*k*] *& prodigiis mendacii.* Id est, mendacibus, fallacibus, seu falsis. Non tam enim novum revera medium, & a priori diversum in his verbis exprimit Apostolus, quam prius ex suo effectu proprio declarat. Unde doctissimi quidam interpretes notarunt, hic esse *hendiadyo in potentia & signis*, pro cum potentia signorum ac prodigiorum scilicet edendorum. Miracula nimirum editurus erat Antichristus diabolica potentia adjutus, ad homines in fraudem pertrahendos, atque ad authoritatrm sibi conciliandam, ac potentiam suam adstruendam. Nihil enim ad persuadendum aliquid, præsertim in rebus ad religionem cultumq; divinum pertinentibus, efficacius est miraculis

[h] *Vires Antichristi unde.* [i] *Artes quibus Antichristus res suas promoturus est.* [k] 1. *Miracula.*

Æmu-

Æmulaturus nimirum erat Antichriſtus ſubdole Chriſtum, & quo mediorum genere hic in veritate Euangelii hominibus commendanda eſt uſus, eodem ille ad homines in fraudem inducendos, fidemque ſibi ipſi conciliandam uſurus erat. Chriſtus prodigiis & miraculis potiſſimum orbem terrarum ad credendum Euangelio adduxit: (a) Iſte etiam, ne fraus ſua deprehenderetur, cum his acceſſit, atque ſi Dei ac Chriſti ipſius cauſam promoveret.

Ut autem diſcrimen inter Antichriſti, & Dei Chriſtique miracula indicaret, addidit vocem *mendacii*, non tam quia multa falſo jactaturus eſſet, quæ non eſſent omnino patrata, (etſi nec id excludi debet, certumque eſt, multa ab ipſo confingi facta, quæ nunquam ſunt facta) (b) quam quia non eſſent vera, ſeu divinitus profecta (pro qualibus venditarentur) miracula: ſed Diaboli efficacia ac fraude perfecta; quare falſa mendaciique ſigna ac prodigia jure dicuntur. Huc referri poſſunt & apparitiones quædam ac viſiones, ſpectra, aliaque ad ſenſus externos internoſque fallendos terrendoſque pertinentia; quin & alia paulo majora, ut ſanationes quorundam morborum, aliaque his ſimilia. Etſi enim multa Satanas præter naturæ curſum patrare poteſt, non tamen talia ac tanta, quanta olim per Chriſtum & Apoſtolos, alioſque veros Dei prophetas fuerunt edita. (c) Quocirca, cum Romanenſes Eccleſiæ ſuæ authoritatem miraculis & prodigiis, quæ hic vel illic a ſuis myſtis fieri jactant, propugnare ſolent; adeo non eſt confugiendum eo, quo plerique confugere ſolent, ut illa omnia penitus conficta eſſe dicamus, (etſi id quoque majori ex parte verum eſt) ut potius inde argumentum ad eos convincendos capiamus; cum veritas quidem Euangelica nullis hodie miraculis indigeat, Antichriſti autem fraus indigeat; unde eum plurima editurum ſigna ac miracula hic prædictum videmus. Nec illa ipſorum miracula ſunt tanta, ut divinorum nomen revera mereri poſſint; utpote in quibus fiant quidem aliqua præter naturæ curſum, (etſi id quoque, præſertim hodie, admodum raro) non tamen tanta, quæ non niſi ab ipſo Deo fieri poſſint, & quæ omni ſuſpicione colluſionis cum Satana ſint vacua.

verſ. 10. *Et in omni deceptione injuſtitiæ.* Pendent hæc una cum ſuperioribus ex illis verſiculi præcedentis verbis: (d) *cujus adventus erit* &c, *in omni deceptione:* hoc eſt, cum omnis generis fraudibus, fallaciis, ac decipiendi artibus conjunctus. Dicitur autem hæc deceptio ſeu fraus *injuſtitiæ*, quia ad injuſtitiam ſeu impietatem deducat, ut ſit genitivus objecti, ſeu mavis ſcopi & finis, vel (nam eodem res recidet) effecti. Pertinet enim fraus Antichriſti ad homines ad apoſtaſian ſeu defectionem a Deo ac Chriſto ejuſque vero cultu, ac vitæ pietate ab eo præſcripta, ſolicitandos ac pertrahendos. Apoſtaſia vero hujuſmodi ſumma eſt impietas. (e) Quare etiam fraudes, quibus ad eam impellantur homines, admodum impias ſeu cum ſumma impietate conjunctas eſſe neceſſe eſt. Unde poſſis deceptionem injuſtitiæ, per Hebraiſmum uſitatum, accipere pro deceptione ac fraude injuſta, vel ut nonnulli, pro mendaci, ac fallaci, ſeu impia. His verbis complectitur Apoſtolus cætera media, quibus Antichriſtus præter miracula ad potentiam ac dominatum ſuum, impiaque ſua dogmata ſtabilienda, ſit uſurus; quod nimirum ſtrophis ac fallaciis, iiſque variis & mirabilibus, imo omnibus quæcunque tandem excogitari poſſunt, homines ſit circumventurus capturuſque. Quod ſitne aliquando in Eccleſia Chriſti factum, aut potius in quanam ſit factitatum, utinam majorem nunc inquirendi neceſſitatem haberemus! nunc vel cœcus iſta omnia digito monſtrare poteſt.

*In iis qui pereunt.* (f) Addit iſta verba ut occurrat tacitæ objectioni, ſimulque limites aliquos Antichriſti ſucceſſibus ponat, & apud quoſnam ſuis iſtis artibus & technis aliquid profecturus ſit, indicet; ne quis forte cogitaret, in fidelibus etiam Chriſti ſervis, fraudibus iſtis & ſignis ac potentia ſua aliquid profecturum, eoſque ſibi mancipaturum; putetque fieri non poſſe, quin ii quoque, quantamcunque adhibeant diligentiam, capiantur irretianturque, quaſi dicat: id autem, quod dico, ad eos tantum extendi debet, (g) *qui pereunt.* Id eſt, qui digni ſunt ut pereant; in his plurimum proficiet Antichriſtus, non in hominibus piis.

Cujus ipſius rei mox cauſam ſubnectit, *eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent.* (h) Ideo autem peribunt, aut digni ſunt qui pereant, quod cum illis Deus veritatem Euangelicam patefaceret, & ejus amorem illis inſerere vellet, variis eam modis confirmando ac commendando, noluerint ita eam amare, ut eam amplecterentur, cum tamen ea ratione ſalutem ſempiternam eſſent conſequuturi. Summa hæc fuit eorum hominum impitas, quod cum illis veritas divina nullo errore admixto patefieret, diviniſ inſuper miraculis confirmaretur, eam tamen contempſerint ac repudiarint, imo ejus profeſſores exquiſitiſſimis ſuppliciis affecerint, cum eam amplexi felicitatem ſempiternam poſſent conſequi. Poſſis hæc cum ſuperioribus ita etiam connectere, ut non pendeant a proximo tantum participio τοῖς ἀπολλυμένοις, ut nimirum cauſa reddatur, cur illi ſint perituri, ſed a ſententia tota præcedente, nimirum quod Antichriſtus ſit venturus cum omni deceptione injuſtitiæ in iis qui pereunt: quia nimirum illi veritatem repudiarunt, ideo & digni ſunt & opportuni, ut Antichriſti fraudibus circumveniantur. Quodſi admittas, particula &, in verbis proxime ſequentibus poterit ſumi pro *nam*, quaſi dicat: Nam propter hanc cauſam, hoc eſt, impium Euangelii contemptum, mittet illis Deus efficaciam erroris. Sed priori connectendi ratione admiſſa, vim connectendi conſuetam retinebit, quaſi dicat; Et ſane ob hanc ipſam cauſam mittet illis Deus efficaciam erroris.

verſ. 11. *Et propter hoc mittet illis Deus.* Ex occaſione ejus quod in fine verſiculi ſuperioris dixerat, deſcendit Apoſtolus ad rei longe maximæ explicationem, anſamque aperit, (i) cur nefario iſti tantos ſucceſſus, & tyrannidem Deus eſſet in eos permiſſurus, quorum ſaluti tanto ſtudio antea invigilaſſet. Nam ſi attendas ea quæ Deus eo fine fecit, ut homines veræ felicitatis compotes faceret, poſſet quis mirari, cur tantopere Satanam in eos graſſari, remque eo deducere, ut Eccleſia Chriſti tyrannide Antichriſti opprimatur, permiſſurus eſſet. Huic igitur cogitationi occurrens Apoſtolus, oſtendit Deum malitia & ingratitudine hominum illius ſeculi irritatum, non tantum

[a] *Quæ a Chriſti miraculis diverſa, quod mendacia.* [b] *Cur mendacia vocat Apoſtolus.* [c] Quid de miraculis quæ hodie jactari ſolent, ſentiendum. [d] 11. *Fraudes & deceptiones generis omnis.* [e] *Æque cum ſumma impietate conjunctæ.*

[f] *Apud quos iſta valituro.* [g] *Nempe eos qui digni ſunt ut pereant.* [h] *Quare digni.* [i] *Cur Deus tantos ſucceſſus in ſua Eccleſia Antichriſto permiſſurus.*

id permissurum esse; sed certo quodam modo etiam ita fieri velle, utque fiat, curaturum esse; non quidem quasi eo homines esset impulsurus ipse, ut Antichristi jugum reciperent; sed quia Satanam, quominus vires suas omnes in illis experiretur, non esset prohibiturus, passuruque eum pro suo libitu cum hominibus agere: qui cum, sole veritatis Euangelicæ clarissime ubique terrarum lucente, rerum terrenarum amore, atque afflictionum, quæ veritatis professores comitari solent, metu præpediti, manus Christo dare noluissent; ad eam tamen postmodum jam pace florentem, & imperatoribus ac viris magnis conspicuam, non tam veritatis amore compulsi, quam hac illius felicitate tracti, sese contulerunt. Unde cum in religione non id quærerent, quod ipsis erat quærendum, amplecti quidem illam eos voluit Deus, sed tum demum, quando jam esset depravata, & receptaculum hostis ipsius facta: ac proinde non ut servarentur, sed ut nihilominus perirent, etiamsi Christiani utcunque evasissent. Noluit nimirum Deus eos, qui veritatem nudam, inopem, afflictam, cum jactura rerum omnium amplecti recusaverant, imo alios eo nomine afflixerant, eandem pace florentem, opibus circumfluentem, ac probe veluti dotatam, sine ullo periculo, sine pulvere ac sudore reperire, & tam facili ratione salutis viam ingressos, ad salutem æternam pervenire. Quare Christianam religionem tenebris involvi permisit, antequam tam facilis, tam latus ad eam apireretur omnibus aditus; ut qui abjecto paganismo interitum effugisse sibi jam viderentur, in eum hic nihilominus incurrerent. Et hæc est illa *operatio* seu *efficacia impostura*, id est, efficacia seducendi vim habens; vel, ut nonnulli volunt, per hypallagen Hebraicam, deceptio efficax, quam Deum ipsis immissurum ait, id est, minime impediturum, dum Satanas ipsam explicaret.

vers. 12. *Ut judicentur.* Id est, (a) damnentur puniantur que omnes. Finis tam horrendi divini judicii, quod amplecti quidem illos voluerit religionem Christi, sed jam ab Antichristo pollutam & contaminatam. Hic autem est, ut id cedat in pœnam ac supplicium illorum ingratitudinis & malitiæ, per quam a salutari & nondum corrupta doctrina oculos animosque suos averterant.

*Qui non crediderunt veritati, sed beneplacitum habuerunt in injustitia.* Impia illorum hominum contumacia, qua pœnam hujusmodi sint commeriti, exprimitur. Summa videlicet fuit ista perversitas, quod veritati Euangelicæ prætulerunt mendacium, & errores suos impios quibus assueverant. Mendacium enim *injustitiam vocat*, quia cum impietate sit conjunctum, aut genus quoddam injustitiæ seu improbitatis. Nisi forte simplicius ipsam vitæ impietatem velis hic intelligere, quæ veritati Euangelicæ ideo potest opponi, quod hæc omnis generis virtutem ac pietatem præcipit, inculcat, urget. Similem oppositionem habes Rom. 8. 2.

vers. 13. *Nos autem debemus.* (b) Altera pars capitis, in qua, occasione sumpta ex eo quod ultimo loco de tam horrendo Dei judicio dixerat, primo consolatur Thessalonicenses, & de eorum felicitate ipsis gratulatur, deinde monet ac hortatur; tandem votum etiam suum adjungit. Poterant videlicet Thessalonicenses, talia de tanta in homines ira Dei audientes, sibi etiam ipsis metuere, & cogitare an non ipsi etiam in numero perditorum essent futuri. Ideo ipsos erigit & solatur, ostendens minime id ipsis verendum aut pertimescendum esse: cum ipsorum ad Christum conversio, seu receptio, doctrinæ Euangelicæ tam funesta & horribilia tempora antecesserit. Nisi quis ista cum antecedentibus simpliciter connectere velit in hunc modum, quasi dicat: Quod cum ita sit, tantaque in religione nox, aut potius tanta ira Dei immineat mortalibus; tanto ardentiores nobis agendæ sunt gratiæ pro vobis, adeoque vos tanto feliciores vos censere debetis, quod longe ante illa tempora, simulac aures vestras attigit veritas, illam obviis ulnis receperitis. Ut autem beneficium istud quod illis obtigerat a Deo, exaggeret, illosque tanto melius erigat atque consoletur, non simpliciter rem ipsam describit, sed quodam circuitu utitur.

Primo cum ait, *se pro illis gratias agere debere Deo*, & quidem *semper*. Bonum enim, & quidem non vulgare ac tralatitium sit oportet, de quo tam ardenter gratias agat agereque debeat vir tantus.

Deinde, cum ipsos vocat *a Domino dilectos*. Non est enim quod secum male aut agi aut actum iri putent, quos Dominus ipse diligit. Tum rem ipsam aperit, & causam ob quam gratias agere Deo perpetuo debeat, atque adeo materiam gratiarum actionis, exprimit, eademque opera docet, & cur dilectos a Domino dixerit, & cur ipsi contristari animoque concidere non debeant, audientes de tyrannide Antichristi, & judicio divino in homines contumaces ac veritatis Euangelicæ contemptores.

*Quod elegerit vos.* (d) Puta ex numero reliquorum hominum, gentilitiis superstitionibus & idololatriæ deditorum.

*Ab initio.* Puta prædicati inter gentes Euangelii, & ante illa tempora misera & acerba, quibus Antichristus dominari debet. *In salutem.* Hoc ipso fine, ut vobis salutem animarum olim largiretur.

*In sanctificatione Spiritus, & fide veritatis.* Id est, per sanctificationem spiritus, & fidem Euangelicæ veritati adhibitam, seu, dum vos spiritu suo sanctificavit, & ex reliquorum numero ad sibi serviendum segregavit, postquam veritati fidem adhibuistis, eique assensi estis. Genitivus *veritatis* nomini *fidei* subjunctus objectum significat. Quod si Hebraica consuetudine pro adjectivo positum velis, quasi dicat & fide vera; non pugnabimus; licet illud verius putemus.

Verbis (e) *in salutem*, explicat finem electionis, qui opponitur fine vers. 11 nominato, *ut judicentur*; ut ostendat longe aliam esse conditionem horum temporum quibus illi crediderant, & illorum de quibus prophetaret; seu mavis, longe aliam ipsorum esse conditionem, & eorum, quos esset Antichristus fraudibus suis circumventurus, & in suas partes pertracturus: ipsos enim esse ad salutem a Deo electos, hos damnationi ac interitui destinatos.

(f) Verbis vero *in sanctificatione & fide*, explicat formam istius electionis, & media ad illum finem, salutem nimirum æternam ducentia: quorum unum est ex parte Dei, sanctificatio spiritus, oppositum verbis *mittet illis operationem erroris*. Alterum ex parte nostri, nempe fides veritati adhibita, oppositum verbis *ad credendum mendacio & beneplacitum habentes in injustitia*.

vers. 14. *In quod vocavit vos.* Id est, atque id

(a) *Finis tam horrendi judicii divini.* (b) *Altera pars capitis, qua primo eos consolatur ne ob dicta concidant animo.*

[c] *Ut pote dilecti a Deo.* [d] *Et electi ante illa tempora luctuosa.* [e] *In salutem.* [f] *Per quæ media id Deus perfecerit.*

quidem

quidem ut perficeret & ad exitum perduceret, hoc eſt, ut vos ad fidem Euangelio adhibendam pertraheret, ac pertractos ſpiritu ſuo ſanctificaret, atque hoc facto ad ſalutem æternam eligeret, vobis Euangelium per nos annunciari curavit, & ad tantum bonum capeſſendum vos invitavit. Vel; nec alio, quam quem jam dixi, fine, vos ad ſe invitavit, per Euangelium noſtrum, ſeu per prædicationem doctrinæ Chriſti, mea opera perfectam. Amplius conſolationi inſiſtens, qua ratione electio iſta illis obvenerit, indicat, & ejus certitudinem animis illorum inſinuat.

*In acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Id eſt, nempe ut acquiratis gloriam, quam Chriſtus ſuis fidelibus Dei nomine promiſit, quamque ipſemet jam poſſidet, & aliquando ſuis reipſa eſt daturus. Finem vocationis atque electionis Theſſalonicenſium, voce *ſalutis* verſiculo ſuperiori expreſſum, repetit.

verſ. 15. *Nempe igitur fratres ſtate.* Id eſt, (a) conſtantes eſtote in eo quod ſemel credidiſtis, nec patiamini vos ab eo unquam, nedum tam cito, ut facere cœperatis, dimoveri. Conſolationi ſubjungit exhortationem, quam ex ſuperioribus deducit. Tam autem promanare poteſt ex principali hujus capitis theſi, quaſi dicat: cum igitur videatis quo pacto vos in errorem inducere voluerint impoſtores iſti, conſtanter illud quod ſemel recepiſtis, tenete; quam ex conſolatione proxime præcedente; quaſi dicat: cum igitur videatis, quam auguſtus ſit vocationis veſtræ finis, perſtate in ea quam ſemel Chriſto dediſtis fide, nec eam ulla ratione fubrui patiamini, ne tanto ſimul bono excidatis. Videtur tamen illud potius reſpexiſſe.

(b) *Et tenete traditiones.* Inſiſtit inſtituto, & illam conſtantiam aliqua ratione explicat. quaſi dicat: Conſtantes autem in fide veritati adhibita eritis, ſi traditiones tenueritis. (c) Traditiones vocat doctrinam ſuam, quam illis tradiderat, quamque ex ipſo hauſerant. Quod quia duobus ab illo factum modis, ideo addit:

*Sive per ſermonem.* Id eſt, ſive viva voce explicatas, cum ipſe vos coram alloquutus ſum:

*Sive per Epiſtolam noſtram.* Id eſt, cum ad vos ſcripſi. Hunc locum credunt Pontificii traditionibus ſuis patrocinari, & inſufficientiam Scripturarum arguere, quia Apoſtolus præter Epiſtolas ſuas teneri velit etiam ea, quæ per ſermonem Theſſalonicenſibus tradiderat, non facturus proculdubio, ſi in Epiſtolis omnia creditu aut factu neceſſaria continerentur. Sed non vident iſti, minime ad univerſam Scripturam torqueri poſſe, quod de ſolis Epiſtolis ad Theſſalonicenſes ſcriptis ab Apoſtolo dicitur. Non enim ſequitur, quia nonnulla ad ſalutem creditu factuve neceſſaria in Epiſtolis ad Theſſalonicenſes ſcriptis non continentur, ideo ne in univerſo quidem ſacrarum litterarum codice eſſe ſcripta. Ne de eo nunc quicquam dicam, quod quas illi traditiones nobis obtrudunt, eæ verbo Dei ſcripto, quod irrefragabilis eſſe authoritatis una nobiſcum fatentur, repugnant. Sed de his dictum ab aliis fuſius alibi.

verſ. 16. *Ipſe vero Dominus noſter.* (d) Reſtat votum, quo affectum erga eos ſuum ac benevolentiam ſingularem oſtendit, dum videlicet ad ea de quibus eos monuit præſtanda, divinitus illis opem ferri cupit. quaſi dicat: verbis autem meis pondus adſit cœlitus, dictaque mea ſanciat Deus & Dominus Jeſus, ut ea præſtetis, ad quæ vos ſum hortatus. Votum vero ita concipit, ut perſonas, a quibus iſta, quæ verſiculo ſequenti expreſſit, vovet, deſcribat ab ejuſmodi adjunctis, quæ veriſimile faciant, obventura Theſſalonicenſibus omnia ea quæ illis voveret. Perſonas nominat duas, Deum videlicet Patrum, & Dominum Jeſum. Ab hoc autem incipit, tanquam nobis quodammodo conjunctiori, & eo, per quem fides & ſpes noſtra tum a Deo proficiſcitur, tum ad Deum viciſſim porrigitur, & per quem a Deo omnia ſpiritualia bona in nos conferuntur. Hunc *Dominum noſtrum* vocat, non tantum honoris ipſius cauſa, ſed ut inſinuet, cum ſit noſter Dominus, nos autem ipſius ſervi & peculium, non utique ſuos deſerturum, ſed nobis in omnibus quæ ad obſequium ipſi præſtandum pertinent, adfuturum.

*Noſter.* Id eſt, qui idem meus, & veſter, imo omnium Chriſtianorum Dominus eſt.

*Et Deus.* Eſt altera perſona, fons & principium tum noſtri quod Chriſto debemus obſequii, tum eorum omnium, quæ per Chriſtum in nos proficiſcuntur, donorum. Quem hic ſuaviſſime, & ad propoſitum ſuum accommodatiſſime deſcribit, cum primo ait: *ac pater noſter.* Id eſt, qui eſt Pater noſter, vocula enim explicandi hic vim habet, non autem diverſa connectendi. Ut autem vocabulo *Dei* potentiam, ea quæ vovet præſtandi, ita vocabulo *Patris* voluntatem notat; quaſi dicat: is qui nos adeo tenero affectu dilexit, ut nos pro filiis ſuis receperit, patremque ſe noſtrum eſſe pronunciet. Cujus documenta ſtatim addit ab effectis paterni ejus in nos affectus, quæ arguant illud etiam ipſis ab eo, quod optabat, collatum iri, cum ait:

*Qui dilexit nos & dedit conſolationem æternam.* Id eſt, Qui nos ita dilexit, ut daret nobis id, quod nos in æternum ſolari, & beatos ac felices reddere poteſt.

*Spem nobis dedit bonam.* Hoc eſt, promiſit nobis vitam æternam, ejuſque ſpem certam & inconcuſſam animis noſtris inſeruit. (e) *Spem* autem illam *bonam* vocat, quia & ſummi ſit boni expectatio, & certa atque indubitata. Duo enim illa ad ſpei bonitatem ac præſtantiam pertinent, magnitudo boni futuri, & certitudo. Hoc autem totum ut ex dilectione paterna profectum eſſe tanto melius inſinuet, addit:

*In gratia* ſeu *per gratiam.* Id eſt, non ullo noſtro merito aut dignitate impulſus, aut invitatus; ſed ex ſola gratia, miſericordia, benignitate.

verſ. 17. *Conſoletur corda veſtra.* Adverſus afflictiones videlicet & metum malorum impendentium, ne afflictionibus propter nomen Chriſti preſſi, forte etiam ob metum inſtantis Apoſtaſiæ, animo concidatis; ſed potius erecti & alacres ſitis; certi, omnia iſta nihil vobis officium veſtrum facientibus nocitura.

*Et ſtabiliat in omni ſermone.* Id eſt, vireſque vobis addat, quo & dicatis & faciatis ea quæ ſunt bona, voluntati videlicet ejus conſentanea. Hoc voto comprehenduntur omnia quæ ad officium Chriſtianorum pertinent, & etiam ea nominatim, ad quæ Theſſalonicenſes hortatus fuerat Apoſtolus.

Nam dum eos cupit ſtabiliri, *in omni ſermone bono*, conſtantiam illis optat in doctrina ſalutari, quam ab ipſo acceperant, ad quam fideliter tenendam illos antea excitavit. Sed quia conſtantia in doctrina pura, ſine vitæ pietate, eaque plena ſimul ac conſtanti, nil

(a) *Secundo monet ut ſint conſtantes in fide.* (b) *Et traditiones ipſius teneant.* (c) *Quænam illæ.* (d) *Denique ſubjicit Votum ut opem ſuam divinitus accipiant ad ea præſtanda, ad quæ ipſos hactenus excitaverat.*

(e) Spes Chriſtianorum *bona* cur.

prodest, ideo etiam optat ut stabiliantur *in omni opere bono.* Nam vox *omni* non ad sermonem tantum, sed etiam ad opus bonum referri debet.

## CAPUT III.

### *ARGUMENTUM.*

*In tertia hujus Epistolæ parte, quam hoc capite contineri diximus,* (a) *primo seipsum precibus Thessalonicensium commendat, atque inde sumpta occasione eos consolatur, & voto suam erga illos benevolentiam denuo testatur. Deinde hortatur ad certa pietatis officia. Tandem Epistolam votis & salutationibus sibi familiaribus ita concludit, ut notam ac signum apponat, ex quo genuinas ipsius Epistolas ab adulterinis ac suppositiis dignoscere queant.*

**Vers. 1.** *Quod reliquum.* (b) Primum capitis hujus membrum, quo continetur admonitio ad preces pro se instituendas, per modum cujusdam obsecrationis proposita. Exprimit autem & id quod a Deo petere debeant, & causam cur id petere debeant. (c) Connectitur caput hoc cum superiori his verbis, *quod reliquum.* Quasi dicat: Et hæc quidem ego vobis a Deo Patre, & Domino Jesu, voveo & opto, quod etiam ipsum facturum certo mihi persuadeo, si modo vobis ipsi deesse nolueritis. Quare illud unicum restat, ut vestrorum officiorum sitis memores, ad idque quod vobis a Deo voveo, pro virili amplectendum, totis ipsi viribus connitamini. Inter quæ illud quoque est, ut mei in precibus sitis memores. Vel brevius: Et hæc quidem quæ hucusque dicta sunt, potissimum vobis scribenda putavimus; sed ut quæ adhuc supersunt attexam, illud vos primum oro, ut mei in precibus sitis memores.

*Orate fratres pro nobis.* (d) Id est, fundite ad Deum preces pro me, meosque illi labores in Euangelio hominibus annunciando commendate. Duo autem hic exprimit, quorum illos in precibus pro se fundendis meminisse vult, quorum prius videtur esse finis posterioris; & hoc quidem primo personam Apostoli ejusque sociorum concernit, illud primum gloriam Dei.

Continetur autem verbis versiculi hujus: (e) *Ut sermo Domini currat.* Id est, ut Euangelium quod a nobis prædicatur, cito & sine ullis impedimentis inter homines propagetur, & omnes terrarum oras pervagetur, nec quicquam sit quod illius cursum sistere & sufflaminare possit.

*Et glorificetur.* Id est, laudetur, approbetur, ac prædicetur ab omnibus; omnes Euangelium cum quadam veneratione suscipiant, omnes admirentur, sit in omnium, ad quorum aures notitia ejus pervenerit, oculis gloriosum: ita quidem, ut qui illud amplexi fuerint, pro summo id bono suo ducant, votivamque sibi conditionem obtigisse videntes, Deum pro ejus oblatione debitis laudibus venerentur; cæteri vero qui recipere noluerint, admirentur tamen, ac suspiciant, adeo ut volentes nolentes, illud honorifica mentione prosequi cogantur.

*Sicut & apud vos.* Id est, & glorificetur ita, quemadmodum glorificatum est in urbe vestra. Exemplo ipsorummet Thessalonicensium rem illustrat Apostolus, ut tanto melius intelligant, quid illos hac in parte a Deo petere velit.

vers. 2. *Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus.* Id est, & ut liberemur a variis machinationibus hominum, cum judicio perverso præditorum, tum moribus pravis contaminatorum, ne ab illis impediamur, ne cum illis nobis sit luctandum ac conflictandum: quod non modo molestissimum est viris piis, sed & magnum ipsorum laudibus ac conatibus adfert impedimentum, & multorum hominum saluti obstat. Est alterum quod pro se orare vult Thessalonicenses; remotio unius ex præcipuis cursus Euangelii remoris ac impedimentis. (h) Hominum importunorum seu ἀτόπων nomine intelliguntur ii quorum mens prava est, & judicium corruptum, ac perversum, distortumque; qui absurde de rebus sentiunt nec se in certum veritatis iter, ob contumaciam ac perviciam animi, flecti patiuntur. Hi multum negotii verbi divini doctoribus facessere, & veritatis cursui obsistere solent.

*Mali* autem sunt homines vita improbi, & moribus corrupti; præsertim si animo quoque malitiam ita imbiberint, ut virtutem in aliis oderint, ac doctrinam pietatis ferre non possint, ad injurias aliis inferendas, ad persequendum pios, & inprimis pietatis doctores, sint proni.

(i) *Non enim omnium est fides.* Posterius ex iis quæ sibi a Deo impetrari per eos cupit, objectione tacita occupata confirmat. Ratio autem hæc pro duplici antecedentium verborum acceptione dupliciter explicari potest. Vel enim importunorum & malorum hominum nomine eos intelligit, qui professione Christiani essent, & hac ratione gremio Ecclesiæ continerentur; quomodo sensus erit: Non omnes enim, qui fidem præ se ferunt, vere credunt; sed multi fidem tantum simulant, vel extraneos; & ab Euangelica doctrina prorsus alienos; unde sensus emerget talis: Non omnes enim idonei & apti sunt ad fidem hoc est ad doctrinam Christi amplectendam. Qui sensus melior esse videtur, cum nihil cogat verba absolute prolata ad certum tantum genus hominum restringere. Occurrit autem his verbis tacitæ Thessalonicensium cogitationi. Poterant quippe mirari, cur ab illis liberari tantopere cuperet, quos erudire & in viam reducere ipsius muneris esset. Id igitur se non posse præstare his verbis indicat: atque simul causam, cur ab illis liberari cupiat, demonstrat. (k) Non sunt autem omnes fidei capaces, non per se & natura sua; cum omnes Deus ad agnitionem veritatis pervenire, atque ita salvari cupiat, omnesque, qui modo non sunt mente capti, natura sua & credenda intelligere, & præstanda facere, si modo velint, possint; sed ob susceptam & acquisitam sponte animi improbita-

(a) *Tertia Epistolæ pars.* (b) *Capitis membra tria.* (c) *Primum capitis membrum ad vers. 6.* (d) *Nexus cum superiori capite.* (e) *Rogat Thessalonicenses ut orent pro ipso.* (f) 1. *Ut sermo Domini currat.*

[g] 2. *Ut liberetur ab hominibus importunis.* [h] *Quinam it.* [i] *Cur hoc sibi a Deo velit impetrari.* [k] *Fidei non omnes capaces.*

tem;

tẽm; qũa in habitatum verſa, id quod natura ſua erat poſſibile, redditur quodammodo impoſſibile. Breviter, facultatem ab illis removet proximam, ut vocant, non remotam: illa enim eſt voluntatis, hæc naturæ.

verſ. 3. *Fidelis autem eſt Dominus.* (a) Quia ſuperioribus verbis Apoſtoli conſternari, atque ita ſecum cogitare poterant: ſi tantus Chriſti Apoſtolus, tantopere a perverſis hominibus liberari cupit, nec fieri poteſt ut illi emendentur; quid nobis tandem fiet, quorum vires longe viribus Apoſtolicis ſunt imbecilliores? Forte ejuſdem farinæ homines, improbitatis ac perverſitatis ſuæ cuniculis mœnia fidei noſtræ ſubruent, atque ita actum erit de ſalute noſtra: Eximit hunc ſcrupulum Apoſtolus, & ſolatur ipſos protectionis & cuſtodiæ Domini Jeſu ſpe; quam ſuperſtruit conſtantiæ in promiſſis ſervandis Domini Jeſu; quaſi dicat: Cum vero & me tantopere expetentem liberari a perverſis hominibus, & cauſſam hujus meæ petitionis auditis, non debetis animo concidere, & de veſtra ſalute deſperare. Is enim, ſub cujus vexillo meretis, cuique fidem dediſtis, (b) nempe Dominus Jeſus, *fidelis eſt.* Id eſt, in eo quod promiſit præſtando verax ac conſtans. Promiſit autem opem ſuam omnibus quicunque ſeſe ei dediderint; quo in numero & vos eſtis: ac porro fide ipſius ita poſtulante, auxilium vobis feret, ut omnes tentationes ſuſtinere ac vincere poſſitis, ne a fide vos depellant ac dejiciant.

*Qui confirmabit vos.* Effectus hic eſt fidelitatis Chriſti; quaſi dicat: qui tantum roboris, tantum conſtantiæ vobis inſpirabit, ut in veritate ſemel agnita & recepta immoti perſiſtere poſſitis, nec ab ea vos abduci, niſi per ignaviam armis abjectis, herbam hoſtibus ultro porrigere velitis, patietur.

(c) *Et cuſtodiet a malo.* Id eſt, & providebit ac procurabit, ne quicquam vobis Satanas fraude ſua affricet, itaque vos circumveniat, ut veritatem Euangelicam vel penitus deſeratis, vel errorem amplectamini ſaluti veſtræ noxium. *Mali* vox in maſculino genere potius, pro Satana malorum principe ac capite, quam in neutro genere, pro re mala, ſumenda videtur; quemadmodum & in peccatione Dominica: ut, quia malorum hominum ſuperiori verſu meminit Apoſtolus, ad vocem alludens, malitiæ ipſius & improbitatis fontem, qui extra hominem eſt, tangat. Quod nonnulli interpretes animadvertentes, ita tradunt verba *ſtabiliet vos, & tuebitur ab illo malo*, exprimentes vim articuli qui hoc loco eſt διανεϊκὸν, & malum τοῦ πονηροῦ ſic dictum denotat.

verſ. 4. *Confidimus autem in Domino ſuper vos.* (d) Id eſt, ſumus autem perſuaſi de vobis, ope Domini, quem fidelem eſſe diximus, & auxilii ipſius ſpe freti. Ne ſuperiorem conſolationem ita interpretentur, ut ſibi eſſe ſecuris licere arbitrentur, Dominumque ipſos ſine ulla ipſorum opera & labore confirmaturum ac cuſtoditurum putent, hæc addit verba, quibus torporem & ſecuritatem excutiat, quemadmodum ſuperioribus metum ac deſperationem; minimeque ipſos aut ob hominum perverſitatem animo frangi, aut ob cuſtodiæ divinæ ſpem in ſtudio pietatis relanguescere debere doceat. Artificioſe autem id eis tribuit ad quos eos hortari volebat, & pro eo quod monere debebat ut ſibi ipſis etiam advigilarent, nec ſine veniente etiam ipſorum ſtudio illos confirmaturum Deum crederent, ſpem de illis quod id facturi ſint, ſe concepiſſe ait; quaſi dicat: cum vero Dominum vos cuſtoditurum a Satana dico, non exiſtimo vos mea verba ita interpretaturos, quaſi Deus id non ſentientibus & dormientibus vobis ſit confecturus. Perſuaſus enim ſum, imo credo firmiſſime, voſmetipſos auxilio Domini invocato, ejuſque ope fretos, & facere quantum in vobis, & facturos porro ea quæ vobis præſcribimus; ut qui ſciatis id eſſe officii veſtri ad quod eſtis vocati.

verſ. 5. *Dominus autem.* (e) Nempe Jeſus Chriſtus, quem voce iſta abſolute poſita ab Apoſtolo deſignari notum eſt, & in his ipſis epiſtolis aliquoties vidimus. Subjicit votum benevolentiæ in eos ſuæ (cujus expromendæ nullam occaſionem prætermittit) pleniſſimum, ut ſtimulos ipſis acriores ad ea facienda ſubdat, ad quæ eos artificioſe verſiculo ſuperiori fuerat hortatus. Quaſi dicat, quod quidem ut præſtare etiam porro poſſitis, officioque veſtro advigilantes omnem Sathanæ inſultibus ad vos aditum intercludatis, atque ita mea de vobis fiducia ſit perpetua & ſtabilis, ea vobis ab eo qui *Dominus* noſtrum omnium eſt, & quidem benigniſſimus, eoque ut nobis mancipiis ejus bene ſit providet, opto & voveo, quorum ubi compotes facti fueritis, meum etiam deſiderium implebitis, & nihil quod ad illius mali fraudes præcavendas fuerit neceſſarium vobis deeſſe patiemini. Charitas nimirum Dei & expectatio Chriſti, quæ duo hic ipſis vovet, ſunt media ad unumquemque noſtrum in officio continendum, ſtudiumque veræ pietatis in nobis qua excitandum qua augendum, & fovendum, ut certiſſima ita potentiſſima. Quanto enim quiſque majore Dei Opt: Max: flagrabit amore, ipſumque amandi cauſas quanto pervidebit acrius, tanto impenſius eum ſibi demereri ſtudebit, & quanto majori adventus Chriſti deſiderio tenebitur, tanto ſtudioſius ut ſibi veniat propitius elaborabit.

*Dirigat corda veſtra.* Id eſt, omnia cogitata & conſilia veſtra eo convertat, ita illa temperet, eumque vobis animum qui nunc in vobis eſt porro conſervet, imo cœleſti favore ſuo in dies magis ac magis firmet & augeat.

*In charitatem Dei.* (f) Id eſt, ut ardentiſſimo amore & charitate feramini in Deum, eumque tam alte condatis pectore quam alte deſcendere debet admiratio ſimul & conſideratio ac memoria, cum aliorum ejus innumerorum in vos beneficiorum, tum hujus vel maxime cujus per nos eſtis facti participes; cum nobis prædicantibus converſi eſtis ad ipſum ab idolis; per quod quidem ex ſtatu deterrimo & miſerrimo in feliciſſimum & lætiſſimum aſſerti & tranſlati eſtis.

*Et expectationem Chriſti.* (g) Græce ὑπομονὴν. Vetus interpres *Patientiam* alii, *patientem expectationem.* Vox enim ὑπομονὴ ut annotant interpretes, ſignificat perſeverantiam in re quapiam non ſine moleſtia, ſed rurſum cum evpectatione præmii, aut certe finiendi mali. Id eſt ante oculos vero ſemper habentes venturum de cœlis Chriſtum, ut judicet mundum in juſtitia, & reddat unicuique ſecundum opera ſua: eo vos in cruce confirmetis, ipſumque ut finem omnium afflictionum & miſeriarum vobis allaturum, & ab ira ventura vos

(a) *Quod tamen non debet ad conſternationem Chriſtianum pro vocare.* (b) *Qua D. Jeſus eſt fidelis.* (c) *Qui promiſit cuſtodiam a malo.* (d) *Ut nec hæc ingenerare debet torporem & negligentiam.*

[e] *Votum continens media ſtudium pietatis in nobis excitandi*
[f] 1. *Amor Dei.* [g] 2. *Expectatio adventus Chriſti.*

liberaturum, patienter expectetis. Posuit autem *expectationem Christi*, pro *expectationem sui*, antecedens pro relativo, per Hebraismum sacris scriptoribus usitatum, quam habuimus & priori Epist. cap. 3 vers. 13. Dirigit vero Dominus Jesus corda fidelium in charitatem Dei & expectationem sui, non vim illis cui resisti nequeat inferendo, aut oscitantibus & securis ista obtrudendo, sed sponte in ea incitatis, imo currentibus, blande & suaviter, qua per verbum, qua per spiritum S. suum, cum causas & fructus eorum animis objiciendo, tum magnitudinem simul & suavitatem eorum penitius aperiendo; quibus veluti flabellis quidusdam affectus isti in iis excitati quotidie magis ac magis inardescant, & flamma ipsa ab iis ipsis quæ eam peperere alimentum semper capiente velut angeantur.

vers. 6. *Præcipimus autem vobis fratres.* (*a*) Sequitur altera hujus capitis pars, in qua præcepta quædam Thessalonicensibus tradit, atque ea inprimis quæ ad Ecclesiasticam quam vocant disciplinam sanciendam spectant. Primum autem præceptum illud & proponit & confirmat, quod hujus loci est præcipuum, & cujus occasione cætera quoque interseruntur, quo nimirum præcipit, (*b*) ut a familiari eorum qui inordinate, se gerunt, commercio ac familiaritate abstineatur. Deinde alia duo præcepta adjicit, quorum alterum ad eos spectat, qui ita ut dictum est ab aliis notari mirentur; alterum ad eos qui illos notare & ab eorum conversatione abstinere jubentur. Denique præceptum primum aliqua ratione repetit, & uberius explicat atque illustrat. Præceptum principale ita proponit, (*c*) ut authoritatem ei statim conciliet, dum non simpliciter ait *præcipimus autem vobis fratres*;

Sed addit *in nomine Domini nostri Jesu Christi*. Id est, authoritate ac jussu ipsius Domini Jesu Christi: hujus enim est hoc mandatum, ab ipso profectum, ad Ecclesiæ disciplinam stabiliendam; non meum hoc est placitum aut consilium, quod negligi absque peccato forte possit, aut posse a quopiam putetur. (*d*) Non frustra authoritatem hujus præcepti ita stabilit Apostolus, quia plerisque hic obrepit aut negligentia quædam, aut nimia quædam lenitas. Alii enim existimant satis esse si ipsi suum officium faciant, parum pensi habentes quid cæteri agant, quoque modo se gerant. Alii, licet monendos existiment & cæteros ut & ipsi officium faciant, non tamen tam duriter putant in eos consulendum, si officium facere noluerint, ut in eos quoquo modo animadvertant, ab eorumque familiari convictu abstineant, præsertim si alia quædam illis amicitiæ vincula cum ipsis intercedant, aut tales sint, quorum amicitia ipsis videatur appetenda. Quare, ne quid hujusmodi obstaret apud Thessalonicenses hujus præcepti observationi, authoritate Christi interposita illud munit, quæ cum sit prorsus irrefragabilis atque inviolabilis, siquidem est *Dominus noster*, qui divinum in nos absolutumque habet imperium, nulla quantumvis speciosa ratio efficere debet, ut ejus mandata negligamus. Ipsum autem mandatum continetur illis verbis,

*Ut subducatis vos ab omni fratre qui inordinate ambulat.* Hoc est, ut abstineatis a familiaritate, convictu, consuetudine fratris hujusmodi. Fratrem hoc loco appellat quemvis Christianum, qui nimirum salutarem Christi doctrinam una nobiscum profitetur, 1. Cor. 5. 11, ubi de eadem reagens, ait: *si quis frater nominetur.* Appellabatur autem frater a Christianis, quisquis & ipse Christianus esset, seu Jesum profiteretur esse Christum, ejusque religioni addictum se esse testaretur. (*e*) Itaque hoc præceptum non obstringit nos ad vitandum commercium aliorum hominum vitiosorum, ac peccatis aliquibus deditorum, si a religione Christiana sint alieni, uti Apostolus eodem loco 1. Cor. 5 expresse monet vers. 10, 12, 23. Quod idem hodie quoque statui potest de iis, qui licet Christianam religionem profiteantur, & Christiani tum ipsi nominari velint, tum ab aliis dicantur, pro nostris tamen fratribus vulgo non habentur, neque ad Ecclesiam sese nostram aggregant, aut unquam adjunxerunt; præsertim si easdem de religione sententias nobiscum non profiteantur. Nam ad eos qui ad Ecclesiam non pertinent, animadversio etiam Ecclesiastica non pertinet: quid enim, inquit Apostolus, mea interest etiam extraneos judicare? 1. Cor. 5. 12: nec eorum improbitas ecclesiæ nocere, vel saltem non tantopere nocere potest, sive infamiam spectes, quæ ad Ecclesiam ipsamque veritatem divinam ex mala eorum vita redundet; sive contagionem, quæ ad cæteros manare queat. Interim tamen, si quis eandem nobiscum religionem profiteatur, etiamsi ad Ecclesiam alioqui non accesserit, si tamen sæpius monitus non resipiscat, ejus consortium est vitandum. Nam aliqua saltem ratione jam ad Ecclesiam pertinet, & infamia quædam ad veritatem divinam, & Ecclesiam quæ eam profitetur, ex ejus peccatis redundat, & contagio aliorum est metuenda: Majori tamen lenitate (nisi forte vita hominis hujusmodi sit prorsus infamis) utendum, & diutius ferendus est hujusmodi frater, vel saltem diutius ferri potest, quam si se Ecclesiæ adjunxisset. Minor enim fere solet esse Ecclesiæ ex hujusmodi hominis moribus infamia, & minor contagionis metus. (*f*) Etiamsi autem non jubemur hoc loco vitare commercium hominum malorum extra Ecclesiam, tamen & ipsa honestatis ratio, & pietatis amor postulat, ut quantum ejus fieri potest, vitemus eorum familiaritatem quorum vita est infamis, licet pro fratribus nostris non habeantur. Secus si quis faxit, non quidem in hoc, quo de nunc agimus, præceptum Apostoli peccat, sed in illud quod ab eodem traditur 2 Cor. 6, *Ne alienum jugum trahamus cum infidelibus*, & quæ sequuntur.

(*g*) Porro, quid sit *inordinate ambulare*, ipse Apostolus aliqua ratione explicuit verbis sequentibus, dum addit. *Et non secundum traditionem quam accepit a nobis.* Hoc est, qui non ita se gerit quemadmodum postulat doctrina quam vobis tradidimus, quamque & ipse una cum aliis a nobis accepit, id est, didicit, amplexus ac professus est. Per traditionem enim doctrinam intelligi, aliis propositam atque explicatam, vidimus superiori cap. vers. 15. Qui ergo id non facit quod doctrina Apostolica præcipit, aut facit quod illa prohibet, is inordinate ambulat, is extra orbitam a Deo & Christo nobis constitutam evagatur, disci-

[a] 2 *Cap. pars præcepta in primis ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia, continens.* [b] 1 *Ut abstineatur commercio familiaris inordinate ambulantium.* [c] *Cui authoritatem instituo conciliat.* [d] *Quare?*

[e] *Quousque hujus præcepti pomeria extenda.* [f] *Quid de commercio hominum extra Ecclesiam malorum sentiendum.* [g] *Inordinate ambulare quid sit.*

plinam

plinam morum violat. (a) Loquitur autem hic Apoſtolus non tam de ſingulis delictorum adverſus doctrinam Chriſti admiſſorum actibus, quam de habitibus ſeu mavis conſuetudine peccandi.

Nam & verbum *ambulandi* hanc vim habere videtur, & res ipſa id poſtulat. Etenim ſi de ſingulis peccatorum actibus id eſſet intelligendum, quotuſquiſque foret qui ad familiarem convictum ac conſuetudinem admitti deberet? Ita ſane cito dilaberetur Eccleſia, imo vix conſtitui unquam poſſet. (b) Interim tamen, quia nonnulli peccatorum actus ita ſunt graves, itaque enormes, ut jure dici poſſit eos vitioſis peccatorum aliquanto leviorum habitibus æquipollere, ſententia hujus præcepti etiam ad eos extendenda eſt, qui hujuſmodi actus committunt, & in eos acies hujus animadverſionis ſtringenda, præſertim, ſi eos publica quædam infamia comitetur, ſequaturve. Nam & infamiam Eccleſiæ conciliant, & ignominiæ labem veritati aſpergunt hujuſmodi flagitia, dum vulgo ſunt nota, & niſi animadverſione aliqua coërceantur, in exemplum ire facile poſſunt, & efficere, ut minoris æſtimentur, & facilius ab aliis admittantur. Quare his malis animadverſione ſeveriori occurrendum eſt, & non tam uſitata verborum hujus præcepti ſignificatio, quam mens & ſententia Apoſtoli, aut ipſius potius Chriſti, qui hanc Eccleſiæ ſuæ diſciplinam conſtituit, attendenda.

(c) Erratur autem hic non leviter ab iis, qui exiſtimant tam ſevere cum illis agendum non eſſe, qui tale quippiam faciunt, quod per ſe ac ſimpliciter conſideratum a Chriſto ejuſve Apoſtolis prohibitum non eſt, ſed tamen cum infirmerum ſcandalo & offenſione exrraneorum non exigua eſt conjunctum, & infamiæ labem veritati divinæ & Eccleſiæ Chriſti aſpergit. Etenim licet id quod faciunt, per ſe ac ſimpliciter conſideratum peccatum non ſit, nec cum doctrina Chriſti & Apoſtolorum pugnet; tamen cum hujuſmodi circumſtantiis ſpectatum, vere peccatum eſt, & cum Chriſti doctrina omnino pugnat, ſi modo illi videre ac cernere poſſint, offenſionem hujuſmodi facile ſequuturam. Doctrina enim Chriſti præcipit, ut omnia quæcunque facimus, utut per ſe adiaphora ſint, & ſimpliciter ſpectata, nec præcepta ſint, nec prohibita, ad gloriam Dei faciamus, ſimuſque abſque offenſione & Judæis, & Græcis, & Eccleſiæ Dei 1 Cor. 10. 32, ne per nos fiat, ut bonum noſtrum, ut inquam religio noſtra ſanctiſſima, ut Dei ſermo blaſphemetur Jacob. 2. 7; ut omnia ad ædificationem faciamus, alioqui contra charitatem facturi 1 Cor. 14. 16, & quantum in nobis eſt perdituri alios Rom. 15. 2. Philip. 4. 8; ut omnia faciamus quæ bonæ ſunt famæ, ſi quæ gloria, ſi quæ laus, ut ea meditemur, & re ipſa ſequamur Rom. 12. 17. 2 Cor. 8. 21; ut honeſta coram omnibus hominibus procuremus, exemplo Apoſtoli, qui honeſta procuravit non tantum coram Domino, ſed etiam coram hominibus.

Quod ergo factum aliquod licet per ſe licitum, ob circumſtantiarum tamen rationem ad offenſionem aliorum faciat, & in cauſa ſit ut religio noſtra divinaque veritas blaſphemetur, ſi cum bona fama pugnet, ſi in reprehenſionem, præſertim gravem, apud omnes incurrat, ſi infamiam conciliet, certe cum doctrina Apoſtolica pugnabit, ac proinde qui illud committere ſolet, inordinate ambulat, ut qui nec Dei gloriam ita ut debeat amet, nec proximorum ſuorum ſaluti ita ſtudeat, ut pietas a Chriſto ejuſque Apoſtolis præſcripta poſtulat; cum & gloriæ divinæ & alienæ ſalutis cauſa ſuam quoque vitam deberet impendere, nedum aliquod commodum aut voluptatem, aut quidpiam ſimile ei poſtponere. Unde intelligitur in hujuſmodi hominem legis hujus Apoſtolicæ ſeveritatem jure ſtringi poſſe, vel potius debere, & tanto quidem ſeverius cum eo agendum, quanto majori cum offenſione, dedecore, atque infamia factum ejus eſt conjunctum. Quodſi tale ſit ut vulgo apud omnes valde enorme, flagitioſum, atque impium cenſeatur, quia nimirum ſua natura aliquam habeat cum rebus valde flagitioſis, & a Deo ſevere prohibitis cognationem; contrarium autem ejus virtuti & honeſtati admodum ſit conſentaneum; nulla videtur eſſe cauſa cur non poſſit quiſpiam ob unum hujuſmodi factum a familiaritate fidelium arceri; præſertim ſi præmonitus fuerit, & ſæpius quidem, ita ut ejus contumacia etiam acceſſerit. Si enim enormia peccata ſeveriori animadverſione ſunt digna, & licet ſingularia ſint facta, tamen leviorum peccatorum conſuetudinem æquant; idem etiam de hoc peccatorum genere ſtatuendum eſt, quod ob circumſtantiarum rationem ut peccatum eſt, ita & enorme eſſe poteſt. Sed hæc obiter. Jam ad verba Apoſtoli redeamus; in quibus poſtquam vidimus quinam ii ſunt in quos Eccleſia animadvertere, & cenſoriam virgulam ſtringere debeat, jam nonnihil etiam dicamus de animadverſionis genere quo in eos uti debeat. (d) Uſidimus autem illud contineri eo, ut nos ſubducamus ab hujuſmodi fratre, & quidem ne proſopolepſiæ hic ſit locus, *ab omni*, ſeu quovis qui inordinate ſe gerat, qua de re poſtea nonnihil dicemus explicatius.

Quod hic dicit ſubducere ſe ab hujuſmodi fratre, id inferius verſiculo 14 dicit, *non commiſceri cum eo*, (e) hoc eſt, familiaritatem non colere, cum eo commercium ac conſuetudinem non habere, quo eodem verbo eadem in re utitur Apoſtolus 1 Cor. 5, 9, 11; quo loco etiam oſtendit quouſque ſit vitanda hujuſmodi hominum conſuetudo ac familiaritas.

Cum ait: *cum hujuſmodi fratre neque edendum eſſe.* Hoc eſt, non alia tantum facta ac negotia quibus familiaritas colatur fugienda eſſe, ſed ne communem quidem cibum cum eo capiendum, licet id alioqui arctæ familiaritatis argumentum non ſit, vel non adeo magnum. Sunt enim longe majora arctioraque vincula, quibus familiaritas conſtat, quam communis cibus, quem non raro etiam cum alienis capimus. (f) Non ergo in eo ſolo hæc animadverſio ſita eſt, ne cibum una cum hujuſmodi fratre capiamus; ſed etiam in fuga aliarum rerum, quibus familiaritas conſtat, ut ſunt amplexus, & (ubi id conſuetudo fert,) oſcula, crebri congreſſus, colloquia ac ſalutationes etiam, tum inſtitutæ cum nec ulla urget neceſſitas, nec ad delinquentem ea corrigendum adhibeantur, miſſiones munuſculorum, non neceſſitati alienæ, ſed ſolius amicitiæ teſtanda cauſa inſtitutæ, & ſi quæ his ſimilia.

(a) *Loquitur autem potiſſimum de habitu in delictis.* (b) *Etſi nec actus quidem penitus excludendi.* (c) *Imo nec illæ actiones, quæ licet per ſe non prohibitæ a Chriſto, infirmiores tamen offendere poſſunt.*

[d] *Proſopolepſiæ hic locus nullus.* [e] *Quid ſit non commiſceri cum inordinate ambulantibus.* [f] *Animadverſio iſta non in eo ſolo ſita, ne cibum cum eo capiamus.*

(a) Apparet autem diligenter hæc esse cavenda, ut etiamsi sese nonnunquam offerat occasio cum hujusmodi homine colloquendi, isque seipsum nobis offerat, aut nos invitet, nos tamen ejus congressum ac colloquium subterfugiamus; nisi, ut dictum est, necessitas aliqua, aut ejus hominis emendatio eo adigat. (b) Nam & hoc significare verba apostoli, cum jubet sese subducere ab hujusmodi homine, (is enim ab aliquo se subducit, qui utut forte alter ipsum ad se invitet, eumve sectetur, subterfugit ejus convictum ac consuetudinem, & sibi ab ea cavet) & illud quoque argumento est, quod Apostolus eum in finem id fieri vult, ut is pudefiat, id quod non fieret, nisi ad eum modum consuetudo ejus vitaretur, & quidem ita, ut id ipse animadvertere possit, ac probe intelligere, se indignum quodammodo aliorum conversatione ob facta sua censeri. Argumento est & illud, quod ea familiaritate nobis cum fratre inordinate ambulante interdicit Apostolus, quam nobis cum hominibus a Christiana religione alienis, licet idololatris, scortatoribus, rapacibus, conviciatoribus permittit 2 Cor. 5,9, 10. Atqui ne cum illis quidem jugum trahere nobis licet, nec ita illis adhærescere debet animus noster, ut cum nulla prorsus necessitas, nulla honesta utilitatis ratio, atque inprimis pacis conservandæ studium postulat aut suadet, cum illis vivere ac versari cupiamus. Siquidem ipsa honestatis ratio, & virtutis ac pietatis amor ab hujusmodi hominis consuetudine nos avocare cæteroqui debet, quemadmodum supra diximus. Cum ergo Apostolus doceat, ne illud quidem familiaritatis genus cum fratre inordinate ambulante, nobis permissum esse, quod cum fidelibus, seu a Christiana religione alienis, permissum nobis est, facile est intelligere, quam longe a fratris inordinate viventis consuetudine sit recedendum, quamque diligenter sit ipsius commercium ac familiaritas vitanda.

(c) Sed hic quatuor potissimum in disquisitionem veniunt, a nobis breviter explicanda, Primum, utrum quivis Christianus a quovis inordinate vivente sese subducere vi hujus præcepti Apostoli debeat, utrum etiam uxor a marito, liberi a parentibus, servi a Dominis, subditi a magistratibus; vel contra. Quin etiam utrum pares a paribus semper omnino discedere, & alii aliorum consortium vitare debeant.

Secundo Annon casus aliquis incidere possit, ut cibum cum homine inordinate se gerente, capere liceat ei, cui commercium ejus interdicit Apostolus.

Tertium An protinus sit vitandus frater, qui inordinate se gerit, an vero & monendus prius, & mora aliqua interponenda, ut se emendare possit.

Quartum quid illi faciendum fratri, qui a familiari fratrum conversatione segregatus, resipiscere noluerit, sed in pristina vivendi, ac male agendi consuetudine perseveraverit. Qua in re illa etiam continetur quæstio, superstne præter hanc qua de nunc agitur, alia animadversio, qua Ecclesia hodie uti possit aut debeat in eos, qui in suis peccatis ac vitiis perseverant, & non tantum moniti, sed etiam ita ut hoc loco jubet Apostolus, notati, atque a familiaritate cæterorum fidelium remoti, resipiscere nolunt.

[a] *Quam longe a familiaritate inordinate ambulantis fratris recedendum?* [b] *Subducere se ab aliquo quid* [c] *Quæstiones 4.*

Ad primam quæstionem respondemus. (d) Non esse consentaneum, præceptum hoc ad omnes plane simpliciter, seu mavis respectu quorumvis inordinate ambulantium extendendum esse, ita ut quivis in Ecclesia a quovis, quocunque tandem modo sit cum ipso conjunctus, sese subducere, ejusque consuetudinem vitare debeat; sed ad illos id spectare, in quorum potestate cæteroquin est cum aliis vel commercium habere, vel non habere. Nam primum nullo modo concedendum Apostolum velle, ut illi, qui aliis ita sunt vel divino vel humano jure devincti, ut indissolubilem cum iis vitæ consuetudinem colere, aut iis parere, & quoties jubent, adesse, ac sermonem cum iis sociare, resve alias una cum illis obire tenentur, ut ab iis, si in ordinate se gerant, discedant, & eorum consuetudinem vitent. Nec enim Christus aut Apostolus, ejusmodi Ecclesiæ præscribit animadversionem, quæ cum injuria cujuspiam sit conjuncta, seu id cuipiam deneget, quod ipsi jure debeatur. Debetur autem, v. g. marito ab uxore, ut arctissimam cum eo colat per universam vitam consuetudinem; (e) similiter & parentibus debetur a liberis, Dominis a servis, ut hi cum illis præsertim omnino volentibus ac jubentibus versentur, iis ad manum sint, colloquia eorum nequaquam subterfugiant, aut communem cum illis cibum capere detrectent. Idem & de magistratibus respectu subditorum statui debet, & tanto quidem magis, quanto majus eorum aut absolutius est in nos imperium. Hinc porro intelligitur, statuendum esse idem de iis, qui cum inter se sint pares, invicem tamen ita sunt colligati, ut vitare alter alterius consortium, sine illius, aut alterius cujuspiam injuria nequeat: ut si duo ministri eidem Domino serviant, quorum alter ab Ecclesia notatus, cæteroqui sit vitandus; aut si duo pluresve societatem victus acquirendi gratia inter se inierint, quæ familiarem ipsorum convictum ac consuetudinem omnino postulet. (f) Intelligitur etiam nec uxoris consuetudinem marito esse fugiendam; cum non uxor tantum marito, sed & maritus uxori vicissim arctissimo, atque indissolubili (nisi adulterium hujus intercesserit) vinculo sit copulatus: & etiamsi tandem uxor consentiret in seperationem, quam vocant, thori, seu convictus dissidium, (divortium enim uno tantum adulterii casu licitum est) alia tamen ratio separationi huic posset obstare, de qua mox dicemus. (g) Parentibus in liberos, Dominis in servos plus licet. Non enim æque parentes liberis, Domini servis sunt obstricti, ut hi illis. Itaque nonnunquam licet, nonnunquam etiam decet parentes aut Dominos ut a familiari convictu arceant liberos aut servos. (h) Verum tamen causæ nonnunquam justæ obstare possunt, quo minus hujusmodi separatio instituatur. Earum prima jam dicta est, si jus alterius partis, licet inferioris, obstet, quo minus separatio fiat. (i) Nam & inter Dominum & servum potest esse mutua obligatio, & quidem ejusmodi, quæ non permittat ut Dominus pro arbitrio suo servum a convictu suo removeat, præsertim si servi nomine mercenarium intelligas, aut ministrum certo precio ad certum tempus conductum.

[d] 1. *An quivis Christianus a quovis inordinate ambulante recedere debeat. Respondetur negative, quia præceptum Apostoli ad illos tantum pertinet, in quorum sit propria potestate, commercium cum aliquo habere, vel non habere* [e] *Quare nec liberis, a parentibus nec subditis a magistratu &c,* [f] *Nec marito ab uxore recedere licet.* [g] *Magis licet parentibus a liberis, & Dominis a servis* [h] *Nisi obstet.* [i] 1. *Jus partis inferioris.*

Neque

(a) Neque vero ea, quæ juſta cauſa eſt cur Eccleſia quempiam notet, & a ſanctorum communione arcendum ſtatuat, protinus etiam juſta cauſa eſt, cur Dominus ſervum abdicare & a ſuo convictu arcere poſſit. Idem aliqua ratione etiam de liberis eſt ſtatuendum. Nam etiamſi parentibus liceat nonnunquam arcere a ſuo convictu liberos, quin etiam, ſi ita mereantur, eos penitus abdicare; non tamen quamvis ob cauſam, aut quovis tempore licet. Quare videndum eſt, utrum tam gravis ſit illa cauſa ob quam Eccleſia eorum familiaritatem fugiendam ſtatuit, ut etiam a parentum conſuetudine, quorum amicitiam liberis natura ipſa primum conciliavit, ſint amovendi.

Sed præter hanc, & alia poteſt eſſe cauſa, quæ diremptionem convictus ac familiaritatis jam inſtitutæ impediat, quæ inter pares etiam locum habere poteſt. (b) Ea vero eſt, indigentia, ſive utriuſque ſive alterius partis, ac porro quædam neceſſitas, quæ alteram partem alteri ita devinciat, ut eam ab ea divelli, vix ac ne vix quidem patiatur. Etenim non eſt credibile Apoſtolum ita præcepiſſe fugam familiaritatis ac convictus cum inordinate ambulantibus, ut vellet etiam pios propterea magnum aliquod detrimentum incurrere, & iis ſeſe commodis atque uſibus privare, quos illis præſtare debeant, ii qui inordinate ſe gerunt. Itaque conſentaneum non eſt voluiſſe eum omnino, ut parentes liberos aut Domini ſervos non recte ſe gerentes a ſe arcerent, & ſic eorum miniſterio ſeſe privarent quo indigent. (c) Hoc pacto non raro contingeret, ut piis noceret hujuſmodi animadverſio, ipſis nocentibus ſeu inordinate ſe gerentibus prodeſſet. Atqui hos, non illos pœna hac (ſi eam licet ita appellare) affici vult divinus ſpiritus. Unde jam intelligitur, etiamſi tandem aliæ rationes non obſtarent quo minus maritus ab uxoris inordinate viventis convictu diſcederet, eam tamen rationem ſufficere, ſi maritus uxoris conſuetudine atque officio carere nequeat. Idem locum habere poteſt inter eos, qui ſocietatem jam inter ſe inierunt ejuſmodi, quæ convictum ac familiares congreſſus frequentiores poſtulet, ſi ſine notabili incommodo ſuo pius a nocente diſcedere non poſſit, etiam ſi id ſine hujus injuria facere poſſit. Quanquam autem dictum eſt, ſenſum hujus animadverſionis, aut (ſi ita appellare licet) pœnæ, ad eum redundare totum debere, qui meruit; hoc eſt ad eum qui ex præſcripto Chriſti & Apoſtolorum vitam ſuam non inſtituit; (d) non eſt tamen concedendum, velle Apoſtolum ut ab Eccleſia (de civili enim aut domeſtica diſciplina hic non agitur) tam ſevere cum eo agatur, ut is etiam commodis ſuis fraudetur, & honeſta ei victus quærendi ratio eripiatur, atque in anguſtias conjiciatur rerum ſuarum. Neque enim aliud in hac animadverſione ſpectavit Apoſtolus, quam ut hac ratione pudore ſuffundatur frater inordinate vivens verſ. 14: quia nimirum ii qui familiarius alioqui cum illo verſari ſolerent, poſtea ab ejus congreſſu abſtineant, eumque ſua conſuetudine ob morum improbitatem indignum judicent. (e) Adde quod aperte cavet Apoſtolus, ne eum cæteri pro inimico habeant, ſed ut fratrem moneant verſ. 15. Quin & verſ. 13 non obſcure indicat, ne hujuſmodi quidem hominibus neceſſaria prorſus vitæ ſubſidia eſſe neganda, ut illic videbimus. Quare non eſt credendum, Apoſtolum ita velle ſeparationem illam inſtitui, ut damno ſimul afficiantur, & honeſta victus ratione, aliiſve commodis protinus priventur. Quod ſi alioqui ſuo delicto civilem pœnam mereantur, aut, ſi ſub patriſfamilias poteſtate ſint, domeſticam aliquam animadverſionem incurrant, aut in privatorum commodo peccantes digni ſint ut ſuo aliquo commodo viciſſim priventur, id hoc loco non attenditur, ubi de Eccleſiaſtica tantum diſciplina cenſuraque agitur, quæ civilis ac domeſticæ poteſtatis jura ſibi non vindicat, ſed aliis relinquit.

Denique & illa poteſt eſſe juſta cauſa, cur convictus jam inſtitutus inter domeſticos non dirimatur, & nec parens liberos, nec Dominus ſervum a ſe amoveat, aut qui ſocietatem iniit cum altero, eam non dirimat, (f) ſi ſpes ſit fore, ut is qui exorbitat in orbitam cito redeat; præſertim ſi & illud accedat, ut metus ſit, ne, ſi deſeratur, deterior evadat, aut veritatem etiam penitus deſerat.

(g) Atque ut ſummatim videamus quod ad quæſtionem illam penitus diſſolvendam pertinent; non eos hoc Apoſtoli præceptum ſimpliciter obligat qui in eadem familia vivunt, aut illos, qui peculiari jure ſunt inordinate viventibus obligati, ut ſine eorum injuria ab illis ſubducere ſe nequeant, ſed eos qui in diverſis vivunt familiis, & qui ſine violatione juris alieni poſſunt ab aliis diſcedere, ut pote in quorum arbitrio ſitum eſt cum illis verſari vel minus, idque tum, cum nulla eos ad colloquia ac congreſſus adigit neceſſitas, nec civilis concordiæ ac pacis ratio eos huc compellit. Itaque & cognati a cognatorum, affines ab affinium familiaritate, cum diverſas familias conſtituunt, abſtinere debent, quatenus civilis honeſtas ac vitæ concordia permittit. Et quia inter eos qui eadem familia vivunt, aut ſocietatem aliquam inierunt, vel major vel minor eſſe poteſt conjunctio, ut inter miniſtros ejuſdem heri; etiamſi ab iis qui inordinate ambulant diſcedere vel non poſſint, vel ut diſcedant conſultum non ſit; eatenus tamen ſeſe ab illis ſubducere debent, quatenus ullo pacto licet, & minus tamen arcte cum illis vivere quam alias victuri eſſent, omnibuſque modis oſtendere, quantopere ſibi illorum mores diſpliceant: qua in re quia plus licet ſuperioribus in inferiores, plus etiam paribus in pares, quam inferioribus in ſuperiores, plus etiam hac in parte facere debent.

(h) Ad ſecundam quæſtionem reſpondemus, *accidere nonnunquam poſſe, ut eidem menſa, una cum inordinate ambulante, abſque violatione hujus præcepti Apoſtolici, aſſideas, & communem cum illo cibum capias*, v. g. ſi contingat ut inviteris a patrefamilias ad cibum capiendum, cujus vel uxor, vel filius, vel ſervus, ab aliorum fidelium conſortio ſit remotus; aut hoſpes adveniat, qui invitatus ab eodem patres familias, eidem menſæ accumbat. Neque enim ille conſeſſus protinus familiaritatis, cum inordinate ambulante indicium eſt, præſertim ſi illi ipſi fratri inordinate

(a) *Non continuo qui ab Eccleſia excommunicatus & a domeſticis arcendus.* (b) 2. *Indigentia parum etiam inter pares.* (c) *Alioquin hæc pœna impiis inſtituta, magis noceret piis.* (d) *Nec ipſe nocens commodis ab Eccleſia fraudandus.* (e) *Non tamen habendus pro inimico.*

[f] 3. *Spes citæ emendationis.* [g] *Regula in hujus quæſtionis ſolutione omnibus intuenda.* [h] 2. *An poſſit aliquis caſus incidere, ut cibum una cum inordinate ambulante capere liceat ei, cui id interdictum eſt? Reſponſio Affirmative.*

ambu-

ambulanti non præbibas, aut præbibenti responsurum te modeste neges, & prout locus, tempus, aliæve circumstantiæ ferunt, conditionis tuæ, & illius ipsum admoneas, nec sermones, nisi forte quibus illum admoneas ac reprehendas, cum eo, præsertim tua sponte, jungas, & quibus possis modis ostendas, te ejus conversationem fugere, ac vitare. (a) Interim tamen satius est, si modo honeste possis, istiusmodi mensas ac convivia fugere, quibus is interfit, qui est ab Ecclesia ad eum modum notatus, præsertim si verendum sit, ne vel ille qui inordinate ambulat, vel alii infirmiores, id in familiaritatis argumentum trahant, aut tu ipse hoc pacto familiarius cum ipso versari assuescas. Atque hac in re tanto major est adhibenda cautio illis, quorum major est in Ecclesia authoritas, & quorum exemplum vel prodesse, vel nocere aliis plus potest.

Præter hos autem casus possent & alii accidere, ubi non videatur illicitum cum ejusmodi fratre cibum capere, ut si ad nuptias suas aut liberorum suorum, vel cognatos suos invitet, vel alios, quorum opera carere, eo tempore vix ac ne vix quidem possit. Neque enim credibile est velle Apostolum, ut hujusmodi tempore necessaria illi humanitatis officia denegentur. Neque vero extraordinarius hic convictus pro familiaritate jure potest haberi. Nobis autem familiaris tantum cum inordinate ambulantibus usus ac consuetudo est interdicta; cibus vero communis eatenus, quatenus est conversationis ac familiaritatis vel pars vel argumentum.

Itaque etiam interdum ut majus evitetur incommodum, v. g. rixæ, pugnæ, aut quidpiam simile. cibus cum inordinate ambulante communis capi posse videtur, qua in re & prudentia, & timor Domini, veneratioque præceptorum ejus adhibenda est, bonique ratiocinatores officiorum esse debemus, ut medium inter nimiam facilitatem nimiumque rigorem teneamus.

Illud etiam probabile est non prohibere Apostolum, quominus inordinate ambulantem, si in ædes nostras vel ultro veniat, & cibum una nobiscum capere velit, a mensa nostra arceamus, vel si videamus eum alibi divertere sine suo incommodo non posse, eum invitare in ædes nostras non audeamus. Etenim satis esse videtur, si cum illo ita hac in parte agamus, quemadmodum Judæi cum Ethnicis, ac publicanis, quorum exemplum hac in parte nobis proponere videtur Christus Matth. 18. At Judæi licet ad Ethnicorum mensas ipsi non accederent, eorumve cibis uti horrerent, a suis tamen mensis accedere volentes non arcebant. Quare ne illud quidem in usitatum fuisse videtur, ut Judæi Ethnicos, cum ea re indigere eos viderent, ad mensam suam invitarent; ut nihil videatur esse absurdi, si frater fratrem inordinate ambulantem ad se invitet, ubi viderit eum hoc humanitatis officio indigere; quia ut antea dictum est, beneficentia ipsi necessaria nequaquam hoc Apostoli præceptum est vetita. (b) Interim tamen etiam hic modus est, & cautio adhibenda, ne in familiaritatem res abeat, & qua licet, aliter cum hujusmodi fratre, aliter cum aliis hospitibus agendum. Sunt enim & officiorum humanitatis, ac hospitalitatis gradus; & alii majoris sunt familiaritatis, alii minoris. (c) Breviter, *familiaritas cum inordinate viventibus, ita est vitanda, ut nec beneficentiam in eos, cum eorum necessitas eam requirit, negligamus, nec pacem ac concordiam, civilem aut domesticam violemus.* Interim tamen non est quævis offensio fratris inordinate ambulantis, pro violatione concordiæ aut pacis habenda; & si id agatur ab altero, ut in se disciplinæ Ecclesiasticæ nervi laxentur, & vel nemo, vel certe nonnulli, vitare ipsius consortium non audeant; fortius obsistendum est, & cum quodam etiam periculo, nulla habita ratione istiusmodi offensionis, ab ejus commercio absistendum. Majoris enim momenti apud nos esse debet, ordo ac disciplina Ecclesiæ, gloriaque divina, quam hujusmodi hominis offensio, nostrumve periculum.

(d) Ad tertiam quæstionem respondemus: In enormibus delictis, atque iis quæ semel admissa nec facile repeti solent, nec emandari possunt, qualia sunt matrimonia cum idolatris contracta; moram ejusmodi adhiberi non posse, vel non debere, sed statim animadversionem adhibendam esse: præsertim si quis jam antea præmonitus satis fuerit, aut enormitas facinoris tanta sit, ut Christiani hominis animus ab eo, nullo etiam monente, ita abhorrere debeat, ne unquam id audeat committere. Talia sunt abnegatio veritatis, homicidium, latrocinia, incestus, adulterium, & alia his similia. Nam cum vel unicus hujusmodi scelerum actus, hujusmodia animadversionem mereatur, absurdum fuerit expectare hujusmodi hominis facinorosi emendationem. Etenim vel statuendum esset, ejusmodi hominem non esse arcendum, a piorum conversatione, nisi sæpius idem tacinus repetierit; quod absurdum esse, facile homines pietatis amantes videre possunt, multaque inde consequerentur incommoda, in gloriam divinam, humanamque salutem redundantia; vel tum demum esset arcendus a consortio piorum, ubi se se emendasset, & per resipiscentiam facinus suum quodam modo expiasset; quod itidem absurdum esse quivis facile cernit. Quomodo enim auderes eum emendatum arcere a familiaritate tua, quem non dum emendatum arcere non fueris ausus? Animadversio hæc ad emendationem delinquentis potissimum spectat, unde ea subsequuta tolli solet. Quare absurdum foret, eam tandiu differre, donec is qui deliquit sese emendaverit, & per resipiscentiam, prioris vitæ labem, gloriæ divinæ, veritati cœlesti, & Ecclesiæ aspersam eluerit. (e) Sed in aliis minus gravibus delictorum generibus, & vulgo usitatis, in quæ facilior ac pronior est lapsus, & quæ infamiam Ecclesiæ non tam facile afferunt, mora est adhibenda, & monendus prius est frater, ut se se emendet, & emendatio aliquousque exspectanda, antequam ab ejus victu, ac consuetudine abstineatur. Docet id ipse Apostolus non obscure, dum de hominbus otiosis, quorum causa atque occasione potissimum hoc Thessalonicensibus de disciplina Ecclesiastica præceptum præscripsisse eum apparet, ait vers. 14: *Quodsi quis non auscultat nostro per Epistolam sermoni, hunc notate: & ne commercium habete cum eo.*

(a) *Cautio.* (b) *Cautio.* (c) *Regula*

(d) 3. *An protinus sit vitandus qui inordinate se gerit, an mora interponenda, ut se emendare possit. Responsio in enormibus & quæ non facile repeti solent, moram nullam adhibendam.*
(e) *In minoribus & vulgo usitatis delictis, non statim ad animadversionem ipsam descendendum.*

hac Epiſtola expreſſum, nimirum ut cum quiete operantes, pane ſuo veſcantur, proponi, & demum eos notari, atque a familiari conſuetudine piorum arceri; ſi non auſcultarint huic ſermoni. Ut autem conſtare poſſet utrum auſcultarent nec ne, mora aliqua poſtquam illis præcepta Apoſtolica fuiſſent propoſita, interponenda erat. (a) Quanta autem mora ſit adhibenda, ex gravitate aut levitate delicti, itemque ex ejus qui monetur, aut ad obſequendum promptitudine, aut contraria contumacia, atque adeo ex ſpe, quam de ejus emendatione habeas, vel non habeas, æſtimandum eſt. Nec mirum eſt, ſi non nunquam optimorum etiam in Eccleſia virorum judicia, hac in parte diſcrepent. Res enim illa prudentiæ eſt, nec generali aliqua ratione ita comprehendi poteſt, ut non ſit neceſſe ex circumſtantiarum ratione eam definire. Unde fit ut in eodem quoque delicti genere, ita exigentibus circumſtantiis, aliter atque aliter agi non tantum poſſit, ſed etiam debeat verum ita, ne proſopolepſia locum habeat, & rerum ipſarum ratio, ac cauſæ meritum, diſciplinæq; hujus ſcopus attendatur.

(b) Poſſemus jam ad ultimam quæſtionem tranſire, niſi nobis difficultatem adhuc objiceret locus Matth. 18, ubi videtur Chriſtus præcipere, ut is, qui fratrem aliqua in re offendit, ſi & privatim ſemel atque iterum monitus & ab Eccleſia publice reprehenſus ac convictus, culpam agnoſcere, atque emendare nolit; habeatur ſeu tractetur ut Ethnicus ac publicanus. Qua in re illud videtur comprehendi, quod hoc loco præcipit Apoſtolus, ut ejus conſuetudo ac familiaritas vitetur. Quanquam enim vel ex hoc ipſo loco apparet, cum frater in fratrem peccavit, non protinus eum a conſortio cæterorum eſſe amovendum, ſed prius monendum, & aliquantiſper ſaltem ejus emendationem expectandam; tamen & illud videtur inde apparere, fratrem etiam ob unum delictum in fratrem admiſſum, licet non enorme, ſi id agnoſcere nolit, nec id ſibi dolere teſtetur, ab Eccleſiæ conſortio, arceri non tantum poſſe, ſed etiam debere: id quod non ſatis videtur conſentire cum iis, quæ & ſuperius in explicatione Apoſtolici præcepti, & eorum præcipue verborum ubi inordinate ambulantes commemorat, & paulo ante in hujus ipſius quæſtionis tractatione diximus. Sed nihil dictis noſtris contrarium ex illis Chriſti apud Matth. verbis elici poteſt. Nam cum dicimus, in levioribus delictorum generibus non ob ſingulos peccatorum actus homines eſſe a communione fidelium removendos, ſed ob male agendi conſuetudinem, actusve crebro repetitos: non volumus eum ferri fratrem, qui cognitione præceptorum Chriſti inſtructus quidpiam deliquit, & peccati convictus ſatis ſuperque tum privatim tum publice fuerit, culpam tamen agnoſcere nolit, & non teſtetur id ſibi dolere, ac velle impoſterum vitare, ſed eum qui culpam agnoſcat, & ſpem correctionis atque emendationis faciat, utut forte ob fragilitatem, aut inveteratam conſuetudinem, aliaque peccati irritamenta iterum poſtea peccet, & in eundem lapidem ſæpius impingat. Nam ſi quis culpam licet demonſtratam, ita ut eam, niſi affectus ac pertinacia eum excæcaverit, non poſſit non agnoſcere, agnoſcere tamen ac fateri nolit, eamque defendere quam corrigere malit, eum ſi juſta ei mora fuerit conceſſa, ut ſeſe recolligere poſſit, nec nos ferendum eſſe exiſtimamus, nec Apoſtolus præcipit. Jam enim non error amplius aut fragilitas, ſed contumacia, ſed malitia ac perverſitas eſt, quæ lenitate Eccleſiæ fovenda non eſt, ſed ſeveriore animadverſione emendanda. Dicimus autem nihilominus, moram hujuſmodi homini aliquam eſſe concedendam, ut ſe recolligere, & re melius conſiderata, ſequeſtratoque affectu, qui nebulam judicio ipſius offuderat, emendare errorem poſſit. Neque enim id verba Chriſti prohibent, & alias æquitas jubet ſeveritatem legum, cum verba & res patitur, minuere potius quam augere ac intendere, & in mitiorem potius partem ſententiam flectere, quam in duriorem. Non dicit autem Chriſtus, ea protinus hora, aut die, quo Eccleſia primum ſuam de controverſia inter fratres, ſeu injuria alteri ab altero illata ſententiam dixerit, habendum eſſe eum inſtar ethnici & publicani, qui deliquerit, ſi non protinus Eccleſiæ ſententiæ ſubſcripſerit, eamve non audierit. Poſſunt enim verba illa *ſi non audierit Eccleſiam* laxius aliquanto ſumi; nimirum, ſi nec ſtatim, nec mora juſta interpoſita Eccleſiæ auſcultaverit, ejuſque ſententiam ac judicium ſequutus fuerit. Neque vero Chriſtus nullum prudentiæ, æquitati, lenitati, longanimitati locum hic reliquit fratribus in fratres lapſos, quorum ſervandorum cauſa venit, animamque ſuam poſuit; cum alias ipſius lenitatem ac longanimitatem erga delinquentes imitari jubeamur, quanquam probe novimus, id abſque relaxatione nervorum diſciplinæ fieri debere. Hujuſmodi autem mora ſi non ſit nimia, ad emendationem morum multum facit, & pœnam, quæ poſtea ſequitur contumaciam ejus, cui ſpatium reſipiſcentiæ datum eſt, magis intendit. Cum autem prudentiæ atque æquitati locum hic relictum eſſe dicimus, illud etiam intelligi volumus, ne vel privatim læſi, quaslibet etiam leviſſimas offenſas ſuas velint ita urgere, ut ad Eccleſiam omnes deferant, vel Eccleſia quaſvis & ſuſcipere, & ob eas non agnitas velit a communione ſua delinquentem excludere: Sed illas demum quæ alicujus ſint momenti, & quas agnoſcere quivis, vulgari licet judicio ſit præditus, poſſit. Cætera enim tegere potius, ac nonnunquam diſſimulare, aut tolerare, alii in aliis debent, ita tamen ut privatim eorum correctioni ſtudeant, caveantque ne a levioribus injuriis ac delictis ad graviora fiat progreſſus. Eſt autem & illud obſervandum, illa delicta quæ ad pacem ac concordiam fratrum turbandam ac dirimendam pertinent, quales ſunt injuriæ fratribus illatæ, de quibus ait dicto loco Chriſtus, ſi cætera ſint paria, aliquanto ſeverius eſſe cohibendas, ne in publicum Eccleſiæ malum, ejuſque diſſipationem tandem erumpant. Plurimum enim ad ſalutem cum totius Eccleſiæ, tum ſingulorum ejus membrorum, in pace ac concordia ſitum eſt. Quare proportio inter alia delicta, & inter injurias fratribus illatas ita eſt inſtituenda, ut tum demum ad alia delicta id extendatur, quod Chriſtus ait, eum, qui Eccleſiam non audiverit eſſe habendum inſtar ethnici & publicani, cum ea ſua gravitate injuriarum fratribus illatarum gravitatem atque incommoda æquant ac compenſant. Nihil de eo nunc dicimus, quod verba Chriſti apud

(a) *Quanta mora interponenda, ex delicti gravitate judicandum.* (b) *De loco Matth. 18, ubi eſt præceptum de eo, qui fratrem offendit.*

Mattheum, *sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, quandoquidem ad eum sunt directa, qui ab altero est offensus, possint ita accipi, ut magis quid liceat significent, quam quid fieri omnino debeat, quasi dicat, licet tibi cum eo postea agere, ut cum ethnico ac publicano; quemadmodum viri quidam doctissimi censuerunt: quo pacto, non ageretur hic de publica Ecclesiæ in peccatorem animadversione, ad disciplinam morum stabiliendam pertinente, sed facultas tantum daretur læso, ut non majorem jam amplius hujusmodi fratris, quam hominis extranei haberet rationem. Sed sequentia verba valde faciunt verisimile, verba hæc, licet ad læsum fratrem sint directa, utpote ad quem præcedentia quoque pertinent, de re tamen loqui quæ non minus ad alios in Ecclesia, quam ad ipsum pertineat.

(a) Restat quarta quæstio; de qua ita sentimus; non reperire nos aliud aliquod animadversionis genus, Ecclesiæ aut præscriptum, aut in perpetuum permissum, quo uti possit aut debeat in eos, qui ita ut hoc loco docemur, ab Ecclesia notati ac consignati resipiscere noluerint, præter hanc ipsam eorum a consortio fidelium separationem atque exclusionum; licet arbitramur hanc ipsam pœnam intendi aliqua ratione posse, imo interdum etiam debere; si homines ejusmodi, in impietate longius progrediantur, & denique si veritatem etiam abnegent, & Christianam religionem deserant, aut alioqui prophani, aut piorum hostes evadant, ut tanquam anathemata quædam vitentur. Nam si quis existimet id quod est apud Mattheum, *sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, diversum quoddam genus ab eo de quo hic agimus, Ecclesiæ præcipere, & eo quidem gravius ac severius, quo nimirum extrema quædam a cœtu fidelium exclusio contineatur; is inde errorem suum facile potest animadvertere, quod hæc pœna ei sit infligenda, qui vel semel illata fratri injuria, eam privatim publiceque monitus agnoscere ac deprecari, dato ad resipiscentiam spatio, non vult. Atqui hujusmodi hominem protinus esse habendum pro extraneo, ea nimirum ratione qua nonnulli crediderunt, absurdum sane foret dicere; cum Apostolus ne in idololatras quidem, scortatores, rapaces, aliam 1 Cor 5 pœnam constituat, quam ne cum illis hominibus commercium habeatur, aut cibus cum illis capiatur. Itaque nec verba illa, *sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, etiam si præcepti vim habere censeas, a qua sententia nos non sumus alieni, tam late erunt extendenda, ut omnes ex parte ethnicis & publicanis hujusmodi homo comparetur, sed habita ratione conversationis ac convictus; ut nimirum ita ab eorum consuetudine abstineamus, quemadmodum Judæi solerent abstinere a consuetudine ac convictu ethnicorum ac publicanorum. Verum tamen, quia dictum est, posse eo rem devenire, ut ab hominibus inordinate ambulantibus, tanquam ab anathemate quodam sit abstinendum; hoc ipsum ultimæ ex Ecclesiæ exclusionis seu ex communicationis loco esse potest. (b) Illud vix est commemorandum, Ecclesiæ præceptum nuspiam esse, ut peccantes Sathanæ tradat. Nam tale præceptum ostendi nuspiam potest, imo ne exemplum quidem, quod Ecclesia ipsa quempiam aliquando Sathanæ tradiderit; sed cum bis ea de re legamus 1 Cor. 5 vers. 3, 4, 5. & 1 Tim. 1, vers. 20, utrobique tradendi actio Paulo Apostolo tribuitur; licet in priori loco Ecclesiæ veluti consensum ac conspirationem, hominem illum Ecclesia ejicientis, velit accedere. Fuit nimirum ea res potestatis Apostolicæ, quæ miraculosum soleret habere effectum, primorum illorum temporum proprium; de qua potestate loquitur inter alia Apostolus 2 Cor. 10.6 deinceps & cap. 13.7, 10. Sed de his hactenus. Nunc ad Apostoli verba revertamur.

Vers. 7. *Nam ipsi scitis quomodo oporteat.* (c) Exposito præcepto, ad disciplinam morum in Ecclesia sanciendam spectante, jam ratione illud munit, & per prolepsin quandam, causam adfert cur id Thessalonicensibus tradat ac perscribat. Ratio petita est ab Apostoli ipsius exemplo: cui altera sed specialior annectitur ab ipsius præcepto, antea Thessalonicensibus coram tradito, cujus sanciendi causa exemplo illis suo præire voluerit. Et exemplum quidem suum primo generaliter proponit hoc versiculo deinde specialius in sequenti explicat.

Ait ergo, *Nam ipsi scitis.* Vim hoc addit rationi, quod res esset ejusmodi, quam ipsi probe nossent, & quæ non nunc demum illis esset persuadenda, sed jam dudum persuasa. *Quomodo oporteat nos.* i. me (nam de se loquitur) *imitari.* Quam diligenter meum vitæ exemplum omnibus sit sequendum, dandaque opera ut mores actionesque meas exprimant, & ad eas se quoque ipsos & actiones suas conforment. Quanquam vox *quomodo* ita quoque accipi posse videtur, ut nullam majorem vim habeat, quam si simpliciter dictum esset, quod oporteat &c.

*Quoniam non inordinate ambulavimus inter vos.* Id est, non discessimus ab orbita honestatis, virtutis ac pietatis, non defleximus a norma doctrinæ Christi, ac nostris ipsorum præceptis quæ aliis præscripsimus: sed quæ mandavimus aliis, & ipsi fecimus. Docet his verbis, & jure se velle ut Thessalonicenses suum exemplum sequantur, & qua in re exemplum suum sequi debeant.

Ait autem *inter vos*, non quod alibi aliter se gesserit, sed quod rem illis ipsis probe cognitam ac perspectam ante oculos ponere voluerit, & vim exemplo addere ad eos tanto magis excitandos. Segnius enim irritant animos demissa per aures, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus. Quæalibi essent acta a Paulo, quidve egisset, ignorari a multis poterant, a pertinacioribus forte etiam negari. Itaque quorum ipsi oculati fuerant testes, ea sola commemorat, aliis omissis, quæ tamen illis similia erant, & ex iis quæ oculis subjecta erant, facile poterant æstimari.

Vers. 8. *Neque enim gratis panem edimus a quoquam.* Scilicet acceptum: quam vocem nonnulli interpretes perspicuitatis causa inferunt verborum contextui. Exemplo speciali declarat id quod dixerat; se inordinate non vixisse inter Thessalonicenses; non quod, si gratis accepisset a quoquam ipsorum panem, inordinate revera fuisset ambulaturus, seu violaturus doctrinam Christi, (docet enim in sequentibus id se jure facere potuisse, si modo jure dici potest gratis edere panem alterius, qui eum in doctrina Euangelica instituendo victum abunde meretur) sed quod

[a] 4 *An reperiatur aliud præter hoc animadversionis Ecclesiasticæ genus.* [b] *Ecclesia non est præceptum, ut aliquem Satanæ tradat.*

(c) *Rationem præcepti reddit, a suo exemplo.*

in cæteris id ſit inordinate vivere, & ipſe ſi ab aliis victum accepiſſet, nec labore manuum acquiſiviſſet, ſpeciem quandam præbere potuiſſet, inordinate ambulantis. *Panem* (a) pro cibo ſimpliciter ſumi, atque adeo pro rebus quibusvis ad vitam tolerandam neceſſariis, vulgo quoque uſitatum eſt; atque ita in precatione Dominica ſumitur: Videtur enim hoc loco, etiam amictus eo nomine comprehendi, per Synecdochen ſive partis, ſive ſpeciei. *Gratis* hoc eſt labore proprio non acquiſitum, aut pretio juſto non comparatum.

*Sed cum labore & ærumma nocte & die operantes.* A contrario illuſtrat vocem *gratis*, ſeu mavis aliqua ratione demonſtrat, ſe panem a quoquam acceptum gratis non ediſſe, quia dies ac noctes manibus ſuis laboraverit ſummo ſtudio, necminore moleſtia, victus acquirendi gratia. Rem exaggerat, vel potius magnitudinem laboris hujus explicat, dum & contentionem, ſeu intenſionem, & aſſiduitatem exprimit. Illam, dum non contentus voce *laboris* & *ærummam* commemorat, quæ moleſtiam apertius ſignificat quam illa.

Hanc cum ait, *nocte dieque* ſe operatum, hoc eſt quicquid temporis ſuperfuerat prædicatione Euangelii, & neceſſariæ corporis ac virium refectioni, hoc eſt cibo ac ſomno, quarum rerum parciſſimus fuerit, id totum & interdiu & noctu ſe laboribus manuariis impendiſſe. Erat autem ſcenopega ſeu opifex tabernaculorum, ut legimus Act 18.3.

*Ne quenquam veſtrum gravaremus.* Finem explicat hujus tanti laboris, tantique ſtudii in victu acquirendo, ne cuiquam Theſſalonicenſium oneroſus, moleſtus ac gravis eſſet, victum ab eo petens, aut ſtipendium accipiens; qua de re dictum eſt etiam in priori Epiſt. c.2.9.

Verſ. 9. *Non quod non habeamus poteſtatem.* Finem ulteriorem hujus ſui & laboris & abſtinentiæ a victu ab aliis petendo, expoſiturus, prolepſi utitur. Potuiſſet enim aliquis cogitare, non mirum eſſe, te manuum labore victum tibi comparaſſe, nec eum a nobis poſtulando atque exigendo, quenquam noſtrum gravare voluiſſe; nam ne poteras quidem jure, non licebat tibi gratis a nobis victum exigere. Reſpondet Paulus, imo vero licuiſſe; nec ideo ſe ab ea re abſtinuiſſe, quod non liceret ſibi exigere ab auditoribus victum: juſtiſſimum enim eſt, ut qui Euangelium docent alios, ab illis neceſſaria vitæ ſubſidia, mercedis cujuſdam loco referant; dignus eſt operarius mercede ſua: & leve eſt ſi qui aliis ſeminant ſpiritualia, metant eorum carnalia, qua de re prolixe diſputat Apoſtolus 1 Cor.9. Aliam ergo hujus rei cauſam ſibi fuiſſe indicat, & mox aperte docet. Addit hæc res magnum exemplo Apoſtolico pondus. Nam ſi Apoſtolus ab aliis gratis acceptum panem non comedit, cum ſummo jure poſſet eum ab illis poſtulare; ſi tam diligenter labori manuum incubuit, cum abſtinere ab eo poſſet, quanto minus alii debent victum ab aliis gratis petere aut ſumere, qui nullo jure petere poſſunt, quantoque magis labore ſuo vitam tolerare aut ſuſtentare debent? Quæ ergo inquies cauſa fuit id faciendi, quod omittere poterat, quodque non cum tanta moleſtia erat conjunctum? Id exprimit Apoſtolus:

*(a) Sed ut noſmet ipſos exemplar demus vobis ad nos imitandos.* Ut noſtro exemplo doceremus vos, non eſſe vobis otio indulgendum, ſed labore aſſiduo victum acquirendum, utque ad id faciendum vos incitaremus. Si enim, ut paulo ante dictum eſt, Apoſtolus labore manuum vitam toleravit, qui poterat ſtipendium ab aliis accipere, & eorum ſumptibus vivere: quanto magis cæteri ſuis laboribus victum ſibi quærere debebant? Itaque Apoſtolus ſuo exemplo laborandi neceſſitatem quandam impoſuit. Non eſt autem intelligendum hunc ſolum fuiſſe finem cur Apoſtolus labore manuum victum quæreret, qui hoc loco exprimitur. Habebat enim & alios, huic tamen admodum conſentaneos, nimirum ut ſuſpicionem avaritiæ a ſe amoliretur, ne forte putaretur lucri tantum ac quæſtus ſui cauſa Euangelium prædicare, præſertim apud homines divites, inque urbibus opulentis, qualis erant Theſſalonica, Corinthus, Epheſus, in quibus Euangelium prædicavit; Quare ne hac ratione curſum Euangelii impediret, ſtipendium non accepit; ſimul etiam ut præcideret anſam gloriandi falſis quibuſdam doctoribus, qui Apoſtoli labores ac laudem ſibi vindicabant, cum interea lucrum captarent, & avaritiæ, ambitionique ſuæ velificarentur, qua de re diſſerit 1 Cor.9.12,18 d. & 2 Cor. 11.7,12. & d. & cap. 12.14. Sed hos fines nunc non commemorat, eo contentus ſolo qui ad rem præſentem facit, qui quidem fuit unus ex primariis; & fieri facile poteſt, ut cum alibi, aut in Achaja, quam nominatim hac in re commemorat, & Macedoniæ quodam modo opponit, illum potiſſimum finem reſpiceret quem in Epiſt. ad Corinth explicatum videmus, apud Theſſalonicenſes hunc potius reſpexerit; quia plures ibi deprehenderet otio indulgere, qui exemplo eſſent ad labores adducendi.

Verſ. 10. *Etenim cum eſſemus apud vos.* (c) Cauſam hic adfert Apoſtolus proxime præcedentium, ſed ſimul etiam ſuperiora aliqua ratione illuſtrat ac confirmat. Docet enim cur laborando & victum hoc pacto ſibi quærendo exemplum aliis præbere voluerit, & incitamento iis eſſe ad ſe ſe imitandum. Nempe quia præceperat verbis, ut quivis labore honeſto victum ſibi quæreret, eumque ab aliis, ſi laborem fugeret, ne auderet exigere. Quare quod verbis docuerat facto etiam docere ac ſancire voluit, licet alioqui id facere non teneretur. Norat enim efficacius docere exempla, quam præcepta; facta verbis eſſe ad commovendos hominum animos validiora. Noluit ergo verbis facta, & præcepto exemplum deeſſe, omnemque aliis excuſationis anſam & otii prætextum præcidere voluit. Iiſdem autem verbis ſimul etiam illuſtrat ac confirmat Apoſtolus quæ dicta ſunt verſ.6. Nam & exemplo quodam ſpeciali illuſtrat id quod de inordinate ambulantibus, ac non ſecundum doctrinam a ſe traditam, dixerat, & cauſam explicat, cur hoc genus inordinate ambulantium mereatur notari, & a conſuetudine aliorum arceri, quia jam antea præceptum hac de re acceperint, cum illis coram adeſſet, ita ut ignorantiam prætendere non poſſent.

*Si quis nolit operari, etiam non edito.* Non ait Apoſtolus ſimpliciter, *ſi quis non operetur.* Fieri enim poteſt, ut quis ob virium imbecillitatem ſive naturalem, ſive ex morbo, ſive ob ſenectutum, ſive alio aliquo caſu contractam non laboret; quia nimirum non poſſit, non quia nolit; cui homini victus nequaquam eſt denegandus. Sed *ſi quis operari nolit*, cum ni-

[a] Panis *pro victu & amictu.*

(b) *Cur Paulus manibus ſuis laboravit.* (c) *Cur laborando exemplum aliis præbere voluerit.*

mirum possit: si quis inquam otio indulgeat, & a labore abstineat, non virium defectu, sed voluntatis ac studii, is dignus est qui etiam non edat; indignus qui ab aliis alatur. Etenim cum victus non nisi labore hominum quæratur, & ipse Deus olim dixerit Adamo (quæ conditio est etiam ipsius posterorum) *in sudore vultus tui comedes panem*: qui laborem subterfugit, jure etiam fructu laboris, hoc est victu caret, & injuria eum ab aliis exigit. Latet in hoc præcepto uno duplex quodammodo præceptum: alterum quod præcipue intendit Apostolus, ut quivis laboret, & hoc ad officium nostrum potissimum pertinet: alterum aliquo modo ad pœnam, ne is qui laborare non vult, panem seu victum ab aliis exigere audeat. Id enim esse videtur, dum ait, *etiam non edito:* quanquam etiam simpliciter accipi potest; quasi dicat, dignus est qui non edat, unde sequitur victum ei ab aliis negari jure posse.

Vers. 11. *Audimus enim quosdam inter vos ambulantes inordinate* &c. (a) Ambulantes participium, ponitur pro infinitivo *ambulare*, Græcorum more. Hic causam reddit, ut diximus, tum præcepti superius traditi, de vitanda familiaritate inordinate ambulantium, tum eorum, quæ illius confirmandi ac stabiliendi causa hucusque differuit: idque per quandam prolepsin. Poterat enim aliquis dicere: Quid causæ est, cur nobis inordinate ambulantes fugiendos esse præcipias, & victum labore acquirendum inculces? Nunquid enim ea re nos tantopere indigemus? aut estne inter nos quispiam, qui contra faciat? Respondet Apostolus, omnino audire se quosdam hujus generis homines, inter ipsos, seu in ipsorum Ecclesia versari, & hanc esse causam, cur hæc illis præcipiat atque inculcet.

*Audimus*, inquit, non *scimus*, qui absens erat.

*Quosdam inter vos.* Ne omnes accusare videretur:

*Qui inordinate ambulent.* Seu non ita ut decet, non ita ut præcepimus, se gerant: quo autem pacto, explicat dum subjicit:

*Nihil agentes.* Seu nullo honesto labore, quo victum comparent, occupati.

*Sed inaniter satagentes.* Hoc est, rebus non necessariis occupati; occupati rebus supervacaneis, inutilibus, aut ad se nihil pertinentibus, operose nihil agentes; ut faciunt ii, qui alienis se ingerunt, turbis se immiscent, & sub specie curandæ Reipublicæ, aut ambitioni vacant, aut otii tantum prætextum ac laborem diverticulum quærunt; aut studiis vanis, vel ad ostentationes tantum, vel ad inanem oblectationem spectantibus dediti sunt; quo in numero etiam illi collocari possunt, qui ætatem in carminibus ludicris scribendis, aliisve argutiis consumunt, aut id quod περίεργον studiorum esse debebant, tanquam ἔργον tractant. Vide etiam illa, quæ dicta sunt prioris Epistolæ cap.4 vers.11, 12. In Græcis verbis paronomasiam esse elegantem, notarunt doctiores quidam interpretes.

Vers. 12. *Iis autem, qui sunt hujusmodi, præcipimus.* (b) Sequitur alterum hujus loci præceptum, ex præcedentibus veluti enatum; illi hominum generi, quod versiculo præcedente notaverat, nimirum otiosis nominatim propositum. Etiamsi enim ad omnes revera spectet, (omnes enim cum quiete operantes, pane suo vesci debent) tamen id hominibus otiosis hoc loco solis inculcat, tanquam ea re indigentibus. Qui enim officium hac in parte jam faciebant, illos ea de re monere nihil erat necesse.

Vt autem apud hujusmodi homines otio assuetos, & laborem fugientes, tanto plus ponderis habeat hoc præceptum, authoritatem ei conciliat, dum addit: *& eos* (c) *admonemus per Dominum nostrum Jesum Christum.* h. e. authoritate Domini Iesu Christi interposita, ejusve nomine ac jussu. Ejus enim est hæc voluntas, hoc mandatum. Sic paulo ante authoritatem conciliavit præcepto de vitanda hominum inordinate viventium familiaritate vers.6. De simili usu particulæ Per vide 1 Thess. 4.2, ubi ait *præcepta vobis tradimus per Dominum Jesum.* Præceptum autem ipsum his continetur verbis, *ut cum quiete operantes vescantur pane suo.* Cum *quiete* ait, ut a turbis recedant, nec se negotiis aut alienis aut publicis, a quibus abesse honeste possunt, & utilitatis parum habent, ingerant, sed quantum licet ea fugiant, & intra sese veluti recedant. Opponitur enim hæc quies τῇ πολυπραγμοσύνῃ. Vide quæ hac de re dicta sunt, dicto paulo ante loco 1 Thess. 4.11,12.

*Suo* inquit pane vescantur, non alieno, non emendicato, non ex aliena liberalitate vivant, aliisve sint graves, fucorum instar, qui mel ipsi non colligunt, sed apum labore ac sedulitate collectum, otiosi, aut rebus vanis occupati absumant. Panis iterum omnia ad victum, vitæque sustentationem spectantia, per Synechdochen complectitur, ut paulo ante vers.8.

Vers. 13. *Vos autem fratres ne segnescite in benefaciendo.* (d) Tertium præceptum, non jam hominibus otiosis propositum, sed aliis qui labore manuum tantum parassent, vel re ab aliis relicta ita abundarent, ut etiam in alios liberales esse possent. Natum autem hoc præceptum ex proximo est, in eoque errori, quem nonnulli inde trahere possent, occurritur. Cum enim audirent Apostolum velle, ut homines otiosi (cæterorum autem eandem esse rationem quivis videt) cum quiete operantes, suo pane; non gratis ab aliis accepto vescantur: cogitare poterant, nihil jam opus esse eleemosynâ ac beneficentia in alios; siquidem unusquisque suo labore sibi victum comparare, & seipsum sustentare debeat. Itaque de beneficentiæ studio, cujus nomine eos superiori epistola commendaverat, facile poterant remittere, inque ea re segnescere; præsertim cum alias quoque molestum sit, suam liberalitatem cum aliis communicare, & suis sese commodis aliorum causa privare. (e) Quare ne id fiat Thessalonicenses monet. Etenim licet omnes victum sibi ipsis labore quærere debent, non tamen omnes possunt, aut vix ac ne vix quidem, vel ob virium imbecillitatem, vel ob casum aliquem atque infortunium, vel ob liberorum multitudinem possunt.

Itaque his saltem beneficentia succurrendum est. Præceptum enim Apostoli de victu proprio labore acquirendo non nisi eos obstringit, qui laborare ac victum parare possunt, & quatenus possunt; & otium tantum voluntarium prohibet. Itaque nequaquã prohibet

(a) *Causa præcepti superioris de vitanda familiaritate inordinate ambulantium.* (b) *Alterum præceptum otiosis, ut laborent.*

(c) *Quod proponit, authoritate Dn. Jesu interposita.*
(d) *Tertium præceptum, ne tamen propterea in beneficentia studio segnescant, qui benefacere possunt* (e) *Quibus benefaciendum.*

ad alienam liberalitatem confugere, cum ipſa urget neceſſitas, & calamitas quempiam huc compellit; tantum abeſt, ut alienam liberalitatem ac beneficentiam reſtringat aut coërceat.

Illis autem qui beneficentia aliena indigent, etiam illi accenſeri poſſunt, qui cum hucuſque otioſi fuerint, poſtea ad laborem quidem ſeſe accingunt, ſed vel vires eos deficiunt, vel ſaltem non ea eſt illis facultas, ut ſe ſuosque ſine aliena liberalitate ſuſtentare poſſint. Itaque licet liberalius iis largiri debeamus, qui laboribus honeſtis perpetuo vacarunt, nec ſuæ paupertatis fortunæve ipſi ſunt fabri: tamen ne illis quidem neceſſaria benignitas eſt neganda, qui vellent quidem ſeſe labore ſuo alere, ſed jam non poſſunt amplius. Atque ad hoc quoque apoſtolum reſpexiſſe, nequaquam a veritate alienum eſt.

Addi poteſt & illud, ne otioſis quidem eo uſque negandum eſſe victum, ut eo adigantur, ut veritatem divinam abnegent. Satius enim eſt otioſum fratrem, utut tenuiter alere, eumque corrigere, & ad laborem ſubinde incitare, quam permittere, ut a veritate inopia adactus, penitus deficiat. (a) Verbum ἐκκακεῖν ſignificare etiam ſegneſcere, notatum eſt a doctiſſimis quibuſdam interpretibus, quia κακὸς etiam ignavum ſignificat.

Verſ. 14. *Quod ſi quis non auſcultat ſermoni noſtro per epiſtolam.* (b) Præceptis his duobus verſſ. 12 & 13 interiectis, ad primum verſ. 6. propoſitum quodammodo redit, & ad certum illud hominum inordinate ambulantium genus, hoc eſt ad homines otioſos explicatum, quo pacto executioni mandari a Theſſalonicenſibus debeat, oſtendit. Ait ergo eum qui huic præcepto, quo otioſis hominibus præcipit, ut labore honeſto victum ſibi quærant, (nam de hoc ſermone hic nominatim loqui videtur) non pareat; notari ab illis debere, & a conſuetudine ipſorum arceri, ſeu mavis ipſos conſuetudinem ejus fugere debere.

(c) Recte autem monent doctiſſimi quidam interpretes, verba per epiſtolam non cum ſequentibus, ſed cum præcedentibus connectenda eſſe, quaſi dicat *Si quis non auſcultat noſtro per epiſtolam ſermoni*, hunc notate, & hoc quidem modo ambiguitatis tollendæ cauſa, interpretes illi verba in ipſo contextu collocarunt. Rationes attulit Johannes Piſcator in ſuis ſuper hunc locum annotationibus, has. *Primum quia non dicit* σημάνατε, id eſt *ſignificate* ſed σημειῶσθε id eſt *notate. deinde quia proxime ſequentia præcipiunt, quomodo ſe gerere debeant erga ſic notatum*, hoc eſt *excommunicatum. tertio quia non dicit indefinite* δι' ἐπιστολῆς *ſed* διὰ τῆς ἐπιστολῆς, *articulo innuens epiſtolam certam, nempe hanc ipſam epiſtolam. quarto ſi illud* διὰ τῆς ἐπιστολῆς *cohæret cum verbo* σημειῶς *tum pronomen* τοῦτον *potius præcederet ad hunc modum:* τοῦτον διὰ τῆς ἐπιστολῆς σημειῶσθε· quibus addi & illud poteſt, quanquam in ſecunda ratione ab illo allata, quodammodo comprehenſum, (d) nullam apparere ſatis gravem cauſam, cur apoſtolus velit ſibi nominatim indicari, quinam eſſent illi, qui ipſius ſermoni non auſcultarent. Quid enim? num forte ut ipſius hac de re judicium exquirerent, & tum demum ab ejus conſuetudine abſtinerent, ubi ejus conſenſus acceſſiſſet? Atqui ſtatim præcipit ut ita notatum vitent; & fruſtra ſane vellet apoſtolus præcepto generali Theſſalonicenſibus ea de re dato, ſuam demum de ſingulis exquiri ſententiam, & quidem abſentis; cum res ex præſentium judicio pendeat.

Præterea cum apoſtolus per varias & longe diſſitas terrarum oras Euangelii prædicandi cauſa diſcurreret, & nonnunquam longe a Theſſalonicenſibus abeſſet, longum fuiſſet & apoſtolo per litteras rem proponere, & ejus demum expectare ſententiam; cum & illi ignorare poſſent ubinam verſaretur, & commoda mittendi epiſtolas deeſſet occaſio. Ita cunctando res ipſa elapſa ſæpe fuiſſet e manibus, & impune ii qui excludi a communione fidelium merentur, fuiſſent in eccleſia verſati, ac nervo ſoluto laxata fuiſſet Eccleſiæ diſciplina.

Adde, quod ſi volebat ſibi apoſtolus judicium de ſingulis in eccleſia Theſſalonicenſium relinqui, nulla eſt cauſa, cur non etiam de cæteris Eccleſiis ab ipſo collectis idem ſtatuamus. Atqui nec ullum ejus rei indicium apparet, quod idem a cæteris quoque eccleſiis fieri voluerit; quin potius videmus, eum Corinthios graviter objurgare, quod inceſtum illum e cœtu non ejeciſſent: & non eſt conſentaneum, cum cæterarum eccleſiarum judicio excluſionum inordinate ambulantium permitteret, ſolis eam facultatem Theſſalonicenſibus negaſſe, eorumve hac in parte judico fuiſſe diffiſum. Ergo niſi Apoſtolus ſupereſſet, non poſſent illi Eccleſiæ diſciplinam tueri? Vel ergo Theſſalonicenſibum quoque judicio rem hanc permiſiſſe cenſendus eſt, vel cæteris quoque Eccleſiis negaſſe. Fuiſſet autem res immenſi laboris, ſi Apoſtolus de ſingulis a quavis Eccleſia excludendis judicium ferre debuiſſet. Quæ etiam cauſa eſt inter alias, cur non ſit exiſtimandum, ideo eum nomina illorum qui inordinate viverent ad ſe perſcribi voluiſſe, ut eos ipſe prius moneret. Nam & hoc infiniti fuiſſet laboris; & fieri ſæpe non potuiſſet, & denique facile apparet, id factum non eſſe. Infinitis enim Epiſtolis ad eam rem fuiſſet opus, quas nec itinera nec labores Apoſtoli ferebant. Sed nihil opus eſt pluribus. Ex his autem Apoſtoli verbis, jam ſuperius in quæſtionis tertiæ explicatione, concluſimus, non præcipiſſe Apoſtolum, ut protinus excluderentur a familiaritate fidelium ii, qui hucusque inordinate ambulaſſent, ſed voluiſſe iis prius hanc epiſtolam ac præcepta in ea comprehenſa proponi, eosque ut parerent moneri; tum demum ubi non paruiſſent, a conſuetudine aliorum arceri.

*Hunc notate.* (c) Id eſt, ſententia in eum veſtra animadvertite, cenſoriam veluti virgulam in eum ſtringite, & quæſtione ac judicio publico inſtituto, mores ejus tales eſſe pronunciate, qui ferri in Eccleſia, ſeu in Chriſtiano homine non poſſint aut debeant, & hac velut nota ſententiis veſtris illi inuſta, ejus conſortium poſtmodum vitate, quemadmodum ſtatim ſubjicit Apoſtolus. Notatio ergo illa in ſententia adverſus eum lata, quæ illi quodammodo ſit ignominioſa, ſeu qua indignus communione ac conſortio fidelium pronuncietur, conſiſtit, quam poſtea ſequi debet ipſa caſtigatio.

*& Ne commiſcemini cum illo.* Id eſt, ne cum eo commercium habete, cum eo familiariter nolite verſari, qua de re jam ſupra dictum eſt verſ. 6, ubi ſimilem loquendi modum adduximis ex 1 Cor. 1. 9, 11.

(a) *Vide Piſcat. & Verſt.* (b) *Quo pacto præceptum illud de inordinate ambulantibus debebant exequi.*

(c) Verba *per epiſtola* cum quibus jungenda.

(d) *Nempe ut epiſtola apoſtoli propoſita, officii commoneantur primo.*

(c) *Tum notentur, & commercium cum illis non habeatur.*

*Ut pudefiat.* (a) Finem exprimit hujusmodi animadversionis, charitate ac lenitate Christiana dignum, qui est, ut frater, qui inordinate hucusque se gesserat, hac castigatione correptus, & quadam veluti ignominia a cæteris notatus atq; affectus, (ignominiosum enim est, bonorum ac piorum hominum, Deoque consecratorum consuetudine indignum indicari) pudore suffundatur, itaque pudefactus resipiscat. Etenim per metonymiam Synechdochicam, una cum pudore ac confusione, ejus etiam consequens, seu effectum, nimirum emendatio ac correctio hominis hujusmodi comprehendi debet. Neque enim alias pudorem cujusquam quærere jubet Christiana charitas ac mansuetudo. (b) Finis hic ostendit etiam, quousque in hac animadversione progrediendum sit, & quamdiu durare debeat. Etenim cum is qui peccaverat ad frugem redit, eaque de re certis argumentis ac testimoniis constat, pœna illa tollenda est. Fine enim posito cessant media, quorum præsentia ad finem illum tuendum necessaria non est. Cum vero in leviorum delictorum genere, inde emendatio ejus qui peccaverat potissimum sit æstimanda, si is ea non repetat, licet occasionem forte ac invitamenta ad ea perpetranda habeat; quædam delicta, aut ita sunt enormia, aut alias eorum natura ita comparata est, ut repeti non facile possint, aut soleant, quorum in numero est matrimonium cum idololatris contractum: non ex eo æstimanda est ejus qui peccavit emendatio, si eandem rem non repetat: sed partim ex eo si & verbis constanter per tempus haud exiguum testetur, sibi factum suum vehementer displicere, sibique dolere, præsertim si & lachrymæ verbis accedant, & alia doloris signa; & ex tota hominis vita appareat, eum ita mutasse animum in melius, ut etiamsi similem habeat peccandi occasionem, peccatum tamen istud aut aliud simile, commissurus non videretur. Itaque tam diu detinendus est frater qui peccaverat, nec ad familiaritatem fraternam admittendus, donec judicium ea de re ab ecclesia probabiliter (nam certum ac indubitatum de ea judicium, Deo tantum ac Christo καρδιογνώστῃ competit) ferri potest. Qua in re etiam ejus rei jure habetur ratio, ut videatur, sitne labes illa infamiæ atque ignominiæ, quæ ecclesiæ ac veritati divinæ hominis illius facto fuerat aspersa, temporis diuturnitate, & Ecclesiastica censura ac castigatione jam quodammodo deleta atque obliterata; & exemplo in ecclesia ita satis factum, ut non facile videantur alii exemplo illius incitati, idem facinus ausuri. Etenim licet illius qui deliquit correctio, vel inprimis in hujusmodi animadversione sit ex præcepto apostolico spectanda; non est tamen existimandum, hanc solam esse hujus castigationis causam. Nam partim res ipsa, partim dicta quædam apostolica, satis ostendunt, ideo adhiberi eam correctionem, ne Ecclesia aut doctrina Christi male audiat, neve cæteri exemplo corrumpantur, sed potius animadversa hac severitate in aliis, & ipsi sibi metuant. De quo posteriori vide 1 Cor. 5. 6, 7. & confer cum præcedentibus, & 1 Tim. 5. 20.

Vers. 15. *Et non ut inimicum ducite.* Per prolepsin quandam præcedens præceptum aliquo pacto declarat, & certos veluti limites severitati hujus animadversionis, qua in fratres peccantes sit utendum, ponit, ultra quos progredi non debeat. Occurrit nempe errori, qui forte ex præcepto priori non satis recte intellecto oriri colligique poterat. Audientes enim Thessalonicenses, hominem ejusmodi esse vitandum, nec ad familiaritatem piorum admittendum, cogitare poterant, eum inimici loco habendum, & pro homine extraneo reputandum, nec amplius fraterne ut se corrigere velit, monendum, sed instar anathematis fugiendum. Hoc ergo ne cogitarent, neve facerent Thessalonicenses, hæc verba apponit, & novo veluti præcepto, priori certos cancellos circumdat, certisque limitibus severitatem illius circumscribit. Non vult hominem ita notatum, & a communione ac consortio fidelium excluſum, pro inimico Ecclesiæ aut veritatis haberi, itave cum illo agi, ut cum extraneo ac inimico (quanquam ne hic quidem odio est habendus, aut ullum hostilitatis genus in eum exercendum) liceret. Licet autem inimicum non monere: imo si verendum sit, ne, ut Christus ait, porci instar non modo margaritas sibi projectas pedibus conculcet, verum etiam in nos conversus, nos laniet, ac discerpat, ne decet quidem eum monere. At hic ut frater monendus est:

Addit enim apostolus: *sed admonete ut fratrem.* (d) Hoc est ut Christianum, & vobiscum professione conjunctum, & catenus adhuc ad ecclesiam pertinentem. Quamdiu enim veritatem cælestem amplectitur ac profitetur, nec pietatis aut piorum evadit hostis, nec ad prophanam prorsus vitam delabitur; adhuc pro Christiano, quanquam ægro, ac morbis animi laborante habendus est. Nam & in aliqua ad huc gratiæ divinæ parte hæret, nec a salutis via tam longe abest, quin ad eam aditum habeat, nisi forte contumacia accesserit, & mora malum inveterascens ita induretur, ut jam vix ac ne vix quidem sanari possit. Quare in aliqua etiam amoris fraterni parte hærere debet, & officium illi fraternum, quod in admonitione ac correptione, amica consistit, ei non est negandum. Quia frater inimico seu hosti opponitur, apparet non tantum communionem professionis ac religionis eo nomine intelligi, sed & ejus communionis consequens, hoc est amicitiæ sacratioris vinculum ac conjunctionem ejusmodi, quæ amorem singularem, & extraneis non communem, postulet: Non ergo ita fugienda est fratris hujusmodi consuetudo, ut ne colloqui quidem, ejus corrigendi causa, sustineas; ut supra quoque monuimus. (e) De aliis rebus colloquia, cum necessitas ipsa non cogit, fugienda sunt. Similiter autem intelligendum est, nec alia humanitatis ac benignitatis officia ei etiam deneganda, præsertim si ad opem ille nostram confugiat; cum ea ne inimico quidem sint neganda, hic autem magis quam inimicus diligendus est.

Vers. 16. *Ipse autem Dominus pacis*, (f) Restat jam ultima hujus capitis & epistolæ particula, voto ac salutatione rem totam ita concludens, ut signum ostendat apostolus Thessalonicensibus, cujus indicio possint genuinas ipsius epistolas ab adulterinis ac suppositiciis dignoscere, ne circumveniri a quopiam prætextu authoritatis apostolicæ, & in errorem induci possint. (g) Votum autem triplex est, vel potius ter diversis verbis repetitum. Salutatio enim ipsa voto continetur.

(a) *Finis animadversionis* (b) *Quandiu hæc animadversio durare debeat,* (c) *Non tamen ista censura notatus inimici loco habendus.*

(d) *Sed monendus ut frater.* (e) *Quin & alia officia humanitatis illi non deneganda, si ad nostram opem confugiat.* (f) *Tertia & ultima capitis pars continens* 1. *Votum.* (g) *Idque ter diversis verbis repetitum.*

Primum optat; ut *ipſe Dominus pacis, det illis pacem per omnia, ſeu ſemper* (Græce eſt διὰ παντὸς ſcilicet χρόνε, per omne nimirum tempus) *omni modo* παντὶ τρόπῳ, pro quo Vetus interpres habet *omni loco*, ut appareat eum pro τρόπῳ legiſſe τόπῳ, una littera omiſſa. Quæ lectio etiamſi viris quibuſdam doctis probetur, haud ſcio tamen, an melior ſit vulgarium codicum Græcorum lectio. Nam cum ad Theſſalonicenſes ſolos ſcriberet apoſtolus, qui eodem loco eademve in urbe viverent, non eſt credibile eum voluiſſe optare ut pax illis in omni loco concedatur: Plus enim videntur ſignificare verba in omni loco, quam ut ad eos accomodari poſſint, qui eadem in urbe verſentur. Alia ratio eſt loci 1 Cor. 12, ubi non modo ad Cor: ſcribit, ſed etiam ad cæteros, qui per totam Achajam nomen Chriſti invocarent, ejuſque religionem amplecterentur. Confer locum dictum cum inſcriptione poſterioris ad eoſdem Corinthios Epiſtolæ cap. 1 verſ. 1, cum ait: *Ipſe autem Dominus pacis*, (a) perinde eſt ac ſi dixiſſet, & hæc quidem ego vobis præcipio ad felicitatem veſtram facientia; ſed ipſe Dominus pacis cætera ſua ope, auxilio ac benignitate ſuppleat. Vel, quod reliquum eſt, ipſe Dominus Jeſus vos beet. Etenim per (b) dominum *pacis* intelligit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: quem eodem modo appellat *pacis* Dominum, quo Deum vocare ſolet Deum pacis, hoc eſt Pacis authorem. (c) Pacis autem nomine, ut alibi in hujuſmodi votis ſolet, Hebræorum more felicitatem intelligendam putamus; licet nihil prohibeat quo minus concordia ea nomine intelligatur. Quo pacto videretur ad præcedentia reſpexiſſe, ubi præceperat, ne fratrem notatum pro inimico haberent, ſed ut fratrem admonerent: id quod ad concordiæ rationem aliquatenus pertinet. Sed altera ſignificatio magis convenire videtur. Hoc pacto melius hæc Chriſti deſcriptio quadrabit cum deſcriptione rei, quam illis optat Apoſtolus, ut mox in explicatione verborum ſequentium apparebit. Quomodo Chriſtus author ſit pacis & felicitatis, ſatis notum eſt. Eſt enim proxima illius ſecundum Deum cauſa tanquam unicus ille Dominus per quem omnia. Unde apoſtolus toties gratiam & pacem ſeu felicitatem a Deo patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto fidelibus optat.

*Det vobis pacem ſemper omni modo.* (d) Hoc eſt, felices vos reddat, vos beet, & ſemper & omni ex parte. Perfectionem nimirum hujus felicitatis exprimit, dum & perpetuam eſſe vult, & plenam. Poteſt enim quis eſſe beatus (quatenus quidem in hac mortalitate beato cuipiam eſſe licet) ad tempus tantum; vel perpetuo quidem, ſed non omni ex parte. Etiamſi autem felicitas hic ſpiritualis potiſſimum ſit intelligenda; nihil tamen prohibet, quominus & corporalem atque terrenam, ſed quæ ſpiritualem haudquaquam evertat aut labefactet, eadem voce comprehendat. (e) Habet enim felicitas ſpiritualis ſuas quasdam partes. Nam & plena rerum divinarum myſteriorumque cæleſtium cognitio ad eam pertinet, & ſolida vitæ pietas ac conſtantia in veritate, & ſpes firma felicitatis ſempiternæ, animi tranquillitas, lætaque conſcientia, & gaudium ſpiritus ſancti, ac guſtus voluptatum cæleſtium, aliaque divini ſpiritus dona, quæ in primæva illa Chriſti Eccleſia vigebant. Non parum etiam huc pertinet totius Eccleſiæ concordia, ſummaque animorum conjunctio, & felix labor circa rem gloriæ divinæ, & ſalutis humanæ ſucceſſus.

*Dominus cum omnibus vobis.* Scilicet ſit. Alterum votum ſeu voti prioris repetitio, cum quodam argumento. Etenim cum in verbis præcedentibus felicitatem Theſſalonicenſibus precatus eſſet, & conſtantem ſeu perpetuam ac plenam omnibusque numeris (quatenus quidem in hac vita licet) abſolutam: hic jam etiam precatur ut quam poſſit latiſſime pateat, omnibusque illius Eccleſiæ membris ſit communis. optat enim ut *Dominus*, id eſt dominus noſter Jeſus Chriſtus (hunc enim ſuo more ſimplici hoc nomine & quidem articulo in Græcis notato intelligit) a quo pacem illis ſeu feliciratem fuerat modo precatus, *illis omnibus adſit*, nempe gratia, favore, benignitate, ope atque auxilio. Idem enim eſt Dominum Jeſum eſſe cum aliquo, & gratiam Domini Jeſu (quæ una cum ſuis effectis, nimirum auxilio ac beneficiis inde manantibus, intelligenda eſt,) eſſe cum aliquo. Ideo quod hic dicit, *Dominus ſit cum omnibus vobis*, paulo poſt, ut & alibi dicit, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit cum omnibus vobis*, ſeu vobis omnibus adſit. Hac autem in re felicitas humana revera continetur: quem enim Dominus Jeſus gratia, favore, ac benignitate ſua proſequitur, cui ope & auxilio ſuo adeſt, is non poteſt non eſſe felix ac beatus.

verſ. 17. (g) *Salutatio mea manu Pauli.* Hic veluti obiter Theſſalonicenſibus, ſignum ac notam quandam oſtendit, ex qua veras ac genuinas ipſius epiſtolas agnoſcere, & a falſis ſeu adulterinis ac ſuppoſititiis dignoſcere queant. Vidimus enim ſupra cap. 2 verſ. 2, impoſtores quoſdam, ut ſuos errores Theſſalonicenſibus perſuaderent, authoritate apoſtoli inter alia fuiſſe abuſos, & alios quidem dicere auſos fuiſſe, illa quæ dicerent ſe ex Apoſtoli ore audiviſſe, alios etiam litteras tanquam ab ipſo ſcriptas confingere, ac proferre auſos fuiſſe, ac Theſſalonicenſibus pro genuinis obtruſiſſe. Quare ne hac fraude circumvenirentur, oſtendit hic illis certam quandam ſuarum Epiſtolarum notam, quæ ſi in aliqua Epiſtola non extaret, eam non admitterent, ſed tanquam ſuppoſititiam repudiarent. Poſſunt autem hæc verba & ad ſequentia & ad præcedentia referri: & de ſequentibus quidem dubium eſt nullum, quandoquidem dicat, *ſic ſcribo*, ſubjectis protinus his verbis.

*Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti* &c. Idem ſit in Epiſt. ad Coloſſ: ubi ſcripta extant verba, quæ ad ſequentia non ad præcedentia referri illic poſſunt. Col. 4 verſ. 18.

*Salutatio mea manu Pauli. Gratia vobiſcum* &c. Sunt tamen nonnulli, & (h) doctiſſimorum interpretum, qui etiam ad præcedentia referre videntur, dum ita paraphraſtice hæc verba reddunt: *Hanc ſalutem ego Paulus mea ipſius manu adſcribere volui. Hoc enim ſignum eſt omnibus Epiſtolis noſtris, hactenus annexum, quo veræ ac germanæ a falſis ac ſuppoſititiis ſecernantur, Itaque ſic ſcribere ſoleo,*

(a) 1. *Optat a Domino Jeſu pacem.* (b) *Quem vocat Dominum pacis.* (c) *Cujus nomine, felicitatem intelligit.* (d) *Eamque perfectam,* (e) *Felicitas ſpiritualis in hoc ſeculo qua.*

(f) 2. *Ut illis Dominus adſit gratia ſua* (g) 2. *Signum, quo debebant veras apoſtoli epiſtolas ab adulterinis diſcernere.* (h) *Verſius.*

*gratia Domini nostri Jesu Christi adsit vobis omnibus.* Et nobis quidem ista sententia non plane displicet. Etenim non est incredibile, Apostolum, cum primo voto subjecisset sua manu votum brevius, *Dominus cum omnibus vobis*; hac occasione voluisse eos de signo Epistolæ suæ veluti impresso monere, & ut tanto rectius adhuc manum suam agnoscerent, idem postea votum aliquanto plenius manu sua exprimere ac suscribere. Quod si quis absurdum putet, Apostolum bis sua manu idem votum voluisse subscribere, & cum de superioribus jam dixisset, ea sua manu esse scripta, denuo subjicere, *ita se scribere solere. Gratia Domini nostri Jesu Christi* &c, cum illo nequaquam pugnabimus. (*a*) Et hoc si sequamur, perinde erit, atque si post salutationem ab amanuensi, quem vocant, descriptam; ita subjiceret: saluto vos ego Paulus verbis mea ipsius manu adscriptis: Vel; salutationem ego Paulus mea ipsius manu nunc appono: (quod signum est cuivis Epistolæ meæ appositum) sic autem scribo *Gratia Domini nostri Jesu Christi* &c. (*b*) Apparet ex his verbis, Apostolum consuevisse Epistolas ad Ecclesias aut certos ex fidelium numero homines, dictare, alienaque manu descriptas, & postea salutione sua manu subjecta notatas mittere. Quod etiam nominatim in Epistola ad Romanos videmus cap. 16 ejus Epist. vers. 28; ubi dicitur: *saluto vos Tertius, qui scripsi* seu *descripti si hanc Epistolam.* Epistolam ad Gal. sua manu totam scripsisse Apostolum, inde apparet, quod cap. 6 vers. 11 ait, *videte quantis vobis literis* (hoc est quam prolixam vobis Epistolam.) *scripserim mea manu.* Quod quia commemorat tanquam argumentum singularis suæ erga illos benevolentiæ ac studii; ex eo ipso facile intelligitur, eum alias Epistolas, præsertim aut æque prolixas, aut etiam prolixiores quam est illa ad Galatas, non consuevisse sua manu scribere: qua de re eo loco dictum est. Cæterum quod ad notam hanc attinet, non est intelligendum hæc sola verba, *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis*, (*c*) esse certam Paulinarum Epistolarum notam: quod tamen haud pauci viri doctissimi videntur statuere, qui exinde quoque colligunt, Epistolam ad Hebræos Paulinam esse, quia habeat notam Epistolis Paulinis appressam; quia sub illius finem adjiciatur, *Gratia cum omnibus vobis:* Quasi vero non potuerint alii Apostoli, aliique divini viri eadem verba suis Epistolis subjicere. Videmus sane Joannem eadem prorsus verba quæ hic exprimit ad Thessalonicensus Apostolus, Apocalypsi subjicere; cum alibi Apostolus, ut paulo post dicemus, aliquantulum sua verba variet, & author Epistolæ ad Hebræos longius adhuc a consuetudine Apostolica recedat. Etenim nullam invenies Apostoli Epistolam, ad universam aliquam Ecclesiam scriptam, in qua ipsum *Domini Jesu Christi* nomen non sit expressum, præter eam quæ est ad Colossenses ubi ubi dicit salutationem sua manu esse scriptam. Hæc sane nota admodum fuisset dubia atque incerta. Quid enim? Annon & alii, non modo pii viri, sed etiam impostores illi, imitatione Apostoli, poterant eadem aut similia verba Epistolis suis subjicere? sane tanto magis id feciissent homines fraudulenti, si resciviissent (rescire autem id vel ex hac Epistola publice lecta facile potuissent) hanc notam suarum Epistolarum Apostolum esse voluisse, ac porro sub hac nota facile se posse Thessalonicensibus Epistolas a se confictas obtrudere, ac pro Paulinis venditare. Non ergo hæc verba, aut etiam sententiam hujus voti, simpliciter voluit haberi pro nota germanarum suarum Epistolarum, sed sententiam hanc sua manu descriptam. Itaque cum ait *sic scribo*, non tantum ad verba aut sententiam ipsam eos vult attendere, sed etiam ad litterarum figuras ac ductum. Si ergo viderent votum hoc litteris plane hujusmodi, seu iis ita similibus, ut solent ejusdem hominis litteræ, diverso tempore scriptæ, inter se similes esse, descriptum, & Epistolæ alicui subjectum esse, tum demum eam pro Apostolica agnoscerent. Itaque si quis ex illo voto Epistolæ ad Hebræos subjecto, colligere velit eam esse Paulinam, ei necesse esset ostendere, illa verba ipsius Pauli manu fuisse scripta. Deinde & illud notandum est, quod jam paulo ante indicavimus, non eadem ubique verba Paulum suis Epistolis annumerare, sed sententiam, nunc brevius, nunc pluribus, paulo aut paulo aliis verbis conceptam. Vide finem Epistolæ ad Corinthios, præsertim posterioris, & ad Galat. Ephes. Coloss. & Tim. Tit. Philem.

(a) *Paulus in scribendis Epistolis aliena manu solebat uti.* (b) *Tantum certam notam iis subjiciebat propria manu, ut illius esse noscitaretur.* (c) *Quænam illa nota.*

GRATIA TIBI DOMINE JESU.

# DECLARATIO
## SENTENTIÆ

*De Cauſis Mortis* CHRISTI.

JOANNIS CRELLII FRANCI.

# *Candido & erudito Lectori Salutem.*

INter innumera Dei & Chriſti ejus in genus humanum propenſiſſimæ voluntatis pignora, nullum extitit, in quo eminentius atque illuſtrius ſingularis ſupremi numinis charitas, & dulciſſimi Domini Jeſu erga nos affectus apparuerit, quam eſt ſancti & præcioſi ſanguinis ab agno illo intaminato & irreprehenſo, noſtræ ſalutis cupientiſſimo, uberrime profuſi impendium. Porro inter omnia diviniſſima religionis Chriſtianæ arcana nullum aut profundius abditum, aut denſioribus opinionum nubibus involutum, quam mortis tam cruentæ ab unigena, qui eſt in ſinu Patris, ſponte ob peccata noſtra oppetitæ myſterium: cum interim non ſit aliud, vel majeſtate cognitionis auguſtius ac ſublimius, vel ubertate emolumentorum ex cognito manantium fœcundius ac fructuoſius. At vero inter ſelectiores, qui veræ ac genuinæ de eodem ſententiæ lucem fœnerarunt, qui meo quidem judicio pauciſſimi ſunt, non poſtremus, ni fallor, eſt noſtro ſeculo JOANNIS CRELLIUS. Nam & in conflictu cum Ampliſſimo Viro Hugone Grotio, eruditionis noſtro ſeculo facile principe, quo nemo acutius, aut doctius, quod ſciam, nos oppugnavit, non parum præſtitiſſe videtur: & in hoc brevi licet ſcripto (quod pro compendio diſputationis cum dicto Grotio haberi poteſt) ita ſe geſſit, ut procul dubio inventurus ſit non unus quod hic diſcat, atque haud ſcio, an etiam is, qui ſe jam didiciſſe, vel ſciſſe, perſuaſum habuerat. Etſi vero non defuturi ſunt, ſorte inter eos, qui, cum alioquin in ſumma rei, vel ſaltem in præcipuo ejus capite, cum autore noſtro conveniant, in quibuſdam tamen ejus circumſtantiis nonnihil diſcrepent, aut certe diverſum ejus explicandi modum ſequantur; nihilominus juvat tractatum hunc CRELLII in lucem proferre. Nullius præterquam ſolius in Chriſti, unici Magiſtri noſtri, verba juravimus. Prophetandi in Eccleſia Domini aurea libertas integra unicuique maneat, dummodo inter tyrannicam ſervitutem & effrenem quidvis ſtatuendi licentiam medium teneamus; & ex animo credamus Jeſum eſſe Chriſtum: quod ſolum diſcipulus ille, quem unice dilexit Jeſus, ſufficere nos docuit 2 Joh. 5, ad conſtituendum filios Dei, piumque fraterni amoris affectum demerendum. Quod ſane ab Eccleſia adeoque ſalute æterna excluduntur non tantum Athei & Pagani, ſed etiam Judæi ac Turcæ aliique eorum ſimiles; imo vero & ii, qui Chriſtianiſmum profeſſi, vel blaſphemiæ in ipſum ſunt rei, vel adorationis aut invocationis ipſius hoſtes, quæ ſingula crimen læſæ majeſtatis regiæ Domini Jeſu arguunt, vel denique vitio alicui obnoxios ſe præbent, quod operibus carnis, (ut ſacra loquitur pagina) in quibus Idololatria principem locum tenet, accenſeri poteſt. Ab horum omnium culpa quam longe abſit noſter CRELLIUS, ſcripta & vita illius abunde teſtantur. Itaque etiamſi in hac materia perdifficili eum aliquantulum aberraſſe putes, benevole Lector, cave ne illico ipſum condemnes: ſed potius eos, qui vel eandem cum ipſo ſententiam amplectuntur, vel ipſo autore in errorem induci poſſunt, tempeſtive admone, & rationes ſolidas, & ob quas ab eo diſſentias, profer, aut ipſius rationes refelle. Quodſi CRELLII ſententia probe expenſa & percepta, animadverteris, cum non temere in illam deſcendiſſe, nobiſcum una Deo pro tanto Viro gratias age, & ejus laboribus ad ſalutis tuæ emolumentum fruere.

JOHANNES STOINSKI
*E. R. M.*

# DE CAUSIS MORTIS CHRISTI.

QUæstio, quam explicare instituimus, est: *Cur Christus fuerit mortuus*, *mortuus*, inquam, *morte tum dira ac ignominiosa*. Hæc vero quæstio potissimum loquitur de causa impulsiva, & finali: Itaque de hac utraque nobis inprimis est differendum. In iis autem, quæ finis gratia fiunt, rectissime a fine fit initium.

Finis igitur mortis Christi, ut sacræ literæ sat aperte docent, est remissio peccatorum nostrorum, & vitæ nostræ emendatio. Ad quorum finium priorem, vel solum, vel potissimum, illi loquendi modi referendi sunt, quum dicitur, Christum mortuum esse pro peccatis nostris, aut pro nobis, hoc est, propter nos, seu salutis nostræ gratia: ut est alibi a nostris explicatum. Consistit autem remissio peccatorum in liberatione a reatu ac pœna peccatorum. Pœna vero peccatorum nostrorum maxime propria, ex Dei decreto, est mors æterna. Quare remissio peccatorum in liberatione ab illa morte seu interitu sempiterno consist. Hanc ergo liberationem ut consequeremur, Christus est mortuus. Qua vero id ratione perfectum sit, postea distinctius explicabimus. Nunc ad causas impulsivas progrediemur.

De causis vero impulsivis non tam illis nunc loquemur, quæ Christum impulerunt, ut mortem illam, prout a Patre decretum fueret, subiret; cum hæc res controversia videatur carere: quam de illis, quæ ipsum Deum Patrem moverunt, ut mortem hanc Filii sui decerneret, ac porro illum morti reipsa subjiceret. Causa autem impulsiva duplex est: interna & externa: illa in hoc argumento est amor Dei erga nos, seu ipsius gratia; quemadmodum apertissime sacræ litteræ docent: hæc vero sunt peccata nostra; id quod itidem aperte sacræ literæ docent, dum ajunt, Christum propter peccata nostra percussum, vulneratum, & traditum esse. Et ea quidem, quæ huc usque diximus, controversia carent.

Illud quæritur; quo pacto peccata nostra Deum impulerint, ut Filium suum unigenitum in mortem tam diram tamque contumeliosam traderet? Id vero æstimare non admodum erit difficile, si causam impulsivam internam, ac finem jam ante a nobis explicatum, consideraverimus. Necesse enim est, rationem, qua peccata nostra Deum ad Flii sui mortem decernendam impulerunt, utrique esse consentaneam, & apte respondere.

Hic duæ se se aperiunt sententiæ. Altera est, quod noluerit Deus tot tamque gravia peccata nobis remittere, nisi Filius ipsius charissimus tam diram mortem subiret, & tam insigni facinore ipsum penitus permoveret, ut nobis resipiscentibus, atque in ipsum credentibus, peccata remittere vellet: ut nimirum hac ratione odium suum adversus peccata ostenderet, & majestatem suam velut a contemtu vindicaret, doceretque non tam facile peccata elui posse.

Altera sententia est, quod peccata tam multiplicia tamque gravia vehementer impedierint, quominus nos certam firmamque remissionis peccatorum spem conciperemus, & nos a morte sempiterna libertatum iri crederemus; ac porro viam quoque remissionis peccatorum ac salutis sempiternæ consequendæ ingrederemur; præsertim quia Deus eam salutis viam constituerat, quæ ad æternum interitum, peccatorum scilicet nostrorum pœnam, nos ducere videretur. Constituerat enim nos per gravissimas afflictiones, morteſque diris simas ad salutem perducere. Jam vero & ipsa mors sua natura ad interitum ducit; ac, nisi vis illius impediatur, ad eum plane perducit: & ejusmodi afflictiones ac tormenta iram divinam videntur arguere, & suppicium aliquod in sese continere: præsertim Lege extante, quæ immunitatem ab hujusmodi malis mortiumque generibus promittat iis, qui innocenter vixerint; & contra, hominibus maleficis tantum hujusmodi mala comminetur.

Sed præter hanc causam, quæ nascitur ex ratione, qua nos ad salutem Deus perducere velit, aliunde peccata nostra vim habebant, spem remissionis peccatorum liberationisque a morte sempiterna nobis eripiendi. Primum ob ipsius rei naturam, atque evidentem rationem: quis enim tot tamque atrocibus sceleribus admissis, pœnam gravissimam se commeritum esse non videat, eamque non metuat? quis speret, se, si a morte veluti absorptus fuerit, a Deo, quem tam atrociter offenderit, in vitam revocatum, & ad statum meliorem traductum iri? deinde ex Lege, quæ omnibus maledictionem comminabatur, qui non permansissent in omnibus, quæ scripta essent in libro Legis. Voluit autem Deus, ut nos firmam remissionis peccatorum ac liberationis ab interitu spem conciperemus, ac porro alacri animo salutis viam ingrederemur, relictisque peccatis sanctitati nos totos traderemus, ne atrocissima quidem morte proposita deterriti; quemadmodum alter mortis Christi finis docet. Ex quo apparet, hanc rationem, qua peccata nostra Deum impulerint ad Christum morti tradendum, fini posteriori mortis Christi a nobis antea expresso, ad quem prior ille aliqua ratione tendit, satis esse consentaneam. Dubitare etiam nemo potest, eandem rationem esse consentaneam causæ impulsivæ internæ, hoc est, amori ac gratiæ, qua Deus ad mortem Christi decernendam, ac porro etiam perficiendam fuit impulsus.

Prior autem illa ratio, quæ ab aliis constituitur, cum causa illa impulsiva non satis congruit; imo cum illa per se pugnat. Nam ira potius quædam divina, & defectus amoris Deum impulisset ad mortem Filii sui decernendam, quam ipse amor & gratia; cui uni, nec cuiquam alteri causæ impulsivæ internæ, mortem Christi sacræ literæ imputant. Nam si Deus noluit nobis, etiamsi tandem in Christum crederemus, ac vitam nostram ex ipsius mandatis componeremus, peccata condonare, nisi Christus pro nobis moreretur, (hæc enim vis est sententiæ illius) certe aliquid ad summum Dei erga nos amorem defuisset: præsertim cum nobis sub hac fidei & resipiscentiæ conditione, &

jure, &

jure, & ſumma cum clementiæ laude peccata remittere, & nos ab interitu liberare poſſet. At ſi ſtatuas, Deum vehementer cupiiſſe, ut nos ab æterno interitu liberaremur, vitæque æternæ participes evaderemus, & id tantum revera a nobis exegiſſe, ut in Chriſtum credentes vitam emendaremus, (quam conditionem ſalva ſanctitate & majeſtate ſua non poterat non exigere) & ut hoc totum tanto facilius ad exitum perduceretur, chariſſimum ſuum Filium pro nobis impendiſſe; ſalvus eſt ſummus Dei amor, & undiquaque magnitudo ejus elucet. Sed hujus ſententiæ veritas ex dicendis magis adhuc apparebit. Satis fuerit nunc rationem intellexiſſe, qua cenſeamus Deum peccatis noſtris ad Filium ſuum morti tradendum fuiſſe impulſum.

Nunc enim ad finem revertemur, & modum explicabimus, quo mors Chriſti remiſſionem peccatorum nobis pariat. Poſſe enim quiſpiam exiſtimare, quemadmodum ſane non pauci exiſtimant, eatenus tantum mortem Chriſti ad remiſſionem peccatorum nobis comparandam facere, quatenus nos impellat ad præſtandam conditionem, ſine qua nobis Deus peccata remittere nolit. Habet quidem eam vim mors Chriſti, & in eum, ut vidimus, finem, hoc eſt, ut vitam in melius mutemus, & pietatem ad extremum uſque ſpiritum conſtanter ſequamur, Chriſtum eſſe mortuum, ſacræ literæ ſat clare non uno loco docent. ſed non id ſibi vel ſolum vel præcipue volunt ſacræ literæ, cum Chriſtum ajunt vel pro nobis, vel pro peccatis noſtris eſſe mortuum, vel in remiſſionem peccatorum ſanguinem fudiſſe. Ideo dicere ſolent, Chriſtum pro nobis, aut pro peccatis noſtris eſſe mortuum, aut peccata noſtra ſuſtuliſſe in lignum, ut nos eriperet ex præſenti ſeculo malo, ut nos ſanctificaret, & ab omni labe repurgaret; ut nos redimeret ab omni iniquitate, & pararet ſibi populum eximium, ardentem ſectatorem bonorum operum; ut nos pecatis mortui juſtitiæ viveremus, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Ex quibus apparet, diſtincta hæc eſſe, & alterum ad alterum tanquam finem ſuum referri. Alia ergo ratio invenienda eſt, qua mors Chriſti ad remiſſionem peccatorum nobis comparandam ſit apta, nec tamen ea, ut ſtatuatur, Chriſti mortem conditionem fuiſſe, ſine qua Deus nobis, etiam reſipiſcentibus, ac in Filium ejus credentibus, peccata remittere noluerit; ſed qua mors Chriſti medium atque iuſtrumentum quoddam fuiſſe ſtatuatur remiſſionis peccatorum noſtrorum perficiendæ. Intelligendum enim eſt, Chriſtum ratione mortis ſuæ in ſacris literis conſiderari revera ut Deo ſubordinatum; non vero ut eum, qui noſtro veluti nomine quippiam Deo præſtet, ſine quo is nolit quippiam nobis concedere. Etenim mortem Chriſtus ſubiit duplici ratione: partim quidem ut fœderis mediator ſeu ſponſor, & veluti teſtator quidam; partim ut ſacerdos Deo ſeipſum oblaturus. Jam vero ſatis apparet, Chriſtum priori modo ſpectatum, Deo penitus ſubordinatum eſſe. Neque enim vel ſeipſum ingreſſit, vel a nobis immiſſus fuit, ad fœdus inter Deum & nos peragendum: ſed Dei, qui ipſum in hunc finem miſerat, miniſter atque internuncius hac in parte fuit: nec quicquam Deo noſtro nomine ſpopondit; ſed Dei nomine nobis. Cumq; Teſtamentum Novum a Deo revera fuerit conſtitutum, qui nobis ſua, ut ita loquar, bona in eo legat; Chriſtus nonniſi eatenus teſtator eſt, quatenus Dei perſonã in eo Teſt. condendo quodammodo ſuſtinuit, & quæ ad illud confirmandum pertinuerunt, ejus juſſu ac nomine perfecit.

Cum vero conſideratur ut Sacerdos, etſi ſimilitudinem refert ejus, qui Deo aliquid hominum nomine præſtet, ſi tamen rem ipſam penitius ſpectes, deprehendes, talem eum eſſe ſacerdotum, qui Dei nomine nobis aliquid præſtet. Nam, ut alia nunc taceam, ſi Chriſtus, qua Sacerdos eſt, noſtro revera nomine aliquid Deo præſtaret, & conditionem impleret, ſine qua nobis ipſis directe nollet Deus remiſſionem peccatorum concedere, utut in Chriſtum credentibus, & vitam emendantibus; certe id maxime præſtitiſſet & præſtaret ſeipſum Deo offerendo. Eatenus enim ſacerdotes proprie dicti conditionem aliquam olim præſtabant, ſine qua hominibus peccata deus remittere nollet, quatenus victimam Deo offerebant. Atqui Chriſtus victimam Deo offerendo id non præſtitit: quandoquidem, ut alibi oſtenditur, oblatio Chriſti expiatoria in cœlis, tanquam ſancto ſanctorum, revera peracta eſt, & adhuc aliquo modo peragitur. At quicquid in cœlo Chriſtus egit, aut acturus eſt, id non conditio eſt remiſſionis peccatorum a Deo vere ac propre impetrandæ; ſed medium potius eſt ejuſdem nobis a Deo obtinendæ. Quanquam, ut ante indicavimus, ſimilitudinem habet cum conditione tali, qualem diximus. Unde & ſacerdotii & oblationis metaphora eſt orta.

Interea tamen haudquaquam negamus, Chriſti mortem veluti indirecte, ſeu mavis ſecundario, conditionem quandam fuiſſe remiſſionis peccatorum nobis concedendæ; quatenus conditio fuit Chriſto impoſita, ſine qua poteſtatem obtinere ex Dei decreto non potuit peccata nobis remittendi, & nos ab æterno interitu vindicandi. Verum de hujuſmodi conditione controverſia nobis cum aliis non eſt; ſed de ea, quæ primo ac directe ad nos, aut remiſſionem peccatorum a Deo impetrandam pertineat, ſine qua nimirum Deus nobis, utut credentibus ac reſipiſcentibus peccata remittere, ſive per ſe, ſive per alium noluerit.

Jam, ut ad rem aliquanto propius accedamus, apparere aliqua ratione poteſt, quam vim mors Chriſti ad remiſſionem peccatorum nobis comparandam habeat. Duplex enim ea eſt, ſaltem præcipue: altera ad munus Mediatoris, quo in terris aliquando functus eſt Chriſtus, magis proprie pertinet; altera ad munus Sacerdotis. Nam in morte utrumque munus veluti coit: & prius quidem in ea deſinit, eaque confirmatur; poſterius autem incipit, & ad id Chriſtus quodammodo fuit præparatus.

Jam vero quidnam mediator fœderis, ab una paciſcentium parte legatus, & ipſius ſponſor conſtitutus, ac quoddam veluti teſtamentum ejus nomine conſtituens, qua talis eſt, aliud præſtat, quam ut jus alteri parti, & jus quidem plenum largiatur, ad fœderis hujus aut teſtamenti promiſſa conſequenda? Obſtringit nimirum atque obligat promiſſorem qui ipſum obligaverat, ad ſervanda fœderis promiſſa, eaque rata prorſus habenda: &, ſi ſuam quoque operam ad illa præſtanda interventuram aperte dicat, ſeipſum quoque ſimul obligat. Hoc ergo primum nobis præſtat mors Chriſti, fœderi per eum promulgato annexa. Hæc ratio (ut id quoque nunc veluti obiter adamus) & amori divino, a quo decretum mortis Chriſti profluxiſſe ſacræ literæ oſtendunt, admodum eſt conſentanea; & illi rationi, qua diximus peccata noſtra Deum impuliſſe ad Chriſtum morti deſtinandum ac tradendum, ac porro etiam fini mortis Chriſti ſecundo,

qui eſt,

qui eſt, ut nos Chriſto fidem habentes, & in eo ſpem collocantes, vitam emendemus, & in ſalutis via ad extremum uſque perſiſtamus. Nam & ſummi Dei amoris fuit, tale jus nobis largiri, ac tam certa documenta immutabilis ſuæ voluntatis ad ſalutem noſtram ſpectantis nobis dare. Et hac re eriguntur animi noſtri ad ſpem certiſſimam veniæ, liberationiſque ab interitu ſempiterno, utut graviſſime in Deum peccaverimus; ac porro hac ſpe animati ad ingrediendam & conſtanter emetiendam ſalutis viam inducimur. Quam ob cauſam tam crebro, ut ſupra jam vidimus, ſacræ literæ, poſtquam hanc vim mortis Chriſti ad remiſſionem nobis parandam expreſſerunt, id totum eo pertinere dicunt, ut ab impietate ad pietatem ac juſtitiam traducamur. Quo quidem loco hoc etiam animadvertendum eſt, diſtingui debere vim atque efficaciam mortis Chriſti, a fine ac ſcopo, ob quem Deus voluit, ut mors Chriſti vim illam haberet. Vis atque efficacia mortis Chriſti ad remiſſionem peccatorum comparandam tanta eſt, ut etiam deum, ſi forte eum promiſſionis ſuæ de remiſſione peccatorum & liberatione ab interitu nobis concedenda pœniteret, (utimur phraſi ſacris literis uſitata) movere atque impellere poſſet, ne promiſſum ſuum reſcinderet, ſed quod pollicitus eſſet, reipſa præſtaret. Hæc enim obligationis ac juris alteri parti dativis eſt. Quare, ſi illam vim mors Chriſti non haberet, mors Chriſti jus remiſſionis peccatorum obtinendæ nobis non fuiſſet largita. Habere autem, indicat & autor Epiſtolæ ad Heb. cap. 12 verſ. 24, cum ait: *ſanguinem aſperſionis*, nempe Chriſti, quo ſumus veluti reſperſi, ac fœderi novo inſcripti, *meliora loqui quam Abel*, hoc eſt, non vindictam a Deo flagitare, ut Abelis olim ſanguis, ſed potius ſcelerum omnium veniam. Veruntamen fieri poterat, ut efficacia illa reſpectu Dei revera opus non eſſet, quia nimirum Deus ipſe illo amore, gratia, ac miſericordia, qua impulſus fuerat ad remiſſionem peccatorum nobis decernendam promittendam, & ſanguine Chriſti confirmandam, ſatis moveatur ad eam nobis reipſa præſtandam, nec unquam iſtius vel decreti vel promiſſi ſui ipſum pœnitent. Opus nihilominus fuit, ut iſtam efficaciam mors Chriſti haberet: quia nimirum ſpei noſtræ, ac porro etiam ſalutis noſtræ multum intererat, eam vim morti Chriſti ineſſe. Nam ut nos tanto certius credere poſſemus, nobis in Chriſtum credentibus peccata remiſſum iri, noſque ab æterno interitu liberandos eſſe; plurimum referebat, Deum ad id faciendum obligatum eſſe, & nos jus ad bonum illud promiſſum obtinendum habere, jus, inquam, manifeſtiſſimis ac certiſſimis documentis nixum, quod jam, quicquid tandem interveniret, Deum non pateretur promiſſa ſua reſcindere. Et hic revera finis ac ſcopus fuit, cur Deus morte Chriſti ſe nobis obligare voluerit, ut porro ad Chriſtum morti tradendum impulſus fuerit. Et quia Deus revera eo ſpectavit, non ut ſibi ipſi obſtaculum veluti poneret, quominus voluntatem aliquando mutaret, & promiſſa ſua reſcindere prohiberetur; ſed ut nos firmum ſpei noſtræ de remiſſione peccatorum obtinendæ fundamentum haberemus: ideo nonnulli ex noſtris, dum rationem primam explicare volunt, qua mors Chriſti nobis remiſſionem peccatorum pariat, dicere ſolent, Chriſtum mortuum eſſe, ut nos certam, ſive remiſſionis peccatorum, ſive ſalutis æternæ ſpem conciperemus: quæ tamen loquendi ratio non tam efficaciam mortis Chriſti, quam ad remiſſionem peccatorum nobis parandam habet, plene aut ſatis proprie exprimit; quam finem ac ſcopum oſtendit, ob quem mors Chriſti vim illam ex Dei voluntate habuit, aut habere debuit. Excuſari autem ea loquendi ratio jure poteſt, quod cum verum Dei ſcopum clare exprimat, ſimul etiam vim illam mortis Chriſti veluti in ſe includat, tanquam nimirum antecedens ac fundamentum illius proprium. Quo vero pacto mors Chriſti Novum Fœdus, & remiſſionis peccatorum promiſſionē in eo comprehenſam confirmaverit, poſtea explicabimus.

Nunc enim ad alteram rationem declarandam accedemus, qua mors Chriſti ad remiſſionem peccatorum nobis parandam apta nata eſt; quæ, ut antea diximus, ad munus ſacerdotale magis proprie pertinet. Eſt autem hæc, quod præparatio fuerit victimæ, Deo pro peccatis noſtris in cœlis offerendæ, atque adeo ipſius Chriſti ſacerdotis, cui poteſtatem ac munus peccata noſtra expiandi, ac nos ab interitu vindicandi, daturus erat Deus. Id vero non ea tantum ratione factum eſt, quia mors Chriſti oſtendit, quanto ſalutis noſtræ, qui graviſſime peccaveramus, deſiderio teneretur, quamque fidelis eſſet aliquando futurus in peccatis noſtris expiandis, qui tam dura ac horrenda noſtra cauſſa ſubire non horruiſſet, id quod in Pontifice noſtro Deus maxime ſpectari voluit; ſed etiam quia tenerum quendam erga nos affectum & miſericordiam ei inſeruit, ut nobis afflictis atque in media morte verſantibus tanto libentius ſuccurreret; & nos ab interitu vindicaret; quandoquidem ipſemet eaſdem calamitates, mortemque diram fuiſſet expertus. Quæ cauſa fuit inter alias, cur Deus noluerit Chriſto tantam poteſtatem dare, & ſalutem humani generis in ejus manibus ponere, niſi prius mortem pro ipſis peccatoribus ſuſtinuiſſet. Etenim cum Deus ideo non per ſeipſum immediate, ſed per Chriſtum ſalutem noſtram ad exitum perduci voluerit, ut nobis tanto certius conſtaret, nos ſalutem æternam, ſi ipſi paruerimus, conſecuturos; neceſſe omnino fuit, ut Chriſtus ita comparatus eſſet, ut nobis aliquo modo certius de ipſius erga nos amore atque affectu ſingulari conſtare poſſet, quam de ipſius Dei. Alias enim ſi noſtri habeatur ratio, vel ſatius, vel ſaltem perinde fuiſſet, ipſummet Deum immediate ſalutem noſtram perficere, & omnia, quæ ad eam pertinent, procurare, atque nunc, cum id ipſius nomine facit Criſtus. Quare cum Deus per ipſum vellet totam ſalutis noſtræ rationem gubernare, atque ad exitum perducere, ad tantam eum poteſtatem evehere noluit, niſi id prius feciſſet, unde nobis de ſummo erga homines peccatores, atque infirmos, & maximis calamitatibus ſubjectos, amor eluceret; imo unde affectui ipſius erga nos, & juvandi propenſioni aliquid adhuc accederet. Id vero eſt mors ipſius, quemadmodum res ipſa, & ſacræ literæ oſtendunt. Hanc ergo conditionem ipſi propoſuit, ſi ad tantam poteſtatem evehi, & ſalutis noſtræ princeps ac pontifex fieri vellet. Itaque mors Chriſti præparatio quædam fuit pontificis hujus noſtri, & quia victima cum pontifice eadem eſt, etiam ipſius victimæ. Atque inde factum eſt, ut Chriſtus cœlo illatus, quia per ſanguinem ingreſſus fuerat, velut gratiſſima Deo victima coram ipſo ſiſteretur, & remiſſionis peccatorum nobis largiendæ poteſtatem pleniſſimā adipiſceretur: & porro, quicquid ille ſalutis noſtræ cauſa coram Deo perpetuo apparens faceret, id a Deo ſuaviſſima hac victima veluti oblectato, ratum haberetur, & potentia ipſius, quā in ipſo Chriſto poſuit, perficeretur.

Atque hic jam apparet, quam apte oblatio Chriſti morte interveniente facta, oblationi pontificium legalium, & apparitio ipſius horum apparationi reſpondeat, ac ſimilitudinem referat conditionis, qua Deus ad remiſſionem peccatorum nobis concedendam moveatur. Satis autem & illud ex dictis intelligi poteſt, quod hanc vim, quam hucuſque explicuimus, morti Chriſti ineſſe Deus voluit, ad remiſſionem peccatorum nobis pariendam; id ad eundem ſcopum pertinere, ad quem & priorem ſpectare demonſtravimus. Nam & hanc Deus in primis eo direxit, ut ſpes remiſſionis peccatorum, & liberationis ab æterno interitu; quam firmiſſima nobis inſereretur, ac porro nos ad viam ſalutis ingrediendam perduceremur.

His ita explicatis, illud jam declarandum eſt, quod antea nos facturos polliciti ſumus; nempe, qua ratione mors Chriſti Novum Fœdus, & promiſſionem remiſſionis peccatorum in eo comprehenſam confirmaverit. Duplex autem potiſſimum ejus rei modus eſt: alter per ſe generalior eſt; alter magis ſpecialis, & ad promiſſionem remiſſionis peccatorum aliquanto propius ſpectans; ex quo utroque tertius quodammodo reſultat, ut poſtea dicemus.

Prior autem ex duobus illis modis, quem generaliorem eſſe diximus, hic eſt; quod Ieſus Nazarænus, cum tam conſtanter aſſeruit, ſe eſſe illum Chriſtum Dei Filium, & in eum finem truculentiſſimam mortem eſt paſſus, eo ipſo oſtendit univerſam ſuam doctrinam divinitus peofectam eſſe; ac porro, (cum hic doctrinæ ipſius ſit nucleus,) liberationem ab interitu vitamque ſempiternam nobis eſſe propoſitam, ſi in ipſius nomen credamus. Et ad hunc modum reſpicit Iohannes 1 Epiſt. 5, ubi cum inter teſtes divinos, qui docent, Ieſum eſſe illum Chriſtum, ſeu Dei filium, etiam ſanguinem, cum quo venerit, nominat; & poſtea, vim illius teſtimonii a tribus illis teſtibus profecti exprimens, ait verſ. 11, *hoc eſſe teſtimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio ejus eſt.* In vita autem illa, nobis, qui graviſsime peccavimus, propoſita, remiſſio peccatorum omnino continetur, ut prope perinde ſit, ac ſi dictum fuiſſet, hoc eſſe teſtimonium, quod remiſſionem peccatorum nobis dedit Deus, & hæc remiſsio in Filio ejus eſt. Ex illo autem Iohannis loco intelligi poteſt, etiamſi hac quidem ratione, ad quam iſtic reſpicitur, mors Chriſti nominatim non fuerit teſtata, nobis vitam æternam dediſſe Deum, & hanc vitam in Filio ejus eſſe repoſitam; Iohannem tamen huc referre illud teſtimonium, quod una cum aqua & ſpiritu mors Chriſti cruenta perhibet: nempe quia ex doctrina Chriſti apertiſsimum erat, vitã æternam per eum nobis eſſe promiſſam, eamque fide in ipſum collocata eſſe obtinendam; & ut huic promiſſo fidem abhiberemus, voluiſſe Deum triũ illorum teſtium communi veluti voce demonſtrare.

Neque vero eſt quod quis dicat, ex eo, quod Chriſtus in hunc finem fuerit mortuus, conſtare quidem poſſe, ipſum certo perſuaſum fuiſſe de veritate ejus rei, cujus cauſſa mori, tamque crudeliter occidi voluerit; ſed inde non conſtare, rem ipſam etiam fuiſſe veram: quandoquidem poſſit quis etiam ob falſam ſententiam, quam tamen veram eſſe ſibi perſuadeat, mortem acerbam atque ignominioſam ſubire. Etenim ita res hæc, quam ſanguine ſuo aſſeruit Chriſtus, eſt comparata, ut non potuerit de ejus veritate perſuaſus eſſe, præſertim tam firmiter, ut mortem tam truculentam eo nomine ſuſtineret, niſi ea vera omnino certaque eſſet: quandoquidem ſi aliter habuerit, neceſſe fuiſſet, Chriſtum eam ſibi commentum eſſe. Etenim id quod morte ſua aſſeruit, illud, ut diximus, fuit, ſe eſſe Dei Filium, eumque non vulgarum, ſed illum unigenitum; ſe eſſe Regem olim populo divino promiſſum, qui in cœlis ad dexteram potentiæ Dei conſidere debeat: ſe ab ipſo Deo fuiſſe miſſum, ut hanc, quam orbi publicaverat, doctrinam traderet: quam quidem ex ipſomet Patre ſe audiviſſe dicit, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Hæc ſi falſa eſſent, neceſſe fuiſſet ipſum Chriſtum ſibi comminiſci, & quidem ita, ut apertiſſime cerneret, ea falſa eſſe. Neque enim Chriſtus mente captus fuit, nec ullum ejus rei, in ipſius ſermonibus aut doctrina indicium apparuit. Neque id adverſarii ipſius illi objiciunt: imo potius apparet, adverſarios ipſius contrarium deprehendiſſe: quandoquidem ideo curarunt eum in crucem agi, ne doctrina ejus, quæ cum tanto applauſu reciperetur, nimium invaleſceret. Itaque non tanquam mente captum, ſed tanquam veteratorem & ſeductorem e medio ſuſtulerunt.

Dicet hic aliquis, primum, videri in hac ratiocinatione latere petitionem ejus quod in principio: quia ad probationem ejus, quod doctrina Chriſti vera ſit, illud inter cætera adhibeatur, quod ab ipſomet non ſit conficta: id quod cum illo propemodum idem eſſe videtur. Deinde quia ad illud ipſum rurſus probandum, vel ſaltem ad oſtendendum, fieri non poſſe, quin Chriſtus ſciret ea quæ aſſereret falſa eſſe, ſi ea ipſi primum in mentem veniſſent, non vero ab alio, nempe Deo ipſi tradita fuiſſent, qualitas doctrinæ ipſius adhibeatur. Nam ex ratione doctrinæ ipſius oſtenditur, eum illo fuiſſe ingenio ac judicio, ut non potuerit non errorem illum ſuum deprehendere; cum tamen de ratione doctrinæ illius hic inſtituatur quæſtio. Præterea non videri impoſſibile, quempiam talia, qualia Chriſtus ſibi tribuerit, ſibi ipſi firmiter perſuadere, ac certa eſſe credere, ac porro etiam illorum cauſa multa perpeti mala, cum hodie quoque reperiantur homines, qui exiſtimant ſe eſſe ipſum Chriſtum, nonnulli ſe eſſe ipſum Iohannem B. aut quempiam ex Apoſtolis Chriſti, ſeque a Deo eſſe miſſos, & alia his ſimilia, qui tamen non pauca ejus rei cauſſa mala perferant. Quo accedit quod videatur quiſpiam a Diablo ita deludi poſſe, ut omnino credat, vel Deum vel angelum aliquem ſecum loqui, aut alia quadam ratione ſibi perſuadeat quippiam, quod poſtea ſumma conſtantia ad extremum uſque ſpiritum tueatur, & ne atrociſſima quidem morte ab ea deduci ſe patiatur. Denique non videre impoſſibile, quempiam ſcientem, prudentem quippiam comminiſci, idque cum præſentiſſimo etiam vitæ periculo aſſerere, gloriæ forte aucupandæ cauſſa, etiamſi id falſiſsimum eſſe probe ſciat.

Ad primum reſpondemus: non committi in eo petitionem ejus quod in principio, cum Chriſti doctrinam falſam non eſſe ex eo probatur, quod ipſemet eam non confinxerit, & hoc ipſum rurſus ex morte, quam ejus aſſerendæ cauſſa ſuſceperit, demonſtratur. Neque enim eadem hæc ſunt, neque ſemper æque incerta, doctrinam alicujus eſſe falſam; &, & eam ab ipſomet eſſe confictam atque excogitatam: cum multa dogmata falſa a multis proponantur, quæ illi tamen ab aliis acceperunt, quæque niſi aliunde accipiſſent, nunquam fuiſſent excogitaturi; & nova (ut ex rebus quotidianis exemplum petamus) multa a quibuſdam & credantur

dantur falſa, uti & hiſtoriæ, vel potius fabulæ, quas ipſi nunquam fuiſſent conficturi. Itaque cum hominem nonnunquam ipſum novimus, qui aliquid narret, & eum virum bonum ac gravem eſſe ſcimus, facile credimus, eum talia minime confinxiſſe, licet falſa eſſe putemus; &, ſi ita res ſit comparata, ut alterutrum nobis ſit ſtatuendum, vel hominem eum id confinxiſſe atque commentum eſſe, vel rem eſſe veram, (ut ſi dicat, ſe rem oculis ſuis vidiſſe, & probe exploraſſe,) malimus credere verum eſſe, quam eum id confinxiſſe. Unde apparet, tum temporis illa duo, nempe rem eſſe falſam, & ab eo confictam eſſe, non modo eſſe diſtincta; ſed etiam ex negatione hujus poſterioris, prioris negationem recte concludi poſſe. Idem autem contingere poteſt etiam tum, cum aliis quibuſdam modis quiſpiam planum facit, ſe rem quampiam minime confinxiſſe, & nequaquam alios decipere velle; quo in numero mortem, præſertim tam truculentam, tam acerbam ponimus, qualem Chriſtum volumus doctrinæ ſuæ aſſerendæ cauſſa ſubiiſſe, quemadmodum ex ſequentibus melius apparebit, ubi oſtendemus, fieri non potuiſſe, ut talem mortem Chriſtus doctrinæ ſuæ aſſerendæ cauſſa ſubiret, ſi eam ipſemet confinxiſſet.

Ad ſecundum quod attinet, ne hic quidem circulus aliquis fit, aut petitio ejus quod in principio committitur, dum ad veritatem doctrinę Chriſti aſſerendam adhibemus inter alia, ac pro conceſſo ponimus certam quandam doctrinæ illius rationem ac qualitatem. Alia enim eſt illa doctrinæ Chriſti qualitas, quam ad probationem adhibemus; alia illa, quam probamus. Hæc enim, ut jam diximus, eſt doctrinæ veritas; illa vero eſt illius doctrinæ ſublimitas quædam & majeſtas, & vis quædam ad perſuadendum apta, atque ut ita dicam, probabilitas tanta, ut nonniſi a ſummo quodam ingenio & judicio valde acri potuerit proficiſci. Itaque hanc qualitatem ſejungimus ab ipſa veritate: ita ut dicere poſſis, nos nihil aliud quam ingenium in ea hic ſpectare, ingenium, inquam, acre, ac ſublime, quod res hujuſmodi complecti & tradere potuerit; quicquid tu interim de rerum ipſarum veritate aut falſitate ſentias: Hoc ingenium, rerumque admirandam majeſtatem ac ſublimitatem, & Judæus, & Turca, & paganus in doctrina Chriſti cernere poteſt, etiam antequam fidem ei adhibeat, & veritatem illius agnoſcat. Itaque nil prohibet quominus hanc doctrinæ Chriſti qualitatem adhibeamus ad veritatam illius probandam, ſeu mavis, ad exceptionem quandam excludendam, quæ argumentum noſtrum labefactare poſſe videatur, quo veritatem doctrinæ Chriſti probamus.

Ad tertium quod attinet, reſpondemus iterum, non magnam ejus rei habendum eſſe rationem, propterea, quod, ut jam antea indicavimus, Chriſtus ab adverſariis ſuis, non ut homo errore mentis lapſus, ſed ut fraudulentus impoſtor ac veterator accuſatus ac damnatus fuit; ſatis nempe animadvertentibus, Chriſtum, ſi vera illa non eſſent, quæ doceret, ipſummet ea commentum. Quare, ut a falſitatis ſuſpicione doctrinam ſuam liberaret, ejuſque veritatem aſſereret, ſatis erat oſtendere, ſe eam commentum non eſſe, nec fraude populum voluiſſe circumvenire. Sed deinde res etiam ipſa id evincit, errorem talem, qualem in quibuſdam hominibus deprehendere licet, in Chriſto locum non habuiſſe; ac proinde exempla, quæ adduci poſſe videantur, huc non quadrare, ſi & rerum ipſarum, quas ſibi Chriſtus tribuit, rationem, & ingenium ac judicium, quod ex ipſius doctrina cæteroqui eluxit, expendas, & inter ſe veluti contendas. Nam utut quidam fuerint inventi, hodieque inveniantur, qui ſe Chriſtos eſſe putaverint; (de illis loquor, quos non credimus pro veteratoribus omnino habendos) eorum neminem audire memini, qui ita ſe Chriſtum aut Dei filium eſſe arbitraretur, ut putaret, ſe quoque ad Dei dexteram ſeſſurum, & ſuper omnia regnaturum, mortuos olim excitaturum, & omnium judicem futurum, qui alios ſempiterna vita donet, alios in tartara mittat; qualia Chriſtum ſibi tribuiſſe conſtat. Quin videntur illi potius Ieſum illum Nazarenum pro Chriſto adhuc habere atque agnoſcere, ſed qui ſpirituali quadam ratione in ipſos migrarit, aut ipſos in ſe commutarit, unde etiam ſe gloriæ illius atque immortalitatis participes fore exiſtimant, forte etiam nonnulli muneris illius, quod in terris olim geſſit, partes quaſdam aſſumunt. Satis autem apparet, quam longe hæc ab illis diſtent, quæ Ieſum ſibi tribuiſſe diximus, tum habita ratione præteriti ac præſentis temporis, tum ratione futuri. Quod ſi forte quidam extiterunt, qui ſe ita Chriſtos eſſe putarunt, ut exiſtimarint ſe hic in terris aliquando regnaturos; & hoc credere facilius potuerunt, quam illud, quod Chriſtus ſibi tribuit. Quid enim interdum homines ſibi hic non pollicentur? Quanquam ego vehementer dubito, utrum ullus unquam extiterit hominum, qui ita ſe Chriſtum eſſe jactarit, ut regnum ſibi terrenum vel arrogaret, vel polliceretur, qui non eſſet inſignis veterator, qui ſubdolis artibus vellet homines circumvenire: ita ut hujuſmodi hominum exempla ad rem noſtram nihil pertineant. Iam vero quod ad ingenium attinet, eamque judicii vim, quam διανοιαν Græci vocant, quæ ex doctrina Chriſti, ipſiusque reſponſis variis eluxit; illa tanta eſt, ut cum ea haudquaquam comparari poſſint eorum hominum ingenia, qui talia, qualia antea dicta ſunt, ſibi mentis errore fingunt. Solent enim ejuſmodi homines, utut forte in aliis rerum generibus aliquid cernant, & literis etiam ſint exculti, tamen in rebus divinis explicandis, mirum in modum ineptire, & ſeſe rediculos præbere, & ſæpe ea loqui, quæ ne ipſi quidem intelligunt. Itaque tantum abeſt, ut admirationem ac ſtuporem quendam in audientium animis excitent, ut riſum potius cordatis ſæpe moveant; & ſi quos inveniant aſſeclas, iis vel ob ſimilitudinem ingenii placeant, vel quadam vitæ innocentia ac probitate illis ſeſe commendent. At Chriſti conciones quantam vim habuerint, nos quidem ex hiſtoria ſacra nunc diſcimus; ſed res ipſa olim adverſariorum oculis ſatis fuit ſubjecta. Unde legimus, populum frequentiſſimum obſtupuiſſe, auditis ipſius ſermonibus; eum hac in parte Phariſæos & ſcribas longe ſuperaſſe; admiratas fuiſſe integras ſynagogas ſermones gratiæ, qui ex ore ipſius fluxerint, & quæſiiſſe alios ex aliis, unde huic tanta ſapientia? præſertim cum ſcirent, eum literas non didiciſſe: adverſarios etiam acutos, reſponſis ipſius auditis, obmutuiſſe.

Ad quartam objectionem quod attinet, eam ipſius doctrina Chriſti ſanctitas ac vis, quam ad Satanæ regnum evertendum habuit, ſatis excludit. Neque enim Satanas ita ſibi eſt inimicus, ut id præmoveat, quod ipſius conſiliis maxime eſt adverſum, & quo nihil eſt ad regnum ipſius atque imperium evertendum aptius. Atque id feciſſet Satanas, ſi hanc, quam Chri-

stus promulgavit orbi, doctrinam ei inspirasset, eumque ita suis artibus ac præstigiis fascinasset, ut sibi penitus persuaderet, a Deo se eam præsente accipere. Quid enim doctrina Christi ejusque præceptis universis sanctius? quid magis vel impellere potuit, vel impulit hominum animos, ut, ejurata omni impietate, sanctitatis studio se penitus dederent, & neglectis omnibus hujus mundi illecebris ad cœlestia contenderent, quam Christi doctrina hominum animis inserta (Ut jure pronunciarit unus ex præcipuis Christi discipulis, ideo juvenes vicisse illum malum, nempe Satanam, quia robusti sint, & verbum Dei (Christi autem doctrinam intelligit) in illis habitet: & alibi rursus victoriam hujus mundi dixerit esse fidem nostram; ita quidem, ut nemo possit ostendi alias, qui vincat mundum, hoc est, omnia quæ in mundo sunt, & ad nos a pietate abducendos aut depellendos vim aliquam habent; præter eos qui fide illa sunt prædi ti, & Jesum esse Dei filium credunt. *Quis est*, inquit, *qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Jesus est Dei filius?* Quo accedit, quod quanto latius hæc doctrina postmodum sparsa est, (sparsa autem fuisset ipsius Satanæ ope atque instinctu, si is illius esset auctor,) tanto plus consiliis Satanæ obfuit; quem in eo esse perpetuo novimus, ut pietatem penitus extinguat, & omnes ejus fibras ex animis hominum evellat. Certe doctrina Christi, non in Judæa tantum, sed in toto terrarum orbe inter exteras nationes promulgata, infinitam hominum multitudinem impietati valedicere, ac pietati se penitus addicere coëgit. Hæc certe si quis Satanæ astui ac fraudibus adscibere velit, is ex Satana Deum fecerit, qui pietatis & sanctitatis opus tam sedulo urgeat: & si Deum huic religioni tanquam falsæ ac commentitiæ adversari dicat, Deum impie de solio suo detruserit, & quod horrendum dictu est, in Satanæ locum reposuerit. Taceo nunc, quod ea quoque doctrinæ ac religionis Christi, cujus causa mortem obiit, vis fuerit, quemadmodum eventus satis docuit, ut impia illa sacra, quæ toto passim orbe fiebant, & quibus maximus dæmoniis sub falsorum deorum aut idolorum nomine latentibus exhibebatur honos, simul & oracula, quibus regnum Satanæ inter homines stabiliebatur, sustulerit. Si quis ergo doctrinam Christi, cujus vi hæc omnia peracta sunt, Satanæ tanquam auctori transcribere, & illius artibus imputare velit, is astutissimum callidissimumque spiritum, vel stultissimum ac stupidissimum, vel sibi inimicissimum, suæque ambitionis ac superbiæ penitus jam oblitum finget.

Ad ultimam objectionem quod attinet, etsi eatenus id, quod in illa asseritur, impossibile non esse dici queat, quod contradictio in ista assertione contineatur nulla; adeo tamen a natura humana abhorret, ut id impossibile dici jure queat; nempe quia ad id quod penitus est impossibile, proxime accedat: unde nec ullum ex universa memoria produci posse existimamus, qui ad id quod ipsemet sciens prudens sit commentus confirmandum, ultro mortem, & quidem tam ignominiosam, tamque diram adierit, etiamsi infinita cæteroqui temeritatis & audaciæ humanæ prodita sint exempla. Illud certum est, si quis velit fidem aliis facere, & argumento aliquo demonstrare, candide se agere, nec quicquam fallendorum aliorum gratia comminisci, ulterius eum hac in re progredi non posse, quam ut mortem, & quidem truculentam ac contumeliosam ejus ipsius rei asserendæ gratia subeat, & sanguine suo dicta sua sanciat, ita ut ab homine cordato, candoris ac sinceritatis ipsius evidentius argumentum non postuletur, nec postulari a quoquam jure possit. Tanto autem minus in Christo ejusque morte suspicioni illi est locus, quod gloriæ forte aucupandæ causa doctrinam novam commentus, eam etiam morte sua stabilire voluerit; quanto magis mortis illius circumstantiæ, & doctrinæ illius, quam assertam voluit, ratio repugnat. Nam primum testantur illi, qui ejus lateri adhæserunt, Christum non ignarum fuisse, quid sibi eventurum esset; sed mortem sibi subeundem esse ipsis prædixisse, & mortis etiam ipsius genus designasse, ac in eum ipsum locum se ultro obtulisse, ibique perstitisse, ubi mortem illam esset passurus, & tam diros cruciatus subiturus. Simul autem illud testantur, eum ad mortis ac cruciatuum illorum memoriam, præsertim cum jam imminerent atque instarent, vehementer cohorruisse, atque animo consternatum fuisse. Etiamsi enim quempiam ambitio ac gloriolæ alicujus vanæ cupiditas incessisset, is tamen vel ad locum, ubi tam acerbum, tam infame supplicium esset luiturus, ultro non contenderet, aut, si contendisset, pedem referret, horrore mortis istam gloriolæ cupiditatem animo penitus excutiente, & vim ejus obruente. Fugisset certe Christus, & noctis auxilio atque opportunitate ad fugam fuisset usus, mortis supplicio imminente, ad cujus memoriam tantopere trepidabat. Deinde non subita ac repentina morte extinctus est Christus, ita ut impetus ille aut pertinacia, quam ipsi gloriolæ vanæ cupiditas indidisset, durare posset: sed hinc inde ad impios judices raptatus, variisque contumeliis ac verberibus affectus, atque in crucem ductus, lenta tandem morte fuit affectus. Nam per tres minimum horas in cruce vivus pependit. Qui fieri potest, ut inter tantas contumelias, inter tam dira tormenta, quod simulatum ab ipso fuisset, non aliqua se proderet, & non veram aliquam vocem dolor tam exquisitus exprimeret, ex qua pateret, eum doctrinæ suæ factique hujus sui pœnitere. Tanta certe in homine pertinacia vix fingi potest: tantantum abest, ut revera queat existere.

Præterea unde Christus vel adversus terrorem mortis, cum paulo ante mortem tantopere augeretur, solatia, vel adversus cruciatuum asperitatem lenimenta quæsivit, cum in cruce penderet? Num forte ostendit, se nihil aliud, quam perpetuam nominis inter homines gloriam, & famam per hominum ora pervagatam cogitare? Haudquaquam: sed ad preces, ad divinam opem unice confugit, & in ipsis etiam propemodum precibus exspiravit. Ignarus sane videtur ingenii sensusque humani, qui id ipsum quoque gloriolæ cupiditati audeat imputare. Quodsi autem id serio fecit, apparet, quam bene de causa sua persuasus fuerit, quamque integra conscientia in toto illo negotio, cujus causa hæc perpetiebatur, fuerit versatus. Denique scire velim, unde Christo tanta esse potuerit gloriæ, quam tantopere concupivisset, spes, quæ illum non tantum ad ingentes cruciatus subeundos incitare, verum etiam patientiam ad illos sustinendos indere illi posset; si doctrinam suam, cujus causa illa patiebatur, falsam esse scivit? Nam ipsa mors, ejusque genus, & quæ antecesserunt contumeliæ, summam potius infamiam & in præsens afferebant, & in posterum pollicebantur: quæ autem gloria esset secutura, quæ tantam infamiam deleret, non apparebat.

Nam

Nam ſi quis dicat, ſpem illi fuiſſe, fore, ut doctrina ipſius, conſtantia hac illius confirmata, ab hominibus paſſim reciperetur, ipſeque porro laudibus in cœlum veheretur, & pro Chriſto Rege eque cœleſti paſſim coleretur; is nihil proficiet. Etenim ne hanc quidem ſpem concipere Chriſtus potuiſſet, ſi doctrinam ſuam falſam ſciviſſet, & ſe Dei filium revera non eſſe ſenſiſſet. Etenim cum illud inter cætera vel præcipue aſſeruiſſet, & diſcipulis ſuis confirmaſſet, fore ut tertia, poſtquam e vivis ſublatus eſſet, die a mortuis reſurgeret, ſeque ipſis conſpiciendum præberet; facile animadvertit, niſi id reipſa conſequeretur, ſe a diſcipulis pro homine mendace atque impoſtore habitum iri: ſi non ſtatim, ſaltem poſt aliquod tempus. Certe id ſibi polliceri non potuit, ut diſcipuli ipſius, homines præſertim ſimplices, & quos gloriæ ſtimulis ad tantum facinus excitari poſſe non apparebat, doctrinam ipſius adeo inviſam, cum ſummo vitæ periculo non modo profiterentur, ſed & propagandam omnibus modis ſuſciperent, nullis præſertim aliis miraculoſis effectis, quæ doctrinæ ipſius veritas afferre omnino deberet, apparentibus. Atqui ſi Chriſtus doctrinam illam ſuam confinxiſſet, illud liquido cernere potuiſſet, atque adeo reipſa vidiſſet, nec ſeſe a morte reſurrecturum, nec quicquam eorum extiturum, quæ is diſcipulis ſuis divinitus promiſiſſet, quæque ſine miraculo exiſtere non potuiſſent. Imo quanto plura quantoque majora extitura dixiſſet, tanto magis ſe pro mendace a diſcipulis & ab aliis omnibus habitum iri animadvertiſſet. Unde ergo tanta gloriæ ſpes, quæ non tantum ad ſuſcipiendam, ſed etiam ad ſuperandam rem omnium difficilimam ſufficeret? Ex quibus etiam intelligitur, non potuiſſe ipſum concipere ſpem, præſertim tantam, quanta ad tantos cruciatus tantamque contumeliam tam conſtanter ſuſtinendam eſſet opus, voluptatis alicujus, quam anima ipſius poſt mortem eſſet ex eo perceptura, quod religio ab ipſo primum promulgata, & una nominis ipſius gloria longe lateque ſpargeretur: quandoquidem oſtendimus, eum hanc ſpem, ſi falſa ea eſſe ſciviſſet, quæ de ſe aſſeruit, concipere non potuiſſe. Certe, ſi id intendiſſet, diligenter caviſſet, ne quid aſſereret ejuſmodi, quod brevi mendacii ipſum apertò convinceret, & fidem, quam ſibi apud diſcipulos conciliaſſet, in ipſorum animis penitus extingueret: quale illud eſt, quod de ſua ex mortuis reſurrectione tertia die ſubſecutura, atque ad diſcipulos reditu affirmavit. Quanquam præterea non apparet, quo pacto ullam ſpem voluptatis alicujus poſt mortem conſequendæ facere ſibi potuerit, ſi ea confinxit, quæ de ſe prædicavit. Neque enim arbitror, quenquam fuiſſe unquam repertum, qui immortalitatem animarum a corporibus ſejunctarum firmiter crederet, & aliquam poſt mortem voluptatem reſtare certo ſibi perſuaderet, qui idem tamen putaret, ſe per ſummum nefas hanc poſt mortem voluptatem conſequi poſſe. Profecto qui hujuſmodi opinionem, non modo falſam, ſed & a ratione vehementiſſime abhorrentem Chriſto tribuere velit; præſertim tam conſtantem, ut ad intolerandos cruciatus ſuperandos ſufficeret, is rem dicet ab omni veriſimilitudine alienam, & quodammodo in illud impinget, quod tertio loco ſupra refutavimus. Fieri enim non poteſt, ut is, cujus tantum eſt de rebus judicium, quantum ex doctrina Chriſti apparet, in tam gravem errorem non modo incidat, verum etiam tam conſtanter in eo perſeveret, qui nullius etiam vulgari judicio præditi hominis eſſe videtur. Tanto autem minus id credendum eſt, quod tota Chriſti doctrina, quam & perpetuo urſit, & ipſa morte aſſeruit, a mendacio, a fraude, ab omni ſcelere atque omni impietate homines quam longiſſime abducat. Qui ergo fieri poteſt, ut a quo longiſſime homines abducere conatus eſt, per id ipſum putaret ſe ad inſignem poſt mortem voluptatem & felicitatem perventurum? Neque enim quenquam extitiſſe crediderim, qui animorum immortalitatem crederet, qui non ſimul etiam numen aliquod eſſe cenſeret, quod animarum poſt mortem conditionem ac ſtatum pro hominum meritis diſpenſaret. Quam opinionem aut ſententiam qui fovet, qui fieri poteſt, ut per ſcelus aliquod inſigne, in quo ipſo animam etiam profundat, ad felicitatem pertingere ſe poſſe exiſtimet? Neque vero non potuit intelligere Chriſtus, cujus omnis quodammodo ſermo de virtute eſt, & cujus tantum de rebus ad mores pertinentibus, tamque eximium, vel potius divinum judicium fuiſſe deprehendimus, inſigne mendacium aut ſceleſtam fraudem eſſe, tantum ſibi falſo arrogare, quantum ille ſibi tribuit; nempe ut ſe Chriſtum illum eſſe aſſerat, & ſe a Deo ad novam religionem miſſum affirmet, & quæ ſunt alia huc pertinentia, ſuperius a nobis enumerata; & omnibus perſuadere velle, ut novam religionem tanquam divinam amplectantur, quæ divinitus profecta non ſit; & ad id ipſum confirmandum mortem adire. Quomodo ergo vel tantillum in ipſo ſpei exiſtere potuit voluptatis alicujus, quam anima ipſius eſſet poſt mortem perceptura, ſi falſa illa eſſe ſcivit, quæ de ſe affirmavit, & morte ſtabilire voluit?

Colligamus nunc ea, quæ diximus, velut in ſummam quandam.

Qui mortem ſubit, & acerbiſſimam, & maxime infamem, ejus doctrinæ cauſa, quam, niſi veriſſima eſſet, falſiſſimam eſſe plane ſciret, nec ullam vacillantis animi aut ſententiæ dat ſignificationem, ubi maxima foret occaſio, vel neceſſitas potius; is morte ſua doctrinam illam valide adſtruit, eamque veriſſimam eſſe oſtendit.

At Chriſtus illud quod diximus præſtitit.

Unde porro, quid ſequatur, quivis facile cernit.

Majoris probatio iis potiſſimum continetur, quæ ad quintam objectionem refellendam diximus; Minoris autem probatio in iis quæ ad tertiam & quartam.

Sequitur nunc, ut alteram rationem explicemus, qua Chriſtus remiſſionem peccatorum Dei nomine nobis promiſſam morte ſua ſtabilivit, quam quidem diximus eſſe magis ſpecialem, quam eſt prior illa, de qua hucuſque diximus; ſiquidem ea non ut prior illa ad univerſam Chriſti doctrinam per ſe ſpectat, ſed ad hanc illius partem, quæ promiſſis Chriſti continetur, hic eſt ad remiſſionem peccatorum, ad ſalutem æternam, ſi modo Chriſtum ſecuti fuerimus, comprobandam. Quanquam hoc uno ſtabilito univerſa Chriſti religio confirmatur. Eſt autem ratio illa, quod Chriſtus, poſtquam mortem inſtar hominis malefici atque a Deo maledicti ſuſtinuit, ad vitam ſempiternam ac beatam fuerit a Deo excitatus, ut exemplo eſſet omnibus eum ſequentibus, fore ut ſimiliter ex mortuis excitentur; & licet infame aliquod forte ac dirum mortis genus ſubeant, non tamen in morte relinquantur, & ſic veram illam peccati pœnam a Deo decretam ſubeant, ſed ab illa liberati in cœleſtia gaudia transferantur. Cujus rei vis ut melius intelligatur,

ac comprobetur, objectiones quaſdam, quæ moveri hic poſſent, diluemus.

Prima eſt, quod effectus hujuſmodi non ſoli morti Chriſti adſcribi poſſit, aut debeat, ſed etiam reſurrectioni; & huic quidem præcipue. Quin videri poſſet mors ad eam rem non niſi per accidens interveniſſe; ſiquidem omnis confirmationis vis in liberatione a morte videatur ſita; in morte autem, quæ præceſſerit, non niſi propter conſequutam liberationem. At ſacræ litteræ cum aſſerunt Chriſtum pro nobis aut pro peccatis noſtris eſſe mortuum, videntur hunc effectum morti Chriſti in ſolidum tribuere. Quo accedit, quod hujuſmodi confirmatio non tam Chriſto, quam Deo videatur tribuenda, quandoquidem liberatio a morte, in qua vis hujus confirmationis ſita eſt, non Chriſti, ſed Dei fuit opus.

Præterea, ne tum quidem ex morte Chriſti videtur apparere, homines peccatores a morte liberatum, & ad ſempiternam vitam traſlatum iri, ſi reſurrectionem cum illa conjunxeris; ſiquidem non appareat, eundem quoque eventum fore eorum, qui Chriſtum ſequuti fuerint, qui fuerit ipſius Chriſti. Accedit & illud, quod inepte videatur liberatio Chriſti a morte pro exemplo ſtatui remiſſionis peccatorum, quæ contingere nobis debeat: quandoquidem Chriſtus, utpote nullius peccati reus, remiſſionem peccatorum non fuerit conſecutus, ſeu, quod eodem recidit, cum liberatio Chriſti a morte remiſſio peccatorum non fuerit.

Denique ad ſpem nobis faciendam remiſſionis peccatorum, videtur id adhibitum fuiſſe, ſi ratio a nobis explicata admitti debeat, quod ipſa remiſſione peccatorum obſcurius atque incertius ſit: ſiquidem ipſa Chriſti a mortuis reſuſcitatio probatione indigeat, & facilius videatur credi poſſe, Deum nobis peccata eſſe remiſſurum, quam Chriſtum eſſe reſuſcitatum. Illud etiam Judæi ſub Veteri Fœdere facile videntur credidiſſe, qui hoc tamen poſterius conſtanter, vel potius contumaciter negarunt. Quo loco illud etiam examinari poteſt, quod a nonnullis objicitur, ne opus quidem fuiſſe, ut Chriſtus aliquo argumento comprobaret, nedum ut tam acerbam mortem eum infinem ſuſtineret, ut nobis ſpem faceret remiſſionis peccatorum a Deo obtinendæ, ſi vitam emendaverimus, ſiquidem id credere admodum videatur facile. Nam & alias libenter credere ſolemus, quod libenter volumus; & olim Prophetis remiſſionem peccatorum populo, ſi reſipuerit, promittentibus fides haud difficulter adhibita fuiſſe videtur.

Ad primam objectionem reſpondemus, iſtiuſmodi verborum, cum ſacræ literæ aſſerunt, Chriſtum aut pro peccatis noſtris, aut pro nobis eſſe mortuum, aut ſanguinem ejus eſſe effuſum in remiſſionem peccatorum, & ſi quæ ſunt his ſimilia, non eam eſſe vim, ut ſignificent omnino, effectum illum, qui morti Chriſti in his locutionibus tribuitur, proxime ex ea fuiſſe conſequutum; aut mortem per ſeipſam plus habuiſſe virium ad effectum illum pariendum, quam id quod mortis fuerit conſequens, & finis quidam inter effectum illum & mortem ipſam intermedius. Satis enim eſt ad vim iſtiuſmodi verborum explendam, ſi mors ad eum effectum, nempe remiſſionem peccatorum, nobis comparandum ſuſcepta fuerit, eaque vim habuerit ad fructum illum pariendum, utut re quadam alia, nempe reſurrectione, interveniente: præſertim ſi mors non per accidens, ſed per ſe fuerit ad effectum illum comparandum directa. Animadvertendum enim eſt id, quod (a) alibi docuimus, cum plura media ad eundum finem comparandum fuerunt adhibita, id ſæpe ſolum commemorari, eique affectum communem adſcribi, quod ſuſceptu fuit difficilius, & vel virtutem ejus qui ſuſcepit, vel ſaltem amorem ac ſtudium erga eum cujus gratia ſuſcepit, magis arguit; etiamſi id proxima ejus effectus cauſſa non fuerit, ſed remota, & per ſe nullam habuerit vim ad effectum illum comparandum, atque adeo nonniſi per accidens ad effectum illum producendum intervenerit. Hoc enim pacto dicitur alquis pro patria, aut patriæ ſalute, pro communi libertate, ſanguinem profudiſſe, mortem adiiſſe, aut vulnera accepiſſe, ſi quæ ſunt his ſimilia, licet hæc ipſa per ſe non modo libertatem aut ſalutem patriæ non attulerint, ſed etiam, ſi vim earum propriam ſpectes, eam impedire potuerint. Etenim ad ſalutem patriæ, aut libertatem conſtituendam, plus etiam virium haberet, ſine fuſione ſanguinis proprii hoſtem v. g. profligare, & ſic vires patriæ illibatas conſervare. Quodſi nihilominus tales loquendi modi & elegantes ſint & communi loquendi conſuetudine recepti; quanto magis ferendi ſunt illi loquendi modi, in quibus ei rei communis effectus adſcribitur, quæ non tantum ſuſceptu fuit duriſſima, & maximam Chriſti erga nos charitatem arguit, verum & per ſe fuit ad eum affectum, hoc eſt, ad remiſſionem peccatorum nobis comparandam, ſeu jus illius nobis pariendum, directa. Nam ne illud nunc repetamus, quod antea docuimus, Chriſti mortem etiam per ſe, hoc eſt, ſequeſtrata omnino reſurrectione conſequuta, vim habuiſſe magnam ad doctrinam ipſius, in eaque comprehenſam promiſſionem remiſſionis peccatorum ſtabiliendam ac conciendam; ut, inquam, id taceamus, animadvertendum eſt, ideo non tantum mortem, ſed mortem etiam tam diram tamque infamem eſſe a Chriſto ſuſceptam, ut reſurrectione conſecuta tanto evidentius appareret, nos a Deo propter peccata noſtra punitum non iri; nec quicquam tam triſte tamque acerbum nobis poſſe evenire, quod ſpem remiſſionis peccatorum animis noſtris excuteret, & metum irati numinis hominibus Chriſti veſtigia ſequentibus incuteret. Etenim tum fere demum peccatorum noſtrorum magnitudinem æſtimamus, & iram divinam adverſus nos accenſam horremus, cum calamitates nos undique premunt, & maxime omnium cum præſentem ſimul ac diram intentant omnia mortem. Quare ut tum quoque ſpes remiſſionis peccatorum, ac liberationis a morte, firma ſubſiſtere poſſet, Chriſtus mortem ejuſmodi, quæ peccatoribus inprimis debebatur, quæque execrationis ſeu maledicti genus quoddam erat, ſuſtinuit, utut inde liberatus, omnibus ſeſe ſequentibus ſpem faceret, fore, ut & illi a morte liberentur, neque calamitates ac mortem ſibi in peccatorum pœnam, ſed potius in felicitatem ſupremam eſſe ceſſuram. Intelligendum nempe eſt, Chriſtum, ut liberationis a peccatorum pœna exemplum quoddam præberet, non quidem factis (id enim minime conveniebat) ſed conditione peccatoribus factum eſſe ſimilem, &, ut ſacræ literæ loquuntur 2 Cor. 5 ult. peccatum. Ab ea enim poſtea liberatus, peccatoribus, vitam tamen ipſius imitantibus; ſpem fecit ſimilis liberationis. Quare non mirum eſt, mortem potius quam reſurrectionem commemorari, cum de medio

(a) *De Satisfactione cap.* 1. 8. 26. *P.* 27. *ſeqq.*

agitur,

agitur, quod ad remiſſionem peccatorum nobis comparandam, noſve a morte liberandos adhibitum fuerit. Ex dictis autem ſatis apparet, non eſſe id concedendum, quod in objectione ea, quam hucuſque refutamus, ponitur, mortem Chriſti per accidens tantum ad hunc effectum concurrere: cum non tantum ex rei natura mors ad liberationem e morte conſtituendam ſit neceſſaria; verum etiam morte Chriſti tam acerba vim addiderit reſurrectioni, ad liberationem noſtram a peccatorum pœnis tanto evidentius demonſtrandam.

Quod vero ad ſecundam objectionem attinet; in eo nihil abſurdi eſt, ſi id, in quo præcipua hujus confirmationis vis ſita eſt, Deo adſcribatur. Satis enim eſt Chriſto id tribui, ſine quo exiſtere res ea non potuit, in qua vis illa præcipue eſt ſita, & quod in eum plane finem directum fuit, ut ſpes nobis certa liberationis a pœnis peccatorum fieret. Neque vero ſacræ literæ ita remiſſionem peccatorum morti Chriſti adſcribunt, ut vel aſſerant, vel aliqua ratione indicent, divinam virtutem ad hunc effectum pariendum non interveniſſe; aut præcipuam ad effectum hunc comparandum vim in eo, quod ipſe Chriſtus fecit, ſitam eſſe: quin potius indicant, quicquid hac in parte factum ſit, id Deo auctori tribuendum eſſe; & per Chriſtum ejuſque mortem, tanquam medium quoddam, Deum ipſum nobis redemtionem pro divite ſua gratia eſſe largitum. Recte nihilominus hic effectus Chriſto ſimpliciter adſcribi poteſt; quia id, quod in toto hoc negotio duriſſimum ſuſceptu fuit, nempe mors, proprium ipſius opus jure dici poteſt. Oſtenſum autem paulo ante fuit, ſolere ſacras literas effectum pluribus mediis communem illi libentius adſcribere, quod inter cætera fuit duriſſimum. Unde facile intelligitur, mirum non eſſe, effectum ei præcipue perſonæ adſcribi, cujus proprium opus id fuit, quod ex mediis ad communem effectum pertinentibus duriſſimum ac difficillimum fuit: præſertim ſi cætera, quæ ad eundem finem pertinent, ſine illo exiſtere non potuerint.

Ad tertiam objectionem quod attinet, docuimus in commentario in Cap. xv. 1 ad Corinth. verſ. 20, quomodo ex reſurrectione Chriſti conſequatur, nos quoque, ſi ipſius veſtigia ſequamur, e morte ad vitam ſempiternam reſuſcitandos eſſe. Id quod ſacræ literæ non ſemel indicant, quæ Chriſtri reſurrectionem noſtræ reſurrectionis exemplum conſtituunt. Ita enim poſtulat proportio, quæ inter nos & Chriſtum ducem noſtrum eſt, qui nos ſeſe conſequi juſſit, & ibi nos fore pollicitus eſt, ubi ipſe ſit futurus. Qua de re in dicto commentario fuſius egimus.

Ad quartam objectionem reſpondemus, nihil prohibere, quominus exemplum remiſſionis peccatorum, ſive liberationis a pœna peccati, e reſurrectione Chriſti petamus, etiamſi is non peccarit, neque adeo remiſſionem peccatorum a Deo fuerit conſecutus. Satis enim eſt, id Chriſtum fuiſſe conſecutum, in quo noſtrorum peccatorum remiſſio continetur, ſeu quod, cum nobis continget, liberatio erit a pœna peccatorum perfectiſſima. Neque enim quiſquam ad vitam ſempternam ac beatam reſuſcitabitur, quin eo ipſo a pœna peccatorum in perpetuum liberetur. Eadem ergo res in illo qui peccato caruit, remiſſio peccatorum non eſt, in illo, qui aliquando peccaverat, eſt. Et ſufficit nobis exemplum, id in Chriſto nobis eſſe oſtenſum, ejuſve nobis ſpem eſſe factam, quod, cum nobis continget, nos extra omnem pœnarum metum ac periculum ponet, omni etiam jure deleto, quod Deus ad nos puniendos habuerit.

Ad quintam quod attinet, concedendum non eſt, reſurrectionem Chriſti eſſe quippiam obſcurius aut incertius, quam ſit noſtrorum peccatorum remiſſio: ſi modo expendatur, quam remiſſionem hic intelligamus, nempe eam quæ in ipſa a morte liberatione præcipue conſiſtat. Hæc enim viſa nondum fuit, ſed futura demum ſperatur; & non pauca ſunt, quæ de illius ſpe dejicere nos poſſunt, tum præſertim, cum mors, & quidem truculenta, ante oculos verſatur. At Chriſti reſuſcitatio & jam olim præteriit, & certiſſimis documentis tum deprehenſa, tum confirmata fuit, quorum indubitata veſtigia hodieque extant. Qua de re videatur Socinus lib. de Auctorit. S. S. cap. II. part. 2: unde intelligitur, nec facilius credi remiſſionem peccatorum, quam Chriſti reſurrectionem.

Quod vero tandem addebatur, nihil fuiſſe opus, remiſſionis peccatorum ſpem nobis aliquo argumento facere, ac multo minus rem tam arduam eum in finem ſuſcipere; quia facile ſit promiſſioni ea de re factæ fidem adhibere: id nihil eſſe, ex dictis itidem intelligitur; ſiquidem hic fidei noſtræ apex eſt, & inter omnia, quæ nobis ſperanda ſunt, creditu difficillimum, fore, ut e morte ad vitam ſempiternam reſuſcitemur. Siquidem & rei per ſe inſpectæ difficultas, & quædam, ut ita dicam, impoſſibilitas, & felicitatis magnitudo, fidem noſtram minuit, cogitantibus præſertim nobis pecatorum noſtrorum tum multitudinem, tum magnitudinem.

*Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.*

Itaque nec ſemper illud verum eſt, quod ad objectionem illam firmandam ſumebatur, facile nos credere, quæ valde cupimus. Id enim tum demum verum eſt cum aliæ graves atque evidentes cauſſæ ſpem noſtram non labefactant: cujus contrarium hic evenire ſatis ex dictis patet. Nam quod Prophetis remiſſionem peccatorum olim pollicentibus facile fuerit adhibita fides, id nec uſquequaque verum eſt; nec conceſſum ſententiam noſtram labefactat, ſi conſideremus, cujuſmodi fuerit olim a Prophetis populo Iſraëlitico promiſſa peccatorum remiſſio, & quæ nobis. Nam ut de hoc poſteriore prius dicamus; remiſſio peccatorum olim populo aperte promiſſa, non liberatio fuit a morte ſempiterna, ſed liberatio a pœnis temporalibus. Hæc autem facilius credi poteſt, quam illa: & iis ſæpe mediis hæc peragitur, quæ naturalem quandam ad eam perficiendam vim habent. At liberatio a morte ſempiterna, quæ reſuſcitatione ex mortuis continetur, & vitam perennibus gaudiis circumfluentem adfert, naturali ratione confici nequaquam poteſt; imo rei naturæ quodammodo repugnat. Adde, quod tum facilius ſpes alicujus boni durat, cum ejus cauſſa minus eſt laborandum. At ubi arduum quippiam ejus cauſſa ſuſcipiendum eſt, tum demum argumenta, quibus certitudo ejus boni nitatur, poſtulamus, & illa ſæpe ſcrupulum faciunt, quæ factura non fuiſſent, ſi tam difficilis conditio bono promiſſo non fuiſſet appoſita. Jam vero ut difficiliora magiſque ardua nobis ſunt ſub N. F. præcepta, ſi remiſſionem peccatorum nobis promiſſam obtinere velimus, quam ſub V. Iſraëlitis; ita illis facilius fuit ſpem remiſſionis non tantum concipere, ſed & firmam validamque ad extremum uſque conſervare, quam nobis.

Quod vero ad prius attinet, nec illic ſemper iſti promiſſioni tam pronis animis credebatur, cum vel jam

ante

ante oculos verſarentur pœnæ, & ſcelera ſua homines revera expenderent, ſeque graviter peccaſſe animadverterent; aut liberatio a pœna diutius differretur. Et videmus apud Prophetas, populum de liberatione a pœna nonnunquam pene deſperaſſe. Vide Ezec.37.11.

Ex dictis autem illud quoque ex parte animadverti poteſt, quid iis ſit reſpondendum, qui urgent; etiamſi promiſſio de remiſſione peccatorum confirmatione eguerit; opus tamen non fuiſſe, ut Deus filium ſuum propterea tam truculentæ morti objiceret; quandoquidem id ſine morte efficere potuerit. Suffeciſſe enim ad rem hanc totam comprobandam miracula tam illuſtria, tamque multiplicia, quibus tota Chriſti religio abunde fuerit comprobanda, ac porro & promiſſio remiſſionis peccatorum, in ea comprehenſa, ſatis ſtabilita. Nam utut miracula, per Chriſtum ejuſque Apoſtolos ac cæteros fideles edita, doctrinam Chriſti ita generatim conſideratam confirmarint; imbecillitas tamen noſtra propius ſeu magis proprium argumentum deſiderabat ejus promiſſionis, quæ Novi Fœderis eſt maxime propria, & creditu tamen, ſi rem recte intuearis, difficillima, hoc eſt, promiſſionis de remiſſione peccatorum, ſeu liberatione ab illius pœna, quæ mors eſt ſempiterna. Propius autem argumenti genus, & ex natura rei cum promiſſione illa arctius conjunctum, eſt exemplum liberationis a morte, & morte quidem acerbiſſima in ipſo duce, & tam benignæ promiſſionis primo præcone nobis propoſitum. Quodſi ratio illa, ad quam nunc reſpondemus, robur aliquod habet in promiſſione remiſſionis peccatorum, haberet etiam in promiſſione reſurrectionis & vitæ ſempiternæ. Nam ſi miracula ad comprobandam promiſſionem remiſſionis peccatorum abunde ſufficiebant, quia ad univerſam Chriſti doctrinam, cujus illa pars ſit, confirmandam ſuffecerint; idem de promiſſione quoque reſurrectionis ac vitæ ſempiternæ ſtatuendum erit, cum & hæc pars ſit doctrinæ Chriſti miraculis ſtabilitæ. Et profecto, ſi recte attendas, eatenus potiſſimum remiſſio peccatorum nobis promiſſa confirmatione egebat, quatenus ea in liberatione a morte, quæ reſurrectione continetur, ſita eſt; ut ſuperius aliquo modo oſtendimus. Jam vero & illi ipſi quibuſcum nobis res eſt, fatentur, & ex ſacris literis ſatis patet, Deum ad reſurrectionem noſtram comprobandam, non ſola miracula adhibere, ſed vel inprimis Chriſti exemplo nos ad eam ſpem exigere voluiſſe. Quam ob cauſam Petrus dixit, Deum reſuſcitaſſe Chriſtum a mortuis, eique gloriam dediſſe, ut fides noſtra & ſpes eſſet in Deum. Et videmus Apoſtolum, cum reſurrectionem noſtram confirmat, quod inprimis facit 1 Cor. xv, non ad miracula confugiſſe, quibus doctrina Chriſti fuerit confirmata; ſed exemplum Chriſti vel inprimis urſiſſe: quod facit etiam alibi, licet verbis brevioribus 1 Cor. vi. 14. 2 Cor. iv. 14. 1 Theſſ. iv. 14. Unde etiam, cum Timotheum 2 Tim. 2. 8 ad ſuſtinenda pericula propter Euangelium animare vellet, meminiſſe eum jubet Jeſu Chriſti ex mortuis reſuſcitati: & paulo poſt, rem quodammodo explicaturus, atque oſtenſurus, hoc exemplum ad nos quoque pertinere addit verſ. 11. illa verba, *Fidelis ſermo. Si enim una mortui ſumus, etiam una vivemus*, &c. Et ipſe Chriſtus Joannem animaturus, illa protulit verba, quæ leguntur Apoc. 1. 17, 18: *Ego ſum primus & ultimus, & vivens, & fui mortuus, & ecce vivo in ſecula ſeculorum, amen: & habeo claves inferni & mortis:* Exemplo primum ſuo, deinde etiam poteſtate, quam habeat ad nos ex morte eripiendos, ſpem erigens. Quod idem aliqua ratione facit in Epiſtola ad angelum Eccleſiæ Smyrnenſium ſcripta Apoc. 2. 8, quem itidem ad perſecutiones, atque adeo mortem pro ſuo nomine ſuſcipiendam hortaturus, ita orditur: *Hæc dicit primus & ultimus, qui fuit mortuus & vixit*, id eſt revixit. Nam ſi quis dicat, peti quidem ex reſurrectione Chriſti argumentum noſtræ reſuſcitationis; ſed non tamen conſequi, Chriſtum in eum finem fuiſſe reſuſcitatum, ut nos inde reſurrectionis vitæque ſempiternæ ſpem conciperemus: illi primum obſtant verba, quæ ex Petro primo loco citavimus, qui dicit, *Deum reſuſcitaſſe Chriſtum ex mortuis, & gloriam illa dediſſe, ut fides & ſpes noſtra eſſet in Deo*: quibus & illa conſentiunt, quæ eodem capite ſuperius verſ. 3 ſcripſit, nempe Deum pro multiplici ſua miſericordia nos regenuiſſe in ſpem vivam, per reſurrectionem Chriſti ex mortuis; ſatis indicans, reſurrectionem Chriſti fuiſſe pro ſingulari ipſius erga nos bonitate adhibitam, ut nos in ſpem vivam regeneraremur, & aditum obtineremus ac hæreditatem illam incorruptibilem, de qua poſtea verba facit. Quanquam præterea illud jure dici poteſt; quicquid Deus Chriſto vel mandavit, vel dedit, id totum hominum cauſſa illum mandaſſe, aut dediſſe, totumque Chriſtum *nobis*, ut Propheta loquitur Eſa. 9. 6, hoc eſt, in noſtrum commodum eſſe datum. Quicquid ad Chriſtum ducem ſalutis noſtræ conſtituendum ſpectat, id noſtra cauſſa factum eſt. Inter illa autem ſane eſt reſuſcitatio ex mortuis, in qua nobis exemplo præivit. Et quid multis opus? Ipſe Paulus ad Epheſ. ſcribens cap. 1, ut ſpem glorioſæ illius hæreditatis, ad quam vocati ſumus, confirmet, potentiam illam commemorat, qua Chriſtus reſuſcitatus fuit a mortuis, eamque ad nos credentes ſpectaſſe ſignificat, cum ait verſ. 19, *Et quæ ſit ſupereminens magnitudo potentiæ ipſius erga nos, qui credimus ſecundum operationem roboris virium ipſius, quas operatus eſt in Chriſto, cum reſuſcitavit eum ex mortuis.* Ubi itidem, ut hoc quoque veluti obiter addamus, ad ſpem felicitatis noſtræ confirmandam, non ad miracula confugitur; ſed ad Chriſti reſuſcitationem & exaltationem. Et mirum ſane eſſet, ſi, cum videamus Deum multa feciſſe, vel, ut rectius dicamus, omnia, ut ſpem nobis vitæ æternæ inſereret, & ad ſibi parendum nos adduceret, id quoque ejus rei cauſſa non feciſſe, quod ad id efficiendum vim ac robur maximum habuit. Mirum etiam foret, ſi quid reſurrectione & exaltatione Chriſti ad ſpem illam nobis inſerendam efficacius eſſet, id ibi non commemorari, ubi de ea confirmanda agitur, & reſurrectionem exprimi, illo ne commemorato quidem, quod majorem ad ſpem illam corroborandam vim haberet.

Neque vero quicquam dictis obſtat, quod reſurrectio Chriſti etiam eo pertinuerit, & quidem primo, ut Chriſtus ipſe ſanctitatis ac patientiæ ſuæ præmium fructumque a Deo referret. Nihil enim prohibet, quominus eadem res ad duplicem finem, & quidem æque, referatur. Sacræ ſane literæ ſatis docent, vitam Chriſto ſempiternam, & poteſtatem tantam, quantam eum conſecutum eſſe ſcimus, ideo eſſe datam, ut præmium laboribus ſuis dignum referret: & inter alia non pauca docet locus Eſa. LIII. 11, 12. & Phil. 2. v. 9 ſeqq. & nihilominus tamen ſacræ literæ teſtantur,

Chriſtum

Chriſtum *perpetuo vivere ut pro nobis interpellet*, *Hebr.* 8. 25, *cum dextra Dei exaltatum eſſe principem & ſervatorem*, *ad dandam pœnitentiam Iſraëli*, *& remiſſionem peccatorum*; *eum aſcendiſſe quoque in altum*, *aut ſupra omnes cœlos*, *ut omnia impleret*, intellige donis ſuis, ut patet ex Eph. 4. 10 coll. cum antecedentibus & ſeqq. Quin & hoc addi poteſt, divinam gloriam fuiſſe totius hujus rei præcipuum finem, & non mediate tantum, ſed immediate cum reſurrectione & exaltatione Chriſti, quatenus ea hominibus innotuit, connexum. Sic ſi quis pro fratre animam ponat, illius quidem vitam ac ſalutem pro fine ſibi proponit; ſed non minus tamen ſuam felicitatem ſempiternam. Neque vero ſuam felicitatem ſibi proponit tanquam finem quendam remotum, qui tum demum ſit conſecuturus, ſi obtinuerit illum finem, qui ad fratrem ipſius ſpectat, nempe vitam ac ſalutem ipſius; ſed tanquam immediatum, qui conſecuturus ſit ex ipſius facto, ad ſalutem tamen proximi reſpiciente, etiamſi tandem alter, pro quo animam ponit, fructum eum non referat, quem ipſe ſpectavit. Et, ut alia quoque ex rebus humanis exempla petamus, quam multa faciunt & boni principes, & patresfamilias, quæ & ſibi & parentibus commodum aut felicitatem afferant; in quibus ſuſcipiendis non minus ſuum, quam alienum, aut non alienum minus, quam ſuum commodum quærunt. Ut igitur id, quod ante diximus, concludamus; appareat, cauſſam fuiſſe ſatis gravem, cur Deus non contentus miraculis, etiam morte filii ſui promiſſionem remiſſionis peccatorum nobis factam voluerit ſancire.

Reſtat nunc, ut tertium explicemus modum, quo mors Chriſti remiſſionem peccatorum nobis a Deo per ipſum oblatam confirmavit, quem quidem diximus ex duobus illis prioribus quodammodo reſultare, iiſque inniti. Is autem eſt, quod mors Chriſti inſigne eſt documentum ſingularis ac plane admirabilis Dei ac Chriſti erga nos charitatis: quemadmodum ſacræ literæ non uno loco aperte aſſerunt, & res ipſa docet: quandoquidem Deus id, quod habuit chariſſimum, nempe unigenitum ſuum filium, noſtra cauſſa impendit; uti & ipſe Chriſtus, qui ſeipſum ſuamque animam pro nobis dedit. Hinc autem facile intelligitur, quam certa ſit ſpes remiſſionis peccatorum per illum nobis oblatæ: quandoquidem Deus ac Chriſtus charitate, præſertim tanta, quanta major inveniri nequit, proſequi nos non poteſt, ſi nos in æternum vult perdere, & peccata noſtra ſempiterno ſupplicio vindicare; maxime cum tam pronum illi ſit, nos ex morte ereptos immortalitate donare. Hinc Paulus Rom. 5, 6, 10 ex charitate Dei, morte filii ipſius conteſtata, (*a*) oſtendit, quam firma ſit ſpes ſalutis noſtræ, quamque certo nobis polliceri poſſimus, fore, ut ab ira futura, ſeu pœna ſempiterna, per Chriſtum liberemur. Diximus autem, tertium hunc confirmandæ remiſſionis peccatorum modum prioribus illi duobus niti. Etenim, ut charitas Dei ac Chriſti ex hujus morte perſpici poſſit, nec eſſe eſt, ut jam aliunde vel notum ſit, vel intelligi poſſit, mortem illam ad fructum aliquem nobis comparandum pertinuiſſe. Nam etſi homines nonnunquam cœco quodam amore impulſi ea faciunt, quæ illis, quibus amorem ſuum comprobare volunt, nihil proſunt: in Deum tamen ſapientiſſimum id haudquaquam cadit; tantum abeſt, ut rem omnium, ut ita dicam, difficillimam acduriſſimam fecerit, aut ſuſcipi a Filio ſuo chariſſimo voluerit, ad ſuum erga nos amorem comprobandum, quæ nihil nobis prodeſſet, imo inſignem atque incomparabilem fructum nobis non afferret. Unde ſacræ literæ, quæ ex morte Chriſti ſummam Dei ac Chriſti erga nos charitatem demonſtrant, id ponere, ac pro conceſſo ſumere ſolent, Chriſtum pro nobis mortuum eſſe. Verba autem illa hanc vim habere, ut ſignificent, Chriſtum boni noſtri, ipſiuſque ſalutis cauſa mortuum eſſe, ſatis non tantum apud (*b*) nos, ſed etiam apud doctiores adverſarios conſtat. Jam vero ad explicandum, quo pacto Chriſtus ſalutis noſtræ cauſſa ſit mortuus, illa vel inprimis pertinent, quæ de duabus illis rationibus ante diximus, quibus mors Chriſti promiſſionem remiſſionis peccatorum ſtabilivit. (*c*) Dicimus autem non illa ſola, ſed illa inprimis huc pertinere: quia Paulus dicto Paulo ante loco Rom. 5 etiam id, quod ex illis rationibus conſequitur, includit, (*d*) nempe quod Chriſti mors eo pertinuerit, ut nos cum eo reconciliaremur, hoc eſt, ad Deum converteremur. Nam & hoc ad ſalutem noſtram ſempiternam pertineret: quandoquidem ſine eo ſalvi eſſe ex Dei decreto non poſſimus. Quanquam etiam viciſſim ſacræ literæ 2 Cor. 5. verſ. 15 ſeqq. eo ipſo, quod Deus ac Chriſtus nos tantopere dilexit, nos impellere conantur, ut cum Deo reconciliemur, & peccatis omnibus abdicatis juſtitiæ nos penitus dedamus. Itaque non eſt exiſtimandum, ubique, cum Chriſtus pro nobis aut pro peccatis noſtris mortuus dicitur, ad hanc rationem reſpici, in qua explicanda nunc ſumus, & intelligi, eatenus Chriſtum dici ſalutis noſtræ cauſſa mortuum, quatenus inter alia, charitatis erga nos ſuæ Patriſque ſui documento, nobis confirmare remiſſionem peccatorum voluerit: quandoquidem ſæpe contra fit, ut ad charitatis illius demonſtrationem, quæ ex morte Chriſti petitur, illud ponatur, Chriſtum pro nobis, aut etiam pro peccatis noſtris mortuum eſſe.

(a) *Vide de Satisfactione ab initio.*

(b) *de Satisfactione cap.* I & IX. (c) *de Servatore lib.* I. (d) *de Satisfactione cap.* VII.

FINIS.

# INDEX
# RERUM & VERBORUM,
## Phraſiumque S. Scripturæ memorabilium.

*In quo numerus Latinus I. & II. primum ſecundumque Tomum, vulgaris vero additus, aut ſequens, Tomi indicati paginam, & a. b. primam aut ſecundam paginæ columnam, denotat.*

NOTA.

Aſteriſcus alicubi adjectus, numeros paginarum bis poſitos indicat.


*Aquondam, à diebus ſeculi*, quid ſignificat. I. 27. *b.*
Aaronis peccatum quale fuerit, ob quod in deſerto mori coactus ſit? I. 301. *a. b.* Aaron Mariam ſororem cur abortivum quid dixerit? 316. *b.* non ultro ſeſe in pontificium munus ingeſſiſſe, ſed à Deo vocatus, electuſque cum ſucceſſoribus ſuis eſſe dicitur. II. 116. *b.*
*Abba, pater*, quomodo ſpiritus clamare dicitur. I. 414. *a. b.* 138. *a.* & quid vox Abba denotet? 414. *b.*
Abel majorem hoſtiam quàm Cain, fide obtuliſſe dicitur. II. 184. *a.* & quomodo? 184. *b.* obtulit de primogenitis pecudum, paſtor exiſtens. ibid. per fidem teſtimonium conſecutus dicitur, eſſe juſtus, & quomodo teſtimonium illud conſecutus ſit? ibid. per fidem defunctus adhuc loqui aſſeritur, & quomodo ejus ſanguis clamare dicitur ad Deum? ibid. & 195. *a.*
Abeſſe peregre à Domino, quid ſit? II. 315. *b.* 316. *b.*
Abluere corpus aquâ mundâ monemur, & quomodo? II. 176. *b.*
Abnegare ſe, quid ſit? II. 293. *a. b.*
Abnegare impietatem & mundana deſideria, nos docet gratia Dei ſalutifera. II. 48. *b.*
Abolitum eſſe à Chriſto, quid ſit? I. 427. *a.*
Abortivum quomodo ſe Paulus dicat? I. 316. *a b.*
Abrahamus an ex operibus juſtificatus ſit? I. 116. *b.* 117. *a.* 401. *b.* 402. *a.* dicitur ab Apoſtolo communis ſibi cum cæteris Judæis Pater ſecundum carnem. 117 *a.* & præterea omnium credentium, ſive Judæorum ſive Ethnicorum pater (ſecundum Spiritum, ſeu ſpiritualis.) ibid. (119. *b.*) gloriationem apud Deum non habet reſpectu operum, ibid. & 117. *b.* credidiſſe enim dicitur Deo, & fides hæc ei imputata eſt ad juſtitiam 117. *b.* 118. *a.* 401. *b.* 402. *a.* idque in perputio adhuc exiſtenti. 119. *a.* ſignumque accepit circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei, receptæ in præputio. 119. *a. b.* quomodo pater omnium credentium, & circumciſionis dicatur 119. *b.* quomodo dicatur hæres mundi. ibid & 120 *a.* præter & ſuper ſpem quomodo crediderit? 121. *a.* centenarius dedit gloriam Deo. 121. *b.* duos filios quare & quomodo habuiſſe dicatur, manu ex ancilla, & unum ex liberâ? 419. *b.* 420. *a.* quomodo diem Chriſti viderit? 532. *b.* quomodo in patientia promiſſionem Dei adeptus eſſe dicatur? II. 129. *a.* Melchiſedecho decimas ex omnibus dediſſe, quomodo dicatur? 131. *b.* 133. *b.* 134. *a. b.* Patriarcharum præcipuus fuit. 134. *a.* fide vocatus obediviſſe dicitur in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiiſſe, neſciens quo iret. 187. *a* fide demoratus eſſe dicitur in terra repromiſſionis tanquam in alienâ, in tabernaculis habitando cum Iſaaco & Jacobo, cohæredibus repromiſſionis ejuſdem. ibid. & 187. *b.* expectaſſe dicitur fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus eſſet. 188. *a. b.* & quomodo eam expectaſſe dicatur. ib. quas ſpes habuerit. ibid. riſiſſe quomodo dicatur? 189. *b.* quomodo promiſſiones non acceperit, ſed à longe eas aſpexerit, & amplexus ſit, confeſſus cum ſuis, quod peregrinus & hoſpes eſſet ſuper terram. 190. *a. b.* quomodo patriam quæſiviſſe dicatur, & qualem? 190. *b.* 191. *a.* fide Iſaacum obtuliſſe dicitur, cum tentaretur, eumque unigenitum, in quo promiſſiones ſuſceperat, arbitrans, quia & à mortuis ſuſcitare potens ſit Deus: unde cum ex mortuis in parabola etiam receperit. 192. *a. b.* 193. *a.* & quantum hoc Abrahamicæ fidei ſpecimen fuerit? 192. *a. b.*
Abrahami filius cur Chriſtus nominatim & ſeorſim dicatur à a Mattheo? I 3 *b.* in Abrahamo primùm fuit juſtificatio inchoata, cum Deo promittenti crederet, ſed perfecta fuit, cum in omnibus paruiſſet. 402. *a.* filii dicuntur qui ex fide ſunt. 402. *b.* & quomodo? ibid. in Abrahamo quomodo benedicendæ dicantur omnes gentes? 402. *b.* 403. *a.* ei, revertenti à cæde regum, Melchiſedech obviâſſe dicitur. II 131. *a. b.* & benedixiſſe. ibid. tres viri ab Abrahamo viſi & excepti, perſonæ S. Trinitatis non fuêre, ſed angeli. 218. *a. b.* & cur unus tantem eorum ab ipſo adoratus fuerit. 218. *b.* nam forte, quod filius Dei fuerit? prout aliqui cenſent. ibid. ſervus, quomodo oraverit Deum? I. 18. *b.*
Abſcindi turbatores Galatarum quomodo optat Paulus? I. 432. *a. b.*
Abſentes, aliis non tam commodò loquuntur quam præſentes. I. 419. *a.*
Abſtinentiam quinam urſerint? II. 20. *b.*
Abſurda, ex negata reſurrectione mortuorum profluentia. I. 320. *a. b.* item quatuor alia, ex negatâ reſurrectione Chriſti provenientia. 321. *a. b.* 322. *a.*
Abundare jubemur in opere Domini. I. 371.
Abutendi vocabulo Paulus fuit abuſus. I. 297. *a.*
Abyſſus profunda dicuntur judicia Dei. I. 172. *b.* in abyſſum deſcendere, quid? 159. *a.*
Accedentem ad Deum, quid credere oportet? II. 195. *b.*
Accedentes, pro cultoribus II. 167. *b.* 168. *a.* Chriſtiani dicuntur ad Chriſtum, lapidem vivum. 282. *b.*
Accedere per Chriſtum ad Deum, quid? II. 142. *b.* monemur, cum vero corde in plenitudine fidei, conſperſi corda à conſcientiâ malâ, & abluti corpus aqua munda tenere confeſſionem ſpei immotam. 176. *a. b.* acceſſiſſe dicuntur Hebræi, non ad contrectabilem montem, &c. 209. *a. b.* 40. *a. b.* ſed ad Sion montem, &c, 211. *a. b.* 212. *a. b.* 213. *a. b.* 214. *a. b.*
Accidentalis eventus rei malæ, nonnunquam in excuſationibus tanquam cauſa rei iſtius malæ adducitur. II. 58. *a.*
Accepiſſe doctrinam ſuam quomodo Paulus dicat? I. 313. *a.* præmium, quomodo neget? 511. *a.*
Accipere pro domum ducere ad ſecum habitandum. I. 16. *a.* verbum, pro edoceri & amplecti. 558. *b.*
Per accommodationem ſæpe verba Scripturæ citantur. Vide Scriptura.
Sub Achabo quæ acciderint tempore Eliæ? II. 197. *a.*
Achaja contermina eſt Macedoniæ, poteſtque ſumi pro tota Græcia I. 552. *b.*
Achazo Regi Judæ promittitur ſignum. I. 17. *a. b.*
Achazias dicitur Joachaz. 2 Par. 21, 17. cum 22, 1. & Ochozias. Vide Ochozias.
Ἀγών, qualis ſermo? I. 161. *b.*
Acquiſitionis redemptio, quid? I. 475. *b.*
Achor, apil. II. 18. *a.*
Acta Apoſtolorum ad Euangelicam Hiſtoriam pertinent. I. 1. *b.*
Actus pro facultate. I. 287. *a.* unicus actus peccati, quando a regno Dei excludat? 439. *b.*
Aculeus mortis quid? I 269. *a.*
*Ad* pro, *de* I. 162. *b.* II. 80. *a. b.* pro *ſecundum*. I. 392. *a.*
Adam quid Hebræis? I. 357. *b.*
Adamus quomodo poſteritatem ſuam in eandem ſecum ruinam & mortem precipitaverit? I. 124. *a. b.* quo pacto typus ſit futuri Adami, ſeu Chriſti? 125. *a.* in Adamo quomodo omnes mori dicantur? 325. *b.* 327. *a. b.* & qua ratione mors æterna ab Adamo in poſteros ejus dimanarit? 326 *a. b.* primus, & ultimus, quis dicatur? 357. *a. b.* primus factus eſſe dicitur in animam viventem. 353. *a.* 357. *a. b.* ultimus vero in Spiritum vivificantem. 357. *b.* & cur Chriſtus Adamus ultimus dicatur. ibid. ideo primus a Deo for-

# Index rerum & verborus Phraſiumque.


formatus eſſe dicitur, ut oſtenderetur, eum dignitate etiam priorem Eva fuiſſe. II. 12. *a.* quomodo dicatur, non eſſe ſeductus, ſed mulier ſeducta, cauſa transgreſſionis fuiſſe? ibid. ejus poſteri an in ipſo peccaverunt, mortiſque ſupplicium vere commeriti ſint. 136. *a.* dicitur a delicto ſuo eductus, id eſt, ab ejus pœna ac reatu liberatus. 184. *b.*

Adhærere Domino abſque diſtractione, quid? I. 288. *a.*

Adhortari nos mutuo debemus quotidie donec hodie cognominatur. II. 106. *a.* adhortatus eſt Paulus unumquemque Theſſalonicenſium, ſicut Pater filios ſuos. I. 557. *a.*

In Adiaphoris quando non gratificandum ſit aliis? I. 389. *b.*

Adire cum fiducia jubemur ad & thronum gratiæ. II. 114. *a. b.*

Adjuratio Pauli, ut Epiſtola ſua omnibus fratribus legatur. I. 580. *b.*

Admirabilis quomodo in adventu ſuo Dominus fore in omnibus credentibus dicatur? I. 584. *a.*

Admonere vide. monere. & adhortari alii alios monemur. II. 177. *a. b* I. 576. *b.* vide etiam, excommunicatus, alios quomodo præfecti dicantur? I. 576. *a. b.*

Admonitio una atque altera, qualis intelligatur? II. 53. *b.* admonitionis obliviſci, quid? 203. *a.* ac quomodo ea loqui dicatur. ibid. admonitionis ſermonem ſufferri regat Autor ad Hebræos, & quam ob cauſam? 228. *b.* 229. *a.*

Adoleſcentia Timothei quomodo a nemine contemni debere dicatur? II. 24 *a. b.*

Adonai, quid denotet? 188. *b.*

Adonibezek, rex Chananæorum ſeptuaginta Regibus amputaverat manuum & pedium ſummitates I. 53. *b.*

Adoptio eſt Iſraëlitarum I. 146. *a.* in filios finis redemptionis ſeu liberationis a lege per Chriſtum. 414. *a.*

Adoptionem quomodo adhuc expectare dicamur. I. 139. *b.*

Adorare Chriſtum juſſi ſunt Angeli, vide Angeli, & II. 80. *a.* adorari nec Angeli nec homines ſub N. T. debent, & quare? 87. *b.* quomodo tamen Reges & Principes hodieque adorari debeant? ibid.

Adoratio quid proprie ſignificet? I. 24. *b.* Religioſa quæ ſit & metaphorica? ibid. in quo conſiſtat? 507. *a.* qualis Regibus & principibus hodieque deferri debeat? II. 87. *b.*

Adoratus eſt Chriſtus. I. 506. *b.*

Advenæ diſperſionis dicuntur Judæi, ad quos Petrus ſcribit, & cur? II. 170. *a. b.*

Adventus Domini cur prope fuiſſe dictus ſit? I 514. *a. b.* II. 37. *a.* 164. *b.* 177. *b.* cur morte uniuſcujuſque ponatur? 37. *a.* 177. *b.* vide, mors, & dies, & I. 565. *a.* ejus tempus cur a Paulo non exprimatur? 572. *b.* & cur Deus nos illud ignorare voluerit? 573. *a.* quomodo deſcribetur a Paulo? 583. *a. b.* cur dicatur illuſtris? 590. *a.*

Adverſarius quis dicatur? II. 30. *a.* Chriſti, dicitur Anti-Chriſtus, & quare? I. 588. *a.*

Adverſarii, pro Dei hoſtibus ac rebellibus. II. 179. *b.*

Adulatione ſe in prædicando uſum fuiſſe Paulus negat. I. 556. *a.*

Adulter quis ſit? II. 219. *b*

Adulteras quas Jacobus vocet? II. 287. *b.*

Adulteros Deus judicaturus eſſe dicitur. II. 219. *a. b.* quos Jacobus dicat? 287. *b.*

Adulterini filii, vide filii, & ſpurii.

Adulterium quomodo vinculum matrimonii ſolvat? I. 288. *b.* opus carnis dicitur. 436. *b.* deſcribitur, latiuſque patere dicitur ſub N. fœdere quam ſub Veteri? ibid. quid ſit ſub novo fœdere? II. 219. *b.*

Advocatus, vide, paracletus. Ita Chriſtus dicitur eſſe apud Patrem advocatus. I. 143. *a.*

Ædificari quomodo proximus poſſit? I. 194. *a.* 308. *b.* Chriſtiani, veut civis lapides jubentur, ut fiant domus ſpiritualis, &c. vide, lapidis vivi.

Ædificatio quid? I 192. *a.* latius videtur extendi quam pax, & ſtudioſe ſectanda. ibid. corporis Chriſti, quid? 485. *a.*

Ædificium Dei dicuntur Corinthii. I. 260. *b.* totum in Chriſto dicitur creſcere in templum ſanctum in Domino, in quo & Epheſii coædificentur in habitaculum Dei. 480. *b.*

Ægyptus. Ex Ægypto vocavi filium meum, myſtico ſenſu ad Chriſtum accommodatur. I. 28. *b.*

Æmulatio ſeu zelus, quid? I. 184. *a.* 438. *a.* ad æmulationem Dominum provocare, quid? 303. *a. b.* bona, quid? II. 281. *b.*

Æmulationes inter opera carnis cenſentur. I. 438. *a.*

Ἀιὼν quid? I. 201. *a.*

Æqualis Deo Chriſtus an & quomodo dicatur? I. 506. *a. b.*

Æquitas quid? I. 514. *a.* II. 50. *b.* 311. *a. b.* quouſque ſe extendat in poteſtate Chriſti. 317. *b.*

Aëris princeps quis? I. 477. *b.* in aëra rapiendi dicuntur vivi cum reſurgentibus, in occurſum Domini. 572. *a.*

Æternitas regni Chriſti quomodo accipienda? I. 332. *a.* idem ſacerdotii ejus? ibid. & II. 133. *a. b.* cujus reſpectu æternitas Melchizedeciani ſacerdotii umbratilis tantum fuit. 135. *b.* fœderis, quomodo dicatur? 227. *b.*

Æternum quomodo ſumatur? II. 58 *a.* 133. *a. b.*

Αἰτιᾶσθαι quid? I. 103. *a.*

Ævum vide ſeculum.

Affectus cum carne, in iis qui Chriſti ſunt, crucifixi eſſe debent. I. 441. *a. b.* & quomodo? ibid. quid jubeant contra peccantes? 443. *b.* nondum domiti plene, quatenus a ſalute excludant? II. 318. *a.*

Afflictis relaxationem dari, quomodo juſtum apud Deum dicatur? I. 583. *a.*

Afflictio quid? I. 90. *b.* patientiam operatur. 123. *a.* afflictionem conjuges in carne habituri dicuntur, & quare? 286. *a.* in multa afflictione Theſſalonicenſes excepiſſe dicuntur ſermonem. 552. *a. b.*

Afflictiones, vide crux, & perſecutio, dicuntur gloria Epheſiorum. I. 482. *b.* item donum Dei, & gratia. 479. *a.* 502. *a. b.* ob eas nemo commoveri debet, cum in hoc poſiti ſint Chriſtiani, & prædictum quoque ſit ab Apoſtolis 562. *b.* 563. *a.* ad eas ſubeundas conſtituti dicimur, videnturque iram divinam & ſupplicium aliquod arguere. 611. *b.*

Affligentes, vide perſecutores.

Africanus ſcriptor vetuſtiſſimus oſtendit rationem Matthæum & Lucam conciliandi. I. 9. *a.* 10. *a.*

Agar Abrahami ancilla, quomodo dicatur eſſe fœdus? I. 421. *a.* dicitur mons Sina in Arabia. ibid.

Agareni ſunt Iſmaëlitæ, qui ſe poſtea Saracenos appellarunt. I. 421. *a.*

Ἀγαπαλόγηθος quis dicatur? II. 132. *a. b.*

Agere nihil, dicuntur Theſſalonicenſes aliqui, & quomodo? I. 604. *a.*

Ἀγαπᾶν vocis latior ſignificatio, quæ? I. 566. *a.*

Agnitio veritatis quid? II. 42. *a.*

Agni inculpati & immaculati Chriſti ſanguine quomodo redempti dicamur? II. 279 *a.*

Agnus paſchalis Judæorum & Chriſtianorum, quis? I. 271. *b.*

Ala pro pinna Templi. I. 52. *a.*

Alaphim quid? I. 27. *a.*

Ἀλάζονες quinam dicantur? I 85. *a.*

Alea hominum, quid denotet? I. 485. *a.*

Alexander Satanæ traditus a Paulo, quomodo, & quis fuerit? II. 7. *b.* 8. *a.* 292. *a. b.*

Alexander faber ærarius, an idem ſit cum eo, qui 1 Tim. 1. commemoratur? & quantum negotii exhibuerint Apoſtolo ſermones ejus? II. 7. *b.* 8. *a.* 292. *a. b.* quanta ejus fuerit malitia & perverſitas? 292. *a. b.* dicitur Spiritum S. blaſphemaſſe. ibid. quomodo ei Paulus imprecatus ſit? ibid. & 293. *a.*

Alexander Magnus per cornu inter orulos hirci apud Danielem denatari dicitur. I. 587. *b.*

Alexandria, diſperſionis Europeæ Judæorum Metropolis dicitur. II. 270. *b.*

Aliena tractare prohibentur Theſſalonicenſes. I. 569. *a.* quid illud ſit? ibid. Vide *ambulare*.

Alimenta & tegumenta habentes, iis contenti eſſe jubemur. II. 35 *a.*

Aliquid eſſe, quid denotet? I. 260. *b.* Vide eſſe & 444. *a.*

Allegoricum quid ſit? I. 300. *b.* 420. *a.*

Allii cupiditas in Iſraëlitis quam noxia fuerit? I. 301. *a.*

Alluphim quid Hebræis? I. 27. *a.*

Almah quam virginem denotet? I. 18. *b.* 19. *a.*

Alta ſapere quid? I. 178. *a.*

Altari aſſidentes cum altari participant. I. 295. *b.* 296. *a.* ejus communionem quomodo habere dicuntur, qui victimas edunt? 307. *a.* altari attendere ſeu aſtare, quid? II. 138. *a.* altare quomodo habere dicamur, de quo edere poteſtatem non habeant, qui Tabernaculo deſerviunt. 222. *b.* 223. *a.*

Altare thymiamatis aureum erat. II. 149. *b.*

Altaria fuere varia, & quænam Elias everſa eſſe quæratur? I. 136. *a.*

Altercatio, vide contentio.

Amare, vide diligere. In re bona ſemper & conſtanter debemus etiam abſentes. I 418. *b.*

Amaritudinis radix quid? II. 207. *a.*

Amarulentia quid? I. 104. *b.* I. 486. *b.*

Amazias Rex Judæ, cur omiſſus ſit in genealogia Chriſti? I. 6. *a.*

Ambiebant Galatas pſeudodidaſcali, ſed ita, ut Paulum excludere vellent. I. 418. *a.*

Ambitio Judæis a Deo non aperte interdicta fuit. I. 383. *a.*

Ambulare quomodo ſumatur? I. 134. *b.* 435. *a.* 442. *a.* 477. *b.* ſecundum carnem, aut ſecundum Spiritum quid? 134. *b.*

134. *b.* 135. *a.* decore ut in die, quid? 183. *b.* ſecundum hominem, quid? 259. *b.* ſicut quemque vocavit Dominus. 284. *a.* in peccatis, ſecundum ſeculum mundi hujus, quid? 477. *b.* in operibus bonis, quid? 479. *b* 486. *b.* in Chriſto, quid? 532. *b.* ſapienter, erga extraneos. 537. *b.* cum Deo, quid ſit? II. 185. *a.* in cibis, quid? 222. *a. b.* digne Deo, quid? I. 558. *a.* inordinate, quid ſit? 592. *b.* 593. *a. b.*

Amen, quam vim habet? I. 83. *a.* & quomodo uſurpetur? II. 228. *b.*

Amens, vide Stultus, inſipiens.

Amicus mundi, inimicus Dei conſtitui dicitur. II. 287. *a. b.*

Amicitia mundi, quid? II. 287. *a.* mundi, inimicitia eſſe dicitur apud Deum. 287. *b.*

Amor fraternus, vide, Philadelphia, & fraterna Charitas. de eo Theſſalonicenſes non opus habere dicuntur, ut Paulus eis ſcriberet, & cur? I. 568. *a. b.* rogantur tamen abundare magis. 568. *b.*

Amori Dei derogatur, ſi Deus nobis etiamſi reſipiſcentibus, peccata condonare noluiſſe dicatur, niſi Chriſtus pro nobis moreretur. I. 611. *b.* 612. *a.* & quomodo ei non derogetur. 612. *a.*

Ἀνακεφαλαιώσασθαι quid? I. 475. *a.* 528. *b.*

Analogia fidei, quid? I. 175. *b.* analogia quid? II. 320. *a. b.*

Ἀναπαύεσθαι ubi? I. 98. *a. b.* 261. *b.* 390. *a.* II. 2. *a.*

Ἀναφορὰ, & ἀναφέρειν, quid? II. 181. *a.*

Ἀνάθεμα quid? I. 145. *b.* 382. *a.*

Anathema quomodo Paulus profratribus eſſe optaverit? I. 145. *b.* quinam ſe faciant? 382. *a.* & qui non? ibid. alicujus, tanquam anathematis, vitatio, ultimæ ex eccleſia excluſionis ſeu excommunicationis loco eſſe poſſe dicitur. 602. *a.*

Ἀγαθὴ etiam pluraliter uſurpatur. I. 21. *a.*

Anchora animæ dicitur ſpes, & quare? II. 130. *a.*

Ancilla Abrahami jubetur cum filio ejici, & quid eo ſignificetur? I. 425. *a.* ejus filii Chriſtiani non ſunt. ibid. & 425. *b.*

Andreas Apoſtolus, quando in Chriſtum credere cæperit? I. 57. *b.* jubetur Chriſtum ſequi. 58. *a.* ſalutatur ab Apoſtolo. I. 246. *a.*

Ἀντεχεῖν quid ſignificat? II. 166. *a.*

Angelus cur Joſephum alloquens, eundem filium Davidis expreſſe, & cum emphaſi, appellet? I. 11. *b.* angeli vox articulo carens, qualem angelum indicet? 15. *b.* quis dicatur exterminator fuiſſe? 304. *a.* tanquam angelum Dei Galatæ Paulum recepiſſe dicuntur. 417. *b.* Moſi in rubo apparens, & legem in monte Sinai ferens, ſecunda divinitatis perſona filiuſque Dei, eſſe non potuit, & quare? II. 89. *a.* Angelus nomine Dei in terra loquens quomodo a Chriſto, nomine Dei loquente, differat? 215. *a. b.*

Angeli quomodo Chriſto miniſtraverint? I. 55. *a.* dicuntur Dii. 333. *a.* inter eos multi ſunt gradus imperii ac dignitatis. ibid. eorum principes dicuntur Archangeli. 334. *b.* per angelos lex ordinata dicitur. 409. *a.* quomodo novæ creaturæ facti ſint? 528. *b.* quomodo hominibus. reconciliati fuerint? 530. *a.* Angelorum religio quæ dicatur? 534. *a.* a quibus Johannes pacem & miſericordiam optet? II. 31. *b.* juſſi ſunt Chriſtum adorare. 78. *b.* 80. *a.* ſunt ſpiritus adminiſtratorii, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem accipient ſalutis. 86. *a. b.* 87. *b.* 88. *b.* cogitationes bonas hominibus poſſunt injicere. 86. *b* & quomodo? 87. *a.* certi, an ſingulis hominibus aſſignati ſint? ibid. an invocandi? ibid. aut an adorandi ſint? 87. *a. b.* certi, ſingulis eccaſus præfecti eſſe videntur, qui eas curant. 88. *a.* quomodo conditi a Chriſto dicantur? ibid. ſolent nomen & perſonam Dei ſuſtinere. 89. *a.* angelorum myriades quænam ſint ad quas Hebræi acceſſiſſe dicuntur? 212. *a. b.* quomodo in Euangelizata deſiderent aut deſiderarint introſpicere? 277. *a. b.* virtutis ſeu potentiæ, quid? I. 583. *b*

Angelis ſuis, præcipiet de te, quomodo intelligendum? I. 52. *a. b.* Angelis præſtantiorem effectum eſſe Chriſtum, quomodo probetur? II. 76. *b.* 77. *a. b.* &c. Angelos ſuos quomodo Deus dicatur facere ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis? 80. *b.* eis Chriſtus novos principatus, thronos, & poteſtates. 88. *a.* per angelos lex eſt lata, non per ipſum Deum, in montem Sinai deſcendentem. 88. *b.* eos an aliquando re ipſa dignitate victuri ſimus? 300. *a.*

Angelos malos Chriſtiani indicaturi dicuntur, & quomodo? I. 274. *b.* II 299. *a. b.* 300. *a. b.* 301. *a.*

Angelica lingua quid Paulo dicatur, explicatu difficile eſt. I. 355. *b.* 356. *a.*

Angularis lapis dicitur Chriſtus. I. 480. *b.*

Anguſtia quid? & quomodo ab afflictione differat? I. 90. *b.* 144. *a.*

Aniles fabulæ quæ dicantur. II. 23. *a.*

Anima, pro vita. I. 31. *a.* 509. *a.* pro homine. 90. *b.* 179. *b.* hominiſque anima. ibid. vivens pro animali vivente. 353. *a.* 357. *a.* quid in nobis ſit? II. 111. *b.* ſeparata a corpore, nil quicquam felicitatis æternæ ſentit aut percipit, & quare? 200. *a. b.* vide etiam mortui, & 275. *a.* quomodo inculpate ſervetur in adventu Chriſti? I. 579. *a. b.*

Animam alicujus quærere, quid? I. 31. *a.* acquirere, quomodo dicamur? II. 182. *b.* 183. *a.* ſuam quomodo Paulus Theſſalonicenſibus tradere voluiſſe dicatur? I. 557. *a.*

Animarum ſalus quæ & quomodo dicatur? II. 276. *b.* animas ſuas purificare, quid ſit? 280. *a.* idque in obedientia veritatis per ſpiritum? ibid. & 280. *b.* animæ eorum, qui fuerant ut ſecuri percuſſi propter teſtimonium Jeſu, quomodo revixiſſe dicantur, & cum Chriſto 1000 annos regnaſſe? 304. *a.* quomodo item dicatur, reliquos mortuorum non revixiſſe, donec finirentur mille anni? ibid.

Animalia. Quorum animalium ſanguis pro peccato infertur per pontificem in ſancta, horum corpora cremari dicuntur extra caſtra: & quo fine hæc dicantur? II. 223. *a. b.*

Animale corpus quid? I. 353. *a. b.*

Animalis Homo quis? I. 257. *b.* non capit quæ ſunt ſpiritus Dei. 258. *a.* ſunt enim ei ſtultitia neque poteſt cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur. ibid.

Animo tenere, vide, in corde habere.

Anna Phanuelis filia, prophetiſſa & vidua fuit. II. 28. *a.*

Anniverſarium ſacrificium. II. 168. *a.* vide ſacrificium, & 173. *b.*

Annuntiaturus dicitur Chriſtus nomen Dei fratribus ſuis. II. 96. *a.*

Annuntiatio, vide prædicatio.

Annos quomodo Galatæ obſervaverint? I. 416. *b.*

Ἀνοχὴ quid? I. 87. *b.*

Ἄνομος, ſeu exlex, dicitur Anti-Chriſtus, & quare? I. 590. *a.*

Antanaclaſis ubi? I. 105. *b.* 106. *b.* 189. *a.* 405. *b.* 416. *a.* 419. *b.*

Ante omnia, quomodo ſumatur ab Apoſtolo? II. 8. *a.*

Antecedens ſequitur caſum ſui relativi. I 306. *b.* pro relativo. II. 5. *b.* I. 565. *a.* 592. *a.* pro conſequente. II. 45. *a.*

Ἀνθρωποπάθεια quid? I. 87. *b.* 590. *a.*

Ἀνθρωποποιία, quid? I. 51. *a.*

Anti-Chriſtus, ejus ſpiritus jam tempore Apoſtolorum, in mundo extitiſſe dicitur. I. 587. *b.* ejus itidem præcurſores jam adfuiſſe dicuntur. ibid. dicitur homo peccati, & filius ille perditionis. ibid. non denotat unum aliquem ſingularemque hominem, ſed plures, ſibi in eodem regimine ſucceſſuros. ibid. adverſari dicitur, & efferri ſupra omnem, quæ dicitur Deus, aut numen, ita, ut in Templo Dei tanquam Deus ſedeat, oſtendens ſeipſum, quod ſit Deus. 588. *a. b.* quomodo ſeſe ſupra Deum altiſſimum in terris efferre jure dici queat? ibid. ejus tempus quomodo a Deo definitum dicitur? 589. *a.* ejus prodromi & præcurſores quinam fuerint? 589. *b.* ei Imperatores Ethnici obſtitiſſe dicuntur, quominus emergere potuerit. ibid. eum Dominus abolituruſ dicitur ſpiritus oris ſui, illuſtrique adventu ſuo. 590. *a.* duraturus itaque dicitur ad Chriſti adventum, & quomodo? ibid. ejus porro adventus fore dicitur ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacii, & in omni deceptione injuſtitiæ, in iis, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperint, ut ſalvi fierent. 590. *b.* 587. * *a. b.*

Anti-Chriſti multi jam eſſe cæperunt tempore Apoſtoli Johannis. I 587. *b.*

Anticipatio. I. 61. *b.*

Ἀντιλαμβάνεσθαι quid ſignificet? I. 140. *a.* II. 33. *b.* 98. *a.*

Ἀντίλυτρον pro λύτρον. II. 10. *a.* 162. *b.*

Antiochus Epiphanes. I. 37. *a.* Macchabæos eſt perſecutus. 141. *a.* II. 197. *a. b.* typus fuit Anti-Chriſti. I. 587. *b.* 588. *a.*

Ἀντιπλαγγεῖν, quid? II. 26. *b.*

Antiptoſis quid, & ubi? I. 47. *b.*

Antiqui, vide, Patres Judæorum.

Antiqui Patres inter Chriſtianos, quid de filio Dei ſenſerint? II. 218. *b.*

Antiſtites, vide præpoſiti.

Antitypa quid ſint? II. 162. *a.* & cur ſancta ita dicantur. ibid.

Antitypus, vide typus, & II. 162. *a.*

Antrum, vide caverna terræ.

Anuum regulæ, quænam? II. 46. *a. b.*

Ἀπαύγασμα quid? II. 2. *b.*

Ἀπιθεία quid? I. 90. *a.*

Apelles ſalutatur ab Apoſtolo. I. 246. *a.*

Aperire os, ſeu apertio oris, quid apud Hebræos denotet? I. 61. *b.* 62. *a.*

Ἀπλότης quid? I. 176. *a.*

# Index rerum & verborum Phrasiumque.


Ἀπὸ pro ἐκ. II. 119. *a.*

Apocalypsis Johannis an ad Historicos N. Testamenti libros pertineat? I. 1. *a.* est etiam propheticus liber. ibid. & hinc tertium librorum N. T. genus constituere potest. ibid.

Ἀποκαραδοκία quid? I. 138. *b.*

Apochis Pauli. I. 516. *a.*

Ἀπογραφή, quid? II. 213. *b.*

Apollo Judæus laudatur a Luca ob zelum. I. 177. *a.* dicitur minister Dei aut Christi, a Paulo. 259. *b.* 260. *a.* rigasseque. 260. *a.* ei de viatico prospici debebat. II. 53. *b.*

Apologia Pauli apud suos judices, quæ? I. 293. *b.*

Apologus, vide fabulæ.

Apopompæus hircus. II. 168. *a.*

Apostasia vide defectio. per spiritum prædicitur futura posterioribus temporibus, ita ut quidam de fide discisant, attendentes spiritibus deceptoribus, ac doctrinis dæmoniorum, &c. II 19 *b.* 20. *a. b.* &c. quid sit? 177. *b.* 178. *a.* 309. *a.* & an spem veniæ habeat? vide apostatæ, & 312. *a. b.* est vel plena ac voluntaria, vel nondum consummata. 312. *a. b.* ventura quæ sit? & numea Machomctes quoque respiciatur? I. 587. *b.* ejus caput est Anti-Christus. ibid. & 587. *b.*

Apostatæ quomodo ab hæreticis differant? I. 439. *a.* eorum conversionis impossibilitas qualis? scilicet, ad pœnitentiam. II. 123. *b.* 124. *a. b.* 179. *a.* dicuntur radix amaritudinis. 297. *a.* vide, prolabentes. annon nihilo ominus conversionis & gratia divinæ spem habere possint? 310. *b.* 311. *a. b.*

Apostolatus, seu munus Apostolorum quale? I. 67. *a.*

Apostolum eum cur se vocet Paulus? II. 1. *a.* apostolus & pontifex confessionis nostræ cur Christus dicatur? 100. *b.*

Apostoli an scripserint titulum N. Testamenti? I. 1. *a.* eorum officium & auctoritas infallibilis. 67. *a.* ur de fundamentum ecclesiæ post Christum dicuntur. ibid. & 430. *b.* an missi fuerint ad baptizandum aqua? 250. *a. b.* eorum sermo qualis fuerit? 257. *a.* quomodo Corinthiorum esse dicantur? 263. *b.* cur in Synodo Jerosolymitana scortationem cumquibusdam natura adiaphoris prohibuerint? 272. *a.* quomodo sessuri in thironis & duodecim tribus Israël judicaturi dicantur? 274. *a.* in conjugio vixisse, & uxores secum circumduxisse credantur. 294. *a.* quando post Christi resurrectionem in Galilæam ad Christum videndum compellandumque iverint? 315. *b.* eis omnibus quando visus sit Christus? 316. *a. b.* quinam dicantur? 316. *b.* falsi testes fuissent, nisi Christus resurrexisset. 329. *a. b.* 321. *a.* Hierosolymis in persecutione latitasse dicuntur. 386. *a.* eorum exemplum an in omnibus sequi liceat? 432. *a. b.* dicuntur sancti, a Paulo. 481. *a.* eorum munus quale fuerit? 484. *b.* in eis non semper eadem vis fuit spiritus domini. 504. *a.* signis & portentis, variisque Spiritus Sancti distributionibus prædicationem suam confirmarunt. II. 90 *b.* 91. *a.* eos qui spernit aut rejicit, non homines rejicit, sed Deum, dantem Spiritum S. in ipsis. I. 568. *a.*

A non apparentibus facta esse dicuntur visibilia. II. 183. *b.* 184. *a.*

Apparuisse angelis, quomodo Deus dicatur? II. 18. *b.* gratia Dei salutifera omnibus hominibus quomodo dicatur. 48. *a. b.* Conf. 51. *b.* quomodo Christus, in consummatione seculorum. 164. *a. b.* 165. *a.* secundo Christus appariturus dicitur sine peccato. 166. *a. b.*

Apparitio Christi resuscitati primum Petro inter viros contigisse dicitur. I. 314. *b.* hinc discipulis Emanutem euntibus. ibid. & cur de fœminis, Paulus taceat? ibid. tum illis duodecim aut undecim. ibid. & 315. *a.* hinc plusquam quingentis fratribus, & ubinam id factum sit.? 315. *a. b.* tum Jacobo. 316. *a.* postea Apostolus omnibus. ibid. & 361. *b.* eundem & Paulo, & quando? 316. *b.* gloriæ, quid? II. 49. *a.* Christi coram Deo in cælo, non est conditio remissionis peccatorum, vide, oblatio Christi. Christi coram Deo in cælo, quomodo sumatur? 162. *b.* & quomodo differat ab apparitione pontificis legalis? ibid. idem vero esse dicatur cum ejusdem Christi oblatione & interpellatione? ibid. & 163. *a.*

Apphia quæ fuerit? II. 55. *b.*

Apperitus quid denotet? I 435. *b.* 441. *a.* eum qui Christi sunt, crucifixisse dicuntur, & quomodo? 441. *a.*

Apprehendisse se metam quomodo neget Paulus? I. 531. *a. b.* contra, quomodo se a Christo apprehensum dicat? 511. *b.* 512. *a.* apprehendere vitam æternam jubetur Timotheus. II. 36. *a. b.* jubentur quoque divites. 39. *a. b.* apprehendisse quomodo Christus dicatur semen Abrahæ, & non Angelos. 68. *a.*

Appropinquatio nostri ad Deum, quæ, & qualis sit. II. 140. *b.*

In aqua baptizare, pro aqua baptizare. I. 42. *a.*

Aqua ex Petra percussa fluens, quomodo spiritualis potus dicatur? I. 500 *b.* aquam bibere Paulus Timotheo dissuadet. II. 32. *a.* testis Euangelicæ veritatis, quid denotet? 141. *b.* an, & quando sanguini admixta fuerit? 160. *b.* munda, qua corpus ablui jubetur, quid denotet? 167. *b.*

Aquila, Priscillæ maritus, una cum ipsa salutatur, & laudatur. I. 245. *b.*

Ara, vide altare.

In Arabiam quomodo Paulus Damasco abiisse & Damasco etiam, post multos ibidem exactos dies Hiliosolymum venisse dicatur? II. 386. *a. b.*

Arans sub spe arare debet. I. 295. *a.*

Arbitium quibus permittendum sit, deiis, quæ ad vitæ usum pertinent. I. 274. *b.*

Arca Noë, in salutem domus suæ ab ipso aptata dicitur. II. 186. *a. b.*

Arca fœderis, quæ, & ubi? II. 149. *b.* 150. *a.*

Arcanum, vide mysterium.

Ἀρχαὶ, quid significant? I. 477. *a.* II. 50. *a.*

Archangeli vox est sonus tubæ. I. 365. *b.* 571. *b.*

Archangeli dicuntur esse septem. I. 334. *b.*

Archipiscopus fuit Timotheus. II. 1.

Ἀρχιερεὺς alias unus, alias plures fuisse dicuntur, & quid tum denotetur? I. 25. *a.*

Archippus fuit Colossensium antistes. II. 55. *b.* diciturque commilito Pauli. ibid.

Architectum sapientem se vocat Paulus. I. 261. *a.*

Ardor seu zelus animi, quid sit? I. 177. *a.* mandatur & laudatur. ibid.

Arenæ maris numero multitudinique respondentem progeniem Deus Abrahamo promisit. II. 189. *b.*

Argentum. eo non redempti dicimur. II. 279. *a.*

Argilla, vide lutum.

Argumentum vide elenchus. a minori ad majus. I. 295. *b.* hypotheticum. 319. *a.* ad hominem quale? 340. *b.* ab autoritate propria petitum. 342. *a. b.*

Argumenta ex negato scripturæ testimonio aliquando etiam duci possunt II. 77. *b.*

Arguere quid sit? vide, elenchus. debemus opera tenebrarum, & quomodo? I. 487. *b.* II. 302. *b.* quomodo item Christianorum tantum esse dicatur? 302. *b.* 303. *a.* peccantes Presbyteri coram omnibus argui debent. 31. *a.* vide etiam, coram.

Arias Montanus citatur. I. 103. *a.* 482. *b.* II. 19. *a.*

Ariani refutantur. II. 84. *a.*

Arioli qui? I. 437. *b.*

Aristarchus dicitur adjutor Pauli. II. 59. *a.*

Aristobulus. Qui ex ejus familia credebant, salutantur ab Apostolo. I. 246. *a.*

Aristoteles argumentis utitur adhominem. I. 340. *b.* virtutes non recte definivit. 532. *b.* citatur. II. 316. *a.*

Arma lucis quid? I. 183. *b.*

Armatura spiritualis indui jubetur, vide panoplia.

Arrhabo felicitatis aut hæreditatis dicitur Spiritus & cur? I. 191. *b.* 276. *b.* 475.

Artemam mittere volebat Paulus. II. 53. *b.* & cur? ibid.

Articulus ἀναφορικὸς, quid? I. 19. *b.* 49. *b.* 361. *a.* ἀόριστος, I. 61. *b.* διαιρετικὸς. I. 61. *b.* 92. *a.* αἰτιολογικὸς. I. 78. *a.* 92. *a.* περιληπτικὸς, quid? I. 92. *a.* redundat. I. 119. *b.* 201. *b.* pro relativo qui. I. 147. *a.* præfixus, an individui certi nota sit? I. 587. *b.*

Arvum Dei dicuntur Corinthii. I. 260. *b.*

Ἀσάλευτον, quid? II. 217. *a.*

Ascendere in cælum, quid? I. 159. *a. b.*

Ascendere in altum, quid? I. 496. *a.*

Ἀσέλγεια continet luxuriam & lasciviam. I. 485. *b.*

Asia strictius accepta, pro Epheso. II. 270. *b.*

Asiana Judaorum dispersio quæ fuerit? II. 270. *b.*

Ἀσωτία quid? I 488. *a.*

Aspersio libri & populi quomodo facta dicatur? II. 160. *b.* item tabernaculi & vasorum? ibid. & 271. *b.* 272. *a.* sanguinis Christi, quid denotet? 271. *b.* 272 *a.*

Aspides quid denotent? I. 104. *b.*

Ἀσπονδοι qui? I. 85. *b.*

Assensum præstare Euangelio, non sufficit. II 9. *a.*

Assimilatus filio Dei, ubi dicatur Melchizedech, & quomodo? II. 133. *a.*

Assumere Angelos, pro, dici assumere. I. 117. *b.* Vide etiam susципere.

Ἄστοργοι qui? I 85. *b.*

Ex Astrorum cursu aut positu quid colligi possit? I 23. *a.* 24. *a.*

Astrologia quid ex astris aut cometis colligere soleat aut possit. I. 24. *a.*

Asyndeton, ubi? 567 *a.*

Ἄσυνθετοι qui? I. 85. *b.*

Athei fuisse dicuntur Ephesii ante Christum cognitum. I. 479. *b.*

# Index rerum & verborum Phraſiumque.


Athenæ. Athenis cur Paulus ſolus remanere voluerit? *I.* 562. *a.*
Ἀθῆπῶν quid? II. 178. *a.* 179 *b.*
Athleta, vide pugil.
Athletæ cur continentes ſint? *I.* 298. *b.*
Atrium tabernaculi, vide tabernaculum.
Attendere ſibi ipſi jubebatur Timotheus. II. 25. *a.*
Attingere prohibebantur Coloſſenſes à Pſeudodidaſcalis. I. 534. *b.*
Avaritia quid? I. 84. *b.* ne nominari quidem debet inter Chriſtianos. 487. *a.* dicitur radix omnium malorum. II. 35. *b.* quomodo appeti dicatur? ibid. & impuritas, conjungi ſoleat. 219 *b.* 220. *a* quid ſit? 220 *a.* cà mores noſtri vacare debent. ibid. eam quomodo Chriſtus prohibeat? 297. *b* 298. *a. b.* ejus prætextu Paulus ſe uſum eſſe negat. I. 556. *a.* teſtemque Deum advocat. ibid.
Avarus eſſe prohibetur Epiſcopus. II. 15. *a.* ejus indoles deſcribitur. 36. *a.*
Avari qui ſint? I. 272. *a. b.* cur idololatræ dicantur? 437. *b.* II. 38. *a.*
Auctiores fieri debent Chriſtiani in charitate, vide augmentum, & creſcere
Auctores librorum SS. vide, Scriptores ſacri.
Audire nemo poteſt, niſi ſit, qui prædicet. I. 161. *b.* audiviſſe omnes dicuntur. *ibid.* & 162. *a.*
Auditores ſuis doctoribus de omnibus bonis communicent. I. 445 *a b* 446. *a.*
Auditus pro fama. I 59. *b.* ex auditu fides eſſe dicitur. 161. *b.*
Avertere impietates à Jacob, quid? I. 16. *b.*
Augeſcere quomodo poſſint Chriſtiani in ſpiritualibus? I. 490. *b.* 491. *a.*
Augmentum cognitionis optatur Philippenſibus. I. 503. *a.* item Coloſſenſibus. 526. *b.* vide profectus.
Aula Cæſaris, vide prætorium.
Quæ auris non audivit, neque oculus vidit, Deus præparaſſe dicitur diligentibus ſe. I. 255. *b.*
Auris perfodiſti mihi, quid ſit? II. 169. *b.* multumque differt à verſione Græcâ: corpus aptaſti vel perfeciſti mihi. 170. *a.* vide etiam corpus.
Aurum quomodo dicatur ſuper fundamentum Pauli ſuperædificari? I. 261. *b.* per ignem probari dicitur. II. 275. *b.* eo non redempti dicimur. 279. *a.*
Quid non auſit Paulus dicere? I. 197. *b.* 198. *a.*
Non auſcultantes ſermoni Pauli per Epiſtolam, notari & vitari jubentur. I. 605. *a. b.*
Auſteritas, vide amarulentia.
Αὐθάδεια, vide, contentus ſua ſorte animus. docetur. II. 34. *b.* 35. *a b.* 220. *a.* 298. *a. b.*
*Autem* pro *igitur*. I 20. *b.* 136 *a.* pro *atque*. 136. *a.*
Autor quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos, citatur. I. 9. *a.* 12. *b.* alicujus libri vel ſcripti, ex quibus indiciis cognoſcatur, aut eſſe meritò negetur? II. 67. vide, Scriptor.
Αὐτὸς ἔφα, de Deo dicitur. II. 220 *a.*
Azarias Rex, vide Uſias.
Azymi eſſe debebant Corinthii I. 272. *a.* & cur? 271. *b.* Judæi quando fuerint azymi? ibid.
Azymorum feſtivitas cum non ſtatione agni paſchalis conjuncta erat. I. 272. *a.*


## B.


BAal quid ſignificet? I. 163. *b.* hoc nomine uxores viros ſuos appellabant. ibid.
Baali ſeu Dominus meus, Deus non amplius vult nominari, & cur? I. 163. *b.*
Babylon Aſianæ Judæorum diſperſionis caput fuiſſe dicitur, & ex ea Petrus Epiſtolam ſuam ſcripſit. II. 270. *b.*
Babylonica captivitas, vide, tranſmigratio.
Baculus, vide virga.
Balaam quam ſtellam oritum intellexerit? I. 23. *a. b.*
Baptiſmus ante Johannem à Deo nemini commiſſus fuerat. I. 34. *a.* fiebat immerſione, in flumine. 37. *b.* ſepulturæ Chriſti imaginem continet. 127. *a.* 533. *a.* pro initiatione & addictione in alicujus nomen, cujus rei baptiſmus aquæ ſignum quoddam erat. 250. *b.* pro mortuis. 341. *b.* aquæ per aquam mundam non intelligitur, ſed ſpiritualis baptiſmus. II. 176. *b.*
Baptiſmus Johannis erat pœnitentiæ baptiſmus. I. 40. *a.* 42. *b.* fiebatque in aqua tantum. 42. *a.* ejus forma quæ? 46. *a. b.* baptiſmi Johannis & Chriſtianorum differentia. II. 122. *b.* 123. *a.*
Baptiſmi varii apud Judæos ante Johannem fuerant & quales? I. 34. *a.* II. 122. *b.*
Baptiſta cur dicatur Johannes? I. 34. *a.*
Baptizare in Spiritu S. quid? I 43. *b.* in alicujus nomen baptizari, quid? 250. *a.* baptizare Apoſtolici muneris non fuiſſe dicitur. ibid. & 250. *b.* baptizari pro mortuis quid? 340. *a. b.* 341. *a. b.* 342. *a.*
Baptizati in Chriſtum in mortem ejus ſunt baptiſati. I. 127. *a.* Chriſtumque induiſſe dicuntur. 411. *b.* omnes Iſraëlitæ in Moſen Baptizati dicuntur in nube & in mari. 300. *a.* & quomodo? ibid.
Baraci fides celebratur. II. 196. *a. b.*
Barbari pro nationibus minus cultis I. 73. *b.*
Barnabas ſimulatione Petri ſimul abductus eſſe dicitur. I 392. *a.*
Bathſaba cur in genealogia Chriſti commemoretur. I. 4. *b.*
Beatus quis Matth. 5 vocatur? I. 62. *a.* non ſemper hæc vox de æterna felicitate ſumitur. 193 *b.* atque ita beatus dicitur, qui non judicat ſeipſum in eo, quod probat. ibid. dicitur Deus, & quare? II. 4 *a.* 37. *b.*
Beati dicuntur pauperes Spiritu, non tamen ita ut cæteris ad ſalutem conſequendam virtutibus opus non ſit? I. 63. *b.* & quorum peccata Deus remittit. 119 *a.*
Beatitudo quomodo Matth. 5 ſumatur? I 62. *a.* ſæpe uni tantum rei adſcribitur, & cur? 160. *b.* Vide beatus. pro beatitudinis prædicatione. 417. *b.*
Beatior eſt ſi ſic manſerit. I. 193. *b.*
Βεβαιῶσαι quid? I. 195. *b.*
Bellica fortitudo an inter virtutes cenſenda apud Chriſtianos? I. 532. *b.*
Bellica facinora minus ad Chriſtianos pertinere dicuntur. II. 197. *a.*
Bellum vide militia. Belli tempore leges ſilent, imo verius, pietas & honeſtas. II 8. *b.*
Bella paci colendæ opponuntur. I. 178. *b.* ea Chriſtus odiſſe, & maxime ab iiſdem abhorrere, dicitur. II. 132. *a.*
Bellar minus refutatur. I. 341. *b.*
*Benedicens benedicam*, quid ſit? II. 128. *b.*
Benedixiſſe panes & piſces quomodo Chriſtus legatur? I 306. *a.* benedicendæ in Abrahamo dicuntur omnes gentes, & quomodo? 403. *a.* benedicare quid? & quomodo de Deo ſumatur? qui dicitur nos benedixiſſe in omni benedictione ſpirituali in ſupercæleſtibus in Chriſto. 473. *b.* benedixit Melchiſedech Abrahamo, ceu melior minori: & an hoc perpetuum ſit, ut major ſemper minori benedicat? II. 134. *b.* 135. *a*
Benedictio cui tribuenda ſit? I. 147. *a.* Euangelii. quid? 159. *a.* ſpiritualis in cæleſtibus, quid? ibid ejus plenitudo, quid ſit? ibid. calicis quid ſit, & quomodo fiat. 306. *a.* conſiſtit in gratiarum actione. ibid.
Benedictus in ſecula quomodo dicatur Deus? I. 83. *a.* Conf. II. 272. *b.*
Benefaciendum omnibus, ſed maxime domeſticis fidei, cum tempus habemus. I. 406. *b.* in benefaciendo jubentur non ſegneſcere Theſſalonicenſes, & quare? 604. *b* 605. *a.*
Beneficentiæ obliviſci prohibemur. II 225. *b.*
Benefici eſſe jubemur erga omnes, &c. vide benefaciendum.
Beneplacitum quomodo ſumatur? I. 157. *b.* 474. *b.* bonitatis, quid? 584. *b.* 585. *a.*
Benjaminitica Tribus rejectione potiſſimum digna extitit. I. 163 *a.* cum tribu Juda conjungitur. II. 143. *a.*
Benignitas pro clementia, lenitate, & munificentia. I. 87. *b.* 536. *a.* II. 51. *b.*
Beſtia Romanum imperium denotat. Apoc. 13. 3. I. 54. *b.* montem tangens, lapidari jubetur. II. 209. *b.* 210. *a.*
Beſtiarius an fuerit Paulus Epheſi? I. 344. *a.*
Beth præfixum quomodo Græci efferant? I. 557. *a.*
Bethlehem quænam fuerit, ubi Chriſtus natus eſſe dicitur, & cur Bethlehemi naſci debuerit? I. 20. *b.* dicitur terra Judæ, & Ephrata, & quare 26. *a.* an parva eſſe affirmetur à Propheta, à Matthæo vero negetur? ibid. & 26. *b.* 27. *a.*
Bethſaba, vide Bathſaba.
Beza citatur. I. 3. *b.* 6. *b.* 7. *b.* 24. *a.* 29 *a.* 34. *b.* 430. *a.* 199. *b.* 285. *b.* 344. *a.* 409. *b.* 415. *b.* 431. *b.* 432. *a.* 478. *a.* 483. *a.* 502. *a.* 506. *b.* 551. *a. b.* 567. *a.* II. 8. *b.* 14. *a.* 20. *b.* 92. *b.* 102. *a.* 112. *a.* 151. *b.* 190. *a.*
corrigitur. I 40 *b.* 501. *a. b* II. 19. *a.* 20. *a.* I 556. *b.*
Bibere, vide edere. Bibere poculum Domini, vide poculum.
Biblia, vide Scriptura Sacra.
Biennium in infanticidio Herodis, unde inchoandum ſit? I. 29. *a.*
Bigamia in primitiva eccleſia uſitata fuiſſe dicitur. II. 13. *a. b.*
Bileam, vide Balaam.
Bilingues eſſe vetantur Diaconi. II. 16. *a.*
Blaſphemare, quomodo ſumatur, & unde dicatur? I. 102. *b.* blaſphemari bonum noſtrum non debet. 190. *b.* ut non blaſphemarent, caſtigati dicuntur Hymenæus & Alexander. II. 8 *a.* Blaſphamari nomen Dei & doctrina non debet. 32. *b.* 33. *a.* 46. *b.*

# Index rerum & verborum Phraſiumque.


Blaſphemia affectum quomodo ſe dicat Paulus? I. 267. *b.* quid ſit? 486. *b.* exlogomachiis naſci dicitur. II. 34. *a.*
Blaſphemum ſe fuiſſe Paulus fatetur. II. 5. *a.*
Bona vendere, vide, vendere.
Bonæ quomodo eſſe jubeantur juvenculæ? II. 46. *b.*
Bonitate quomodo Paulus plenos dicat Romanos? I. 197. *a.* bonitas inter fructus ſpiritus memeratur. 440. *a.* 487. *a. b.*
Bonum quomodo dicatur mulierem non attingere. I. 279. *a.* facientes defatigari prohibentur, & quare? 446. *a. b.* quomodo proditori Chriſti fuiſſe dicatur, ſi natus non fuiſſet? II. 199. *b.* ſectari jubemur, in nos mutuo & in omnes. I. 577. *b.*
*Bonus* pro utili. *I.* 486. *b.*
Booz, quando vixerit, & genitus ſit? *I.* 5. *a.* Rutham duxit. 9. *b.*
Bovi trituranti os non eſt obligandum. *I.* 294. *b. II.* 30. *b.*
Boves an curæ ſint Deo? I. 294. *b.*
Brabéum, vide præmium, & I. 298. *a* 512. *a.* Chriſto quoque propoſitum fuiſſe innuitur. II. 202. *a.*
Βραβεύει, quid? I. 534. *a.*
Breve quid, quid ſignificat? II. 92. *a. b.*


## C.


CAdavera Iſraelitarum, proſtrata eſſe dicuntur in deſerto. II. 107. *a.*
Cadere. cecidiſſe dicuntur membra Iſraëlitarum in deſerto. II. 107. *a.*
Cades deſertum II. 104. *a.*
Cædes, vide homicidium.
Cæleſtes tales dicuntur futuri, qualis eſt cæleſtis. I. 361. *a. b.* genua dicuntur flectere animo. 506. *b.*
Cæleſtia corpora quæ dicantur. I. 348. *a. b.* 354. *a.* cæleſtia pro locis ſuperioribus aëris 491. *a.* quomodo hoſtiis emundari dicantur? II. 161. *b.* 162. *a.*
Cælebs curat ea quæ ſunt Domini. I. 287. *a.*
Cælibatus an & quomodo à Paulo probetur? I. 179. *a. b.* &c. 286. *a.* ſanctitate derogat matrimonio. 287. *b.* (II. 219. *b.*) & quomodo ſuadeatur à Paulo? ibid. neceſſitatem ejus imponere exitioſum eſt. ibid. eum quinam urſerint. II. 20. *b.* 219. *b.*
Cælibibus quid ſuadeat Paulus? I. 281. *a. b.*
Cælum bis Chriſtus eſt ingreſſus. II. 79. *a.* & terram Deus ſe adhuc ſemel moturum eſſe ait. 216. *a. b.*
Cæli quomodo Chriſto baptizato aperti eſſe dicantur. I. 47. *a.* & quare? 48. *a.* omnia in cœlis & interris quomodo in Chriſto condita eſſe dicantur? 528. *a. b.* reconciliataque? 530. *a.* cælorum creatio, in principio à Deo ſuſcepta, quomodo ad Chriſtum accommodetur? II. 82. *a. b.* &c quomodo opera manuum Dei dicantur? 85. *a.* perituri ſunt, & non tantum immutandi. ibid. & 85. *b.* quinam dicantur à Chriſto penetrati? 113. *a.*
Cæparum cupiditas in Iſraëlitis quam noxia fuerit? I. 302. *a. b.*
Ex Cæſaris familia quidam amplexi fuiſſe videntur religionem Chriſtianam. I. 516. *b.* vide etiam prætorium.
Cain de frugibus terræ obtuliſſe, & agricola fuiſſe dicitur. II. 184. *b.*
Cajaphas an & quomodo prophetaverit? II. 70 *b.*
Cajus, hoſpes Pauli. I. 246. *b.*
Calamitas, vide afflictio.
Calcati quomodo pedes eſſe debeant in militia ſpirituali? vide pedes.
Caleb dicitur Deum non exacerbaſſe, ſed conſtans in fide fuiſſe. II. 106. *b.*
Caligo, ad quam Hebræi non acceſſiſſe dicuntur, quid? II. 209. *a.*
Calix benedictionis, qui benedicitur, quomodo communio ſanguinis Chriſti dicatur? I. 305. *b.* 306. *a b.* & quid inde colligat Apoſtolus? ibid.
Callimachus Poëta. II. 44. *b.*
Calvinus citatur. I 505. *b.*
Calumnia ſi non aſſenſum, certe ſuſpicionem in animis aliorum relinquere ſolet. II. 16. *a.*
Calumniator quare dicatur Diabolus? II. 15. *b.*
Calumnioſæ eſſe prohibentur uxores Diaconorum. II. 17. *a.* item anus. 46. *a.*
Canaan terra, vide, palæſtina, & Chanaan.
Candidè agendo odium conciliatur. Vide veritas.
Candor quid ſit? II. 3. *a.* vide ſinceritas.
Canere tuba, pro facere, ut quis ea canat. I. 365. *b.* 366. *a.* canendum in corde Domino. 537. *a.* vide, in corde.
Canes dicuntur falſi doctores. I. 509. *a.* & quare? ibid.
Cantiones Spirituales, quales ſint? I. 488. *a.* 536. *b.* 537. *a.* vide Pſalmi.
Capernaum urbs ubi ſita? I. 56. *a. b.*
Cappadociæ advenis diſperſionis ſcribit Petrus II. 270. *a. b.*
Captivam ducere captivitatem, quid? I. 484. *b.*
Captivitas pro captivis. I. 484. *b.*
Caput ſuper omnia Eccleſiæ, Chriſtus à Deo datus eſſe dicitur. I. 477. *a.* 529. *a.* 533. *a.* ita Vir uxoris ſuæ eſſe debet, prout Chriſtus Eccleſiæ eſt caput, & ſalvator corporis. 488. *a. b.* non tenere, qui dicatur? 534. *a.* libri, quid? II. 172. *a.* & an initium Geneſeos eo innuatur? ibid, pro extremo rei alicujus. 194. *a,*
*Carab*, quid ſignificet? I 170. *a.*
Carbones ignis quid? I. 170. *a. b.*
Carceres experti quinam dicantur? *II.* 197. *b.*
Carmina à Chriſtianis componebantur, & publice recitabantur. I. 536. *b.* 537. *a.* vide Pſalmi.
Carnales homines quinam ſint? I. 259. *a. b.* ritus, legis fuiſſe dicuntur. II. 151. *b.*
Carnale mandatum quid dicatur? II. 139. *a.*
*Caro* pro homine. I. 106. *b.* 417. *a.* caro peccati quid? 135. *b* non omnis eadem eſſe dicitur, ſed alia homiuum, alia jumentorum, &c. 348. *a.* caro & ſanguis quomodo dicatur, regnum Dei hæreditare non poſſe? 361. *a. b.* ſumiturque pro hominibus, carne & ſanguine conſtantibus, & opponitur eſſentiis ſeu ſubſtantiis incorruptibilibus 362. *b.* 385. *b.* 491. *a.* non vero ſumitur pro corruptibilitate. 363. *a. b.* 364. *a.* pro carnali religione. 400 *b.* 401. *a.* 427 *b.* 447. *a.* nunquam opponitur divinæ alicui naturæ in eodem ſubjecto, ſed ſemper ſpiritui. 424. *b.* 425. *a.* opponitur ſpiritui. 427 *b.* 428. *a.* concupiſcere dicitur adverſus ſpiritum. 435. *b.* & quomodo? ibid. domari enim poteſt, ne ſemper concupiſcat. ibid. pro appetitu. 435. *b.* 441. *a.* caro mea, quomodo Laban de Jacobo, nepote ſuo ex ſorore, dixerit? 489. *a.* pro homine mortali & fragili. II. 18. *b.* carni & ſanguini quomodo pueri communicaſſe, & Chriſtus ſimiliter eorundem particeps factus eſſe dicatur? 96. *b.* 97. *a.* velut herba eſſe dicitur. 281. *a.*
Carnis cogitatio mors eſſe dicitur. I. 136. *a.* filii, non ſunt filii Dei. 148. *a.* cura non facienda in cupiditates. 184. *a.* carne perfici quid? 400. *b.* 401. *a.* carnis duplex licentia aut petulantia. 433. *a. b.* cupiditas, quomodo non perficiatur? 435. *a. b.* opera, manifeſta eſſe dicuntur. 436. *a.* plura ſunt præter enumerata ab Apoſtolo, & quæ? 439. *a.* & hæc facientes quomodo regnum Dei non hæreditaturi dicantur. 439. *b.* vide etiam, fructus ſpiritus. Carnem crucifigere quid ſit? 441. *a.* ex carne Chriſti quomodo Chriſtiani eſſe dicantur? 488. *b.* 489. *a.* quomodo Eva ex carne Adami fuerit? ibid. in carne eſſe, idem eſt quod, ſecundum carnem eſſe. I. 136. *a. b.*
à Carnibus abſtinere, quando bonum ſit? I. 192. *b.* 292. *b.* & Apoſtolus volebat, ne fratrem ſcandalizaret. 292. *b.* 293. *a.* ab iis non abſtinent, qui piſcibus veſcuntur, & cur? 348. *a.* earum abſtinentiam quinam urſerint? II. 20. *b.*
Caſtæ eſſe jubentur juvenculæ. II. 46. *b.*
Caſtellio citatur. I. 102. *b.*
Caſtigat Deus, eum, quem diligit, omnem etiam filium, quem recipit. II. 203. *b.* & quomodo id intelligendum ſit? ibid. & 204. *a.* caſtigatus an Chriſtus dici poſſit? 204. *a.*
Caſtigatio liberorum, moderata eſſe debet. II. 14. *b* pro afflictionibus, & quare? 283. *a.* quomodo contemni vel abjici dicatur? ibid. ſi ſuſtineatur, tanquam filiis Deus ſe offerre dicitur. 204. *a. b.*
Caſtus eſſe jubetur Timotheus. II. 32. *a.* 51. *b.*
Caſtitatem ſervavit Paulus. I. 281. *a.*
Extra Caſtra cremari dicuntur animalium corpora & quorum? II. 223. *a. b.* extra caſtra ad Chriſtum exire jubemur, opprobrium ejus portantes, cum non habeamus hic manentem civitatem, ſed futuram inquiramus. 224. *a. b.*
Caſus Judæorum, quid ſignificet? I. 165. *a.* 167. *b.* 168. *a.*
Catachreſis, ubi? II. 116. *b.* 161. *b.* 162. *a.* 176. *b.* 184. *b.* 195 *a.* 197. *a.* 223. *a.*
Cataphryges quid docuerint? II. 20. *b.*
Catecheſis quid? I. 445. *a.*
κατήχουτος vox, quid ſignificet? *I.* 588. *b.* 589. *b.*
Catechumenus quis? I. 445. *a.*
Catechumeni certo anni tempore baptizabantur. I. 34. *b.* quinam dicantur? 445. *a.*
Cathari quid docuerint? II. 20. *b.*
Catholici, vide Pontificii.
Cavere Alexandrum, fabrum ærarium, Paulus Timotheo ſuadebat. II. 292. *b.*
In Cavernis terræ erraſſe dicuntur, quibus mundus non fuit dignus. II. 197. *b.*
Cauſa ſine qua non ſalutis dicitur eſſe obſervatio præceptorum Dei.

# Index rerum & verborum Phraſiumque.


Dei. I. 283. *b.* cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. II. 186. *a.* impulſiva mortis Chriſti, reſpectu Dei Patris, duplex eſſe dicitur. I. 611. *a.*

Cauterio notata conſcientia, quæ? II. 20. *a.*

In Celeuſmate Dominus e cælo deſcenſurus dicitur. I. 365. *b.* 511. *b.*

Cenchreæ, portus Corinthiorum. I. 199. *b.*

Cenchreenſis Eccleſiæ miniſtra fuit Phœbe. I. 199. *b.* 245. *b.*

Cenſura, vide diſciplina.

Cenſus Magiſtratui pendendus. I. 180. *b.* 181. *a.* primogenitorum in cælis, qualis? II. 213. *b.*

Centuplum accepturus quomodo dicatur, relinquens domum, &c. propter Chriſtum? II. 290. *a.*

Cephas, vide Petrus.

Ceremoniæ, vide ritus. Pietati officere ſolent. I. 392. *b.* 401. *a.* veritati adverſantur. 434. *a.*

Ceremonialis lex veritate adveniente evanuit. I. 434. *a.*

Certamen quantum Paulus ſuſtinerit pro Coloſſenſibus & iis, qui faciem ejus non viderunt. I. 531. *b.* vide etiam, certare. nobis propoſitum, currere jubemur per patientiam. II. 201. *b.*

Certamina in Græcia. I. 298. *b.*

Certantes ſe in omnibus continent, continereque debent. I. 298. *b.*

Certare vult Paulus Romanos ſecum apud Deum precibus, & quo fine? I. 199. *a. b.* certare etiam volebat Philippenſes per fidem Euangelii. 505. *a.* certare quoque vult Timotheum bonum certamen fidei. II. 36. *a.*

Certitudo, exactiorque cognitio quærenda cur ſit? I. 532. *a.* certitudinis etiam ſunt gradus. II. 327. *a. b.*

Certus ſeu confirmatus ſit quivis in ſua ſententia, quomodo intelligendum? I. 186. *b.* certus quomodo quis juſtificationis ſuæ apud Deum eſſe poſſit? 265. *b.* pro indubitatus. II. 12. *b.*

Chaldæi quinam dicantur? I. 21. *a.*

Chanaan, vide, Canaan.

Cum Chananæis mulieribus conjugium improbatum fuit. II. 20. *a.*

Chananæi veri Dei penitus ignari experteſque fuiſſe dicuntur. II. 207. *b.*

Chananæorum reliquias Salomon ſub imperium & tributum accepit. II. 196. *a.*

Character quid? & quare Chriſtus Dei character dicatur. II. 73. *a.*

Chariſmata, vide dona.

Charitas Dei quomodo dicatur effuſa in cordibus noſtris? I. 123. *a. b.*

Charitas ſine ſimulatione eſſe debet. I. 176. *b.* Vide etiam diligere. Charitas ſub Euangelio quid complectatur? 181. *a. b.* proximo malum non operatur. 182. *a.* ædificat. 289. *a. b.* non excludenda eſſe dicitur a comparanda Chriſtianis juſtificatione. 429. *a. b.* 430. *a.* ſpecificaque fidei differentia ſtatuitur. 429. *b.* & mater bonorum operum appellatur, prout fides charitatis. ibid. & 430. *a.* fructus Spiritus dicitur. 439. *b.* & quid ſit? 440. *a.* Chriſti, quæ ſit? & quomodo ſupereminens dicatur? 483. *a.* Chriſtiana, in omnes ſanctos tendere debet. 525. *b.* in ſpiritu, quæ? 526. *a.* corda compingit ac unit. 532. *a.* 536. *b.* laborioſa Theſſalonicenſium. 550. *b.* dicitur finis mandatorum divinorum. II. 2. *b.* quæ ſcilicet eſt ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ficta. 3. *a.* quomodo ex mutua inſpectione intendi poſſit in nobis & aliis? 177. *a.* erga fratres, vide, φιλαδελφία, & fraterna charitas, dicitur opertura multitudinem peccatorum, magnamque alias promiſſionem habet. 311. *b.* Theſſalonicenſium quanta fuerit? I. 582. *a.* Dei & Chriſti ſingularis, ex morte Chriſti eluceſcit. 621. *a. b.*

Charitatis expertes qui? I. 85. *b.*

Cherubim gloriæ, quid? & ubi fuerint? II. 150. *a.*

Chiliarchi quomodo Hebræis dicantur? I. 27. *a.*

Chirographum rituum, expunctum ſeu deletum dicitur. I. 533. *b.* crucique affixum. ibid. Pauli, Philemoni datum, quodnam? II. 58. *b.*

Chonias eſt Jechonias.

Choreæ ad comeſſationes pertinent. I. 183. *b.*

Χρηματισμός quid? I. 200. *a.*

Χρηστός quid? I. 85. *b.* 104. *a.* 168. *a.*

Chriſtus pro doctrina & religione Chriſti. I. 252. *a.* 254. *a.* 428. *b.* 449. *a.* 492. *b.* 532. *b.* (II. 221. *a.*) pro Chriſti figura & imagine 300. *b.* pro Moſe. 303. *b.* pro eccleſia Chriſto conjuncta. 407. *a. b.* proque populo Chriſtiano. II. 195. *a.* 277. *a.*

Chriſtus quomodo filius Davidis dicatur in Euangelica Hiſtorica? I. 3. *b.* cur nominatim Davidis & Abrahami filius a Matthæo appelletur? ibid. quid Gal. 3, 16. ſignificet? 4. *a.* & quomodo ibidem Abrahamo promiſſus dicatur? ibid. cur prius a Matthæo dictus ſit filius Davidis, quam Abrahami? ibid. an ideo dicatur Davidis filius quia Maria mater ejus genus ſuum ad Davidem retulerit? 10. *b.* 11. *a. b.* 12. *a.* vera ejus rei ratio adducitur, ſcilicet, quod Chriſtus genitus fuerit ex uxore Joſephi, qui genus ſuum a Davide duxit. 12. *a. b.* (Conf. II. 138. *b.*) & an id ſatis conſentaneum ſit nonnullis Scripturæ locis, de ortu Meſſiæ ex Davidis utero ſeu viſceribus, aut ventre, teſtantibus? 12. *b.* 13. *a.* Chriſtus quomodo dicatur ſeſſurus in ſolio Davidis? 13. *a.* Dei filius a primo ſtatim ortu extitit. 13. *b.* quomodo è ſemine Davidis natus vel factus dicatur? ibid. quam recte filius Joſephi dicatur? 14. *a.* (Conf. II. 138. *b.*) qua ratione ſervator dicatur ab Angelo, populumque ſuum ſervaturus? 16. *b.* dicitur pater futuri ſeculi. 19. *b.* an fratres germanos habuerit? 20. *a.* quomodo dicatur *Natus rex* Judæorum? 22. *a.* quomodo languores noſtros tulerit? 32. *a.* & quot modis corruptionem non viderit? ibid. re & nomine Nazaræus fore dicitur. ibid. Cur baptiſmum Johannis ſuſceperit? ceu qui in remiſſionem peccatorum dabatur, quo tamen Chriſtus, peccati omnis expers, non indigebat? 45. *b.* 46. *a.* exemplum reliquit omnibus, obtemperandi Legatis Dei 45. *b.* nam & eo tempore ſanctitati ejus baptiſmus minime obſtitit. 46. *a. b.* quid profeſſus ſit baptiſmum ſuſcipiens? 46. *b.* cur celeriter ex aqua aſcenderit? ibid & 47. *a.* quando & qua occaſione primos nactus ſit Diſcipulos? 47. *b.* videt cælos apertos, 47. *a.* & Spiritum Dei deſcendentem. 48. *a.* cur Dei filius dicatur? 49. *a* & dilectus ille? ibid. ſubducitur a ſpiritu in deſertum. 49. *b.* cur tentationi traditus ſit a Deo? 50. *a.* quomodo jejunaverit? ibid. & quamdiu? ibid. an per dies 40. fuerit tentatus? ibid. quomodo Diabolo reſpondeat? 51. *a.* 52. *b.* 54. *b.* cur poſt traditionem Johannis Baptiſtæ, in Galilæam ſeceſerit? 55. *a.* (56. *a.*) & an id ſtatim poſt tentationem ſuam factum ſit? ibid. & 55. *b.* quomodo dicatur reverſus in potentia ſpiritus? 55. *b.* cur reliquerit Nazaretham, & Capernaum habitare voluerit? 56. *a. b.* quomodo tum Davidis tum Dei filius dicatur? 68 *a.* quomodo factus ex ſemine Davidis. 68. *b.* filiuſque Joſephi ſit? ibid. Vide etiam ſupra 13. *b.* 14. *a.* verus homo eſt, etiamſi non ex virili ſemine genitus ſit. 68. *b.* & cur Chriſtum ita naſci decuerit? ibid. dicitur conſtitutus Dei filius. 69. *a.* adeoque non genitus eſt, ex Deo ante omnia ſecula. ibid. reſpectu Spiritus ſactificationis, eſt filius Dei, & quidem potentiſſimus. 69. *b.* idque per reſurrectionem ex mortuis. 70. *a.* quomodo ante reſurrectionem fuerit filius Dei & Dominus, Chriſtuſque? ibid. quomodo poſt eam? ibid. & 70. *b.* Euangelii fuit objectum. 71. *a.* eſt ſecunda & media cauſa. 71. *b.* 72. *a.* 291. *a* etiamſi creatura ſit, rectiſſime tamen cultu religioſo afficitur. 83. *a.* quomodo nobis ſpacem cum Deo procuraverit & procuret? 122. *b.* 125. *a.* reſuſcitatus non amplius moritur. 128. *a. b.* mulierem vetat aſpici ad concupiſcendum eam. 132. *a.* quomodo eximatur è creaturæ numero? 139. *a.* ſecundum carnem, aut ſecundum ſpiritum quomodo dicatur natus? 146. *b.* quomodo dicatur, ſuper omnia Deus benedictus? 147. *a.* eodem modo omnium Deus dicitur, quo a Petro omnium Dominus. ibid. quomodo dicatur lapis offendiculi? 157. *a.* legis eſt finis. 158. *a.* ſumitur pro religione Chriſtiana, a Chriſto præſcripta. ibid. vide ſupra. eſt Dominus omnium, & dives in omnes ipſum invocantes. 160 *b.* ante reſurrectionem ſuam non habuit dominium abſolutum in vivos & mortuos, quale nunc habet. 187. *b.* poſt reſurrectionem, vitam adhuc habuit, morti ſua natura obnoxiam. ibid. pro iis etiam mortuus eſt, qui perire poſſunt, pereuntque. 190. *b.* 292. *b.* ſuſcepiſſe nos dicitur in gloriam Dei. 195. *a.* & quomodo? 195. *b.* miniſter ſcilicet exiſtens circumciſionis pro Dei veritate, ut ſtabiliret promiſſiones patrum, & ut gentes pro miſericordia Deum glorificarent. ibid. & 196. *a.* crucifixus Judæis eſt ſcandalum, Græcis ſtultitia. 252. *a.* at vocatis ſive Judæis ſive Græcis, Dei potentia, Deique ſapientia. ibid. factus nobis eſſe dicitur ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, redemptio. 253. *a. b.* anherbis & arboribus det incrementum, ut Deus quidem dare dicitur? 260 *a.* quomodo Dei eſſe dicatur? 264. *a* non eſt ſummus ille Deus, & quare? ibid. & 291. *a.* quare agnus paſchalis dicatur? 271. *b.* pro nobis eſt immolatus. ibid. quomodo ſe panem de cælo deſcendentem appellet? 300 *a. b.* quomodo Petra fuiſſe dicatur? 300. *b.* 301. *a.* ſecundum quas ſcripturas mortuus ſit pro peccatis? 313. *a. b.* quomodo tertia die dicatur reſuſcitatus ſecundum ſcripturas? 314. *a.* neque etiam vel citius vel tardius reſuſcitatus ſit? ibid. quomodo pro peccatis noſtris ſit mortuus? 321. *b.* quomodo primitiæ reſurgentium dicatur. 323. *b.* 324. *a.* quomodo dicatur ab Angelo, Luc. 1, 33. regnaturus in æternum, & regni ejus finem non fore? 332. *a.* & ubi traditurus eſt regnum

gnum Deo & Patri, Deus eſſe plane deſinet? 332. b. 333. a. hierarchiæ cæleſtis princeps futurus eſt. 333. a. b. aboliturus dicitur omnem principatum, poteſtatem, & virtutem. 353. b. 334. a. b. 335. a. & quomodo? 335. b. poſt reſurrectionem nondum glorioſo corpore fuit indutus. 352. b. 358. a. cur Adamus ultimus dicatur? 357. b. & quando Adamus factus ſit? ibid. idque in ſpiritum vivificantem? 358. a. quomodo Dominus, ex cælo dicatur. 360. a. b. quomodo homini opponatur? 378. a. b. 383. b. quomodo factus ſub lege dicatur, & quare? 413. b. 414. a. quomodo iis, qui circumciduntur, nihil prodeſſe dicatur? 426. a. b. opponitur Moſi ſed legi. 428. b. caput ſuper omnia eccleſiæ datus a Deo dicitur. 477. a. 533. a. omniaque in omnibus implere. ibid. dicitur pax noſtra, & feciſſe utraque unum, intergerinum parietem ſolvens, inimicitias in corpore ſuo, legem mandatorum in decretis abolens; item, reconciliaſſe utroſque Deo in uno corpore per crucem, veniensque pacem annuntiaſſe. 479. b. 480. a. quomodo dicatur habitare in cordibus noſtris per fidem in charitate? 482. b. 483. a. quocunque modo prædicaretur, de eo gaudebat Paulus. 504. a. omnia ſibi ſubjicere poſſe dicitur. 513. a. quare angelis ſubinde opponatur in epiſtolis Apoſtolicis? 527. b. quomodo primogenitus omnis creaturæ dicatur? 527. b. 528. a. an in creatione nova aliquid egerit. 528. a. b. quomodo ante omnes vel omnia fuiſſe dicatur. 529. a. dicitur vita noſtra. 535. b. & omnia in omnibus. 536. a. teſtatus dicitur coram Pontio Pilato pulchram confeſſionem. II. 37. a. bis fuit introductus in cæleſtem orbem. 9. a. ita dicitur Deus, ut & ipſe Deum habeat. 82. a. Moſe longe eſt præſtantior. 101. a. b. 320. a. b. 321. a. b. in cælis manens, quomodo peccata noſtra expiet? 112. a. non ſemet ipſum clarificavit, ut pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. 116. b. 117. a. Deus ſummus non eſt. 117. a. obtuliſſe dicitur preces & ſupplicationes ei, qui poterat ipſum ſervare ex morte. 118. a. at panem & vinum nunquam Deo obtuliſſe legitur. 131. b. annon ratione materni generis ad tribum Levi referatur? 138. b. non ſecundum legem mandati carnalus factus eſt ſacerdos, ſed ſecundum vim vitæ inſolubilis. 139. a. b. tanto præſtantius miniſterium ſortitus eſſe dicitur, quanto & melioris teſtamenti ſeu fœderis mediator eſt, quod in melioribus promiſſionibus ſanctum ſit. 145. b. 246. a. quomodo ex eo, quod Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, qui jam dudum mortui erant, Deum ſe vocat, reſurrectionem mortuorum probet? 191. b. 192. a. invocatur a Paulo. I. 564. b. 565. a. quomodo nos corroboret? 565. b de cælo deſcenſurus dicitur, in hortationis clamore, in voce Archangeli, & in tuba Dei. 571. a. b. cur interdixerit, id de ſe dici, quod Chriſtus eſſet? II. 323. b. 324. a. b. ratione mortis ſuæ, in S. literis conſiderari revera dicitur, ut Deo ſubordinatus, non vero, ut is, qui noſtro veluti nomine quippiam Deo præſtat ſine quo is nolit quippiam nobis concedere. I. 612. a. b. quomodo mortuus dicatur, ut nos certam ſpem ſive remiſſionis peccatorum, ſua vitæ æternæ conciperemus 613. a. b.

Chriſti genealogia in primis propter Judæos ſcripta eſt ab Euangeliſtis. I. 2. b. generatio qualis fuerit? 14. a. conceptio quomodo a Matthæo deſcribatur? ibid. de illa quomodo res & effecta fidem tum Joſephi tum Mariæ ſermonibus conciliare potuerint? 15. b. frutres, fuerunt ejus conſobrini. 20. a. viram imitari ſatius eſt, quam Johannis Baptiſtæ, illius tantum prodromi. 33. b. 34. a. concio Matth. 5. an eadem ſit cum illa quæ Luc. 6. habetur? 60. a. Vide. Concio. ejus dicuntur eſſe Corinthii. 264. a. in Chriſto quomodo omnes vivificandi dicantur? 327. a. b. ejus qui ſunt reſurgent in adventu ejus. 328. a. 329. b. & quinam Chriſti eſſe dicantur? 329. a. b. invocatio, & cura rerum ad eccleſiam pertinentium, quomodo probetur? 379. a. b. 564. b. ejus qui ſunt, Abrahami ſemen, & ſecundum promiſſionem hæredes eſſe dicuntur. 412. a. in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valere dicitur, neque præputium, ſed fides per charitatem efficax. 428. b. 429. a. 449. a. Chriſti qui ſunt, quomodo carnem crucifixiſſe dicantur, cum omnibus affectibus & cupiditatibus? 440. b. 441. a. b. ſublimitas & exaltatio quanta? 477. a. paſſionibus, quomodo adhuc aliquid defuerit implendum a Paulo? 440. b. 531. a. in Chriſto habere dicimur aditum. 480. a. item, libertatem & acceſſum per fidem. 482. b. in Chriſto quomodo omnia eſſe dicantur? 529. a. Chriſti & Dei diſcrimen. II. 71. a. b. oblatio, quid? vide oblatio. participes effecti eſſe dicimur ſiquidem initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus. 106. b. munus ſacerdotale ſeu pontificium non tam re, quam ratione tantum quadam, a regio ejus munere diſtinguitur. 112. a. b. probrum, quid? & quomodo majores divitias illud Moſes æſtimaverit Ægyptiorum theſauris? 194. b. 195. a. caro, carnali ratione comeſta, nihil prodeſſe quomodo dicatur? 222. b. poteſtas abſoluta, quam nunc habet, quouſque extenditur, & quatenus rurſum legibus ſit adſtricta? 317. a. b. 318. a. b. 319. a. b. de Chriſti erga nos amore atque affectu ſingulari, nobis aliquo modo certius conſtare debuiſſe dicitur, quam de ipſius Dei. I. 613. b. mors, quomodo novum fœdus confirmaſſe dicatur? 614. a. b.

Chriſtiani vide fideles. cur dilecti Dei, & vocati ſancti dicantur? I. 71. a. b. eorum a Judæis in cultu differentia. 71. b. quo pacto per Chriſtum ſalventur? 125. a. ad ſimilitudinem Chriſti peccato mori, deoque vivere debent. 128. b. quomodo revelationem filiorum Dei expectare dicantur? 138. b. 139. a. ex gentibus & Judæis, quod a Deo in gratiam recepti eſſent, unde conſtare cuivis potuerit? 185. b. opponuntur iis, qui carnalibus qualitatibus ornati ſunt. 253. a. quomodo mundum judicaturi dicantur? 274. a. item angelos? 274. b. ſui juris non ſunt, cum pretio ſint empti. 278. b. omnibus hominibus miſeriores forent, ſi Chriſtus non reſurrexiſſet. 322. a. b. cur non omnes ſtatim poſt mortem reſuſcitentur? 328. a. b. 529. a. Chriſtianorum omnium mater quæ dicatur? I. 423. a. b. ancillæ filii non ſunt ſed liberæ. 425. a. b. omnes cruci a Deo ſubjecti ſunt. 431. b. 432. a. quomodo augmentum in ſpiritualibus acquirere poſſint? 490. b. 491. a. ad omne opus bonum parati eſſe jubentur. II. 50. b. eorum dignitas quanta? 189. b. 213. a. eorum civitas, & officium, quale? 224. b. falſi, eſſe dicuntur, qui non tam veritatis amore compulſi, quam eccleſiæ Imperatoribus ac viris magnis conſpicuæ felicitate tracti, ſeſe tandem in eam contulere. I. 588. *a.

Chriſtiani ex Judæis, qui Hieroſolymis & alibi degebant, non omnes Paulo favebant, & plerique Zelotæ legis erant. I. 199. b. 381. b. quorum infirmitati Paulus cum reliquis Apoſtolis indulſiſſe, eoſque minime damnaſſe dicitur ibid. in Synodo Hieroſolymitana non omnes intellexerunt ſe quoque ceremoniis legalibus non amplius obſtringi. 391. b. 392. a.

Chriſtiana Religio nititur reſurrectione Chriſti, tanquam fundamento. Vide, reſurrectio Chriſti, & I. 320. a.

Chriſtianiſmi teſſera quæ? I. 326. b.

Cibus nos non commendat Deo, quomodo intelligendum? I. 291. b. 292. a. cibum eundem ſpiritualem omnes Iſraëlitæ comediſſe dicuntur. 300. a. b. *& quid hic cibus præfiguraverit? ibid. nullus rejiciendus, qui percipitur cum gratiarum actione, & ſanctificari dicitur per verbum Dei, & per orationem. II. 22. b.

Cibo fratrem perdere prohibemur. I. 190. a. 292. a. b.

Cibi in uſum fidelium ac piorum conditi dicuntur. II. 22. a. I. 192. b. olim tamen non æque omnes permiſſi fuere, ſed ſucceſſive. ibid. poſſunt hodieque impuri evadere, & quomodo? ibid. abſtinentiam a cibis, quinam uſurpent. II. 20. b. eos Deus creaſſe dicitur ad acceptionem cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoſcunt veritatem. 22. a. b. in cibis & potibus aliiſque externis, conſtitiſſe dicitur cultus legalis. 151. b.

Cinædus, vide, molles.

Cincinni mulierum. II. 11. a.

Cinis vitulæ aſperſus ſanctificare dicitur ad carnis puritatem. II. 154. a. & quomodo? ibid.

Cingulum militare Chriſtianorum, veritas eſſe dicitur. I 491. b.

Circuitu dierum ſeptem, muri Jericho corruiſſe dicuntur. II. 196. a.

Circumciſio quatenus Judæis profit? I. 95. a. b. pro omnibus ceremoniis. 95. b. 431. a. b. in manifeſto quæ? 96. b. circumciſio cordis in ſpiritu, quæ? 97. a. circumciſio pro circumciſis. 115. b. 195. b. nihil eſſe dicitur. 284. b. 428. b. circumciſionem urgentes Judæi, cur præ gentibus veniam mereantur? 426. b. Eſt Judaiſmi teſſera, qua quis legi obſtringitur. 426. b. opponitur ſpiritui. 428. a. in Chriſto non valere dicitur. 428. b. 449. a. eum ſi prædicaſſet Paulus, perſecutionem non eſſet paſſus, & quare? 431. a. b. circumciſionem enim & pſeudodidaſcali Galatarum ipſis obtrudebant, ne perſecutionem paterentur. 447. a. b. quæ vera, aut Chriſtianorum ſit? 509. a. 533. a.

Circumciſio cordis. I. 533. a.

Si Circumcidamini Chriſtus vobis nil proderit, quomodo & de quibus, intelligendum ſit? I. 426 a. b. 427. a. b. quicunque circumciditor, debitur eſſe dicitur, totam legem facere. 426. b. & quare? ibid. quæ ſententia tamen iterum emollitur. 427. a.

Circumciſus ne attrahat præputium I. 284. b.

Circumveniri frater non debet in contractibus. I. 567. a. b.

Cito a ſententia ipſis propoſita moveri, quomodo prohibeantur Theſſalonicenſes? I. 586. a.

# Index rerum & verborum Phraſiumque.


Cives cælestes ſunt Chriſtiani. II. 213. *b.*
Civitatem quomodo Deus Patriarchis paraſſe dicatur? II. 191. *b.* 192. *a.* ad civitatem Dei viventis Hebræi acceſſiſſe dicuntur, & quę illa ſit? 211 *b.* 212, *a.* civitatem manentem hic non habere, ſed futuram inquirere dicimur, & quomodo? 224. *b.*
Clamantis voce in deſerto quis intelligatur? I. 36. *a.*
Clamare Abba, quomodo ſpiritus dicatur? I. 414. *a. b.* 138. *a.* clamare quomodo ſanguis Abelis, & animæ eorum, qui mactati fuerunt dicantur? II. 184 *b.* 185. *a.*
Clamor, vide vociferatio.
Claudicans in pietate quis dicatur? II. 206. *b.*
Clemens Romanus, quis? I. 514. *a.*
Clinicorum baptiſmum accepit fere conſtantinus M. I. 341. *b.*
Clypeus vide, ſcutum.
Coactum beneficium Paulus non vult a Philemone. II. 57. *b.*
Cœna Domini, vide, euchariſticus ritus.
Cœtus, vide congregatio.
Cogere quinam dicantur? I. 393. *a.* 447. *a.* animum hominis vi externa, ſtultum eſt. 433. *a.*
Cogitationes hominum vanas eſſe novit Deus. I. 263. *b.*
Cognatus alterius quomodo quis dicatur? I. 11. *a.*
Cognitio Dei talis eſſe debebat, ut dubitationi, adeoque fidei etiam, eſſet locus. I. 79. *a.* ſumitur pro occaſione Deum cognoſcendi. 78. *b* 81. *a.* cognitio pro dono prophetiæ. 248. *b.* pro notitia rerum divinarum. 503. &c. vide notitia & 526. *b.* practica, quæ? ibid. certa eſſe debet. 532. *a.*
Cognitus a Deo, pro approbatus. I. 289. *b.* pro amatus & electus. 416. *a.*
Cognobile Dei manifeſtum eſt in hominibus. I. 78. *b.*
Cognoſcere aliquam, quid denotet? I. 15. *b.* cognoſcere peccatum, quid? 132. *a.* *cognoſcere* ſeu intelligere pro approbare. 258. *a.* Deum dicitur & ratione perſonæ & ratione voluntatis. 415. *b.* 416. *a.* & quomodo *cognoſcendi* verbum uſurpetur? 416. *a.* 510. *b.* II. 45. *a.* 271. *a.*
Cohæredes, vide conſortes. Chriſti, qui? I. 138. *a.*
Cohen quid Hebræis? I. 124. *b.* II. 131. *a.* ita dicitur Melchiſedech, & Chriſtus. ibid.
Collecta aliquoties fuit eleemoſyna a Paulo. Vide eleemoſyna.
Colligare voluit Deus omnia quæ in cælis & quæ in terra, in Chriſto. I. 475. *a.*
Colloquia mala bonos mores corrumpere, ex Menandro ait Paulus. I. 345. *a.*
Coloſſenſes legem magni faciebant, quod per angelos olim data eſſet. I. 527. *b.*
Columna veritatis quomodo dicatur eccleſia? II. 17. *b.*
Columnæ quinam dicantur? I. 389. *b.* 391. *a.*
Combuſtio terræ reprobæ & maledictioni vicinæ, finis eſſe dicitur. II. 125 *b.* 126 *a.*
Comedere ſe mutuo, quid? I. 434. *b.*
Comeſſationes quid? I. 183. *b.* inter opera carnis numerantur. 439 *a.*
Comitas inter fructus ſpiritus numeratur. I. 440. *a.*
Commendabat Paulus Timotheum Philippenſibus. I. 508. *a. b.*
Commiſceri cum ſcortatoribus mundi hujus, avaris item, raptoribus idololatris, &c. quomodo prohibeat Paulus? I. 272. *a. b.* 273. *a.* 593. *b.*
Commune pro immundo. I. 189, *b.* nihil eſt tale per ſe ipſum. ibid. & 190. *a.* II. 154. *a.*
Communicantes eſſe debemus uſibus ſeu indigentiis ſanctorum. I. 177. *a.* ad communicandum divites proni eſſe jubentur, & quomodo? II. 38. *b.*
Communicare debet, qui docetur ſermonem, in omnibus bonis, & quomodo? I. 445. *a.* peccatis alienis, quid? II. 31. *b.*
Communicatio figura. I. 103. *a.* Vide, κοίνωσις. 381. *a.* II. 51. *b.* 121. *a.*
Communio omnium rerum ſequitur ex omnimoda æqualitate amoris erga proximum. I. 181. *b.* filii Dei, quid? 249. *b.* ſanguinis & corporis Chriſti, dicitur calix benedictus & panis fractus, & quomodo? 306. *b.* 307. *a.* non tamen conſiſtit in propria ſanguinis & corporis Chriſti ſumptione. 306. *b.* myſterii, abſconditi a ſeculis in Deo, quæ? 481. *b.* 482. *a.* ſuper communione Philippenſium in euangelio, Paulus gratias agit. 501. *b.* ad eorum quæ ipſis ſuppetunt divites egenos admittere jubentur. II. 38. *b* fidei, quomodo ſumatur. 56 *b.* communionis obliviſci prohibemur. 225. *b.* cum talibus hoſtiis Deus delectetur. ibid.
Compellere, vide cogere.
Comparatio, vide ſimilitudo, multas parit catachreſes. II. 161. *b.* 176. *b* 195. *a.* 223. *a.*
Compati debemus Chriſto, ut & conglorificemur. I. 138. *b.* Chriſtus dicitur poſſe infirmitatibus noſtris, & quomodo? II. 113. *b.* vide ſympathia.
In quo complacui, quid ſignificet? I. 49. *b.* complacuit in ipſo, ut tota plenitudo in eo habitaret, quomodo intelligitur? 529. *b.* 530. *a.*
Concaptivi Pauli quinam dicantur? I. 199. *b.*
Conceptionis Chriſti modus. I. 14. *a.*
Concio Chriſti Matth. 5. an diverſa ab illa ſit quæ Luc. 6. habetur? & cur multum referat id ſcire? I. 60. *a. b.* 61. *a. b.*
Concionatori quæ explicatio magis videatur convenire, quam intentioni Apoſtolicæ? I. 576. *a.*
Conciſio vocatur circumciſio carnalis. I. 509. *a.*
Concives ſanctorum, qui? I. 480. *b.*
Concludit etiam Paulus ſeu concluſionem format. I. 114. *b.* quomodo Deus omnes in contumaciam, ſcriptura vero omnia ſub peccatum concluſiſſe dicatur? I. 171. *b.* 410 *a. b.*
Concordia juberur. I. 512. *a. b.*
Concubinæ prohibentur. I. 280. *a.*
Conculcare filium Dei, quid ſit? II. 179. *b.* 180. *a.*
Concupiſcentia in lege prohibetur. I. 132. *a.* vide, cupiditas.
Quæ concupiverint Iſraëlitæ, ita ut proſtrati propterea fuerint? I. 302. *a. b.*
Concutienda, vide, mobilia.
Condita omnia a Deo per Chriſtum, vide creare
Conditi dicimur in Chriſto Jeſu ad bona opera. I. 479. *a. b.* 480. *a.* conf. 536. *a.*
Conditio hominibus ſalvandis a Deo poſita eſt fides. I. 111. *a.* 253. *b.* item mors & ſanguinis Chriſti, vide ſanguis Chriſti, & mors, item, vis propria. quorum hominum conditio poſterior priore deterior eſſe dicatur, & quomodo? II. 212. *b.* 213. *a.*
Condonare alii aliis debemus. I. 536. *b.*
Confeſſio Chriſti fit in ſalutem. I. 160. *a.* canfeſſus dicitur Timotheus pulchram confeſſionem coram multis teſtibus. II. 36. *b.* & Chriſtus coram Pontio Pilato. 37. *a.* pro religione, quam profitemur. 100. *b.* quæ & ſpei dicitur. II. 176. *b.*
Confeſſio peccatorum qualis a Chriſtianis exigatur. I. 38. *a. b.* peccatum.
Confidebat in Galatas Paulus, & quomodo? I. 430. *b.* confidere in carne, quid? 509. *b.*
Configurari ſeculo prohibemur. I. 173. *b.* 174. *a.* prioribus in ignorantia cupiditatibus, quomodo Judæo Chriſtiani prohibeantur? II. 278. *a.*
Confiteri Dominum Jeſum, quid? I. 160. *a.* Deo, quid? 188. *b.* 196. *a.* II. 225. *a. b.*
Conformia reddenda dicuntur corpora noſtra glorioſo Chriſti corpori. I. 513. *a.*
Confunduntur ſæpe aliqua a ſcriptoribus ſacris & profanis. Vide ſcriptores.
Congregatio noſtra non deſerenda dicitur, ſicut conſuetudinis ſit quibuſdam, ſed admonere nos jubemur. II. 177. *a.* noſtra ad Chriſtum quæ? I. 586. *a.*
Conjugum congreſſus, conjugium cælibatu inferius reddit. I. 279. *b.* conjuges conjugii uſum ſibi ne denegent. 280. *a.* ſeſe ſeparare non debent. 286. *b.* afflictionem in carne habituri dicuntur. 286. *a.*
Conjux Pauli. I. 281. *a.* 513. *b.* fidelis, an ſe ſeparare debeat ab infideli? 282. *a. b* 283. *a. b.*
Conjugium quomodo probetur? I. 279. *b.* dicitur remedium ſcortationum. ibid. ejus finis, nimirum ſobolis propagatio, cur ab Apoſtolo non commemoretur? ibid. neque ob ſcortationes vitandas omnino neceſſarium redditur. 279. *b.* 280. *a.* neque illicitum eſt Chriſtianis, etiamſi ſcortationis periculum abſit. 280. *a.* cum infideli eſt aliqua ratione impurum & illicitum. 282. *a. b.* an extra caſum adulterii ſolvi poſſit? 283. *a. b.* & an de eodem matrimonio Chriſtus loquatur, de quo Paulus agat? ibid. quinam prohibuerint? II. 20. *b.* Eſavi, cum Cananæis mulieribus, improbatum fuit. 207. *a. b.* honorabile dicitur. 219. *a.* caſto tamen cælibatui æquari non debet. 219. *b.*
Connexiones monſtrantur in trajectionis exemplis, quæ vide.
Conſcientia quid ſit, & quomodo teſtetur? I. 92. *b.* contra conſcientiam propriam faciens, contra voluntatem Dei peccare dicitur. 193. *b.* 292. *a.* & ſecundum eam agens, eatenus non peccare putatur, etiamſi ſimul contra legem peccat. 193. *b.* 194. *a.* idoli, quid? 291. *b.* infirma, quomodo polluatur idolothyta edendo? ibid. propter conſcientiam alterius nihil inquirere debemus. quicquid id ſit, quod in macello vendatur. 309. *a.* conf. 190 *b.* nos confirmare dicitur. 491. *b.* bona, quæ dicatur? II. 3. *a.* bona expulſa nonnulli naufragium fidei feciſſe dicuntur. 7. *b.* pura Diaconorum quomodo animadverti poſſit? II. 16. *b.* cauterio notata,

quæ dicatur? 20. *a.* polluta, quæ? 45. *a.* conſcientiæ graves labes ſacrificia ſub lege expiare & eluere non potuere. 151. *b.* conſcientia a mortuis peccatis quomodo purgetur? 156. *b.* conſcientiam peccatorum habere, quid ſit? 168. *a.* mala, quid ſit? & quomodo cor ab ea emundetur? 176. *a. b.* bonam conſcientiam quomodo autor ad Hebræos ſe habere confidere dicat? 226. *a. b.*

Conſcium ſe nullius eſſe dicit Paulus, nec tamen in eo juſtificatum, & quare? I. 265. *a. b.*

Conſenſus mutuus conjugum ad abſtinentiam ab uſu matrimonii, (ut vacent jejunio & precationi) ad tempus cum alias non tantum liberum, ſed etiam valde honeſtum & utile ſit, mutuam ſibi caſtitatem indicere. I. 280. *a. b.*

Conſepulti dicimur Chriſto, vide baptiſmus. I. 533. *a.*

*Conſequens* pro antecedente. I. 72. *a.* 119. *b.* 502. *b.* 533. *a.* (II. 45. *b.*) ſine antecedente poſitum. 365. *b.*

Conſilium pauli, conjugi fideli datum, quale? I. 282. *a. b.* an Chriſtianos conſtringat? 282. *b.* an tantum fuerit, juveni de perfectione datum? II. 296. *b.* 297. *a.*

Conſiliarius Deo nemo fuit. I. 172. *b.*

Conſolari alii alios jubemur ſpe vitæ æternæ. I. 572. *a.* 576. *a.* conf. 576. *b.*

Conſolatio Pauli qualis fuerit apud Theſſalonicenſes? I. 558. *a.*

Conſortium malum, vide, colloquia, & ſubducere.

Conſortes Chriſti quomodo maneamus? II. 106. *b.* afflictorum Hebræi facti fuiſſe dicuntur. 181. *a. b.* & quomodo? ibid.

Conſtantia in bono opere ſuadetur. II. 103. *a.* 106. *b.* 127. *b.*

Conſtantinus M. Imp. clinicorum fere baptiſmum accepit. I. 341. *b.* ejus temporis Chriſtiani notantur. 588. * *a.*

Conſtituti dicimur ad afflictiones. Vide afflictiones, non conſtituti dicimur ad iram, ſed ad acquiſitionem ſalutis per Chriſtum, qui mortuus ſit pro nobis, ut ſive vigilemus ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus. I. 575. *a. b.*

Conſumi ab invicem, quid? I. 435. *a.*

Conſummatio, quid? II. 95. *b.* in ſeculorum conſummatione Chriſtus apparuiſſe dicitur, & cur? 164. *a. b.* Chriſtus quomodo una oblatione ſanctificatos in perpetuum conſummaſſe dicatur?

Conſummatus Chriſtus, factus eſſe dicitur omnibus ſibi obtemperantibus cauſa ſalutis æternæ. II. 119. *a.* 174. *b.* conſummari pios V. T. ſine nobis Deus noluit. 200. *a.* & quomodo? ibid. & 200. *b.*

Conſummati quomodo dicantur juſti mortui? 214. *a.*

Conſummator fidei, Jeſus eſſe dicitur, & quare? II. 202. *a.*

Contactus impuri ad laſcivias ſpectant, & prohibentur. I. 183. *b.*

Contaminatus, vide pullutus.

Contemnere, vide ſpernere. Dominos fideles quomodo ſervi prohibeantur? II. 33. *a.* contemni quomodo nec Timotheus, nec Titus debuerit? 24. *a. b.* 49. *b.*

Contemptibiles, vide viliſſimi.

Contentio prohibetur. I. 505. *b.* II. 53. *a.* Iſraëlitarum cum Moſe. 104. *a.*

Contentiones quid? I. 183. *b.* 184. *a.* carnis opus dicantur. 437. *b.* & quomodo a diſputationibus differant? ibid. & 438. *a.*

Contentioſus quis? I. 90. *a.* epiſcopus eſſe non debet. II. 15. *a.*

Conteſtari pro atteſtari. I. 138. *a.*

Contentus ſua ſorte animus, quis? II. 34. *b.* vide αὐτάρκειαν & 220. *a.* 298. *a. b.*

Contenti præſentibus eſſe jubemur. II. 220. *a.* & quare? ibid. & 220. *b.* 298. *a. b.*

Continens eſſe jubetur epiſcopus. II. 43. *b.*

Continentia præcipi non debet, & cur.? I. 281. *a.* pro temperantia ſumpta eſt fructus ſpiritus, dividiturque in ſobrietatem & caſtitatem. 440. *b.*

Ob continentiam periculum non eſt, ne humanum genus propagari deſinat. I. 279. *b.* ejuſque periculi tum Paulus tum Bernardus, rationem non habuit. 281. *a.*

In contractibus non circumveniendus frater. I. 567. *a. b.*

Contradicentes coarguere neceſſarium requiſitum eſt epiſcopi. II. 43. *b.* 44. *a.* ſervi eſſe non debent. 47. *b.*

Contradictionem quæ implicant impoſſibilia ſunt. II. 326. *a. b.* contradictionem Chriſtus adverſus ſe a peccatoribus ſuſtinuiſſe dicitur. 202. *b.*

Contrarius quomodo quis alicui dicatur? I. 588. *a.*

Ex contrario homines facile in contrarium prolabuntur. 428. *b.* 429. *a.*

Contrariorum contraria conſequentia. II. 125. *a.*

Contriſtare fratrem quomodo prohibeamur? I. 190. *a.* 440. *a.*

Contriſtari non debebant Theſſalonicenſes de iis, qui obdormiverant, ut & reliqui, ſpem non habentes, & quare? I. 570. *a.* cur videantur contriſtati fuiſſe? ibid.

Contumaces qui dicantur? II. 51. *a.*

Contumelia, vide convitium. Contumelioſi quinam dicantur? I. 85. *a.* II. 5. *a.*

*Antequam convenirent*, quid apud Matthæum? I. 14. *a.*

Conventus, vide congregatio, univerſalis primogenitorum, ad quem Hebræi acceſſiſſe dicuntur? II. 212. *a.*

Converſatio noſtra in cælis eſſe dicitur. I. 512. *b.* 513. *a.* à vana converſatione, a patribus tradita, Judæo Chriſtiani caro pretio redempti dicuntur, & quomodo? II. 278. *b.*

Converſari ſe velle in omnibus bene quomodo autor ad Hebræos dicat? II. 226. *b.* jubemur, in timore, tempus incolatus noſtri. 278. *b.* & quare? ibid. converſari cum quibus prohibeamur? I. 592. *a. b.* 593. *a. b.*

Converſio quid ſit? I. 553. *b.* Theſſalonicenſium, qualis fuerit? ibid.

Converſere, pro, ſe convertere. I. 358. *b.*

Convincere contradicentes, requiſitum eſt epiſcopi neceſſarium. II. 43. *b.* 44. *a.* convictio quouſque procedat? 44. *a.*

Convitiator quis dicatur? I. 273. *a.*

Convitium in nobis fieri poteſt, quod in Chriſto juſta eſt animadverſio. I. 39. *b.* conf. 346. *b.* 599. *b.*

Convivæ antiquitus oleo inungebantur. II. 81. *b.* 82. *a.*

Convivia idololatrica frequentare concupiſcens factus Chriſti diſcipulus, exemplo concupiſcentium Iſraelitarum terreatur. I. 502. *b.* ea & apoſtolus Petrus commemorat. ibid.

Cooperarii Dei dicuntur apoſtoli & miniſtri eccleſiæ. I. 260. *b.* 514. *a.*

Cor noſtrum ſi nos non damnat, fiduciam habemus erga Deum. I. 265. *b.* pro animo. 414. *b.* in corde canere domino, quid? 488. *a.* cor & cor, Hebræis quid? 490. *a.* in corde habere, quid ſit? 502. *a.* conſperſum a conſcientia mala, quomodo ſumatur? II. 176. *a.*

Corde creditur ad juſtitiam. I. 160. *a.*

Cordium conſilia Deus manifeſtaturus eſſe dicitur. I. 265. *b.* corda noſtra obdurare non debemus. II. 103. *b.* 104. *a.* 106. *a.*

Coram Deo, pro Deo. II. 76. *b.*

Coram eo cui credidit, quomodo intelligendum? I. 120. *b.* 121. *a.*

Coram omnibus cur reprehenſus ſit Petrus? I. 392. *b.* 393. *a.*

Core, Datan & Abiron, conſpiraſſe dicuntur contra Moſen & Aaronem, periiſſeque. I. 304. *a.*

Corinthii quomodo in omni cognitione ditati dicuntur, cum carnales & infantes in Chriſto fuerint. I. 248. *b.* 258. *b.* 259. *a.* dicuntur abluti a priſtinis peccatis, & ſanctificati juſtificatique in nomine domini Jeſu, & ſpiritu Dei. 276. *a.* de quibus Paulo ſcripſerint? 279. *a.* inter ipſos voces hæc: edamus & bibamus, cras enim morimur: impune auditæ fuere. 345. *a.*

Corinthiorum eccleſiam Paulus ſuum opus in Domino eſſe dixit. I. 192. *a.* doctores notari dicuntur. 259. *a.*

Corinthius inceſtuoſus, vide, inceſtuoſus.

Corinthi quæ fuerint certamina? I. 298. *b.* quotannis mille virgines ſcortationi expoſitæ dicuntur. 303. *a.*

Cornelium centurionem Petrus coram ſe procumbentem non tulit. II. 87. *b.*

Cornu inter oculos hirci, apud Danielem, dicitur rex primus Græcorum. I. 587. *b.*

Corona corruptibilis athletarum qualis fuerit? I. 298. *b.* incorruptibilis Chriſtianorum quæ ſit? ibid. juſtitiæ, quid? 428. *b.* Pauli, dicuntur Philippenſes. 513. *b.* gloriationis, dicuntur Theſſalonicenſes. 561. *b.* & quomodo? ibid.

Corporalis exercitatio, vide exercitatio.

Corporaliter quomodo plenitudo Deitatis in Chriſto habitare dicatur? I. 533. *a.*

Corpus peccati quid? I. 127. *b.* 128. *a.* Chriſti quid? 131. *a.* mortis quid? 134. *a.* mortuum propter peccatum, quomodo intelligatur? 137. *a.* 329 *a. b.* 442. *a.* noſtrum terrenum a ſalute ſempiterna excludit Paulus, eamque ſoli ſpiritui vendicat. 271. *a.* conf. 277. *a.* non eſt ſcortationi deſtinatum, ſed domino. 277. *a.* noſtrum, eſt templum ſpiritus ſancti, qui in nobis, quique a Deo eſt, unde nec noſtri ſumus juris. 278. *a. b.* corpore noſtro quomodo Deum glorificare jubeamur? 279. *a.* corpus contundebat, & in ſervitutem redigebat Paulus. 299. *a.* Chriſti, accipitur etiam de corpore Chriſti myſtico ſeu eccleſia. 307. *a.* unum, multi ſumus, & quare? ibid. an idem numero cum eo, quod mortuum eſt, reſurrecturum ſit? 350. *a b.* 352. *a.* 357. *b.* ejus qualis identitas ſufficiat tum ad præmium in piis, tum ad pœnam in impiis? 351. *b.* animale & ſpirituale, quid? 353. *a. b.* & quomodo alterum ab altero differat?

354. *a. b.* 355. *a. b.* 356. *a. b.* cur ſpirituale non prius extiterit animali? 359. *b.* corporis cæleſtis natura, quæ? 361. *a.* totum, coagmentatum & compactum per omnem contactum ſuppeditationis, augmentum facere dicitur in menſura uniuſcujuſque membri. 485. *b.* humilitatis quid? 513. *a.* peccatorum carnis, quid? 533. *a.* compactum per commiſſuras & connexus augeſcere dicitur augmento Dei, & quomodo, & quale? 534. *a. b.* corpus aptaſti mihi, quomodo intelligatur? II. 169. *a. b.* & cur author ad Hebræos affirmet, Chriſtum tum, cum in mundum ingrederetur, hæc verba dixiſſe? 170 *b.* 171. *a. b.* 172. *a. b.* quomodo inculpate ſervetur in adventu Chriſti? I. 579. *a. b.*

Corpora noſtra mortalia quomodo Deus vivificaturus dicatur? I. 137. *a. b.* 277. *b.* membra ſunt Chriſti. 277. *b.* eadem numero reſurrectura eſſe ſtatuentes, probationem reſurrectionis mortuorum, a Paulo inſtitutam, convellunt. 319. *a. b.* corpora varie inter ſe differunt, & in varias ſpecies ſecta ſunt 348. *a.* alia ſunt cæleſtia, alia terreſtria. ibid. eorumque gloria alia & alia. 348. *b.* corpora reſurrectura taliter differrent a mortuis prius corporibus, qualiter corpora præſtantia a minus præſtantibus. 349. *a,* quomodo Chriſtus conformia redditurus ſit corpori ſuo glorioſo? 352. *a. b.* cæleſtia quæ ſint? 354. *a.* naturalia varie moventur. ibid. & quomodo ſpiritualia moveantur? 354. *b.* ſpiritualia hæc quem ſenſum habitura ſint, vide, ſpirituale corpus.

Correctionis tempus, quodnam dicatur? II. 152. *a.*

Correptio, vide, arguere.

Corrigere alios quinam, & quomodo debeant? I. 443. *a.* reliqua, quomodo debuerit Titus? II. 42. *b.*

Corroborari quomodo moneantur Epheſii? I. 490. *b.* 491. *a.*

Corruiſſe dicuntur muri Jericho circuitu dierum ſeptem. II. 196. *a.*

Corrumpere bonos mores dicuntur colloquia prava. Vide colloquia.

Corruptibile quomodo dicatur ſuſcitandum incorruptibile? I. 350. *b.* & incorruptibilitatem induere oporteat? 367. *a.*

Corruptionis vox diverſimode ab apoſtolis ſumitur. I. 32. *a.* 349. *b.* 350. *a.* de ipſa rei eſſentia dicitur, non de accidentibus tantum rei. ibid. quomodo dicatur incorruptibilitatem hæreditare non poſſe? 362 *b.* 363. *a. b.* 364. *a.*

Corruptores eccleſiæ quinam ſint? I. 263. *a.*

Crapula, vide comeſſationes.

Craſtinus dies, quis? & quomodo de eo ſolliciti eſſe prohibeamur? II. 297. *b.* 298. *a.*

Creaſſe dicitur Deus omnia per Chriſtum, & quomodo? I. 482. *a.* 528. *a. b.* creare, quid? 528. *a.*

Creatio, quid reſpectu creaturæ novæ ſignificet? I. 449. *b.* non fit ſine concurſu ipſius creaturæ novæ. ibid. nova, quid? 527. *b.* vide, homo novus. ad creationem veterem quomodo Johannes alludat? II. 71. *b.* cæli & terræ, ab autore ad Hebræos ad Chriſtum non refertur, & cur? 83. *a. b.* 84. *a. b.* alia adhuc in cælo eſſe dicitur. 153. *a.*

Creatura an & qualis cultu religioſo affici poſſit? I. 83. *a.* pro nova, ſeu hominibus Chriſtianis. 138. *b.* quomodo dicatur congemiſcere? 139. *a.* & dolores parturientis perferre? 139. *b.* nova. quid nova. ſignificet & in quo conſiſtat? 449. *b.* 479. *a.* 527. *a.* quomodo Chriſtus dicatur? 527. *b.* pro rationali creatura eaque homine. 530. *b.* omnis, bona eſſe dicitur. II. 22. *b.*

Credens in Chriſtum non feſtinabit, aut, non confundetur. I. 157. *a.*

Credentes benedicuntur cum fideli Abrahamo, quid? I. 403. *b.* ingrediuntur in requiem. II. 108. *a.* non credentes, puniendi dicuntur, & quomodo? I. 583. *b.* 584. *a.*

Credere Deo, & in Deo vel in Deum, quomodo differant? I. 118. *a.* in corde credere, quod Deus Chriſtum reſuſcitaverit ſalutem affert. 160. *a.* credidiſſe dicuntur Iſraëlitæ in Jehova, & in Moſe, ſervo ejus. 300. *a.* facilitas ad credendum, quomodo ab apoſtolo in Romanis laudetur? II. 44. *a.* credimus aliqua, etiamſi & argumentis perſuaderi poſſint. 183. *b.* Deum eſſe, quid ſit? 185. *b.* aliquem, aut aliquid, idem quod credere in aliquem, aut in aliquid. 278. *a.* in teſtimonium dicimur, etiamſi perſona non ſit. ibid. credere dicimur per Chriſtum in Deum, qui ſuſcitaverit ipſum ex mortuis, & gloriam ipſi dederit, ut fides noſtra & ſpes eſſet in Deum. 279. *b.* 280. *a.* an aliqua credenda ſint certiſſima, ita ut in iis errare nequeamus? 326. *a. b.*

Crellius, autor, in ipſa reviſione & emendatione capitis 15. ad Corinthios, mortuus eſt. I. 310. in præfat.

Cremari corpora animalium dicuntur extra caſtra, & quorum? II. 223. *a. b.*

Creſcere in cognitione Dei Coloſſenſes, optat Paulus. I. 526. *b.*

In Creta inſula cur Paulus Titum reliquerit? II. 42. *b.*

Cretenſium perverſitas. II. 43. *b.* 44. *a. b.* quomodo ab Epimenide deſcribantur, ejuſque teſtimonium Paulus approbet? 44. *b.* eos Paulus ſevere increpari jubet, monerique, ut ſani ſint in fide, fabuliſque Judaicis & mandatis hominum, veritatem averſantium, non attendant. ibid.

Criſpus Archiſynagogus, a Paulo eſt baptizatus. I. 250. *a.*

Crucifigere rurſum filium Dei, quid? II. 124. *b.*

Crucifixio carnis quæ ſit? I. 441. *a. b.*

Crucifixum Chriſtum prædicare, quid ſit? I. 222. *a.* crucifixum ſe cum Chriſto eſſe, quomodo Paulus dicat? 397. *b.*

Crux vide afflictiones & perſecutio. Chriſti, quomodo evacuetur ſermonis elegantia? I. 250. *b.* 251. *a.* ſtultitia eſt pereuntibus, at potentia Dei iis, qui ſalvantur. ibid. crucis ſcandalum quid? 431. *b.* & quomodo omnes Chriſtiani cruci ſubjecti ſint a Deo? ibid. & 432 *a.* Chriſti, quæ dicatur, ob quam turbatores Galatarum perſecutionem ſubire noluere? 447. *b.* & in qua Paulus gloriatus eſt? 448. *a. b.* crucem defugere, Chriſtianum, Chriſtianorumque doctorum minime eſt. ibid. crucem Chriſtu ſuſtinuiſſe dicitur pro propoſito ſibi gaudio: unde gaudium illud non alio pretio quam cruce comparari, ſi opus ſit, apparet. II. 202. *a.* crucem ſuam tollere, & Chriſtum ſequi, quid ſit? 293. *a.*

Cubilia quid? I. 183. *b.*

Cubitus, vide ulna.

Cucumerum cupiditas in Iſraëlitis quam noxia fuerit? I. 302. *a. b.*

Culpa, vide reatus.

Cultores qui dicantur? II. 151. *a.* 167. *b.*

Cultus religioſus quid? I. 83. *a.* 437. *a.* eſt Iſraëlitarum. 146. *b.* divinus quis ſit? 437. *a.* duliæ & latriæ, non differunt. ibid?

Cum aliquo eſſe, quid denotet? I. 19 *b.*

Cupiditas dupliciter ſumitur & in lege prohibetur. I. 132. *a.* quomodo non cognoſceretur, niſi lex dixiſſet non concupiſces. ibid. & 132. *b.* Iſraelitarum qualis fuerit? vide concupiſcere. Cupiditatis buſta quæ dicantur? 302. *a.* carnis quomodo non perficiatur? 435. *a. b.* cupiditatis affectus, quid? 567. *a.*

Cupiditates, vide, concupiſcentia. corporis, quid? I. 128. *b.* cum carne crucifixæ eſſe debent in iis, qui Chriſti ſunt, & quomodo? 441. *a. b.* carnis, quid? 478. *a.* homines in interitum & perditionem mergere dicuntur. II. 35. *a. b.* malas, lex non penitus tollebat. 278. *a.*

Cura, vide ſolicitudo.

*Cupio*, pro amo. I. 502. *b.* cupiebat Paulus diſſolvi & eſſe cum Chriſto. 504. *b.*

*Curare* pro ſanare. I. 56. *b.* ea, quæ ſunt Domini, aut hujus mundi, quid? 287. *a. b.*

Curioſitas viduarum juniorum taxatur. II. 29. *b.* item, Theſſalonicenſium. I. 569. *a.* 604. *a.*

Currentis quomodo non eſſe dicatur? I. 151. *a. b.*

Currere in ſtadio quomodo omnes debeant? I. 298. *a. b.* 199. *a.* 430. *a.* currere monemur propoſitum nobis certamen, per patientiam. II. 201. *b.* ut ſermo Domini currat, Paulus Theſſalonicenſes vult orare. I. 590. * *a.*

Curſus qualis nobis commendetur? II. 201. *b.*

Cuſtodiri dicimur potentia Dei per fidem, in ſalutem paratam patefieri ultimo tempore, & quomodo? II. 274. *a. b.* 275. *a.* a malo, quid ſit? I. 591. *a. b.*

## D.

Dæmon, vide diabolus, & ſatan.

Dæmones, vide angeli mali.

Dæmon iis immolari dicuntur, quæ gentes immolant I. 307. *b.* eorum participes fieri non debebant Corinthii 308. *a.* dæmoniorum doctrinæ, quæ dicantur? II. 20. *a.*

Dæmoniacus, vide obſeſſi.

Damaſcus urbs & ſedes regis Syriæ. I. 17. *b.* Damaſco Paulus in Arabiam abiit, & rediens Damaſcum, inde Hieroſolymam venit. 386. *a. b.*

Damnare quomodo uſurpetur? I. 96. *a.* 391. *b.* damnare peccatum in carne, quid? 135 *b.* pro reprehendere. 391. *b.* damnaſſe mundum dicitur Noë, & quomodo? II. 186. *b.*

Damnatio nulla, quæ dicatur? I. 134. *b.* damnatio quid? 193. *b.* viduarum juniorum, nubere volentium, quæ? II. 29. *a.*

Damnatus ſeu condemnatus, pro reprehenſibili. I. 391. *b.*

Damnum potius accipiendum, quam forum ſectandum. I.

275. *a. b.* quomodo legalia ducat Paulus? 509. *b.*

Daniel Propheta, quomodo de Chriſto vaticinatus ſit? I. 68. *a.* fide obturaſſe ora leonum dicitur. II. 196. *b.*

Dare, vide, dedi. quomodo Deus dicatur, & ſoleat quæ optamus aut alteri precamur? I. 476. *a. b.* rogatur Deus Epheſiis, ſpiritum ſapientiæ ac revelationis. ibid.

David pro aliquo ex poſteris Davidis. I. 26. *b.*

David Rex, cur ſolus appelletur rex in ſerie majorum Chriſti? I. 5. *b.* ex ejus ventris fructu aut lumbis quomodo Chriſtus ſuſcitatus eſſe dicatur? 12. *b.* 13. *a.* quomodo de Chriſto vaticinatus ſit? 68. *a.* quomodo aſtra Dei gloriam denunciare dicat? 162. *a.* quomodo a Dei dextris ſediſſe dicatur? II 67. *a.* bis in regnum ſuum introductus eſt. 79. *a.* Chriſti typus. 76. *a.* 78. *a.* 96. *a.* ejus fides celebratur, & cur Samueli præponatur? 196. *a. b.*

Davidis filius cur Chriſtus nominatim & ſeorſim dicatur a Matthæo? I. 3. *b.* Davidis filium appellari, majoris dignitatis eſt, quam filium Abrahami vocari, quia Davidis filius κατ' ἐξοχήν, Meſſiam denotat, Davidi promiſſum. ibid.

Δὶ particula quomodo accipienda? I. 16. *a.* pro διὰ. 20. *b.* 133. *b.* 424. *a.* pro διὰ. 318. *b.* 319. *a.* 346 *a.* pro διὰ vel διὰ. 388. *b.* 419. *a.* pro inquam. 107. *b.* pro διὰ. 180. *a.* 291. *b.* II. 113. *b.*

Nemini quicquam debere, quid? I. 181 *a.*

Debitores Judæorum dicuntur gentes, & cur? I. 199. *a.*

Decalogus, vide, præcepta legis.

Decapolis regio eſt Galilææ. I. 59. *b.*

Deceptio injuſtitiæ, quid dicatur? I. 587.* *a.*

Deceptores ſpiritus, qui dicantur? II. 20. *a.*

Decimas ſacerdotes levitici ſumere a populo jubebantur. II. 134. *a.* & quomodo ipſi levitæ decimas decimarum ſacerdotibus dare juſſi ſint? ibid. multo vero majus eſt, Melchiſedecum, qui ex levitis non eſt, ab ipſo Abrahamo decimas accepiſſe. 134. *b.*

Decipere, vide, ſeducere. Decipere ſeipſum, quid dicatur? I. 444. *a.*

Decorum quomodo ſumatur? I. 288. *a.*

Decreto conditionato Paulus ad munus ſuum ſegregatus eſſe dicitur. I. 384. *b.* 525. *a.* decretum Dei, ante jacta mundi fundamenta de hominum ſalute factum, quibus partibus conſtet? II. 271. *a.* & quomodo factum in genere ſit? 271. *b.*

Decuiſſe Deum quid dicatur? II. 94. *a. b.*

Dedecoroſe ſeminari quid? I. 352. *a.*

Dediſſe ſeipſum pio peccatis noſtris quomodo Chriſtus dicatur? I. 379. *b.* conf. II 9. *b.* 49. *a.*

Dedicatio pro ſanctione. II. 160. *a.*

Dedoluiſſe quomodo gentes dicantur? I. 485 *b.*

Defatigari prohibemur bonum faciendo. I. 416. *a.*

Defectio a fide, prædicitur a Paulo. II. 19. *a.* 20. *a. b.* &c. II. 587. *a.* vide, apoſtaſia.

Defectum quem in Corinthiis notet Paulus? I. 275. *a.*

Defenſio Pauli apud ſuos judices, quæ fuerit? vide apologia. euangelii, per Philippenſes, quæ? I. 502. *b.*

Deficere quid? I. 446. *b.* deficere a vera fide Chriſtianus poteſt? II. 103. *a.*

Defraudare fratrem prohibemur. Vide πλεονεκτεῖν.

Defuncti, vide, mortui.

Delectari malefactis ſumme impium. I 86. *a.*

Delectus cibi & potus, vide cibus.

Delictum, vide peccatum.

Delinquere, vide peccare.

Demas dicitur euangeliſta fuiſſe. I. 484. *b.* & adjutor Pauli. II. 59. *a.*

Demetrius argentarius ſeditionem contra Paulum epheſi excitavit. I. 343. *b.* 344. *a.*

Demonſtratio ſpiritus & virtutis, quid? I. 254. *b.*

Depoſitum cuſtodire jubetur Timotheus, & quale? II. 39. *b.*

Deprecationes quid? II. 8. *b.*

Deſcendere in abyſſum, quid? I. 159. *a.* Deus per Chriſtum dicitur. 255 *b.* deſcenſurus dicitur Chriſtus olim de cælo, & quomodo? 521. *a. b.* 583. *a. b.*

Deſciſcere a fide, quid? vide, defectio. a Deo vivo, vide diſcedere, & prolabentes.

Deſerere congregationem noſtram prohibemur. II. 177. *a.* vide etiam derelinquere.

Deſerta quænam dicatur? I. 423. *b.*

Deſertum quotuplex in Scripturis, & quodnam deſertum Judææ fuerit? I. 34. *a.* in deſerto membra Iſraëlitarum cecidiſſe dicuntur. II. 107. *a.*

Deſponſatæ puellæ aut fœminæ protinus uxores erant & dicebantur. I. 14. *a.*

Detractor quis dicatur? I. 85. *a.*

Dei nomen, imperii ac poteſtatis eſt. I. 80. *a.* 290. *a. b.* Deum eſſe credere, naturæ humanæ non omnino inſitum eſt. ibid. Dei oſores qui ſint? 85. *a.* Deum alicujus eſſe, quid ſignificet? 115. *b.* de Deo dicta, accommodantur ad Chriſtum. 160. *b.* 188. *a.* II. 78, *b.* 82. *a. b.* &c. Deo quis demum placeat? 191. *b.* Dei vox, ſubjective poſita, Deum Patrem, non Chriſtum ſignificat. II. 18. *b.* Deum cognoſcere aut noſſe, quid ſit? 45. *a.* eum quidem aliqui confitebantur noſſe, at operibus negabant, cum eſſent abominati, & rebelles, & ad omne opus bonum reprobi. 45. *a. b.*

Deus quomodo dicatur cum aliquo vel aliquibus, eſſe? I. 19. *b.* quando dicatur venire ad populum. 36. *b.* vim non facit hominum animis, ſed dubitationi locum relinquit. 47. *b.* cur Pater noſter vocatur? 71. *b.* per opera cognoſcitur. 79. *b.* 80. *a.* cur toleret malos. 87. *b.* 88. *a.* ſe in Chriſto non iratum ſed gratioſiſſimum exhibuit. 111. *a.* non Judæorum tantum, ſed & gentium Deus eſt. 114. *b.* 115. *a.* unuſque adeo Deus eſt, utroſque eodem modo juſtificans. 115. *b.* quomodo ſe Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi vocet? ibid. (II. 191. *b.*) quam gratioſum ſe in altero Adamo ſeu Chriſto exhibuerit? 126. *a.* ſuo filio miſſo in ſimilitudine carnis peccati, condemnavit peccatum in carne. 135. *b.* filio proprio non pepercifſe dicitur. 142. *b.* liberrime in ſuis decretis agit. 149. *b.* 150. *b.* nec propterea injuſtus eſt. 150. *b.* 151. *a.* quomodo homines indurare dicatur? 151. *b.* 152. *a.* quomodo omnes in inobedientiam concluſiſſe dicatur? 171. *b.* dicitur Deus patientiæ & conſolationis. 195. *a.* Deuſque ſpei. 196. *b.* item æternus, ſoluſque ſapiens. 201. *b.* dicitur Dominum reſuſcitaſſe. 277. *b.* nullus eſt alius niſi unus. 290. *a.* quomodo unus eſſe Deus dicatur, cum plures, iique veri, ſint? ibid. unus, eſt Pater, ex quo omnia, & nos in illum. 290. *b.* quomodo omnia in omnibus futurus eſſe dicatur? 340. *a.* cuique ſeminato ſemini dat corpus prout vult. 347. *b.* Chriſtum ex mortuis excitaſſe dicitur. 378. *b.* & Pater, quomodo connectatur. 350. *a.* quomodo unus eſſe dicatur in objectione? 409. *b.* quomodo non irrideri dicatur? 445. *b.* a nemine vel placatus & mitigatus fuit, vel motus, ut nos ſervaret. 474. *a.* dicitur Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & quam inſolens hæc ſummi Dei ſit deſcriptio? 476. *a.* dicitur etiam Pater gloriæ. ibid. quomodo rogetur, ut aliquid det? 476. *a. b.* dicitur dives in miſericordia. 478. *b.* quomodo in nobis operetur velle? 507. *b.* quomodo in carne manifeſtatus dicatur? II. 18. *a. b.* item juſtificatus in ſpiritu, & angelis apparuiſſe, gentibus prædicatus, in mundo creditus, inque gloria demum receptus? 18. *b.* 19. *a.* dicitur Rex Regum, & Dominus dominantium, imo ſolus potens, ſolus habens immortalitatem, lucemque habitans inacceſſibilem; quem viderit nullus hominum, nec videre poſſit. 37. *b.* prophetis variis modis locutus eſt. 70. *a.* ipſe non proprie in montem Sinai deſcendit. 88. *b.* 89. *a.* quomodo Patriarchis civitatem paraſſe dicatur. 191. *b.* ſeſeque Deum illorum vocet? ibid. & 192. *a.* quomodo de nobis melius aliquid providiſſe dicatur, quam de iis, qui promiſſionem non accepere? 198. *a. b.* 199. *a. b.* 200. *a. b.* pacis, quomodo Deus dicatur? 226. *b.* 227. *a.* (518. *b.*) eduxiſſe dicitur ex mortuis paſtorem magnum ovium, in ſanguine Teſtamenti æterni Dominum noſtrum Jeſum. 227. *a. b.* 228. *a.* cur dicatur vivus & verus. I. 553. *b.* cur ſeſe morte Chriſti nobis obligare voluerit, ac porro ad Chriſtum morti tradendum impulſus ſit? 613. *a.*

Deus Pater, vide Deus.

Dii multi quomodo eſſe dicantur in cælo & in terra? I. 290. *a.* dicuntur Angeli. 333. *a.* minorum gentium apud Ethnicos quinam dicti fuerint? 437. *a.*

Deuteronomii liber ea nonnunquam inculcat, quæ jam ſuperius dicta fuerant. I. 61. *b.*

Ad Dexteram throni majeſtatis Chriſtus conſediſſe dicitur. II. 74. *b.* 75. *a.* 144. *a. b.* 202. *b.* & quomodo? 75. *a. b.* 76. *a.* & an de Davide quoque dictum ſit, quod a dextris Dei ſederit? 76. *a. b.* vide etiam, ſedere. Dextræ nomine quid intelligatur? 202. *b.*

Dextræ ſocietatis, Paulo ab aliis Apoſtolis datæ, & quem in finem? I. 390. *b.*

Διὰ pro cum. I. 96. *a.* II. 18. *a.* pro propter. 113. *a.*

Διάβολος, quid ſignificet? II. 15. *b.*

Diabolus quomodo Chriſtum tentaverit? & quando? I. 50. *a. b.* 52. *a.* an eum tentaturus fuiſſet, ſi ſciviſſet, eum eſſe ſummum Deum, Deique filium, ab æterno genitum? 50 *b.* quo pacto Chriſtum in civitatem ſanctam aſſumpſerit? 51. *b.* ei Deus in Chriſtum non tantum permiſit, quantum in Jobum. 52. *a.* utitur Scriptura in tentando Chriſto. ibid. an aliquid fallaciter ex ea omiſerit? 52. *b.* cur Chriſtum in

montem

montem altum duxerit? 53. *a.* & quomodo ei omnia regna mundi oſtendiſſe dicatur? ibid. & 53. *b.* & utrum in momento temporis? 53. *b.* 54. *a.* utrum vere omnia oſtenderit, an per ſpecies tantum aliquas phantaſiæ & imaginationi Chriſti interius impreſſas? 54. *a.* quare dixerit, ſibi regna mundi a Deo eſſe permiſſa? 54. *b.* ad tempus Chriſtum dimittit. 55. *a.* quomodo jam abolitus dicatur? 337. *a. b.* Confer 533. *b.* ejus criminatio ſeu condemnatio, quid? II. 15. *b.* 16. *a.* in probrum & laqueum Diaboli incidere, quid? 16. *a.* cogitationes malas hominibus poteſt injicere. 86. *b.* & quomodo? 87. *a.* ejus abolitio, quid? 97. *a.* imperium mortis quomodo habuerit? ibid. & 319. *b.* 320. *a.*

Diaconus quid? vide Προεστὼς.

Diaconi qui dicantur? II. 16. *a.* eligendi, quales eſſe debeant? ibid. & 17. *a.*

Diaconia, quale munus? I. 175. *b.* ejus ſpecies. 176. *a.* quomodo ſumatur? II. 4 *b.*

Diaconiſſæ, quæ? II. 27. *b.*

Διάκρισις quid? I. 184. *b.*

Διαλογισμοὶ quid? I. 184. *b.*

Διαφέροντα quid? I. 93. *b.* 503. *a.*

Διαθήκη quid ſignificet? I 406. *a.* 420. *b.* II. 147. *a.*

Διχόνοια quid? I. 85. *b.*

*Dicere* pro cogitare. I. 40. *b.* majorem nonnunquam vim habet, quam jubere. 50. *b.* pro explico ac declaro. 412. *b.*

Διδασκάλους, quid? II. 14 *b.*

*Dies* pro tempore. I. 88. *b.* & judicio. ibid. & 92. *b.* quomodo appropinquaſſe dicatur? 183. *a.* diem præ die judicare, quid? 186. *a.* aut ſapere? 186. *b.* quis ſit, qui uniuſcujuſque opus manifeſtaturus dicitur? 261. *b.* 262. *a.* Domini, quis peculiariter dicatur? 271. *a.* diei civilis initium Judæi a noctis initio ducunt. 314. *a.* Dominicus quomodo a Chriſtianis electus ſit? 316 *b.* Jeſu Chriſti, pro morte hominum. 502. *a.* vide, adventus Domini. dies ingrediendi in requiem, ad Meſſiæ tempora pertinet. II. 109. *a. b.* ſecundum diem, quid? & an idem ſit, quod quotidie. 173. *b.* pro die judicii & pœnæ. 177. *b.* qui appinpinquare ſeu inſtare dicitur, & quomodo? ibid. excidii Hieroſolymitani, unde colligi potuerit inſtare? ibid. ultimi judicii, quomodo per mortem cuivis inſtet? ibid. Domini, ſicut fur in nocte, venturus eſſe dicitur. I. 572. *b.* 573. *a.* non vero Chriſtianos ita comprehenſurus dicitur, & quare? 573. *b.* Chriſti, pro adventu Domini, quem nonnulli inſtare dicebant. 586. *b.*

Dies (plur.) pro tempore. I. 20. *b.* 32. *b.* 386. *b.* II. 70. *b.* Herodis quid denotent? ibid. ſeculi, tempora ſignificant antiqua. 27. *b.* pro tempore longo, inde a nativitate Chriſti uſque ad adventum Johannis Baptiſtæ. 32. *b.* quomodo obſervaverint Galatæ? & quomodo obſervari poſſint? 446. *b.* quomodo & qui mali eſſe dicantur? 488. *a.* 491. *a.* carnis Chriſti, qui dicantur? II. 118. *a.* dierum initium quomodo Melchiſedec habuiſſe negetur? 132. *b.*

Diffamare, vide obſtrectare.

Differentia, pro diſcrepantibus. I. 93. *b.* explorabantur a Judæis. ibid.

Dignari vocatione Chriſtianos, quomodo Deus dicatur? I. 584. *b.*

Digni regno Dei quomodo ob afflictiones dicantur Theſſalonicenſes? I. 582. *b.*

Super omnes dignitates Chriſtus evectus eſſe dicitur. I. 477. *a.*

Dijudicationes intempeſtivæ quæ? I. 184. *b.*

Dii, vide Deus.

Dilectus, pro, unigenitus. I 49. *a. b.* pro Chriſto. 474. *a.*

Dilectio proximi quouſque ſe extendat ſub novo fœdere? I. 81. *b.* 182 *a.* Vide diligere, & charitas.

Dilecti Dei cur Chriſtiani vocentur? I. 71. *a.*

Diligentia, non ſegnes eſſe jubemur. I 176. *b.*

Diligens Deum, cognitus eſt ab ipſo. I. 289. *b.* diligitque proximum ſuum. ibid.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. I. 141. *a.*

Diligere nos invicem debemus. I. 181. *a.* & ita legem implere. ibid. an & quomodo proximum diligere debeamus ut nos ipſos? 181. *b.* 182. *a.* 434. *a. b.* invicem jubemur ex puro corde intenſe. II. 280. *b.*

Dimittere quomodo Joſephus Mariam voluerit? I. 15. *a.* dimitti cupiebat Paulus, & cum Chriſto eſſe. 504. *b.*

Διὸν quid proprie? I. 105. *b.*

Direptionam bonorum ſuorum Hebræi cum gaudio ſuſcepiſſe dicuntur. II. 181. *a. b.* & quare? 181. *b.*

Dirigere rogatur Chriſtus viam Pauli ad Theſſalonicenſes. I. 564. *b.* quomodo Chriſtus corda fidelium dirigat. 592. *a.*

Diſcedere a Deo vivo, quid? II. 106. *a.*

Diſceptatio, quid? II. 10. *b.*

Diſcernere vide differentia. aliquem, quid? I. 266. *b.* cogitationes & intentiones cordis dicitur ſermo Dei. II. 111. *b.*

Diſceſſio a fide, vide, defectio.

Diſciplina, vide caſtigatio.

Diſciplina Eccleſiaſtica, vide excommunicatio. ab eo lenitas nimia abeſſe debet. I. 592. *a.* ei quæ peccata aut delicta ſubjaceant? 593. *a. b.* quomodo erga quoſvis fratre peccantes, etiamſi unius nobiſcum familiæ aut cognationis exercenda ſit? 594. *a. b.* 599. *a b.* 600. *a. b.* 601. *a. b.* 602. *a. b.* exerceri poteſt & debet etiam ſine, interveniente judicio Apoſtolico. 605. *b.* quandiu erga aliquem durare, & exerceri debeat? 606. *a.* & quis ejus ſit finis aut ſcopus? ibid.

Diſciplina liberorum, vide caſtigatio, & liberi.

Diſcipulis Chriſti duodecim Chriſtus apparuiſſe dicitur. I. 314. *b.* & an multos Chriſtus habuerit diſcipulos? 315. *a. b.*

Diſcordia & diſſenſio prohibetur. I. 177. *b.*

Diſcrepantia explorare, vide differentia.

Diſcretio boni & mali perfectis tribuitur. II. 120. *b.*

Diſcrimen perſonarum, nationum, & ſtatuum, nullum eſſe dicitur in Chriſto. I. 411. *b.* 536. *a.*

Diſpenſatio gratiæ Dei, Paulo data, quæ? I. 481. *a.* 531. *a.*

Diſpenſatorem myſteriorum Dei ſe vocat Paulus. I. 264. *a.* in eo quid requiratur? ibid. & 265. *a.* dijudicari ab hominibus non debet. ibid. diſpenſatorem Dei, Paulus Presbyterum vocat. II 43. *a.*

Diſperſio Judæorum quæ dicatur? II. 270 *b.*

Diſputatio authoris de ſatisfatione citatur. I. 110 *b.* 111. *b.*

Diſputationes intempeſtive quæ? I. 184. *b.* quid ſint? 437. *b.*

Diſſecti dicuntur nonnulli. II. 197. *b.*

Diſſenſio. vide diſcordia, & diſſidia.

Diſſidia prohibentur. I. 249. *b.* Vide etiam ſchiſmata. Corinthiorum, quæ? 259. *b.*

Diſſidiorum authores obſervandi, & ab eis declinandum I. 199. *b.* 200 *a.*

Diſſolvi quomodo deſideraverit Paulus, & eſſe cum Chriſto, I 504. *b.*

Diſtenti quinam dicantur? II. 197. *a.*

Diſtributio pecuniarum in ſimplicitate fiat. I. 176. *a*

Diteſcere qui volant incidere dicuntur in tentationem & laqueum, & cupiditates multas, amentes & damnoſas, quæ mergant homines in interitum & perditionem II. 35. *a. b.* diteſcere jubentur divites in bonis operibus. 38 *b.*

Dives Diviti juveni ſemper fere ſimiles eſſe dicuntur divites, & quomodo? II. 38. *b.*

Divinitas quid ſit? I. 80. *b.*

Divites quinam apud Lucam intelligantur & quare miſeri prædicentur? I. 62. *a. b.* moroſi eſſe dicuntur præ pauperioribus. 516. *a.* in hoc ſeculo, opponuntur pauperibus hujus mundi, divitibus in fide, & quid iis præcipi mandetur? II. 38. *a.* non altum ſapere debent, neque ſperare in divitiarum incertitudine, ſed in Deo illo vivente, præbente nobis abunde omnia ad fruendum, bene item agere, diteſcere in bonis operibus, faciles eſſe ad impertiendum, & pronos ad communicandum theſaurizantes ſibi fundamentum bonum, ut apprehendant vitam æternam. 38. *a. b.* 39. *a. b.*

Divitiæ pro immenſa copia. I. 87. *b.* gloriæ, quid? 154. *b.* 476. *b.* 531. *b.* mundi dicitur caſus Judæorum. 165. *b.* Chriſti, imperveſtigabiles, quæ? 481. *b.* divitias majores Moſes æſtimaſſe dicitur theſauris Ægyptiorum probrum Chriſti. II. 149. *b.* 195. *a.* onerant Chriſtianos. 220. *b.*

Divortium, vide. Repudii libellus.

Docentes ſedere ſolent, licet Chriſtus & ſtans nonnunquam docuerit. I. 61. *b.*

Docendi munus cum uſurpatione quadam authoritatis & præeminentiæ conjunctum eſſe dicitur, & quomodo? II. 11. *b.* ad docendum aptus quomodo eſſe debeat Epiſcopus? II 14. *b.* docere jubentur anus juniores ſeu juvenculas, & quid? 46. *b.*

Docti omnes a Deo fore dicuntur. II. 148. *a.* & quomodo? I. 568. *b.* tales fuiſſe dicuntur Theſſalonicenſes ibid.

Doctores ſeipſos docere debent & præſtare quæ alios docent. I. 94. *a. b.* II. 47. *a.* falſi, Galatas non bene ambiebant. 418. *a. b.* legemque ipſimet non ſervabant, & unde id pateat? 447. *b.* 448. *a.* in eccleſiis quinam fuerint? 484. *b.* 485. *a.* 501. *a.* Doctorum legis vaniloquentia, quæ? II. 3. *b.* doctores eſſe debuiſſent Hebræi propter tempus, & adhuc indigebant alimentis doctrinæ. 120. *a.*

Doctrinam ab Apoſtolica diverſam tradentes, obſervandi, & ſi diſſidiorum ſint authores, ab ipſis etiam declinandum. I. 200. *a.* doctrina Chriſtianorum, vide Chriſtiana religio, doctrinæ quovis vento circumferri, quid? 485 *a.* humana quanti facienda? 534. *b.* 535. *a.* diverſam docens, turget nihil ſciens, &c. II. 33. *b.* 34 *a.* doctrina ſecundum pietatem quæ dicatur? 33. *b.* ſana, quæ? 45. *b.*

Doctrinæ Dæmoniorum, quæ? II. 24. *a.* doctrinis variis & peregrinis circumferri non debemns. 221. *a. b.*
Dogmata poſt Apoſtolos exorta, quo loco habenda? II. 224. *a.*
Δοκεῖν quomodo uſurpetur in S. literis? I. 40. *b.*
Dolus, vide, fraus, & II. 281. *b.*
Domeſtici fidei qui? & quomodo iis potiſſimum præque aliis ſuccurrendum ſit? I. 446. *b.* Dei, qui? 408. *b.*
Domicilium, vide domus.
Dominationes quid? I. 477. *a.* in Chriſto quomodo conditæ dicantur? 528. *b.* 529. *a.*
Dominatûs, vide principatus.
Dominium abſolutum in vivos & mortuos, quando Chriſtus adeptus ſit? I. 187. *b.* Chriſti non eſt independens. 507. *a.*
Dominii vox quid denotet? I. 290. *a. b.* 291. *a.* articulo carens, pro Jehova vel Adonai ponitur apud Matthæum. 15. *b.* Dominus gloriæ dicitur Chriſtus. 255. *b.* Domino adhærens unus cum eo ſpiritus eſſe dicitur. 278. *a.* Conf. 288. *a.* Dominus cum articulo in Græco, Chriſtum deſignat more Paulino. 284. *a.* 607. *b.* ſed aliquando articulus etiam deeſt. 285. *a.* prout quando ſummus Deus denotatur. ibid. Dominus unus Chriſtianorum eſſe dicitur. 290. *b.* iſque Jeſus Chriſtus. ibid. & 291. *a.* per quem omnia, & nos per illum. ibid. quomodo prope eſſe dicatur? 514. *a. b.* Dominus dominantium dicitur Deus. II. 37. *b.* cum Domino ſemper fore dicimur & quomodo? I. 572. *a.* Dominus cum omnibus Theſſalonicenſibus eſſe optatur. 607. *b.*
In Domino, ſine articulo poſitum, quem & quid denotet. I. 371. *b.* 430. *b.* 489. *a.* 508. *b.* 591. *a.*
Domini multi eſſe dicuntur. I. 290. *a.* ſecundum carnem, qui, & quare ita dicantur? 490. *a.* eorum officium erga ſervos. 490. *b.* 537. *b.*
Domus Dei dicitur eccleſia. II. 17. *a. b.* 176. *a.* domum propriam regere quomodo debeat Epiſcopus. 15. *a.* liberi item & nepotes quomodo id diſcere debeant? 26. *b.* domi manentes eſſe debent juvenculæ, & quare? 46. *b.* pro domicilio & familia 101. *a.* ſuper domo ſua Chriſtus tanquam filius eſt. 102. *a.* quæ domus credentes eſſe dicuntur. 102. *b.* ita tamen, ut fiduciam & gloriationem ſpei uſque ad finem firmam retineant. ibid. ſpiritualis fieri jubentur Chriſtiani. 283. *a.*
Domus Iſraël, & domus Judæ, quinam dicantur? II. 147. *a. b.*
Donum quale Apoſtolus Romanis impertiri voluerit. I. 73. *a.* quiſque proprium habet ex Deo, alius ſic alius ita. 281. *a.* Spiritus ſancti credentibus incircumciſis datum fide hominem juſtificari indicat. 400. *b.* 430. *a.* Dei dicitur eſſe fides, & paſſiones pro Chriſto. 479. *a.* 505. *a.* gratiæ Dei, Paulo datum, quid? 481. *b.* Timotheus negligere non debebat, quod datum ipſi erat per prophetiam, cum impoſitione manuum miniſterii. II. 25. *a.* cæleſte guſtaſſe, quid? 124. *a.* 310. *b.*
Dona Dei impœnitibilia dicuntur. I. 170. *b.* membrorum Eccleſiæ ſunt varia. 175. *a. b.* amitti & contra etiam augeri poterant, ubi ſuſcitabantur & excolebantur. 175. *b.* Spiritus Sancti, non omnibus fidelibus in primitiva Eccleſia contigerunt. 322. *b.* neque ſenſum cruciatuum ademerunt, quem Apoſtoli aut alii Chriſtiani, religionis cauſa toleraverunt. ibid. & 323. *a.* quomodo Chriſtus dediſſe dicatur? 484. *b.* pro oblationibus, & ſacrificiis pacificis. II. 115. *a. b.*
Donari dicitur fides, & quando? I. 505. *a.*
Donec, quam vim habeat? I. 19. *b.* 20. *a.* 335. *b.*
Dormiens excitari monetur, vide, excitari.
Dormire pro, recens mortuum eſſe. I. 325. *a.* vide etiam, ob dormire. dormire ſicut reliqui prohibemur, ſobriique eſſe jubemur, cum qui dormiunt, noctu dormiant, &c. 573. *b.* 574. *a.*
Dorſum incurvare, ſignum triſtitiæ. I 165. *a.*
Δοξολογία Paulina. I. 473. *b.* 37. *b.* 38. *a.* Conf. 228. *b.* 272. *b.*
Druſius citatur. I. 38. *b.*
Dubitabat Paulus in Galatis, & quomodo? I. 419. *a.*
Dubitante conſcientia edens damnatur. I. 193. *b.* & quomodo? ibid.
Dubitationi hominum locum relinquit Deus. I. 47. *b.* 79. *a.* 328. *b.* dubitatio quid ſit? & quando ceſſet. II. 372. *a.*
Dubius, in religione qui eſt, conſolatione & confirmatione certudineque indiget. I. 532. *a.* in dubio aliqua relinquuntur, hocque ſatius eſſe dicitur. II. 302. *b.* vide, non liquere,
Ducere pro ferre. I. 51. *b.*
Duces ſeu ductores, vide, præfecti, & Dux.
Δουλεύειν, pro λατρεύειν. I. 553. *b.*
Duliæ cultus quis? I. 437. *a.* 553. *b.*
Duo ſunt in carnem unam. I. 278. *a.*
Durities cordis quid? I. 88. *a.*
Dux paſcens quid Matthæo? I. 27. *b.* fidei, dicitur Chriſtus, & quare? II. 202. *a.*
Duces Matthæus pro Chiliadibus ſeu millibus ſumpſit. I. 27. *a.*
Δύναμις quid ſit? I. 335. *a. b.* 477. *a.*

## E.

EBrietas quid? I. 439. *a.* ejus fœditas. 574. *a.*
Ebrietates, quid? I. 183. *b.* opus carnis dicuntur. 439. *a.*
Ebrii noctu inebriantur. I. 574. *a.*
Ebrioſus quis? I. 273. *a.*
Ecce, quid denotet? I. 15. *a.* 18. *b.* 364. *b.* 426. *a.*
Eccleſia dicitur Dei ædificium Deique templum. I. 192. *a.* item corpus Chriſti, & plenitudo omnium omnibus implentis. 477. *a.* ſanctificata a Chriſto dicitur, & abluta lavacro aquæ in verbo, ut ſiſteret eam ſibi glorioſam, non habentem maculam. 488. *b.* eam nutrit ac fovet Dominus. ibid. dicitur domus Dei. II. 17. *a. b.* item columna & firmamentum veritatis. 17. *b.* & quomodo? ibid. & 18. *a.* deficere poteſt, ſalva veritate & in Scriptura ſuperſtite. 17. *b.* veritati pondus & authoritatem minime dat, neque ante inquiſitionem veritatis neceſſario cognoſcitur. ibid. & 18. *a.* alia eſt, quæ in terris exiſtit, alia quæ olim in cælis futura eſt. 211. *b.* & utraque eſt civitas Dei viventis, eaque cæleſtis, & quomodo? 212. *a.*
Eccleſia in domo alicujus, quæ dicatur. II. 55. *b.* 56. *a* I 245. *b.*
Ab Eccleſia particulari quando & quibus ſeſe ſejungere liceat. I. 438. *a. b.*
Eccleſiæ miniſtris de omnibus bonis communicandum. I. 445. *a. b.* 446. *a.* eis obediendum. 507. *b.* II. 225. *b.* vide, præfecti, & Presbyteri. quales in primitiva eccleſia ad munus hoc evecti fuiſſe videantur? II. 13. *b.* 14. *a.* 15. *a.*
Eccleſiaſtica poteſtas, vide, excommunicatio.
Edens non edentem ne vilipendat, quid? I. 185. *a.*
Edere omnia quid? 185. *a.* Domino, eidemque non edere, quid? 186. *b.* 187. *a.* edere dubitante conſcientia, damnat. 193. *b.* cum ſcortatoribus, evaris, idololatris, &c. quomodo Paulus vetet? 273. *a.* ita debemus, ne offendiculo ſimus infirmis. 292. *a.* omne, quod in macello venditur, jubentur, nihil inquirentes vel diſcriminantes propter conſcientiam. 309. *a.* cum infidelibus licet, ſi nos vocent, & quomodo iterum non inquirere debeamus eo tempore, propter conſcientiam? 309. *b.* Conf. 190. *b.* edamus, bibamus, cras enim morimur, unde deſumptum ſit, & quomodo intelligatur? 344. *b.* cum quibus fratribus non liceat? 593. *b.* 599. *b.* 600. *a.*
Educatio liberorum, quid complectatur? II. 28. *a. b.*
Effectus pro cauſa. I. 70. *b.* 73. *a.*
Effundere. effudiſſe dicitur Deus Spiritum Sanctum copioſe in homines per Jeſum Chriſtum, ut juſtificati illius gratia hæredes efficerentur ſecundum ſpem vitæ æternæ. II. 52. *a. b.*
Egeſtas de circumeuntibus in melotis, & quibus mundus indignus fuiſſe dicitur; commemoratur. II. 197. *b.*
Ego Pauli, ego Chriſti, quomodo intelligatur? I. 250. *a.* 259. *b.* ego & prieri, quos mihi dedit Deus, quid? II. 96. *b.*
Egreſſiones ſeu egreſſus dominatoris, quid apud Michæam denotent? I. 27. *b.* 28. *a.*
Ejectio ancillæ, qualis intelligenda? I. 425. *a.*
Εἰς pro ἐν I. 31. *a.* 81. *b.* II. 187. *b.* I. 557. *a.*
Εἰς τὸ, quid denotare ſoleat? I. 196. *b.*
El, quid? I. 19. *b.*
Eleazarus ſenex, carnem ſuillam manducare recuſans, diſtentus eſſe dicitur. II. 197. *a.* quomodo tentatus eſſe dicatur? 197. *b.*
Electi qui? I. 142. *b.* nec accuſari nec damnari queunt. ibid. & 143. *a.* pro vocatis. II. 270. *b.* dicunturque electi ad gratiam, a quibus male diſtinguuntur electi ad gloriam. ibid. ſtrictior electorum ſignificatio quæ? 271. *a.* quomodo pauci dicantur, multi vero vocati? 290. *a. b.* 291. *b.* 292. *a.*
Electio pro electis. I. 164. *a.* infirmior, cum vocatione idem eſt, & quid tamen habeat peculiare? 551. *a.*
Eleemoſyna quoties & quomodo a Paulo fuerit collecta? I. 198. *b.*
Elementa mundi vocat Paulus legem, & quare? I. 423. *a. b.* Conf. 532. *b.* quomodo ad infirma elementa reverti, eiſque ſervire velle dicantur Galatæ? 416. *a.* exordii ſeu principii ſermonum Dei, quid? II. 120. *a.* 306. *a.*
Elenchus quid? & cur fides dicatur elenchus rerum, quæ non videntur? II. 183. *a. b.*
Elias Propheta aliquandiu in deſerto verſatus eſt. I. 33. *b.* Zona pellicea

pellicea fuit ſuccinctus. 37. *b.* miraculoſe jejunat. 50. *a.* interpellavit Deum contra Iſraëlem. 163. *a.* aciem gladii fide effugiſſe dicitur. II. 196. *b.*

In Elia, pro, in Hiſtoria ejus, ſeu parte Scripturæ, de Elia agente. I. 163. *a.*

Eligere. Elegiſſe nos quomodo Deus dicatur in Chriſto, ante jacta mundi fundamenta, ut eſſemus ſancti coram ipſo? I. 474. *a.*

Elilim, quid? II. 50. *a.*

Eliſabetha fuit cognata Mariæ, & ex Aaronis Familia genus duxit. I. 11. *a.* quomodo legem ſervaſſe dicatur? 413. *b.*

Eliſæus Propheta per Spiritum Dei nonnulla reſcivit. I. 45. *b.* fide aciem gladii effugiſſe dicitur. II. 196. *b.*

Ellipſis figuræ exempla. I. 3. *b.* 29. *a.* 115. *a.* II. 12. *a.* 20. *b.*

Elohim ſeu Dii, pro angelis. II. 50. *a.*

Eloquens, vide ſermonis excellentia.

Eloquia Dei concredita dicuntur Judæis, & quæ? I 98. *b.*

Elymas Magus, veritati reſtitiſſe, & a Paulo ſupplicio affectus eſſe dicitur. II. 293. *a.*

Ementes ſint tanquam non poſſidentes. I. 286. *b.*

Emmanuelis terra dicitur Judæa. I. 17. *b.* & quomodo. 18. *a. b.* nomen Chriſti proprium cenſeri debet. ibid. a quo Chriſtus ita dicatur vocandus? 19. *a.* & quid denotet? 19. *b.*

Emmaus vicus, vide apparitio.

Empti dicimur pretio. I. 278. *b.* 405. *a.*

Emundare, vide purgare, aut mundare.

Ἐν δυάμει, quomodo intelligendum? I. 69. *a. b.*

Ἐν pro εἰς. I. 81. *b.*

Enallage figura. I. 15. *b.* 30. *b.* 31. *a*, 181. *b.*

Ἐναλλάξ, quid? II. 320. *b.*

Encænia, unde dicta ſint? II. 160. *a.* & quid ſint? ibid.

Ἐνκαινισμὸς, quid? II. 175. *a.*

Ἐνκαινίζειν, quid? II. 160. *a.*

Encratitæ quid docuerint? II. 20. *b.*

Ἐνέργεια, quid? II. 476. *b.* 477. *a.*

Energumeni, vide Dæmoniaci.

Enoch, vide Henoch.

Ἐνοχλεῖν, quid? II. 207. *a.*

Epanalepſis. I. 92. *a.* 264. *a.* 270. *a.* 479. *b.*

Epaphras, alias Epaphroditus, laudatur a Paulo ob zelum. I. 177. *a.* commendatur ab eodem, & quare? 508. *b.* videturque Philippenſibus charus fuiſſe. ibid. ægrotaſſe dicitur, & convaluiſſe. ibid. & 509. *a.* dicitur conſervus Pauli, & Colloſſenſes docuiſſe. 526. *a.* de eo porro vide 538. *b.* II. 58. dicitur concaptivus Pauli. 58. *b.*

Epheſi quomodo Paulus cum beſtiis pugnaverit, vide pugna.

Epheſii ſtatus ſui priſtini in gentiliſmo admonentur. I. 479. b.

Epheſinæ Eccleſiæ ſenioribus quid prædixerit Apoſtolus? I. 589. *b.*

Ephraim filius Joſephi, vivax fuit. I. 5. *b.* pro decem tribubus. II. 147 *a.*

Ephrata dicta fuit Bethlehem. I. 26. *a.*

Ἐπὶ præpoſitio quid ſignificet? I. 7. *a.* 433. *a.* 479. *a.* 567. *b.* 511. *b.* II. 37. *a.* 137. *a.* 144. *a.*

Ἐπιείκεια, quid? II. 14. *b.* 50. *b.* vide, æquitas.

Ἐπιλαμβάνεσθαι quid? II. 98. *a. b.*

Epimenides cur proprius Cretenſium propheta a Paulo dicitur? II. 144. *b.*

Epiſcopatum deſiderans, quomodo bonum opus cupere dicatur? II. 13. *a.*

Epiſcopi requiſita enumerantur. II. 13. *a. b.* 14. *a. b.* &c. voce, proprietas quædam muneris tacite, inſinuatur. 13. *a.* an Apoſtolus velit, omnino uxoratum eſſe debere? 14. *a.*

Epiſcopi, vide eccleſiæ miniſtri. quinam dicantur? I. 501. *a.* eorum a presbyteris & paſtoribus diſtinctio, poſterioris eſt ævi, nec ex uſu S. Scripturæ, cui ſeniores & Epiſcopi iidem eſſe videntur. II. 13. *a.* 42. *b.* 43. *a.* duplicis generis fuere. 30. *b.* eorum privilegium quale? ibid. & 13. *a.* aliorum eſſe monemur. 206. *b.*

Epiſtolam ſuam priorem ad Theſſalonicenſes, Paulus omnibus fratribus legi, cum obteſtatione poſtulat. I. 580. *b.* ſuppoſititium ſibi jam tum triburam fuiſſe Paulus innuit. 586. *b.* per epiſtolam an inobedientes notari voluerit Paulus? 605. *a. b.*

Epiſtolæ Apoſtolorum conſtituunt alterum genus ſcriptorium N. Teſtamenti. I. 1. *a.* epiſtolis ſuas cur Paulus propria manu ſubſcribere conſueverit? & cur Galatis aut Theſſalonicenſibus propria manu ſcripſerit? 44. *a.* 60. *b.* 108. *a.*

Epiſtola ad Romanos non ex oblata aliqua occaſione videtur ſcripta, nec magis ad Romanos quam ad alios Chriſtianos. I. 65. *a.* continetque ſummam quandam doctrinæ Evangelicæ, legali oppoſitæ. ibid. ejus partes tres. 65. *a.*

Epiſtolæ I. ad Corinthios argumentum & partes. I. 247. in qua & alterius cujuſdam ad eoſdem Corinthios ſcriptæ epiſtolæ meminiſſe putatur. 272. *b.* caput 15 citatur. 619. *a.* & quouſque ab autore recognitum non ſit? 339. *a.* ſcripta eſſe dicitur Epheſi. 344. *b.*

Epiſtola ad Galatas citatur. 67. *a. b.* 83. *a.* 106. *a.* (II 146. *a.*) ejus commentarii quis fuerit autor? 375. 376. ejuſdem argumentum & diviſio. 377. quando, & ubi ſcripta ſit? 378. *b.* 391. *a.*

Epiſtola ad Epheſios. I. 473. &c. citatur. 527. *a.*

Epiſtolæ ad Philippenſes argumentum. I. 501.

Epiſtola ad Coloſſenſes, eſt compendium quoddam epiſtolæ ad Epheſios, magnaque inter utramque oſtenditur convenientia. I. 528. *b.*

Epiſtolæ I. ad Theſſalonicenſes, argumentum, occaſio, ſcopus, res, & partes. I. 549.

Epiſtolæ II. ad Theſſalonicenſes, argumentum I. 581.

Epiſtolæ I. Timotheum, argumentum, ſcopus, & partes. II. 1. *a.*

Epiſtolæ II. ad Timotheum, commentarius citatur. II. 59. *a.*

Epiſtolæ ad Titum, argumentum. II. 41. ea titulo tenus ad Titum, re autem vera ad totam eccleſiam directa eſſe dicitur. 41. *a. b.*

Epiſtolæ ad Philemonem, argumentum. II. 55.

Epiſtola ad Hebræos veluti ex Pauli officina prodiiſſe videtur. I. 66. *a.* conf. II. 68. ejus argumentum & ſcopus. 66. ejus autorem Paulum non eſſe dicitur, & quare? 67. 68. 69. 70. 90. *b.* (I. 608. *b.*) latina conſuetudine olim non recepta fuiſſe dicitur. 67. 68. Hebraice an Græce ſcripta ſit? 68. 69. 81. *a.* 132. *a.* 216. *b.* a ſpiritu S. dictata eſſe creditur, ob rerum & ſententiarum majeſtatem. 70. cæli & terræ creationem ad Chriſtum non refert, & quare? 83. *a. b.* ſcripta eſt templo adhuc ſtante. 149. *b.* 163. *a. b.* idque ex Italia, ſed non per Timotheum. 229. *b.*

Epiſtola I. Petri, citatur ab autore. I. 157. *a.* ejus argumentum. II. 269. ſcripta eſt ad Judæos. 270. *a. b.* 278. *a.*

Eraſmus citatur. I. 360. *b.* 432. *a.* 504. *b.* II. 19. *a.* 197. *b.* refutatur. II. 30. *b.*

Eraſtus, quæſtor urbis Corinthiacæ fuiſſe dicitur, Romanoſque ſalutat. I. 246. *b.*

Eremitæ notantur & cum Johanne Baptiſta ſeſe comparare nequeunt. I. 33. *b.*

Errant etiam magni viri. I. 341. *a.* ne errent Corinthii, monet jubetque Paulus. 345. *a.* ne errarent, cur Paulus Galatas monuerit? 445. *b.* errare an poſſimus in iis quæ credimus, etiam in neceſſariis ad ſalutem? adeoque in omnibus rebus, quæ ſenſui ſubjectæ non ſunt? & an id fatendum ſit? & an non hac ratione in religione perpetuo fluctuare dicendi ſimus? II. 326. *a. b.* 327. *a. b.*

Errantes quinam dicantur. II. 51. *a.* 115. *b.* 197. *b.*

Erroris mercedem in ſemetipſis recipere, quid? I. 83. *b.* error quando non excuſet? I. 426. *b.* 427. *a.* quid dicatur? II. 115. *b.* 116 *a.*

Errores quando excuſent? vide ignorantia.

Erudire nos quomodo gratia Dei ſalutifera dicatur? II. 48. *b.*

Eſaias, vide, Iſaias.

Eſavus, etiamſi major natu, rejectus tamen præ Jacobo, natu minore. I. 149. *a. b.* Edom appellabatur. 150. *a.* quomodo odio habitus dicatur? ibid. ejus exemplum an ad ſcopum apoſtoli quadret. 150. *a. b.* Eſaius cur poſt Jacobum nominetur? II. 193. *b.* jus primogeniti ſponſe ſuæ, an Dei decreto, vendiderit? ibid. vendidiſſe id dicitur propter unam eſcam, & hinc profanus dicitur 207. *b.* 208. *a.* imo reprobatus, nec locum pœnitentiæ inveniſſe, etiamſi cum lacrymis eam quæſiverit. 208. *a. b.* potuiſſe dicitur etiam primogeniti jure non vendito, nihilominus debita volenter, potiori benedictione, Jacobo deſtinata, excidere. 193. *b.* 208. *a.*

Eſavi mentio cur non fiat in genealogia Chriſti apud Matthæum? I. 4. *b.* Eſavo quomodo Iſaac benedixiſſe dicatur? II. 193. *a. b.* ejus matrimonium illicitum. 207. *a. b.* & an ſcortatio dicatur? ibid.

Eſca, vide cibus.

Eſcæ ventri, & venter eſcis, quomodo intelligendum? I. 277. *a.* eſcis cor ſtabilire non bonum eſſe innuitur. II. 221. *b.* 222. *a. b.* 223 *a.*

Eſdras dictus fuit ſcriba. I. 25. *b.*

Eſſe ex fide, ex operibus legis, &c. quid? I. 90. *a.* 403. *b.* 114. *a.* in carne, quid? 131. *a. b.* Domini, quid? 187. *a. b.* omnia, quid? 340. *a.* in aliquid, quid denotet? 357. *a. b.* ex cælo, quid? 361. *b.* in Chriſto, quid? 387. *a.* eſſe aliquid, vide aliquid, & 389. *b.* pro ſignificare. 420. *b.* in Deum, quid ſit? II. 148. *a.* apud dominum, quid ſit? 315. *b.* 316. *a.* idem ſcilicet, quod, eſſe cum Chriſto. 316. *b.* cum aliquo, quomodo Chriſtus dicatur? I. 607. *b.*

Eſurientes quinam tum apud lucam, tum apud Matthæum intelligantur? I. 62. *b.*
Eſuire, vide fames.
*Et* pro ſed. I. 19. *b.* 73. *a.* 76. *a.*
pro, ſic etiam, I. 362. *a.*
exegeticum. I. 70. *b.* Vide, &, pro, id eſt.
pro nam. I. 81. *b*
pro, id eſt, I. 128. *b.* 331. *b.* 380. *a.*
pro particula illativa. I. 361. *b.* 362. *a.* II. 4. *b.* 173. *b.*
Ethnicus, vide gentilis, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus, quomodo intelligendum? I. 601. *a. b.* 602. *a.* 600. *a.*
Ethnici an & unde ſpem conceperint aliquam futuræ vitæ? I. 89. *b.* an ejus quoque compotes ſint futuri 89. *b.* 91. *b.* Vide etiam, gentes, multos Deos minorum gentium habuere. 437. *a.*
Eva cum Adamo pro uno homine computantur. I. 124. *a.* quomodo ex carne Adami eſſe dicatur? 488. *b.* 489. *a.* quomodo ſeducta, cauſa tranſgreſſionis fuiſſe dicatur? II. 12. *a.*
Evacuare, vide, exinanire.
Euangelica lex, vide, lex.
Euangeliſtæ quinam dicantur? I. 1. *b.* (484. *b.* II. 42. *b.*) & quomodo differant? ibid nunquam & nuſquam dixerunt, Mariam virginem ex Davidica familia prognatam eſſe. 11. *a.* 12. *a.* multa dixere, quæ vulgo nota erant. 12. *a.* quare & hoc de Maria virgine, ſi notum fuiſſet, ſine dubio commemoraſſent, cum in eo non parum ſitum fuerit. ibid. cur ea non commemorent, quæ Chriſtus a pueris aduſque baptiſmi ſui tempus egerit? 32, *b.* 33. *a.* &, quæ a tentatione Chriſti uſque ad conjectionem Johannis incarcerem acta ſint a Chriſto, cur tres primi euangeliſtæ omiſerint? 55 *b.*
Euangelii vox quid ſignificet? I. 2. *a.* 562. *b.*
Euangelium ſecundum Matthæum, quid innuat? I. 2. *a.* hic titulus non eſt ipſius Euangeliſtæ. Euangelium regni quid ſit? 59. *b.* pro prædicatione Euangelii. 67. *b.* 562. *b.* cur Dei dicatur. ibid. promulgatum eſt ex promiſſo Dei per prophetas edito, adeoque Judæis ante Chriſtum traditum non eſt. ibid. quomodo per prophetas promiſſum ſit? 68. *a.* ejus objectum eſt filius Dei ibid. cur filius Dei dicatur? 72. *a.* imo Pauli? 72. *b.* cur potentia Dei dicatur? 74. *b.* & in ſalutem omni credenti. ibid. quomodo a lege differat. ibid. quomodo etiam mox probet Paulus, euangelium eſſe potentiam Dei in ſalutem omni credenti? 75. *a.* euangelium annuntiantes ex euangelio vivere debent. 296 *a.* pro parte euangelii præcipua. 311. *a.* Galatarum, cur aliud, & non aliud dicatur? 380 *b* Chriſti, quomodo turbatores Galatarum pervertere voluiſſe dicantur? 381. *a.* præter euangelium quæ ſint? 381. *b.* è cælo quomodo promulgatum eſſe dicatur? 423. *a. b.* euangelii & legis differentia duplex. 427. *b.* euangelio pacis quomodo pedes præparati eſſe jubeantur? 491. *b.* 492. *a.* gloriæ, beati Dei, quid? II. 4. *a.* ſuum, cur vocat Paulus? 4. *b.*
Euangelia quænam dicantur. I. 1. *b.*
Euangelizandi neceſſitate obſtrictus tenebatur Paulus. I. 296. *a. b.*
Euchariſtia, vide, euchariſticus ritus.
Euchariſtica ſacrificia quibus ceſſerint? II. 171. *b.*
Euchariſticus ritus Chriſtianorum, quis? I. 306. *a. b.*
Εὐδοκία quid? I 157. *b.*
Evellere, pro evulſionem prædicare. I. 117. *b.* 164. *b.*
Evigilare Paulus jubet Corinthios, & quare? I. 345. *a. b.*
Εὐλογία, quid? I. 200. *a.*
Evodia quæ fuerit? 513. *b.* 514. *a.*
Ex præpoſitio quid denotet? I. 14. *b.*
Ex ipſo quid denotet? I. 1-2. *q.*
Exacerbatio, pro contentione Iſraëlitarum cum Moſe & Deo. II. 104. *a.*
Exaltatio Chriſti, quanta? I. 477. *a.*
Excæca, pro, excæcationem denuntia. I. 117. *b.* 164. *b.*
Excommunicari aliquis poteſt, etiam ſine interveniente judicio apoſtolico. I. 605. *b.*
Excommunicatio quomodo & quando inſtituenda? I. 273. *a.* II. 287. *a.* vide, ſubducere, & diſciplina eccleſiaſtica, &,
Excommunicatus. an præter excommunicationem, aliud adhuc reperiatur animadverſionis eccleſiaſticæ genus? 600. *a.*
Excommunicatus quomodo tractandus a domeſticis, totaque eccleſia? I. 594. *a. q.* 599. *a. b.* 600. *a. b.* 601. *a. b.* 602. *a. b.* 606 *a. b.*
Execrabilis omnis, qui pendet in ligno, quomodo intelligatur? I. 405. *b.*
Execratio, vitæ in lege oppoſita, quid ſignificet? I. 393. *b.*
Exhortatio doctrinæ, quomodo ſumatur? II. 24. *b.* 25. *a.*
Exlex Deo noluit eſſe Paulus, ſed ſublex. I. 297. *b.* dicitur antichriſtus, & quare? I. 590. a.
Expectare revelationem Chriſti, quid? I. 249. *a.* quomodo Chriſtus expectare dicatur, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus? 174. *a.*
Expiatio quid? I. 110. *b.* II. 158. *b.* perfecta per Leviticum ſacerdotium cur non contigerit? 136. *b.* & quam imperfecta ſub lege fuerit? ibid. & 140. *a.* 146. *a. b.* 150. *b.* 151. *a.*
Ἐξουσίαι quid? I. 477. *a.* II. 50. *a.*
Exuti quomodo dicantur principatus? I. 533. *b.* II. 285. *b.* 286. *a.*

## F.

Fabulæ quæ intelligantur ab apoſtolo? II. 2. *a.* dicuntur profanæ & aniles, rejiciendæque. 23. *a.* Judaicæ quæ? 44. *b.* 45. *a.*
Facta quomodo omnia per Chriſtum dicantur? II. 72. *q.* 71. *b.* quæ dicantur abolenda. 216. *b.*
Factus progenitus. I. 68. *b.* 413. *b.* quomodo Chriſtus dicatur juſtitia & redemptio? item juſtificatio? 253. *a. b.* factus ſub lege quomodo dicatur? 413. *b.*
Fæmininum pro neutro. I. 420. *b.*
Familia in cælis & in terra, quæ? I. 482. *b.*
Fidelis ſeu credens, cur ſe ab uxore infideli ſeparare poſſit? 282. *b.* fidelem ſe quomodo dicat apoſtolus? 285. *b.* ſermo quid? II. 53. *a.* fidelis pontifex quomodo Chriſtus dicatur? 99. *b.*
Fideles, vide Chriſtiani, in Chriſto Jeſu, qui dicantur? 473. *a.* eorum præſtantia præ aliis in eo elucet, quod illis ſolis jus eſſe in omnes cibos dicatur. II. 22. *a.* quodque Deus potiſſimum eorum ſervator eſſe prædicetur. 24. *a.*
*Fides* pro donis credentium. I. 174. *b* pro aſſenſu in doctrina. 184. *a.* 492. *a.* pro firma & certa perſuaſione, eaque vera ſeu ſcientia, quæ ob ſcandalum futurum premenda dicitur. 193. *a.* eſtque totalis vel partialis. 193. *b.* Jeſu Chriſti, & Dei quid? 396. *a.* filii Dei, quid? 398. *a.* pro fidelitate ſumta, inter fructus ſpiritus numeratur. 440. *a. b.* pro fiducia, ex aſſenſu cognitioni Dei præſtito, promanante. II. 3. *a.*
Ex fide, & per fidem, idem eſt. 116. *a.*
*Fides ſalvifica*, pro doctrina de fide. I. 70. *b.* 116. *a.* 387. *a.* 410. *b.* fidei fama pro ipſa fide. 72. *a.* quomodo operibus oponatur, & quid ſit? 75. *q.* non requirit exactam divinorum mandatorum obſervationem, ut lex. ibid. per fidem homines juſtificari, non vero per opera quomodo Paulus probet? 77. *a.* 107. *b.* 395. *a.* 396. *a. b.* fides Jeſu Chriſti, quid ſit? 108. *a.* 395. *b* fide omnes homines juſtificati fuere quotquot unquam juſtificati ſunt, ſed non omnes fide in Chriſtum. ibid. fides in Deum & Chriſtum quid in ſe complectatur. ibid. 394. *b.* quomodo operibus opponatur? 108. *b.* 394. *b.* 395. *a* 428. *a.* per fidem quomodo lex ſtabiliatur? 116. *a.* fidei objectum & cauſa. 122. *a.* fides in corde, quomodo juſtificet? 160. *a.* fidei, qua creditur, Chriſtum reſuſcitatum eſſe ex mortuis, quomodo ſalus adſcribatur? 311. *b.* & quomodo fiduciam illam, qua ſervamur, pariat? ibid. & 312. *a. b.* quomodo opus Dei dicatur? 350. *b.* complectitur etiam pietatem vitæ, & quare? 394. *b.* 428. *a.* 429 *a. b.* veniſſe quomodo dicatur poſt legem? 410. *b.* 411. *a.* vera deſcribitur. 429. *b.* donum Dei quomodo eſſe dicatur? 479. *a.* fidei ſcutum quid? 492. *a.* fidem priorem quomodo juniores viduæ laſcivientes, nubereque volentes, irritam feciſſe dicantur? II. 29. *a.* quid? ſecundum ſtrictiorem & latiorem definitionem? 183. *a.* in Chriſtum, quæ ſit? ibid. ſtricte & proprie ſumpta, ab obedientia diſtinguitur eumque antecedit. ibid. quomodo ſalutis ſit cauſa? 186. *a.* eſt per Chriſtum in Deum, ceu objectum ultimum, in quo fides terminatur. 279. *b.* in Deum, non ad legem, ſed ad euangelium proprie pertinet, & cur? 306. *b.* 307. *a.* non omnium eſſe dicitur, & quomodo? I. 590. * *b.* 591. *a.*
Fieri in aliquid, quomodo uſurpetur? I. 357. *a. b.* nonnulla ſimpliciter dicuntur, quæ tantum perfectius fiunt. II. 119. *b.*
Filius alicujus etiam is cenſebatur, qui poſt ipſius mortem ex uxore ipſius, alteri viro juncta, primus naſcebatur. I. 12. *b.* Vide, frater, &, pater legalis, & II. 138. *b.* dilectionis, quid? I. 527. *a.* quis filius hominis dicatur ſabbati Dominus? 325. *a.*

# Index rerum & verborum Phraſiumque.


Filii nomen quomodo apud Matthæum ſumatur. I. 3. *b.* inter diverſa nomina ab Hebræis collocatum in genealogiis, ad propius referri ſolet? 4. *b.*

Filius Dei quis in ſcripturis dicatur? I. 28. *b.* quomodo ſubjiciendus dicatur ei; qui ſubjecit ipſi omnia? 339. *a. b.* prophetis opponitur, & quare? II. 70. *b.* ideoque etiam κατ' ἐξοχὴν filius Dei vocatur, cum prophetæ munus obiret? licet poſtea longe excellentiori adhuc ratione Dei filius evaſerit. ibid. quomodo adhuc in terris filius Dei fuerit? 71. *a.* Filius meus es tu, ego hodie genui te, quomodo intelligatur? ibid. & 117. *a. b.* Chriſtus ſubinde perfectiori ratione factus eſſe, quibus exemplis dicatur, doceaturque 119. *b.* Dei conculcare, quid ſit? 109. *b.* 180. *a.* quid de eo Patres antiqui inter Chriſtianos ſenſerint? 218. *b.* filius Dei & Chriſtus idem denotant, & quid inde ſerquatur? 272. *b.* filium eſſe rei alicujus, quid phraſi Hebræa dicatur? I. 573. *b.*

*Filii hominum* aut *arietum*, pro ipſis hominibus aut arietibus. I. 59. *b.* ſic filii incredulitatis, in obedientiæ, iræ, regni, teſtamenti, &c. dicuntur. 477. *b.* 487. *a.* 573. *b.*

In finem, quid denotet? I. 560. *a.*

Finis quid ſit, ubi de traditione regni Chriſti agitur? 330, *b.* 331. *a.*

Fines ſæculorum in Chriſtianos quomodo deveniſſe dicantur? I. 304. *b.*

Firmus fide, quis? I. 184. *a.* 185. *a.*

Fluctuatio in fide aut religione, an ex negatione ſummæ certitudinis ſequatur? II. 326. *a. b.* 327. *a.*

Flumina, ex ventre credentium profluentia, quid? I. 136. *b.*

Fœdus novum, ubi Chriſtus pepigit vetus abrogavit, & quouſque? I. 414. *a.* II 148. *b.* fœdus & ſacerdotium ſibi dignitate reſpondent. II. 146. *a.* ibid. novum, cur præſtantius ſit vetere? ibid. & 146. *b.* 147. *a.* & quibus verbis a Deo promittatur? 147. *a. b.* fœderis antiqui impotentia. 147. *b.* in fœdere quomodo mors teſtatoris neceſſario intervenire dicatur? 159. *a. b.* fœderis æterni ſanguis, quomodo dicatur? 227. *b.*

Fœdera 479. *b.* duo quid ſignificent? 420. *b.* & quomodo generare dicantur? 421. *a.* quomodo ſanciantur? II. 160. *a.*

Fœnum quam doctrinam denotat? I. 261. *b.*

Forma ſervi, quid? I. 506. *a.* Dei, quid? ibid.

Formari Chriſtus denuo in Galatis debebat. I. 419. *a.*

Forum ſectari, Chriſtiani prohibentur. Vide, lites.

Frater an is quoque, qui ſe ad eccleſiam noſtram non aggregat? 59. *b.*

Fratres Domini qui? I. 294. *a.* fratres cur ſecum junxerit Paulus in epiſtola ad Galatas? 378 *b.* & quos? ibid.

Fraus quid? I. 84. *b.* vide dolus.

*Fructus ventris* ſive *uteri tui*, pro filio vel filiis tuis. I. 13. *a.* pro hominum converſione & confirmatione in fide. 73. *b.* ſpiritus, qui ſint, & quare ita dicantur? 439. *b.* 440. *a.* ſpiritus non niſi omnes ſimul juncti, hominem regni cæleſtis faciunt participem, cum opera carnis, etiam ſigillatim, hominem a regno cælorum excludant. 440. *b.* quinam ſint? 439. *b.* 440 *a. b.* 487. *a.*

*Fugere* pro effugere. I. 40. *a.*

*Fulgura* ac *tonitrua*, pro procella. I. 209. *a.*

Fundamentum alienum, ſuper quod Paulus ædificare noluit, quodnam? I. 198. *b.* quod qui habet, ab eccleſiæ ſocietate jure arceri nequit. 261. *b.*

Futurum pro præſenti. I. 104. *b.* II. 156. *a.* ſæpe imperandi vim habet. 204. *b.*

Futura contingentia an Deus prævideat? I. 149. *a.*


## G.


Galatas cur Paulus fratres quidem, ſed nuſquam ſanctos vocaverit? 450. *b.*

Γάμος, quomodo uſurpetur? I. 259. *b.*

Gaudium in Spiritu S. quomodo ſumatur? I. 191. *a. b.* 552. *b.* poteſt conſiſtere cum rebus carni adverſis. 191. *b.* ſæpeque rebus ſecundis opprimitur. ibid. optatur Romanis. 196. *b.* quale inter fructus ſpiritus numeratur? 440. *a.* pro gaudio ſibi propoſito, Chriſtus crucem ſuſtinuiſſe dicitur, ignominia contempta, atque in dextra ſatis Dei ſedilſe. II. 202 *a. b.*

Genealogiæ quæ intelligantur? II. 2. *a. b.* cur infinitæ dicantur? 2. *b.* conf. 53. *a.*

*Generationes* pro gradibus genealogiæ, ſeu ſerie majorum Chriſti? I. 13. *b.*

Gentiliter quomodo Petrus vixiſſe dicatur? I. 392. *b.*

Genniſſe Chriſtum quomodo Deus dicatur? II. *b.* 78. *a.* vide etiam in fra in gignere.

Genus alicujus non ſolet ex matre cenſeri, ſed ex patre. I. 10. *b.*

Gignere ſeu genuiſſe aliquem, is dici poteſt, qui ejus non pater, ſed avus, imo & abavus fuit. I. 5 *b.*

Γίνεσθαι pro manifeſte apparere. I. 99. *b.* 105. *b.*

Gladius, Spiritus. quid? 492. anceps, progreſſus ex ore Domini, & gentes perentiens, quis ſit? I. 590. *a.*

*Gloria* pro ſplendore. I. 54. *a. b.* 81. *b.* Conf. 89. *b.* 90. *a.* 348. *b.* pro præſtantia & decore. 348. *b.* 352. *a.* gloriam Deo dare, quid? I. 121. *b.* Iſraëlitarum quæ? 146. *a.*

Gloria Dei, quomodo ſumatur? I. 109. *a.* in gloriam Dei quomodo nos Chriſtus ſuſceperit? 195. *a.* gloriæ Dei apparitio, quid? II. 49. *a.*

Gloriari in Deo, quid? I. 43. *b.* in afflictionibus. 122. *b.* 123. *a.* in hominibus, quid? 263. *b.* in carne aliorum, & in cruce Chriſti, quid? 448. *a. b.*

*Gloriatio* ſumitur pro gloriandi materia, 117. *b.* 197. *b.* 444. *b.* gloriationem quando quis in ſeipſum ſolum habere dicatur? 444. *b.* & non in alterum? 445. *a.* gloriatio ſpei, quid? II. 102. *b*

Glorificatio Dei quid denotet? I. 81. *a.* vide etiam δοξολογία.

Glorificatus an eodem modo ſit Deus a Chriſto, & Chriſtus a Deo. I. 332. *a.*

Glorioſa, corpora, qualia futura? I. 352. *b.* eorum potentia quæ? 353. *a.*

Gradus ſummus virtutum, an a nobis requiratur? II. 280. *b.*

*Græcus* pro omni gentili homine, & quatemus Judæo opponitur I. 74. *b.* 160. *b.* 388. *b.*

*Græci* pro cultioribus Gentibus. I. 73. *b.* pro Ethnicis ſeu gentibus. 103. *a.*

Græcorum Monarchia, tanquam unus aliquis, conſiderari dicitur. I. 587. *b.*

*Gratia divina*, pro gratiæ effectu, & hoc pacto non ſemel Apoſtolus appellat munus ſuum. I. 70. *b.* 174. *a.* 260. *b.* 481. *b.* ſignificat favorem. 71. *b.* 379. *a.* 473. *a.* cur etiam Chriſti dicatur? 175. *b.* opponitur operibus meritoriis. 163. *b.* eam Paulus a Deo & Chriſto, non vero a Spiritus. præcatur, & quare? 379. *a.* eam quomodo Paulus irritam non faciat? 398. *b.* 399. *a.* ea quomodo, gentiles, ſi circumcidantur, & juſtificationem in lege querant, excidiſſe dicantur? 427. *b.* pro doctrina Chriſti, gratia divina plena. 217, *a.* gratia cor ſtabiliri debet, non eſcis, & quomodo? 221. *b.* 222. *a.*


## H.


Habitare quomodo dicatur Chriſtus in cordibus noſtris per fidem in Charitate? I. 482. *b.* 483. *a.*

Hæreſis quid? I. 438. *b.*

Hæreſes opus carnis dicuntur. I. 438. *b.* quomodo a ſectis differant? ibid.

Hæreticus homo quomodo vitari præcipiatur? I. 432. *a.* 438. *b.* II. 53. *a. b.* ſumitur pro Hæreſiarcha. 53. *a. b.*

Hæretici an devovendi aut gladio puniendi? I. 432. *a. b.* 433. *a.* eis martyrum gloriam concedere indignum eſt. 433. *a.* quinam ab eccleſia ſegregandi ſint? 438. *b.* 439. *a.* ab apoſtatis diſtinguuntur proprie dictis, & quomodo? 439. *a.*

Hebdomadæ Danielis an ab ipſo & aliis recte intellectæ fuerint, quod proprie intelligi non deberent? I. 23. *b.* 24. *a.*

Helleniſtę qui? I. 509. *b.* II. 270. *b.*

Hendiaduo figura. I. 57. *b.* 94. *a.* 162. *b.* 478. *a.* 570. *b.* 590. *b.* II. 16. *a.* 49. *a.*

Henoch fide cum Deo dicitur, & quid hoc ſit? ibid.

Heri & hodie idem, quomodo Chriſtus dicatur? II. 221. *a.*

Herodes quare turbatus fuerit, audiens, Judęis natum eſſe regem? 25. *a.* cur magos clam vocaverit? 28. *a.* cruentum ſuum conſilium non mox executus eſt, ſed ad tempus opportunius diſtulit. 28. *b* quando infantes occiderit? 29. *a. b.* cur Joannem in carcerem conjecerit? 55. *b.*

Hodie quid ſignificet? II. 78. *a.* 103. *b.* 106. *a. b.* 109. *a b.*

Hodiernus dies, quid ſit? II. 297. *b.* 298. *a.*

Homo in tres partes diſtinguitur, in ſpiritum ſcilicet, & corpus. I. 519. *a.* pro vulgari & mortali homine. 378. *a.* pro aliquo, ſeu quopiam. 442. *b.*

Honor quid? I. 50. *a.* 181. 352. *a.* (II. 276. *a.*) 566 *b.* quonam alios præoccupare jubeamur? I. 6. *b.* quali honore viduæ honorari jubeantur? II. 26. *a.* duplici honore quomodo digni dicantur presbyteri? 30. *b.* quonam ſervi Dominos ſuos

dignos arbitrari debeant? 32. *b*. 33. *a*. quomodo a laude differat? 276. *a*.
*Humiliari*, pro pauperem eſſe, aut, penuriam pati. I. 515 *b*.
Humilibus ſimul abduci, quid? I. 178. *a*.
Humilitas pro paupertate. I. 251. *b*. 536. *a*. per eam quomodo alii alios eminentiores ſeſe eſſe cogitare debeant? 505. *b*. in externis, quæ ſit? 534. *a*.
Hypallage, ubi? I. 327. *a*. 584. *a*.
Hyperbaton, ubi? II. 2. *a*.
Hyperbole figura. I. 52. *b* 53. *a*. 120. *a*. 342. *b*.
Ὑπερφρονεῖν quid? I. 174. *b*.
Hypoſtaſis Dei, pro ipſo Deo. II. 73. *a*. quid? 106. *b*. rerum ſperandarum, quomodo fides dicatur? 183. *a*.

## I.

Jacobus frater Chriſti, quis ſit?
*Idem* pro ſimili. I. 87. *a*. conf. 445. *b*.
Idololatræ qui ſint? I. 272. *b*. 437. *a*.
Idololatria quid? I. 302. *b*.
Ἱερουργεῖν quid? I. 197. *a*. *b*.
Jeruſalem cur dicatur civitas ſancta? 52. *a*.
Jeſus nomen, quod Hebraice eſt Jehoſchua, quid ſignificet? I. 16. *b*.
*Jeſus* pro Joſua, Moſis ſucceſſore I. 16. *b*. II. 110. *a*.
*Jeſus*, pro religione ab ipſo tradita. I. 570. *b*.
Jeſus Chriſtus non fuit è Joſepho conceptus. I. 14. *a*. heri & hodie idem eſſe dicitur, & quomodo? 221. *a*.
Ignis quo baptizandi dicuntur homines, quid denotet? I. 43. *b*. in igne cujuſque opus revelandum probandumque eſſe dicitur, & quomodo? 262. *a*. tanquam per ignem ſervari quid? 262. *b*. pro graviſſimis ſuppliciis, & ira Dei? II. 179. *b*. ex igne rapere, quid? 287. *a*. flammæ, quis? I. 383. *b*. igne quomodo omnis homo ſaliendus dicatur? II. 313. *a*. *b*. 314. *a*. *b*.
Ignis infernalis dicitur ignis flammæ. I. 583. *b*.
Ἱλάσκεια quomodo ſumatur? II. 99. *a*. 150. *a*.
Ἱλαστήριον, quid? I. 110. *b*.
Imagines derogant majeſtati Dei, viamque ad idololatriam ſternuat, & hinc Deus eas prohibet. I. 82. *a*. cur Deus ſeipſum Danieli & Joanni ſpectandum ſub hominis imagine exhibuerit? ibid. vide porro de imaginum cultu. 437. *b*.
Imago filii Dei, quid? I. 141. *b*. Dei, cur Chriſtus dicatur? 527. *a*. *b*.
Immerſio baptizandi in aquam, quid denotat? I. 411. *b*.
Immortalitas quomodo ſumatur? I. 367. *a*.
Immortalis dicitur Deus. II. 6. *b*. & ſolus habens immortalitatem. 37. *b*.
Imperfectum pro præſenti. I. 104. *b*. pro optativo. 145. *b*.
*Impingua*, pro impinguanda denuntia. I. 117. *b*. 164. *b*.
Impleri quomodo ſcriptura V. T. nonnunquam dicatur in N. T. I. 21. *b*. 30. *a*. 31. *a*. 36. *b*.
Impoſſibile legis, quid? I. 135. *b*. aliquid, varie dici poteſt. 616. *a*.
Impoſſibilitas converſionis apoſtatarum, qualis? II. 123. *b*. 124. *a*. *b*. 307. *a*. *b*.
Imprecari an hæreticis liceat, exemplo Pauli? I. 432. *a*. *b*.
Imputari ad juſtitiam, quid? I. 118. *a*. *b*. 119. *a*. 402. *a*. *b*. cur a Paulo dicatur binis quaſi vicibus Abrahamo fidem ad juſtitiam imputatam eſſe? 121. *b*.
Imputatio aliqua juſtitiæ & ſanctitatis Chriſti, an ſit? I. 253. *a*. conf. 125. *a*. 126. *a*.
*In* redundat. I. 43. *b*. 72. *b*. 160. *a*. 443. *a*. 473. *b*. 488. *a*. 494. *b*. 570. *b*.
*In* pro circa. II. 150. *a*. pro inter. I. 70. *b*. pro ex. I. 72. *b*. 76. *a*. pro cum. I. 78. *a*. 81. *b*. 199. *a*. 350. *a*. 380. *b*. 403. *a*. 474. *b*. II. 119. *a*. 163. *b*. I. 555. *b*. 571. *b*. pro per. I. 101. *b*. 327. *a*. II. 70. *b*. 129. *a*. 175. *a*. 183. *b*. pro de. I. 343. *b*. 505. *a*. pro ad. II. 175. *a*.
*In quo*, pro, in eo quod 193. *a*.
*In me*, pro, mihi. I 385. *a* propter me. 387. *a*.
Incarnatio Chriſti fruſtra colligitur. II. 96. *b* 97. *a*.
Incorruptibilitas continet gloriam & honorem, ponique ſolet pro vita æterna. I. 89 *b*. quomodo alias ſumatur? 367. *a*.
Incredulitas Judæorum fidem Dei non abolet. I. 99. *a*. *b*. quomodo gentibus ante Chriſtum cognitum tribuatur. 477. *b*. 478. *a*. Paulum non omnino excuſabilem reddidit. II. 5 *a*. Iſraelitis impedimento fuit, quominus in terram promiſſam ingrederentur. 107. *a* 109. *a*. *b*. cavenda itaque eſt Chriſtianis. 110. *b*. cum & pœna exitii æterni eam manere dicatur. vide, non credentes.
Increpare, vide, objurgare.
Inculpate ſervari debet Spiritus noſter, anima & corpus, in adventu Chriſti. I. 579. *a*. & quomodo id fiat? ibid.
Inculpatum quomodo, ſe Chriſtus Deo obtuliſſe dicatur? II. 156. *a*.
Inculpati quomodo dicantur Diaconi. II. 16. *b*. item Presbyteri? 43. *a*. & Paulus cum ſociis ſuis, 557. *b*.
Incurvari, quid? 165. *a*.
Indefinita oratio univerſali quando æquipollere ſoleat? I. 404. *a*.
Indiſinenter, pro, quam frequentiſſime I. 72. *b*. 577. *b*. 578. *a*.
Indigere extranei ope, indecorum eſſe dicitur. I. 569. *b*.
Induere arma lucis quid? I. 187. *b*. incorruptibilitatem & immortalitatem, quid? 367. *a*. induiſſe Chriſtum quomodo baptizati in eum dicantur? 411. *b*.
Indulgentia Dei in temporibus ante Chriſtum. I. 112. *b* 113. *a*.
Indumentum, vide induere.
Indurare quomodo Deus dicatur? I 152. *a*. *b*. 154. *a*.
Induratio Judæorum. Vide, occalluiſſe. quandiu durare debuerit? I. 164. *b*. debeatque adhuc? 168. *b*. quomodo contingat? 171. *b*.
Indutum eſſe, & non nudum, quid ſignificet? II. 315. *a*.
Inebriari homines dicuntur noctu. I 574. *a*.
Ineſſe quomodo negetur Judæus aut Græcus &c. I. 411. *b*.
Inexcuſabiles quomodo dicantur homines? I. 80. *b*. 81. *a*. 86. *b*.
Infans eſt, qui lacis eſt particeps II. 120. *b*.
Infantes qui dicantur? I. 94. *a*. 485. *a*. in Chriſto, qui? 259. *a*. (II. 120 *b*.) infantum baptiſmus, vide pædobaptiſmus. quare Iſraëlitæ fuiſſe dicantur uſque ad captivitatem Babylonicam. 412. *b*. 413. *a*. tanquam modo nati infantes, rationale ſincerum lac deſiderare jubemur, ut in ipſo creſcamus. II. 282. *a*,
Infenſus, vide iratus.
Inferiora terræ, quid? I. 484. *b*.
Inferni victoria, quæ? I. 368. *b*. 369. *a*. portæ. 369. *a*. terra oblivionis cur vocetur? ibid.
Infidelibus nihil purum eſſe dicitur. I. 282. *b*. II. 45. *a*. vide, pollutis.
Infidelitas, vide, incredulitas.
Infinitivus pro futuro. I. 121. *b*. quam vim alias habeat? 177. *b*.
Infirmi fide, qui? I. 184. *b*. 185. *a*. 292. *a*. 297. *b*. ſuſcipi quomodo jubeantur. ibid. qua de remoneantur? 189. *a*. non ſcandalizandi ſunt. 292. *a*. *b*. eis quomodo Paulus tanquam infirmus factus ſit? 297. *b*. quomodo tolerari debeant. 577. *a*.
Infirma mundi Deus elegiſſe dicitur. I. 252. *b*.
Infirmari qui dicantur, oppoſite ad ſcandalizatos? I. 193. *a*.
Infirmitas Dei potentior eſt hominibus. I. 252. *b*. hominis, in quibus rebus conſiſtat? 352. *b*. 353. *a*. per infirmitatem carnis quomodo Paulus Euangelizaſſe dicatur. 417. *a*. infirmitate circumdatus quomodo Chriſtus fuerit? II. 116. *a*. & quomodo pro ea obtuliſſe dicatur? 116. *b*. 118. *a*.
Infirmitates fidei & juſtificationi non obſtant I. 75 *b*. 92. *a*. 122. *a*. *b*. 129 *a*. 395. *a*. 428. *a*. eis opitulari dicitur ſpiritus. 140. *a*. pro afflictionibus. 254. *b*. II. 113. *b*. aliorum ferre jubemur. I. 443. *b*. innuuntur remittendæ. II. 124. *a*. *b*. vide etiam, præoccupari, & 157. *b*.
Inflari contra alterum quid? I. 266. *b*.
Inflati quinam dicantur? I. 268. *b*. 296. *b*. 534. *a*. II. 15. *b*. 34. *a*.
Ingenii quanta vis in Chriſto fuerit? I. 615. *b*.
Ingerere ſe, vide, Curioſitas, & I. 534. *a*.
Ingredi in requiem Dei, quid? II. 110. *a*. in eam ſtudere debemus 110. *b*.
Ingreſſus Chriſti in cælum, non eſt vera conditio remiſſionis peccatorum. vide oblatio Chriſti. Chriſti in mundum, quid denotet? II. 168. *b*. 169. *a*. *b*. Pauli ad Theſſalonicenſes quis, fuerit? vide, introitus.
Inimicitia in Deum, dicitur ſenſus carnis. I. 136. *a*.
Inimicitiæ opus carnis dicuntur. I. 437. *b*. eas Chriſtus abolevisſe in corpore ſuo dicitur. 479. *b*. 180. *a*.
Inimicus etiam cibandus potandusque. I. 179. *a*. ultimus Chriſti, dicitur mors. 336. *b*. 337. *a*. Paulus Galatis quomodo factus dicatur? 418. *a*.
Inimici ponendi ſub pedes Chriſti, quinam ſint? I. 336. *a*. Vide hoſtes (& II. 86. *a*.) crucis Chriſti, quinam dicantur? 512. *b*.
Initiare, quid? II. 160. *a*. 175. *a*.
Initium euangelii Jeſu Chriſti apud Marcum elliptice dicitur, & qualis ſit titulus. I. 3. *b*.
Initium æternitati quam maxime repugnat. 27. *b*. initium dierum Melchiſedec habuiſſe negatur, & quomodo? II. 132. *b*.

# Index rerum & verborum Phraſiumque.


Ab initio, minime denotat æternitatem. I. 27. *b.* conf. 588. * *b.*

Injuria potius toleranda, quam forum ſectandum I. 275. *a. b.* niſi forte illa gravior ſit. 275. *b.* eam faciens reſervet eandem. 537. *b.*

Injuſtus quomodo Deus fore dicatur, ſi obliviſceretur operis Chriſtianorum, olim præſtiti? II. 126. *b.* 310. *b.* 311. *a. b.* 312. *a.*

Injuſti cur dicantur judices, Chriſtianæ religionis expertes. I. 273. *b.* opponunturque ſanctis. ibid. regnum Dei non hæreditaturi dicuntur. 275. *b.*

Injuſtitiæ vox quomodo ſumatur? I. 78. *b.* 84. *a.* 90. *a.* II. 126. *b.* 311. *b.*

Innuptis quid ſuadeat Paulus? I. 281. *a. b.* Vide cælebs, cælibatus, & virgo.

Inobedientes qui? I. 90. *a.* notari, & vitari jubentur. 605. *a. b.*

In inobedientiam quomodo Deus homines concludat? I. 171. *b.*

Inordinate ſe non ambulaſſe Paulus ait. I. 602. *b.*

Inordinati, qui dicantur? I. 576. *b.* 592. *a. b.* 593. *a.*

Inquirere, vide. probare.

Inſertio Judæorum quid? I. 168. *a.*

Inſipientes quinam dicantur? I. 85. *a. b.* vide ſtultus. & 488. *a.* II. 51. *a.*

Inſpectores alii aliorum, & epiſcopi quidam, eſſe monemur. II. 206. *b.*

Inſtituenti ſe, inſtitutus largiri debet de omnibus bonis. I. 445. *a.* 469. *b.*

Intellectus omnis hominum ex ſenſibus primum proficiſcitur? I. 80. *a.*

Intelligentia quid? I. 526. *b.*

Intelligere vide cognoſcere.

Non intelligere dicuntur doctores legis quæ loquuntur, & de quibus aſſeverant. II. 3. *b.*

Intentus ſibi ipſi & doctrinæ eſſe, jubetur Timotheus. II. 25. *a. b.*

Intercedere ſeu interpellare pro nobis dicitur ſpiritus. I. 140. *b.* 141. *a.* item Chriſtus. 143. *b.* II. 142. *b.* 143. *a.*

Interitus repentinus ſecuris ſuperventurus dicitur. I. 573. *a.*

Interpellatio quid? I. 140. *b.* 143. *b.* Vide, intercedere, & II. 74. *a.*

Interpellationes quid? II. 8. *b.*

Interpretatio S. Scripturæ, vide Scriptura Sacra.

Interpretes Hebræi notantur. I. 164. *a.*

Interpretes Græci aliter nonnunquam verba reddiderunt, atque in Hebræo habetur. I. 263. *b.*

Interruptionem Euangelii quomodo Paulus intelligat? I. 295. *b.*

Introductus quomodo iterum dicatur Chriſtus ceu primogenitus in orbem terræ? II. 78. *b.* 79. *a. b.*

Introitus Pauli ad Theſſalonicenſes, vanus non fuiſſe dicitur. I. 554. *b.*

Invenire pro conſequi. I. 116. *b* II. 114. *b.*

Inventa eſt gravida ex Spiritu Sancto quid apud Matthæum? I. 14. *b.*

Inventoris malorum qui? I. 85. *a.*

Invidere alii aliis prohibemur. I. 442. *a.* II. 287. *a.*

Invidia quid? I. 84. *b.* inter opera carnis numeratur. I. 439 *a.* propter invidiam aliquos Romæ prædicaſſe Paulus ait. 503. *b.* 504. *a.* ex logomachiis naſci dicitur. II. 34 *a.* quomodo ab æmulatione bona diſtinguatur? 281. *b.*

Inviſibilia Dei quæ dicantur? I. 79. *a.*

Inviſibilis Dei imago dicitur Chriſtus. I. 527. *a. b.* quare dicitur Deus? II. 6. *b.* 37. *b.*

Invitus quid Paulo? I. 196. *b.*

Invocare Chriſtum, vide invocatio.

Invocatio pro cultu divino. I. 248. *a.* Chriſti quomodo a nonnullis convellitur, & contra eoſdem evincatur? 379. *a. b.* 564. *b.* 565. *a.*

Joachaz dicitur Achazias II. Paral. 22. 1.

Joachas ex alio nomine eſt Johannan dictus eſt. I. 6. *b.*

Joakim Rex Jechoniæ Pater in vulgatis exemplaribus omniſſus eſt in genealogia Chriſti apud Matthæum. I. 6. *b.* collocandus tamen omnino eſt. ibid.

Joannes Baptiſta quando venerit? I. 32. *b.* & unde? 33. *a.* & quo? ibid. cur a pueris in deſerto ad uſque prædicationis ſuæ tempus vixerit vivereque debuerit? ibid. & 33. *b.* non id præcepit quod legis diſciplinam admodum ſuperaret. 35. *a.* neque vitam æternam aperte promiſit. ibid. & 35. *b.* indumento uſus eſt è pilis cameli, ſeu camelorum, & quale illud fuerit? 37. *a. b.* quali cibo uſus ſit? 37. *b.* miratur Phariſæos ad ſuum baptiſmum venire. 39. *b.* quod Judæorum ſupplicium per exciſionem intellexerit? ibid. quomodo putaverit, ſe opus habere, ut a Chriſto baptizaretur? 44. *b.* 45. *a.* an cognoverit Chriſtum, antequam videret Spiritum Sanctum ſuper ipſum deſcendentem? 45. *a.* quomodo Chriſtum ad ſe venientem cognoverit? ibid.

Joas Filius Ochoziæ, omiſſus eſt in genealogia Chriſti, & cur? I. 6. *a.*

Joſephus Mariæ ſponſus, quomodo ſimul & Jacob & Eli filius dici poſſit? I. 9. *a.* 10. *a.* ejus majores duplici ratione ad Davidem referuntur? ibid. cur dicatur a Matthæo vir Mariæ, ex qua natus ſit Jeſus? 10. *b.* cur filius Davidis ab Angelo appelletur? ibid.

*Ipſe*, pronomen, quomodo uſurpetur? I. 37. *a.*

*Ira* pro pœna & ſupplicio. I. 39. *b.* 77. *b.* 101. *a.* 478. *a.* 554. *a.* quid ſit? 88. *a.* immoderata quid? 438. *a.* quatenus prohibeatur? 535. *b.* II. 10. *b.*

Iræ locum dare, quomodo intelligatur? I. 178. *b.* 179. *a.*

Iraſci permittit Apoſtolus, & quomodo? I. 486. *a. b.*

Ironia Pauli. I. 266. *b.*

In Iſaaco nominabitur tibi ſemen, quomodo intelligatur. I. 47. *b.* II. 193. *a.*

Iſaiæ locus de puero ex Virgine naſcituro quo pacto ad Jeſu Chriſti nativitatem referri queat? I. 17. *a. b.* 18. *b.*

*Iſraël* pro populo Iſraëlitico. I. 27. *b.* 50. *a.*

*Iterum*, pro, viciſſim. I. 52. *b.*

*Judæus* pro Iſraëlita. I. 93. *a. b.* Judæus in manifeſto aut occulto quis? 96. *b.*

Judæi quomodo a Deo fuerint indurati. 154. *a. b.* an omnes ſint a Deo rejecti? 162. *b.* 163. *a.* & in perpetuum, ſeu, ut caderent? 165. *a. b.*

Judæ tribui nihil de ſacerdotio Moſes locutus eſſe dicitur: II. 138. *a.* & quomodo Chriſtus ex tribu Juda ortus eſſe dicatur? 138. *b.*

*Judicare* quid? I. 168. *a.* 588. *a.* vide κρίνειν. pro damnare & pœna dignum cenſere. 86. *b.* & quando ſeu quibus id non conveniat. ibid. & 87. *a.* ſancti quomodo mundum judicaturi dicantur? 274. *a.* & Angelos? 274. *b.* de neceſſariis ad ſalutem, deque hæreticis, paucorum hominum eſt. 432. *b.*

Judicari quomodo Deus dicatur? I. 100. *b.* ſecundum homines judicari, quid ſit? II. 289. *a.*

*Judicium* quomodo Chriſtus nunc quoque exerceat? I. 44. *a.* pro pœna divina. 180. *a.* 430. *b.* II. 179. *a.*

Judicii vis quanta in Chriſto fuerit? vide ingenium.

Judicium extremum. in eo omnes homines comparebunt judicandi. 165. *b.* & mali igne fervidiſſimo in æternum torquendi perdendique. 179. *a. b.*

Judicia publica cujus ſint cenſenda? I. 96. *b.* ſub injuſtis a fidelibus haberi vetat Apoſtolus. 273. *b.* 274. *a. b.* 275. *a.* Vide judices. imo ſub Chriſtianis judicibus in foro haberi, indecorum quoque eſſe cenſetur. 275. *a.*

Jurare Deo quid? I. 188. *b.* in eo ſub N. Teſtamento divinus cultus non amplius conſiſtit, ſed in eo potius, ne facile juremus, idque tantum in nomine Dei aut Chriſti. 188. *b.* 189. *a.* jurare licet in rebus magni momenti. 387. *a.*

Juſtus quomodo dicatur Joſephus. I. 14. *b.* quis in S. Literis dicatur? 76. *a. b.* 91. *b.* an nemo prorſus ſit? 104. *a.* 404. *a.* ex fide victurus dicitur. 404. *a.* & quomodo? ibid. & 404. *b.* II. 182. *a. b.*

Juſti conſummati, ad quorum ſpiritus Hebræi acceſſiſſe dicuntur, quinam ſint? & quinam eorum ſpiritus eſſe dicatur. II. 213. *b.* 214. *a.*

*Juſtificare* pro liberare. I. 128. *a.* pro, ut juſtum tractare. 158. *b.* 393. *b.*

Juſtificationis aſſequendæ modum Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos explicat. 65. *a.* ejus quot ſint modi? 77. *a.* 393. *b.* de juſtificatione abſque legis operibus teſtimonia 107. *b.* juſtificatio quando incipiat? 108. *a. b.* 114. *b.* ſit gratis 109. *b.* 479. *a.* vide ſervamur. per redemptionem Chriſti. 110. *a.* quid ſua natura ſit? 158. *b.* inchoata antecedit & ſequitur ſanctificationem. 253. *b.* quomodo tum in lege tum in Euangelio ſumatur? 394. *a. b.* 428. *b.* legalis Pauli temporarium tantum fructum habere dicitur. 510. *b.* inperfectior, ſeu inchoata, quæ dicatur? II. 52. *b.* perfectior ſeu plenior, quæ? ibid.

Juſtificationes legis quid? I. 95. *b.* II. 149. *b.* dicuntur juſtificationes carnis. 151. *b.*

*Juſtitia Dei* pro juſtificatione. I. 75. *a.* 107. *a.* 112. *a.* 126. *b.* 158. *a.* 428. *a.* 510. *b.* pro ſalute & fide Dei. 75. *b.* 111. *b.* 112. *a.* proque ejus benignitate. 111. *b.* quomodo porro ſumatur? 428. *a.*

Juſtitiam omnem quomodo Chriſtus impleri debere dicat? I. 45. *b.* ſed non ante Chriſtum? 107. *a.* etiamſi eam quoque nonnunquam in hominibus juſtificandis uſus fuerit

Deus. ibid. propria quid? 158. *a.* ex lege, qualis ſit? 158. *b.* (520. *a. b.*) ex fide quæ ſit? ibid. & quid dicat? ibid. & 159. *a. b.* Juſtitiæ corona quid? 428, *b.* Juſtitia quid? 487. *b.* Juſtitiæ thorax, quid? 491. *b.* Juſtitia dupliciter ſumitur. II. 126. *b.* pro juſtitiæ præmio. 186. *b.* Juſtitiæ ex fide hæres quomodo Noë factus dicatur? ibid. & 187. *a.* Juſtitiæ fructus, quid? 205. *b.*

K.

KAi pro viciſſim etiam. I. 199. *a.*
Καιλία quomodo a κοιλία diſtinguatur? I. 84. *b.* Conf. 486 *b.* quid ſit? 536. *a.*
Καιροφθεία, quid? I. 84. *b.* 85. *a.*
Καρτερεῖν, quid? II. 195. *b.*
Καρτερία quid habeat? I. 177. *a.*
κατὰ, ſecundum quid ſignificet? I. 88. *a.* pro ἀλλὰ, ſeu per. 89. *a.*
Καταβραβεύειν, quid? I. 534. *a.*
Κατάκριμα quid? I 430. *b.*
Κατὰ πίστιν, quid ſit? II. 170. *a. b.*
Κατηχέμενος quid? I. 93. *b.*
Κεφάλαιον, quid? II. 144. *a.*
Κλητοὶ qui dicantur? & quomodo differant κεκλημένοις? I. 71. *a.* II. 291. *b.*
Καίνωσις figura. I. 308. *b.*
Κείμαι pro κατάκριμα. I. 430. *b.* quid? II. 15. *b.*
Κείσθαι quomodo uſurpetur? I. 100. *b.* 101. *a.*
Κείνειν, pro κατακλίνειν. I. 185. *a.* pro æſtimare. 186. *a.*

L.

LAborare quomodo ſumatur? II. 24 *a.* cur Paulus laboravit? 23. *b.* 24. *a.*
Lac rationale quid? I. 173. *b.* (II. 282, *a.*)
Lamed & Beth Hebræi nonnunquam permutant. I. 557. *a.*
Lamed præfixum, pro ad. II. 313. *b.*
Laſcivia quid? I. 183. *b.* opus carnis dicitur. 437. *a.*
Laſcivire adverſus Chriſtum, quid? vide luxuriari.
Latitudo quid Paulo? I. 483. *a.*
Λατρεία, quid? I. 72. *a.* 173. *b.* 437. *a.* II. 157. *b.*
Lavacrum aquæ, dicitur eſſe verbum ſeu doctrina Chriſti. I. 276. *a.* regenarationis & renovationis Spiritus Sancti, quid? II. 52. *a.*
Λειτουργὸς quid? I. 180. *b.* 181. *a.* 197. *a.* II. 144. *b.*
Levitas quid? I. 354. *b.*
*Lex* generalius etiam ſumitur, ut fidem includat. I. 11. *b.* fidei, eadem eſt cum lege libertatis. ibid.
Lex peccati, mentis in membris, exiſtens, ſeu carnis, quid? & quomodo diſtinguatur? 134. *a.* pro diſciplina & pro libris Moſis. 419 *b.*
Lex Moyſis an perfecte ſervari poſſit? 91. *b.* 92. *a.* 120. *a.* 413. *b.* ſumitur etiam pro toto N. Teſtamento. ibid. Conf. 106. *b.* quomodo per fidem ſtabiliatur, & abrogetur quoque? 116. *a.* iram quomodo operetur? 126. *a.* opponitur gratiæ. 129. *a.* 427 *b.* quomodo effecerit, ut homines peccati jugum excutere non potuerint? ibid. ei nonnulla addita ſunt a Chriſto. 130 *b.* quomodo alicui dominari dicatur? 131. *a.* & quomodo mortui ſimus? ibid. 131. *b.* ejus ſenſus duplex, literalis, & myſticus. 393. *b.* & myſticus quidem in epiſtola ad Romanos & Galatas a Paulo revera ſpectatur. 493. *a.* per legem legi mori, quid ſit? 397. *a.* quatenus & Chriſtianos obliget? ibid. & 405. *a.* 414. *a.* per legem quare nemo juſtificatur coram Deo? 404. *a.* non eſſe ex fide, quomodo dicatur? 404. *a. b.* tranſgreſſionum gratia quomodo appoſita eſſe dicatur? 408. *b.* 409. *a.* quomodo vivificare non poſſe dicatur? 410. *a.* pædagogus fuiſſe dicitur in Chriſtum, & quomodo? 420. *b.* 411. *a.* ſecundum ſenſum literalem ſervari ab omnibus potuit. 413. *b.* legis & Euangelii differentia duplex. 427. *b.* lex omnis quomodo in uno hoc ſermone: Diliges proximum tum ſicut teipſum: impleri dicatur? 433. *b.* 434. *a.*
Lex ſpiritus vitæ, quid? I. 135. *a.* juſtitiæ, quid? 156. *b.*
Liber quid Hebræis ſignificet? I. 3. *b.*
Liber generationis Adami, quid ſignificet? I. 3. *b.*
Libertas quando urgeri poſſit? 193. *a.* & quouſque? 276. *b.* noſtra quomodo uti debeamur? 292. *a.* libertate ſua quomodo non uſus ſit Apoſtolus? 293. *b.* 294. *a.* 297. *a.* libertatis quæ ſit ratio, & quomodo ea uſus ſit Paulus in Timotheo circumcidendo? 389. *a.*
Liberum arbitrium relinquitur homini, etiamſi Deus operetur. I. 507. *b.* 592. *a.*
Lingua angelica, quid Paulo dicatur, difficile dictu eſt. 355. *b.* conf. 507. *a.*
Litera quid ſignificet? I. 96. *a.*
Literæ Hebræorum inter ſe cognatæ, commutari ſolent. I. 31. *b.*
Locuſtæ in cibis fuere orientalibus, atque ipſis etiam Judæis. I. 37. *b.*
Λογίζεσθαι pro imputare. I. 402. *a.*
Logomachiæ, quid? II. 34. *a.* & quæ mala ex iis naſcantur? ibid.
Λόγος pro re. I. 156. *a.*
Longanimitas quid? I. 87. 484. *a.* 536. *a. b.*
Longe eſſe, quid? I. 479. *b.*
Loquens de cælo dicitur Deus. I. 423. *a. b.* II. 214. *b.* 215. *a.* quem loquentem averſari aut recuſare prohibemur, moniti exemplo Iſraëlitarum, in terra loquentem recuſandum. 214. *b.* 215. *a.* & quis, in terra loquens fuerit? ibid. & 215. *b.*
Loquutus quomodo ſit Paulus donata a Deo? I. 257. *a.* vide, apoſtolorum ſermo, & lingua.
Lotio pedum, vide pedes.
Lunatici qui? I. 59. *b.*
Lux, quomodo lucem inacceſſam quomodo Deus inhabitare dicatur? II. 37. *b.*
Luxuriari adverſus Chriſtum, quid? II. 28. *b.* 29. *a.*

M.

MAcula quomodo dedeceat eccleſiam? I. 488. *b.*
*Maculare* pro inficere. II. 207. *a.*
Magi Chriſtum adorantes, quinam fuerint? I. 21, *a.* aſtrologiæ ſtudioſi, nec tamen Reges fuere. ibid. an tres fuerint. ibid. unde venerint? ibid. quando venerint? 21. *b.* (29. *a.*) cur Hieroſolymam venerint? ibid. & 22. *a.* qua adoratione puerum Jeſum honoraverint? 24. *b.* 25. *a.* & cur è tam longinqua terra eum adoraturi venerint? 25. *a.* an & quomodo per angelum in ſomnio moniti fuerint? ibid. quomodo Herodem deluſiſſe dici queant? 29. *a.*
Magiſtratus, vide, Reges. quando inexcuſabilis? I. 86. *b.* 87. *a.* ſcilicet cum ea damnat, quæ ipſemet committit. ibid. ei Chriſtianus homo ſubjectus eſſe debet, & quouſque? 179. *b* ſæpe perperam damnat aut laudat. 180. *a.* in hæreticos gladium ſtringere non debet. 432. *a.* 433. *a.* ei difficilis in cælum aditus eſſe dicitur. 432. *b.* ei Chriſtiani ſeſe ſubjicere jubentur & obtemperare. II. 52. *a. b.* & quouſque? 53. *b.*
Major ſerviet minori, de Eſavi & Jacobi poſteris dictum eſt. I. 160 *a.*
Maledictio vide execratio quid ſit? 104. *b.* ſub maledictione eſſe. quid? 403. *b.* ab ea quomodo nos Chriſtus redemiſſe dicatur? 404. *b.* quomodo Chriſtus maledictio pro nobis factus ſit? 405. *a. b.* maledictioni vicina terra quæ dicatur? II. 125. *b.*
Maledictiones legis, vide maledictio.
Mali homines quinam dicantur? I. 590 **b.* eorum conſortium vitandum, & quomodo? vide ſubducere.
Malum quid ſit a quo abhorrere jubemur? I. 176. *b.* nemini pro malo reddendum. 178. *a.* 577. *a. b.* & quouſque? 577. *a.* ab omni mali ſpecie quomodo abſtinere jubeamur? 578. *b.*
*Mandata* legis pro moralibus præceptis. I. 95. *b.*
*Manens*, pro durabilis. II. 224. *b.*
Manichæi quid docuerint? II. 20. *b.*
Manſuetudo quid? I. 440. *b.* (484. *a.* 536. *a.* II. 50. *b.*) numeratur inter fructus ſpiritus, & complectitur longanimitatem. ibid.
Manus pro miniſterio. I. 409. *a.*
Manus pl. Manus puras levare, quid? II. 19. *b.* manuum impoſitio, qualis vitus fuerit, & an adhuc obſervandus ſit? 25. *a.* 31. *b.* 123. *a.* 305. *b.* 306. *a.* remiſſæ, quæ dicantur? 205. *b.*
Mare Hebræis etiam lacus dicitur. I. 56. *b.*
Mares, vide, maſculi.
Maria virgo, mater Chriſti, an fuerit ex Davidica familia? I. 10. *b.* 11. *a. b.* quando Joſepho deſponſata fuerit? 14. *a.* quare Joſephi uxor dicatur? 16. a. virgo peperit. 19. *b.* 20. *a.* Chriſtus ejus dicitur filius drimogenitus, & quomodo? 20. *a.* an poſt Chriſtum alios liberos habuerit? ibid. non mox angelo credidit, ſe parituram, niſi poſtquam plenius ab eodem informata fuerat? II. 189. *b.*

# Index rerum & verborum Phraſiumque.


Maſculinum pro neutro. I. 92. *a.*

Mediator, Dei & hominum, quomodo Chriſtus homo dicatur? II. 9. *b.* fœderis, quis dicatur? 146. Novi Teſtamenti, cur Chriſtus dicatur? 158. *a.* 214. *a.* mediatoris vox ſcripturæ S. propria fere eſt. 214. *a.* & quis ita dicatur? ibid. mediatoris munus, in quo conſiſtat? I. 612. *b.*

*Μείωσις*, ubi? I. 99. *b.* 186. *a.* 487. *b.*

Mendacium prohibetur. I. 486. *a.* & quale? ibid. 536. *a.* mendacii ſigna & prodigia, quæ? I. 590. *b.* 587. * *a.*

Mendax quomodo omnis homo a Davide dicatur? I. 99. *b* 100. *a.*

Menſura fidei, quid? I. 174. *b.* ſtaturæ plenitudinis Chriſti, quæ? 485. *a.* donationis Chriſti, quæ? II. 91. *a.*

In mentem reprobam quomodo Deus homines tradidiſſe dicatur? I. 84. *a.*

Mentiri prohibemur & quomodo? I. 536. a. Vide mendacium.

Meretrix dicitur Rahab? II. 196. *a.* an pro hoſpita publica ſumatur? ibid.

*Μεριμνᾶν*, quid? II. 297. *a.*

Meſſias qualis Rex fore prædictus ſit, & quam felicitatem adferre debuerit? I. 35. *b.*

Metalepſis ubi? II. 155. *b.* 156. *b.* 273. *a.*

*Μεθοδεύειν* quid proprie? & quomodo a *μεθυμέλεσθαι* differat? I. 34. *a. b.* conf. 88. *a.*

*Μεθυμέλεσθαι* quid Græcis? I. 34. *a. b.*

Metaphora. I. 92. *b.* 421. *a.* 484. *a.* 511. *a.* 514. *a.* II. 16. *a.* 166. *a.* 183 *a.*

*Μετοικησία* quid ſignificat? I. 7. *b.*

Metonymia. I. 19. *b.* 196. *a.* 300. *b.* 306. *a.* 307. *a.* 427. *b.* 428. *a.* 443. *a.* 444. *b.* 478. *b.* 484. *b.* 487. *a.* 509. *b.* II. 4. *b.* 118. *b.* 183. *a.*

*Μετριοπάθεια* in Chriſto qualis? II. 116. *a.*

*Μετριοπαθεῖν* quid? II. 115. *b.*

Mille anni Apocalyptici qui? I. 168. *b.* 169. *a.*

Mimeſis. I. 101. *b.* 102. *a.* 155. *b.*

Minori major ſervire dicitur. Vide major.

Miracula Judæis cum infantes adhuc eſſent aderant frequentia, poſtea vero vero ceſſarunt. I. 413. *a.* Paulus doctrinæ ſuæ paſſim adjunxit. 551. *b.* vide etiam ſigna. ad perſuadendum aliquid in religione efficaciſſima eſſe dicuntur. 590. *b.* 587. * *a* iis non veritas euangelica, ſed fraus antichriſtiana indiget. 587. * *a.* mendacii, non pios decipient, ſed tantum pereuntes. 587. * *b.* an ſuffeciſſent ad promiſſionem de remiſſione peccatorum comprobandam, etiamſi mors Chriſti non acceſſiſſet? 620. *a. b.* 621. *a.*

Modeſtia, quid? I. 484. *a.* ea mulieres ornari jubentur. II. 11. *a.* pro frugalitate. 12. *b.* pro æquitate & moderatione ſummi juris. 50. *b.*

Molles qui? I. 276. *a* 535. *b.*

Mons contrectabilis, & ardens igne, ad quem Hebræi non acceſſiſſe dicuntur, quis? II 209. *a.*

Mordere quid? I. 434. *b.*

Mori peccato quid? I. 127. *a.* Domino quid? *a. b.* quomodo ſe quotidie mori dicat Paulus? 342. *b.* legi, quid ſit? 397. *a.*

*Μόρφωσις* quid? I. 94. *a.*

*Mors* pro mortis cauſa. 133. *a*, pro ſervitute peccati. 134. *a.* 136. *a.* prima & ſecunda, quæ? 169. *a.* quomodo Corinthiorum eſſe dicatur? 264. *a.* quomodo mors per hominem eſſe dicatur, & quid per mortem hic intelligatur? 325. *a. b.* 326. *a.* 327. *a.* quomodo mors æterna ab Adamo in poſteros ejus dimanarit? 326. *a. b.* quomodo in victoriam abſorpta eſſe dicatur? 368. *a.* pro morte violenta. 368. *b.* Chriſti, quomodo nobis remiſſionem peccatorum pariat. I. 612. *a.* 613. *b.* & quomodo conditio remiſſionis peccatorum a Deo impetrandæ dici poſſit, & non poſſit, aut debeat? 612. *a b.* 613. *b.* Chriſti, præparatio quædam fuiſſe dicitur Pontificis noſtri, adeoque & victimæ, ceu quæ eadem eſt cum ipſo 613. *b.* & qua ratione novum fœdus & remiſſionem peccatorum in eo comprehenſam promiſſionem nobis confirmaſſe dicatur, 614. *a. b.* &c. vide, morte an veritas doctrinæ confirmari queat? & 617 *b.* 618. *a. b.* &c. 621. *a.*

Mortis Chriſti fines & effectus. I. 3. *a.* 313. *b.* 321. *b.* 397. *b.* 611. *a.* cauſa impulſiva ſunt peccata. 122. *a.* ea quomodo credentes ſalventur? 125. *a.* 129. *a.* eam cur apoſtolus docere & inculcare debuerit? 513. *b.* mortis peſtem quomodo ſe vocat Deus. 364. *b.* 369. *a.* aculeus quis? ibid. & 369. *b.* per mortem ſuam quomodo Chriſtus imperium aut robur mortis abſtulerit? II. 27. *a. b.* mortis metus quis, & quantus fuerit? 27. *b.* mortis Chriſti vis ex natura propria ad concilandam nobis emundationem conſcientiæ, qua? 154. *b.* 155. *a.* 146. *b.* 157. *a.*

Mortale quomodo dicatur abſorbendum a vita? I. 367. *a.*

Mortificare membra terreſtria, quid? I. 535. *b.*

Mortui quomodo *non eſſe* dicantur? I. 30. *b.* à Chriſto reſuſcitati, denuo ſunt mortui, & quid hinc colligatur de Chriſto? 187. *b.* pro mortuis offerendi & orandi ritus vetuſtus. 341. *a. b.* quomodo & quibus corporibus reſurrecturi ſint? 346. *a. b.* dicuntur reſuſcitandi incorruptibiles, & quomodo? 366. *a.* delictis & peccatis, quomodo Epheſii fuiſſe dicantur? 477. *a. b.* an genua nunc flectant, aut Deum laudent? 507. *a.* cum Chriſto, quinam dicantur? 534. *b.* 535. *a.* mortuis quomodo euangelizatum eſſe dicatur? II. 288. *b.* 289. *b* quomodo aliqui non revixiſſe dicantur, donec finirentur mille anni? 304. *a.* in Domino, cur propiores Domino cenſeantur, quam illi, qui in Domino vivunt? 315. *b.* 316. *a.* in Chriſto, primum reſurrecturi dicuntur. I. 571. *b.*

Mulierem non attingere quomodo bonum dicatur? I. 279. *a. b.* per mulierem a ſe circumducendam, an Paulus uxorem intelligat? 293. *b.* ex muliere cur & quomodo factus dicatur filius Dei a Deo miſſus? & quid per mulierem hic intelligitur? 413. *b.* in ſilentio diſcere jubetur, & quomodo? II. 11. *b.* & cum ſubjectione. ibid. ei docere quomodo non permittat Paulus, neque autoritatem uſurpare in virum, ſed eſſe in ſilentio, & cur? ibid & 12. *a.* quomodo ſeducta, tranſgreſſionis cauſa fuiſſe dicatur? 12. *a.* ſalvanda tamen dicitur per filiorum generationem, ſi manſerint in fide & dilectione, & ſanctificatione cum modeſtia. ibid. & 12. *b.* peccatrix in domo Simonis, an charitate ſua cauſata ſit remiſſionem peccatorum? 303. *a. b.*

Mulieres an nubere potuerint extra patriam familiam? II. *a.* & quare id prohibitum fuerit? ibid & 11. *b.* quid in congreſſibus publicis obſervare debeant? II. 10 *b.* 11. *a. b.* earum habitus qualis eſſe debeat? 11. *a. b.* Diaconorum, quales eſſe debeant? & cur mulieres Epiſcoporum reticeantur? 16. *b.* ſenes, vide anus. juniores, vide juvenculæ. mortuos ſuo ex reſurrectione fide accepiſſe dicuntur. 196. *b.*

*Multus* pro magnus. I. 552. *b.*

*Mundare* pro mundum declarare. I. 117. *b.*

*Mundus totus*, pro non egigua mundi parte. I. 72. *a.* pro exigua mundi parte. 120. *a.* pro hominibus mundanis. 256. *b.* quomodo Corinthiorum eſſe dicatur? 264. *a.* quomodo a ſanctis judicandus eſſe dicatur? 274. *a.* (II. 2 9. *a. b.*) mundo utentes, ſint tanquam non abutentes. 286. *b.* cum ſpecies hujus mundi tranſeat. 387. *a.* quando conflagaturus ſit? 337. *b.* quomodo Paulo per crucem Chriſti crucifixus eſſe dicatur, & Paulus mundo? 448. *b.* 449. *a.* quomodo per Chriſtum factus dicatur? II. 71. *b.* 72. *a.* & quando? 72. *b.* pro mundo futuro. 169. *a.* in mundum quomodo Chriſtus venire, aut ingreſſus eſſe, dicatur? 168. *b* 169. *a b.* & in quem mundum ingreſſus fuerit, cum hæc verba diceret: hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. & ecce venio, ut faciam, o Deus, voluntatem tuam? 168. *b.* 169. *a. b.* 171. *a.* 172. *b.* quomodo ex non apparentibus, aut ex informi materia, factus eſſe dicatur? 183. *b.* 184. *a*

Murmurationis nomine quid intelligatur apud Paulum? I. 304. *a.* 507. *b.* 508. *a.*

Myriades angelorum, ad quas Hebræi acceſſiſſe dicuntur, quænam ſint? II. 212. *a. b.*

Myſtico ſenſu nemo prorſus eſt juſtus. I. 104. *a.* myſtico ſenſui loca aliqua propria conveniunt & literali improprie. 368. *a b.* ex eo non poſſe nos firmiter argumentari dicitur, addita tamen limitatione. 420. *b.* amplitudini verborum magis convenire ſolet. II. 92. *b.* in ſenſu myſtico non ſingulæ voces ſpectandæ eſſe dicuntur. 172. *b.*


## N.


*Natum* pro conceptum, & aliquo uſque jam perfectum I. 16. *a.*

*Naturæ Dei* pro revera & reipſa tales, non opinione tantum I 415. *b.* conf. 471. *a.*

Nazaranum Chriſtum dictum iri, quomodo in prophetis aut ſcripturis contineatur? I. 31. *a.* Nazaræus ſignificat ſeparatum, ab Nazareno. Nazarenum. 31 *b.* & utramque Matthæus ad Chriſtum accommodare videtur. 32. *a. b.*

Nazaræi quinam & quare in ſcripturis dicantur? I. 31. *a.*

*Negotium* pro contractu. I. 467. *a.*

*Nemo* pro plerique non. I. 104. *a.*

Nepotum nomen apud Latinos pro filiis ſumitur.

*Neque* pro, id eſt non. I. 128. *b.*
*Neſcire* pro nolle obſervare. I. 105. *a.*
Neutro genere Hebræi carent. I. 118. *a.*
Neutrum plurale pro adverbio. 198. *b.*
pro ſubſtantivo. I. 252. *a. b.* 509. *b.* II. 139. *b.*
pro fæminino. II. 28. *a.*
pro maſculino. II. 140. *a.*
*Nihil exiſtens*, pro nihil eximium exiſtens. I. 444. *a.*
*Niſi* quomodo uſurpetur? I. 396. *a.*
Nobiſcum Deus, quale nomen? I. 19. *b.*
*Nomen* pro dignitate & imperio. I 477. *a.* 506. *b.* pro titulo & appellatione. II. 77. *a.* pro pronomine. 203. *a.*
Per Nomen, quid? 249. *b.* omne nomen quod nominatur quid? 477. *a.* nomum Chriſto datum, quid? 506. *b.* II. 77. *a.* quale Chriſtus hæreditaverit? 77. *a.*
Nomina divinitus impoſita, ſolent omen rerum futurarum continere. I. 16. *b.* 19. *b.* ordinem aut tempus ſignificantia ſæpe adverbiorum vim habent. 337. *a.*
*In nomine Jeſu*, iſt eſt, propter nomen Jeſu. I. 506. *b.*
*In nomen Chriſti Baptizare*, quid? vide, Baptizare.
*In nomine Chriſti agere*, quid? I. 537. *a.* 592. *a.*
Nominativus pro vocativo. I. 15. *b.* II. 82. *a.*
*Noſſe* ſeu *cognoſcere* ſumitur etiam pro occaſionem ad cognoſcendum habere. I. 85. *b.* vide cognoſcere.
Novitas vitæ quid? I. 127. *b.* ſpiritus, quid? 131. *b.*
Novum Chriſti præceptum, quodnam? I. 443. *b.* 444. *a.*
Nubere an licuerit extra patriam Familiam. I. 11. *a.* & an tantum propinquiſſimo ejuſdem familiæ nubere conceſſum fuerit? 11. *b.* melius eſt quam uri. 279. *b.* 281. *b.* in Domino, quid? 288. *b.* qui prohibuerint? II. 20. *b.* vidua junior jubetur, & cur. 29. *b.* 30. *a.* vide nuptiæ.
Numen, quid? I. 588. *a.*
Numerus pluralis, vide, pluralis. Numeri mutatio ubi? I. 443. *a.* II. 12. *a.*
*Nunc*, quomodo ſumatur? I. 382. *b.* II. 145. *b.*
Nuptias ſecundas an Paulus damnet? II. 28. *a.* 29. *a.* & quando tamen eas vituperet? 29. *a.* 30. *a.*

## O.

OBdormiviſſe etiam impii dicuntur, ſed fere tantum in V. Teſtamento. I. 324. *b.* 325. *a.* 570. *a.* fore ut non omnes obdormiſcant, ſed ut omnes mutentur, dicitur. 364. *b.* 365. *a.* quinam obdormiviſſe dicantur? 570. *a. b.*
*Obedire in Domino*, quid ſignificet? I. 489. *a.* veritati, per ſpiritum, quid. II. 288. *a. b.*
Obedientia Chriſti in credentibus juſtificandis tantum poteſt & ex Dei benignitate præſtat, quantum Adami inobedientia in poſteris ejus, morti ſubjiciendis. I. 125. *a.* 126. *a.* qualem Euangelium requirat? 395. *a.* eam quomodo Chriſtus didiciſſe dicatur per paſſiones? II. 118. *b.* 119. *a.*
Objurgandi quomodo ſint liberi a parentibus? II. 14. *b.* acriter peccantes non perinde nobis licet ac Chriſto & Joan. 1:39. *b.*
Oblatio. oblationem Chriſtus ſe Deo dediſſe dicitur, & quomodo? 486. *b.* 487. *a.* Chriſti quid ſit? 33. *b.* 74. *a.* & quomodo differat ab oblatione legali? 74. *a. b.* 112. *a. b.* Chriſti in cælo coram Deo, non fuit vera aliqua conditio, ſub qua nobis decreta fuerit a Deo peccatorum remiſſio. 112. *b.* 156. *a.* oblatio perfecta expiatoria mors Chriſti non fuit- 117. *a. b.* vide ſacerdotium Chriſti. Chriſti, pro ſeipſo, quæ fuerit? 118. *a. b.* pro nobis, quæ fuerit? 118. *b.* Chriſti expiatoria pro peccatis noſtriis, non interris peragitur, ſed in cælis. 131. *b.* 153. *b.* (I. 612. *b.*) Chriſti, pro ſuis & populi peccatis, quomodo facta dicatur? 143. *b.* Chriſti in cælis, quid ſit? 154. *b.* 156. *a.* ſæpæ fieri cur non debuerit? vide, offerre. oblationis Chriſti finis. 166. *a.* una oblatione Chriſtus ſanctificatos in ſempiternum conſummaſe dicitur? 174. *a. b.*
Obliviſci præteritorum operum, quomodo Deus dicatur? II. 126. *b.* 127. *a.*
Obnoxium fieri Deo quid? I. 105. *b.*
Obnoxii ſervituti, qui? II. 97. *b.*
*Obſtans*, ſeu obſtaculum, quid? I. 588. *b.* 589. *a.* & quis ſit? 589. *b.*
Obtrectare, quid ſit? II. 282. *a.*
*Oculi* pro mente ipſa. I. 164. *b.*
Odiiſſe quomodo Deus dicatur Eſavum ejuſque poſteros, & quomodo anti-typum eorum, nimirum Judæos incredulos? I. 150. *a. b.*
Offendiculum quid? & quomodo a ſcandalo differat? I. 189. *b.*
*Olea* pro populo Iſraëlitico. I. 167. *a.*
*Oleaſter* pro ſurculo. I. 167. *a.*
Oleum exultationis ſeu lætitiæ, quid? II. 81. *b.* 82. *a.*
*Olim* quid ſignificat? II. 70. *b.*
Ὁλοθρεύων, quis dicatur? II. 195. *b.*
*Omnis* collective. I. 77. *b.* 78. *a.* pro perfecto. 484. *a.* II. 50. *b.*
*Omnes* pro pleriſque. I. 104. *a.* 291. *a.* 334. *a.*
Per opera legis neminem juſtificari quomodo probet Paulus? I. 77. *a.* 106. *a.* & quænam aut qualia opera intelligat? ibid. 163. *b.* quid per opera intelligatur, per quæ Dei inviſibilia cognoſci dicuntur? 79. *a.*
Opes inflare dicuntur. II. 38. *a.*
Opitulationes quale munus in eccleſia? I. 176. *a.*
Ordo verborum retrogradus & inverſus, ubi? II. 56. *a. b.* 79. *a.* vide etiam trajectio. ſecundum ordinem Melchizedech, Chriſtus dicitur pontifex factus. vide, Melchizedech, & 130. *a. b.* & quid ordo Melchizedech denotet? 137. *a. b.*
Oriens eſt triplex. I. 21. *a.*
Ὀφείλειν nunquam ſignificat declarare ſeu manifeſtare. I. 69. *a.*
Oſculum ſanctum quid dicatur? I. 199. *b.* 580. *a. b.*
Ὅτι, ἰδιωτ. I. 72. *a.* redundans. 102. *a.* pro γάρ. 156. *a.*

## P.

PÆdagogus quomodo lex fuiſſe dicatur? I. 410. *b.* 411. *a.* & quomodo non amplius ſub, hoc Pædagogæo ſimus? 411. 4.
Pædobaptiſmus ſimile quid habet baptiſmo pro mortuis. I. 341. *b.*
Παιδαγωγὸς, quid? II. 212. *b.*
*Panis* pro omni cibo. I. 51. *a.* 603. *a.* ita ut etiam amictus includatur. 603. *a.* 604. *b.* fractus, quomodo communio corporis Chriſti dicatur? 306. *b.* pro fractione panis, ejuſque comeſtione ſumitur. ibid. unus, quid indicet? 307. *a.* conſecratus a vulgari cibo differt. 307. *b.* eſt corpus Chriſti, quomodo intelligatur? 421. *a.*
Panoplia induenda, quid? I. 491. *a.*
Παρακαλεῖν quid? I. 173. *a.*
Παραδειγματίσας, quid apud Matthæum? I. 15. *a.* quid apud autorem ad Hebræos? ibid.
Parentheſes quomodo Apoſtolus inſtituere ſoleat? I. 70. *b.* 91. *b.* 120. *b.* 249. *a.* eis rationes, pendente adhuc ſententia, inferi ſolent. II. 137. *a.*
Παῤῥησία quid? I. 112. *b.*
Παῤῥησιᾶν quid? II. 187. *b.*
Paronomaſiæ exempla. I. 84. *b.* II. 3. *b.* I. 604. *a.*
Parrheſia, quid? II. 102. *b.* 114. *a.* 175. *a.* 181. *b.*
Παρθένος recte poſitum pro Hebræo Almah. I. 18. *b.* & ſignificat virginem 19. *a.*
Participium pro indicativo. I. 30. *b.* 133. *a.* præſens, pro præterito ſumptum. II. 22. *b.* pro infinitivo. 29. *b.* 177. *b.*
Participia paſſiva præterita aut præſentia, pro futuris. I. 391,* *b.*
*Paſcere* pro regere. I. 27. *b.*
Paſſivum verbum pro reciproco. I. 380. *a.* 403. *a.* 426. *a.* 506. *b.* 510. *a.*
Pater legalis quis dicatur? I. 9. *b.* quis naturalis, 10. *a.*
Patres carnis noſtræ, pro carnalibus, opponunturque patri ſpirituum. 204. *b.* antiqui inter Chriſtianos, quid de filio Dei ſenſerint? 218. *b.*
Pathici, qui? I. 535. *b.*
Pati in carne, diverſo ſenſu ad Chriſtum refertur, diverſo ad nos. II. 288. *a.*
Pauperes ſpiritu, quinam dicantur? I. 62. *a. b.* & an apud Lucam pauperes proprie dicti intelligantur? ibid. & 63. *a.*
Paupertas animi duplex eſt. I. 62. *b.* 63. *a.* ſumitur enim etiam pro humilitate. 63. *a.* non tamen ſola paupertas ad ſalutem ſufficit. 63. *b.*
Pax quid Hebraico more ſignificet? I. 71. *b.* 91. *a.* 379. *a.* 450. *a.* 473. *a.* (II. 132. *a.* 226. *b.*) II. 607. *a.* ad pacem nos Deus vocaſſe dicitur. 283. *b.* inter fructus ſpiritus numeratur, & quid ſit? 440. *a.* noſtra, Chriſtus eſſe dicitur. 479. *b.* Dei quomodo ſuperare dicatur omnem mentem, & corda cuſtodire? 514. *b.*
Peccatores quomodo Chriſtus, in mundum veniens, ſervaſſe dicatur? II. 5. *b.* 6. *a.* eorum primum quomodo ſe dicat Paulus? 6. *a.*
*Peccatum* pro calamitatibus & malis quæ peccatum cauſari ſolet I. 128. *b.* pro cauſa peccati. 131. *b.* pro hoſtia ſeu victima pro peccato. II. 166. *a.* 171. *b.*
Sub peccato eſſe, quid? I. 103. *a.*
Peccata vide, carnis opera. quænam confeſſi fuerint baptizati a Joanne? I. 37. *b.* 38. *a.* & an Joannes eorum confeſſionem ab iis

ab iis exegerit? 38. *a.* hominum, non per ſe, ſed per accidens tantum, ad juſtitiæ divinæ commendationem faciunt. 102. *a.* poſt fidem commiſſa, an itidem remittantur a Deo, prout ea quæ fidem præceſſere? 113. *a.* (II. 124. *a. b.* vide etiam, præoccupari, & 312. *b.* 313. *a.*) quomodo adhuc eſſemus in peccatis noſtris, niſi Chriſtus reſurrexiſſet? 321. *a. b.* peccatis alienis quinam communicent? II. 31. *b.* quænam judicium præcedere aut ſubſequi dicantur? 32. *a. b.* quædam ad apoſtaſiam per analogiam aliquam reduci poſſunt, quæ idem ſupplicium merentur. 124. *b.* 125. *b.* pro perpeſſionibus in Chriſto. 143. *b.* quæ in Veteri T. remiſſa fuerint, & quæ in Novo remittantur? 157. *a. b.* 158. *a. b.* auferre multorum, quomodo Chriſtus dicatur? 166. *a.*

*Per* pro cum. I. 96. *a.* 127. *b.* 417. *a.* II. 152. *a.* I. 570. *b.*

*Per ipſum*, quid denotet? I. 172. *b.* 525. *a.* II. 94. *b.* I. 604. *b.*

*Per* aliter de Deo, aliter de Chriſto uſurpatur. I. 378. *b.*

*Per annos*, aut *dies*, quid? I. 387. *b.* 388. *a.*

Perfectio quomodo ſumatur? I. 511. *b.* pro perfecta peccatorum expiatione, & quatenus opponitur imperfectæ ſub Levitico ſacerdotio. II. 136. *b.* 140. *a.*

Perfectus quomodo juvenis dives fieri voluiſſe dicatur? II. 295. *a.* 296. *b.*

Perfecti quinam dicantur? I. 254. *b.* 255. *a.* 511. *b.* 512. *a.*

Perfluere quid? II. 88. *b.*

Περισσὸν pro præſtantia. I. 97. *b.*

Περισσεύειν pro excellere. I. 101. *b.*

Non tantum permitit Deus aliquando efficaciam Diabolicæ impoſturæ, ſed certo quodam modo etiam ita fieri vult, utque fiat curat; & quomodo? I. 587. * *b.* 588. * *a.*

Perſecutio vide crux, & afflictiones quid? I. 144. *a.* 267. *b.*

Perſona quid Hebræis? I. 390. *a.* perſonæ mutatio, ubi? II. 103. *a.*

Perſonæ 3 in Deo, vide, Pluralitas perſonarum.

Petrus Græce, non Hebraice ſcripſit. II. 69.

Pharao quomodo dicatur a Deo excitatus & induratus? I. 151. *b.* 152. *a.*

Φιλανθρωπία, quid? II. 51. *b.*

Philautia quid? I. 444. *a.*

Pinna templi quid ſignificet? I. 52. *a.*

Placandi vox Deum placatum non arguit. II. 99. *b.*

Plenitudo gentium quid? I. 168. *b.* 529. *b.* temporis quid? 413. *b.* Deitatis, qui in Chriſto corporaliter habitans, quid? 533. *a.* quomodo eccleſia dicatur? 477. *a.* plenitudinem omnem in Chriſto habitare, quid? 529 *b.* 530. *a.* 533. *a.* fidei, quid? II. 176. *a.*

Pleonaſmus, ubi? I. 416. *a.* II. 120. *a.*

Pleonexia impuritati conjungitur. I. 567. *a.*

Πλεονεκτεῖν, quid? I. 567. *a.*

Πληροφορία quid? I. 532. *a.* qualis in Paulo fuerit? 552. *a.* commendatur Hebræis. II. 127. *b.*

Pluralis pro ſingulari. I. 30. *b.* 31. *a.* 45. *b.* 70. *b.* 103. *a.* 266. *b.* 381. *a.* 418. *b.* II. 85. *a.* I. 562. *a.*

Pluralitas perſonarum in Deo, non ex eo mox colligi debet aut poteſt, ſi ſcriptura alicubi de Deo in numero plurali loquatur. I. 30. *b.* 31. *a.*

Pœnæ peccatorum quæ conſtitutæ fuerint a Deo in V. Teſtamento? II. 156. *b.* 157. *a.* & quales ſacrificiis expiatæ fuerint? 157. *a.* quales etiam per ſanguinem & ſacrificium Chriſti expientur? ibid.

Pœnitentia vera & plena quid? I. 88. *a.* II. 122. *b.* 309. *b.* 310. *a.*

Pœnitentia Dei quomodo intelligenda? II. 141. *a.*

Pœnitere quid? I. 34. *a.* II. 141. *a.*

Πολίπυρος quid? I. 512. *b.* 513. *a.*

*Pollere*, pro inficere. II. 207. *a.*

Polygamia prohibetur. I. 280. *a.* in primitiva eccleſia uſitata fuiſſe dicitur. II. 13. *a. b.*

Polypragmoſyne prohibetur. I. 569. *a. b.* 604. *a. b.*

Πονηρία quomodo a κακίᾳ diſtinguatur? I. 84. *b.*

Πονηρὸν quid? I. 176. *b.*

Poſſe quomodo intelligatur? I. 305. *a.* 308. *a.* quomodo omnia potuerit Paulus per Chriſtum? 515. *b.*

Præcognitio Dei, quid ſit? II. 271. *a.*

Præoccupari in delicto aliquo, quid ſit? I. 442. *b.*

Præputium quomodo ſumatur. I. 95. *b.*

Præſcientia Dei, vide futura, & prædictiones. Item. 409. *a.* &, præcognitus.

Præſens pro futuro. I. 25. *b.* 274. *a.* 337. *a.* 346. *a.* II. 216. *b.* I. 554. *a.*

pro præterito. I. 30. *b.* II. 173. *b.* 191. *a.*

pro imperfecto I. 52. *a.*

pro quovis tempore. II. 128. *a.*

Præteritum pro futuro. I. 181. *b.* 338. *a. b.* pro præſenti. I. 101. *b.* 103. *b.* 142. *a.* 266. *b.* II. 160. *b.* 173. *b.*

Prævidere quomodo dicatur ſcriptura? I. 403. *a. b.*

Precari pro deprecari. I 267. *b.*

Precatio, vide oratio.

Preces, vide oratio. Quid ſint, & quomodo a deprecationibus, & interpellationibus diſtinguantur? II 8. *b.*

Presbyteri vide præfecti. Iidem ſunt cum epiſcopis ex uſu ſcripturæ. Vide epiſcopi.

Presbyterium quid? II. 25. *a.*

Pretioſus pro incorruptibili. II. 275. *b.* 279. *a.*

*Primus* quomodo ſumatur? I. 489. *b.* II. 6. *a.*

Primogenitus quis in ſcripturis, & quomodo Chriſtus primogenitus Mariæ dicatur? I. 20. *a.* 28. *b.* quomodo primogenitus in multis fratribus? 141. *b.* & primus aut primogenitus ex mortuis? 323. *b.* 529. *b.* primogenitus item omnis creaturæ? 527 *b.* 528. *a.* II. 79. *a. b.*

Primum interdum non numerantis ſed incipientis eſt. I. 71. *b.* 98. *b.* ubi numerantis ſit? 75. *a.* 90. *b.* 91. *a.*

Princeps mundi quomodo judicandus & ejiciendus dicatur a Chriſto? I. 337. *b.* poteſtatis aeris, quid? & quis ita dicatur? 477. *b.* ſalutis quomodo per afflictiones conſummatus dicatur? II. 95. *a. b.* pacis, cur Chriſtus dicatur? 132. *a.*

Principes ſeculi hujus quomodo deſtruendi dicantur? I. 265. *a.* non cognoviſſe dicuntur ſapientiam Dei. 255. *b.* angelorum, quinam dicantur? 334. *a. b.* in unaquaque familia ſoliti fuere ſacra facere. II. 131. *a.*

Principatus quinam dicantur? I. 144. *b.* 334 *a. b.* 482. *a.* 491. *a.* pro principibus. 354. *a.* quinam abolendi a Chriſto dicantur? ibid. & 354. *b.* 335. *a.* & quomodo? 335. *b.* quomodo in Chriſto conditi dicantur? 528 *b.* 529. *a.* malorum angelorum quomodo a poteſtatibus differant? & quomodo a Deo exuti dicantur? 285. *b.*

Principium creaturæ Dei, quomodo Chriſtus dicatur? I. 528. *a.* pro primogenito ex mortuis. 529. *a. b.*

Præ pro propter. I. 313. *a.* 388. *b.* (II. 202. *b.*) pro nobis quomodo Chriſtus mortuus eſſe dicatur? 398. *b.* 618. *a. b.* 621. *b.* & maledictio factus? 405. *b.*

Pronomen tertiæ perſonæ, pro pronomine ſecundæ perſonæ. I. 40. *b.*

*Prope eſſe*, quid? I. 479. *b.*

Propheta, quis dicatur? I. 175. *b.* an a tempore Machabæorum ullus propheta extiterit in populo Judaico? II. 70. *b.*

Prophetia, quale donum? I. 175. *a. b.* ſumitur late & ſtricte ibid. ejus ſpecies. 175. *b.*

προσκύνησις quid proprie ſignificet? I. 24. *b.*

Proſopopœiæ exempla. I. 396. *b.* 397. *a.* 403. *a.* II. 201. *a.*

πρωτοτοκία, quid ſignificet? I. 527. *b.*

προφήτης quid ſit? I. 199. *b.*

Proverbia quomodo accipienda? I. 100. *a.*

Proximus quis in V. & N. Teſtamento, & quomodo diligendus? I. 181. *b.* 182. *a.* 434. *a. b.*

Pſalmi nonnunquam a propheticis libris diſtinguuntur, aliquando vero eis annumerantur. I. 107. *b.* quales cantiones fuerint? 488. *a.* componebantur a Chriſtianis publiceque recitabantur. 536. *b.* 537. *a.*

Pugna Paulina cum beſtiis, quænam fuiſſe intelligatur? I. 343. *b.* 344. *a. b.* Chriſtianorum, quæ? vide luctæ. Chriſtiani a pugna alieni eſſe jubentur. II. 50. *b.*

Purgamentum mundi quid? I. 267. *b.*

Purgationem peccatorum noſtrorum quomodo Chriſtus per ſeipſum feciſſe, dicatur? II. 73. *b.* 74. *a. b.* & quid ad eam a noſtra quoque parte requiratur? 157. *b.*

Purgare conſcientiam a mortuis operibus, quid ſit? II. 156. *a. b.*

Purificaſſe ſibi ipſi populum peculiarem, quomodo Chriſtus dicatur? II. 49. *b.* purificare animas ſuas, quid ſit? 280. *a.*

Puſillanimes quinam dicantur? I. 576. *b.*

Pythagoras quid de carnium eſu ſenſerit? II. 20. *b.*


## Q.


QUatuordecim anni Pauli, unde computandi ſint? I. 387. *b.* 388. *a.*

*Qui*, ſæpe omittitur apud Hebræos. I. 530. *b.* 531. *a.*

*Quid*, & *quod*, ſæpe modum denotat rei. I. 116. *b.*

*Quid mihi*? quomodo intelligatur? I. 277. *a.*

*Quidam*, pro pleriſque. I. 99. *a. b.* II. 19. *b.*

*Quis* pro quantus? I. 417. *b.*

*Quod*, redundat. I. 102. *a.*
*Quotidie*, quid denotet? II. 143. *b.*

R.

RAdix Jeſſe, pro ſurculo, ex radice pullulante.. I. 196. *a.* amaritudinis, ſurſum germinans, & per quam multi inquinentur, quid ſit? & quomodo impedire aut obturbare dicatur? II. 207. *a.*
*Rami* pro Judæis. I. 166. *b.* 167. *a.*
Rationalis cultus quid? I. 173. *b.* dicitur ſpiritualis. ibid.
Redemptio per Chriſtum qualis & quomodo facta ſit? I. 110. *a.* 253. *a.* quid voce redemptionis denotetur. 110. *b.* 404. *b.* 405. *a.* 414. *a.* 474. *b.* II. 158. *b.* ejus tota ratio. 111. *b.* corporis noſtri quæ? 139. *b.* quomodo ab emptione differat? 279. *a.* 405. *a.* II. 279. *a.* redemptionem æternam quomodo Chriſtus inveniſſe dicatur. II. 153. *b.*
Redimere tempus quid? I. 405. *a.* 488. *a.* 537. *b.* quomodo Chriſtus eos, qui ſub lege redemiſſe dicatur? & cur? 414. *a.* quomodo Chriſtus nos redemerit ab omni iniquitate, & mundaverit ſibi ipſi populum peculiarem, zelatorem bonorum operum? II. 49. *b.*
Redundantia vocabula. I. 391. *a.* 475. *a.*
Regeneratio quid? & unde oriatur? II. 52. *a.* 291. *a.* quomodo per verbum Dei fiat? ibid. & 273. *a.*
Regeniti ſeu regenerati quomodo dicantur homines? II. 272. *b.* 273. *a.*
Regni Chriſti finis, idem eſt cum traditione regni ac ſubjectione ſui ipſius Deo ac Patri. I. 330. *a.* & quid hic finis, quid regni, quidque tradendi verbo ſignificetur? 330. *b.* 331. *a. b.* 332. *a. b.* Vide etiam regnare.
Regnum cælorum quale a Joanne Baptiſta intelligatur? I. 35. *a. b.* per metaphoram & ſimilitudinem ita dicitur. 35. *b.* recte opponitur paupertati. 63. *a.*
Relativum imitatur caſum ſui antecedentis. I. 474. *b.* non ſemper refertur ad ſubjectum proximum, ſed etiam ad remotius. 590. *b.*
Ne reprobus fieret Paulus, corpus ſuum contundebat. I. 299. *a.* ſumitur etiam pro, inutilis. II. 45. *b.* reproba terra quæ dicatur? 225. *b.*
*Reſipiſcentia* pro animi tantum mutatione in melius? I. 40. *a.* pro vitæ quoque mutatione in melius. 42. *b.* 88. *a.* quomodo Deus homines ad eam ducat? 88. *a.*
Reſipiſcere quid Latinis? I. 34. *a.*
Reſurrectio glorioſa ad homines Veteris Teſtamenti non eodem jure pertinet, quo ad Chriſtianos. I. 329. *b.* ejus veritas quomodo optime defendatur? 451. *b.* ejus ſpem unde antiqui in V. T. hauſerint? II. 197. *a.* pro liberatione a ſupplicio. ibid.
Reſurrectio Chriſti magnam vim ad fidem accendendam habet. I. 151. *a.* 620. *a. b.* 621. *a.* majus robur habet quam mors ejus. 143. *a. b.* diſtinguitur a reviviſcentia ejus. 187. *b.* ea comprobata, ſtatim univerſæ religionis ipſius veritas comprobatur. 312. *a.* credita, ſervare homines quomodo dicatur? ibid. in S. literis fuit prædicta. 314. *a.* ejus teſtimonia. 314. *b.* 315. *a.* 316. *a. b.* ex morte triduana, non convellit probationem reſurrectionis aliorum ex morte diuturniori. 319. *b.* 320. *a.* ex ea quomodo probet Paulus, reſurrectionem mortuorum omnino eſſe futuram? 423. *a. b.* & nominatim fidelium? 324. *a. b.* ejus vis duplex. 510. *b.* ea mors Chriſti animari dicitur. II. 155. *a. b.* potiſſimum eſt medium, quo Deus homines regenerat. 273. *a. b.* non docet, Chriſtum ſemetipſum reſuſcitaſſe. 273. *b.* ſigno Jonæ in V. Teſtamenti exprimitur. 325. *a. b.* 326. *a.* quomodo ex ea remiſſio peccatorum ſeu liberatio a pœna peccati, peti poſſit? & an quippiam obſcurius aut incertius ſit, quam remiſſio peccatorum noſtrorum? I. 619. *a. b.*
Reſuſcitati quomodo dicamur in Chriſto? I. 479. *a.* 533. *a.*
Reſuſcitatio corporum noſtrorum quomodo futura? I. 277. *b.*
*Revelatio* pro exhibitione. I. 75. *b.* pro promulgatione. ibid. conf. 77. *b* 88. *b.*
Regium Chriſti munus per pontificium ſeu ſacerdotale, melius inſinuatur. II. 113. *a.*
Rixæ quid? I. 84. *b.* vide contentiones.
Robur virium Domini, quid? I. 490. *b.* gloriæ Dei, quid? 506. *b.* Dei, quomodo in δοξολογίαις, uſurpetur? II. 38. *a.*
Romanus Papa, vide etiam Papa. Succeſſor Petri eſſe nequit cum fundamentum alicujus rei ſucceſſorem non habeat, neque habere poſſit. II. 270. *a.* neque etiam apoſtolus ſeu legatus, qualis Petrus fuit, ſucceſſorem in legatione ſua habere queat. ibid. nota antichriſtiana innuitur. I. 588. *b.*
Ruth cur in genealogia Chriſti commemoretur? I. 4. *b.* ejus hiſtoria citatur. 9. *b.*

S.

SAbbati requies, quæ dicatur? II. 108. *b.* Dominus, quis filius hominis dicatur? 325. *a.*
*Sabata* quomodo obſervaverint Galatæ? I. 416. *b.* pro Sabbato. 533. *q.*
Sabbatiſmus populi Dei, quis? vide, requies. relinqui adhuc dicitur ei, & qualis? II. 110. *a.*
Sacerdos quomodo Chriſtus appelletur? II. 112. *b.* vide, etiam pontifex & cohen. in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, quomodo Chriſtus dicatur? 117. *b.* ſacerdotis Melchiſedeciani ſupra Leviticos præſtantia. 137. *b.* Chriſtus, quid in cælis nunc præſtet? 142. *a.* magnus dicitur Chriſtus, & quomodo? 176. *a.*
Sacerdotes Chriſtiani omnes eſſe debent at cum Chriſto collati, è vulgi numero non eximuntur, ſed populo veluti accenſentur. II. 283. *b.*
Sacerdotale munus Chriſti in quo conſiſtat? II. 112. *a. q.* non tam re, quam ratione tantum quadam a regio ejus munere diſtinguitur. ibid. & 117. *a.* imo idem eſt reipſa cum illo. 112. *b.* unde fit, ut alii ſcriptores ſacri, ſacerdotii Chriſti nullam expreſſam faciant mentionem. ibid.
Sacerdotium Leviticum, perfectionem non habuiſſe dicitur, eo quod alio adhuc ſacerdote opus fuerit ſecundum ordinem Melchiſedech. II. 136. *a. b.* ejus tranſlatio, quid ſit? 130. *b.* eſtque cauſa tranſlationis legis. ibid.
Sacerdotium Chriſti quomodo æternum dicatur. I. 332. *a.* præcipue in cælis peragi dicitur. II. 100. *a.* 117. *a. b.* ab Aaronico diverſi eſt generis. 138. *b* 139. *a.* 142. *a. b.* Levitico quanto præſtantius ſit, propterea quod ſempiternum dicatur? ibid. vide etiam pontifex Chriſtus.
Sacrificium Chriſti, vide oblatio. quæ peccata tollat, & quomodo? II. 157. *a.* quomodo differat a ſacrificio legali? 162. *a.* laudis, per Chriſtum offerre, quid ſit? 225. *a.* eo Deus delectari dicitur. 225. *b.*
Sadducæi unde dicti ſint? 38. quid crediderint? ibid. cur ad baptiſmum Joannis venerint? 39. *a.* & num multi eorum fuerint? ibid.
Sæculum malum quid ſit, ex quo, ut nos Chriſtus eriperet, mortuus eſſe dicitur? I. 379. *b.* Vide ſeculum.
Sæculorum fines in Chriſtianos deveniſſe quomodo dicantur? I. 304. *b.* conf. II. 279. *b.*
Sale omnis oblatio ſeu victima ſalienda dicitur, & quomodo? II. 313. *a. b.* 314. *a.* ſalem quomodo Diſcipuli habere jubeantur? ibid.
Salvare ſeu ſervare, quomodo Chriſtus dicatur? II. 142. *b*
Sanationes quorundam morborum Diabolus efficere poſſe dicitur. I. 587. * *a.*
*Sanctificare* quid? I. 384. *b.* pro mundare. 154. *a.* ſanctificari in Chriſti ſanguine quomodo dicamur? 180. *a.* quomodo ſanctificemur? I. 579. *a.*
Sanctificatio quomodo ſumatur? I. 130. *a.* 566. *a. b.* ſanctificatio conjugis infidelis per conjugem fidelem, quæ & quouſque extendenda? 282. *b.* pro caſtitate. II. 12. *b.* ſpiritus, quid dicatur? 271. *b.*
Sanctimonia ſeu ſanctificatio, quæ ſectanda proponitur, & ſine qua nemo Deum viſurus eſſe dicitur, quid ſit, II 206. *b.*
Sanctitas Chriſti an hominibus imputetur? Vide, imputatio.
Sancti cur Chriſtiani dicantur? I. 71. *a. b.* 273. *b.* 473. *a.* 501. *a.* (II 229. *a. b.*) mundum judicaturi dicuntur, & quomodo? 274. *a.* item angelos 274. *b.* ſanctorum κατάρσεις, quid, 485. *a.* in Chriſto, qui, 526. *b.*
Sanguis & ſuffocatum, cum idolothytis, an ſcandali tantum vitandi cauſa a Synodo Hieroſolymitana, ſint prohibita? I. 390. *a.* & quomodo a Paulo quoque interdicta ſint? ibid & 390. *b.* per ſanguinem Chriſti quomodo redemptionem in eo habeamus, remiſſionem peccatorum? 474. *b.* per ſanguinem crucis Chriſti pace facta quomodo Deus omnia in cælis & in terra per eum in ſeipſum reconciliaſſe dicatur? 530. *a.* teſtis veritatis Euangelicæ, quis ſit? II. 141. *b.* 142. *a.* & quam efficaciter? ibid. per ſanguinem proprium, cur & quomodo Chriſtus ſemel in ſancta introiviſſe dicatur, æterna redemptione inventa? 153. *a. b.* taurorum & hircorum ſanctificare dicitur ad carnis emendationem tanto vero magis

gis ſanguis Chriſti, per ſpiritum æternum ſemetipſum immaculatum Deo offerentis, purgavit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad colendum Deum vivum. 154. *a. b.* 155. *a. b*, 156 *a. b.* 157. *a. b.* 158. *a.* & quomodo ſanguis Chriſti conſcientias emundet? 154. *b.* qualiſque conditio fuerit, & quam vim ex natura ſua habeat ad comciliandam, nobis conſcientiæ emundationem? ibid. & 155. *a.* 156. *b.* 272. *a.* Chriſti, quæ peccata tollat? 157. *a.* fœderis vel Teſtamenti, quomodo ſanguis hircorum & vitulorum dicatur? 160. *b.* ſine ſanguinis effuſione remiſſio fieri negatur. 161. *a.* Teſtamenti, per quam ſanctificati ſumus quomodo pollutus ſeu profanus ducatur? 180. *a.* & qua ratione per ſanguinem Chriſti ſanctificetur ſeu emundemur? ibid. 224. *a.* nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſſe dicuntur, Hebræi, adverſus peccatum repugnantes. 202. *b.* 203. *a.* aſperſionis, ad quem Hebræi acceſſiſſe dicantur, meliora loquentem quam Abel, quid? & quomodo ſanguine Chriſti aſpergamur? 214. *a. b.* 272. *a.* quomodo ſanguis Chriſti & Abel loqui introducantur? 214. *b.* ſanguis animalium, in quæ ſancta illatus fuerit? & an omnium? 223. *b.*

Sanguine olim fœdera ſanciebantur. I. 111. *b.* II. 160. *a.* & multa, ad eorum emundationem, aſpergebantur. 160. *b.* 161. *a.* taurorum & hircorum peccata auferri, impoſſibile eſſe dicitur. 168. *a. b.* in ſanguine Jeſu fiduciam habere dicimur ad ingreſſionem in ſancta. 157. *a.* pretioſo agni inculpati, Chriſti, quomodo redempti dicimur? 279. *a.*

Sapere ea, quæ carnis ſunt, & ſapere diem, quid? I. 186. *b.* 136. *a.* ſapere Domino, quid? 186. *b.*

Satan, vide Diabolus. conterendus dicitur a Deo ſub pedes noſtros. I. 200. *b.* Satanæ aliquem tradere in perditionem carnis, quid? 270. *a. b.* quomodo Jobus, Paulus, & Hymeneus cum Alexandro, traditi ſint? ibid. (Conf. II. 8. *a.* 292. *a. b.* 293. *a.*) ejus tentatio in conjugibus, præcavetur a Paulo, & quomodo? 286. *b.* quomodo Paulum impediviſſe dicatur? 561. *a.* an cælum fuerit ingreſſus, cum interrogaretur de Jobo? II. 327. *b.* talia ac tanta patrare nequit, quanta olim per Chriſtum & Apoſtolos, alioſque veros Prophetas fuerunt edita. I. 587. * *a.* Satanæ traditio an hodieque eccleſia conceſſa ſit? 602. *a. b.* Satanæ inſtrumentum aut mancipium Chriſtus minime fuit. 615. *b.* 616. *a.* neque doctrinam ſuam ab ipſo habuit. ibid.

Scandalum quid? & quomodo ab offendiculo differat? I. 189. *b.* tratri non ponendum eſt. ibid. quotuplex ſit? ibid. quando curandum non ſit? 103. *a.* quomodo fuerit Chriſtus Judæis? 157. *a.* 252. *a.* majus, magis ſemper vitandum eſt quam minus. 392. *b.* quomodo evitari a Petro potuiſſet? ibid. crucis, quid? 431. *b.*

Schiſmata quando licita fiant? ibid. & quibus? ibid. & 438. *b.*

Scientia quomodo inflare dicatur? I. 289. *a. b.* ea quomodo frater infirmus perire aſſeratur? 292 *a. b.* & quomodo eadem in fratres, imo in Chriſtum peccetur? 292. *b.* quid? 532. *a.*

*Scire* pro ſententiam profiteri. 254. *a.*

Scortatio quomodo ſumatur? I. 84. *b.* 436. *b.* erat inter Corinthios, & quam gravis? 269. *a. b.* Conf. 303 *a.* vitium inter gentes familiare fuit, ita, ut etiam a quibuſdam inter adiaphora numeraretur. 292. *a.* Conf. 303. *a.* & II. 207. *b.* fugienda dicitur. 298. *a.* & quam grave peccatum ſit, oſtenditur ibid. ob eam quilibet Corinthiorum uxorem habere debebat. 279. *b.* prohibitur, propoſito Iſraëlitarum punitorum exemplo. 303. *a.* inter opera carnis numeratur. 436. *b.* quid ſit? II. 219. *b.* vide fornicatio.

Scriptura S. Veteris Ti. ſæpe tantum quoad ſenſum, non autem quoad verba, in N. Teſtamento citatur. I. 25. *a.* 335. *b.* 368. *a.* idque fere, prout in Græca V. T. verſione tum legebatur. 26. *a.* 368. *b.* 404. *a.* (II. 80. *a.* 81. *a.* 169. *b.*) ſæpe etiam ad alias res vel perſonas in N. Teſtamento, accommodatur, cum literali ſenſu de longe aliis rebus vel perſonis egerit. 30. *a.* Conf. 56. *b.* 162 *a.* 368. *a. b.* 420. *b.* II. 82. *b.* 83. *a.* 172. *a.* 172. *a.* 180. *b.* 210. *a. b.* dicitur dicere, quod Deus ipſe dixit. I. 151. *b.* videtur olim in partes fuiſſe digeſta. 163. *a.* quomodo prævidiſſe dicatur? 403. *a. b.* quare dicatur dixiſſe, quod Sara dixerat? 425. *a.* quomodo innuatur aliqua dixiſſe, quæ nuſquam extant? 487. *b.* II. 302. *a.*

*Scrutari* pro cognoſcere. I. 256. *a.*

Seculum, quale cui configurari prohibemur? I. 174. *a.* mundi hujus, quid. 477. *b.* ſeculi futuri Pater, quomodo Chriſtus dicatur? II. 71. *b.*

Secula futura documentum gratiæ divinæ in Chriſto habituræ dicuntur. I. 479. *a.* quomodo Deus per Chriſtum feciſſe dicatur? II. 71. *b.* pro mundo. 138. *b.* quomodo ex non apparentibus facta eſſe dicantur? 183. *b.* 184. *a.*

*Secundum*, κατὰ, quid ſignificet? I. 88. *a.* 89. *a.* 175. *a* (II. 104. 272. *b.*) pro per. 89. *a.* pro cum. 254. *a.*

Secundum carnem quid limitet, & cui opponatur? I. 68. *b.* 69. *a.* Secundum Spiritum Sanctificationis, quid innuat? 69. *b.* Conf. 117. *a.* 146. *a. b.* 307. *a.* 420. *a.* 424. *b.* Secundum hominem quid? 101. *a.* 249. *b.* 343. *b* 406. *a.* Secundum carnem aut ſpiritum ambulare, quid? 134. *b.* 135. *a.* Secundum carnem aut ſpiritum eſſe, quid? 136. *a.*

*Semen* pro prole. I. 13. *b.* pro familia ſeu poſteritate. 68. *a.*

Semen Abrahamo promiſſum, quid denotet? I. 3. *b.* 4. *a.* 406. *b.* 407. *a.* & quomodo Chriſtus ex ſemine Davidis factus ſeu natus eſſe dicatur? 13. *b.* ſemini cuique Deus dat corpus prout voluit. 347. *b.* idque proprium. ibid. quomodo Chriſtus dicatur eſſe ſemen Abrahamo promiſſum? 407. *a. b.* Abrahami, quinam ſint? 412. *a.* II. 98. *a. b.*

Seminificare, refertur etiam ad mulierem. II. 180. *b.*

Ex ſenſibus intelligentia noſtra primum proficiſcitur. I. 80. *a.*

Senſuum teſtimonium certiſſimum, & quare? II. 326. *b.*

Senſus verborum promiſſionis divinæ in V. T. nonnunquam eſt duplex, literalis & myſticus. I. 13. *a.* 17. *b.* 103. *b.* 420. *a. b.* & quomodo myſticos de Chriſto explicari debeat? 13. *b.* conjunctus & disjunctus. 19. *a.* verborum de Chriſto loquentium, nonnunquam de eo duplex eſt. 32. *a.*

Sententiæ ſuæ quivis certus eſſe cur debeat? I. 186. *b.*

Sentimus proprie ſpiritu, non corpore. I. 351. *b.* Sentire idem debemus. 512. *a.*

Septem millia virorum quomodo relicta dicantur? I. 163. *b.* perdi a Deo cum aliis potuiſſent. ibid.

Sepulcrum, vide internus.

*Sermo*, vide, lingua. pro dono linguarum. I. 248. *b.* ſermonis ſapientia, qua Paulus ſed uſum eſſe negat, quid? 150. *b.* pro re, ſermone expoſita. 368 *a.* vitæ, quid? 98. *a* veritatis quid? 526. *a.* Chriſti, inhabitare in nobis debet, & quomodo? 536. *b.* per Angelos dictus, quis. 88. *b.* pro promiſſione. 108. *a.* Dei, vivus, & efficax, & penetrantior omnia gladio ancipiti, quis dicatur? 110. *b.* 111. *a. b.* Juſtitiæ, quis dicatur? 120. *b.* principii, quis? 122. *a.* Dei, vivus, & in æternum manens, quomodo dicatur? 280. *b.* 281. *a.* hominum, quis? 558. *b.*

*Servator* pro ſalute, ſeu ſalutis cauſa. I. 16. *b.* quod nomen quomodo Chriſto reipſa competat, Angelus apud Matthæum prolixe oſtendit. ibid. Conf. 513. *a.* Deus Pater quoque vocatur. II. 1. *a. b.* 42. *b.* 48. *a.* 51. *b.* & omnium quidem hominem at maxime fidelium. 24. *a.* Chriſtus dicitur. 52. *a.*

Servaturus populum ſuum, quomodo Chriſtus ab Angelo dicatur? II 16. *b.* quomodo dicatur Timotheus ſe & audientes? II. 25. *b.*

Servi hominum fieri prohibemur. I. 285. *a. b.*

Servire Deo, quid? I 72. *a.* Servire legi Dei mente & legi peccati carne, quid? 134. *a.*

Servituti quomodo frater aut ſoror in conjugis infidelis ſeparatione ſubjectus non eſſe dicatur? I. 283. *a. b.* ſervitus eſt eſt quiddam ſua natura malum. 248. *b.*

*Si* pro etſi. I. 99. *a.* non ſemper dubitationem indicat. 511. *a.* 564 *a.*

*Sic* pro itaque. I. 74. *a.*

Sicut quomodo uſurpetur? I. 249. *a.* 248. *b.* 259. *b.* 286. *b.* 287. *a.*

Silentium mulieribus quomodo imperetur? II. 11. *b.* 12. *a.*

*Similitudo imaginis*, pro ſimili imagine. I. 81. *b.* vel pro ſimilitudine, qui ſit imago. ibid. & 82. *a.* ſimilitudo carnis peccati, quid? 135. *b.* ſimilitudinis particulæ ſæpe omittuntur. 307. *a.* (II. 80. *b.*) ſimilitudo Paulina etiam probandi vim habere dicitur. 346. *b.* Pontificis legalis cum Chriſto, in quibus conſiſtat, & quouſque ſe extendat? vide, pontifex Chriſtus, & 153. *a.* 161. *b.* 163. *b.*

Similis hominibus, quomodo Chriſtus factus eſſe dicatur? I. 506. *b.* quomodo fratribus per omnia fieri debuerit? II. 99. *a* 114. *a.*

Simplicitas quid? I. 176. *a.* 490. *a.*

Singularis pro plurali. I. 162. *b* II. 2. *b.*

Sion, pro Eccleſia, & cælo. ibid.

*Sit*, pro, appareat, aut cognoſcatur. I. 92. *b.*

Sobrietas quid? I. 174. *b.*

Solicitudinem quam Chriſtus prohibeat? 297. *a.*

Solicitos quomodo nulla de re Paulus Philippenſes eſſe jubeat? I. 514. *b.* quomodo Chriſtus ſuos de craſtine eſſe nolit? II. 297. *b.*

Solœcophanes, ubi? I. 582. *b.*

Somnium Joſephi Propheticum. I. 15. *b.* adeoque notabile, & certitudinem adferens. ibid.

*Somnus* pro ſomno vitiorum, ex quo exitari jubemur. I. 182. *b.*

Σωφρονεῖν quid? I. 174. *b.*
Σωφροσύνη quid? I. 174. *b.*
Sorites Pauli. I. 141. *b.*
Soror quæ dicatur? I. 293. *b.*
Sors ſanctorum, quæ? I. 527. *a.*
Soſthenes quis? & cur eum ſibi adjunget Paulus ubi ad Corinthios ſcribit? I. 288. *a.*
Inter ſpeciale & generale quædam eſt antitheſis. I. 16. *a.*
Species hujus mundi quomodo tranſire dicatur? I. 287. *a.* ab omni ſpecie mali, quomodo abſtinere jubeamur? 578. *b.*
*Spes* pro promiſſo, & re ſperata. I. 121. *a. b.* 139. *b.* 428. *a.* 484. *a.* 526. *a.* II. 49. *a.* pro ſpe vitæ æternæ. 196. *b.*
*Spiritu pauperes*, pro humilibus ſpiritu. I. 63. *a.* non autem pro manſuetis. ibid.
Spirituale corpus quid? I. 353. *a. b.* 354. *a.* quomodo differat a ſpiritu noſtro? 354. *a. b.* ejus motus, ſenſus, figura, claritas, magnitudo, & communicatio cogitationum. 354. *a. b.* 355. *a. b.* 356. *a.*
*Spiritualis homo*, qui animali opponitur, quis ſit? I. 258. *a.* 257. *b.* pro ſpiritualem & myſticam ſignificationem habente? 300. *a. b.*
*Spiritus* pro voluntate nunquam ſumitur. I. 62. *b.* pro animo & mente. 72. *b.* Vide in ſpiritu. Opponitur literæ; latius tamen patet quam Euangelium? 97. *a.* dicitur Euangelium & cur? 191. *b.* pro homine, ſpiritu divino prædito. 256. *a.* pro ſubſtantia ſpirituali, proque corpore ſubtiliſſimo. 358. *a.* pro ſpirituali cultu. 427. *b.*
Spiritus oppoſitus literæ, quid ſit? I. 131. *b.* 135. *a.* 136. *b.* ſervilis ſeu ſervitutis, quid? 137. *b.* Euangelicus, quis & unde? 137. *b.* 138. *a.* 140. *b.* 435. *a.* 441. *b.* adoptionis, quid? 138. *a.* quomodo conteſtari dicatur ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei? ibid. quomodo opitulari dicatur infirmitatibus noſtris? 140. *a.* quomodo pro nobis interpellet ſuſpiriis inenarrabilibus? 140. *b.* & quis ille? ibid. hominis facit, ut homo ante & poſt reſurrectionem idem cenſeri poſſit. ibid. & 315. *a.* II. 19. *a.* hominis, quid? 111. *b.*
Spiritum ſuper Chriſtum deſcendentem, an populus quoque viderit? I. 47. *a. b.*
Spiritus Sanctus quomodo tanquam columba in Chriſtum deſcenderit? I. 48. *b.* cur ab Apoſtolo non ſimul cum Deo & Chriſto invocetur? 71. *b.* quomodo diffuſus ſit in cordibus noſtris. 123. *a. b.* dicitur arrhabo felicitatis. 191. *b.* 276. *b.* 475. *b.* ejus effecta in Chriſtianis. 276. *b.* datur a Deo. 278. *b.* & hinc Deus ipſe non eſt. ibid. neque perſona. ibid. ab eo Apoſtolus nihil precatur, uti quidem a Deo & Chriſto, ſed ejus tantum communionem fidelibus optat alicubi. 379. *b* ejus donum Euangelium maxime confirmat. 400. *a.* & credentibus incircumciſis datum, teſtatur Deum omnes eos juſtificare, qui fidem habuerint, crediderintque. 400. *b.* 430. *a.* non contriſtandus eſſe dicitur, quo obſignati ſumus. 486. *b.*
*Spiritus Dei*, pro homine, ſpiritu divino prædito. ibid.
Spiritus ſeptem, a quibus Johannes pacem & miſericordiam optat, quinam ſint? II. 31. *b.*
Spiritus animales in corpore quid præſtent? I. 354 *b.* 355. *a.*
Splendor corporis Chriſti in transfiguratione, futurum ſplendorem corporum noſtrum quodammodo præfigurat. I. 352. *a.* gloriæ Dei, quomodo Chriſtus dicatur? II. 72. *b.* 73. *a.*
Sponſor fœderis cur Chriſtus appelletur? II. 141. *a. b.* & quomodo pro fœderis divini veritate, nobis nomine Dei ſponderit? ibid & 142. *a.* in ſponſoris voce ſacerdotium etiam Chriſti intelligi dicitur, ita ut per Chriſtum ceu ſacerdotem in cælis, id præſtet, pro quo Chriſtus hominibus ſponderit 142. *a.*
Stare aut cadere proprio Domino, quid ſit? I. 186. *a.* ſtare qui ſe exiſtimat, videat ne cadat. 304. *b.* ſtare in libertate, quid? 425. *b.* pro fortiter conſiſtere. 491. *a.* & vincere. ibid. & 491. *b.* Conf. 589. * *a.*
Status vide diſcrimen. Pro ratione ſtatus ac conditionis, dicitur intelligendum eſſe Apoſtoli præceptum de vitandis pretioſis radicantibuſque veſtibus. II. 11. *a. b.*
Stella a Magis viſa, quæ aut qualis fuerit? I. 22. *a. b.* ubi primum apparuerit poſitaque fuerit? 22. *b.* quomodo Magi ex ea collegerint Regem Judæis eſſe natum? 23. *a.* quando apparuerit? 29. *b.*
Stigmata quid? & cur ea Paulus in corpore ſuo ſe portare dicat? I. 450. *b.*
Stipendium cur Paulus ab eccleſiis nonnullis accipere noluerit? I 295. *b.* 296. *a.*
Stipula quæ doctrinam denotet? I. 261. *b.*
Subjectus Magiſtratui debet eſſe Chriſtianus, & quouſque? I. 179. *b.*
Subſtantia, quid? II. 106. *b.*
Subſtantivum pro adjectivo. I. 251. *b.* 199. *a.* 258. *a.*
Subterranei qui? I. 506. *b.* quomodo genua flectere dicantur a Paulo? ibid. & 507. *a.*
Suffocatum quomodo interdictum ſit, & a quibus. vide ſanguis.
Superbi quinam ſint? I. 85. *a.*
Superindui quid ſit? I. 367. *a. b.* II. 315. *a. b.*
Suppoſititiæ epiſtolæ Pauli, jam eo tempore confictæ fuere. I 607. *b.* vide etiam epiſtolæ.
Suſcipere quomodo uſurpetur? I. 184. *b.* 185. *a.*
Synecdoche figura. I. 41. *a.* 54. *b.* 72. *a.* 173. *a.* 342. *b* 413. *b.*
Σύνεσις quid? I. 532. *a.*
Syntheſis figura. I. 92. *a.* 95. *b.* 534. *a.* II. 47. *b.* I. 553. *a.*
Συζυγος quis? vide Socius.


## T.


TAbernaculum verum, quodnam? & quomodo Chriſtus ejus miniſter dicatur? II. 144. *b.* quomodo Dominus id fixiſſe aſſeratur, non homo? ibid. primum, & ſecundum, quid dicatur? 149. *b.* & quinam illa ingreſſi ſint, & quoties? 150. *a. b.* quodnam Chriſtus tranſiviſſe dicatur, in ipſum ſacratiſſimum Dei penetrale ingreſſurus? 152. *b.* cur dicatur etiam, non manufactum, aut hujus creationis? ibid. & 153. *a.*
*Tauri*, pro vitulis, aut bovino genere. II. 154. *a.*
*Tempus*, pro tempore commodo. I. 182. *b.* 446. *b.* 488. *a.*
Tempori ſervire quid? I. 177. *a.*
*Tenebræ* pro ſpiritualibus tenebris, ignorantiam rerum divinarum parientibus. I. 183. *a.* pro tenebricoſis. 487. *a.* Epheſii enim tenebræ fuiſſe dicuntur. ibid. & 487. *b.*
*Tentatio* pro afflictione. 417. *b.* in tentationem incidere, quid? II. 35. *a.*
Tentationes, vide etiam afflictiones. pro afflictionibus enim non raro ſumuntur. II 113. *b.* 275. *b.*
Teſtacea vaſa, pro corporibus infirmis. I. 417. *a.*
*Teſtes* pro prophetis. 102. *a.*
*Teſtimonium Dei*, pro Euangelio. 254. *a.* II. 102. *a.*
Θεοδίδακτοι, qui? I. 568. *b.*
Theſaurus iræ. I. 88. *a. b.* quid proprie dicatur? II. 297. *b.*
*Theſauri*, pro ciſtis aut vaſis theſauros continentibus. I. 28. *a.* theſauros colligere in terris quomodo Chriſtus prohibeat? 297. *b.*
Throni in Chriſto quomodo conditi dicantur? I. 528. *b.* 529. *a.* ſuper duodecim thronis quomodo ſeſſuri dicantur Apoſtoli, judicantes duodecim tribus Iſraël? II. 291. *a.*
*Ti* particula interdum minuendi vim habet. II. 198. *b.* 199. *b.*
*Timere* pro dubitare & vereri. I. 16. *a.* pro colere. 54. *b.*
Τραχηλίζειν, quid? II. 112. *a.*
*Tradere*, pro conjicere in carcerem. I. 55. *b.* Tradiſſe homines in impuritatem aut mentem repobam, quomodo Deus dicatur? 82. *b.* 83. *b.* 84. *a.* Tradere aliquem Satanæ in perditionem carnis, quid? 270. *a. b.* Tradere regnum Deo & Patri quomodo Chriſtus dicatur? 331. *b.* 332. *a.*
Traditus pro peccatis noſtris quomodo Chriſtus dicitur? I. 379. *b.* vide mortuus.
Traditio, pro doctrina propoſita & explicata. I. 592. *b.*
Traditiones Pontificii inepte ſtabiliunt. I. 285. *b.* Apoſtolorum, ſcribi etiam potuere, atque ita ad manus noſtras pervenire. 313. *a.* earum neceſſitas convellitur. 381. *b.* 382. *a.* Patriæ quæ dicantur? 384. *a. b.* humanæ fallaces. II. 229. *b.* traditionibus per manus acceptis, non multum tribui poteſt, & quare? I. 586. *b.* traditiones tenere jubentur Theſſalonicenſes, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam, explicatas. 589. * *a.* & an hinc traditionum non ſcriptarum neceſſitas confirmari queat? ibid.
Trajectio verborum, ſenſum reddit obſcuriorem. I. 75. *b.* ejus exempla. 284. *a.* 312. *a.* 330. *a. b.* 343. *a.* 357. *b.* II. 56. *a.* 93. *b.*
*Tranſire* pro perire. II. 85. *a.*
Tranſitiva verba ſæpe fiunt reciproca. I. 358 *b.*
*Tranſlatio* pro abolitione. 216. *b.*
Tribulatio, vide, afflictio.
Tribuitur nonnullis haut raro id quod de ipſis præſumitur, eorumque officium aut profeſſio alioquin poſtulat. I 411. *a. b.* 441. *b.* Conf. 427. *a.* 535. *b.* II. 224. *b.* etiam nonnunquam individuis & perſonis, quod eidem generi ſeu populo competit. I. 559. *b.* 571. *a.*
Triumphati quomodo dicantur principatus malorum angelorum per crucem Chriſti, exutique? I. 533. *b.* II. 285. *a.*

Tropus ubi? I. 300. *b.*
Tuba quid ſignificet? I. 365. *a.* pro ſono ſimili tubarum ſono. ibid. & 571. *b.* ultima quæ ſit, & quis ea cantaturus dicatur? ibid. tubæ ſonitus. 209. *b.*
Tunc particula, non præciſe illud temporis punctum ſignificat, de quo ſermo eſt. I. 28. *b.* 44. *b.*
Tunica etiam polluta in corpore vitari jubetur. II. 287. *a.*
Turbator Galatarum, judicium portaturus dicitur, & quomodo? I 430. *b.*
Turbatores Galatarum quomodo Paulus optet abſcindi? I. 432. *a. b.*
Turbo quomodo a procella differat? II. 209. *a.*
Turpitudo quid? I. 487. *a.*
Tychicum cur mittere voluerit Paulus? II. 53. *b.*
De typis nonnulla dicuntur, quæ antitypo melius conveniunt. I. 424. *b.* II. 135. *b.*
Ὃν μὰ, quomodo ſumatur? I. 435. *b. a.*

## V.

*Vanitas* pro afflictionibus, morteque ipſa. 139. *a.*
Vectigal quid? I. 181. *a.*
Velamen ſeu velum, dicitur cælum, & quare? II. 130. *a.* item caro Chriſti. 157. *b.* & quomodo hujus diſſolutio, rupturæ velaminis templi reſpondeat? idid.
*Velle* quid indicet? I. 416. *a.* 419. *b.* 534. *a.* quomodo Deus in nobis operari dicatur? 507. *b.*
Telum, vide velamen. Velum faciei faciei ſuæ Moſes impoſuiſſe alia ex cauſa in N. T. dicitur, quam in Veteri. II. 210. *b.*
Vendere poſſeſſiones ſuas & pauperibus largiri jubebatur adoleſcens dives. II. 38. *b.* & quomodo? 294. *a. b.* & cur? 295. *a. b.* aliis etiam, quod adoleſcenti huic præceptum eſt, & eum quo tamen diſcrimine? ibid. & 295. *a.*
Veneficium opus carnis dicitur. I. 427. *b.* veneficio an pius homo a Diabolo enecari poſſit? II. 327. *b.*
Venire quomodo Chriſtus poſt Joannem dicatur? I. 42. *b.* quomodo Deus & Chriſtus dicatur? 196. *b.* 480. *a.* venientem filium hominis in regno ſuo, quando viderint diſcipuli? 352. *a.* in mundum, quid? II. 5. *b.* 168. *b.*
*Veniam*, pro, rem promiſſam effectum dabo ac præſtabo. I. 148. *b.*
Verbo Dei quomodo cibi ſanctificari dicantur? II. 22. *b.*
Verbum Domini quod factum eſt ad Joel Oſeam &c. elliptice dicitur. I. 3. *b.* verbo Domini quomodo cæli firmati dicantur? II. 84. *a.* pro decreto Dei, quod perpetuo, ſeu in æternum manere dicitur, & quomodo. 281. *a.*
Verbum ore prolatum pro rei indicatæ teſtimonio. I. 25. *b.* pro re. 51. *a.* pro mandato. 161. *b.* (II. 83. *a.* 84. *a.*) fidei, quid? 15 . *b.* ſanum, quid? II. 47. *b.* virtutis, aut potentiæ, quid? II. 73. *a. b.*
Veritas pro notitia rerum, ad religionem ſpectantium. 90. *a.* 491. *b.* eam dicendo, Paulus inimicus Galatarum fiebat, & pro ſinceritate. 487. *b.* 491. *b.*
*Secundum veritatem*, pro, vere. I. 87. *a.*
Verum, quomodo ſumatur? II. 162. *b.*
Verus quomodo Deus dicatur? I. 553. *b.*
Vicarius Chriſti, Petrus non eſt. II. 270. *a.*
Victus & amictus quid comprehendat? II. 35. *a.*
Videns Chriſtum quomodo videat Patrem? I. 527. *a. b.* II. 18. *b.*
*Videte*, pro, diligenter curate. I. 577. *a.*
Videri dicere dupliciter intelligi poteſt. I. 40. *b.* qui videntur eſſe aliquid, quinam dicantur? 388. *b.* 389. *b.* 444. *a.*
Vindicta omnis prohibetur. I. 178. *b.* 179. *a.* cum Dei ſit. 179. *a.* qui dixiſſe dicitur; mihi vindicta ego retribuam. II. 180. *b.* præcepti de vindicta ne per magiſtratum quidem repetenda, ignoratio, & neglectus in Chriſtiano homine, vi novi fœderis a ſalute æterna excludit. 327. *b.* 318. *a.*
*Virtutes* pro virtute præditis. I. 334. *a.* & quænam a Chriſto abolendæ dicantur? ibid. & 334. *b.* 335. *a. b.* & quomodo? 335. *b.* pro miraculis, ex potentia ſeu virtute divina profectis. 401. *b.* II. 91. *a.* futuri ſeculi guſtatæ, quid? 1.4 *a.* virtutum ſummus gradus an ſemper a nobis requiratur? 280. *b.*
Viſcera quid dicantur? I. 502. *b.* 505. *b.* II. 51. *b.*
*Vita*, pro vita æterna. II. 250. *a.*
*Vitula* pro vacca. II. 154. *a.*
Vivere Deo, quid? I. 128. *b.* 397. *b.* in præceptis legis, quid? 158. *b.* 404. *b.* ſibi ipſi, aut Domino, quid? 18 . *a. b.* quomodo Paulus non amplius vivere dicat, ſed Chriſtum in ſe? 397. *b.* 398. *a.* in carne & ſecundum carnem, diverſa ſunt. 398. *a.* in fide filii Dei, quid? ibid in vitis, quid? 535. *b.* quomodo ſe Paulus dicat, ſi Theſſalonicenſes ſtent in Domino. 503. *b.* 504. *a.* ſimul cum Chriſto, quomodo dicamur? 5 5. *b* 576 *a.*
*Vivo ego*, formula jurantis. I 188. *a.* II. 128. *b.*
Vivus quomodo dicatur Deus? II. 17. *b* 24 *a.* 38. *a. b.* 106. *a.* 158. *a.* 181. *a.* 212. *a.* item ſermo Dei? vide, ſermo Dei.
Viri Chriſtiani in adventu Domini non prævenient mortuos. I. 571. *a.*
Vivificare quid? I. 358. *a. b.* quomodo ſpiritus dicatur, lex autem non poſſit? 410. *a.* vivificati Chriſto, quomodo dicamur? 478. *b.*
*Unigenitus* pro chariſſimus ſeu unice dilectus I. 49. *b.* II. 192. *b.*
Unius viri uxor, quomodo vidua alleganda eſſe debeat? II. 28. *a.*
Unius uxoris vir, quomodo Epiſcopus cum Diacono eſſe debeat? Vide uxor.
Vocabulum idem aliter atque aliter ſumitur in una eademque periodo. I 92. *b.* 112. *a.* 95. *b* 405. *b.* II. 295. *a. b.*
Vocans dicitur Deus. I 430. *a*
*Vocari* etiam pro eſſe ponitur. I. 32. *b.*
Vocatum cur ſe dicat Paulus? I. 67. *a.* 248. *a.* cur Timotheum, in vitam æternam? II. 36 *b.*
Volumen libri, quid? II. 171. *b.* 1 2. *a.*
Voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta, quę? I. 174. *a.* per voluntatem Dei, Paulus ſe Romam venturum eſſe addit, & cur? 199. *b* conf. 268. *b.* cur ſe per voluntatem Dei apoſtolum vocat? 473. *a.* 525. *a.* pro rebus volitis 478. *a.* in voluntate Chriſti quomodo ſanctificati dicamur, per oblationem corporis ejus II. 173. *a. b.*
Vox pro vocabulo, vide vocabulum. una, duas nonnunquam ſignificationes ſimul habet. I. 337. *a.* II. 32. *a.* 35. *b.*
Voces plures ſibi vicinas, non ſine gravi cauſa viri divini ponere ſolent. II. 8. *b.*
Uri quid? ejuſque remedium. I 281. *b.*
ὧτο, ita, pro itaque. I. 74. *a.*
Vulgata verſio, ubi manifeſte falſa ſit? I 364. *b.*
Uxores quomodo ſe viris ſuis ſubjicere debeant in omni. I. 488. *b.* 537. *a* Diaconorum, quales eſſe debeant? vide, mulieres. juniores, vide juvenculæ.
Uxoratus curare dicitur ea quæ ſunt hujus mundi. I. 287. *a.*
Uxorati quomodo fiant fierique debeant iis ſimiles, qui uxore carent? I. 286. *b.*

## Y.

Ὑπὲρ pro ἕνεκα. I. 313. *a.* pro περὶ. 586. *a.*
Ὑπὸ ἓνὸς, quid denotet. I. 342. *a.*
Ὑπομονὴ, quid? I. 591. *b.*
Ὑστερικέναι, quid? II. 107. *b.* conf. 206. *b.* 207. *a.*

## Z.

Zara cur in genealogia Chriſti commemoretur? I. 4. *b.*

# INDEX ALTER

## Locorum S. ſcripturæ qui in hoc opere explicantur illuſtrantur vel curſim attinguntur.

*Ubi numerus latinus I & II primum vel ſecundum tomum, literæ a. b. paginæ columnam primam aut ſecundam denotant.*

### GENESIS.


| Cap. | verſ. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| I. | 1. | II. | 183. b. | 184. a. |
| | 3. | II. | b. | |
| | 6. | II. | 85. a. | 183. b. |
| | 7. | II. | a. | |
| | 8. | II. | a. | |
| | 9. | II. | 183. b. | |
| | 11. | II. | b. | |
| | 14. | II. | b. | |
| | 20. | II. | b. | |
| | 24. | I. | 357. a. | II. 183. b. |
| | 25. | I. | a. | |
| II. | 2. | II. | 108. b. | |
| | 7. | I. | 353. a. | 357. a. 360. a. |
| | 15. | I. | 200. b. | |
| | 17 | I. | 124. b. | |
| III. | 15. | I. | b. | |
| | 19. | I. | 360. a. | |
| IV. | 3. | I. | 413. a. | |
| | 4. | I. | a. | II. 183. b. |
| | 5. | I. | a. | II. 184. b. |
| | 7. | II. | 184. b. | |
| | 10. | II. | 185. a. | |
| | 11. | ibid. | | |
| | 12. | ibid. | | |
| | 13. | ibid. | | |
| | 14. | II. | 78. a. | |
| V. | 1. | I. | 3. b. | |
| | 3. | I. | 326. a. | |
| | 4 & d. | I. | 386. b. | |
| | 22. | II. | 185. a. | |
| | 24. | I. | 30. b. | II. 185. a. |
| VI. | 2 & d. | II. | 207. a. | |
| | 3. | I. | 386. b. | |
| | 9. | II. | 185. a. | |
| | 13 & d. | II. | 186. a. | I. 128. a. 533. a. |
| XII. | 1 & d. | I. | 118. b. | II. 134 b. 187. a. |
| | 2 & d. | I. | 402. a. 406 b. | II. 134. b. |
| | 3. | I. | 403. a. | II. 134. b. |
| | 10 & d. | I. | 408. a. | |
| XIII. | 15 & d. | I. | 406. b. | |
| | 16. | I. | 402. a. | II. 189. b. |
| XIV. | 1 & d. | | 118. b. | |
| | 18. | II. | 131. a. | |
| | 19. | ibid. | | |
| XV. | 1. | II. | 188. a. | |
| | 2. | ibid. | | |
| | 3. | ibid. | | |
| | 5 & d. | I. | 408. b. | II. 189. b. |
| | 6. | I. | 118. a. | 394. b. 402. a. |
| | 12. | II. | 190. a. | |
| | 13. | ibid. | | |
| | 14. | ibid. | | |
| | 16. | I. | 560. a. | |
| | 18. | I. | 407. b. | |
| XVI. | 12. | I. | 149. a. | |
| XVII. | 7 & d. | I. | 406. b. | |
| | 17. | II. | 189. b. | |
| XVIII. | 2 & d. | II. | 218. a. | |
| | 5. | II. | 222. a. | |
| | 10. | II. | 189. a. | |
| | 12. | idid. | | |
| | 13. | ibid. | | |
| | 14. | ibid. | | |
| | 17 & d | II. | 218. b. | |
| | 18. | I. | 403. a. & d. | 406. b. |
| | 33. | II. | 218. b. | |
| XIX. | 1. | II. | 218. a. b. | |
| XX. | 2. | II. | 80. b. | |
| XXI. | 1. | I. | 148 b. | |
| | 9. | I. | 425. a. | |
| | 10. | ibid. | | |
| | 12. | ibid. | | |
| | 21. | I. | 421. a. | |
| XXII. | 12. | I. | 142. b. | |
| | 16. | I. | ibid. I. 402. a. & d. I. 407. b. | II. 128. b. |
| | 17. | II. | 189 b. | |
| | 18. | I. | 403. a. & d. I. 406. b. | |
| XXIII. | 4. | II. | 196. a. | |
| XXIV. | 5 & d | ibid. | | |
| | 43. | I | 18. b. | |
| | 50. | II. | ibid. | |
| | 51. | ibid. | | |
| XXV. | 30. | II | 193. b. | |
| | 31. | ibid. | | |
| | 32. | ibid. | | |
| | 33. | II. | 193. b. | |
| XXVI. | 4. | I. | 403. a. | |
| | 12. | I. | 116 b. | |
| XXVII. | 3. | I. | 566. b. | |
| | 27. | II. | 125. a. | |
| | 28. | ibid. | | |
| | 33. | II. | 193. b. | |
| | 37. | ibid. | | |
| | 40. | ibid. | | |
| | 46. | II. | 207. a. | |
| XXVIII. | 1. | II. | 207. a. | |
| | 2. | ibid. | | |
| | 6. | ibid. | | |
| | 7. | ibid. | | |
| | 8. | ibid. | | |
| | 14. | I. | 403. a. | |
| XXIX. | 14. | I. | 489. a. | |
| | 31 & d. | II. | 207. b. | |
| | 32. | ibid. | | |
| | 34. | ibid. | | |
| XXX. | 3. | I. | 149. a. | |
| | 5 & d. | II. | 207. b. | |
| | 6 & d. | I. | 149 a. | |
| | 17 & d. | II. | 207. b. | |
| | 28. | ibid. | | |
| | 30. | ibid. | | |
| XXXI. | 5. | II. | 221. a. | |
| | 16. | II. | 207. b. | |
| | 19. | ibid. | | |
| | 24. | ibid. | | |
| | 30. | ibid. | | |
| | 32 & d. | ibid. | | |
| | 49. | ibid. | | |
| | 50. | ibid. | | |
| XXXII. | 28. | I | 480 a. | |
| XXXV. | 2 & d. | II. | 207. b. | |
| | 18. | II. | 69. | |
| XXXVIII. | 8. | I. | 9. b. | II. 138. b. |
| | 9. | I. | 9 b. | |
| XLIV. | 11. | II. | 4. b. | |
| XLVII. | 9. | II. | 190. a. | |
| | 31. | II. | 193. b. | 194 a. |
| XLVIII. | 13 & d. | II. | 193. b. | 194. a. |
| | 20. | I. | 403. a. | |
| XLIX. | 1 & d. | I. | 179. a. | II. 195. b. |
| | 5. | I. | 566. b. | |
| | 28. | I. | 170. b. | |

# INDEX ALTER.

## EXODUS.

| Cap. | verſ. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| I. | 17 | I. | 258. b. | |
| | 18 | ibid. | | |
| | 22 | I. | 358. b. | |
| II. | 8 | I. | 19. a. | |
| | 10 | II. | 194. b. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 14 | II. | 195. a. | |
| | 15 | ibid. | | |
| III. | 2 | II. | 218. b. | |
| | 6 | I. | 115. b. & d. II. 218. b. | |
| | 12 | I. | 47. a. | |
| IV. | 22 | I. | 28. b. | 146 a |
| | 23 | I. | 146. a. | |
| V. | 14 | II. | 221. a. | |
| VII. | 13 | I. | 151. b. | |
| | 22 | I. | ibid. | |
| VIII. | 19 | I. | 151. b. | |
| | 32 | ibid. | | |
| IX. | 34 | I. | 151. b. | |
| XII. | 7 | II. | 195. b. | |
| | 11 | II. | 69. | |
| | 12 | II. | 195. b. | |
| | 13 | ibid. | | |
| | 22 | II. | 160. b. | |
| | 23 | I. | 304. a. II. 195. b. | |
| | 29 | II. | 195. b. | |
| | 40 | I. | 408. a. | |
| XIII. | 2 | II. | 213. a. | |
| | 11 & d. | ibid. | | |
| | 21 | I. | 299. b. | |
| | 22 | ibid. | | |
| XIV. | 20 & d. | II. | 196. a. | |
| | 22 | I. | 300. a. | |
| | 28 | I. | 335. b. | |
| | 31 | I. | 300. a. | |
| XV. | 4 | I. | 335. b. | |
| | 13 | I. | 405. a. | |
| | 14 | ibid. | | |
| XVI. | 15 | I. | 300. a. II. 69. | |
| | 16 | I. | 300. a. | |
| XVII. | 2 | I. | 301. b & d. II. 104. a. | |
| | 6 | I. | 300. b. | |
| | 7 | II. | 104. b. | |
| XVIII. | 25 | I. | 27. a. | |
| XIX. | 3 & d. | II. | 218. b. | |
| | 13 | II. | 210. b. | |
| | 16 | I. | 571. b. | |
| | 18 & d. | I. | 421. b. | |
| | 19 | | 365. a. | |
| | 22 | II. | 213. a. | |
| | 24 | ibid. | | |
| XX. | 3 & d. | I. | 394. a. | |
| | 11 | II. | 108. b. | |
| | 18 | II. | 209. b. | |
| | 19 | ibid. | | |
| XXI. | 6 | II. | 169. b. | |
| XXIV. | 3 & d. | II. | 160. a. b. | |
| | 4 | ibid. | | |
| | 6 | II. | 272. a. | |
| | 7 | II. | 160. a. | |
| | 8 | II. | 271. b. | |
| XXVIII. | 17 | I. | 198. a. | |
| XXX. | 6 | II. | 147. b. | |
| | 7 | ibid. | | |
| XXXII. | 6 | I. | 302. b. | |
| | 10 | I. | 170. b. | |
| | 32 | I. | 146. a. | 514. a. |
| | 34 | I. | 514. a. | |
| XXXIX. | 10. | I. | 198. a. | |

## LEVITICUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 4 | II. | 115. b. | |
| IV. | 1 & d. | II. | 115. a. | 161. a. |
| | 5 | II. | 223. b. | |
| | 7 | ibid. | | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 12 | ibid. | | |
| | 16 | ibid. | | |
| | 18 | ibid. | | |
| | 25 | ibid. | | |
| V. | 1 & d. | II. | 161. a. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 12 | ibid. | | |
| VI. | 1 & d. | II. | 161. a. | |
| VIII. | 10 | II. | ibid. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 15 | ibid. | II. 271. b. | |
| | 18 | II. | ibid. | |
| | 23 | ibid. | | |
| | 29 | II. | 161. a. | |
| | 30 | ibid. | | |
| IX. | 36 | I. | 409. a. | |
| | 23 | II. | 217. b. | |
| | 24 | ibid. | | |
| X. | 1 & d. | II. | 217. b. | |
| XI. | 44 | II. | 278. b. | |
| XII. | 2 | II. | 189. b. | |
| | 7 | I. | 117. b. | |
| | 8 | ibid. | | |
| XIII. | 1 & d. | I. | 117. b. | |
| XIV. | 1 & d. | I. | 117. b. | |
| | 4 | II. | 160. b. | |
| | 5 | ibid | | |
| | 6 | ibid. | | |
| | 7 | ibid. | | |
| | 14 | ibid. | | |
| XVI. | 6 | II. | 116. b. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 12 | II. | 153. a. | |
| | 14 | II. | 2, 1. b. | 272. a. |
| | 15 | II. | 153. a. | 161. b. |
| | 16 | II. | 150. b. | ibid. |
| | 17 & d. | II. | 116. b. | |
| | 18 | II. | 153. a. | |
| | 20 | II. | 150. b. | |
| | 21 | II. | 168. a. | |
| | 24 | II. | 150. b. | |
| | 26 | II. | 161. a. | |
| | 34 | II. | 150. b. | |
| XVII. | 3 | II. | 73. b. | |
| | 4 | ibid. | | |
| | 5 | ibid. | | |
| | 6 | ibid. | | |
| | 9 | ibid. | | |
| XVIII. | 5 | I. | 91. b. | 394. a. 404. b. |
| XIX. | 6 & d. | I. | 456. b. | |
| | 1 | II. | 278. b. | |
| | 2 | ibid. | | |
| | 15 | I. | 91. b. | |
| | 16 | I. | 434. a. | |
| | 17 | ibid. | II. 148. a. | |
| | 18 | I. | 394. a. 434. a. | II. 148. a. |
| | 20 | I. | 436. b. | |
| | 31 | I. | 437. b. | |
| XX. | 6 | I. | ibid. | |
| | 7 | II. | 28. b. | |
| | 10 | I. | 436. b. | |
| | 27 | I. | 437. b. | |
| XXI. | 13 & d. | II. | 132. b. | |
| XXII. | 6 | II. | 161. a. | |
| | 7 | II. | ibid. | |
| XXIII. | 10 & d. | | 324. a. | |
| XXV. | 4 | I. | 416. b. | |
| | 10 | ibid. | | |
| XXVI. | 3 & d. | I. | 393. b. | |
| | 14 & d. | ibid. | | |
| | 40 & d. | II. | 146. b. | 306. b. |
| | 44 & d. | II. | 306. b. | |
| XXVII. | 10 | I. | 81. b. | |

## NUMERI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| III. | 3 & d. | II. | 134. a. | |
| | 40 | II. | 213. a. | |
| | 41 | ibid. | | |
| IV. | 28 | I. | 409. a. | |
| | 29 | ibid. | | |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| | 33 | ibid. | | |
| | 34 | ibid. | | |
| | 37 | ibid. | | |
| | 38 | ibid. | | |
| VI. | 26 | II. | 135. a. | |
| VIII. | 16 & d. | II. | 213. a. | |
| IX. | 18 | I. | 299. b. | |
| X. | 12 | I. | 421. b. | |
| XI. | 4 & d. | I. | 302. a. | |
| | 11 | I. | ibid. | |
| | 12 | ibid. | | |
| | 34 | ibid. | | |
| XII. | 6 | I. | 15. b. & d. II. 70. a. 100. b. | |
| | 7 | II. | 100. b. 101. a. | |
| | 11 | I. | 317. b. | |
| | 12 | ibid. | | |
| XIV. | 6 & d. | I. | 301. b. | |
| | 11 | II. | 104. b. | |
| | 21 | II. | 105. b. | |
| | 22 | ibid. | | |
| | 27 | II. | 104. b. | |
| | 28 | II. | 105. b. | |
| | 29 | II. | 107. a. | |
| | 33 | II. | 105. a. 107. a. | |
| | 34 | ibid. | | |
| XV. | 27 | ad | finem. II. 89. b. | |
| | 28 | I. | 413. II. 178. a. | |
| | 29 | ibid. | | |
| | 30 | ibid. | II. 179. b. | |
| | 31 | ibid. | | |
| XVI. | 1 & d. | I. | 304. a. | |
| | 35 | II. | 217. b. | |
| | 39 | ibid. | | |
| | 1 & d. | II. | 134. a. | |
| | 21 | ibid. | | |
| | 24 | ibid. | | |
| XIX. | 28 | ibid. | | |
| | 2 | II. | 272. a. | |
| XX. | 6 | II. | 160. b. | |
| | 2 | II. | 105. a. | |
| | 3 | II. | 104. a. 105. a. | |
| | 4 | II. | 104. a. | |
| | 5 | II. | ibid. | |
| | 10 | I. | 300. b. | |
| | 12 | I. | 301. b. | |
| | 13 | II. | 104. a. | |
| XXI. | 5 & d. | I. | 303. a. | |
| | 6 | I. | 304. a. | |
| XXIV. | 16 | I. | 300. b. | |
| XXV. | 17 | I. | 23. a. b. | |
| | 1 & d. | I. | 303. a. | |
| | 12 | I. | 118. b. | |
| XXXI. | 13 | ibid. | | |
| | 14 | I. | 335. b. | |
| | 21 | II. | 161. a. | |
| | 22 | ibid. | | |
| | 23 | ibid. | | |
| | 24 | ibid. | | |
| XXXII. | 19 | I. | 57. b. | |


## DEUTERONOMIUM


| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 37 | I. | 301. a. | |
| IV. | 6 | I. | 98. b. | |
| | 8 | ibid. | | |
| | 10 | I. | 421. b. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 15 & d. | I. | 82. a. | |
| | 24 | II. | 217. b. | |
| V. | 2 | I. | 421. b. | |
| | 5 | I. | 409. b. | |
| | 6 & d. | I. | 394. a. | |
| | 22 | II. | 209. a. | |
| | 24 | ibid. | | |
| | 25 | ibid. | | |
| | 26 | ibid. | | |
| | 28 | II. | 210. b. | |
| | 29 | ibid. | | |
| | 30 | ibid. | | |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| VI. | 2 | I. | 393. b. | |
| | 3 | ibid. | | |
| | 5 | I. | 71. b. | 394. a. |
| | 13 | I. | 54. b. | |
| | 16 | II. | 104. b. | |
| VII. | 8 | I. | 405. a. | |
| | 12 & d. | I. | 393. b. | |
| VIII. | 3 | I. | 15. a. | |
| | 15 | I. | 300. b. | |
| IX. | 26 | I. | 405. a. | |
| X. | 17 | I. | 91. a. | 290. a. |
| | 20 | I. | 54. b. | |
| XI. | 4 | I. | 335. b. | |
| XII. | 17 | I. | 302. b. | II. 222. a. |
| | 18 | ibid. | | |
| XIII. | 5 | I. | 405. a. | |
| XV. | 15 | I. | 450. b. | |
| | 16 | ibid. | | |
| XVI. | 10 | I. | 302. b. | |
| | 11 | I. | ibid. | II. 221. b. |
| | 14 | II. | 221. b. | |
| XVII. | 2 & d. | II. | 178. a. | 179. b. |
| | 3 | II. | 179. b. | |
| | 4 | ibid. | | |
| | 5 | ibid. | | |
| | 18 & d. | II. | 172. a. | |
| XVIII. | 10 | I. | 437. b. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 14 | I. | 437. b. | |
| | 15 | I. | 68. a | 559. b. 587. b. |
| XX. | 19 | I. | 584. a. | |
| XXI. | 8 | I. | 405. a. | |
| | 17 | II. | 208. a. | |
| XXII. | 23 | I. | 405. b. | |
| | 24 | I. | 16. a. | |
| | 28 | I. | 436. b. | |
| | 29 | ibid. | | |
| XXV. | 4 | I. | 294. b. | |
| | 5 | I. | 9. b. | |
| XXVII. | 6 | II. | 138 b. | |
| | 26 | I. | 369. b. | |
| XXVIII. | 27 | ibid. | I. 394. a. 403. b. 404. a. | |
| | 1 & d. | I. | 393. b. | |
| | 4 | I. | 13. a. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 13 | I. | 357. b. | |
| | 15 & d. | I. | 393. b. | |
| | 18 | I. | 13. a | |
| | 44 | I. | 357. b. | |
| | 53 | I. | 13. a. | |
| XXIX. | 1 | I. | 421. b. | |
| | 2 | II. | 105. a. | |
| | 3 | ibid. | | |
| | 4 | ibid. | | |
| XXXII. | 18 | II. | 207. a. | |
| | 7 | I. | 27. b. | |
| | 21 | I. | 162. b. | |
| | 22 | I. | 484. b. | II. 179. b. |
| | 34 | I. | 88. b. | |
| | 35 | I. | 179. a | II. 180. b. |
| | 43 | I. | 196. a. | |
| XXXIII. | 2 | I. | 421. b. | |
| XXXIV. | 10 | II. | 70. a. | |


## JOSUA.


| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 5 | II. | 220. a. | |
| | 6 | ibid. | | |
| | 7 | ibid. | | |
| | 8 | ibid. | | |
| | 9 | ibid. | | |
| V. | 13 | II. | 150. a. | |
| | 14 | II. | 87. b. | |
| | 15 | ibid. | | |
| VI. | 3 & d. | II. | 156. a. | |
| VII. | 19 | I. | 121. b. | |
| X. | 24 | I. | 336. a. | II. 80. a. |
| XIV. | 2 | I. | 409. a. | |
| XVIII. | 25 | I. | 30. a. | |
| XIX. | 15 | I. | 20. b. | |
| XXII. | 9 | I. | 409. a. | |
| XXIV. | 2 | II. | 207. b. | |
| | 32 | II. | 166. a. | |

# INDEX LOCORUM

## JUDICUM.

| Cap. | verſ. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| II. | 1 | I. | 571. a. | |
| VI. | 8 | I. | ibid. | |
| | 9 | ibid. | | |
| VIII. | 19 | I. | 358. b. | |
| | 20 | ibid. | | |
| XI. | 32 | I. | 165. a. | |
| | 35 | ibid. | | |
| XIII. | 20 | II. | 87. b. | |
| XIV. | 6 & d. | II. | 196. b. | |
| XV. | 1 & d. | II. | ibid. | |
| XVI. | 1 & d. | II. | ibid. | |
| | 7 | I. | 378. a. 506. b. | |
| | 11 | I. | 378. a. | |
| | 17 | ibid. | | |
| XVIII. | 2 | I. | 335. b. | |
| | 11 | I. | 566. b. | |
| XIX. | 13 | I. | 30. a. | |
| | 18 | I. | 20 b. | |
| XX. | 46 | I. | 337. b. | |
| XXI. | 10 | I. | 335. b. | |

## RUTH.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 8 | II. | 288. b. | |
| | 11 | I. | 9. b. | |
| IV. | 10 | I | ibid. | |
| | 11 | I. | 403. a. | |

## 1. SAMUELIS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| IV. | 21 | I. | 146. a. | |
| | 22 | ibid. | | |
| VIII. | 11 & d. | II. | 75. a. | |
| IX. | 17 | I. | 45. a. | |
| | 20 & d. | ibid. | | |
| XII. | 6 | II. | 101. a. | |
| | 7 | I. | 111. b. | |
| XIV. | 45 | II. | 105. b. | |
| XV. | 21 | II. | 171. b. | |
| | 22 | ibid. | | |
| | 23 | ibid. | | |
| XVI. | 6 | I. | 22. a. | |
| | 12 | I. | 45. a. | |
| XVIII. | 17 | I. | 335. b. | |
| XIX. | 7 | II. | 221. a. | |
| XXI. | 5 | I. | 506. b. | |
| XXV. | 22 | II. | 105. b. | |
| XXVII. | 8 | I. | 511. a. | |
| | 9 | I. | 358. b. | |
| | 11 | ibid. | | |
| XXVIII. | 17 | I. | 409. a. | |
| XXXI. | 12 | I. | 335. b. | |

## 2. SAMUELIS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| II. | 26 | I. | 368. b. | |
| VI. | 23 | I. | 20. a. | |
| VII. | 12 | I. | 12. b. | |
| | 14 | I. | 357. II. 78 a. | |
| | 23 | I. | 405. a. | |
| VIII. | 14 | I. | 150. a. | |
| | 18 | II. | 131. a. | |
| XII. | 10 | I. | 124. b. | |
| | 13 | ibid. | | |
| XXI. | 13 | II. | 166. a. | |
| XXIII. | 8 & d. | II. | 196 b. | |
| XXIV. | 14 | II. | 181. a. | |

## 1. REGUM. aliis 3. REGUM.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| II. | 19 | II. | 75. b. | |
| V. | 3 | I. | 336 b. II. 86. a. | |
| IX. | 20 | II. | 196. a. | |
| | 21 | ibid. | | |
| XII | 9 | I. | 31. a. | |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| XIV. | 20 | I. | 324. b. | |
| XVI. | 6 | I. | ibid. | |
| | 7 | I. | 409. a. | |
| | 28 | I. | 324 b. | |
| XVII. | 19 & d. | II. | 196. b. | |
| XVIII. | 4 | II. | 1 7. a. | |
| | 13 | ibid. | | |
| | 21 | II. | 206. a. | |
| XIX. | 10 | I. | 163. a. | II. 197. a. |
| XX. | 31 | I. | 358. b. | |
| XXII. | 3 | I. | 31. a. | |
| | 40 | I. | 324. b. | |

## 2. REGUM. aliis 4. REGUM.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 8 | I. | 31. b. | |
| IV. | 21 & d. | II. | 196 b. | |
| | 27 | II. | 87. b. | |
| VII. | 4 | I. | 358. b. | |
| VIII. | 1 | I. | 121. a. | |
| XVII. | 25 & d. | ad finē | II. 207. b. | |
| XX. | 5 & d. | II. | 196. b. | |

## 1. PARALIPOMENON. seu CHRONICORUM.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| III. | 19 & d. | I. | 8. b. | |
| XI. | 11 & d. | II. | 196. b. | |
| XXIV. | 24 | I. | 25. a. | |
| XXVIII. | 8 | II. | 81. a. | |
| XXIX. | 12 | I. | 584. a. | |

## 2. PARALIPOMENON. seu CHRONICORUM.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| X. | 9 | I. | 31 a. | |
| XXIII. | 7 | I. | 566. b. | |
| XXIX. | 25 | I. | 409. a. | |
| XXXVI. | 14 | I. | 25. a. | |

## 1. ESDRÆ.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 11 | II. | 166. a. | |
| VII. | 10 | I. | 25. b. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 12 | ibid. | | |
| IX. | 1 & d. | I. | 282. b. | II. 132. b. |
| X. | 1 & d. | I. | 282. b. | |

## 2. ESDRÆ qui & NEHEMIÆ dicitur.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 10 | I. | 405. a. | |

## TOBIÆ.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| IV. | 22 | II. | 220. a. | |

## JUDITH.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| VIII. | 1 | II. | 138. b. | |

## ESTHER.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 12 | I. | 409. a. | |
| | 15 | ibid. | | |

## JOB.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 6 | II. | 71. a. | |
| | 9 | II. | 15. b. | |
| | 10 | ibid. | | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 21 | II. | 35. a. | |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| II. | 1 | II. | 15. b. |
| | 4 | ibid. | |
| | 5 | ibid. | |
| III. | 1 | I. | 62. a. |
| | 2 | ibid. | |
| IV. | 18 | II. | 300 b. |
| V. | 13 | I. | 263. b. |
| XII. | 7 | I. | 162. a. |
| | 8 | ibid. | |
| | 9 | ibid. | |
| XIV. | 10 | I. | 30. b. |
| XV. | 34 | II. | 179. b. |
| XX. | 26 | II. | ibid. |
| XXIX. | 2 | II. | 104. a. |
| XXXVI. | 6 | I. | 358. b. |
| | 7 | I. | 368. b. |
| XLII. | 7 | II. | 80. b. |

PSALMI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 1 | I. | 101. b. |
| | 6 | I. | 416. a. |
| II. | 1 | I. | 558. b. |
| | 7 | I. | 70. a 314. a. 336. a. II. 77. a. 117. a. b. 196. b. |
| | 8 | I. | 336. a. II 196. b. |
| | 9 | II. | 196 b. |
| | 10 &c. | ibid. | |
| V. | 57 | II. | 111 b. 312. a. |
| | 10 | I. | 104. b. |
| VI. | 1 & d. | II. | 203 b. |
| | 5 | I. | 396 a. |
| VII. | 14 | I. | 506 b. |
| VIII. | 5 | I. | 391. a. II. 92. a. |
| | 6 | I. | 333. a. 336. a. |
| | 7 &d. | I. | 336 a. 338. a. b. |
| | 8 | I. | 338. a. b. |
| X. | 7 | I. | 104. b. |
| XI. | 1 | II. | 80. b. |
| | 7 | II. | 179. b. |
| XII. | 1 | I. | 100. a. |
| | 2 | ibid. | |
| XIII. | 1 | I. | 560. a. |
| XIV. | 1 | I. | 103. b. |
| | 3 | ibid. | |
| | 4 | I. | 558 b. |
| XVI. | 10 | I. | 314. a. |
| XVII. | 3 | I. | 584. a. |
| XVIII. | 2 | I. | 395. b. |
| | 3 | ibid. | |
| | 14 | II. | 216. a. |
| | 15 | ibid. | |
| | 32 | II. | 196. b. |
| | 35 &d. | ibid. | |
| | 50 | I. | 196. a. |
| XIX. | 2 | I. | 79. a b. |
| | 3 | ibid. | |
| | 4 | ibid. | |
| | 5 | I. | 162. a. |
| XX. | 4 &d. | II. | 196. b. |
| | 5 &d. | ibid. | |
| XXI. | 7 &d. | II. | 196 b. |
| | 10 | II. | 179. b. |
| XXII. | 8 | I. | 534 a. |
| | 14 | I. | 558. b. |
| | 22 | II. | 118. b. |
| | 23 | II. | 96. a. |
| | 28 | I. | 564. a. |
| XXIII. | 5 | II | 82. a. |
| XXIV. | 1 | I. | 309. b. |
| XXV. | 7 | I. | 391. a. |
| | 8 | II. | 158. b. |
| | 9 | ibid. | |
| XXIX. | 8 | II. | 216. a. |
| XXXI. | 23 | I. | 99. b. 100. a. |
| XXXII. | 8 | I. | 341. b. |
| XXXIII. | 6 | II. | 3. a. 84. a. 85. a. 183. b. |
| | 9 | II. | 84. a. 183. b. 590. a. |
| | 12 | I. | 115. b. |
| | 18 | I. | 63. a. |

| | | | |
|---|---|---|---|
| XXXIV. | 8 | II. | 282. b. |
| | 9 | ibid. | |
| XXXVI. | 1 | I. | 105. a. |
| | 7 | I. | 172. b. |
| | 11 | I. | 111. b. |
| XXXVIII. | 7 | I. | 165. a. |
| XXXIX. | 14 | I. | 30. b. |
| XL. | 9 | II. | 168. b. |
| | 10 | ibid. | |
| | 11 | ibid. | |
| XLII. | 5 | I. | 31. a. |
| XLIV. | 23 | I. | 144. a. |
| XLV. | 22 | I. | 560. a. |
| | 8 | II. | 81. a. 114. b. |
| | 11 | II. | 75. b. |
| XLVII. | 3 | II. | 86. a. |
| | 4 | ibid. | |
| L. | 1 | I. | 190. a. |
| | 9 & d. | II. | 171. a. |
| | 13 | II. | 225. b. |
| | 14 | ibid. | |
| | 15 | ibid. | |
| LI. | 6 | I. | 99. b. 100. a. 207. a. |
| | 17 | II. | 115. b. 157. a. |
| | 18 | II. | 157. a. II. 283. b. |
| | 19 | ibid. | |
| LIII. | 4 | I. | 103. b. |
| LXII. | 9 | I. | 207. a. |
| | 10 | ibid. | |
| LXVIII. | 18 | I. | 365. a. 558. b. II. 212. a. |
| | 19 | II. | 285. a. |
| LXIX. | 10 | I. | 194. b. |
| | 13 | I. | 357. b. |
| | 14 | ibid. | |
| | 20 | I. | 194. b. |
| | 23 | I. | 104. b. |
| LXXI. | 22 | I. | 358. b. |
| LXXIII. | 9 | I. | 185. a. |
| | 18 | I. | 357. b. |
| | 19 | ibid. | |
| LXXIV. | 1 | I. | 560. a. |
| LXXVIII. | 25 | II. | 179. b. |
| | 70 | I. | 27. b. |
| LXXXII. | 6 | I. | 378. a. II. 77. b. I. 69. a. |
| | 7 | I. | 378 a. I. 506. b. |
| LXXXIX. | 27 | II. | 76. b. |
| | 28 | ibid. | |
| | 30 | II. | 81. a. |
| | 35 | II. | 105. b. |
| | 37 | II. | 81. a. |
| | 38 | ibid. | |
| XCIV. | 11 | I. | 263. b. |
| | 22 | I. | 357. b. |
| XCV. | 1 & d. | II. | 103. b. |
| | 8 | ibid. | |
| | 12 | II. | 108. a. |
| Inſcriptio | Pſalmi | II. | 78. b. |
| | 3 | II. | 179. b. 217. b. |
| XCVII. | 4 | II. | 217. b. |
| | 5 | ibid. | |
| | 7 | I. | 333. a. |
| | 8 | ibid. | II. 82. b. |
| XCVIII. | 2 | I. | 75. a. b. |
| C. | 3 | II. | 72. a. |
| CII. | 25 | II. | 166. a. |
| | 26 | II. | 83. a. |
| CV. | 16 | I. | 121. a. |
| | 18 | II. | 111. a. |
| | 19 | ibid. | |
| | 38 | I. | 300. a. |
| | 39 | ibid. | |
| CVI. | 4 | I. | 391. a. |
| | 14 | I. | 302. a. |
| | 15 | ibid. | |
| | 20 | I. | 82. b. |
| | 30 | I. | 118. b. |
| | 31 | ibid. | |
| CVII. | 10 | II. | 111. a. |
| CX. | 1 | I. | 335. b 336. b. II. 75. a. |
| | 2 | I. | 335 b. 336. a. b. 338. a. |
| | 5 | II. | 117. a. b. 131. a. 135. a. |
| CXII. | 9 | I. | 111. b. |

# INDEX LOCORUM.


| Cap. | verſ. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| CXVI. | 11 | I. | 99. b. | 207. a. |
| CXVII. | 1 | I. | 196. a. | |
| | 2 | ibid. | | |
| CXVIII. | 6 | II. | 220. b. | |
| | 26 | I. | 42. b. | |
| CXXXI. | 2 | II. | 105. b. | |
| | 3 | ibid. | | |
| | 4 | ibid. | | |
| CXXXII. | 11 | I. | 12. b. | 13. a. |
| CLX. | 4 | I. | 104. b. | |
| | 11 | II. | 179. b. | |
| CXLIII. | 2 | I. | 106. a. | 396. a. |
| CXLVII. | 15 | II. | 73. a. | 111. a. |
| | 18 | ibid. | | |
| | 19 | I. | 98. b. | |
| | 20 | ibid. | | |
| CXLVIII. | 8 | II. | 73. a. | |

## PROVERBIA.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| III. | 7 | I. | 168. b. | I. 178. a. |
| | 11 | II. | 203. a. | |
| | 12 | ibid. | | |
| VIII. | 17 | I. | 116. b. | |
| | 35 | ibid. | | |
| IX. | 17 | I. | 132. b. | |
| XIII. | 24 | I. | 150. a. | |
| XVI. | 6 | II. | 158. b. | |
| | 7 | ibid. | | |
| XVII. | 20 | I. | 116. b. | |
| XXV. | 3 | II. | 313. b. | |
| | 23 | I. | 362. a. | |
| | 24 | II. | 313. b. | |
| | 25 | I. | 362. a. | II. 313. b. |
| | 26 | II. | 313. b. | |
| | 27 | ibid. | | |
| XXVI. | 9 | I. | 362. a. | |
| XXVII. | 15 | I. | ibid. | |
| XXIX. | 23 | I. | 63. a. | |
| XXX. | 19 | I. | 19. a. | |

## SAPIENTIA.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| II. | 1 | II. | 97. b. | |
| | 5 | ibid. | | |
| | 19 | II. | 113. b. | |
| | 24. | II. | 319. b. | |
| VII. | 22 &d. | I. | 484. b. | |
| X. | 1 | II. | 184. a. b. | |
| | 2 | ibid. | | |
| XI. | 18 | II. | 184. a. | |
| XIII. | 1 | I. | 79. b. | |

## JESU SIRACH ECCLESIASTICUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| IV. | 12 | II. | 98. a. | |
| X. | 15 | II. | 560. a. | |
| XXXVI. | 19 | II. | 135. a. | |

## ESAIAS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 9 | I. | 155. b. | |
| | 26 | I. | 19. a. | |
| V. | 1 &d. | I. | 153. a. | |
| VI. | 10 | I. | 117. b. | 164 a. |
| VII. | 11 | I. | 164. a. | |
| | 11 &d. | I. | 17. b. | |
| | 14 &d. | ibid. | | |
| VIII. | 3 | I. | 17. b. | |
| | 4 | ibid. | | |
| | 8 &d. | ibid. | | |
| | 14 | I. | 157. a. | |
| | 17 | I. | 397. b. | II. 96. a. |
| | 18 | II. | 96. a. | |
| IX. | 1 | I. | 56. b. | |
| | 2 | ibid. | | |
| | 6 | I. | 19. b. 620. b. | II. 71. b. 132. a. 314. a. |
| | 7 | II. | 132. a. | |
| X. | 17 | II. | 179. b. | |
| XI. | 22 | I. | 155. b. | |
| | 1 | I. | 196. a. | |
| | 2 | I. | 48. b. | |
| | 4 | I. | 590. a. | |
| | 10 | I. | 196. a. | |
| XIII. | 5 | I. | 566. b. | |
| XXII. | 13 | I. | 344. b. | |
| XXV. | 8 | I. | 368. a. | |
| XXVI. | 11 | II. | 179. b. | |
| XXVII. | 9 | I. | 169. b. | |
| XXVIII. | 16 | I. | 157. a. | 160. b. |
| XXIX. | 10 | I. | 164. a. | |
| | 14 | I. | 251. a. | |
| XXXIII. | 18 | I. | ibid. | |
| XXXIV. | 6 | II. | 313. b. | |
| XXXVIII. | 5 &d. | II. | 196. b. | |
| XL. | 6 | II. | 281. a. | |
| | 7 | ibid. | | |
| | 8 | II. | 111. a. | |
| | 13 | I. | 172. b. | 258. b. |
| | 18 &d. | I. | 82. a. | |
| | 25 | ibid. | | |
| XLII. | 1 | I. | 48. b. | 49. b. |
| XLIII. | 20 | I. | 300. b. | |
| XLIV. | 3 | I. | 406. a. | |
| | 22 | II. | 201. b. | |
| XLV. | 23 | I. | 188. a. | |
| XLIX. | 6 | II. | 82. b. | |
| LI. | 16 | II. | 72. b. | |
| LII. | 7 | I. | 161. a. | |
| LIII. | 1 | I. | 161. b. | 400. a. |
| | 3 | I. | 313. a. | 380. b. |
| | 4 &d. | I. | 32. a. | 313. a. |
| | 5 &d. | I. | 313. a. | II. 204. a. |
| | 8 &d. | I. | 313. a. | |
| | 9 | ibid. | | |
| | 10 &d. | I. | 314. a. | 405. b. II. 171. a. |
| | 11 &d. | I. | 313. a. | 405. b. 620. b. II. 171. a. |
| | 12 | I. | 405. b. | 620. b. |
| LIV. | 1 | I. | 423. b. | I. 462. a. |
| | 5 | I. | 423. b. | |
| | 6 | ibid. | | |
| | 7 &d. | ibid. | | |
| LV. | 6 | II. | 185. b. | |
| | 7 | ibid. | | |
| | 10 | II. | 111. a. | |
| | 11 | ibid. | | |
| LVI. | 1 | I. | 75. a. | |
| LVII. | 15 | I. | 63. a. | |
| | 16 | I. | 584. a. | |
| LIX. | 7 | I. | 104. b. | |
| | 8 | ibid. | | |
| | 20 | I. | 169. a. | |
| | 21 | I. | 169. b. | |
| LX. | 4 | I. | 423. b. | |
| | 9 | ibid. | | |
| | 10 | ibid. | | |
| | 14 | I. | 19. a. | |
| | 15 | I. | 423. b. | |
| LXII. | 4 | I. | 19. a. | |
| LXIII. | 19 | I. | 27. b. | |
| LXIV. | 4 | I. | 255. b. | |
| LXV. | 1 | I. | 162. b. | |
| LXVI. | 2 | I. | 63. a. | |
| | 24 | II. | 313. b. | |

## JEREMIAS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 5 | I. | 384. b. | 416. a. |
| | 10 | I. | 117. b. | 164. b. II. 78. a. |
| II. | 11 | I. | 82. b. | |
| III. | 5 | I. | 368. b. | |
| IX. | 22 | I. | 253. b. | |
| | 23 | ibid. | | |
| XII. | 3 | II. | 313. b. | |
| XIII. | 23 | II. | 123. b. | |
| XVIII. | 1 &d. | I. | 153. b. | |
| | 6 | ibid. | | |
| XXII. | 30 | I. | 7. b. | |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| XXIII. | 6 | I. | 19. b. | |
| XXIX. | 10 | II. | 124. a. | |
| | 22 | I. | 403. a. | |
| XXXI. | 1 & d. | I. | 170. a. | |
| | 9 | I. | 28. b. | |
| | 15 | I. | 30. a. | |
| | 31 | II. | 147. a. | |
| | 34 | I. | 169. b. | 379. b. |
| | 35 | I. | 170. b. | |
| | 36 | I. | ibid. | |
| | 37 | ibid. | | |
| XXXIII. | 14 | II. | 124. a. | |
| | 15 | ibid. | | |
| | 16 | I. | 19. b. | |
| XXXVI. | 2 | II. | 172. a. | |
| XLIV. | 6 | II. | 104. a. | |
| XLVI. | 10 | II. | 313. b. | |
| LI. | 40 | II. | ibid. | |

THRENI.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| V. | 5 | I. | 30. b. | |
| | 6 | ibid. | | |

EZECHIEL.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| III. | 17 | II. | 14. a. | |
| V. | 11 | II. | 128. b. | |
| XVI. | 51 | I. | 143. a. | |
| XVIII. | 24 | I. | 401. a. | II. 126. b. |
| | 26 | I. | 401. a. | |
| XXI. | 10 | II. | 313. b. | |
| XXXIII. | 2 | II. | 14. a. | |
| | 7 | II. | ibid. | 226. a. |
| | 8 | II. | ibid. | |
| | 9 | ibid. | | |
| | 12 | I. | 401. a. | |
| | 13 | ibid. | | |
| | 18 | ibid. | | |
| XXXIV. | 23 | I. | 26. b. | II. 227. b. |
| XXXVI. | 20 | I. | 95. a. | |
| XXXVII. | 11 | I. | 620. a. | |
| | 22 | I. | 26. b. | |
| | 24 | ibid. | | |
| XXXIX. | 17 | II. | 313. b. | |
| XLIV. | 10 & d. | II. | 73. b. | |
| XLVIII. | 35 | I. | 19. b. | |

DANIEL.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| II. | 18 | I. | 584. a. | |
| III. | 27 | II. | 196. b. | |
| IV. | 24 | II. | 158. b. | |
| V. | 21 | I. | 54. b. | |
| VI. | 22 | II. | 196. b. | |
| VII. | 8 | I. | 584 a. | |
| | 9 | II. | 217. b. | |
| | 10 | I. | 584. a. | II. 217. b. |
| | 11 | II. | 217. b. | |
| | 17 | I. | 587. b. | |
| | 23 | ibid. | | |
| | 24 | ibid. | | |
| | 26 | ibid. | | |
| | 28 | I. | 584. a. | |
| VIII. | 11 | I. | 588. a. | |
| | 21 | I. | 587. b. | |
| | 25 | I. | 588. a. | |
| IX. | 10 | I. | 409. a. | |
| | 15 | II. | 104. a. | |
| | 24 | I. | 23. b. | |
| | 25 | ibid. | | |
| | 26 | I. | 313. a. | |
| X. | 13 | II. | 87. b. | |
| XI. | 36 | I. | 588. a. | |
| XII. | 1 | II. | 87. b. | |
| | 3 | I. | 262. b. | |
| | 5 | II. | 87. b. | |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|

HOSEAS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 10 | I. | 155. b. | |
| II. | 3 | II. | 104. a. | |
| | 16 | I. | 163. b. | |
| | 17 | ibid. | | |
| | 23 | I. | 155. b. | |
| III. | 4 | I. | 26. b. | |
| VI. | 6 | II. | 171. b. | |
| VII. | 5 | I. | 558. b. | |
| XI. | 1 | I. | 28. b. | 146. a. II. 195. a. |
| XIII. | 5 | I. | 416. a. | |
| | 14 | I. | 368. a. b. | |

JOEL.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| II. | 14 | I. | 284. a. | |
| | 28 | I. | 15. b. | 406. a. |
| | 32 | I. | 160. b. | |

AMOSr

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| IX. | 11 | I. | 27. b. | |

MICHÆAS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| V. | 2 | II. | 313. b | I. 25. b. 26. a. |
| VI. | 1 & d. | I. | 153 a. | |
| VII. | 15 | II. | 104. a. | |

HABACUC.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| II. | 3 | II. | 182. a. | |
| | 4 | I. | 404. a. | 76. a. b. |
| III. | 13 | I. | 303. b. | |

AGGÆUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 1 | I. | 16. b. | |
| | 11 | I. | 121. b. | |
| II. | 7 | II. | 216. a. | |

ZACHARIAS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| IX. | 9 | I. | 63. a. | |

MALACHIAS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| III. | 1 | I. | 36. b. | |
| | 4 | I. | 27. b. | 150. a. |

1. MACCHABÆORUM.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 16. | I. | 284. b. | |

2. MACCHABÆORUM.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| V. | 10 | II. | 197. b. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 12 | II. | 203. b. | |
| | 13 | ibid. | | |
| | 14 | ibid. | | |
| | 15 | ibid. | | |
| | 19 | II. | 197. a. | |
| | 30 | ibid | | |
| VII. | 1 | II. | 197. b. | |
| | 7 | ibid. | | |
| | 10 | ibid. | | |
| | 41 | ibid. | | |
| XII. | 43 | I. | 341. a. b. | |
| | 44 | ibid. | | |
| | 45 | ibid. | | |
| | 46 | ibid. | | |

MATTHÆUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 3 | II. | 138. b. | |

# IDEX LOCORUM


| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 5 | ibid. | |
| | 6 | ibid. | |
| II. | 1 | I. | 386. b. |
| | 15 | II. | 195. a. |
| III. | 1 | I. | 386. b. |
| | 9 | I. | 91. a. |
| IV. | 11 | I. | 317. b. |
| | 3 | I. | 563. a. |
| | 7 | II. | 104. b. |
| | 16 | I. | 94. a. |
| V. | 3 & d. | I. | 446. a. |
| | 5 | I. | 275. b. |
| | 10 | I. | 448. b. |
| | 11 | ibid. | |
| | 12 | ibid. | |
| | 13 | II. | 313. a. |
| | 18 | I. | 435. b. |
| | 20 | I. | 101. b. 435. b. |
| | 22 | I. | 399. b. |
| | 23 | II. | 115. a. |
| | 26 | I. | 435. b. |
| | 28 | I. | 132. a. |
| | 32 | I. | 84 b. 282. a. 436. b. |
| | 37 | II. | 86. b. |
| | 40 | I. | 100. b. 275. b. |
| | 43 | I. | 434. a. |
| | 44 | ibid. | |
| | 45 | I. | 366. b. II. 22. b. |
| | 48 | I. | 481. a. |
| VI. | 2 | I. | 366. a. |
| | 10 | I. | 362. a. |
| | 13 | I. | 563. a. II. 35. a. |
| | 14 | I. | 446. a. |
| | 17 | II. | 82. a. |
| | 24 | II. | 297. a. |
| | 25 | ibid. | |
| | 26 | ibid. | |
| | 28 | ibid. | |
| | 29 | I. | 54. b. |
| | 30 & d. | II. | 297. a. |
| | 31 | ibid. | |
| | 34 | ibid. | |
| VII. | 1 | I. | 86. b. II. 15. b. |
| | 2 | II. | 15. b. |
| | 5 | I. | 443. a. |
| | 9 | I. | 86. b. |
| | 12 | I. | 182. a. 434. b. 443. a. |
| | 16 | II. | 141. b. |
| | 17 | ibid. | |
| | 19 | I. | 42. a. |
| | 22 | I. | 401. b. |
| | 23 | II. | 271. a. |
| VIII. | 2 | I. | 24. b. 506. b. |
| | 8 | I. | 317. b. II. 73. b. |
| | 12 | I. | 573. b. |
| | 13 | I. | 73. b. |
| | 22 | I. | 405. b. II. 27. b. |
| | 27 | I. | 417. b. |
| IX. | 13 | II. | 225. b. |
| | 15 | I. | 573. b. |
| | 16 | I. | 177. a. |
| | 17 | ibid. | |
| | 24 | I. | 325. a. |
| | 34 | I. | 334. b. |
| X. | 1 | I. | 153. b 295. b. |
| | 2 | I. | 71. b. |
| | 10 | I. | 296. a. II. 30. b. |
| | 21 | I. | 368. b. |
| | 22 | I. | 383. a. I. 401. a. |
| | 23 | I. | 198. a. 435. b. |
| | 37 | I. | 150. a. |
| | 39 | I. | 405. b. |
| | 42 | I. | 435. b. |
| XI. | 11 | II. | 132. b. 161. b. |
| | 20 | I. | 401. b. |
| | 21 | ibib. | & d. II. 325. b. |
| | 27 | I. | 94. a. 331. b. |
| | 29 | I. | 63. a. |
| XII. | 4 | I. | 396. a. II. 149. b. |
| | 8 | II. | 325. a. |
| | 24 | I. | 334. b. |
| | 29 | II. | 285. b. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 32 | I. | 384. b. |
| | 35 | I. | 587. b. |
| | 37 | I. | 72. a. |
| | 39 | I. | 313. b. & d. I. 320. b. |
| | 40 | I. | 313. b. 314. a. |
| | 41 | I. | 143. a. II. 186. b. 299. a. |
| | 42 | ibid. | & I. 22. a 96. a. |
| | 44 | I. | 385. b. |
| | 46 | I. | 20. a. |
| XIII. | 10 | I. | 152. a. |
| | 11 | ibid. | |
| | 13 | ibid. | |
| | 14 | ibid. | |
| | 15 | I. | 358. b. |
| | 16 | II. | 277. a. |
| | 21 | I. | 189. b. |
| | 23 | I. | 395. a. |
| | 24 | II. | 326. a. |
| | 28 | I. | 442. b. |
| | 35 | I. | 79. a. |
| | 38 | II. | 86. a. |
| | 39 & d. | I. | 328. a. |
| | 42 | I. | 583 b. |
| | 43 | I. | 90. a. 353. b. |
| | 45 | I. | 442. b. |
| | 47 | II. | 326. a. |
| | 49 | I. | 90. b. |
| | 50 | ibid. | |
| | 54 | I. | 401. b. |
| | 55 | I. | 386. b. |
| | 58 | I. | 401. b. |
| XIV. | 2 | I. | 401. b. |
| | 19 | I. | 306. a. |
| XV. | 2 & d. | I. | 384. b. |
| | 4 & d. | I. | 85. a. 368. b. 489 b. II. 26. a. |
| | 5 | I. | 14. b. 306. b. II. 26. a. |
| | 6 | II. | 26. a. |
| | 7 | I. | 30. a. II. 82. b. |
| | 8 | ibid. | |
| | 9 | II. | 28. b. |
| | 10 | I. | 189. b. |
| | 11 | ibid. | |
| | 16 | I. | 399. b. |
| | 18 | I. | 189. b. |
| | 20 | ibid. | |
| | 36 | I. | 306. a. |
| XVI. | 1 | I. | 251. b. |
| | 4 | II. | 225. a. |
| | 17 | I. | 362. b. 385. b. II. 324. a. |
| | 18 | I. | 389. b. II. 270. a. |
| | 20 | II. | 323. b. |
| | 23 | I. | 54. b. II. 20. a. |
| | 24 | II. | 293. a. 296. b. |
| | 27 | I. | 89. a. |
| | 28 | I. | 352. a. 435. b. |
| XVIII. | 10 | I. | 528. b. II. 87. a. |
| | 15 | I. | 297. b. 601. a. |
| | 17 | I. | 273. a. 600. a. 601. a. 602. a. |
| | 23 | I. | 442. b. |
| XIX. | 5 | I. | 436. b. II. 202. a. |
| | 6 | I. | 436. b. |
| | 8 | I. | 282. a. |
| | 9 | ibid. | I. 436. b. II. 219. b. |
| | 11 | II. | 219. b. |
| | 12 | ibid. | |
| | 17 | I. | 290. a. |
| | 19 | I. | 587. b. |
| | 21 | II. | 294. a. |
| | 27 | II. | 295. a. |
| | 28 | I. | 274. a. 333. a. & d. II. 290. a. 291. a. |
| XX. | 12 | I. | 506. a. |
| | 16 | II. | 290. a. |
| | 18 | I. | 25. a. 368. b. |
| | 21 | II. | 102. b. |
| | 23 | I. | 333. a. II. 202. b. |
| | 26 | I. | 333. a. |
| | 28 | I. | 405. a. |
| XXI. | 15 | I. | 25. a. |
| | 23 | I. | 25. a. II. 56. b. |
| | 32 | I. | 588. b. |
| | 33 | I. | 34. b. |

| Cap. | vers. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| | 42 | I. | 306. b. | |
| | 43 | I. | 170. a. | |
| | 45 | I. | 25. a. | |
| XXII. | 2 | I. | 442. b. | |
| | 14 | II. | 291. b. | |
| | 24 | I. | 9. b. | 351. a. |
| | 27 | I. | 357. a. | |
| | 37 | I. | 72. b. | |
| | 44 | I. | 336. b. | |
| XXIII. | 3 | I. | 94. b. | |
| | 4 | ibid. | | |
| | 6 | I. | 534. a. | |
| | 8 | I. | 268. a. | |
| | 9 | ibid. | | |
| | 10 | ibid. | | |
| | 15 | I | 93. b. | |
| | 18 | II. | 115. a. | |
| | 19 | I. | 197. b. | |
| | 21 | I. | 79. a. | |
| | 23 | I. | 448. a. | |
| | 32 | I. | 560. a. | |
| | 34 | I. | 559 b. | |
| | 39 | I. | 42. b. | |
| XXIV. | 2 & d. | II. | 177. b. | |
| | 15 | I. | 475. a. | |
| | 18 | I. | 358. b. | |
| | 22 | I. | 106. b. | |
| | 29 | I. | 81. b. | |
| | 30 | I. | 583. b. | |
| | 31 | I. | 366. b. | 571. b. 583. b. |
| | 32 | II. | 119. a. | |
| | 37 & d. | I. | 5 3. a. | |
| | 43 | I. | 572. b. | |
| XXV. | 15 & d. | I. | 395. a. | |
| | 24 | I. | 446. a. | |
| | 26 | ibid. | | |
| | 31 | I. | 365. a. | |
| | 33 | II. | 202. b. | |
| | 34 | I. | 89. a. & d. 429. a. | II. 192. a. 202. b. |
| | 40 | II. | 127. a. | |
| | 41 | I. | 90. b. 334. b. 335. b. | II. 202. b. 300. b. |
| | 46 | I. | 335. b. | |
| XXVI. | 3 | I. | 25. a. | |
| | 6 | I. | 588. b. | |
| | 14 | I. | 25. a. | |
| | 24 | II. | 199. b. | |
| | 42 | I. | 416. a. | |
| | 47 | I. | 25. a. | |
| | 50 | I. | 479. a. | 511. b. |
| | 59 | I. | 25. a. | |
| | 63 & d. | I. | 320 b. | |
| | 64 | II | 75. a. | |
| | 66 | I. | 368. b. | |
| XXVII. | 3 | I. | 34. a. | II 23. a. |
| | 43 | I. | 534. a. | |
| | 44 | I. | 274. b. | |
| | 46 | II. | 118. b. | |
| | 50 | ibid. | | |
| | 52 | I. | 323. b. | |
| | 55 | I. | 293. b. | |
| XXVIII. | 7 | I. | 315. a. | |
| | 10 | ibid. | | |
| | 16 | ibid. | | |
| | 19 | I. | 92. a. 250. a. | |

## MARCUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I | 1 | I. | 3. b. | |
| | 10 | I. | 46. b. | |
| | 12 | I. | 49. b. | |
| | 14 | I. | 55. b. | |
| | 16 | I. | 81. b. | |
| | 40 | I. | 24. b. | 506. b. |
| II. | 1 | I. | 388. a. | 588. b. II. 187. b. |
| III. | 16 | II. | 169. a. | |
| IV. | 26 | I. | 362. a. | |
| | 23 | I. | 116. b. | |
| | 30 | I. | 31. a. | 45. b. |

| Cap. | vers. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| VI. | 7 | I. | 153. b. | 295. b. |
| | 41 | I. | 306. a. | |
| | 52 | II. | 105. b. | |
| VII. | 4 | I. | 34. a. | |
| | 18 | I. | 85. a. | |
| | 21 | I. | 439. a. | |
| | 22 | ibid. | | |
| VIII. | 6 | I. | 360. a. | |
| | 7 | ibid. | | |
| | 12 | II. | 105. b. | |
| | 17 | ibid. | & I. 85. a. | |
| | 18 | ibid. | | |
| | 19 & d. | II. | 105. b. | |
| | 21 | I. | 85. a. | |
| IX. | 5 | I. | 362. a. | II. 4. b. |
| | 34 | II. | 314. a. | |
| | 38 | ibid. | | |
| | 39 | ibid. | | |
| | 49 | II. | 313. | |
| | 50 | ibid. | | |
| X. | 21 | II. | 297. a. | |
| | 26 | I. | 362. a. | II. 4. b. |
| | 31 | II. | 290. b. | |
| | 38 | I. | 341. b. | |
| XI. | 21 | II. | 125. b. | |
| | 22 | I. | 396 a. | |
| XII. | 27 | I. | 115 a. | |
| | 22 | I. | 337 a. | |
| | 30 | I. | 362. a. | II. 4. b. |
| | 37 | I. | 362. a. | II. 4. b. |
| | 38 | I. | 78. a. | 534. a. |
| XIII. | 2 & d. | II. | 177. b. | |
| | 3 | II. | 187. b. | |
| | 4 & d. | II. | 177. b. | |
| | 16 | II. | 187. b. | |
| | 34 | I. | 370. b. | |
| XIV. | 9 | II. | 187. b. | |
| | 33 | II. | 118. a. | |
| | 34 | ibid. | | |
| | 35 | ibid. | | |
| | 36 | ibid. | & I. 414. b. | |
| XV. | 40 | I. | 386. b. | |
| XVI. | 15 | I. | 530. b. | |

## LUCAS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I. | 6 | I. | 95. b. | 413. b. |
| | 21 | I. | 16. a. | |
| | 27 | I. | 14. a. | |
| | 30 | II. | 114. b. | |
| | 33 | I. | 332. a. | |
| | 34 & d. | II. | 189. b. | |
| | 35 | I. | 46. a. | II. 272. |
| | 36 | I. | 11. a. | |
| | 38 | II. | 189. b. | |
| | 45 | I. | 62. a. | 193. b. II. 189. b. |
| | 48 | I. | 62. a. | 193. b. 251. b. |
| | 69 | I. | 351. a. | |
| II. | 4 | I. | 11. a. | |
| | 9 | I. | 348. b. | |
| | 11 | I. | 22. a. | |
| | 20 | I. | 358. b. | |
| | 36 | II. | 28. a. | |
| | 37 | ibid. | | |
| III. | 2 | II. | 37. a. | |
| | 3 | I. | 33. a. | 35. a. |
| | 6 | I. | 492. a. | |
| | 7 | I. | 38. b. | |
| | 22 | I. | 48. a. | |
| | 23 | I. | 12. a. | |
| | 24 | I. | 9. a. | |
| IV. | 13 | I. | 55. a. | |
| | 23 | I. | 56. a. | 443. a. |
| | 32 | I. | 380. b. | |
| V. | 12 | I. | 42. b. | 506. b. |
| VI. | 17 & d. | I. | 59. b. | 60. a. |
| | 21 | I. | 63. b. | |
| | 22 | I. | 383. a. | |
| | 26 | ibid. | | |
| | 35 | I. | 87. b. | 486. b. 536. a. II. 51. b. |

# INDEX LOCORUM.


| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 37 | I. | 86. b. |
| VII. | 30 | I. | 25. b. 39. a. |
| | 46 | II. | 82. a. |
| | 47 | II. | 303. a. |
| VIII. | 2 | I. | 293. b. |
| | 13 | I. | 189. b. |
| | 18 | I. | 116. b. |
| | 25 | I. | 417. b. |
| IX. | 16 | I. | 306. a. |
| | 23 | I. | 431. b. |
| | 38 | I. | 59. b. |
| | 47 | II. | 98. a. |
| | 62 | II. | 120. b. |
| X. | 1 | I. | 267. a. 316. a. |
| | 3 | I. | 81. b. |
| | 7 | II. | 30. b. |
| | 16 | I. | 67. a. b. |
| | 23 | II. | 277. a. |
| | 26 | II. | 296. a. |
| | 27 | I. | 72. b. II. 296. a. |
| | 28 | II. | 296. a. |
| | 29 & d. | I. | 181. b. 434. a. |
| | 31 | I. | 335. a. |
| | 32 | ibid. | |
| XI. | 13 | I. | 381. b. |
| | 27 | I. | 62. a. 193. b. |
| | 28 | I. | 153. b. |
| | 30 | II. | 325. b. |
| | 45 | I. | 25. b. |
| | 46 | ibid. | |
| | 50 | II. | 164. a. |
| | 52 | I. | 25. b. |
| XII. | 8 | II. | 292. a. |
| | 9 | ibid. | |
| | 10 | ibid. | II. 307. b. |
| | 21 | II. | 314. a. |
| | 25 | II. | 298. b. |
| | 26 | ibid. | |
| | 33 | II. | 294. a. 295. a. |
| | 35 & d. | II. | 277. b. |
| | 36 | I. | 504. b. |
| | 39 | I. | 572. b. |
| | 43 | I. | 90. b. 91. a. |
| | 48 | ibid. | & I. 395. a. |
| | 50 | I. | 341. b. |
| XIII. | 6 & d. | II. | 125. b. |
| XIV. | 3 | I. | 25. b. |
| | 4 | II. | 98. a. |
| | 23 | I. | 393. a. |
| | 26 | I. | 150. a. & d. II. 493. b. |
| | 27 | I. | 431. b. |
| | 28 & d. | II. | 294. a. |
| | 34 | II. | 313. a. |
| | 35 | ibid. | |
| XVI. | 11 | II. | 120. b. |
| | 18 | I. | 436. b. |
| XVII. | 3 | I. | 34. b. |
| | 4 | ibid. | |
| | 15 | I. | 358. b. |
| XVIII. | 1 | I. | 578. a. |
| XIX. | 5 | I. | 560. a. |
| | 15 | I. | 395. a. |
| | 19 & d. | I. | 333. a. |
| XX. | 32 | I. | 337. a. |
| | 35 | II. | 191. b. |
| | 36 | ibid. | |
| | 37 | ibid. | |
| | 38 | ibid. | & I. 115. a. |
| XXI. | 6 | II. | 177. b. |
| | 7 & d. | ibid. | |
| | 25 | I. | 90. b. |
| | 28 | I. | 405. a. |
| | 32 | I. | 435. b. |
| | 34 | I. | 574. II. 277. b. |
| | 36 | I. | 582. b. |
| XXII. | 22 | I. | 69. a. |
| | 29 | II. | 159. b. |
| | 30 | I. | 274. a. |
| | 41 | II. | 118. a. |
| | 42 | ibid. | |
| | 43 | ibid. | |
| | 44 | ibid. | |
| | 53 | I. | 527. a. |
| XXIII. | 29 | II. | 199. b. |
| | 42 | I. | 391. a. |
| | 46 | I. | 347. a. II. 118. b. |
| XXIV. | 11 | I. | 314. b. |
| | 25 | I. | 399. b. |
| | 27 | I. | 31. b. |
| | 34 | I. | 314. b. |
| | 39 | I. | 353. b. |
| | 44 | I. | 419. b. 31. b. |
| | 47 | II. | 306. b. |
| | 49 | I. | 410. b. 475. b. |
| | 50 | I. | 316. b. |
| | 51 | ibid. | |

## JOANNES.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 1 | I. | 332. b. & d. II. 71. b. |
| | 3 | II. | 71. b. 72. b. |
| | 4 & d. | I. | 35. a. 182. b. II. 71. b. |
| | 8 | II. | 71. b. |
| | 9 | II. | 168. b. |
| | 10 | II. | 71. b. |
| | 12 | I. | 415. a. |
| | 14 | I. | 529. b. II. 73. a. |
| | 16 | I. | 529. b. |
| | 17 | I. | 434. a. II. 217. a. |
| | 18 | I. | 527. b. |
| | 19 | I. | 335. a. |
| | 23 | I. | 36. a. |
| | 28 | I. | 57. b. II. 150. a. |
| | 33 | I. | 45. a. |
| | 35 | I. | 47. b. |
| | 41 | I. | 337. a. |
| | 42 | I. | 269. a. |
| II. | 11 | II. | 119. b. |
| | 18 | I. | 320. b. II. 325. b. |
| | 19 | ibid. | |
| | 21 | I. | 81. b. |
| III. | 2 | I. | 94. a. |
| | 8 | I. | 348. a. |
| | 11 | I. | 31. a. 104. a. |
| | 13 | I. | 81. b. |
| | 16 | I. | 379. b. 405. a. 434. b. |
| | 22 | I. | 59 b. |
| | 31 | II. | 215. a. b. |
| | 32 | I. | 104. a. |
| | 33 | I. | 99. b. |
| IV. | 1 & d. | I. | 56. a. |
| | 2 | I. | 250. a. |
| | 14 | I. | 36. b. 136. b. |
| | 21 | II. | 10. b. |
| | 22 | I. | 116. b. |
| | 23 | II. | 10. b. |
| | 24 | I. | 427. b. II. 4. b. |
| | 25 | I. | 427. b. |
| | 34 | I. | 370. b. 371. a. |
| | 35 | I. | 405. b. |
| | 54 | I. | 20. b. |
| V. | 4 | I. | 81. b. 337. a. |
| | 17 & d. | I. | 506. b. |
| | 19 | I. | 396. a. |
| | 20 | I. | 105. b. |
| | 22 | II. | 75. b. 76. a. |
| | 25 | I. | 121. a. |
| | 27 | I. | 93. a. |
| | 28 | I. | 121. a. |
| | 36 | II. | 150. b. |
| | 39 | I. | 397. b. |
| | 46 | I. | ibid. |
| VI. | 11 | I. | 306. a. |
| | 15 | II. | 324. a. |
| | 27 | I. | 475. b. |
| | 29 | I. | 370. b. 371. a. II. 2. b. 37. a. |
| | 32 | I. | 300. a. 559. b. |
| | 37 | II. | 96. b. |
| | 39 | ibid. | II. 171. a. |
| | 40 | II. | ibid. |
| | 44 | II. | 96. b. |
| | 45 | I. | 31. b. 527. b. 568. b. II. 96. b. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 46 | I. | 527. b. |
| | 49 | II. | 222. b. |
| | 63 | I. | 94. a. II. 222. b. |
| VII. | 1 | I. | 50. a. |
| | 8 | ibid. | |
| | 16 | II. | 215. a. |
| | 17 | ibid. | |
| | 22 | I. | 14. b. |
| | 28 | I. | 8[illegible]. a. b. |
| | 35 | II. | 270. b. |
| | 38 | I. | 136. b. |
| VIII. | 7 | I. | 337. a. |
| | 26 | II. | 215. a. |
| | 28 | ibid. | |
| | 33 & d. | I | 91. a. |
| | 35 | I. | 425. II. 91. b. |
| | 40 | II. | 215. a. |
| | 42 | I. | 14. b. |
| | 44 | II. | 86 a. |
| | 46 | II. | 141. b. 183. b. |
| | 56 | I. | 532. b. |
| IX. | 5 | II. | 168. b. |
| | 17 | I. | 588. b. |
| | 24 | I. | 121. b. |
| X. | 11 & d. | II. | 227. b. |
| | 22 | II. | 160. a. |
| | 24 | II. | 323. b. |
| | 34 & d. | I. | 290. a. 334. b. |
| | 35 | I. | 290. a. |
| | 36 | II. | 71. a. 272. b. |
| XI. | 10 | I. | 585. a. |
| | 11 | I. | 325 a |
| | 12 | ibid. | |
| | 13 | II. | 4. b. |
| | 39 | I. | 314. a. |
| | 51 | II. | 67. b. |
| XII. | 17 | II. | 2[illegible]. a. |
| | 19 | I. | 315. b. |
| | 25 | I. | 150. a. |
| | 26 | I. | 324. a. 572 a. |
| | 27 | II. | 118. a. |
| | 28 | I. | 50. a. |
| | 31 | I. | 33[illegible]. b. II. 86. b. 97. a. 286 a. 320 a. |
| | 32 | I. | 337. II. 79. a. b. 286. a. |
| | 33 | I. | 337. b. |
| | 34 | I. | 313. b. |
| | 36 | II. | 283. a. |
| | 38 | I. | 400. a. |
| | 40 | I. | 380 a. |
| | 42 | I. | 255. b. |
| | 43 | ibid. | |
| | 44 | I. | 190. a. b. II. 106. a. 279 b. |
| | 46 | II. | 168. b. |
| | 49 | II. | 215. a. |
| | 50 | ibid. | |
| XIII. | 2 | II. | 86 b. |
| | 8 | II. | 58 a. |
| | 13 | I. | 70. a. |
| | 34 | I. | 434 b. 444. a. |
| | 35 | I. | 195. b. 444 a. |
| XIV. | 2 | I. | 52. a. II. 150. a. |
| | 3 | ibid. | |
| | 9 | I. | 527. a. II. 18. b. 73. a. |
| | 10 | I. | 527. b. II. 73. a. |
| | 19 | I. | 563 b. |
| | 26 | I. | 6[illegible]. a. |
| | 29 | I. | 334. b. |
| | 30 | ibid. | |
| XV. | 4 | I. | 396. a. |
| | 8 | II. | 119. b. |
| | 12 | I. | 434. a. 444. a. |
| | 13 | I. | 434. a. |
| | 16 | I. | 73. b. |
| | 22 & d. | I. | 81. a. |
| | 25 | I. | 399. a. |
| XVI. | 8 | II. | 183. b. |
| | 9 | II. | 178. a. 300. b |
| | 11 | I. | 334. b. 337. b. II. 86. b. 286. a. |
| | 12 | I | 364. b. |
| | 13 | I. | 67. a. |
| | 21 | I | 139. b. |
| | 22 | ibid. | |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| XVII. | 2 | I. | 332. a. |
| | 3 | ibid. | I 420 b. |
| | 4 | I. | 576. b. |
| | 11 | I. | 412. a. 481. a II. 170. b. |
| | 12 | II. | 170. b. I. 587. b. |
| | 13 | II. | 170. b. |
| | 14 | I. | 481. a. |
| | 18 | ibid. | |
| | 21 | I. | 195 b. 412. a. 481. a. |
| | 22 | ibid. | |
| | 23 | I. | 481. a. |
| | 24 | I. | 572. a. |
| XVIII. | 3 | I. | 290. a. |
| XIX. | 25 | I. | 386. b. |
| XX. | 4 | I. | 337. a. |
| | 8 | ibid. | |
| | 17 | II. | 69. a. |
| | 28 | II. | 303. b. |
| | 24 | I | 314. b. |
| | 26 | I. | 315. b. |
| | 29 | II. | 17. a 276. a. |
| XXI. | 2 | I. | 316. a. |
| | 7 | ibid. | |


## ACTA APOSTOLORUM.


| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 4 | I. | 410. b. 475. b. |
| | 5 | I. | 43. b. |
| | 7 | II. | 174. a. |
| | 9 | I. | 366. b. |
| | 22 | I. | 67. a. 316. b. |
| II. | 2 & d. | I. | 551. b. |
| | 15 | I. | 574 a. |
| | 16 | I. | 406. a. |
| | 17 | I. | 15. b. 406. a. |
| | 23 | I. | 69. a. II. 271. b. |
| | 24 & d. | I. | 314. a. |
| | 27 | I. | 32. a. 314. a. |
| | 29 | I. | 146. b. |
| | 30 | I. | 12. b. 13. a. 351. a. |
| | 33 | I. | 4[illegible]. a. |
| | 34 | I. | 336. b. |
| | 35 | ibid. | |
| | 36 | I. | 70. a. b. |
| | 40 | I. | 379. b. 380. a. |
| | 41 | I. | 380. a. II. 283. a. |
| III. | 21 | II. | 152. a. |
| | 22 | I. | 68. a. 559. b. |
| | 25 | I. | 75. a. 424. a. |
| | 26 | I. | 75. a. |
| IV. | 8 | I. | 551 b. |
| | 12 | I. | 585. a. |
| | 32 | I. | 412. a. 484 a. 532. a. |
| | 33 | I. | 316. b. 67. a. |
| V. | 3 | II. | 86. b. |
| | 6 & d. | I. | 551 b. |
| | 23 | I. | 380 b. |
| | 31 | I. | 70. a. 332. a. II. 78. a II. 119. b. I. 621. |
| | 36 | I. | 444. a. |
| VI. | 1 | I. | 509. b. II. 270. b. |
| VII. | 3 | II. | 183. b. |
| | 4 | II. | 187. b. |
| | 5 | II. | ibid |
| | 19 | I. | 358. b. II. 12. b. |
| | 20 | II. | 194. a. |
| | 22 | II. | 194. b. |
| | 23 | ibid. | |
| | 25 | I. | 409. a. |
| | 30 & d. | II. | 9 a. 218. b. |
| | 35 | I. | 405. a. |
| | 37 | I. | 68. a. |
| | 38 | I. | 405. a. II. 88. b. 213. a. 218 b. |
| | 44 | I. | 385. a. |
| | 45 | I. | 16. b. |
| | 51 | I. | 371. a. |
| | 53 | I. | 40[illegible]. a. 571. a. |
| | 56 | I. | 47. a. |
| | 59 | I. | 347. a. |

# INDEX LOCORUM


| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| VIII. | 1 | I. | 386 a. II. 270. b. |
| | 3 | I. | 384. a. 317. b. |
| | 10 | I. | 74. b. |
| | 17 | II. | 123. a. |
| | 18 | ibid. | |
| | 23 | II. | 187. b. |
| | 37 | I. | 320. a. |
| IX. | 1 & d. | I. | 317. b. 384. a. |
| | 3 & d. | I. | 293. a. |
| | 17 | I. | 316. b. |
| | 19 | I. | 386. a. |
| | 20 | I. | 385. b. |
| | 23 | I. | 386. a. |
| | 26 | ibid. | |
| | 27 | I. | 316. b. |
| | 30 | I. | 387. a. |
| | 31 | I. | 191. a. |
| X. | 22 | II. | 183. b. |
| | 28 | I. | 391. b. |
| | 34 | I. | 91. a. |
| | 36 | I | 147. a. 156. a. |
| | 38 | I. | 48. b. 70. a. |
| | 42 | I. | 44 a 69. a 93. a. |
| | 43 | I. | 6[illegible]. b. 107. b. |
| | 47 | I. | 480. a. |
| XI. | 3 | I. | 391. b. 392. b. |
| | 15 | I. | 480 a. |
| | 16 | I. | 42 a. |
| | 17 | I. | 185. b. 392. b. 480. a. |
| | 19 | II. | 270. b. |
| | 20 | ibid. | |
| | 25 | I. | 387. a. |
| | 29 | I. | 198 b. |
| | 30 | ibid. | I. 387. b. |
| XII. | 4 | II. | 181. a. |
| | 25 | I. | 387. b. |
| XIII. | 2 | I. | 26[illegible]. a. 370. b. 384. b. II. 25. a. I. 67. b. |
| | 3 | I. | 267. a. II. 25. a. |
| | 4 | I. | 267. a. |
| | 8 | II. | 293. a. |
| | 9 | ibid. | I. 67. a. |
| | 10 | II. | 293. a. |
| | 11 | ibid. | |
| | 30 | I. | 351. a. |
| | 32 | II. | 77. b. |
| | 33 | I. | 70. a. 314. a. II. 77. b. 117. b. 272. b. |
| | 34 | I. | 32. b. |
| | 35 | ibid. | |
| | 38 | I. | 394. b. |
| | 39 | ibid. | |
| | 40 | I. | 31. b. |
| | 45 | I. | 560. a. |
| | 46 | I. | 75 a. 380. a. II. 283. a. |
| | 47 | II. | 82. b. |
| | 50 | I. | 560. a. |
| XIV. | 2 | I. | 90. a. |
| | 4 & d. | I. | 560. a. |
| | 13 | I. | 94. a. |
| | 14 | I. | 316. a. |
| | 16 | I. | 112. b. 171. b. |
| | 17 | I. | 94. a. |
| | 19 | I. | 560. a. |
| | 22 | II. | 95. a. |
| | 26 | I. | 370. b. |
| XV. | 1 & d. | I. | 426. a. |
| | 2 & d. | I. | 388. a. |
| | 3 & d. | I. | ibid. |
| | 7 & d. | I. | 392. b. |
| | 8 | I. | 185. b. 480. a. |
| | 10 | I. | 392. a. 410. a. II. 104. b. |
| | 13 | I. | 316. a. 388. b. & d. 392. b. |
| | 15 | I. | 31. b. |
| | 17 | I. | 92. a. |
| | 20 | I. | 390. a. 566. b. 207. b. |
| | 29 | ibid. | |
| | 38 | I. | 370. b. |
| XVI. | 2 | II. | 183. b. |
| | 3 | I. | 389. a. |
| | 9 & d. | I. | 505. a. |
| | 10 | I. | 551. a. |
| | 12 & d. | I. | 555. a. |
| | 15 | I. | 393. a. |
| XVII. | 3 | I. | 313 b. |
| | 4 | I. | 560. a. |
| | 5 | I. | 90. a. & d. 552. b. 560. a. |
| | 27 | I. | 80. b. |
| | 28 | ibid. | |
| | 29 | I. | 82. a. |
| | 30 | I. | 112. b. 171. b. II. 18. b. |
| | 31 | I. | 571. b. 69. a. 93. a. II. 18. b. 76. a. |
| XVIII. | 3 | I. | 603. a. |
| | 5 | I. | 562 a. |
| | 12 | I. | 563. b. |
| | 17 | I. | 248. a. |
| | 21 | II. | 187. b. |
| | 23 | I. | 417. b. |
| | 25 | I. | 177. a. |
| XIX. | 4 | I. | 166. a. |
| | 6 | II. | 123. a. |
| | 8 | I. | 344. a. |
| | 9 | I. | 90. a. 344. a. 560 a. |
| | 29 & d. | I. | 344 a. II. 59. a. |
| XX. | 4 | II. | 59 a 270. b. |
| | 16 | II. | 270. b. |
| | 17 | II. | 13. a. 42. b. 43. a. |
| | 18 | II. | 270. b. |
| | 25 | II. | 68. |
| | 28 | II. | 13. a. 14. a. 42. b. 43. a. |
| | 29 | I. | 589. b. |
| | 30 | ibid. | |
| | 32 | I. | 78. a. 476. b. |
| | 34 | I. | 304. a. |
| XXI. | 20 | I. | 392. a. |
| | 21 | ibid. | I 431. a. |
| | 22 | I. | 392. a. |
| | 23 | ibid. | I. 384. a. |
| | 24 | I. | 392. a. |
| | 25 | ibid. | |
| | 28 | I. | 431. a. |
| | 39 | I. | 387. a. |
| XXII. | 3 | I. | 157. b. 387. a. |
| | 4 | I. | 384. a. 317. b. |
| | 6 & d. | I. | 2[illegible]3 a. |
| | 12 | II. | 183. b. |
| | 14 | I. | 316. b. |
| | 19 | I | 317. b. |
| | 20 | ibid. | |
| | 21 | I. | 385. a. 560. a. |
| | 22 | I. | 560. a. |
| XXIII. | 1 | I. | 512. b. |
| | 8 | I. | 38. b. |
| | 11 | I. | 588. b. |
| XXIV. | 16 | I. | 358. b. 382. b. II. 226. b. |
| | 17 | I. | 198. b. |
| XXV. | 21 | I. | 588. a. |
| | 25 | ibid. | |
| XXVI. | 9 & d. | I. | 384 a. |
| | 10 | I. | 81. b. & d. I. 317. b. |
| | 11 | II. | 5. a. |
| | 13 & d. | I. | 293. a. |
| | 17 | I. | 71. a. |
| | 18 | I. | 476. b. II. 97. a. 286. a. |
| | 20 | I. | 30. b. 71. b. II. 147. b. |
| | 23 | I. | 313. b. |
| XXVII. | 2 | II. | 59. a. |
| | 3 | ibid. | |
| XXVIII. | 10 | I. | 176. b. |
| | 25 | I. | 177. a. |


## Ad ROMANOS.


| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 2 | II. | 42. a. |
| | 3 | I. | 424. b. II. 153 b. |
| | 4 | ibid. | II. 272. b. |
| | 5 | I. | 31. a. 390. b. |
| | 8 | I. | 550. a. |
| | 9 | I. | 502. b. 562. b. |

# SCRIPTURÆ.


| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 11 | I. | 199. a. |
| | 12 | ibid. | |
| | 16 | I. | 388. b. |
| | 18 | I. | 39. b. 554. a. |
| | 21 | I. | 263. b. |
| | 22 | I. | 251. b. |
| | 23 | ibid. | |
| | 24 | I. | 278. b. 566. b. |
| | 26 | I. | 278. b. & d. 436. b. 566. b. |
| | 29 & d. | I. | 439. a. 567. a. II. 207. b. |
| II. | 4 | II. | 51. b. |
| | 5 | I. | 39. b. |
| | 8 | ibid. | I. 554. a. 592. a. |
| | 9 | I. | 388. b. 554. a. |
| | 10 | I. | 388. b. II. 276. a. |
| | 12 | I. | 131. b. |
| | 13 | ibid. | |
| | 14 | ibid. | |
| | 15 | ibid. | |
| | 16 | I. | 72. b. II. 76. a. |
| | 17 | I. | 343. b. & d. ad finem. II. 45. a. |
| | 21 | I. | 405. b. |
| | 23 | I. | 343. b. |
| | 25 | I. | 349. a. 509. a. |
| | 26 | I. | 390. b. |
| | 27 | I. | 127. b 390. b. 417. a. II. 12. a. I. 570. b. II. 299. a. |
| III. | 4 | I. | 105. a. II. 18. b. |
| | 5 | I. | 39. b. |
| | 8 | I. | 149. b. |
| | 9 | I. | 410. a. |
| | 19 | I. | 419. b. |
| | 20 | ibid. | |
| | 21 | I. | 397. a. 419. b. |
| | 24 | II. | 52. b. |
| | 26 | I. | 196. b. |
| | 27 | I. | 395. b. |
| | 28 | I. | 138. b. |
| | 29 | II. | 9. b. |
| | 30 | I. | 349. a. 390. b. II. 9. b. |
| IV. | 2 | I. | 395 b. |
| | 3 | I. | 394. b. 402. b. 408. b. |
| | 4 | I. | 402. b. 408. b. 431. b. |
| | 5 | I. | 402. b. 408. b. II. 158. b. |
| | 6 | I. | 394. b. 395. b. 402. b. |
| | 7 | I. | 394. b. |
| | 8 | I. | 402. b. |
| | 9 | I. | 349. a. 390. b. 402. b. 509. a. |
| | 10 | I. | 402. b. |
| | 11 | I. | 81. b. 90. b. 127. b. 402. b. 417. a. 570. b. II. 12. a. 188. b. |
| | 12 | I. | 349. a. 509. a. II. 188. b. |
| | 13 | I. | 111. a. & d 406. b. II. 169. a. 188. b. |
| | 14 | I. | 408. a. |
| | 15 | I. | 39. b. 369. b. II. 89. b. 90. a. |
| | 16 | II. | 129. a. |
| | 17 | ibid. | |
| | 18 | I. | 405. b. II. 35. b. |
| | 19 & d. | II. | 189. a. |
| | 22 | I. | 402. b. |
| | 23 | ibid. | |
| | 24 | ibid. | I. 477. a. |
| | 25 | I. | 379. b. |
| V. | 2 & d. | I. | 90. a. 109. a. 448. b. II 102. b. |
| | 3 | I. | 448. b. 582. a. |
| | 4 | I. | 448. b. |
| | 5 | ibid. | |
| | 6 | I. | 621. a. |
| | 8 | II. | 42. a. |
| | 9 | I. | 39. b. |
| | 10 | I. | 111. a. 621. a. |
| | 11 | I. | 30. b. 93. b. 153. a. 448. b. 582. a. |
| | 12 & d. | I. | 325. b. 326. a. 390. a. |
| | 13 | I. | 90. b. 369. b. |
| | 14 & d. | I. | 325. b. 390. a. |
| | 15 | I. | 327. b. 483. a. II 52. b. |
| | 17 | I. | 327. b. |
| | 18 | I. | 325. b. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 19 | I. | 362. a. |
| | 20 | I. | 309. b. 409. a. |
| | 21 | I. | 40[illegible]. a. |
| VI. | 1 & d. | I. | 394. b. 396. b. |
| | 2 & d. | I. | 411. b. 441. b. |
| | 3 & d. | I. | 34[illegible]. a II. 323. a. |
| | 4 | II. | 123. a. |
| | 5 | I. | 411. b. |
| | 6 ad 12 | I. | 39[illegible]. b. 441. b. |
| | 7 | II. | 288. a. |
| | 10 | I. | 324. a. |
| | 11 | I. | 441. a. |
| | 13 | I. | 13[illegible]. a. |
| | 17 | II. | 44. a. |
| | 18 | I. | 107. b. |
| | 19 | I. | 75. b. |
| VII. | 1 & d. | I. | 396. b. |
| | 2 | I. | 427. a. |
| | 4 | I. | 397. b. 427. a. |
| | 5 | I. | 135. a. 136. a. 410. a. |
| | 6 | I. | 96. a. 135. a. |
| | 7 | I. | 181. b. 394. a. |
| | 8 & d. | I. | 397. a. 410. a. |
| | 10 | I. | 135 a. 394. a. II. 276. a. |
| | 13 | I. | 30. b. 135. a. II. 29. b. |
| | 14 | I. | 336. a. |
| | 16 | I. | 138. a. 140. a. |
| | 17 | II. | 145. b. |
| | 21 | I. | 114. b. |
| | 23 | ibid. | II. 147. b. |
| | 24 | I. | 18[illegible]. a. |
| | 25 | I. | 114. b. 397. a. |
| VIII. | 1 & d. | I. | 394. b. 435. a. |
| | 2 | I. | 114. b. 3[illegible]7. a. |
| | 3 | I. | 410. a. |
| | 4 | I. | 3[illegible]4. a 428. a. |
| | 5 | I. | 505. b. |
| | 6 | I. | 403. b. 408. a. II. 190 b. |
| | 8 & d. | I. | 129. b. 133. b. 424. a. |
| | 9 & d. | I. | 129. b. 441. a. b. |
| | 10 | I. | 379. a. I. 441. a. 442. a. |
| | 11 | I. | 276. b. 277. b. |
| | 12 | I. | 415. b. |
| | 15 | I. | 414. a b 421. a II. 9[illegible]. b. 213. b. |
| | 16 | I. | 414. a. II. 213. b. |
| | 17 | I. | 90. a. 323. a. 331. b. 415. a. II. 213. b. |
| | 18 | I. | 77. b. 323. a. II. 275. b. |
| | 22 & d. | I. | 322. b. 323. a. |
| | 23 | I. | 405 a. 474. a. |
| | 42 | I. | 428. a. II. 40[illegible]. a. 181. b. 307. a. |
| | 26 & d. | I. | 323. a. 414. b. |
| | 27 | I. | 414. b. |
| | 28 & d. | I. | 155. a. |
| | 29 | I. | 416. a. II. 271. b. |
| | 30 | I. | 380. a. II. 52. b. |
| | 32 | I. | 379. b. 405. a. 570. b. |
| | 35 | I. | 90 b. 483. a. |
| | 38 | II. | 274 a. 300. b. |
| | 39 | I. | 483. a. |
| IX. | 5 | I. | 58. b. 378. b. |
| | 6 & d. | I. | 61. a. |
| | 7 | I. | 117. a. 415 a. 424. a. |
| | 8 | ibid. | |
| | 9 | I. | 415. a 424. b. |
| | 10 | I. | 415. a. |
| | 11 | I. | 385. a. |
| | 12 | I. | 380. a. 385. a. |
| | 14 | I. | 142. a. |
| | 22 | I. | 164. b. |
| | 23 | I. | 87. b. |
| | 28 | I. | 30. b. II. 147. b. |
| | 30 | I. | 142. a. |
| | 31 | I. | 164. a. |
| X. | 1 | I. | 154. a. |
| | 3 | II. | 25. a. 380. a 510. b. II. 283. a. |
| | 5 | II. | 394. a. II. 146. a. |
| | 6 | II. | 30. a. |
| | 7 | II. | 142. a. 570. b. |
| | 9 | I. | 311. b. 312. a. 507. a. |
| | 10 | I. | 371. b. |
| | 13 | ibid. | |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 15 | I. | 492. a. |
| | 16 | I. | 400. a. |
| | 18 | I. | 30. a. 153. b. |
| | 21 | I. | 90. a. II. 80. b. |
| XI. | 2 | I. | 416. a. II. 271. b. |
| | 4 | II. | 103. b. |
| | 6 | I. | 395. b. |
| | 7 | I. | 349. a. |
| | 8 | I. | 131. b. |
| | 11 | I. | 304. b. II. 286. a. |
| | 12 | II. | 280. a. |
| | 13 | I. | 71. a. |
| | 14 | I. | 154. a. |
| | 17 | I. | 16. b. 99. b. |
| | 20 | I. | 304. b. |
| | 22 | II. | 51. b. |
| | 25 | I. | 178. a. 529. b. |
| | 28 | II. | 4. a. |
| | 29 | I. | 99. a. |
| | 30 | I. | 173. b. 477. b. |
| | 31 | I. | 173. a. |
| | 32 | ibid. | I. 410. a. |
| | 33 | I. | 87. b. |
| | 34 | I. | 258. b. |
| | 36 | I. | 14. b. II. 94. b. |
| XII. | 1 | I. | 483. b. II. 283 b. |
| | 2 | I. | 137. a. 444. b. II. 52. a. |
| | 3 | I. | 70. b. 175 b. 259. b. |
| | 4 & d. | I. | 27 . b. 484. a. |
| | 8 | I. | 380. b. |
| | 12 | I | 440. a. 577. b. |
| | 13 | II. | 56 b. |
| | 15 | I. | 63. b. 440. a. |
| | 17 | I. | 597. a. |
| | 19 | II. | 180. b. |
| | 21 | I. | 577. b. |
| XIII. | 1 | I. | 334. a. 380. a. II. 50. a. 283. a. |
| | 2 | I. | 380. a. II 283. a. |
| | 3 | II. | 50. b. 283 a. |
| | 4 | II. | 50. b. |
| | 5 | I. | 39. b. 380. a. 554. a. II. 50 b. |
| | 8 | I. | 92. a. |
| | 9 | I. | 434. a. |
| | 10 | I. | 92. a. |
| | 11 | I. | 206. b. 487. b. |
| | 12 & d. | I. | 487. b. |
| | 13 & d. | ibid. | |
| | 14 | I. | 411. b. |
| XIV. | 1 & d. | I. | 381. b. |
| | 3 | I. | 184. b. |
| | 4 | I. | 167. b. 168. a. 304. b. |
| | 11 | I. | 506. b. 507. a. |
| | 13 | I. | 405. b. II. 297. a. |
| | 14 | I. | 192. a. 371. b. |
| | 15 | I. | 192. a 398. b. 433. b. 440. a. |
| | 17 | I. | 277. a. 435. b. |
| | 20 | I. | 96. a. 127. b. 417. a. 570. b. II. 12. a. |
| | 21 | I. | 189. a. 577. a. |
| | 23 | I. | 291. b. |
| XV. | 1 | I. | 443. b. 577. a. |
| | 2 | I. | 382. b. 597. a. |
| | 3 | I. | 382. b. |
| | 5 | I. | 177. b. |
| | 7 | I. | 84. b. II. 159. b. |
| | 8 | I. | 98. b. 196. b. 197. a. 509. a. |
| | 9 | I. | 75. a. |
| | 13 | I. | 101. b. 197. a. |
| | 15 | I. | 70. b. 71. a. 174. b. 343. a. 531. a. |
| | 16 | I. | 71. a. 196. b. 343. a. 508. a. |
| | 17 | I. | 117. b. 343 a. |
| | 19 | I. | 67. b. 531. a. 551. b. 562. b. |
| | 20 | I. | 569. a. |
| | 22 | I. | 73. a. |
| | 23 | ibid. | II 68. |
| | 24 | II. | 68. |
| | 25 & d. | I. | 391 a. |
| | 26 | II. | 56. b. |
| | 27 | I. | 167. b. 295. a. 380. b. 391. a. |
| | 30 | I. | 580. a. |
| XVI. | 2 | I. | 371. b. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 4 | II. | 55. b. |
| | 5 | II. | 212. b. |
| | 8 | I. | 371. b. |
| | 11 | ibid. | |
| | 12 | ibid. | |
| | 13 | ibid. | |
| | 17 | I. | 509. a. |
| | 18 | II. | 44. a. |
| | 19 | ibid. | II. 58. b. |
| | 22 | I. | 447. a. 608. a. |
| | 25 | I. | 72. b. II. 18. a. 42. a. |
| | 26 | II. | 42. a. |
| | 27 | I. | 290. b. |


## 1. ad CORINTHIOS.


| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 1 | I. | 501 a. |
| | 2 | I. | 48. b. 607. a. |
| | 4 | I. | 370. a. 550. a. |
| | 5 | I. | 320 a. |
| | 6 | I. | 254. a. II. 102. a. |
| | 7 | I. | 262. b. |
| | 9 | I. | 580. a. 440. a. |
| | 12 | I. | 263. b. 314. b. |
| | 13 | I. | 122 a. 378. b. |
| | 17 | I. | 380. b. & d. II. 322. a. |
| | 18 | I. | 74. b 391. & d. II. 322. a |
| | 20 | I. | 263 b. |
| | 21 | I. | 81 b. 529. b. |
| | 22 | I. | 559. b. |
| | 23 | ibid. | |
| | 24 | I. | 74. b. 250. b. 559. b. |
| | 25 | I. | 258. a. |
| | 28 | I. | 389. b. |
| | 30 | I. | 73. a. 405. a. II. 52. b. |
| | 31 | I. | 371. b. |
| II. | 1 | I. | 249. a. 250. b. II. 102. a. |
| | 2 | I. | 252. a. 380. a. |
| | 3 | I. | 380. b. |
| | 4 | I. | 250. b. 551. b. & d. II. 322. a. |
| | 5 | I. | 551. b. |
| | 6 | I. | 259. a. |
| | 14 | ibid. | |
| | 16 | I. | 449. |
| III. | 1 | I. | 254. b. 255. a. 258. a. 364. b. |
| | 2 | I. | 431. b. |
| | 5 | I. | 263. b. |
| | 6 | I. | 314. b. |
| | 7 | I. | 389. b. 444. a. |
| | 8 | I. | 412. a. |
| | 9 | I. | 192 a. II. 125. a. |
| | 10 | I. | 70. b. 198. b. |
| | 11 | I. | 198. b. |
| | 16 | I. | 192. a. 278. b. 480. b. 588. b. |
| | 18 | I. | 266. a. |
| | 19 | I. | 30. b. II. 147. b. |
| | 21 | I. | 266. a. |
| | 22 | I. | 250. a. |
| IV. | 1 | II. | 43. a. |
| | 3 | I. | 88. b. |
| | 5 | I. | 90. a. 93. a. 188. a. 261. b. |
| | 11 | I. | 144. a. |
| | 15 | II. | 57. a. |
| | 16 | I. | 552. a. |
| | 18 | I. | 266. a. |
| | 19 | ibid. | |
| | 20 | I. | 551. b. |
| V. | 2 | I. | 432. a. |
| | 3 | I. | 602. b. |
| | 4 | ibid. | |
| | 5 | ibid. | |
| | 6 | I. | 430. b. 606. a. |
| | 7 | I. | 606. a. |
| | 8 | I. | 90. a. |
| | 9 | I. | 597. b. 598. a. 605. b. |
| | 10 | I. | 597. b. 598. a. |
| | 11 | I. | 596. b. 597. b. 602. a. 605. b. II. 145. b. |
| | 12 | I. | 432. a. 596. b. |
| | 13 | ibid. | |
| VI. | 2 | I. | 96. a. II. 299. a. |

# SCRIPTURÆ.


| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 3 | ibid. | |
| | 4 | II. | 299 a. |
| | 8 | I. | 567. b. |
| | 9 | I. | 567. a. |
| | 10 | ibid. | |
| | 13 | I. | 191. a. 352. b. 513. a. II. 207. b. |
| | 14 | I. | 620. a. |
| | 15 | I. | 566. b. |
| | 16 | ibid. | |
| | 17 | I. | 489. a. |
| | 18 | I. | 566. b. |
| | 19 | I. | 588. b. |
| | 20 | I. | 285. b. 405. a. |
| VII. | 2 | I. | 137. a. 436. b. |
| | 4 | I. | 436. b. |
| | 7 | I. | 287. a. 513. b. 531. b. |
| | 10 | | 380. a. II. 283. a. |
| | 11 | ibid. | |
| | 14 | I. | 272. b. 323. b. II. 145. b. |
| | 15 | I. | 380. a. II. 283. a. |
| | 17 | I. | 259. b. 396. a. |
| | 19 | I. | 95. b. 429. a. 449. b. |
| | 21 & d. | I. | 412. a. |
| | 22 | I. | 371. b. 433. b. |
| | 25 | I. | 19. a. |
| | 26 | I. | 288. b. & d II. 219. b. |
| | 34 | I. | 19. a. |
| | 36 | ibid. | |
| | 37 | ibid. | |
| | 39 | I. | 371 b. |
| | 40 | I. | 193. b. |
| VIII. | 1 | I. | 168. b. 291. a. 390. a. & d. 433. b. |
| | 2 | I. | 40. b. 416. a. |
| | 3 | I. | 416. a. |
| | 4 | I. | 307. b. 415. b. |
| | 6 | I. | 14 b. 172. b. 360. b. 379. a. II. 229. b. 272. b. |
| | 7 | I. | 184. a. 190. a. 390. a. |
| | 8 | I. | 191. a. |
| | 9 | I. | 190. a. 577. a. |
| | 10 | I. | 184. a. 190. a. 440. a. |
| | 11 | I. | 184. a. 190. a. 398. b. 435. a. |
| | 12 | I. | 190. a. 440. a. |
| | 13 | I. | 289. b. II. 59. a. |
| IX. | 1 | I. | 192. a. 371. b. |
| | 2 | I. | 371. b. |
| | 4 & d. | I. | 603. a. |
| | 5 | I. | 280. b. |
| | 9 | II. | 30. b. |
| | 10 | I. | 312. a. |
| | 11 | I. | 445. a. |
| | 12 | I. | 603. b. |
| | 14 | I. | 67 b. 562. b. |
| | 17 | I | 98. a. |
| | 18 & d. | I. | 603. b. |
| | 19 | I. | 433. b. |
| | 21 | I. | 105 b. |
| | 24 | II. | 36. a. |
| X. | 1 | I. | 569 b. |
| | 6 | I. | 303. b. |
| | 8 | I. | 113. a. |
| | 11 | I. | 167. b. |
| | 12 | ibid. | |
| | 13 | I. | 440. a. |
| | 19 | I. | 389. b. 444. a. |
| | 20 & d. | I. | 390. a. II. 286. a. |
| | 22 | I. | 303 a. |
| | 23 | I. | 194. a. & d. 390. b. |
| | 25 | I. | 190. a. |
| | 26 | ibid. | |
| | 27 | ibid. | I. 309. a. |
| | 28 | I. | 190. b. |
| | 29 | I. | 190. a. b. 309. a. |
| | 30 | I. | 190 b. |
| | 31 | ibid. | I. 390. b. |
| | 32 | I. | 190. b. 390. b. 559. b. 567. a |
| | 33 | I. | 582. b. |
| XI. | 1 | I. | 552. a. |
| | 2 | I. | 312. b. 313. a. |
| | 3 | I. | 264. a. 412. a. |
| | 4 | I. | 175. b. |
| | 5 | I. | 87. a. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 7 | I. | 412. a. |
| | 11 | I. | 371. b. |
| | 16 | I. | 40. b. |
| | 23 | I. | 312. b. 313. a. 558. b. |
| | 28 | I. | 444. b. |
| | 29 & d. | I. | 430. b. |
| | 30 | I. | 325. a. |
| | 32 | I. | 430. b. |
| | 34 | I. | 446. b. |
| XII. | 1 & d. | | 262. b. 299. b. 320. a 569 b. |
| | 3 | I. | 160. a. & d. 552. a. |
| | 5 | I. | 379. a. |
| | 6 | ibid. | |
| | 8 | I. | 89. a. II. 19. a. |
| | 10 | I. | 401. b. |
| | 11 | II. | 91. a. |
| | 12 | I. | 407. a. & d. 484. a. II. 195. a. II. 277. a. |
| | 23 | I. | 352. a. |
| | 28 | I. | 67. a. 175. a. 176. a. 401. b. |
| | 29 | I. | 401. b. |
| | 31 | I. | 175. b. |
| XIII. | 1 & d. | I. | 434. b. |
| | 2 | I. | 444. a. |
| | 6 | I. | 90. a. |
| | 8 | I. | 318. a. |
| | 12 | I. | 382. a. |
| | 13 | I. | ibid. 429. a. 574. b. |
| XIV. | 1 & d. | I. | 175. b. 320. a. |
| | 2 | II. | 314. a. |
| | 3 | ibid. | |
| | 6 | I. | 529. a. |
| | 11 | I. | 385. a. |
| | 12 | I. | 101. b. |
| | 14 | I. | 140. b. |
| | 15 | ibid. | |
| | 19 | ibid. | |
| | 20 | I. | 94 a. 200. b. 255. a. 512. a. II. 120. b. |
| | 21 | I. | 419. b. |
| | 26 | I. | 597. a. |
| | 28 | II. | 314. a. |
| | 29 | I. | 175. b. |
| | 32 | ibid. | |
| | 33 | I. | 578. b. |
| | 34 | I. | 431. b. II. 11. b. |
| | 35 | II. | 11. b. |
| | 39 | I. | 175. b. |
| XV. | 1 | I. | 318. a. |
| | 2 | I. | 322. a. |
| | 3 | I. | 370. a. |
| | 4 & d. | II. | 7. a. |
| | 12 | I. | 321 a. 350. a. & d. 564 a. |
| | 13 | I. | 346. a. |
| | 14 | I. | 321. a. 323. a. 328. b. 350. a. |
| | 17 | I. | 143. a. 323. a. 328. b. 578. a. II. 98. a. |
| | 18 | I. | 323. a. II. 98. a. |
| | 19 | I. | 312. a. |
| | 20 | I. | 212. b. & d. 318 b. 619. a. |
| | 22 | I. | 357. b. |
| | 23 | I. | 529. a. b. |
| | 24 | II. | 50. a. 86. a. 285. b. |
| | 25 | II. | 75 a 86. a. |
| | 26 | I. | 362. a. II. 86. a. |
| | 27 | I. | 147. a. II. 91. b. 92. b. |
| | 28 | I. | 300. b. |
| | 30 & d. | I. | 323. a. 324 a. |
| | 32 | I. | 323. a. II. 200. b. |
| | 35 & d. | II. | 310 b. |
| | 36 | I. | 85. b. |
| | 42 | I. | 380. b. & d. I. 318. 513. a. |
| | 43 | I. | 90. a. 380. b. 513. a. |
| | 44 & d. | I. | 513. a. |
| | 47 | I. | 357. b. |
| | 51 | I. | 513. a. |
| | 52 | I. | 323 b 515. a. 569. b. 571. b. |
| | 58 | I. | 89 a. |
| XVI. | 1 & d. | I. | 321. a. |
| | 10 | I. | 370 b 371. a 576. b. |
| | 15 | II. | 212. b. |
| | 23 | I. | 608. b. |

# INDEX LOCORUM


| Cap. | vers. | tom. | pag. | Col. |
|---|---|---|---|---|
| | 2. ad CORINTHIOS. | | | |
| I. | 1 | I. | 248. a. 501. a. 607. a. | |
| | 3 | I. | 370. a. II. 272. b. 277. a. | |
| | 5 | I. | 447. b. | |
| | 6 | I. | 398. b. | |
| | 7 | I. | 582. a. | |
| | 8 | I. | 299 b. 342. b. 569. b. 582. a | |
| | 9 | I. | 342. b. II. 193. a. | |
| | 10 | ibid. | I. 580. a. | |
| | 11 | I. | 580 a. | |
| | 12 | I. | 187. b. 342. b. | |
| | 17 | I. | 105. b. | |
| | 21 | I. | 320 a. | |
| | 24 | I. | 167. b. 304 b. | |
| II. | 3 | II. | 226 a. | |
| | 15 | I. | 391 b. | |
| III. | 6 | I. | 96. a 135. a. 410. a. II. 90. a. | |
| | 7 | I. | 348. b. II. 17. a. 90. a. | |
| | 11 | I. | 12 . b. 417. a. 5 , o. b. II. 12. a. | |
| | 12 | I. | 552. b. | |
| | 13 | II. | 210. b. | |
| | 16 | I. | 560. b. | |
| | 18 | I. | 75. b. | |
| IV. | 3 | I. | 52 . b. | |
| | 4 | I. | 264. b 334. b. 527. b. II 86. b. | |
| | 7 | I. | 73. a. 417. a. | |
| | 8 | I. | 90. b. 144. a. 305. b. | |
| | 9 | I | 305. b. | |
| | 10 | I. | 342. b. 44 . b. | |
| | 11 | ibid. | | |
| | 12 | I. | 342. b. | |
| | 14 | I. | 620. a. | |
| | 17 | I. | 251. b. 475. a. II. 38. a. 182. a. | |
| V. | 1 | I. | 251 b. 475. a. II. 38. a. 182. a. | |
| | 2 & d. | I. | 323. a. 361. a. 367. a. | |
| | 3 | I. | 367. a. 401. b. | |
| | 4 | I. | 139. b. 367. a 572. a. | |
| | 5 | I. | 3-3. a. | |
| | 7 | I. | 139. b. | |
| | 8 | I. | 107. b. II. 177. b. | |
| | 9 | I. | 529. b. | |
| | 10 | I. | 89. a. 391. a. 445. b. II. 37. b. 165. b. | |
| | 11 | I. | 382. b. II. 37. b. | |
| | 14 | I. | 398. a. 483. a. | |
| | 15 | I. | 379 b. 397. b. 398. a. | |
| | 16 | I. | 400. b. | |
| | 17 | I. | 449. b. | |
| | 18 & d. | I. | 77. b. | |
| | 19 | II. | 303. b. | |
| | 21 | I. | 4 5 b 618 b. II. 313. a. | |
| VI. | 4 | I. | 28 a. & d. 318. a 503 b. | |
| | 14 | I. | 363. b. & d. 506. b. | |
| | 15 | I. | 363. b. | |
| VII. | 1 | II. | 176. b. | |
| | 4 | I. | 552. b. | |
| | 9 | I. | 34 b. 98 a II. 122. b. | |
| | 10 | I. | 63. b. II. 122. b. | |
| | 17 | I. | 490. a. | |
| VIII. | 1 & d. | I. | 391. a. | |
| | 2 | I. | 176. a. | |
| | 5 | I. | 75. a. | |
| | 18 | I. | 67. b. | |
| | 20 | I. | 178. b. | |
| | 21 | ibid. | I. 582. b. 597. a. | |
| | 22 | I. | 5 2. b. | |
| IX. | 1 & d. | I. | 391. a. | |
| | 6 | I. | 446. a. | |
| | 9 | I. | 111. b. 446. a. | |
| | 10 | ibid. | | |
| | 11 | I. | 176 a. | |
| | 14 | I. | 502. b. | |
| X. | 3 | II. | 17. a. | |
| | 6 | I. | 269. a. & d. 602. b. II. 293. a. | |
| | 8 | I. | 269. a. 270. b. | |
| XI. | 2 | I. | 418 b. | |
| | 7 | I. | 603 b. | |
| | 12 & d. | ibid. | | |
| | 15 | II. | 314. a.. | |
| | 16 | ibid. | | |
| | 23 | I. | 199. b & d. 450. b. 318. a. | |
| | 24 | I. | 344. a. | |
| | 25 | ibid. | | |
| | 26 | I. | 144. a. 344. a. | |
| | 27 | I. | 144. a. 563. b. | |
| | 30 | I. | 448. b. | |
| XII. | 2 | I. | 317. a. | |
| | 4 | I. | 316. b. | |
| | 5 | I. | 343. a. 448. b. | |
| | 7 | I. | 270. b. | |
| | 9 | I. | 73. a. & d. I. 343. a. 448. b. | |
| | 10 | I. | 417. a. 563. b. | |
| | 11 | I. | 3 3 a. 444. a. | |
| | 13 | I. | 603. b. | |
| | 14 | ibid. | | |
| | 20 | I. | 438. a. | |
| | 21 | I. | 303. a II. 226. a. | |
| XIII. | 1 | I. | 269. a. | |
| | 2 | ibid. | I. 602. b. & d. II. 293. a. | |
| | 3 | I. | 269. a. | |
| | 4 | I. | 69. b. | |
| | 10 | I. | 269. a. 270. b. 602. b. | |
| | 11 | I. | 96. a. | |
| | 13 | I. | 379. a. 608. b. | |
| | Ad GALATAS. | | | |
| I. | 1 | I. | 385. b. 554. a. II. 56. b. 144. a. | |
| | 2 | I. | 388. a. 391. a. | |
| | 3 | I. | 17. b. | |
| | 6 | I. | 78 a. 426. a. 586. a. II 283. a. | |
| | 8 | I. | 31. a. 70. b. 418. b. II. 221. a. | |
| | 9 | ibid. | | |
| | 11 | I. | 3 8. b. 385. b. | |
| | 12 | I. | 89. a. 313. a. 385. b. 387. a. | |
| | 14 | I. | 157. b. | |
| | 15 | I. | 67. b 380 b II. 1. b. 4 . b. | |
| | 16 | I. | 67 b 71. a. 8 . b. 362. b. 388. a. 398. a. 405. b. 414. b. | |
| | 17 | I. | 1 8. a. | |
| | 19 | I. | 294. a. | |
| | 21 | I. | 1 8. a. | |
| | 23 | I. | 70. b. 400. a. 410. b. | |
| | 24 | I. | 585 a. | |
| II. | 3 | I. | 411 b. | |
| | 4 | I. | 419 a. | |
| | 5 | I. | 426 b. 430. a. | |
| | 6 | I. | 385 b. | |
| | 7 | I. | 71. a. 385. a 509 a. | |
| | 8 | I. | 385. a. | |
| | 9 | I. | 70. b. 198. b. 294. a. 316. a. 387. a. 50 . a. | |
| | 10 | I. | 198. b. 3 8. b. | |
| | 12 | I. | 316. a. 384. a. | |
| | 14 | I. | 430. a. II. 206. a. | |
| | 15 | I. | 96. a. | |
| | 16 | I. | 74. b. 75. b. 78. b. 92. a. 381. a. 398. a. 404. a. 410. b. 428. a. b. | |
| | 19 | I. | 131. a. | |
| | 20 | I. | 3 8. b. 405. b. 414. b. 441. b. 51 . b. | |
| | 21 | I. | 379. b. 408. a. 512. b. | |
| III. | 1 | I. | 430 a. 512. b. 85. a. 90. a. | |
| | 2 | I. | 387. a. 401. b. 70. b. | |
| | 3 | I. | 447. a. 85. a. | |
| | 4 | I. | 42 . a. | |
| | 5 | I. | 387. a. 70. b. | |
| | 6 | I. | 403. b. | |
| | 7 | I. | 90. a. & d. II. 188. b. | |
| | 8 | I. | 414. b. II. 129 a. | |
| | 9 | II. | 129 a. | |
| | 10 | I. | 90. a 76. b. 369. b. & d. 394. a. 313. b. | |
| | 11 | I. | 76. a. | |
| | 12 | I. | 394. a. II. 146 a. | |
| | 13 | I. | 414. a. II 49 b. 224. a. | |
| | 14 | I. | 385. a 402. a. 405. a. | |
| | 15 | I. | 420. b. | |
| | 16 & d. | I. | 4 a. 415. a. II. 129. a. 195 a. 257. a. | |
| | 17 | I. | 532. b. | |
| | 19 | II. | 9. b. 88. b. 146. a. 218. b | |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 20 | II. | 9. b. |
| | 21 | I. | 406. b. |
| | 22 | I. | 103. a. |
| | 23 | I. | 387. a. 400. a. |
| | 24 | I. | 158. a. |
| | 25 | I. | 387. a. |
| | 26 | I. | 92. a. 315. a. 441. b. |
| | 27 | I. | 407. b. 441. b. |
| | 28 | ibid. | |
| | 29 | I. | 402. b. 407. a. 441. a. II. 98 b. |
| IV. | 1 & d. | ad vſ. | 8. I. 407. a. |
| | 4 | II. | 42. |
| | 5 & d. | I. | 405. a. |
| | 6 | II. | 213. b. |
| | 7 | I. | 421. a. 443. a. II. 213. b. |
| | 8 | I. | 426 a. 478. a. 553. b. |
| | 9 | I. | 419. b. 426. a. |
| | 14 | I. | 434. b. |
| | 17 | I. | 70. b. |
| | 19 | I. | 94. a. |
| | 20 | I. | 145. b. |
| | 21 | I. | 105. b. |
| | 22 | I. | 422. b. & d. II. 188. b. |
| | 23 | I. | 300. b. 424. a. |
| | 24 | I. | 100. a. 300. b. |
| | 28 | I. | 117. a. & d. 407. a. |
| | 29 | I. | 117. a. |
| | 30 | I. | 422. b. |
| | 31 | ibid. | |
| V. | 1 | I. | 380 a. II 283. a. |
| | 2 | I. | 380. a. 416. b. II. 283. a. |
| | 3 | ibid. | I. 431. |
| | 4 | I. | 416. b. |
| | 5 | I. | 90. b. 304 b. II. 49. a. |
| | 6 | I. | 78. b. 95. b 284. b 294. b. 439. a. b. 449. b. 574. b |
| | 7 | I. | 90. a. |
| | 8 | I. | 380. a. b. 433. a. |
| | 11 | I. | 95. b. 447. b. |
| | 13 | I. | 297. a 439. b. 511. b. 567. b. |
| | 14 | I. | 92. a. 429. a. 430. a. |
| | 15 | I. | 418. a. 437. b. |
| | 16 & d. | I. | 398. a. 441. a. 442. a. |
| | 18 | I. | 440. a. 447. b II. 178. b. |
| | 19 | II. | 178. b. |
| | 20 | I. | 72. a. 83. a. 442. a. II. 178. b. |
| | 21 | I. | 85. b. 178. b. |
| | 22 | I. | 78. b 87. b. 191. a. 429. a. 585. a. II. 64. b. 178. b. |
| | 23 | II. | 178. b |
| | 24 | I. | 329. b. II. 178. b. |
| | 25 | I. | 535. b II. 178. b. |
| | 26 | I. | 418. a. 438. a. 505. b. |
| VI. | 1 | I. | 503 a. II. 12. a. 35. a. |
| | 3 | I. | 329. b. |
| | 4 | I. | 11 .b. 89 b. |
| | 6 | I. | 93 b. |
| | 7 | I. | 116 b. 442. b. |
| | 11 | I. | 608. a. |
| | 12 | I. | 393. a. 400. b. 418. a. 431 a. 512. b. |
| | 13 | I. | 92. a. 343. b. 400. b. 418. a. |
| | 14 | I. | 343. a. b. 512. b. |
| | 15 | I. | 95. b. |
| | 18 | I. | 608 b. |

ad EPHESIOS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 3 | I. | 199 a. 370. a. 380. a. II. 4. b 272. b. |
| | 4 | I. | 380. a. |
| | 5 | I. | 88. a. 477. a. |
| | 7 | I. | 88 a. 110. a. 447. a. 528. b. |
| | 8 | I. | 528. b. |
| | 9 | I. | 88. a. 477. a. 527. a. 528. b. |
| | 10 | I. | 480. b. 528. b. II. 72. a. 212 b. |
| | 11 | I. | 88 a. 477. a. & d. 528. b. |
| | 12 | I. | 75 a. 474. a. |
| | 13 | I. | 406. a. |
| | 14 | I. | 27 .b. 425. a. 474. a. II 213. b. |
| | 15 | II. | 56. a. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 16 | I. | 550. a. |
| | 19 | I. | 528. b. 620. b. |
| | 20 | I. | 473. b. 620. b. II. 76. b. & d. 280. |
| | 21 | I. | 333. a. 334. a. b. 477. b. 528. b. |
| | 22 | I. | 332. a. 336. a 528. b. II. 91. b. |
| | 23 | I. | 332. a. 529. b. |
| II. | 1 | I. | 221. a. 201. a. |
| | 2 | I. | 491. a 573. b. II. 86. b. 286. a. |
| | 3 | I. | 415. b. 447. b. |
| | 4 | I. | 474. a. 552. b. |
| | 5 | I. | 35. b. 201. a. 510. b. 530. a. |
| | 6 | I. | 473. 476. b. 510. b. 530. a. |
| | 9 | II. | 67. |
| | 10 | II. | 72. a. |
| | 11 | I. | 349. a. |
| | 12 | I. | 98. b. II. 86 b. |
| | 17 | I. | 169. b. 362. a. II. 4. b. |
| | 18 | I. | 482. b. |
| | 19 | II. | 187. b. |
| | 20 | I. | 6 .a. 389. b. 481. a. II. 282. b. |
| | 22 | I. | 278. b. |
| III. | 1 | I. | 398. b. 531. a. |
| | 2 | I. | 70. b. 531. a. |
| | 5 | I. | 484. b. 531. b. |
| | 7 | I. | 70. b. |
| | 8 | ibid. | |
| | 9 | I. | 417. b. 528. b. |
| | 10 | I. | 333. a. 334. a. II. 18. b. 113. a. 277. b. |
| | 13 | I. | 398. b. |
| | 16 | I. | 526 b. |
| | 18 | I. | 417. b. |
| | 21 | I. | 201. b. |
| IV. | 1 | I. | 529. b. |
| | 5 | I. | 379. a. |
| | 6 | I. | 379. a. 380. a. |
| | 7 & d. | II. | 91. a. |
| | 8 | I. | 337. b. II. 285. a. |
| | 10 | I. | 332. a. 621. a. II. 270. a. |
| | 11 | I. | 175. a. II. 270. a. 285. a. |
| | 12 | I. | 67. a. II. 270 a. |
| | 13 | II. | 120 b. |
| | 14 | I. | 259. a. II. 120. b. 221. b |
| | 15 | I. | 526. b. |
| | 19 | I. | 84 a. |
| | 21 | I. | 570. b. |
| | 22 & d. | I. | 449. b. |
| | 23 | II. | 52. a. |
| | 24 | I. | 449. b. II. 52. a. |
| | 25 | I. | 434. a. |
| | 29 | II. | 47. b. 56. b. |
| | 30 | I. | 405. a 475. b. II. 36. a. 177. b. |
| | 31 | I. | 438. a II. 281 b. |
| | 32 | II. | 303 b. |
| V. | 1 | I. | 552. a. |
| | 2 | I. | 13. b. 379. b. 405 b. II. 285. b. |
| | 3 | II. | 220. a. |
| | 4 | II. | 47. b. |
| | 5 | I. | 437 b 485. b. 567. a. II. 220. a. |
| | 8 | I | 53. b. II. 313 a. |
| | 9 | I. | 573. b. 585 a. |
| | 10 | I. | 444. b. |
| | 11 | II. | 125. b & d. II. 303. a. |
| | 14 | II. | 303. a. |
| | 16 | I. | 450 a. I. 537. b. |
| | 18 | I. | 492. b. |
| | 20 | I. | 578. a. |
| | 21 | I. | 507. b. |
| | 25 | I. | 141. b & d. 379. b. |
| | 26 | I. | 26. a II. 52. a. 206. b |
| | 27 | I. | 37. a. 276. a. |
| | 31 | II. | 202. a. |
| VI. | 1 | I. | 85. a. |
| | 2 | ibid. | |
| | 5 | I. | 507. b. |
| | 6 | I. | 72. b. |
| | 8 | I. | 412 a. 445 b. |
| | 9 | I. | 91 b. |
| | 10 & d. | I. | 526. b. |
| | 11 | I. | 485. a. |

| Cap. | vers. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 12 | I. | 334. a. b. 359. a. 362. b. 385. b. II. 285. b. |
| | 13 | II. | 19. a. |
| | 14 | I. | 574. b. |
| | 16 | I. | 574. b. II. 19. a. |
| | 18 | I. | 587. b. |
| | 19 | I. | 580. a. |
| | 24 | I. | 608. b. |

ad PHILIPPENSES.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 1 | II. | 43. a. |
| | 3 & d. | I. | 550. a. |
| | 6 | II. | 177. b. |
| | 9 | I. | 371. a. |
| | 10 | I. | 93. b. |
| | 13 | I. | 516. b. |
| | 19 | I. | 580. a. |
| | 22 | I. | 362. II. 4. b. 107. a. |
| | 23 | I. | 323. a. 319. a. II. 177. b. 316. b. |
| | 27 | I. | 339. b. 512. b. |
| | 29 | I. | 448. b. 502. b. |
| | 30 | I. | 515. a. |
| II. | 3 | I. | 442. a. |
| | 6 | I. | 198. b. II. 73. a. |
| | 7 | II. | 144 a. |
| | 8 | II. | 83. b. |
| | 9 & d. | I. | 405. b. 620. b. II. 93. b. |
| | 10 | I. | 188. b. |
| | 12 | I. | 304. a. |
| | 14 | ibid. | |
| III. | 1 | I. | 440. a. |
| | 3 | I. | 197. b. 343. a. b. 349. a. 400. b. 427. b. 428. a. 448. b. |
| | 4 | I. | 197. b. 400. b. |
| | 5 | I. | 349. a. |
| | 6 | I. | 413. b. |
| | 10 | I. | 448. b. |
| | 12 | I. | 49. a. II. 214. a. |
| | 13 | II. | 297. a. |
| | 14 | I. | 299. a. II. 297. a. |
| | 17 | I. | 552. a. |
| | 18 | I. | 200. a. 448. a. 509. a. II. 141. b. |
| | 19 | ibid. | |
| | 20 | I. | 423. a. 572. a. 583. b. |
| | 21 | I. | 336. b. 352. a. 527. a. 583. b. II. 86. a. |
| IV. | 3 | I. | 281. a. |
| | 4 | I. | 196. b. 440. a. 577. b. |
| | 5 | II. | 14. b. |
| | 8 | I. | 583. a. 597. a. |
| | 9 | I. | 383. a. |
| | 11 | II. | 220. a. 298. b. |
| | 12 | ibid. | |
| | 13 | II. | 198. b. |
| | 14 | I. | 177. a. II. 56. b. |
| | 15 | ibid. | I. 67. b. |

ad COLOSSENSES.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 3 | II. | 56. a. |
| | 4 | ibid. | |
| | 5 | I. | 574. b. |
| | 6 | I. | 72. a. 81. b. |
| | 7 | II. | 58. b. |
| | 9 | I. | 476. b. 507. b. 558. b. |
| | 10 | I. | 329. b. 507. b. |
| | 11 | I. | 527. a. |
| | 12 | I. | 536. b. 552. b. |
| | 13 | II. | 97. a. |
| | 14 | I. | 110. a. 528. b. |
| | 15 | I. | 528. b. II. 73. a. |
| | 16 | I. | 333. a. 334. a. b. 528. b. II. 71. b. 72. a. |
| | 18 | I. | 323. b. 528. b. |
| | 19 | I. | 528. b. |
| | 20 | ibid. | I. 529. a. II. 212. b. |
| | 23 | I. | 72. a. |
| | 24 | I. | 398. b. |
| | 27 | I. | 73. a. 420. b. |
| II. | 1 | I. | 550. a. |
| | 2 | I. | 503. a. |
| | 5 | I. | 574. b. |
| | 7 | I. | 536. b. |
| | 9 | I. | 529. b. |
| | 10 | I. | 333. a. 334. a. II. 285. |
| | 12 | I. | 477. a. 534. b. 535. a. II. 123. a. |
| | 13 | I. | 121. a. 535. a. |
| | 14 | I. | 480. a. |
| | 15 | I. | 334. a. 337. b. II. 57. a. 285. a. |
| | 17 | I. | 533. a. |
| III. | 3 | I. | 73. a. II. 274 b. |
| | 4 | ibid. | |
| | 5 | I. | 437. b. 535. a. 567. a. II. 220. a. |
| | 8 | I. | 438. a. 449. b. II. 52. a. 281. b. |
| | 9 & d. | I. | 449. b. II. 52. a. |
| | 10 | I. | 486. a. |
| | 11 | I. | 411. b. 412. a. |
| | 13 | II. | 303. b. |
| | 15 | I. | 480. a. |
| | 18 | I. | 489. a. |
| | 22 | I. | 72. b. |
| | 23 | ibid. | |
| | 25 | I. | 81. b. 91. b. 412. a. 445. b. |
| IV. | 2 | I. | 536. b. |
| | 5 | I. | 405. a. |
| | 6 | II. | 47. b. II. 56. b. |
| | 10 | II. | 59. a. |
| | 13 | I. | 177. a. |
| | 14 | II. | 59. a. |
| | 18 | I. | 447. a. 607. b. 608. b. |

1. ad THESSALONICENSES.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 1 | I. | 501. a. 559. a. |
| | 2 | II. | 56. a. |
| | 3 | I. | 380. a. 558. b. 563. b. 566 a. 574 b. 585. a. II. 56. a. 127. a. |
| | 5 | I. | 557. a. 562. b. & d. II. 19. a. 281. b. |
| | 6 | I. | 191 b. 559. a. |
| | 7 | II. | 212. b. |
| | 8 | I. | 72. a II. 212. b. |
| | 9 | II. | 158. a. |
| | 10 | I. | 39. b. 78. a. 487. a. |
| II. | 2 | I. | 552. a. |
| | 3 | I. | 567. b. |
| | 4 | I. | 58. b. |
| | 5 | I. | 504. a. |
| | 9 | I. | 603. a. II. 281. b. |
| | 10 | I. | 552. a. |
| | 12 | I. | 90. a. 109. a. 329. b. 380. a. 430. a. |
| | 13 | I. | 490. b. |
| | 14 | I. | 425. a. |
| | 15 | ibid. | |
| | 18 | I. | 73. a. |
| | 19 | ibid. | |
| III. | 5 | I. | 50. b. 443. a. II. 35. a. |
| | 9 | I. | 565. a. |
| | 11 | | 380 a. |
| | 13 | | 596. a |
| IV. | 1 | I. | 371. a. |
| | 2 | I. | 604. b. |
| | 3 | I. | 578. a. II. 206. b. |
| | 4 | I. | 228. a. II. 12. b. |
| | 5 | I. | 574. a. II. 220. a. |
| | 6 | II. | 220. a. |
| | 7 | I. | 81. b. 433. a. 511. b. 561. a. |
| | 8 | I. | 399. a. |
| | 9 | I. | 550. b. 561. a. 563. b. |
| | 10 | I. | 550. b. 563. b. |
| | 11 | I. | 640. a. b. |
| | 12 | ibid. | |
| | 13 | I. | 293. b 324 b. 574. a. |
| | 14 | I. | 324. b. 329. b. 575. b. 586. a. 620. a. |
| | 15 | I. | 324. I. 364. b. 366. b. 275. a. |
| | 16 | I. | 334 a. I. 365. b. 366. b. 200. b. 583. b. |
| | 17 | | 366. b. 559. b. |
| V. | 2 | I. | 586. b. |
| | 6 | II. | 277. b. |
| | 7 | I. | 183. a. 277. b. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 8 | I. | 183. a. 429. a. II. 277. b. |
| | 9 | II. | 183. a. |
| | 13 | II. | 32. b. |
| | 16 | I. | 440. a. |
| | 24 | I. | 380. a. 440. a. |

2. ad THESSALONICENSES.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 3 | II. | 56. a. |
| | 4 | I. | 343. b. 505. a. 586. a. |
| | 5 & d. | I. | 448. b. 505. a. |
| | 6 | I. | 505. a. 560. a. |
| | 7 | I. | 505. a. 565. a. |
| | 8 | I. | 262. a. |
| | 9 | I. | 81. b. II. 49. a. |
| | 10 | II. | 102. a. |
| | 11 | I. | 69. b. |
| II. | 2 | I. | 447. a. 607. b. |
| | 3 | I. | 77. b. II. 274. b. |
| | 8 | I. | 77. b. II. 111. a. |
| | 13 | I. | 551. a. |
| | 14 | I. | 380. a. |
| | 15 | I. | 596. a. |
| | 16 | I. | 196. b. |
| III. | 1 | I. | 580. a. |
| | 2 | ibid. | |
| | 8 | I. | 294. a. |
| | 9 | ibid. | |
| | 10 | I. | 569. a. |
| | 11 | ibid. | |
| | 12 | I. | 566. a. 569. a. |
| | 17 | I. | 447. a. |

1. ad TIMOTHEUM.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 1 | I. | 73. a. 550. b. II. 9. a. 42. b. |
| | 3 | II. | 7. a. |
| | 4 | II. | 34. a. 53. a. |
| | 5 | I. | 261. b. II. 24. b. |
| | 7 | II. | 44 a. |
| | 9 & d. | I. | 439. a. II. 166. b. |
| | 10 & d. | ibid. | I. 84. b. |
| | 11 | I. | 98. b. |
| | 12 | II. | 217. a. |
| | 13 | I. | 384. a. b. & d. II. 183. a. |
| | 15 | I. | 113. a. II. 12. b. 23. b. 53. a. |
| | 16 | I. | 113. a. |
| | 17 | I. | 290. a. II. 37. b. |
| | 18 | II. | 55. b. |
| | 19 | II. | 292. a. |
| | 20 | I. | 270. b. 602. b. II. 292. a. |
| II. | 2 | I. | 180. b. |
| | 3 | II. | 1. b. |
| | 4 | I. | 115. b. II. 42. a. |
| | 6 | I. | 173. b. 405. a 483. a. II. 42. a. 162. b. |
| | 7 | II. | 71. a. II. 42. a. |
| | 9 | II. | 12. a. b. |
| | 11 | II. | 12. a. |
| | 12 & d. | I. | 412. a. |
| | 13 | I. | 357 a. |
| | 15 | I. | 127. b. II. 30. a. 206 b. |
| III. | 1 | I. | 576. b. |
| | 2 | II. | 11. a. 17. a. 43. a. b. |
| | 3 | II. | 16. b. 43 b. |
| | 4 | I. | 8. b. II. 17. a. 43. a. |
| | 11 | II. | 46. a. |
| | 14 | II. | 1. 57. a. |
| | 15 | II. | 212. a. |
| | 16 | I. | 417. a. II. 277. b. |
| IV. | 1 | II. | 141. b. |
| | 2 | ibid. | |
| | 3 | I. | 192. a. b. 282. b. 306. a. II. 12 a. 45. a. |
| | 4 | I. | 306. a. |
| | 5 | I. | 192. b. 306 a. |
| | 10 | II. | 1. b. 27. a. |
| | 12 | II. | 32. a. 46. b. 47. a. 49. b. |
| | 14 | II. | 7. a. |
| V. | 2 | II. | 46. b. |
| | 3 | I. | 489. b. & d. II 30. b. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 4 | ibid. | I. 85. a. |
| | 8 | I. | 85 a. 489. a. |
| | 10 | I. | 199. b. II. 12. b. |
| | 11 | I. | 266 b. |
| | 13 | II | 46. b. |
| | 14 | II. | 12. b. |
| | 17 | I. | 445. a. 489. b. II. 26. a. 43. a. |
| | 18 | I. | 296. a. 445. a. |
| | 19 | I. | 393. a. |
| | 20 | ibid. | I. 606. a. |
| | 22 | II. | 26. a. |
| VI. | 1 | II. | 47. b. |
| | 4 | II. | 15. a. 53. a. |
| | 5 | II. | 18. a. |
| | 6 | II. | 18. a. 298. b. |
| | 9 | II. | 220. a. |
| | 10 | ibid. | |
| | 12 | II. | 39. a. 201. b. |
| | 14 | II. | 177. b. |
| | 15 | I. | 290. II 50. b. |
| | 16 | I. | 290 a. II. 6. b. 158. a. |
| | 17 | II. | 36. a. |
| | 19 | ibid. | |
| | 22 | I. | 608. b. II. 41. |

2. ad TIMOTHEUM.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 1 | II. | 42. a. |
| | 3 | II. | 56 a. 217. a. |
| | 6 | I. | 175. b. 552. b. II. 123. a. |
| | 8 | II. | 55. a. 102. a. |
| | 13 | I. | 94. a. II. 39. b. |
| | 14 | II. | 39. b. |
| | 15 | II. | 7. b. 8. a. |
| II. | 8 | I. | 72. b. 93. a. 620. a. II. 4. a. |
| | 10 | I. | 398 b. |
| | 11 | I. | 264. a. II. 53. a. |
| | 12 | I. | 331. b. |
| | 13 | I. | 99. b. |
| | 16 | II. | 53. a. 310. a. |
| | 17 | II. | 310. a. |
| | 18 | ibid. | |
| | 19 | I. | 362 a. II. 4. b. 271. a. |
| | 20 | I. | 154. a. |
| | 21 | ibid. | |
| | 23 | II. | 15 a. 53. a. 310. a. |
| | 24 | II. | 15. a. |
| | 25 | II. | 310. a. |
| III. | 2 & d. | I. | 439. a. |
| | 5 | I. | 94. a. 362 a. II. 4. 6. |
| | 16 | II. | 24. b. 43. b. |
| | 17 | II. | 35. b. |
| IV. | 1 | I. | 331 a. II. 76. a. |
| | 6 | I. | 504 b. |
| | 8 | I. | 428. b. 526. a. II. 166. b. |
| | 10 | II. | 59. a. |
| | 11 | II. | 19. a. 59 a. |
| | 14 | II. | 7. b. 8. a 292. a. |
| | 22 | I. | 608. b. II. 41. |

ad TITUM.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 3 | I. | 98. b. |
| | 4 | II. | 2. a. |
| | 5 | II. | 13. a. 41 |
| | 6 | II. | 15. a. 47. a. |
| | 7 | II. | 13. |
| | 15 | I | 192. a. 264. a. 282. b. II. 22. a. |
| II. | 3 | II. | 12. b. |
| | 10 | II. | 50. b. |
| | 11 & d. | I. | 370. b. II. 217. a. |
| | 12 | II. | 43. b. |
| | 13 | I. | 428 a. b. II. 205. b. 273. a. |
| | 14 | I. | 379 b. II. 177. a. |
| III. | 1 & d. | I. | 182. b. 334. a. b. |
| | 4 | I. | 87. b. II. 1. b. 217. a. |
| | 5 | I. | 88. a. 474. b II. 56. b. |
| | 6 | I. | 276 a. |
| | 7 | I. | 569. a. |
| | 9 | I. | 8 b. II. 15 a. |
| | 10 | I. | 432. a. 438. b. |
| | 15 | I. | 608. b. II. 41. |

# INDEX LOCORUM


| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | ad PHILEMONEM. | | |
| I. | 8 | I. | 552. b. |
| | 25 | I. | 608. b. |
| | ad HEBRÆOS. | | |
| I. | 2 & d. | I. | 533. a. II. 169 |
| | 3 | I. | 335. b. 527 b. 533 a. II. 86. a. 99. b 128. b. 144. a. 153 b. 202. b. |
| | 4 | I. | 506. b 533. a. II. 82. b. 11[illegible]. b. |
| | 5 | I. | 35[illegible]. b. II. 81. a. 82. b. 117. a. b. 148. a. |
| | 6 | I. | 25. b. 533. a. 357. b. 401. b. II. 82 b. 148. a. 169. a. |
| | 7 | I. | 162. b II. 69. 82. b. 112 a. |
| | 8 | I. | 162. b. II. 80. b. 82. b. |
| | 9 | II. | 82. b. |
| | 10 | II. | 78. b. 80. b. |
| | 13 | I. | 335. b. II. 77. b. |
| | 14 | I. | 528. b. II. 80. b. 212. b. |
| II. | 2 | I. | 195. b. 40[illegible]. a. II. 218. b. |
| | 3 | I. | 557. a II. 67. |
| | 4 | I. | 400. a. 552. a. II. 310. a. |
| | 5 | II. | 79. b. |
| | 7 | I. | 333. a. |
| | 8 | I. | 33[illegible]. a 338. b 339. a. II. 164. a. |
| | 11 | I. | 391. b. |
| | 12 | I. | 1[illegible]6. a 395. b. |
| | 13 | I. | 595 b |
| | 14 & d. | I. | 339. b. 3[illegible]7. II. 114. a. 285. b. 301. a 319. b. |
| | 16 | I. | 25. b 117. b. II. 77. b. |
| | 17 | I. | 440. a. II. 105. a. 114. a. |
| | 18 | II. | 112. b. 113. b. |
| III. | 1 | I. | 580. b. II 11[illegible]. b. 202. a. |
| | 2 | I. | 440. a. II. 72. a. |
| | 3 | II. | 214. a. 320. a. |
| | 4 | II. | 320. a. |
| | 5 | I. | 440. a II. 214. a. |
| | 6 | I. | 343. a. 401. a. 448. b. II. 214. a. |
| | 7 & d. | II. | 214 b. |
| | 12 | II. | 107. b. |
| | 13 | II. | 124. a. |
| | 14 | I. | 4[illegible]1. a. |
| | 16 | I. | 9[illegible]. b. 303 b. II. 19. b. |
| | 17 | II. | 110 b. |
| | 19 | II. | 4. b. |
| IV. | 1 | I. | 10[illegible]. a. II. 128. a. 207. a. & d. II. 214. b. |
| | 3 | II. | 105. b. |
| | 7 | II. | 91. b. |
| | 8 | I. | 16. b. |
| | 11 & d. | II. | 214. b. |
| | 15 | II. | 99. a. b. |
| | 16 | II. | 112. b. |
| V. | 1 | II. | 99. a. 113. a. |
| | 2 | II. | 143. b. |
| | 3 | ibid. | |
| | 4 | II. | 113. a. |
| | 5 | I. | 70. a. II. 112. b. 272. b. |
| | 7 | II. | 143. b. |
| | 9 | I. | 70. a. 511. b. II. 78. a 95. b. 114. b. 185. b. 200. b. |
| | 11 | I. | 31. a. II. 122. b. 128. a. |
| | 12 | II. | 307. b. |
| | 13 | I. | 94. a. 255. a. 259. a. |
| | 14 | I. | 78 a. 255. a. 503. a. |
| VI. | totus caput | II 3[illegible]4 b. | |
| | 1 | I. | 31. a. 259. a. |
| | 2 | ibid. | |
| | 3 | I. | 31. a. |
| | 4 & d. | II. | 178 a. 179 a. 292. b. |
| | 6 | I. | 15. a. |
| | 9 | I. | 31. a. II 122. a. |
| | 10 | II. | 56. b. II. 122. a 218. a. |
| | 12 | I. | 410. b. |
| | 13 | I. | 402. a. & d. 407. b. II 74. b. 141. a. 153. b. |
| | 14 | I. | 402. a. |
| | 15 | I. | 410. b. |
| | 17 | I. | 402. a. |
| | 18 | II. | 35 b. |
| | 19 | ibid. | |
| VII. | 2 | II. | 69. |
| | 3 | ibid. | |
| | 6 | I. | 92. a. |
| | 7 | II. | 140. a II. 203. b |
| | 11 | I. | 511. b. II. 95. b. 151. a. 174. a |
| | 12 | II. | 216. b. |
| | 15 | II. | 117. b. |
| | 16 | II. | 155. b. |
| | 18 | I. | 147. a. II. 227. b. |
| | 19 | I. | 511 b. II. 95. b 151. b. |
| | 24 | I. | 33[illegible]. a. |
| | 25 | II. | 112. b. |
| | 26 | II. | 113. a. 156. a. |
| | 27 | I. | 621. a. II. 131. b. 156 a. 173. b. |
| | 28 | I. | 511 b. II. 95. 151. b. 156. a |
| VIII. | 1 | II. | 75 a. 113. a. 202. b. |
| | 4 | II. | 131. b. |
| | 5 | II. | 149. a. 161. b. |
| | 6 | II. | 140. a. 14[illegible]. a. 164. a. 214. b. |
| | 9 | II. | 9[illegible]. a. |
| | 10 | II. | 78. a. |
| | 11 | I. | 435. b. |
| | 12 | I. | 3[illegible]9 b 43[illegible]. b. II. 140. a. 174. b. |
| | 13 | II. | 85. b. |
| IX. | 1 | I. | [illegible]5 b. |
| | 2 | II. | 223. b. |
| | 4 | II. | 161. a. |
| | 7 | I. | 58[illegible]. b. |
| | 8 | II. | 175. b. |
| | 10 | I. | 34. a. 95. b II. 95. b. |
| | 11 | II. | 144. b. 267. a. 2[illegible]6. b. |
| | 12 | II. | 74. b 216. b. 128. b. |
| | 13 | II. | 173 b. 217. a. 272. a. |
| | 14 | I. | 37[illegible]. b. II. 145. a. 181. a. 272. a. |
| | 15 | I. | 410. b. & d. II. 69. |
| | 17 | II. | 89. a. |
| | 19 | II. | 161. a. 211. a. 214. b. 271. b. |
| | 20 | II. | 214 b. 271 b. |
| | 21 | II. | 271. b. |
| | 24 | I. | 533. a. II. 74. a. 144. b. |
| | 25 | I | 587. b. |
| | 26 | II. | 191. a. |
| X. | 1 | II. | 95 b 140. a 174 a. |
| | 4 | II | 135. b. 154. a. |
| | 11 | II. | 143. b. |
| | 12 | II. | 75. a. |
| | 13 | I. | 18[illegible]. a. 326. b |
| | 14 | I. | 391. b. 131. b. II. 136. b. 140. a. |
| | 18 | I. | 180 a. |
| | 20 | II. | 160. a. |
| | 26 & d. | II. | 292. b. 307. b. 309 b 312. b |
| | 27 | II. | 126. a. 188. b. 309. a. |
| | 28 | I. | 399. a. 413. b. |
| | 29 | II. | 175. a. 292. a |
| | 30 | I. | 179. a. |
| | 31 | II. | 160. a. |
| | 32 | II. | 127. a. |
| | 33 | I. | 502. a. II. 127. a. 203. a. |
| | 34 | II. | 203. a. |
| | 35 | II. | 102. b. |
| | 36 | I. | 410 b. |
| | 37 | II. | 205. a. |
| | 38 | I. | 73 a. |
| XI. | 1 | II. | 106 b. 307. a. |
| | 2 & d. | I. | 395. b. |
| | 4 | ibid. | |
| | 6 | I. | 395. a. b. |
| | 7 | I. | 96. a. 143 a II. 299. a. |
| | 8 | I. | 118. b. |
| | 9 | I. | 118. b. II. 74. b. |
| | 10 | I. | 422. b II. 144 b. |
| | 13 | I. | 410. b. II 129. a. |
| | 16 | I. | 89. b. 115. a. 422. b. II. 96. 129. a. |
| | 17 | I. | 92. a. |
| | 23 | I | 489 b. |
| | 26 | I. | 448. b. II. 210. b. |
| | 27 | I. | 37. a. |
| | 32 | II. | 56. b. |
| | 33 | ibid. | |
| | 34 | II. | 56. b. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 35 & d. | I. | 413. a. |
| | 36 | II. | 275. b. |
| | 37 | I. | 38. a. II. 275. b. |
| | 38 | ibid. | |
| | 39 | I. | 329. a. 410. b. II. 275. a. |
| | 40 | I. | 329 a. 511. b. II. 95. b. 275. a. |
| XII. | 1 | II. | 281. b. |
| | 2 | II. | 95. a. |
| | 5 | II. | 103. b. |
| | 9 | I. | 390. a. II 283. |
| | 14 | I. | 567. b. |
| | 19 | I. | 565. a. 571. b. |
| | 23 | I. | 511. b. |
| | 24 | I. | 613. a. |
| | 25 | I. | 423. b. II. 210. b. 218. b. |
| | 26 | II. | 85. a. 188. b. |
| | 27 | II. | 188. b. |
| | 28 | ibid. | |
| | 29 | II. | 179. b. |
| XIII. | 3 | I. | 391. a. |
| | 4 | I. | 566. b. |
| | 5 | II. | 298. a. |
| | 11 | I. | 587. b. |
| | 13 | II. | 195. a. |
| | 14 | II. | 211. b. |
| | 15 | II | 142. b. 150. b. 283. b. |
| | 16 | II. | 56 b. 150. b. 385. b. |
| | 17 | | 487 b. |
| | 18 | I. | 31. a. |
| | 19 | ibid. | |
| | 20 | I. | 570. b. |
| | 25 | I. | 608. b. |

## JACOBI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 2 | I. | 417. b. 448. b. II. 113. b. |
| | 3 | I. | 417. b. 448. b. II. 275. b. |
| | 12 | II. | 113. b. |
| | 17 | I. | 476. a. |
| | 18 | I. | 531. a. |
| | 22 & d | I. | 92. a. |
| | 25 | I. | 114. b. |
| | 26 | I. | 444. a. |
| II. | 6 | I. | 274. b. |
| | 7 | I. | 597 a. |
| | 12 | I. | 114. b. |
| | 13 | I. | 73. a. II. 39. b. |
| | 14 | I. | 394. b 429. a. |
| | 17 & d. | I. | 429. a. |
| | 18 | I. | 394. b. |
| | 20 & d. | I. | ibid. |
| | 21 & d. | I. | 114. b. 402 a. |
| | 22 | I. | 394. b. 402. a. |
| | 23 | ibid. | |
| | 25 | II. | 196. a. |
| | 26 | I. | 394. b. |
| III. | 1 | I. | 262. b. |
| | 6 | II. | 207. a. |
| | 8 | I. | 104. b. II. 207 a. |
| | 14 | I. | 438. a. |
| | 17 | II. | 38 b. |
| IV. | 2 | I. | 73. a. |
| | 5 | II. | 287. a. |
| | 6 | I. | 380. a II. 283. a. 287. a. |
| | 7 | I. | 380. a. II. 283. a. |
| | 8 | ibid. | |
| | 10 | ibid. | |
| | 11 | I. | 86. b. |
| | 15 | I. | 199. b. |
| | 17 | I. | 90. b. |
| V. | 6 | I. | 380. a. II. 283 a. |
| | 7 | II. | 128. a. II. 117. b. |
| | 8 | ibid. | |
| | 10 | II. | 128. a. |
| | 16 | I. | 38. a. |

## 1. PETRI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 2 | I. | 88. a. |
| | 3 | I. | 175. a. 370. a. 380. a. 474. b 510. b. 620. b. II. 4. b. 49. a. 271. a. 280. a. |
| | 5 | I. | 88. a. |

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 6 & d. | I. | 448. b. II. 182. a. |
| | 7 | I. | 90. a. II. 202 b. |
| | 9 | I. | 575. a. |
| | 10 | I. | 67. b. |
| | 13 | II. | 269. |
| | 13 | II. | 269. b. |
| | 15 | ibid. | |
| | 16 | I. | 481. a. II. 229. b. |
| | 17 | I. | 91. b. 444. b. |
| | 18 | I. | 405. a. |
| | 19 | II. | 275 b. |
| | 20 | I. | 141. b. II. 271. b. |
| | 21 | I. | 141. b. 332. b. 620. a. b. |
| | 22 | II. | 281. b. 282. b. |
| | 23 | II | 111. a. |
| | 25 | I. | 557. a. II. 90. b. 111. a. |
| II. | 2 | I. | 173. b. |
| | 5 | II. | 212. a. 228. a. |
| | 6 | I. | 157. a. |
| | 9 | II. | 49 b. |
| | 10 | I. | 155. b. |
| | 11 | II. | 48. b. 187. b. |
| | 12 | II. | 48. b. |
| | 13 | I. | 179. b. |
| | 16 | I. | 433. b. |
| | 23 | I. | 178. b. 379. b. |
| | 24 | I. | 201. b. 379. b. 475. a. |
| | 25 | II. | 22[illegible]. a. |
| III. | 2 | II. | 46. b. |
| | 3 | II. | 12. b. |
| | 13 | I. | 180 a. II. 206. b. |
| | 14 | I. | 180. a. |
| | 15 | II. | 176. b. |
| | 18 | I. | 60. b. II. 156. a. 288. a. |
| | 20 | II. | 80 b. |
| | 21 | II. | 176. b. 186. b. |
| | 22 | I. | 334. a. 335. a. II. 79 b. 301. a. |
| IV. | 1 | I. | 183. b. & d. 441. b. II. 137. a. 286. b. 287. b. |
| | 2 | II. | 137. a. 28[illegible]. b. |
| | 3 | I. | 94. b. 302. b II. 51. a. |
| | 4 | I. | 302. b. |
| | 5 | I. | 507. b. |
| | 6 | I. | 507. b. II. 288. b. |
| | 7 | I. | 574. a. |
| | 8 | I. | 42[illegible]. a. |
| | 10 | I. | 175. a. 256. b. |
| | 13 | I. | 448. b. |
| | 14 | ibid. | |
| | 19 | I. | 347 a. |
| V. | 1 | II. | 13. a. 14. a. |
| | 2 | ibid. | |
| | 3 | II. | 47. a. |
| | 4 | II. | 227 b. |
| | 5 | I. | 380. II. 283. a. |
| | 6 | ibid. | |
| | 10 | I | 90. a. 109. a. 430. a. II. 182. a. |
| | 11 | II. | 38. a. |
| | 12 | II. | 217. a. 269. |

## 2. PETRI.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | 1 | I. | 111. b. II. 42. b. 213. a. |
| | 2 | I. | 379. a. |
| | 10 | II. | 42. a. 89. a. |
| | 17 | I. | 47. b. |
| | 18 | ibid. | |
| | 20 | I. | 257. a. |
| | 21 | ibid. | 73 a. 103. b. 174. b. 277. a. |
| II. | 1 | I. | 405 a. |
| | 3 | I. | 587. b. |
| | 4 | I. | 335. b. 391. b. II. 274 a. |
| | 6 | II. | 74. b. |
| III. | 20 & d. | I. | 401. a. II. 124. b. 312. b. |
| | 1 | II. | 68. |
| | 2 | I. | 380. a. II. 67. |
| | 4 | I. | 558 b II. 80. b. |
| | 7 | II. | 85. b. |
| | 9 | I. | 88 a. II. 164. b. |
| | 10 | I. | 573. a. II. 85. a. b. |
| | 11 | II. | 85. a. 277. a. |
| | 12 | I. | 271. a. |

# INDEX LOCORUM.


| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 13 | I. | 428 a. II. 217. a. |
| | 15 | II. | 68. |
| | 18 | II. | 228. b. |

## 1. JOANNIS.

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| I. | 3 | I. | 249. b. I. 213. b. |
| | 6 | I. | 249 b I. 379. b. |
| | 7 | ibid. | II. 180. a. |
| | 9 | I. | 111. b. 440. a. |
| II. | 1 | II. | 124. a. 165. a. |
| | 2 | I. | 143. b. II. 150, b, 163. a. |
| | 3 | I. | 45. a. |
| | 14 | I. | 616. a. |
| | 17 | I. | 28 . a. |
| | 18 | I. | 587. b. 589. b. |
| | 22 | ibid. | |
| III. | 2 | I. | 139. a. II. 206. b. |
| | 3 | II. | 140. b. 273. a. |
| | 6 | II. | 45. a. 86. b. |
| | 7 | I. | 70. a. |
| | 10 | II. | 86. b. |
| | 14 | I. | 429 a. |
| | 15 | I. | 106. b. |
| | 16 | I. | 398. b. |
| | 17 | II. | 38. a. |
| | 19 | I. | 90. a. 429. a. |
| | 21 | I. | 265. b. 429. a. |
| | 22 | ibid. | I. 574. b. |
| | 23 | I. | ibid. |
| | 24 | I. | 278. b. 480. b. 574. b. |
| IV. | 3 | I. | 587. b. II. 277. a. |
| | 8 | II. | 21 . b. |
| | 13 | I. | 191. b. 276. b. 278. b. |
| | 18 | I. | 133. b. 180. a. 424. a. |
| | 20 | II. | 276. a. |
| | 21 | I. | 289 b. |
| V. | 2 | I. | 289. I. 434. a. |
| | 5 | I. | 616. a. II. 12. a. |
| | 6 | I. | 96. a. 400. a. 417. a. 614 a. II. 12. a 163. b 165. a. 227. b. |
| | 7 | I. | 400. a. 614. a |
| | 8 | | 357. b. 400. a. 412. a. II. 141. b. |
| | 10 | II. | 278. a. |
| | 11 | I. | 614. |
| | 16 | II. | 312. b. |
| | 19 | I. | 379. b. |

## 2. JOANNIS.

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 7 | I. | 587. b 589. b. 590. b. |
| | 8 | I. | 401. a. |

## 3. JOANNIS.

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 3 | I. | 90. a. |
| | 4 | ibid. | |

## JUDÆ.

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| | 4 | I. | 587. b. |
| | 5 | II. | 166. b. |
| | 6 | I. | 335. b. |
| | 13 | I. | 512. b. |
| | 14 | I. | 565. a. |
| | 21 | I. | 168. a. 585. b. |
| | 22 | II. | 286. b. |
| | 23 | II. | 207. a. 286. b. |
| | 25 | II. | 1. b. II. 38. a. |

## APOCALYPSIS.

| Cap. | verſ. | tom. | pag. Col. |
|---|---|---|---|
| I. | 1 | II. | 87. a. |
| | 2 | II. | 102. a. |
| | 3 | I. | 4. b. |
| | 4 | ibid. | |
| | 5 | I. | 323. b. II. 228. b. |
| | 6 | II. | 228. b. |
| | 9 | II. | 102. a. |
| | 16 | I. | 590. a. II. 111. a. |
| | 17 | I. | 620. a. II. 97. b. |
| | 18 | ibid. | |
| II. | 7 | II. | 103. b. |
| | 8 | I. | 620. b. |
| | 10 | I. | 401. a. 440. a. |
| | 12 | II. | 111. a. |
| | 13 | I. | 201. b. |
| | 16 | I. | 590. a. II. 313. a. |
| | 17 | II. | 103. b. |
| | 21 | II. | 313. a. |
| | 23 | I. | 89. a. |
| | 26 | ibid. | I. 274. a. 401. a. II. 299. b. |
| | 27 | I. | 274. a. II. 299. b. |
| | 29 | II. | 103. b. |
| III. | 3 | I. | 513. a. |
| | 12 | I. | 422. b. |
| | 13 | II. | 103. b. |
| | 17 | I. | 269. b. |
| | 21 | I. | 331. b. |
| | 22 | II. | 103. b. |
| V. | 1 | II. | 76. a. |
| | 6 | ibid. | |
| | 7 | ibid. | |
| | 9 | I. | 405. a. |
| | 12 | II. | 228. b. |
| | 13 | I. | 147. a. II. 38. a. 76. a. 228. b. |
| VI. | 8 | I. | 368. b. |
| | 9 | II. | 102. a. |
| | 10 | II. | 185. a. |
| | 16 | II. | 76. a. |
| VII. | 3 & d. | I. | 475 b. |
| | 10 | II. | 76. a. |
| | 12 | I. | 335. a. |
| | 15 | II. | 76. a. |
| | 17 | ibid. | |
| IX. | 4 | I. | 396. a. |
| | 20 | I. | 105. b. |
| XI. | 3 | II. | 102. a. |
| | 7 | ibid. | |
| | 20 | I. | 300. b. |
| XII. | 7 | I. | 334. b. |
| | 9 | II. | 86. b. |
| | 11 | II. | 102. a. |
| | 17 | ibid. | |
| XIII. | 3 | I. | 54. b. |
| | 8 | II. | 4. b. |
| XIV. | 3 | I. | 405. a. |
| | 5 | ibid. | |
| XVI. | 13 | II. | 110. b. |
| | 6 | II. | 4. b. |
| | 15 | I. | 573. a. |
| XVII. | 10 & d. | I. | 587. b. |
| XVIII. | 7 | I. | 437. b. |
| | 8 | I. | 368. b. |
| | 14 | I. | 435. b. |
| | 21 & d. | ibid. | |
| XIX. | 10 | I. | 437. II. 102. a. 212. b. |
| | 15 | I. | 590. a. 111. a. |
| | 21 | II. | 111. a. |
| XX. | 1 & d. | I. | 168. b. |
| | 4 | II. | 102. a. 304. a. |
| | 5 | I. | 168. b. II. 304. a. |
| | 12 | I. | 89. a. 514. a. |
| XXI. | 2 | I. | 422. b & d. II. 211. b. |
| | 3 | I. | 422. b. |
| | 9 | II. | 211. b. |
| | 10 & d. | I. | 422. b. II. 211 b. |
| | 14 | I. | 67. a. 196. a. |
| | 27 | I. | 396. a. |
| XXII. | 6 | II. | 87. a. |
| | 8 | I | 487. a. |
| | 9 | ibid. | II 212. b. |
| | 12 | I. | 89. a. 444. b. |
| | 16 | I. | 196. a. b. II. 87. a. |
| | 20 | II. | 228. b. |
| | 21 | I. | 608. b. |


*FINIS.*